PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT,

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS, DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS VI.

SS. PP. MARCELLINI, MARCELLI, EUSEBII ET MELCHIADIS; ANONYMI, CELSI, TOMUS UNICUS.

LACTANTII TOMUS PRIMUS.

PARISIIS, EXCUDEBAT SIROU,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRES LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

Digitized by Google

BR
60
.M6

Digitized by Google

LUCII CÆCILII FIRMIANI

LACTANTII

32860

OPERA OMNIA,

AD PRÆSTANTISSIMAM LENGLETII-DUFRESNOY EDITIONEM EXPRESSA; BUNEMANNI, O. F. FRITZCHE, N. LE NOURRY CUM EMENDATIONIBUS TUM DISQUISITIONIBUS CRITICIS AUCTA:

EDITIO NOVISSIMA,

QUÆ OMNIUM INSTAR ESSE POTEST, AD OCTOGINTA ET AMPLIUS MSS. CODICES EDITOSQUE QUADRAGINTA COLLATA NOTISQUE UBERIORIBUS ILLUSTRATA.

PRÆCEDUNT

S. MARCELLINI PAPÆ, S. MARCELLI PAPÆ, S. EUSEBII PAPÆ, S. MELCHIADIS PAPÆ, ANONYMI, CELSI, OMNIA QUÆ EXSTANT

FRAGMENTA.

HORUM TOMUS UNICUS,

LACTANTII TOMUS PRIMUS.

I

PARISIIS

EXCUDEBAT SIROU,

IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,

OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

Digitized by Google

ELENCHUS RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

Notiones biographicæ necnon et bibliographicæ de sanctis pontificibus romanis :

MARCELLINO, EUSEBIO,
MARCELLO, MELCHIADE.

RUFICII Fragmentum.

ANONYMI carmen de Laudibus Domini.

CELSI Præfatio in altercationem Jasonis et Papisci.

LACTANTII Divinarum Institutionum libri septem.

Dissertatio N. LE NOURRY in libros Divinarum Institutionum.

Selectæ ISÆI in septem Divinarum Institutionum libros notæ.

Epitome Divinarum Institutionum.

ERRATA.

Col. 142, lin. 27, *lamie*, lege *Lamiæ*.
Col. 148, lin. 31, *Appolinis*, lege *Apollinis*.
Col. 154, lin. 29, *Isæ*, lege *Isaac*.
Col. 184, lin. 7, *transferunt*, lege *transferunt*.
Col. 326, lin. 49, *Brasichii*, lege *Brasicheili*.
Col. 344, lin. 8, *simulacrum*, lege *simulacrorum*.
Col. 574, lin. 53, *ather*, lege *æther*.
Col. 900, lin. 8, *ubique*, lege *ibique*.

Succursale, au Petit-Montrouge, de l'imprimerie de Sirou, rue des Noyers, 37, à Paris.

Digitized by Google

NOTITIÆ BIOGRAPHICÆ

NECNON ET BIBLIOGRAPHICÆ

DE SANCTIS PONTIFICIBUS ROMANIS

MARCELLINO, MARCELLO, EUSEBIO, MELCHIADE,

ET DE RHETICIO ÆDUENSI EPISCOPO.

SANCTUS MARCELLINUS PAPA.

§ I. — *Quando et quamdiu sederit.*

Eusebius hunc papam annis novem Ecclesiam gubernasse tradit, atque ejus mortem in Chronico ad annum Christi 304 refert. Ita ille annos octo cum uno inchoato pro novem computans, cum Bucheriano catalogo consentit, in quo legimus : « Marcellinus annis VIII, mensibus III, diebus XXV, fuit temporibus Diocletiani et Maximiani ex die pridie Kalendas Julias, a consulibus Diocletiano VI et Constantio II, usque in consulatum Diocletiani IX, et Maximiani VIII. Unde sequitur ut Marcellini electio seu ordinatio anno 296, Junii XXX die, adeoque feria tertia; ac mors anno 304, Octobris XXIV die consignandæ sint, licet festum ejus plerorumque martyrologiorum auctoritate XXVI Aprilis die celebretur.

§ — II. *De antiqua fabula qua Marcellinum idolis thus obtulisse vulgatum est.*

1. Marcellinum idolis thus obtulisse ac sacros libros tradidisse, jam ab Augustini ævo fama erat. Ejus auctores suspicatur is sanctus Doctor recentiores Donatistas. Ac primo quidem figmenti hujus falsitatem, lib. *de unico Baptismo*, contra Petilianum, cap. 16, n. 27, inde probat, quia nullo teste, nulla monimenti cujusquam firmitate fulciatur. « Quid ergo, inquit, opus est ut episcoporum romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est (Petilianus), objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus et presbyteri ejus Melchiades, Marcellus et Silvester traditionis codicum divinorum et thurificationis ab eo crimine arguuntur: sed numquid in eo etiam convincuntur, aut convicti aliA qua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos et sacrilegos fuisse dicit: ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam? » Ex quibus Augustini verbis cuique exploratum est, idem crimen non in Marcellinum solum, sed etiam in presbyteros ejus Marcellum, Melchiadem et Silvestrum, qui ipsi postea successerunt, fuisse intentum. Si ergo illi omnino insontes atque hujus sceleris puri; neque magis reus videri debet Marcellinus. Et hoc quidem nobis indubitatum erit, ubi calumniæ hujus causam et originem perspectam habuerimus.

2. Hanc prodit subinde Augustinus, cum fabulam illam ideo a recentioribus Donatistis excogitatam fuisse innuit, ut judicii, quo a Melchiade damnat fuerant, invidiam declinarent. Sed quid opus erat eis una cum Melchiade Marcellinum pontificem, necnon Marcellum et Silvestrum presbyteros infamare? Nimirum ut probabilior fieret ipsorum calumnia. Quocirca excogitandum eis fuit tempus quo thuris oblatio et sacrorum codicum traditio in Urbe exigebatur, simulque fingendum eos, qui in clero romano tum eminebant, in eamdem impietatem fuisse abductos. Nam si de uno Melchiade hoc pervulgassent, quis crederet tantum crimen inultum relinqui potuisse? At credibilior fit hæc impunitas, cum et ipse, cujus erat punire, et qui proxime post ipsum præsunt, ejusdem sceleris conscii fiunt. Augustinus vero loco citato novos Donatistas mendacii firma illa ratione convincit, quod majores illorum, seu ante, seu post Melchiadis judicium, de illo crimine ne cogitarint quidem. « De quo, inquit, judicio cum majores istorum importunissima pervicacia memorato imperatori (Constantino) quererentur, quod non plene nec

Digitized by Google

recte fuerit examinatum atque depromptum, nihil de Melchiadis traditione vel thurificatione dixerunt. Ad cujus audientiam nec venire utique debuerunt, hoc potius ante suggerentes imperatori, aut ut suggereretur instantes, quod apud traditorem codicum divinorum et idolorum sacrificiis inquinatum causam suam agere non deberent. Cum hoc ergo nec ante suggesserint, nec postea quam contra eos pro Cæciliano judicatum est, saltem victi et irati objiciendum putarint; quid nunc inanes *tam sero* connectunt calumnias: » Quis etiam sibi persuadeat tam publicum crimen ad Petiliani usque tempora ignotum atque sepultum permansisse, aut si non latuerit, tres presbyteros tanti criminis reos in primam Ecclesiæ sedem, nullo reclamante, assumi, et christianissimi principis fidem ac benevolentiam conciliare sibi potuisse? Fide dignior est Theodoretus, qui, lib. I Hist. Eccl., c. 3, « Marcellinum in persecutione inclaruisse » testatur: « Μαρκελλῖνον τὸν ἐν τῷ διωγμῷ διαπρέψαντα; » quod ita interpretari licet, ut is persecutionis tempore digne et laudabiliter se gesserit, vel etiam ut ipse persecutionem fortiter perpessus, magnam sui nominis existimationem reliquerit.

3. Hinc funditus ruunt Sinuessani concilii acta, quibus, præter rudem eorum et impolitam locutionem, multa absurda, quædam secum pugnantia, alia cum dictis Petiliani, qui Marcellum, Melchiadem et Silvestrum thurificasse objectabat, non consentientia, necnon putidum atque iteratum summi pontificis, qui et mox martyrio coronandus ponitur, mendacium, et alia hujusmodi quam plura omnem adimunt auctoritatem. Hujus tamen concilii acta, quæ cum suppositiis Silvestri et Xysti gestis in uno eodemque perantiquo codice Colbertino Langobardicis litteris exarato exhibentur, et, ut ex cognatione atque consensione styli judicare licet, eumdem habere videntur parentem, ad veterum exemplarium fidem, quæ in novissimis conciliorum editionibus minime servata est, infra recudemus, necnon et duas epistolas, quas Isidorus Mercator Marcellino supposuit.

§ III. — *Vulgatæ synodi Suessanæ seu Sinuessanæ de Marcellino papa gesta.*

I. *Urbani et Marcellini altercatio.* — 1. Diocletiano et Maximiano Augustis, cum multi in vita sua mentis suæ aspersu vacillitate mentiebantur origine dicentes, quod deorum superstitio vanitatis super sex sentirent, et ad sacrificandum eodem tempore multi inducerentur per pecuniam, ut thurificarent diis: Marcellino itaque urbis Romæ episcopo venit quidam nomine Urbanus, qui erat pontifex Capitolii, et repletus multitudine malitiæ cœpit cum eo habere altercationem de thurificando diis; et dicens ad Marcellinum urbis Romæ episcopum: « Si Christus vester, quem dicitis natum de virgine Maria, quid apud semetipsum prima luce missi Magi ab Herode obtulerunt ei munera? quæ? aurum, thus et myrrham, id ut scirent sacerdotes, per quid placarent hunc, quem dicitis resurrexisse et sedere super. » Dicit ei Marcellinus episcopus: « Non obtulerunt ei, ut sacrificarent vanitati; sed ideo, ut Deum ac Dominum altissimum eum, quem negabant, ostenderent. » Urbanus ad eadem respondit, dicens: « Una nocte simul adstemus ante domnos imperatores invictissimos Diocletianum et Maximianum atque clementissimos principes, et dabo tibi quæstionem de thurificando. »

2. Venientes autem die, quod dicunt Vulcanibus, dicit ei Urbanus: « Faciamus hinc et inde duas chartulas, quasi incrementa petitionum, et afferamus clementissimis principibus. » Fecerunt ambo simul, sicut dixerat Urbanus, et venientes ad sacratissimos principes offerebant eis. Marcellinus itaque, urbis Romæ episcopus, fidem servans, Christum prædicans, dicit ad principes: « Quid mihi et vobis, principes terribiles universo mundo, quoniam vana est superstitio thurificandi? » Dicit autem Urbanus: « Loquere ad nos ac contra pontifices clementissimi atque invictissimi (clementissimos atque invictissimos) principes, quoniam deum Jovem et invictum Herculem corporei fabricantur, et Jovem quem dicimus cœlum, terram mareque simul cum Saturno menstruantem? Quare ergo hoc Marcellinus pontifex sicut et ego non thurificat majestatibus? » Dicit itaque Diocletianus: « Non exsecrare hominem hunc, quoniam nostræ clementiæ non difficultat, exhibet inflammari; sed ejus consilium accipiamus utrumque (uterque), quoniam non probavimus nostræ serenitati esse obscurum, nec contra deos immortales dare sententiam. » Romanus itaque et Alexander secreto dixerunt Diocletiano: « Si hunc, domine atque invictissime princeps, consilio tenueris blandimentis, omnem urbanam plebem habebis in unitate conservare, et gentes per sacrificia fidelissima objurgare. »

II. *De thurificatione Marcellini.* — 3. Dicit autem Diocletianus ad Marcellinum, episcopum urbis Romæ: « Video prudentiam tuam, quoniam magna est, ut nostra sit amicitia, quæ diis et universo mundo sit (*forte* fuit) inimica. Veni itaque, et loquentiam tuam nostro facias incrementum favori. » Veniens autem

ANNOTATIONES.

I.—*Super sex sentirent.* Unus e mss., *Adspersi mentis suæ vacillitate mentiebantur, origine dicentes, quod deorum superstitio vanitatis super se sentirent.* Horum autem gestorum corrector hunc locum sic emendare conatus est: *Mentis suæ facilitate aspersi, deorum mentiebantur originem, dicentes quod de eorum superstitione vanissima sentirent.* Nonne legi posset..... *dicentes quod deorum superstitionem vanitatis expertem esse sentirent?*

Adstemus. Notandum illud, quo altercationis Urbanum inter et Marcellinum initæ arbitri deliguntur Diocletianus et Maximianus.

Difficultat. Hoc est, non resistit, dedecet excandescere: horum autem corrector sic restituit: *quoniam nullam nobis difficultatem exhibet qua offendamur:* ex quo quanta sibi in verbis ac sententiis mutandis permiserit, perspicere est.

Digitized by Google

ad templum Vestianum et ad Isidem, introduxit episcopum. Qui dum introissent, erant cum eo duo diaconi Gaius et Innocentius, et tres presbyteri Urbanus, Castorius et Juvenalis. Dum vidissent eum introeuntem, non tamen mittentem et thurificantem, fugerunt hi omnes ad compresbyteros, et invenerunt eos in Vaticano palatii Neroniani, et dixerunt rem quam gestam vidissent. Euntes autem multi Christiani penus veritatis exemplum abierunt, et viderunt eum mittentem et thurificantem, et factum amicum principum. Qui abierunt ab eo, ut testimonium veritatis exhiberent, isti sunt : Bonosus, Maximus, Carpilio, Cyprianus, Olympius, Priscus, Hercules, Androphemus, Benenatus, Epiphanius, Crispinus, Victor, Theodolus, Alexander, Romanus, Bajulus, Quiriacus, Theodolus, Caritosus, Omitazio, Honoratus, Crescentio, Maximus, Probinus, Urbicus, Concordius, Neapolus, Refrigerius, Sebastianus, Calpurnius, Julianus, Epiphorus, Crispianus, Habetdeum, Crescens, Rapula, Cyprianus, Abeulius, Exquiro, Orphitus, Veuerius, Carpulianus, Constantius, Ursus, Valentinianus, Priscus, Severus, Probius, Faustus, Antonius, Quirillus, Albulus, Pulsanor, Homobonus, Caritto, Tespias, Marinus, Fabius, Crispinianus, Herculentius, Petrus, Nonnosus, Honestulus, Auricliauus, Impeditus, Furinus, Domitianus, Agapitus, Himulus, Capillatus, Nepotianus, Concordius, Bonifacius, Reparatus, Jugundinus, Auxentius, Cyprius, Bonushomo, Corporalis, Sallustius, Origanus, Venerosus, Abundius, Tinulus, Major. Hi omnes electi sunt viri libra occidua, qui testimonium perhibent videntes eum Marcellinum thurificasse.

III. *De synodo in qua Marcellinus thurificasse se negat.*—4. Factus itaque synodus, non tamen collecti sunt in integro sacerdotes, quia curriculus urgebatur persecutionis. Veniens autem episcopus Marcellinus, negabat se thurificasse. Nam dixit et hoc, sententiam proposuit, quia dimiserunt eum qui cum eo esse videbantur in eodem loco presbyteri Urbanus, Castorius et Juvenalis, et diacones Gaius et Innocentius. Synodus autem universus hoc dixerunt cuncto judicio : « Tu enim eris judex ; ex te enim damnaberis, et ex te justificaberis : tamen nostræ præsentiæ. Illud vero dum veneris ad judicium tuum, ex te damnaberis, et ex te justificaberis ; tu enim judex, tu reus. Presbyteri autem vel diacones, quoniam pontificem qui eos creavit in ordine presbyterii vel diaconatus honore, et dimiserunt aream, et evacuaverunt horreum, ad probandum, amisso ordine, intrent examen, quoniam evacuaverunt horreum. Debuit enim pontifex mori cum quinque (*supple*, potius) quam vivat suo judicio condemnatus. » Introivit autem universus synodus in crypta Cleopatriense in civitate Sessuana (*ms.* Sensuana), et quia non multitudo referebatur in crypta, synodi quinquageni introibant.

IV. *Damnantur Urbanus, Castorius ac socii.* — 5. Prima autem die synodi introierunt hi damnantes Urbanum, Castorium et Juvenalem presbyteros, et diaconos Gaium et Innocentium. Hi sunt qui introierunt episcopi, audientes, non tamen judicantes pontificem, Petrus, Castorius, Habetdeum, Castinus, Victor, Felicianus, Parterius, Majorinus, Castalius, Laurentius, Paulus, Bonosus, Felix, Firminus, Spesindeo, Tranquillinus, Anastasius, Castinus, Victor, Beneservandus, Joannes, Epiphanius, Castus, Yacinthus, Herculanus, Sabinus, Orfitus, Gaudiosus, Reparatus, Amplexus, Cyprus, Fortunatus, Quadratianus, Sebastianus, Cyprianus, Pascasius, Innocens, Valerius, Servulus, Cerasianus, Constantius, Quintilianus, Montanus, Catellus, Polycarpus, Athanasius, Hermias, Nepotianus, Petrus, Aristonicius. Hi introeuntes in crypta propter metum augustorum, uno ore quasi triceni, uno die ejus consilio judicantes, et damnaverunt Urbanum, Castorium et Juvenalem presbyteros, et diaconos Gaium et Innocentium, qui evacuaverunt horreum, et dimiserunt aream apertam, ut introiret immundus, et comederet triticum. Ipsos etiam damnaverunt.

6. Et judicabant, non tamen judicabant pontificem : quia hoc ex uno ore erant conroborati, ut intra hos LXXII testimonia ipse judex, ipse reus, ipse semetipsum ea (*f.* in) præsentia eorum innocentem se servaret, et infidelem se damnaret ; quoniam in LXXII libra occidua reparationem resurgit annus. Hanc itaque gesta miraculum, ut introiret de testi-

ANNOTATIONES.

II. — *Vestianum et ad Isidem.* Ita mss. Colb. non autem *Vestæ et Isidis.*

Penus. Sic ms. Colb. Alii vero *penes* vel *per*. Mallemus *specturi* ceu *spectaturi veritatis exemplum.* Horum loco substituit corrector, *propter veritatem ad templum.*

III. — *Factus itaque synodus.* Contra hanc synodum objectari solet, quomodo, persecutione sævissima flagrante, trecenti episcopi congregari potuerint, ac modicum oppidum, in quo fieri non poterat, ut tot externi laterent, delegerint ? Quæri et illud potest, quis tot episcopos vocarit, cujus jussu Marcellinus Sinuessam adductus sit, quis huic synodo præfuerit ? Sane episcopis, qui anno 502 Romæ in causa Symmachi papæ convenerunt, ignotam fuisse hujusmodi synodum, ex iis quæ tum dicta gestaque sunt, manifestum est.

Amisso ordine. Quid est quod presbyteri illi, prius quam subeant examen, *amisso ordine*, dicuntur honore destituti ? Quodnam eorum crimen, ut hac pœna plectantur ? Nihil aliud eis objectatur, nisi quod, Marcellino dimisso, a thure diis offerendo se continuerint. Sed horum gestorum artifex, qui clerico eum, a quo ordinatus est, accusare minime licere voluit, ut in aliis actis ex ejus officina prolatis videbimus, hac forte pœna eos dignos censuit, quia Marcellini creatoris sui accusandi occasionem præbuerant.

IV.—*Libra occidua.* Additur hic *occidua* ad discrimen *orientalis*, quæ 74 solidis constabat. De libra 72 solidos continente fit mentio cod. Th., l. XII, tit. VI, leg. 15.

Reparationem .... dedit. Hæc ita emendare nisus est corrector : *In reparationem* (forte legendum *reparatione* sublato *in*) *resurgit annus. Hoc quoque factum est novi, ut introiret unus de testibus, qui cum*

Digitized by Google

monia talis unius uxoris, filios habens, sicut et hic qui habet uxorem et filios, adulteravit super uxorem, et dedit uxori repudium. Et introierunt alii decem et alii tres dicentes : « Nos te vidimus mittentem et thurificantem Herculi, Jovi et Patusino. » Dicit autem Marcellinus : « Quo die? » Respondit unus eorum, et dixit : « Quo die excidisti (exuisti) purpuram, et induisti coccum, et gaudebat super te Diocletianus, eo quod satis paulo ante negabas, et ante ejus tribunal thurificabas. » Athanasius episcopus dixit : « Ita sunt quæ testantur isti? » Et respondit Petrus episcopus, et dixit : « Loquere et pontifex (*f.* tu pontifex), et judica causam tuam. » Et subscripserunt quinquaginta episcopi qui supradicti sunt in quatuordecim viros, qui ex uno ore loquebantur de duo et septuaginta, et firmabant judicium.

V. *Presbyteri Rom. damnationem Castorii et sociorum ratam habent. Marcellini causam discutiunt alii quinquaginta episcopi.* —7. Alia autem die venerunt tres et viginti presbyteri urbis Romæ, et in eorum judicio Urbani, Castorii et Juvenalis presbyterorum, et Gaii et Innocentii diaconorum damnationem integram perspexerunt, ipsi de suo ordine justitiam tenuerunt dicentes : « Amisso ordine negent se esse horumque socii Ecclesiæ. »

8. Venientes autem post secundum diem post damnationem presbyterorum Urbani, Castorii et Juvenalis, Gaii et Innocentii diaconorum, venerunt alii quinquaginta episcopi, et introierunt in crypta, ut tertia pars synodi compleretur. Et dum ingressi fuissent in crypta propter tempestatem temporis, introivit et Marcellinus urbis episcopus, cum adhuc itaque nomen tenens episcopatus, nondum enim fuerat damnatus, nisi numerus secundum ordinem synodi libræ (*Colb. ms.* libra) probaret exemplum. Introivit autem Castinus, Bonus, Quiriacus, Dominicus, Alexander, Venerosus, Felix, Joannes, Crispus, Deusdedit, Honestatus, Majorianus, Vita, Carpurianus, Anastasius, Petrus, Crescentio, Domninus, Ursus, Agatho, Honestatus, Marcus, Urbanus, Valentinus, Sallustius, Crescens, Firminus, Spectator, Sebastianus, Ultius, Benenatus, Tristator, Servus, Marcus, Montanus, Asterius, Anthimus, Placentianus, Ambrosius, Quirillus, Andreas, Philippus, Magnus, Exsuperantius, Adrianus, Petrus, Gorgonius, Simplex, Victor, Venerosus. Introibant autem in crypta.

VI. *Suo eum judicio permittunt, et quinque clericorum damnationem approbant.* — 9. Respondit Anastasius et Anthimus episcopi, et dixerunt : « Tuo ore judica causam, non nostro judicio ; solve conditionem. » Respondens autem Sebastianus episcopus dixit : « Noli in nostro judicio, sed collige in sinu tuo causam tuam, et introduc testes, ut testificentur veritatem : quoniam ex te justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis ; quoniam recte anticipantes nostri et coepiscopi damnaverunt, sicut et nostro ore petimus uno consorti judicio damnari, Urbanum, Castorium et Juvenalem presbyteros, Gaium et Innocentium diaconos : quia heri ex spelunca fregerunt (fugerunt), et tepefactum hi dimiserunt, amisso ordine, intrent examen : quoniam omnes tegulæ, dicit Petrus episcopus, dum tultæ fuerunt de fornace, jam coctæ iterum coquuntur sole, et pluviæ in eodem probantur, ut sint super habitaculis hominum.

VII. *Marcellinum thurificasse probatur. Superinducuntur quatuor et quadraginta novi Testes. Ipse se damnat Marcellinus.* — 10. Mora autem non faciente (*f.* patiente), ut in damnationem eorum interdictorum subscriberent hi quinquaginta episcopi,

ANNOTATIONES.

et uxorem haberet et filios ex ea, ipse tamen illi spretæ adulteram superinduxit, et dedit. Hujusmodi lectionem a veterum codicum littera sic abhorrentem quis accipiat? quis ferat? Neque a littera solum, sed et ab auctoris mente eam procul abesse prope indubitatum est. Non enim is fuit horum gestorum artifex, qui in gravissima causa, ad quam duos et septuaginta testes desideret, eum primum proferret quem cum sæculi, tum Ecclesiæ, leges a testimonio dicendo arcent. Anianus, codicis Theod. interpres, in legem 12, tit. I, l. IX, edicit : *Periculosa est, et admitti non debet rei adversus quemcumque professio ;* et in legem 19 : *Jure et legibus constitutum est, ut spontanea professione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui se criminosum esse confessus est.* Prædicat et Augustinus in psal. XXXVI, conc. II, n. 22 : *Reus reum non facit.* Africani quoque canones Cod. eccl. Afr., c. 129, præcipiunt : *Ad accusationem non admittantur omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt ;* et cap. 8, sanciunt : *Ut is qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversus majorem natu non habeat accusandi ;* et c. 19, volunt : *Ut si fuerit accusatoris persona culpabilis, ad arguendum non admittatur.* Ne quis tamen dicat hæc de accusatoribus, non de testibus constitui, memorandum est quod ejusdem codicis capite 131, decernitur : *Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt.* Nos vero ad commendationem potius testimonii dictum putamus, quod primus ille testis et unius uxoris fuerit, et filios habuerit : maxime cum ab eodem auctore in constituto Silvestri, n. 6, audituri simus : *Non condemnabitur subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, nisi in septem testimonia filios et uxores habentes, et omnino Christum prædicantes.* Igitur priora textus nostri verba resarcire rectius ad mentem auctoris sic liceret : *Hæc itaque gesta miraculo* (seu *non sine miraculo*), *ut introiret de testimoniis* (seu *de testibus*) *talis unius uxoris*, adeoque aptus ad eum pudore afficiendum, qui se spiritali adulterio commaculasse dicitur.

Herculi etc. Cum superioribus, ubi Marcellinus in Vestæ et Isidis templum inductus prædicatur, hoc pugnare Baronius observat ; cum in templis deorum iis tantum diis, quibus dicata essent, sacrificare mos esset. Quocirca Marcellinus Isidi et Vestæ, non Herculi, Jovi et Patusino sacrum fecisse dicendus erat.

VI.— *Tultæ.* Emendator substituit *cultæ*. Retinendum *tultæ* a verbo *tollo, tuli, tultum :* nec desunt apud sequioris ævi scriptores hujusce usus exempla. Sed neque placet quod idem corrector paulo ante maluit *sæpefatum*, loco *tepefactum*, cum hoc verbum tegulis, quæ iterum coquuntur, magis congruat.

Digitized by Google

ut, amisso ordine, introirent in synodum, ecce introierunt et quatuordecim testes, qui dicebant se Marcellinum vidisse thurificantem. Respondit unus episcopus nomine Sallustius : « Dicite coram veritatem. » Respondit Petrus, et dixit ad Marcellinum episcopum : « Jam audi, pontifex, et judica causam tuam : quoniam ex ore tuo justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis : quoniam omnia membra sana esse non possunt, si caput mæstavit. » Respondit Marcellinus, et dixit voce clara : « Non diis sacrificavi, sed tantum grana levatis manibus pruna combussi. » Levaverunt se omnes quinquaginta præsules episcopi, dicentes ad quatuordecim testimonia : « Quid vidistis hunc facientem? quod ex ore suo testatur quasi uno ore dicentes. » Et subscripserunt omnes quinquaginta in quinque testimonia quatuordecim virorum : ita ut octo et viginti complerentur cum anticipatis. Unus autem de episcopis, nomine Quirinus, dixit : « Infudisti cor tuum, pontifex, malitia, quod decem et octo annis sic caveras castitate; præsul vulnerasti universa membra tua : propterea ego non recedam de omni introitu synodi : omne purpureum cor tuum. »

11. Alia autem die constituerunt hi ducenti episcopi, ut quasi et ipsi introirent quinquageni in synodum. Et facta collocutione in uno cum hos anticipantes centum sederunt in eadem civitate omnes ex uno examen trecenti, et alligaverunt et damnaverunt hos, Urbanum, Castorium et Juvenalem presbyteros, Gaium et Innocentium diaconos. Respondit Sebastianus episcopus : « Hoc tribunal nostro sermone, nostro chirographo, nostro eloquio, nostro auxilio, nostra constantia et veritate fixa et præclara dispositione auditionis exhibemus legamen. Non enim nostro ore justificaberis, aut nostro ore condemnaberis, quoniam sue tunicam tuam in te, quam paulo non induebas sutam, modo excisam sue ex corde tuo et ex manibus tuis, involvere in peccato tuo, Marcelline, expontifex Romæ. » Respondit Urbanus episcopus ad Sebastianum episcopum et dixit : « Introducantur testes viri viriliter numero quatuor et quadraginta ut libra occidua compleatur a multis, quod a multis fabricatum est. » Et introierunt testes Tranquillinus, Priscus, Bonus, Servulus, Cyprianus, Petrus, Quadratianus, Aresto, Tespius, Quadrus, Epiphorus, Maximus, Gordianus, Gaudiosus, Saturninus, Urbanus, Reparatus, Priscus, Venerosus, Romanus, Exsuperius, Crispianus, Barbarus, Leo, Forianus, Bacauda, Ambrosius, Terula, Johannes, Jubentius, Proculus, Octavianus, Romanus, Valerius, Iacinthus, Mellicianus, Petrus, Claudius, Exper, Probus, Nicorus, Probatianus, Ursinus, Urbatianus.

12. Singulis autem adstantibus in gremio trecentorum episcoporum et triginta presbyterorum Romanorum, et viginti octo supradicti testes, ut libra compleretur : quoniam duodecim unciæ in libra probabitur sensus, et in septuaginta duobus comparatus damnabitur præsul. Respondit Quiriacus episcopus, et dixit ad Marcellinum : « Non cognoscis universum velamen cordis tui (*Vid. acta de purgatione, Xyst.* III, *n.* 4) : judica enim causam tuam, et lacera, macera maceratione tuam. Non ex nobis judicaberis : tuo enim pontificio condemnaberis, et nostro testimonio explicaveris metas : quoniam nos in condemnationem nihil opponimus causale, nihil defendimus : sed damnamus hos, qui evacuaverunt templum, et dimiserunt fabricam manu de super constructam, ut introirent lupi, et facerent speluncas, et comederent agnos immaculatos, et eos qui ex vetere ad novum venerant, inveterarent. Te enim non condemnamus, quoniam ex ore [tuo justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis. » Marcellinus autem in conspectu synodi] cecidit in terra. Ibi autem jacens, et ibi eo mora faciente, damnaverunt. Synodus autem et presbyteri triginta

ANNOTATIONES.

VII. — *Non sacrificavi... combussi.* Pontificem dedecet fatua hæc et insulsa negandi ratio, quasi ei ignorare fas fuisset, eum censeri diis sacrificasse, qui coram idolis thuris grana prunis combussisset.

Quinquaginta in quinque. Editi in tribus columnis, *quinquaginta quinque*, vel *quinquaginta et quinque.* Rectius ms. Colb. *quinquaginta*, scil. episcopi, *in quinque testimonia*, quia scilicet in actione prima primo unus solus, tum decem, postea tres semel, in hac autem altera alii quatuordecim testimonium bis interrogati dixerunt : ex quo quinque fiunt testimonia.

Cum anticipatis. Unus ms. *anticipantes*, alter *anticipantibus.* Horum corrector *participantibus.* Ex ms. Colb. in quo *anticipantis*, restituimus *anticipatis*, hoc est, prius memoratis.

Cum hos anticipantes. Unus e mss. *cum his anticipantibus.* Corrector, *cum his præscriptis;* et mox, *omnesque uno examine.*

Quam paulo. Supple, *ante.* Subjicit auctor noster, *non induebas sutam :* quod de tempore dictum, quo Marcellinus scissuram tunicæ nesciebat. Ab ejus autem mente aberrat corrector hunc locum sic exhibens : *Quapropter consue tunicam tuam, et quam paulo ante induebas sutam, conscissam consue.*

Ex-pontifex Romæ. Ita ms. Colb. cum altero in vulgatis notato. Ex quo manifesta est in his actis pugna, utpote in quibus episcopi non suo ore Marcellinum, sed ipsiusmet judicio damnandum recantant, et tamen hic *ex-pontifex*, antequam se ipse damnaverit, vocatur. Quamquam unus codex simpliciter *pontifex* præ se ferre notatur.

Viginti octo... testes. Corrector, *et viginti octo testium supradictorum.* Mallemus *et viginti octo testibus supradictis*, scil. *adstantibus.* Unde tandem sublatum est incommodum, quo episcopi primo, ne simul in unum convenirent, prohibebantur : adeo ut sic trecenti episcopi, presbyteri triginta et testes quatuordecim uno in loco simul essent?

Unciæ in libra... sensus. Minus displicet illud correctoris, *unciis libræ probabitur census.*

Et lacera... quoniam. Longius et hic ab archetypis recedit corrector in hunc modum : *Et disjectam a te maceriem tuam ipse scrutare. Non enim nostro, sed tuo ipsius judicio condemnaberis, nostro autem testimonio excusaberis. Nihil time : quoniam.* Certe in totis gestis nihil est, quo Marcellinum excusatum velint.

In conspectu... in terra. Colb. ms. cum altero, *ex ore synodi cecidit in terra.* Alius, *exhorres synodum, cecidisti in terram.*

Digitized by Google

voce clara chirographum firmaverunt super Urbanum, Castorium et Juvenalem presbyteros hi : Humanus, Capuanus, Castorius, Innocentius, Audax, Homobonus, Petrus, Quiriacus, Herculanus, Serenus, Johannes, Nepotianus, Cyprianus, Corporanus, Eusebius, Castinus, Victor, Matthæus, Spesindeo, Virus, Vincomalus, Collecticius, Valentinus, Priscillianus, Julianus, Lucianus, Castorius ; et diacones isti : Hermes, Xystus, Petrus. Subscripserunt autem in damnationem horum quinque Urbani, Castorii et Juvenalis presbyterorum, et Gaii et Innocentii diaconorum.

13. In sinu autem trecentorum episcoporum caput cinere convolutus Marcellinus episcopus Urbis voce clara clamans dicebat : Peccavi coram vobis, et non possum in ordine esse sacerdotum : quoniam avarus me corrupit (corrupi) auro. Subscripserunt autem in ejus damnationem, et damnaverunt eum extra civitatem. Sacerdos nomine Helciadis episcopus subscripsit primus in ejus damnationem, non tantum A tempore quod exigebat ordo, sed etiam futuri temporis. Quod etiam et ipse voce clara dicebat : « Juste ore suo condemnatus est, et ore suo anathema suscepit maranata : quoniam ore suo condemnatus est. Nemo enim umquam judicavit pontificem, nec præsul sacerdotem suum : quoniam prima sedes non judicabitur a quoquam. » Hoc autem audito, Diocletianus, dum esset in bello Persarum, audivit quod trecenti episcopi et triginta presbyteri et tres diacones in condemnationem convenirent. Dum subscripsissent omnes, ipse omnium primus manu sua propria Marcellinus conclusit in suum anathema, anathemati subscribens. Iratus autem Diocletianus in eamdem civitatem misit, et multos episcopos ad martyrii coronam traxit. Factum est autem nihil aliud, dum B primo damnati fuissent tres presbyteri et duo diacones damnati. Damnatus autem et Marcellinus episcopus suo judicio x Kalendas Septembris Diocletiano VIII et Maximiano VII.

ANNOTATIONES.

Chirographum firmaverunt. Duo mss. *chirographum firmum :* deinde ex iis unus, *Urbanum, Castorium, Juvenalem presbyterorum horum*, alter, *Urbani, Castorii*, etc.

Futuri temporis. Addidit corrector, *in exemplum :* quod satis arridet. Observat vir eruditus, saltem postquam se ipse Marcellinus damnasset, synodi muneris fuisse, ut Romanæ ecclesiæ, ne diutius sacerdote destitueretur, prospiceret. Nihil tamen de alio in locum Marcellini subrogando actum : ac nullum ei subrogatum esse constat.

In condemnationem. Unus ms. *in eamdem damnationem.* Alter, *in ejus damnationem.* Colb. *in eo damnationem :* unde restituendum duximus *in condemnationem.* Superiora autem verba, *dum esset in bello Persarum*, notat Baronius falsa esse, cum hoc anno XX imperii sui Diocletianus se imperio abdicarit, atque ante biennium de Persis superatis Romæ una cum Maximiano collega suo triumphum egisset. Putat igitur hæc et quæ sequuntur non esse ex actis concilii, sed eis postmodum in morem appendicis esse adjecta. Verum omnes codices, qui superiora exhibent, exhibent et ista. Neque mirum est auctorem, qui in tot aliis cespitat, etiam hac in re labi.

SANCTUS MARCELLUS PAPA.

§ I. — *Quando et quamdiu sederit.*

Post Marcellini obitum, ut ei successor deligeretur persecutionis tempestas non permisit. In Bucherianо catalogo Romana sedes tum vacasse dicitur VII annis, mensibus VI, diebus XXV. Sed ibi pro annis VII, Bucherius legendum esse opinatur annis III, eamque correctionem necessario postulant consules quibus Marcellus pontificatum iniisse in eodem catalogo notatur. Et facile quidem pro apice I, nota numerica V irrepsit. Unde sequitur, ut Marcellus anno 308, Maii XIX die, quæ in feriam sextam cadebat, fuerit ordinatus. Tempus vero, quo is papa Ecclesiam administravit, laudatus catalogus sic designat : « Marcellus anno uno, mensibus VII, diebus XX, a consulatu X (supple Herculii) et Maximiano (leg. Maximiani VII), usque post consulatum X et VII, » hoc est usque in annum sequentem, qui post consulatum X (Herculii) et septimum (Maximiani) notabatur. Sed neque ex his quo die obierit, confici certo potest. Pagius, ad Marcellum papam referens quod in Hieronymiano Martyrologio die VII octobris offendit ; « Romæ via C Appia depositio Marcelli et Marci episcopi, » illum anno 309, Octobris VII die ad cœlum migrasse pro certo ponit. Sed Marcellum « via Salaria, » non « via Appia » depositum seu sepultum esse certius est. Sane in eodem Martyrologio ad diem XVI Januarii exstat, « Romæ via Salaria in cœmeterio Priscillæ depositio Marcelli episcopi et confessoris. » Huic concinit Pontificalis liber Bollandianus ex codice reginæ Suecorum descriptus, in quo de Marcello scribitur, « Sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria, XVI Kalendas Februarii. » Ibi enim mendose ac forte librarii lapsu XVI pro XVII haberi colligimus ex altero ejusdem libri exemplari olim Fossatensi, nunc Colbertino, in quo « XVII Kalendas februarii, » non XVI, legimus. Immo Marcelli depositionem die XV D Januarii notat Bucherianus depositionis Romanorum episcoporum indiculus in hunc modum : « XVIII Kalendas februarii Marcellini in Priscillæ. » Huc quippe Marcellini nomen loco Marcelli irrepsisse manifestum est. Neque vero insolens est duorum illorum voca-

Digitized by Google

bulorum confusio. Inde enim contigisse videtur, ut Eusebius Marcelli nusquam meminerit, et in Chronico Eusebium papam, veluti proximum Marcellini successorem memorarit. Quocirca standum censemus eorum auctoritati monimentorum, quæ Marcelli mortem mense Januario consignant. Cum hac quidem mortis Marcelli epocha componi prorsus nequit, quod Bucherianо in catalogo de tempore quo iste papa rexit Ecclesiam habetur, Sed apte quadrabunt omnia, si in eodem catalogo ita legerimus : « Marcellus anno uno, mensibus VII, diebus XXVII, a consulatu X Herculii et Maximiani VII, usque in (scilicet anno) post consulatum X et VII. » Et Marcelli quidem pontificatum ad secundum annum post decimum Herculii consulatum, hoc est ad annum Christi 310, prorogari necessario postulat id quod idem Bucherianus catalogus de hujus papæ successoribus subjicit.

A Maxentium tyrannidis arreptæ principio fidei nostræ professionem simulasse. Sed cum simulata hujusmodi professione nil repugnat duorum pontificum relegatio. Cum enim ideo fidem nostram profiteri se simularet, ut placeret blandireturque populo Romano, facile adductus est ut ex Urbe duos pelleret præsules, cum hoc populo gratum et acceptum fore, Heraclio persuadente, comperisset. Neque vero ad eos persequendos tum fidei causa, sed severitas nimia, quæ seditionum origo esset, prætexebatur. Hinc Heraclium apud Maxentium gratia plurimum potuisse conjectura est, ex eoque exstitisse grege semichristianorum, quibus abundant principum domus, qui christiano cum nomine sæculi delicias componere amant; et cum peccare non timeant, horrent prorsus B pœnitentiæ labores, eosque a se procul eliminari volunt.

§ II. — *De constantia Marcelli in servanda pœnitentiæ disciplina.*

1. Exstat de S. Marcello Damasi papæ carmen a Baronio ad annum 309, n. 7, editum, et inter alia Damasi opera, Parisiis, anno 1672, typis Lud. Billaine, cum notis M. Milesii Sarrazanii, pag. 173 et alibi recusum, dignum sane quod et hic locum habeat; maxime cum ex eo quis Marcelli circa pœnitentiam animus fuerit, perspicuum sit. Ita se habet.

DE SANCTO MARCELLO MARTYRE

DAMASI PAPÆ CARMEN.

Veridicus rector, lapsus quia crimina flere
Prædixit miseris, fuit omnibus hostis amarus.
Hinc furor, hinc odium sequitur, discordia, lites,
Seditio, cædes; solvuntur fœdera pacis.
Crimen ob alterius Christum qui in pace negavit,
Finibus expulsus patriæ est (*Scil.* Marcellus) feritate [tyranni (Maxentii).
Hæc breviter Damasus voluit comperta referre,
Marcelli ut populus meritum cognoscere posset.

2. Virum illum, cujus ob crimen Marcellus in exilium deportatus dicitur, probabile est eumdem esse, cujus factione etiam Marcelli successor, Eusebius, eadem pœna mulctatus est, quique in carmine de mox dicto sancto præsule infra exscribendo Heraclius nuncupatur. Pœnitentiæ videlicet remedium etsi necessarium lapsis, acerbum tamen et amarum est : ideoque semper aliquos offendit, qui et illud respuerent, et pios pastores, a quibus nihil sibi sperarent remittendum, velut molestos et infestos hostes haberent. Horum importunitati pridem D clerus Romanus post Fabiani mortem minime cedendum ratus est. Iisdem fortiter et constanter resistenti Cypriano, ne tam necessaria disciplina labefactaretur, multa a factiosis fuerunt sustinenda. Tandem Marcellus omnia experiri, quam tantum malum permittere maluit. Neque ejus exilio deterritus est Eusebius, quominus quam decessor defenderat pœnitentiæ causam ac disciplinam, invicto animo propugnaret. Uterque merito appelletur martyr justitiæ, quam videlicet Deo negant, qui postquam illum peccando offenderunt, ei digne per pœnitentiam satisfacere detrectant.

3. Tradit quidem Eusebius lib. VIII, cap. 14,

§ III. — *De decreto quod Marcello adscribitur, ubi de usu quo pueros monasteriis parentes offerebant, disseritur.*

1. Apud Gratianum, 20, quæst. 1, c. 10, et exinde in editionibus Conciliorum, Marcelli nomine insignitum est hoc decretum : « Illud autem statuendum esse censemus, ut si minori ætate filii monasterio oblati fuerint, vel sacram tonsuram vel velamina susceperint, dignum quidem duximus, ut decimo-quinto anno a prælatis moniti, verbis inquirantur, utrum in ipso habitu permanere cupiant, an non. Si vero permanere professi fuerint, ulterius pœnitendi « (Hoc est, habitum mutandi et ad sæculum revertendi), » locum minime C amplecti possunt. Si vero ad sæcularem habitum reverti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur : quia satis inutile est, ut coacta servitia Domino præstentur. » Labbeus vero notat, ab auctore Glossæ apud Gratianum Martino tribui, ejusque temporibus magis convenire.

2. Obscurum certe non est hoc decretum ad ea pertinere tempora, quibus de illo usu derogari cœpit, qui jam pridem obtinebat, videlicet ut pueris, postquam monasteriis a parentibus fuissent oblati, propositum deserere, et ad sæculum regredi nefas esset. Hunc autem usum apud Græcos numquam receptum esse colligitur tum ex his Theodori, Cantuariensis archiepiscopi (*Spicil.*, *to.* IX, *p.* 62) : « Basilius judicavit pueris licentiam (*leg.* licere) nubere ante sexdecim annos, si abstinere non potuerint, quamvis monachi fuissent, tum ex ipsis Basilii verbis in Regulis fusius disputatis, interrog. 15, et in Brevioribus.

3. At usum illum in Occidente asserit Benedictina Regula, cap. 59, eamque firmant non modo Isidori, Magistri, et aliorum Regulæ, sed et plurium conciliorum tum in Gallia, tum in Hispania aut Germania habitorum, ac summorum pontificum decreta. His præiverat Ecclesiæ mos, Siricii Zosimique decretis stabilitus, quo filios ab infantia sacræ cleri militiæ consecrare, et lectorum officio dicare fas erat, necnon usus qui ab incunabulis Ecclesiæ constanter obtinuit, ut nimirum baptizarentur infantes, atque exinde christianis legibus ita tenerentur, « ut non

Digitized by Google

impune desererent majores » (verba sunt concilii Toletani VIII, can. 7), « quod parvuli vel nesciendo vel nolendo perceperant. » Et hoc quidem exemplo mox dictum concilium evincit eos, qui, « aut eventu necessitatum aut metu periculorum adepti fuerant ecclesiasticarum officia dignitatum. « Horum officiorum legibus obligari, licet « cum illis hæc imponerentur, id sibi fieri noluisse testarentur. » Quocirca concilium Aurelianense V, anno 549 habitum, can. 19, et Matisconense I, anno 581, can. 12, puellas, « seu propria voluntate monasterium expetant, « seu a parentibus offerantur, » si « aut voluntarie aut parentibus suis rogantibus religionem professæ vel benedictionem consecutæ, postea ad conjugium aut illecebras sæculi » transierint, communione privant. Anno 633, can. 49, Toletanum IV, concilium edixit : « Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus aditum, et omnem ad sæculum interdicimus regressum. » Idem decretum firmavit, anno 656, Toletanum X concilium, can. 6, atque illustravit his verbis : « Si in qualibet minori ætate, vel religionis tonsuram, vel religioni debitam vestem in utroque sexu filiis aut unus aut ambo parentes dederint, certe aut nolentibus vel nescientibus se susceptam, non mox visam in filiis abdicaverint, sed vel coram se, vel coram ecclesia, palamque in conventu eosdem filios talia habere permiserint, ad sæcularem reverti habitum ipsis filiis quandoque penitus non licebit. » Gregorius II, anno 726, a Bonifacio Moguntino interrogatus : « Si pater vel mater filium vel filiam intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina, utrum liceat eis postquam pubertatis impleverint annos, egredi et matrimonio copulari, » haud dubius respondet : « Hoc omnino devitamus, quia nefas est, ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur. » Verum ex hac Bonifacii interrogatione discimus, saltem nonnullis duram jam videri cœpisse illam legem. Nihilo tamen minus eam in Germania ad annum 868 viguisse liquet ex Moguntiacensis concilii, hoc anno Ludovici pii jussu habiti, canone 22, quo sancitur : « Si pater et mater filium filiamque intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina ; non liceat eis, postquam ad pubertatis pervenerint annos, egredi et matrimonio copulari. » Quæ verba ad propositam Bonifacii quæstionem omnino sunt accommodata. Prosequitur exinde concilium : « Igitur non liceat eis susceptum habitum umquam deserere : sed convicti quod tonsuram aut religiosam vestem aliquando habuerint, in religionis cultu habituque, velint nolint, permanere cogantur. » Et hæc rursum expressa sunt ex canone 6 Toletani X concilii, tantum his verbis canonis, « ad religionis cultum habitumque revocentur, et sub æterna (seu *strenua*) districtione hujusmodi observantiæ inservire cogantur, » nonnihil mutatis, ut mutandi habitus potestas sublata planius enuntiaretur. Tum idem concilium, can. 23, renovat ac proprium sibi facit laudatum Toletani IV concilii statutum, quod sic effert : « Monachum ergo aut paterna devotio aut propria devotio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde huic ad mundum reverti intercludimus aditum, et omnes ad sæculum interdicimus regressus. »

4. Quamobrem cum Capitulare Aquisgranense anni 817, c. 36, statuit, « Ut puerum pater et mater tempore oblationis offerant ad altare, et petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam tempore intelligibili ipse confirmet, » hæc postrema clausula majoris cautionis ergo addita censenda est, non quasi puero maturiori ætate jam facto parentum oblationem irritam facere liberum esset. Eo quidem sæculo Gotthescalcus, ut ex opusculo Rabani a Mabillonio nostro, to. II Annal. Bened., pag. 726 et seqq. edito colligitur, parentum, a quibus puer oblatus monasterio fuerat, voto refragatus est : verum non ea utebatur ratione, quia puer tum et impos sui erat, sed quia hoc parentes ejus coram idoneis testibus minime præstiterant, et cum ipsis, utpote Saxonibus, avita lege « nisi de propria sua esse gente testis posset, alienos adhibuerant. »

5. Circa idem tempus, ut in epistola Nicolai I, apud Gratianum, 20, quæst. 3, cap. 4, et Ivonem, p. 6, c. 356, legitur, Lambertus quidam ab Athone patre suo inter octavum et undecimum annum cucullam indutus, a prædicto pontifice, ut et a monasticæ vitæ degendæ obligatione absolveretur, et ne paterna vel materna hæreditate fraudaretur, petens, non id causatus est : quia paterna oblatione teneri non posset, sed : quia « absque patris oblatione vel abbatis percepta benedictione monastico habitu indutus » fuerat ; id pariter testante ipsius patre, quia « Neque ego, pater ejus, palla altaris, « ut Benedictina Regula præcipit, « indutum illum obtuli, neque a quocumque sacerdote vel abbate, ut mos deposcit, benedictione percepta, regulæ umquam subactus est : » adeoque neque oblatus dici aut existimari debuit. Eadem ratione S. Bernardus, epist. I, ad Robertum nepotem, qui inter diversas suæ a Cisterciensibus ad Cluniacenses defectionis causas, hanc afferebat : quod Cluniacensibus a parentibus suis oblatus fuerat, usus est in hunc modum : « Quamquam dubium non sit promissum illum fuisse, non donatum ; nec enim petitio, quam Regula præcipit, pro eo facta fuit a parentibus, nec manus illius cum ipsa petitione involuta palla altaris, ut sic offerretur coram testibus. » Quamvis autem Nicolaus I, in judicio de Lamberti causa prolato, nequaquam existimare se rescribat, « Lambertum debere sub tali violentia fieri monachum, » quia « quod quis non elegit, nec optat, profecto non diligit ; quod autem non diligit, facile contemnit : » tamen aliquanto post Rabanus istarum oblationum morem opusculo apud Mabillonium, ut superius dictum est, in lucem edito acriter propugnavit. Et quidem, anno 895, concilium Triburiense, can. 16, constituit : « Quem progenitores ad monasterium tradiderunt, et in ecclesia cœperit cantare et legere, nec uxorem ducere, nec mona-

Digitized by Google

sterium deserere poterit. Sed si discesserit', reducatur ; si tonsuram dimiserit, rursum tondeatur; uxorem si usurpaverit, dimittere compellatur. »

6. Eumdem morem ad sæculum XII, perseverasse, cum ex epistola I Bernardi superius laudata, tum ex epistola Siberti ad Rodulfum abbatem sancti Trudonis, qui hoc sæculo florebat, necnon ex ea quam idem abbas rescripsit, perspicuum est (*Decret. Gregorii IX, lib.* III, *tit.* 31, *cap.* 11 *et* 12). Ipsi etiam sæculo illo desinente obsequendum esse censuerunt Alexander III et Clemens III. Tandem horum successor Cœlestinus, de puero quem ante discretionis annos pater suus fecerat habitum monachalem suscipere, interrogatus, respondet (*Ibid., c.* 14) : « Si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, et habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus; quia tum liberum sibi erit eum dimittere, et bona paterna, quæ sibi ex successione proveniunt, postulare. »

7. Ea tamen lex jam antea nonnullis in locis antiquari cœperat. Et Nicolao quidem I, ut supra audivimus, durior visa erat, et libertatem, quam hujusmodi status electio desiderat, lædere. Nec alia de causa Bonifacius Moguntinus antea Gregorium II sibi de illa consulendum duxerat. Postmodum vero Cluniacenses quoddam ei temperamentum videntur adhibuisse. Horum quippe consuetudines ante medium sæculum X describens S. Udalricus lib. III, c. 8, relata puerorum oblatione ejusque ritu, proxime subjicit : « Postea induitur (puer) cuculla, et de cætero benedictio ejus differtur usque ad legitimam ætatem, id est, si non amplius, vel usque ad QUINDECIM ANNOS. » Eumdem morem innuere videtur et Clemens III, loco jam citato, ubi puellæ, ante discretionis annos a parentibus monasterio traditæ ad sæculum revertendi aditum penitus interdicens, istam interdicti hujus rationem adjicit : « Non enim videtur illa monasticæ professionis a se posse jugum excutere, cum eam non constet evidenter contradixisse, cum benedictionem accepit, quam nonnisi in ætate discretionis recipiunt quæ velantur, præsertim si ratihabitione secuta, etsi eam quandoque contradixisse constiterit, roboratur. » Tria quippe complectitur hæc ratio : 1° puellas benedici non consuevisse, nisi cum ad ætatem discretionis pervenissent; deinde, eis tunc benedictioni hujusmodi contradicendi potestatem fuisse; postremo, contradicentibus aditum ad sæculi regressum patuisse.

8. Porro ex omnibus testimoniis quæ colligere aut videre nobis hac de re licuit, nullum est, quod cum decreto nostro magis consentiat, quam quod ex consuetudinibus Cluniacensium protulimus. Quare illud ad exitum sæculi noni aut initium decimi referre licet. Aut etiam serius est differendum, si benedictio, quam Cluniacensium consuetudines ætate legitima præcipiunt, instituta sit, ut puer jam sui compos ratam faceret atque confirmaret parentum oblationem, non ut optio ei daretur repetendi sæculum.

SANCTUS EUSEBIUS PAPA.

§ I. — *Quando et quamdiu sederit.*

Eusebius in pluribus pontificalis libri exemplaribus annos VI, mensem I, dies III, in aliis annos II, mensem I, dies XXV, sedisse dicitur. Eum Eusebius Cæsariensis episcopus in Chronico septem mensibus Ecclesiam administrasse scribit. De hoc papa istud tantum in Bucheriano catalogo habemus : « Eusebius menses IV, dies XVI, a XIV Kalendas Maias ad XVI Kalendas Septembris. » In quo sibi non cohæret iste catalogus, cum a XIV Kalendas Maias ad XVI Kalendas Septembres quatuor dumtaxat menses uno die minus interjiciantur. Ab eo etiam dissidet Bucherianus depositionis Romanorum pontificum catalogus, in quo legitur : « VI Kalendas Octobris Eusebii in Callisti. » Unde Eusebium Septembris XXVI die in Callisti cœmeterio depositum fuisse discimus. Et huic quidem indiculo martyrologia vetera et plures libri pontificalis codices suffragantur. Quare suspicio est librarium, qui Bucherianum catalogum descripsit, pro « VI Kal. Octobris » per oscitantiam scripsisse « XVI Kal. Septembris, » addita videlicet de suo nota numerica X et « Septembris, » ut vicini mensis vocabulo, quod interdum accidit, « Octobris » loco substituto. Quocirca doctus Tillemontius laudato indiculo aliisque monimentis eidem suffragantibus standum existimans, ac menses quatuor et sexdecim dies, qui Bucheriano in catalogo Eusebii pontificatui adscribuntur, retinens, hunc papam X Maii die, anni 310, creatum, et eodem anno XXVI Septembris die ad vitam meliorem migrasse censet. Sane chronologi peritiores Eusebium nonnisi anno 310 regimen Ecclesiæ suscepisse, atque ante Septembris exitum obiisse consentiunt. Unde hunc papam nullo Decembri mense vixisse conficitur. Quæ igitur habenda fides seu Bollandiano libri pontificalis codici, in quo tres ei ordinationes per mensem Decembrem attribuuntur, seu alii, in quibus unam eodem mense fecisse narratur?

Digitized by Google

§ II. — *In quo vulgatum de S. Eusebio carmen explicatur.*

ÉPIGRAMMA (1) DE S. EUSEBIO.

Heraclius (2) vetuit lapsos peccata dolere;
Eusebius miseros docuit sua crimina flere.
Scinditur in partes populus gliscente furore,
Sedet loca edes (*leg.* Seditio, cædes) bellum, discordia, [lites.
Exemplo (3) pariter pulsi feritate tyranni,
Integra cum (4) rector servaret fœdera pacis,
Pertulit exilium omnino sub judice lætus
Littore Trinacrio (5) mundum vitamque reliquit.

§ III.—*De epistolis ac decretis Eusebio papæ adscriptis.*

1. Tres epistolas aperte falsas, et ab Isidoro Mercatore Eusebii nomine confictas, cum cæteris in ejusdem officina cusis, Deo dante, forte alibi edemus.

2. Præterea in editionibus Conciliorum quatuor circumferuntur decreta e variis canonum collectionibus, in quibus Eusebii nomine insigniuntur, collecta. Horum primum, « Desponsatam puellam parentibus non licet alii viro tradere; licet tamen monasterium sibi eligere, » quod Gratianus 27, quæst. 2, cap. 27, Ivo p. 6, c. 40; Buchardus lib. VIII, cap. 4, Eusebio adscribunt, est Pœnitentialis Theodori Cantuariensis episcopi apud Petitum, tom. I, p. 12, cap. 11, subinde lib. VI Capitularium, cap. 92, insertum his verbis: « Puellam desponsatam non licet parentibus dare alteri viro: tamen ad monasterium licet ire si voluerit. » Hæc autem postrema pars de potestate petendi monasterium, Justiniani imp. cum Cod. lib. I, tit. 3, lege 56, tum Novella 123, cap. 39, necnon a Gregorio Indict. XV, epist. 20, ad Fortunat. et Cypr. approbatur.

3. Secundum, « Consulto omnium statuimus, ut sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto quisquam celebrare præsumat, etc., » apud Gratianum, de Consecratione dist. I, cap. 46, Eusebii simul et Silvestri; apud Ivonem, par. VII, c. 40, et Burchardum, lib. III, cap. 99, unius Eusebii; ac demum apud Anselmum, lib. IX, cap. 2, unius Silvestri præ se fert nomen. Ex gestis autem Silvestri libro Pontificali insertis, quæ Labbeus, tom. I Concil., pag. 1542, edidit, excerptum est.

4. Tertium, « Jejunia in Ecclesia a sacerdotibus constituta sine necessitate rationabili non solvantur, » ex Gratiano de Consecr. dist. 5, c. 17, descriptum, et ab Ivone, par. IV, cap. 49, necnon Burchardo, lib. XIII, cap. 17, velut « ex dictis Eusebii papæ, cap. 10, citatum, » in Capitulari 1, quod Steph. Baluzius Capitulis anni 813, pag. 517, subjecit, est capitulum 23.

5. Quartum, e codice quinque librorum, cap. 41, ita profertur: « Oportet episcopum moderatis epulis contentum esse, suosque convivas ad comedendum et bibendum non urgere. Removeantur ab ejus convivio cuncta turpitudinis argumenta: non ludicra spectacula, non acroamatum vaniloquia, non fatuorum stultiloquia, non scurrilium admittantur præstigia. Adsint peregrini et pauperes et debiles, qui de sacerdotali mensa Christum benedicentes, benedictionem percipiant. Recitetur sacra lectio, subsequatur vivæ vocis exhortatio: ut non tantum corporali cibo, immo verbi spiritalis alimento convivantes se refectos gratulentur, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum Dominum nostrum. » Idem quoque Ivo, par. XIII, c. 75, et Burchardus, lib. XIV, c. 4, velut « ex decretis Eusebii, cap. 10 » citant. Sapientissimum quidem est decretum, nihilque præcipit quod Eusebio videatur indignum: sed id quod prohibet, in illius ætatem minime arbitramur convenire. Tunc opus non erat, ut ab episcoporum mensa seu spectacula ludicra, seu scurrilium præstigia removerentur. Ecclesiis tum maxime præerant ii antistites, quorum modestiæ laudes etiam gentilis ac religionis nostræ adversarius scriptor negare non valuit, « quos » nimirum « tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum, et supercilia humum spectantia perpetuo numini verisque ejus cultoribus ut puros commendabant et verecundos. » Ita porro Damasi ævo Ammianus Marcellinus, lib. XXVII, cap. 3, loquebatur. Prædicto autem decreto affine est quod anno 813 concilium Turonense III, can. 5 constituit: « Episcopum non oportere profusis incumbere conviviis: sed parco et moderato contentus sit cibo, ne videatur Domini abuti sententia dicentis: *Attendite ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.*, XXI, 34). Et quamdiu convivatur, potius sacra lectio ante mensam ejus recitetur, quam otiosa a susurronibus resonent verba. » Et can. 6: « Peregrini et

(1) Istud epigramma, seu epitaphium, Baronius in novissima editione Antuerpiensi ad annum 357, num. 57, non sine cunctatione, ad Eusebium presbyterum, qui Liberio pontifice vitam finiit, refert. Illud potius ad Eusebium papam attinere judicat Tillemontius, ejusque judicio ultro subscribimus. Nec mirum est, dignum Marcelli successorem eam Ecclesiæ disciplinam, ob cujus defensionem sanctus ille decessor exilio mulctatus fuerat, acriter vindicasse, eaque de causa, eodem Christi apostata instante, ab eodem tyranno eamdem pœnam subiisse. Quocirca etiam ipse qui superius de S. Marcello carmen adornavit Damasus, etiam istud concinnasse haud immerito censeatur.

(2) Hic nomen exprimi videtur apostatæ illius, quem in pace Christum negasse superius de S. Marcello carmen memorat. Nomine autem lapsorum ii tunc vulgo designabantur, qui idolorum se sacrificiis contaminarant, vel in quodvis incurrerant idololatriæ scelus, ut Cypriani opus simpliciter inscriptum *de Lapsis*, ejusque epistolæ passim probant.

(3) Hic memoratur exemplum Marcelli, qui pariter a Maxentio tyranno in exilium pulsus fuerat.

(4) Damaso *rectoris* nomine Romanum pontificem indicare quam familiare fuerit, Milesius Sarazanius in illud superioris epigrammatis, *Veridicus rector*, pluribus exemplis demonstrat. Ideo autem Eusebius integra pacis fœdera servare nunc velle dicitur, quia pacem lapsis concedere nolebat, nisi iis conditionibus quibus eam dandam esse Cornelius cum toto orbe decreverat. Quocirca dicitur miseros peccata sua flere et per dignos pœnitentiæ fructus diluere docuisse; cum contra nollet Heraclius eos peccata dolere, sed statim prætermissis pœnitentiæ laboribus pacem recipere. Eadem loquendi ratione deflet epigramma de Marcello, quod *solvuntur fœdera pacis*.

(5) Videlicet relegatus in Siciliam, quæ Straboni et Plinio a tribus promontoriis, Peloro, Pachyro et Lilybæo, *Trinacria* dicta est. Ibi Eusebium vita functum, ad cœlos migrasse nostri epigrammatis conditor docet.

Digitized by Google

pauperes convivæ sint episcoporum, cum quibus non solum corporali, sed et spiritali reficiantur cibo. » Vide et concilium Remense II, eodem anno habitum, can. 17 et 18. Unde et tempus conjici potest quo decretum Eusebio attributum prodiit.

6. His adjici potuisset quintum, « Si evenerit fames, etc., » quod Ivo, par. IV, c. 50, proximo decreto subjicit, ac velut ex iisdem Eusebii decretis, cap. 2, laudat. Verum istud Burchardus, lib. XIII, cap. 18, refert ut « ex decretis Liberii papæ, c. 2 » Exscriptum est autem ex libro I Capitularium, cap. 118.

SANCTUS MELCHIADES PAPA.

§ I. — *Quando et quamdiu sederit.*

1. Melchiades Bucheriano in catalogo, in quo, ut in plerisque veteribus monimentis, *Miltiades* nuncupatur, Petri cathedram tenuisse dicitur « ex die VI Nonas Julias a consulatu Maximiano VIII solo, quod fuit mense Septembri Volusiano et Rufino, usque in III Idus Januarii Volusiano et Anniano consulibus. » Quæ inscriptio ut intelligatur, observandum est Maximianum Galerium solum ab initio anni 311 ad mensem Septembrem consulatum gessisse, hoc autem mense Volusianum Rufium creatum esse consulem, adjuncto ei collega Eusebio, cujus nomen aliquando reticentes antiquarii, unius Volusiani duo nomina quasi duorum consulum expresserunt, et *Rufino* pro *Rufio* substituerunt. Hanc explicationem nostram illustrant ac firmant : 1° indiculus præfectorum Urbis apud Bucherium, p. 238, in quo ad annum 310 legimus : « V kalendas Novembris Rufius Volusianus P. U. » Hoc est præfectus Urbis : tum proxime sequitur ad annum 311, « Consules, quos jusserint DD. NN. Augusti. Ex mense Septembri factum est Rufino et Eusebio ; » 2° Fastorum consularium fragmentum apud eumdem Bucherium, pag. 250, in quo annus 311 sic designatur : « Maximiano VIII solo ; » item fasti integriores Bucheriani, pag. 42, qui ad eumdem annum præ se ferunt, « Imp. Galerius Maximianus VIII, Imp. Licinius aug. » al. « Rufinus et Eusebius ; » ac demum quod in fastis Idacianis memoratur, « Maximiano VIII consule. » His conss. quod est Rufino et Volusiano, diem functus Maximianus junior. » Quocirca Miltiades, seu Melchiades, anno 311, Julii II die, qui secundam in feriam cadebat, ordinatus, anno 314, Januarii die II, sepultus dicendus est. Ipsius autem mors decimo ejusdem mensis die in Bucheriano depositionis Romanorum pontificum indiculo ita consignatur : « IV Idus Januarii Miltiadis in Callisti. » Eodem quoque die notatur in Martyrologio Hieronymiano, quamvis in eodem Martyrologio rursum ad diem II Julii : « Depositio Miltiadis papæ » legatur. Sed hic Papebrocius diem ordinationem ejus, Pagius vero reliquiarum ejusdem translationem, cujusmodi solemnitatem ipso natalis seu ordinationis Romanorum pontificum die sæpius celebratam asserit, recoli opinantur. Neque igitur ad Melchiadis obitum, sed ad aliquam aliam solemnitatem referendum est, quod in Ecclesia romana die X mensis Decembris memoria ejus colitur.

2. Hinc Bucherianum catalogum, in quo « Miltiades annis III, mensibus VI, diebus IX, » sedisse dicitur, ex subjectis in eodem catalogo consulibus corrigendum, et annis II, pro annis III restituendum esse liquet; simul et in notis numericis describendis quam facilis sit librariorum lapsus animadvertitur. Neque minus evidens est Eusebium, Hieronymum atque Prosperum in Chronicis, ubi tres pontificatus annos Melchiadi attribuunt, de duobus completis et uno inchoato loqui. Inde præterea conficitur, ab Eusebii morte ad ordinationem Melchiadis non tantum « septem dies, » ut vulgatus Anastasius seu pontificalis liber habet, sed novem menses et aliquot dies Romanum episcopatum vacasse. Denique quod in vulgato pontificali libro de Melchiade legitur, ex Bucheriano catalogo aut similibus quam corrupte expressum sit, ex sola collatione manifestum fiet. Ita porro in illo libro exprimitur : « Melchiades natione Afer sedit annos III, menses VII, dies VIII, ex die Nonarum Julii consulatu Maximini IX, usque ad Maxentium secundo, qui fuit mense Septembri, Volusiano et Rufino consulibus. »

§ II. — *De litteris Maxentii imperatoris ac præfecti prætorio Melchiadi datis, quibus illi ecclesiis quæ fuerant ablata, restitui jubebant.*

1. In collatione Carthaginensi, ut Augustinus tum in Breviculo collationis, III diei, c. 18, n. 34, tum in libro ad Donatistas, post collationem, cap. 13, memorat, recitata sunt gesta, « in quibus legebatur MELCHIADES misisse diaconos (Stratonem et Cassianum) cum litteris Maxentii imperatoris et litteris præfecti prætorio ad præfectum Urbis, ut ea reciperent, quæ tempore persecutionis ablata memoratus imperator christianis jusserat reddi. » Ea autem quæ Maxentius jussit reddi, mox Augustinus vocat loca ecclesiastica, hoc est cum ea in quibus ecclesiæ erant constructæ, et in quibus convenire solebant christiani, tum etiam ea quæ ad ipsas ecclesias pertinuerant, uti disertis verbis Constantini et Licinii constitutio, apud Eusebium, lib. X *Hist.*, c. 5, præcipit in hunc modum : « In gratiam Christianorum decernimus, ut loca ipsorum in quibus antehac convenire consueverant, de quibus in litteris prius ad devotionem tuam datis alia erat forma superiori tempore constituta, si qui aut a fisco nostro, aut alio quopiam ea emisse visi fuerint, ipsis christianis, absque ulla pecunia et sine repetitione ulla superadjecti pretii, incunctanter ac sine ulla

Digitized by Google

ambage restituant. Quod si qui ea loca emerunt, aut donata acceperunt, aliquid a nostra clementia accipere velint, ii præfectum qui in illa provincia jus dicit adeant, ut a nostra serenitate ratio habeatur. » Hactenus de locis quæ christianorum conventibus erant consecrata : tum de locis ad ipsas ecclesias pertinentibus subdit : « Et quoniam iidem christiani non solum ea loca, in quibus convenire solebant, sed etiam alia possedisse noscuntur, quæ non privatim ad singulos ipsorum, sed ad jus corporis pertinerent; hæc omnia post legem a nobis memoratam absque ulla dubitatione iisdem Christianis, hoc est cuilibet corpori et conventiculo ipsorum, restitui jubebis, supradicta scilicet ratione servata: ut qui ea loca absque redhibitione pretii, sicut dictum est, restituerint, indemnitatem suam a nostra benignitate exspectent. » Quapropter et ad Anulinum, Africæ proconsulem, iidem imperatores, apud eumdem Eusebium, ibid., scribunt : « Operam dabis, ut sive horti, sive ædes, seu quodcumque aliud, ad jus earumdem ecclesiarum pertinuerit, cuncta illis quantocius restituantur : quo scilicet te huic nostro præcepto accuratissime obtemperasse intelligamus.

2. Maxentii litteræ, ad quas obtinendas Melchiadem operam suam contulisse valde probabile est, anno Christi 311 indultæ sunt. Has exceperunt duæ Licinii et Constantini imperatorum de eadem re constitutiones : prima, quæ excidit, anno 312 labente, post ipsius Maxentii necem, promulgata; altera, quam nobis asservavit Eusebius, et ex qua nonnihil supra decerpsimus, Mediolani, circa initium anni 313, conscripta. Tandem eo ipso anno 313 Maximinus, cum a Licinio devictus fuisset, prædictorum imperatorum erga Ecclesiam benevolentiæ morem gerens, istud pariter edixit : « Ut indulgentia nostra prolixior appareat, illud etiam sancire volumus, ut si quæ domus aut loca ad jus Christianorum antehac pertinentia ex jussione divorum parentum nostrorum ad jus fisci devoluta sint, aut ab aliqua civitate occupata, aut certe vendita, aut alicui dono data, cuncta ad pristinum jus ac dominium christianorum revocentur, ut hac etiam in re pietatem ac providentiam nostram cuncti possint agnoscere » (*Euseb., lib.* IX, *cap.* 10). Quin potius a cunctis agnoscatur ac suspiciatur singularis erga Ecclesiam Providentia Dei, qui cum eam ubique infestissimi imperatores sævissimo bello persequi, et in certum ejus exitium conspirare viderentur, prorsus insperatam ei pacem subito reddidit. Verum hanc continuo interturbavit pertinax et obstinatum schisma Donatistarum, quorum causam Constantinus, ab ipsis interpellatus, Melchiadi demandavit.

§ III. — *Donatistarum causa Melchiadis cognitioni a Constantino imperatore demandatur.*

3. Cæcilianum Ecclesiæ Carthaginensi præsse ideo non posse contendebant Donatistæ (*August., Ep.* 105, *n.* 8, *olim* 16), quia Felix Aptugnensis, quem librorum sacrorum traditorem fuisse calumniabantur, ipsum ordinasset. Quamobrem anno Christi 313 causam illius ad imperatorem Constantinum, precibus datis quas Optatus sub libri sui primi finem refert, detulerunt : « Sed quia, » ut Augustinus loquitur, « Constantinus non est ausus de causa episcopi judicare, eam discutiendam atque finiendam episcopis demandavit. Quod et factum est in urbe Roma, præsidente Melchiade, episcopo illius ecclesiæ, cum multis collegis suis. » Ipsam epistolam qua Constantinus Melchiadi negotii hujus delegavit cognitionem, Eusebius e latino sermone in græcum conversam, Historiæ suæ inseruit. Hanc autem ut exhibeamus, nostrum institutum videtur postulare.

EXEMPLUM EPISTOLÆ.

CONSTANTINI IMPERATORIS, QUA EPISCOPORUM CONCILIUM ROMÆ FIERI JUBET PRO UNITATE ET CONCORDIA ECCLESIARUM.

Constantinus Augustus Miltiadi episcopo urbis Romæ et Marco (1).

4. Quoniam hujusmodi plures libelli a viro clarissimo Anulino, Africæ proconsule, ad me sunt missi, in quibus continetur Cæcilianum, Carthaginensis u

ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ ΒΑΣΙΛΙΚΗΣ

ἐπιστολῆς δι' ἧς σύνοδον ἐπισκόπων ἐπὶ Ῥώμης κελεύει γενέσθαι ὑπὲρ τῆς τῶν ἐκκλησιῶν ἑνώσεώς τε καὶ ὁμονοίας.

Κωνσταντῖνος σεβαστὸς Μιλτιάδῃ ἐπισκόπῳ Ῥωμαίων καὶ Μάρκῳ.

4. Ἐπειδὴ τοιοῦτοι χάρται παρὰ Ἀνυλίνου τοῦ λαμπροτάτου ἀνθυπάτου τῆς Ἀφρικῆς πρός με πλείους ἀπεστάλησαν, ἐν οἷς ἐμφέρεται, Καικιλιανὸν, τὸν ἐπίσκο-

(1) Quisnam sit ille Marcus, inter eruditos minime constat. Baronius, ad annum 313, n. 33, græcum Eusebii textum depravatum esse conjectat, et καὶ Μάρκῳ pro ἀρχῇ, hoc est, *Romano hierarchæ*, irrepsisse arbitratur. Sed si hoc vocabulo usus esset Constantinus, antea *episcopi* voce abstinuisset. Nec magis placet altera Perronii conjectura, qua καιρὸν μακρόν, hoc est, *longam vitam*, præferendum censet. Ista enim precatio non in litterarum fronte præmitti, sed ad calcem subjici solet, ubi reipsa a Constantino ponitur. Valesius existimat hic notari *presbyterum Ecclesiæ Romanæ, quem una cum Miltiade huic synodo interesse voluit Constantinus*, eum videlicet *Marcum, qui post Silvestrum papam episcopatum urbis Romæ gessit*. Alii, licet Baronii Perroniique conjecturas non probent, ultro tamen iis in nomine Marci mendum esse largiuntur. Certe Optatus, cum omnium qui Romano in concilio consederunt nomina commemoret, nullius tamen Marci meminit. Nec facile quis sibi persuaserit eum cui uni nominatim cum Melchiade Constantini de habendo concilio epistola inscripta fuerit, huic concilio non interfuisse, aut si inter-

Digitized by Google

bis episcopum, a quibusdam collegis suis per Africam constitutis, multis de rebus insimulari; ac mihi permolestum videtur, in iis provinciis, quas divina providentia meæ devotioni mera liberalitate tradidit, et in quibus maxima est populi multitudo, plebem quasi in duas partes divisam ad deteriora deflectere, et episcopos inter se dissentire : Placuit mihi, ut ipse Cæcilianus cum decem episcopis qui accusare illum videntur, ac decem aliis, quos ipse ad causam suam necessarios esse judicaverit, Romam naviget; ut ibi coram vobis, necnon Reticio, Materno et Marino (1) collegis vestris, quos hujus rei causa Romam properare præcepi, possit audiri, quemadmodum sanctissimæ legi convenire optime nostis. Porro ut de omnibus his plenissimam valeatis habere notitiam, exempla libellorum (2) ad me ab Anulino missorum litteris meis subjecta, ad supradictos collegas vestros transmisi. Quibus lectis perpendet gravitas vestra, quonam modo prædicta controversia accuratissime dijudicanda sit, et ex præscripto justitiæ terminanda. Siquidem nec vestram sedulitatem latet tantam a me reverentiam sanctissimæ Ecclesiæ catholicæ exhiberi, ut nullum omnino schisma vel discidium ullo in loco a vobis relinqui velim. Divinitas summi Dei multis annis vos servet, charissime.

πον τῆς Καρταγεννησίων πόλεως, παρὰ τινων κολλήγων αὐτοῦ τῶν κατὰ τὴν Ἀφρικὴν κατεστώτων ἐν πολλοῖς πράγμασιν εὐθύνεσθαι· καὶ τοῦτό μοι βαρὺ σφόδρα δοκεῖ, τὸ ἐν ταύταις ταῖς ἐπαρχίαις, ἃς τῇ ἐμῇ καθοσιώσει αὐθαίρετος ἡ θεία πρόνοια ἐνεχείρισε, κἀκεῖσε πολὺ πλῆθος λαοῦ, ὄχλον ἐπὶ τὸ φαυλότερον ἐπιμένοντα εὑρίσκεσθαι ὡσανεὶ διχοστατοῦντα, καὶ μεταξὺ ἐπισκόπους διαφορὰς ἔχειν· ἔδοξέ μοι ἵν' αὐτὸς ὁ Καικιλιανὸς μετὰ δέκα ἐπισκόπων τῶν αὐτὸν εὐθύνειν δοκούντων, καὶ δέκα ἑτέρων οὓς αὐτὸς τῇ ἑαυτοῦ δίκῃ ἀναγκαίους ὑπολάβοι, εἰς τὴν Ῥωμὴν πλῷ ἀπιέναι· ἵν' ἐκεῖσε ὑμῶν παρόντων, ἀλλὰ μὴν καὶ Ῥετικίου, καὶ Ματέρνου καὶ Μαρίνου τῶν κολλήγων ὑμῶν, οὓς τούτου ἕνεκεν εἰς τὴν Ῥώμην προσεταξα ἐπισπεῦσαι, δυνηθῇ ἀκουσθῆναι, ὡς ἂν καταμάθοιτε τῷ σεβασμιωτάτῳ νόμῳ ἁρμόττειν. ἵνα μέντοι καὶ περὶ πάντων αὐτῶν τούτων πληρεστάτην δυνηθῆτε ἔχειν γνῶσιν, τὰ ἀντίτυπα τῶν ἐγγράφων τῶν πρός με παρὰ Ἀνυλίνου ἀποσταλέντων γράμμασιν ἐμοῖς ὑποτάξας πρὸς τοὺς προειρημένους κόλληγας ὑμῶν ἐξέπεμψα· οἷς ἐντυχοῦσα ἡ ὑμετέρα στερρότης δοκιμάσει ὅν τινα χρὴ τρόπον τὴν προειρημένην δίκην ἐπιμελέστατα διευκρινῆσαι, καὶ κατὰ τὸ δίκαιον τερματίσαι. Ὁπότε μηδὲ τὴν ὑμετέραν ἐπιμέλειαν λανθάνει, τοσαύτην με αἰδῶ τῇ ἐν θεσμῷ (sic) καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπονέμειν, ὡς μηδὲν καθόλου σχίσμα ἢ διχοστασίαν ἔν τινι τόπῳ βούλεσθαί με ὑμᾶς καταλιπεῖν. Ἡ θειότης ὑμᾶς τοῦ μεγάλου Θεοῦ διαφυλάξοι πολλοῖς ἔτεσι, τιμιώτατε.

§ IV. — *Melchiadis sententia de Cæciliani causa.*

5. Eodem anno 313, Octobris secundo die, qui in sextam feriam incidebat, in domum Faustæ, Constantini uxoris, in Laterano convenerunt et consederunt judices : Miltiades, episcopus urbis Romæ; Maternus Agrippinæ civitatis, Reticius Augustodunensis, Marinus Arelatensis, Merocles Medionalensis, aliique quatuordecim episcopi Itali, quorum et nomina et sedes Optatus recenset. « His decem et novem considentibus episcopis, » inquit idem Optatus, « causa Donati et Cæciliani in medium missa est a singulis. In Donatum (A Casis Nigris, *ut liquet ex Augustino brevic. Coll. diei* III, *n.* 36, *et lib. ad Donat. post Coll. n.* 17) sunt hæ sententiæ latæ : Quod confessus sit se rebaptizasse, et episcopis lapsis manum imposuisse; quod ab Ecclesia alienum est. Testes inducti a Donato confessi sunt se non habere quod in Cæcilianum dicerent. » Cæcilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronuntiatus, etiam Miltiadis sententia, qua judicium clausum est his verbis : « Cum constiterit Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerunt, juxta professionem suam non accusari, nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit; suæ communioni ecclesiasticæ integro statu retinendum esse censeo. » Melchiadis sententiam integram ab Optato relatam non esse liquet ex Augustino, epist. 43, olim 162, n. 16, qui eam ibidem laudibus extollit in hunc modum : « Qualis ipsius Melchiadis ultima est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica, qua neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est removere, et Donato solo (a Casis Nigris) quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus litteras communicatorias mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret; ita ut quibuscumque locis duo essent episcopi, quos

fuerit, ab Optato silendum esse. Quocirca *Merocli*, qui Mediolanensis tunc episcopus erat, pro *Marco* eo probabilius mallent, quod Constantinus, eo ipso anno Mediolani versatus, probatam ac perspectam habere potuerit Meroclis æquitatem. Inde tamen moveri quispiam potest, quod in eadem inscriptione, in qua denominatur Miltiades Romanæ urbis episcopus, alterius, qui ei adjungitur, dignitas taceatur. Præterea verbum τιμιώτατε, *charissime*, quo epistola clauditur, indicio esse posset, epistolam hanc Miltiadi uni, non duobus scriptam esse, nisi et eadem scribendi ratio frequens occurreret in ipsis Romanorum præsulum litteris, quæ pluribus *a pari* inscriptæ sunt. Jam vero eruditorum de hoc loco conjecturas, et argumenta quæ ipsis vel adversentur vel faveant, exposui : nunc eligat quisque quod sibi magis arridet. Rei veritatem nos certius docuisset collationis Carthaginensis tertia pars, cap. 319, cui hæc ipsa epistola inserta erat, nisi hæc portio excidisset.

(1) Episcopos illos Gallos cum Romano convenire præcepit Constantinus, morem gerens huic Donatistarum petitioni, in qua legere est : *Petimus ut de Galliis nobis judices dari præcipiat pietas tua; quia*, inquiunt, *ab hoc facinore* et dissensione *immunis est Gallia.*

(2) Precum seu libellorum partem postremam Optatus circa finem lib. I exscripsit. Cætera desiderantur.

Digitized by Google

dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur ! O virum optimum ! o filium christianæ pacis et patrem christianæ plebis !... Hic nec mansuetudo integritatem corrupit, nec integritas mansuetudini repugnavit. »

6. Et in hac quidem sententia triplex suspicere est providi pastoris temperamentum, quod deinceps Ecclesiæ similibus in causis magno usui fuit : primum, quod totius mali principem Donatum damnare contentus, cæteris ejus consortibus liberam resipiscendi facultatem reliquit. Alterum, quod etiam a Majorino, qui Carthaginensi ecclesiæ in Cæciliani locum a schismaticis præfectus fuerat, ordinatos ad communionem suam admittere non recusavit. Postremum, quod in his ecclesiis, in quibus duo essent præsules, unus a Majorino, alter a Catholicis ordinatus, ei qui prior erat ordinatus ecclesiam ipsam, quam regebat, sic adjudicavit, ut et alteri plebem aliam regendam provideri simul juberet.

7. Primum ex his temperamentis secutus Hilarius Pictavensis episcopus se cum Gallicanis episcopis a Saturnini et Ursacii et Valentis, qui Arianorum in Occidente duces erant, communione separavit, « Indulta cæteris consortibus eorum resipiscendi facultate ; ut nec pacis abesset voluntas, et principalium morborum fœtida et in corruptionem totius corporis membra proficientia desecarentur. » Idque postea regulæ instar in Ecclesia constanter obtinuit.

8. Alteri morem gesserunt non solum Africani catholici erga Donatistas ad unitatem redeuntes, sed et longe postea Felix II, papa, ut ecclesiarum ob Acacii causam scissarum redintegrationem expeditiorem facilioremque redderet, « nobis, » inquit epist. 12, ad Flavitam, n. 4, « Deo inspirante provisuris rationabiliter... ut eorum quos ordinavit vel baptizavit Acacius, salva confessione catholica, pro charitatis Ecclesiæ redintegratione nihil pereat. » Quod quidem illæsa fide indulgeri posse Afri catholici in epistola, quæ collationis Carthaginensis cognitioni 1, cap. 16, inserta est, hac ratione probant : « Neque enim in eis divinæ sacramenta veritatis, sed commenta humani detestamur erroris ; quibus sublatis, fraternum pectus amplectimur Christiana nobis charitate conjunctum. » Eamdem rationem pluribus explicat et illustrat Anastasius II, papa, scribens ad Anastasium imp., n. 8. Ubi in antecessum præmonemus, quam frustra idem Anastasius papa apud Hincmarum, tom. II, pag. 278, sacris canonibus et decretis decessorum non convenire atque concordare idcirco dicatur, quod ordinatos ab Acacio damnato in suis ordinibus recipere non detrectaret : cum illum ea in re, et decessorum suorum Melchiadis ac Felicis, et Afrorum decretis obsecutum esse palam sit.

9. Tertium imitati sunt Africani episcopi, per epistolam, quæ collationis Carthag. cognit. 1, cap. 16, inserta est, quæque apud Augustinum exstat epist. 128, Donatistis pollicentes, eos a se, si convicti ad unitatem redierint, sic recipiendos esse, « ut non solum viam salutis inveniant, sed nec honorem episcopatus amittant. Poterit quippe, inquiunt, unusquisque nostrum, honoris sibi socio copulato, vicissim sedere eminentius, sicut peregrino episcopo juxta considente collega. Hoc cum alternis basilicis utrisque conceditur, uterque ab alterutro, mutuo honore prævenitur : quia ubi præceptio charitatis dilataverit corda, possessio pacis non fit angusta ; ut uno eorum defuncto deinceps jam singulis singuli pristino more succedant. Nec novum aliquid fiet : nam hoc ab ipsius separationis exordio, in eis qui damnato nefariæ discissionis errore unitatis dulcedinem vel sero sapuerunt, catholica dilectio custodivit. »

10. Istud porro de duobus episcopis in una ecclesia simul relinquendis consilium primum Arelatensis synodi charitate inventum atque auctoritate fultum Tillemontius, tom. VI, pag. 49, existimat. Nec aliam affert opinionis suæ rationem, nisi quod Romano in concilio aliud circa eosdem episcopos a Melchiade et sociis decretum fuit. Verum cum horum sententia neque ab Optato, neque ab Augustino, neque ab ullo alio integra transmissa fuerit, affirmari certo nequit, illud alterum, quod Afri « ab ipsius separationis exordio » apud se custoditum esse testantur, in illa sententia minime fuisse propositum. Potuit enim fieri, ut Romana synodus, cui Melchiades præerat, non unam in ecclesiis, in quibus duo essent episcopi, componendæ pacis viam panderet. Hoc certe ab iisdem Afris factum legimus, qui cum unius ecclesiæ curam duobus episcopis simul permittendam proposuissent, hoc alterum de duobus amovendis statim subjiciunt : « Aut si forte Christiani populi singulis delectantur episcopis, et duorum consortium, insuita rerum facie, tolerare non possunt : utrique de medio secedamus, et ecclesiis, in singulis damnata schismatis causa, in unitate pacifica constitutis, ab his qui singuli in ecclesiis singulis invenientur, unitati factæ per loca necessaria constituantur episcopi. » Quæ verba Augustinus in Breviculo, coll. primæ diei, cap. 5, sic summatim reddit, pactum esse a catholicis docens, ut « si plebes duos in una ecclesia episcopos ferre non possent, utrisque de medio recedentibus, singuli constituerentur episcopi, ab eis episcopis ordinandi, qui in suis plebibus singuli invenirentur. » Et iis quidem novi hujus temperamenti ante Arelatensem synodum, si rem ex ordine narrat Optatus, jam præluxerat exemplum : cum Carthaginem missi sint Eunomius et Olympius, qui duobus inde amotis, unum ordinarent.

11. Nempe Optatus verbis, quibus Melchiadis judicium clausum est, relatis proxime subjicit : « Sufficit ergo et Donatum tot sententiis percussum esse, et Cæcilianum tanto judicio esse purgatum. Et tamen Donatus appellandum esse ab episcopis credidit. » Ubi si appellatio a Melchiadis sententia indicatur, ad eamdem attinere videtur, quod idem Optatus subnectit : « Ad quam appellationem Constantinus imperator sic respondit : O rabida furoris audacia ! Sicut in

Digitized by Google

causis Gentilium fieri assolet, appellationem interposuerunt. Eodem tempore idem Donatus petiit, ut ei reverti licuisset (*ita ms. Germain.*), nec ad Carthaginem accederet. Tunc a Filumino suffragatore suggestum est, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur : et factum est. Tunc duo episcopi ad Africam missi sunt, Eunomius et Olympius : ut remotis duobus unum ordinarent. Venerunt et apud Carthaginem : fuerunt per dies 40, ut pronuntiarent ubi esset catholica. Hoc seditiosa pars Donati fieri passa non est. De studio partium strepitus quotidiani sunt habiti. Novissima sententia eorumdem episcoporum Eunomii et Olympii talis legitur, ut dicerent illam esse catholicam, quæ esset in toto orbe terrarum, et sententiam decem et novem episcoporum (*hoc est Melchiadis et sociorum*), jam dudum datam non posse dissolvi. » Sed appellationem ab Optato notari, quæ Arelatense concilium excepit, et ad id, quod post idem concilium contigit, reliquam narrationem pertinere hinc plane nobis est persuasum : 1° quod superiora Constantini verba, « O rabida furoris audacia ! Sicut in causis Gentilium, etc., » ex Imperatoris hujus epistola ad episcopos qui Arelate convenerant (*apud Lab., tom.* I *Concil., pag.* 1431, *d. c.*) descripta sint : deinde quod Augustinus, epist. 43, n. 20, Arelatensis concilii judicium et ab eo appellationem, necnon æquam Imperatoris indignationem hoc ordine perstringat : « Neque enim ausus est christianus imperator sic eorum tumultuosas et fallaces querelas suscipere, ut de judicio episcoporum, qui Romæ sederant, ipse judicaret; sed alios, ut dixi, episcopos dedit, a quibus tamen illi ad ipsum rursum Imperatorem provocare maluerunt : qua in re illos quemadmodum detestetur audistis. » Postremo quod Optatus Melchiadis et sociorum adversus Donatum sententiam non ut recens, sed ut jam dudum prolatam commemoret. Sed et illud observatione dignum, ut cum post Arelatense concilium Eunomius et Olympius Carthaginem ad sedandos Donatistarum tumultus missi fuerint, nulla hujus concilii mentione facta, » sententiam decem et novem episcoporum (Melchiade præside) jam dudum datam non posse dissolvi » pronuntiarint. Unde id, quod Carthagine gesserunt, non tam ex Arelatensis concilii, quam ex Melchiadis sententia gessisse merito videantur.

12. Uno verbo Melchiades ea sententia, quam laudat Augustinus, unitatis resarciendæ viam præmonstravit : adeo ut diversos illos modos, quibus Afri catholici schismaticos sibi conciliare et ad concordiam revocare, sive in collatione, sive ante, tentarunt, spectare liceat veluti diversos aditus pacificæ ejus viæ, quam Melchiades illis aperuerat. Ipse clericis et episcopis a schismate recedentibus gradus et honores suos per indulgentiam servando, gravissimum restaurandæ pacis removit impedimentum. Deinde vero Afri pacem hac via initam, variis modis, qui ab illa non recedebant, coagmentare, prout tempus exigebat, studuerunt. Qua de re vide et Codicem canonum eccl. Afric., c. 117 et 118.

13. Unum adhuc, unde disciplina ecclesiastica illustratur, circa sententiam Melchiadis ab Augustino superius laudatam, observandum restat : quod videlicet in quibuscumque locis duo essent episcopi, ita eum confirmari voluit qui fuisset prior ordinatus, » ut tamen « alteri eorum plebs alia regenda committeretur. » Cui judicio in Carthaginensi collatione, cogn. 1, cap. 16, congruentes Afri, ubi non unus tantum, sed et ambo episcopi, postulante populo, removendi sunt, singulis singulas ecclesias tribuendas esse decernunt. Ideo vero istud observatu dignum puto, quia effluxisse hinc videtur mos subinde usitatus, episcopos qui a propriis plebibus aut non admissi aut expulsi sunt, ad alias ecclesias transferendi. Inde sane nihil præter antiquam disciplinam commisisse comprobantur, sive Leonis decessor Xystus III, epist. 8, cum Perigenem Patrensibus ordinatum episcopum, sed ab his recusatum, Corinthiis præficiendum curavit ; sive ejusdem Leonis successor Hilarius, ubi Hermen, qui se a Biterrensibus exclusum dicebat, Narbonensibus præesse permisit (*Hilar., ep.* 8), seu Joannes III, cum Joanni Alexandrino episcopo e propria civitatate expulso Nolanam ecclesiam regendam tradidit (*Liberat., c.* 18). Ea ipsa ratione excusatur quoque migratio Aprunculi, qui, uti Gregorius Turonensis, lib. II de Gestis Francorum, c. 23, et Baronius, ad annum 484, referunt, « Lingonicæ civitatis episcopus, apud Burgundiones cœpit haberi suspectus : cumque odium de die in diem cresceret, jussum est ut clam gladio feriretur. Quo ad eum perlato nuntio, nocte a castro Divionensi per murum demissus, Arvernos advenit, ibique juxta verbum Domini... undecimus datur episcopus. »

§ V. — *Melchiadis judicium Donatistæ antiqui respuunt, eumque postmodum traditionis librorum recentiores falso accusant.*

14. Quantumvis moderata fuerit Melchiadis sententia, Donatistis tamen non placuit. Hi quippe de episcoporum judicio, in quo victi fuerant, statim murmurare, atque precibus Constantino oblatis expostulare cœperunt. An hæc eorum expostulatio appellationis nomine donanda sit, necne, inter eruditos disceptatur. Inter eos tamen convenit schismaticos illos Melchiadis judicio non stetisse, judices alios a Constantino flagitasse, idque ab illis inique fuisse postulatum. Obtendebant nimirum, paucos admodum episcopos sententiam tulisse, qui nec omnibus quæ prius inquiri oportebat diligenter excussis, ad depromendum judicium properanter accessissent. Hanc unam rationem illi tunc prætexebant, ut Romanæ synodi judicium detrectarent : nec aliam memorat Constantinus in ea epistola, qua plurimos ex diversis ac prope infinitis locis episcopos in urbem Arelatensem convenire ejusdem causæ finiendæ gratia præcipiebat (*August., epist.* 105, *n.* 8; *Optat., lib.* X; *Constantinus, apud Euseb. l.* X, *c.* 5). Ex quo colligitur Donatistis non solum ante concilium Romanum, sed et post, toto scilicet intervallo illo quod inter hoc

Digitized by Google

atque Arelatense concilium intercessit, minime venisse in mentem, ut Melchiadem crimine traditionis sacrorum librorum arguerent.

15. Id vero postmodum commenti, non Melchiadem solum, sed etiam Marcellinum, Marcellum atque Silvestrum ejusdem criminis postularunt. Ex quo et hanc calumniam ab eis ante Silvestri papæ tempora excogitatam non fuisse haud temere suspicemur. Quamvis enim hoc nefas a Marcello, Melchiade, Silvestro, cum adhuc Marcellini presbyteri essent, perpetratum fuisse dixerint : nemo tamen non videt hoc eos, ut apostolicæ sedi odium atque invidiam facerent, ejusque adversus se auctoritatem declinarent, excogitasse; adeoque et postquam Marcellus, Melchiades ac Silvester ejusdem sedis dignitate decorati jam fuissent.

16. Immo ex Augustini verbis in breviculo collationis cum Donatistis, cap. 18, intelligitur, Donatistas in collatione Carthaginensi primum id criminis Melchiadi imposuisse. « Cum enim eos compulisset Cognitor, » inquit Augustinus, « ut contra concilium judiciumque Melchiadis, quo Cæcilianus purgatus atque absolutus legebatur, si haberent aliquid, dicerent; tunc Donatistæ ipsum Melchiadem cœperunt traditionis arguere, et dicere majores suos propterea illius judicium refugisse. » Istud affirmantes mendacii convincere difficile admodum non erat : siquidem majores illorum Melchiadis judicio stare detrectantes, nihil umquam hujusmodi in precibus suis prætexuisse deprehenduntur. Verum quia rem non Cognitori solum, sed et ipsis Catholicis inauditam objiciebant; ideo « facto judice intento, utrumne de traditionis crimine aliquod judicium vel publicum vel ecclesiasticum proferretur, ipsisque Catholicis id ut probaretur exspectantibus et exigentibus, legerunt Donatistæ gesta quædam prolixissima apud præfectum, ubi nec præfectus ipse cujusmodi esset apparebat, nec locus legebatur ubi hæc agebantur : sed gesta ipsa multos multa ecclesiastica tradentes longissima recitatione sonuerunt, ubi nomen Melchiadis omnino non sonuit. Quibus peractis, » miratus est « Cognitor aliud promissum, et aliud recitatum. » Exinde recitarunt alia gesta, in quibus Melchiades legebatur diaconos Stratonem et Cassianum misisse, ut loca Christianis tempore persecutionis ablata jussu imperatoris reciperent. « Et cum his quoque gestis nullum Melchiadis crimen et Cognitori et Catholicis defensoribus appareret, dixerunt Donatistæ, Stratonem diaconum, quem cum aliis ad recipienda loca ecclesiastica miserat, superioribus gestis recitatum esse traditorem : et ideo volebant etiam Melchiadem crimine traditionis adspergere, quod diacono illo non degradato uteretur. » At rogati « utrum saltem in illis traditionis gestis esset expressum, quod Straton diaconus fuerit, » ne id quidem probare valuerunt. Respondebant præterea catholici, etiamsi Straton traditor diaconus appellatus fuisset, non inde sequi, ut is fuerit quo postea Melchiades usus est : cum fieri potuerit, ut quemadmodum inter apostolos duo Jacobi duoque Judæ, et apud ipsos schismaticos duo Donati, Casensis et Carthaginensis; ita et inter Romanos diaconos duo Stratones simul exstiterint (*Aug., Brevic. diei tertiæ : collat. cum Donat., cap.* 18, *n.* 34). « Illud quoque additum est a Catholicis, quia etsi demonstraretur, quod omnino non demonstrabatur, eumdem Stratonem diaconum tradidisse, quem postea Melchiades ad recipienda loca ecclesiastica cum aliis diaconis misit, non continuo Melchiadem isto crimine adspergi, quem potuit persecutio longe facere absentem, ut hoc omnino nesciret, eumque innocentem putaret, quem nemo reum accusando monstraret. » (*Ibid., n.* 35.) Postremo cum ad calumniosam Melchiadis criminationem redire conarentur Donastitæ, Cognitoris interlocutione ab ea sunt depulsi.

17. Neque tamen propterea quieverunt. Nam et post collationem Carthaginensem inde Melchiadem calumniandi ansam arripuerunt, quod Cassiani nomen et in diaconis ipsius, et in illis gestis ubi facta traditio recitata est, reperiebatur (*Augustin. Brevic. coll., n.* 36). Sed hæc Donatistarum pertinacia et varii conatus ut unum infamarent Melchiadem, cum cæteris parcerent Romani concilii judicibus, argumento sunt, quam gravem quamque sibi incommodam sentirent illius auctoritatem. Neque aliud quidquam tot tamque iniquis molitionibus profecere, nisi ut Melchiadis moderationem, æquitatem, integritatem atque innocentiam vitæ patefacerent. Eos enim quod in ipso reprehenderent prorsus defecerit necesse est, qui calumniam ei undequaque struere connitentes, illius occasionem in diaconis ipsius, seu potius in similitudinibus nominum diaconis ipsius communium, quærere coacti sunt. Ipsi vero quanto essent furore correpti, prodiderunt, cum judicio, in quo accusatores ac testes una cum accusatis præsentes auditi, et ei quidem a judicibus quos ipsi expetierant, quibusque præsul æquissimus atque omnium episcoporum princeps præsidebat, prolato stare nolentes, Imperatorem appellare maluerunt. His religiosior Constantinus eorum appellationem molestissime tulit : sed paulo indulgentior quam par esset, dum audaciam non comprimit, gravibus Ecclesiæ malis locum et occasionem præbuit. Quamvis autem appellantibus aliud Arelatense judicium dederit, hoc tamen, teste Augustino, epist. 43, olim 162, n. 20, dedit, « non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, et omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere. » Nec prohibuit hujusmodi appellatio, quominus, uti jam exposuimus, episcopi Eunomius et Olympius, in Africam pro componendis Carthaginensis ecclesiæ rebus missi, postmodum pronuntiarint, « sententiam decem et novem episcoporum jam dudum datam dissolvi non posse » (*Optat., lib.* 1).

§ VI. — *De decretis Melchiadi papæ attributis.*

18. Duas Melchiadi supposuit Isidorus Mercator epistolas, unam ad Leontium ac cæteros Hispaniarum

Digitized by Google

episcopos, alteram de primitiva Ecclesia et de *Constantini erga eam Munificentia* inscriptam. Utramque ut pote non plus momenti quam authentiæ habentem, hic excudere consulto negleximus.

19. In Pontificali libro eidem papæ duo adscribuntur decreta : primum quo sancitur, « Ne ulla ratione die Dominica aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret : quia eos dies pagani quasi sacrum jejunium celebrant. » Cui decreto in eodem Pontificali libro proxime subjicitur, « Et Manichæi inventi sunt in urbe Roma ab eodem. »

20. Verum hoc decretum Melchiadi falso adscribi duplici ratione liquet : primo quidem quia etiam ante hujus papæ tempora fidelibus interdictum fuit die Dominica jejunium : deinde quia ut interdiceretur, non ea causa fuit, quod illa die pagani seu gentiles quasi sacrum jejunium agerent ; sed quia christiani jejunium ei diei minime congruere censuerunt, qua Christus Ecclesiam resurrectione sua lætificavit. Quod autem sibi cavendum didicerant ipso usu et traditione, quæ diem Dominicum festive agendum esse docet, majori religione cavere tum cœperunt, cum Manichæos, non paganos, hoc die veluti sacrum jejunium agere cœperunt. Ne vero id gratis dicere videamur, utrumque paucis comprobandum est.

21. Ante Melchiadis ævum scripsit Tertullianus lib. de Corona, c. 3 : « Die Dominico jejunium nefas ducimus. » Legitur et ad calcem libri v apostolicarum Constitutionum : « Reus enim erit peccati, qui Dominico die jejunaverit, cum sit dies resurrectionis. » Nulla hic alia ratio subjicitur. Sed subinde Augustinus, epist. 36, ad Casulanum, c. 12, n. 27, dicens : « Die Dominico jejunare scandalum est magnum, » hanc novam addidit causam : « maxime posteaquam innotuit detestabilis multumque fidei apostolicæ Scripturisque divinis apertissime contraria hæresis Manichæorum, qui suis auditoribus ad jejunandum istum tamquam constituerunt legitimum diem. Per quod factum est, ut jejunium diei Dominici horribilius haberetur. » Et n. 29, ne quis Dominico die celebret jejunium, tunc præsertim cavendum docet, « posteaquam hæretici, maximeimpiissimi Manichæi, jejunia diei Dominici non aliqua necessitate occurente peragere, sed quasi sacra solemnitate statuta dogmatizare cœperunt. » De iisdem hæreticis istud quoque Leo papa, epist. 17, ad Turibium, cap. 4, testatur : « Sicut in nostro examine detecti atque convicti sunt, Dominicum diem, quem nobis Salvatoris nostri resurrectio consecravit, exigunt in mœrore jejunii. » Quocirca in libro Pontificali nihil absurdi videretur, si dictum esset : « Manichæi a Melchiade inventi sunt in urbe Roma. Tum is papa constituit, ne ulla ratione die Dominica jejunium quis fidelium ageret : quia hunc diem hæretici illi quasi sacrum jejunium celebrant. » Mercator tamen, librum Pontificalem nequaquam corrigens, sed eum de more imitatus, Melchiadem sic decernentem inducit : « Jejunium vero Dominici diei et quintæ feriæ nemo celebrare debet : ut inter jejunium christianorum et gentilium, veraciter credentium atque infidelium et hæreticorum vera et non falsa discretio habeatur. »

22. Circa Nicæni concilii tempus multa Manichæorum placitis affinia gerebat ac docebat Eustathius quidam, adversus quem Gangrensis synodus congregata can. 18 ex interpretatione Dionysii Exigui statuit : « Si quis propter continentiam, quæ putatur, aut contumaciam in die Dominico jejunat, anathema sit. » Ubi hoc concilium, sicut et Cæsaraugustanum adversus Priscillianistas, etiam Manichæos dici solitos, anno 381 celebratum, dum can. 2 prohibet, « ne quis jejunet die Dominica, causa temporis aut persuasionis aut superstitionis, » jejunium etiam die Dominico, modo absit superstitionis causa, permittere quodam modo videntur. Et Hieronymus quidem, epist. 28, ad Lucinium scribit : « Utinam omni tempore jejunare possimus : quod in Actibus Apostolorum (ut etiam Augustinus epist. 36, n. 28, observavit) diebus Pentecostes et die Dominico apostolum Paulum et cum eo credentes fecisse legimus. » Ne hinc tamen Ecclesiæ morem ac legem improbare videatur, mox dictum temperans addit : « Nec hoc dico, quod Dominicis diebus jejunandum putem. »

23. Hæc autem lex, Epiphanio teste (*Epiph., Expos. fid., n.* 22), religiose adeo servabatur, ut ii etiam, qui summo pietatis studio perpetua sibi jejunia imponebant, solos Dominicos ac Pentecostes dies exciperent : « Namque, inquit, Dominicas omnes festas hilaresque sanxit Ecclesia, nec ulla jejunia celebrat. Absurdum est enim jejunare Dominica die... Nec ipsius quidem Quadragesimæ Dominicis jejunare solet Ecclesia. » Contra idem sanctus, hær. 75, n. 3, Aerianos merito reprehendit, quod stulta libertatis ostentatione, « Dominica die potius jejunare affectent, quarta vero et sexta feria vescantur. » Neque minus vani nostra ætate heterodoxi, qui christianam ponunt libertatem in contemnendis abstinentiæ jejuniorumque legibus, quas a Christo ejusque Apostolis edocta Ecclesia sapienter instituit. Ipsa est, quæ dum fideles ad jejunandum vel adhortationibus vel præceptis excitavit, semper excepit Dominicum diem, non ut eos a gentilibus secerneret, sed ut resurrectionis dominicæ diem numquam non festive celebrandum doceret. Falso igitur Melchiades, ne quis Dominico die jejunium ageret, decrevisse ponitur. Neque minus falso idem de feria quinta constituisse in libro Pontificali narratur.

24. Numquam ea fuit christianorum erga feriam quintam religio, qua hoc die jejunare prohiberentur. Tantum invaluit mos, ut cum alii feriis quarta et sexta, alii sexta et sabbato jejunarent, plerique feria quinta, quæ diebus illis jejunio consecratis vicina est, sibi a jejunio abstinendum censerent. Hinc apostolicæ constitutiones (*lib.* v, *c.* 24) ab hypocritarum, qui singularia semper affectant, more nos dehortantes præcipiunt : « Jejunia vero nostra ne sint cum hypocritis communia ; jejunant enim secunda feria et quinta. » Et Augustinus, epist. 36, Romani

Digitized by Google

cujusdam, qui hebdomadæ cujusque sex diebus jejunandum esse contendebat, scriptum refellens, num. 9 ait : « Apud Romanos omnibus istis sex diebus, præter paucissimos clericos aut monachos, quotusquisque invenitur, qui frequentet quotidiana jejunia? maxime quia ibi jejunandum quinta feria non videtur. » Unde colligere est, Romæ quidem vulgarem obtinuisse opinionem, qua feria quinta non jejunandum esse putaretur, sed nullam ea de re legem exstitisse, immo Augustini ævo ibi a nonnullis tum monachis tum clericis cum laude celebrata esse quotidiana sex dierum jejunia.

25. Certe non modo ex Cassiano, coll. 21, c. 24, sed ex Gregorio papa constat, etiam Romæ quintis Quadragesimæ feriis intermissa non fuisse jejunia. Sic porro Gregorius homil. 16, in Evangel., loquitur : « Sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt, ex quibus, dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam sex et triginta remanent. » Ibi enim abstinentiæ nomen pro jejunio usurpari nemo non videt : cum ideo sex subtrahantur Dominici dies, non quia iis diebus carnis abstinentia, sed quia jejunium intermittatur. Quocirca Gregorius horum triginta sex dierum jejunio anni nostri decimas offerre nos Deo docet. Hinc luculenter confutatur quod Walafridus Strabo cap. 20, et ex eo Micrologus cap. 50, libro Pontificali atque spuria Melchiadis epistola decepti scribunt : « Melchiades Romæ præsulatum agens, statuit ut nulla ratione Dominica aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret. Pagani enim his diebus quasi jejunia frequentabant. Ideo B. Gregorius in dispositione officiorum anni, infra quadragesimam, quintam feriam vacantem demisit; ut quia festiva erat veluti Dominica, etiam officio diei Dominicæ celebris haberetur. Quæ quinta feria quoniam postmodum cœpit ut cæteræ, jejuniis applicari; Gregorius junior statuit eam Missis et orationibus esse solemnem. » Istud porro aiunt, vita fulti Gregorii II, qui junior appellari tum solebat, ubi apud Anastasium legimus : « Hic quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque Missarum celebritas fieret in ecclesiis, quod non agebatur, instituit. » Sed et hoc loco convincuntur Walafridus ac Micrologus ex præconcepta opinione potius, quam ulla auctoritate dixisse feria quinta Missam e Dominica fuisse repetitam; cum hoc die, nullam ante Gregorium II, agi consuevisse istinc doceamur. Ita error errorem facile parit.

26. Ad jejunium quod attinet, nullam S. Benedictus noverat legem, quæ illud feria quinta servari prohiberet. Quippe regulæ suæ capite 41 continuum ad sanctum usque Pascha jejunium præscribens, feriam quintam non excipit. S. Isidorus Hispalensis, Reg. cap. 10, quotidiana per totum annum jejunia, solis Dominicis exceptis, ad imitationem patrum permittit. Postea quidem Magistri Regula, cap. 27, 28 et 53, feriis quintis jejunium remisit; sed ab hac remissione quintas quadragesimæ ferias excipi voluit. Neque vero prædictæ remissionis hanc dedit rationem, quia feria quinta solemne apud paganos jejunium sit, sed « quia adscensa Domini ipso die omni anno occurrit, » hoc est quia eum diem Dominus suo in cœlum adscensu consecravit. Sane ab hoc die mœrori ac jejuniis consecrando, procul aberant pagani, quibus eumdem in honore Jovis festivum agere solemne erat. Quocirca christianos quosdam, quos ad perversam eorum imitationem diabolus seduxerat, Cæsarius Arelatensis episcopus, apud Augustinum, append. t. v, serm. 265, n. 5, vehementer corripit his verbis : « Quia audivimus quod aliquos viros vel mulieres ita diabolus circumveniat, ut quinta feria nec viri opera faciant, nec mulieres lanificium, coram Deo et sanctis angelis contestamur, quia quicumque hoc observare voluerint, nisi per prolixam et duram pœnitentiam tale sacrilegium emendaverint, etc. » Eamdem rem concilium Narbonense, anno 589 habitum, quam indigne ferret, can. 15, aperuit his verbis : « Ad nos pervenit, quosdam de populis catholicæ fidei exsecrabili ritu diem quintam feriam, qui et dicitur Jovis, multos excolere, et operationem non facere. Quam rem pro Dei timore exsecrantes, etc. » Neque vero Patribus tantopere displicuit ille mos nisi quia ab impia gentilium superstitione derivatus esset. Ad eum igitur abolendum, feria quinta potius jejunia indicenda erant, quomodo iisdem temporibus in kalendis Januariis eamdem ob causam factum est, quam prohibenda.

27. Decretum alterum in libro Pontificali expressum est in hunc modum : « Hic fecit ut oblationes consecratæ per ecclesias ex consecratu episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. » Cui decreto simile est illud quod idem liber Siricio attribuit: « Hic constituit, ut nullus presbyter Missas celebraret per hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. » Quamquam in Bollandiano libri Pontificalis exemplari, ut et in Fossatensi, nunc Colbertino, idem Siricii decretum simpliciter ita effertur : « Constituit ut sine consecrato episcopi, loci cujuslibet presbyteris non liceret consecrari. » Ubi nisi legamus consecrare, hoc decretum ad presbyterorum consecrationem referendum videbitur : quod aliquando factum esse ignoramus. Hoc tantum novimus olim nonnullis in ecclesiis usu receptum fuisse, ut presbyteri post ordinationem suam ab episcopo suo Dominici corporis acciperent portiones, de quibus certo dierum numero communionem percipierent. Quocirca in antiquo Pontificali Suessionensi apud nostrum Edmundum Martene, de antiq. Eccl. Rit., t. II, p. 322, istud edicitur : « Debent presbyteri portiones Dominici corporis ab episcopo accipere, de quibus percipiant communionem per quadraginta dies. » Et in antiquo Ordine Romano novitiis presbyteris præscribitur, ut ex data sibi oblata consecrata communicent usque septem dies. Verum, ex auctioribus libri Pontificalis codicibus, corrigendi videntur Bollandianus atque Fossatensis adeo ut in eis legatur *consecrare*, non *consecrari*,

Digitized by Google

idque de consecratione eucharistiæ seu Missarum celebratione intelligatur. Sed neque hinc conficitur, oblationis ab episcopo consecratæ portiones per ecclesias ac titulos mittendi morem falso ad Melchiadem ut ad ejus auctorem referri : cum in eodem libro Romani pontifices id interdum constituisse dicantur, non quod instituerint primi, sed quod dumtaxat confirmarint. Nam ut a Siricio non recedamus, secundum hunc librum, « constituit hæreticos sub manus impositione recipi et reconciliari, » quia epist. 1, ad Himer., cap. 1, confirmat, quod jam Stephanus traditionis auctoritate vindicarat.

28. Ut ut est, prædictum fermenti per ecclesias mittendi usum Innocentio antiquiorem esse constat ex his quæ idem papa epist. 25, ad Decentium, n. 8, scribit : « De fermento vero, quod die Dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti : cum omnes ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ. Quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiant, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per parochias (extra urbem constitutas) fieri debere non puto : quia nec longe portanda sunt sacramenta. Nec nos per cœmeteria diversa constitutis presbyteris destinamus. » Unde apparet id, quod in libro Pontificali dicitur : « cujuslibet loci presbyteris, nisi consecratum episcopi susceperint, per hebdomadam, » Missas celebrare seu consecrare non licere, minime accuratum esse ; cum hoc non de quibuslibet, sed tantum de presbyteris in urbe constitutis, et quidem sola die Dominica, decretum sit. Præterea hunc usum ideo, ut presbyterorum cum episcopo suo communionis indicium esset, inductum esse Innocentius palam indicat. Hinc eucharistia sic missa cur fermenti nomine donata sit, satis intelligitur. Fermenti quippe vicem gerebat, quatenus ecclesias ad quas mittebatur, sicut fermentum massam cui commiscetur, cum episcopo suo in uno Christi corpore copulabat atque uniebat. Porro istam oblationis ab episcopis consecratæ particulam a presbyteris in calicem tunc missam esse, cum in Missa dicebant : « Pax Domini sit semper vobiscum, » hoc est, eo ipso tempore, quo etiam nunc hostiæ consecratæ minor particula in calicem a presbyteris demittitur, ex antiquis glossis in Decretales a Mabillonio nostro, Analect. t. IV, pag. 60, citatis comperimus.

RHETICII, EPISCOPI ÆDUENSIS,

DICTUM DE BAPTISMO.

Rheticium (inquit S. Augustinus), ab Augustoduno episcopum, magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia tempore episcopatus sui, gesta illa ecclesiastica, nobis indicant, quando in urbe Roma, Melchiade apostolicæ sedis episcopo præsidente, cum aliis judex interfuit, Donatumque damnavit, qui prior auctor Donatistarum schismatis fuit, et Cæcilianum, episcopum Ecclesiæ Carthaginensis, absolvit. Is, cum de baptismo ageret, ita locutus est :

« Hanc igitur principalem esse in Ecclesia indulgentiam neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, et ignorantiæ nostræ facinora prisca debemus, ubi et veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus. »

ANONYMI

CARMEN

DE LAUDIBUS DOMINI.

Quis queritur sera virtutis dote juvari?
Quis promissa Dei lento procedere passu?
Quis fine humano metitur judicis urnam
Perpetui, tardumque putat quod sæcula debent
Accelerare diem, meritis qui præmia reddat?
Nobilis ingenti testatur gloria facto.
Nam qua stagnanti prælabitur agmine ripas
Tardus Arar, pigrumque diu vix explicat amnem,
Qua fratrum Rheno progignitur Hedua pubes.

D Conjugium memini [a] summa pietate fideque :
Lex divina tamen meritum cumulabat amoris.
Et votum ambobus, socium præcedere morte,
Mœrorique pio curam mandare sepulcri :
Sed prior uxorem decreti pagina legit.
Tunc vir sollicitus largo jubet ore cavari,
Post mortem fiunt quæ membris hospita saxa :
Suscipies veniens, æternaque fœdera junges ;
Ut quos viventes tenuisset lectulus idem,

[a] Celebrat auctor conjugium S. Rheticii, qui deinceps ad episcopatum Augustodunensem fuit evectus. Qua de re Gregorius Turonensis lib. *de Glor. Confessor.*, cap. 72.

Digitized by Google

Post præcepta Dei, bustum commune levaret.
Sensit vota sui conjux præsaga mariti,
Magnaque temporibus tribuit miracula castis.
Nam cum defunctis jungantur brachia membris,
Et repetita manus constringat vincula trunco,
Ne quibus humanæ complentur munera vitæ,
Accidat informis fluitatio dissociatis.
Immensum dictu, quo tempore vita peracta est,
Jungendus sociæ prospecta sede maritus.
Postquam morte viri reserata est janua leti,
Horrendumque larem jam lux ingrata retexit:
Deprænsa est lævam protendens femina palmam,
Invitans socium gestu viventis amoris.
Quis dedit affectum tumulo? quis vincula solvit?
Unde sepulta videt venturæ conjugis umbram?
Tu facis hæc, tu Christe Deus, tua signa moventur,
Paulatimque doces sopita resurgere membra:
Tu quem venturum sancti cecinere prophetæ,
Incorrupta Dei soboles, rectorque regentis,
Quo sine nil magnum genitor deliberat ingens.
Cujus ad imperium certis mare constitit oris,
Nec licet immenso terris excurrere ponto,
Planaque montanos includunt littora fluctus:
Qui vario stabilem dotasti munere terram
In nostros usus, largus pietate paterna.
Te vade, mortales committunt semina sulcis,
Et novus arenti procedit cespite partus.
Tu manare jubes secundo nectare vites:
Tu gratos epulis hominum, medicosque saluti
Arboribus succos: tu trudis dulcia mella.
Tu servire jubes homini genus omne animantum,
Insuper et gravibus lucos curvescere pomis,
Atque novos reditus nullo de semine nasci.
Tu varios amnes nostro prodesse labori,
Et renovare sacris benedictum fontibus ævum.
Te duce velivolis patuerunt æquora rostris,
Divisosque fretis lustravit navita portus.
Tu postquam certis sunt acta elementa figuris,
Ne torpere rudi cœlestis machina vultu
Inciperet, vario signasti munere mundum:
Et quidquid cœlo radiat, tua dextera finxit.
His aulam Domini placuit contexere signis.
Jam freta ne nullis agerentur inhospita terris,
Assiduumque alacer numeraret navita portum:
Crebra satis tumido defigitur insula ponto;
Nec tamen insano metuit circumdata fluctu,
Exiguoque fretis innitens orbe resistit,
Te duce confidens; cujus venerabile pactum
Nexum lege pari summumque imumque peræquat,
Nec sinit impositos quoquam transcendere fines.
Ac ne plana nimis tellus vel nuda jaceret,
Vitibus aptandos jussisti assurgere colles
Grandibus, et largos umbracula texere lucos.
Tum ne vastus agat silvis torpentibus horror,
Innumeros fetus proceris tu saltibus addis:
Incola ne nemori, neu desit præda petenti.
Tum volucres multas, tum mille examina vocum
Mortali harmonia lucis resonare canoris:
Sic annum placuit variis intexere formis,

A Et vice jucunda mortalibus addere fructum:
Neu semper prolixa dies nimis ureret orbem,
Neu brevis invisum raperet nascentibus ignem.
Ac ne perpetuo quateret labor omnia nisu,
Dat requiem fessis hominum nox roscida curis:
Utque humana salus securum duceret ævum,
Sponte salutares de cespite surgitis herbæ.
Has Pater ipse serit nutu, non vomere dives.
Non ego ferrato tegerer si viscera muro,
Ferrea vox linguæque forent mihi mille canenti,
Munera cuncta queam vestræ pietatis obire.
Sed Pater ille tuus secreta in sede locatus,
Nec cuiquam visu facilis, cunctisque tremendus
Te misit Dominum terris vitæque magistrum.
Et quisquis natum justo veneratur honore,
B Ambobus sua vota dicat vitamque perennem.
Tu casti rectique tenax, et flectere leges
Post crimen facilis, si quem vecordia præceps
Depulit a vobis præscripto limite vitæ.
Te genitor nostra, paterentur ut ora tueri,
Induit humana facie membrisque caducis.
Quis tentaret enim fragiles attollere visus,
Si talem trepidis voluisset sistere terris,
Qualis es, ingenti cum torques fulmina dextra,
Præsentemque jubes directa pavescere pœnam:
Vel cum placatus, campis sitientibus imbres
Dividis, et dubias sulcis producis aristas?
Ne tamen insignem res nulla ostenderet ortum,
Virgine conciperis: non sufficit esse pudicam,
Nec quæ nupta queat Domino conjungere fratrem,
C Ne procul ex utero contagio turpis abesset.
Mox ubi processu felix maturuit ætas,
Indociles animos monitis servare paternis
Aggrederis, rectamque viam labentibus offers.
Atque ut missa Deo penitus præcepta paterent,
Imperium tu morti adimis, morboque soluto
Desperata jubes apprendere munia vitæ,
Restituisque diem cæcis: et ne quid inausum
Restaret penitus, quod perfidus error obiret,
Indicis sensum tumulis, et condita pridem
Membra jubes iterum superas consurgere in auras,
Agnoscuntque suum dilecta cadavera nomen.
At postquam legem sectator idoneus hausit,
Ut se mortali cœlestis spiritus aula
Exueret, legi intentum quo cuncta doceres
D Pro summo toleranda Deo, recteque perennem
Contemptu mortis sibi quemque assumere vitam:
Sic completa ferens genitoris jussa, redisti
Ad summi secreta poli, qua lucidus æther
Pigra vetat proprio succendere nubila cœlo.
Atque ut certa foret pereuntis copia turbæ,
Quæ præcepta Dei miserandis auribus arcet,
Nec nova defunctos jampridem jura tenerent:
Carceris inferni feralia, libera nobis,
Innumeramque jubes tenebris emergere plebem,
Ilis tantum clausis, quos impia vita notarit:
Et loca pœnarum venturis dividis umbris,
Quæ tibi non credant, vel quæ se credere fingant.
Sancte Deus, summique Dei venerabile pignus,

Digitized by Google

Ad cujus nomen violenta morte fugatæ,
Pectoribus propriis alienaque pectora nactæ,
Exclamant, pallentque animæ, jussæque recedunt,
Sicut multa prius de te miracula produnt,
Cum terram cœlumque inter suspensa tenentur,
Obstricto per te quia nil permittitur hosti.

A At nunc tu Dominum meritis, pietate parentem,
Imperio facilem, vivendi lege magistrum,
Edictisque parem quæ lex tibi condita sancit:
Victorem lætumque pares mihi Constantinum:
Hoc melius fetu, terris nihil ante dedisti,
Nec dabis: exæquent utinam sua pignora patrem!

CELSI

IN ALTERCATIONEM JASONIS ET PAPISCI

PRÆFATIO

DE JUDAICA INCREDULITATE, AD VIGILIUM EPISCOPUM.

I. Etsi plurimos gentilium scio, Vigili sanctissime, ab ordine atque ratione veritatis aversos, quominus Dominum noscant, cæcitate mentis errare; tamen magis Judaicæ plebis insaniam novi adversus nomen Domini, pertinaci etiam nunc duritia cordis, ingenita et patrum iniquitate perstare; aversantes veram salutem, nec inquirentes vitæ æternæ datorem: ut qui delictis stirpis antiquæ sunt pari merito nequitiæ genitalis obnoxii, saltem vel sero credentes possint conversi ad Domini timorem satisfactione omni pœnitentiæ ab iniquitatibus liberari. Sed perstat et durat adhuc, et semper, puto, durabit ad usque progeniem succidaneam innata patrum irreligiosa perfidia; quæ adversus odium nominis Domini incredulitatis insania roborata, nec ad agnoscendam veritatem potest corrigi, nec ad timorem Dei ipsius monitis doceri atque suaderi. Cum autem doceat Dominus et ostendat, dicens (*Joan.*, VIII, 12): *Ego sum lumen sæculi: qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ:* quæ, malum, ratio est, ostensum divinitus vitæ lumen omittere, et mentis cæcitate malle tenebras mortis eligere, ut ostendat damnationis suæ propriæ voluntatis libera et illicita perditione, contra Deum etiam illa nolle quæ prosunt? Secundum quod et B per Domini vocem increpatam Hierusalem, quod colligi noluerit, Deo illam volente colligere, loquitur Spiritus sanctus, et bonitatem Dei manifestat peccatoribus subvenire jugiter velle (*Matth.*, XXIII, 37): *Hierusalem, Hierusalem quæ interficis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui colligere filios tuos, sicut gallina colligit filios suos sub axillas, et noluisti?* Adeo Dei voce manifeste perfidi populi contumacia denotatur, ut etiam salutem propriam suam semper adversus clementem misericordiam Domini sprevisse doceatur. Inde Propheta benevolentiam Dei, exhortatione prædicationis offerens et insinuans, proclamat et suadet, dicens (*Malach.* III, 7): *Revertimini ad me, et ego revertar ad vos, dicit Dominus.* C Alius quoque similiter misericordiam Domini sempiternam manere demonstrans, addidit dicens (*Ezech.*, XXXIII, 11): *Nolo mortem morientis, quantum ut revertatur et vivat, dicit Dominus.*

II. Quid est ergo reverti ad Dominum, quam in Christum credendo, per eum qui est via veniendi ad patrem, Deo reconciliatum posse salvari? Quomodo autem reverti ad Deum possunt, qui ei per quem est agnitio et reversio ad Deum, voluntatem Dei prædicanti credere noluerunt? Aut quomodo Deum satisfactione aliqua placare potuerint, qui eum qui est

ANNOTATIONES.

Etsi plurimos. Ante hæc verba legitur in cod. Colbertino 1453: *Cyprianus Vigilio fratri salutem.*

Tamen. Tunc in omnibus codd. mss. Paulo ante editi habent *adversos.*

Aversantes. Sic omnes codices mss. et paulo post *inquirentes:* editi *aversantis* et *inquirentis.* Paulo ante conjunctionem *et* addidi ante *patrum* ex cod. Remigiano.

Satisfactione. Remig., *Omnimoda satisfactione pœnitentiæ.*

Puto, durabit. Has voces addidimus ex cod. Rem.

Insania. Sic duo codices mss.; editi, *infamia.* Sic etiam *ad agnoscendam* in duobus codicibus mss.; *nosdam* editi.

Quæ, malum, ratio est. Aliter in duobus antiquis codicibus: *Hæc* (id est, Judæa) *maluit ratione ostensum divinitus lumen omittere, et mentis cæcitatem alere* D *et tenebras mortis eligere,* etc.

Libera et illicita perditione. Sic quatuor codices mss.; editi, *liberam,* etc.

Quæ prosunt. Aliter unus cod. ms., *quæ possunt.*

Deo illam. Sic quatuor codices mss.; editi, *Domino.*

Manifeste. Sic codd. tres melioris notæ: editi, *manifesta.*

Inde Propheta. Emendavimus auctoritate trium codd. mss. quod mendose antea legebatur; *Propheta item alius benevolentiam Dei exhortatione offerens, prædicatione insinuans.*

Alius quoque. Sic tres codices mss.; editi, *alias quoque similiter misericordiam suam Deus:* unus codex ms., *per alium.*

Ad Dominum. Has voces addidi ex cod. Remig. et paulo post *aliqua* ante *placare.*

Potuerint. Sic codex Remig.; editi, *potuerunt;* unus cod. ms., *poterunt.*

Digitized by Google

satisfactio et placatio pro nobis apud Patrem, sacrilega impugnatione persequi maluerunt? Si enim (I *Joan.*, II, 1) : *Advocatum Christum habemus apud Deum Patrem*, servare ea quæ nos docuit et monuit, quæque apud Patrem locuturus est, sollicito timore facere debemus. Igitur nos qui mente in Domini metum prona, mandatorum ejus monitis insistimus, et religiosi ac venerabilis cordis fidem et credulitatem de ejus timore concepimus; quid aliud sequi, quid cupere, quid magis velle ac tenere debemus, quam ut omni a nobis mentis antiquæ nocte discussa, et caligine vitæ prioris abstersa, mandatorum Domini salutarium memores ac vitæ æternæ promissa retinentes, ad ejus monita revertamur et in ipsius lumine quod ostendit, firmata credulitate gradiamur? ut qui ignari aliquando salutis futuræ, in erroribus implicati vitæ prioris ac tenebris aberravimus, illuminati nunc ejus veri luminis claritate, et ostenso nobis atque patefacto melioris vitæ limite, Domini mandata sequenda et gerenda teneamus.

III. Hoc lumen nobis vitæ salutaris exortum, hoc in reparationem hominis natum de Dei Patris procuratione ac miseratione præsidium, Magi primi ab orientali parte venientes, et stella duce Judæorum regem palam præscia prædicatione quærentes, afferentes etiam munera, testificata omnibus inquisitione monstrarunt. Et ne aliquibus quis ille esset, absconsum foret, inventum puerum procidentes genibus adorarunt; sicut testificatur Evangelium, dicens : *Cum autem natus esset Jesus in Bethleem Judæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt in Hierosolymam dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum ? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum* (*Matth.*, II, 1) : testificantes scilicet veritatem de eo, etiam stellam sibi signum atque indicium nativitatis ipsius esse monstratam; qua indice natum esse illum Magis prædicantibus et affirmantibus, Hierosolymis crederetur. Simeon quoque justus qui in cæcitate constitutus, divino monitus oraculo audierat se non ante moriturum quam vidisset Christum; cum in templum, omni populo præsente, infantem secum inferret mater, et in spiritu natum esse Christum sensisset, acceptum in manus puerum vidit; et benedicens Deum, in conspectu et auditu omnium dixit (*Luc.*, II, 29) : *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace : quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* Simeon quod cæcus audierat, evidenti veritate perfectum esse annuntiabat; et veritatem quam accepto lumine viderat, benedicendo palam Deum populo prædicabat. Ad hoc enim viderat ut referret, et revelatione sua quod Christus natus fuisset, ostenderet, et perfidi populi initia prima incredulitatis instrueret.

IV. Nec hoc solum testimonium de eo Scripturarum cœlestium veritas perhibet, verum et per prophetas ante Spiritus sanctus adventum ejus in hunc mundum futurum, palam mente omnium conscientе prædicavit. Nec est obtentus excusationis incredulis, vel ignorasse Dei filium Christum, vel ignorasse Dei filium Christum, vel nescisse futurum Salvatoris adventum; sicut David manifestat, dicens (Psal. XVIII, 3, 6) : *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Non sunt sermones nec verba, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et trans fines terræ fines eorum. In sole posuit tabernaculum suum :* id est, in manifesta luce, palam se ipsum venisse monstravit; et per prædicationem prophetarum quodammodo omnibus suæ præsentiæ ostensionem comprobavit. Hoc etiam Esaias, per quem Dominus præsentiam suam clara annuntiationis manifestatione monstravit, prophetat et dicit (*Isa.*, III, 6) : *Ego ipse qui loquebar, veni :* id est, qui per prophetas ante adventum meum futurum prælocutus fueram, ipse nunc veni, ut omnibus præsentiam meam ipse ego testis mei manifestem. Quid evidentius? Quid hac luce præclarius? Quid verius potest dici? Ut ergo oculis quodam modo perspectus esset; se venisse, ipse qui fuerat jam venturus, antequam veniret ostendit; et incredulitate mentes populi perfidi obstruente, venientem nemo cognovit. Sicut idem Esaias in prima increpatione populi proclamat dicens (*Isa.*, I, 3) : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepium domini sui : Israel autem me nesciit et plebs me non intellexit.* Palam cunctis, sicut ipse prædixit, apparuit; et sedentibus in tenebris manifestum vitæ lumen effulsit; et injustitia perfidorum pectus obsessum, postposita propria ac rejecta salute, tenebras potius cæcitatemque cordis elegit.

V. Frequentat ubique atque manifestat prophetatio cunctorum, qui sancto Spiritu præmo-

ANNOTATIONES.

Apud Patrem. Sic codex Remigianus cum alio; editi, *ad Patrem;* quidam codices mss., *locutus est.*

Fidem et credulitatem. Sic emendavi auctoritate cod. Remig.; editi, *fide, credulitatem.* Paulo post *concepimus* et *revertamur* ex eodem cod. et nonnullis aliis, pro eo quod est in editis *concipimus* et *vertamur.*

Foret. Hanc vocem addidi ex Remig.; alius, *esset.*

Esse illum. Has voces addidi ex Remig. Paulo post *crederetur* in quatuor codicibus mss.; *crederent* in edit.

Divino monitus oraculo. Sic Remig.; alius. *divino responso monitus;* editi, *divino monitu.*

Inferret. Sic Remig. cum alio : editi, *ferret.*

Perfectum esse annuntiabat. Sic Remig.; editi, *perfectum est.*

In manifesta luce. Sic Remig.; *in manifesto in luce* edit.

Per prædicationem. Editi, *et prædicatione per prophetas sui ostensione quodammodo omnibus suam præsentiam probavit.* Hæc et quæ sequuntur usque ad has voces, *et incredulitate*, emendavi auctoritate codicis Remig., cui alii magna ex parte consentiunt.

Mentes. Sic Pamelius; plerique codices mss., *mentis;* deest in accuratissimo codice Remig.: unde conjicio hanc vocem, quæ per se inutilis est, expungendam esse. Paulo post *populi* ex eodem cod. et aliis quatuor; editi, *populo.*

Injustitia. Sic Remig. cum duobus aliis : editi, *justitia.* Paulo post *cæcitatemque cordis* ex eodem codice posuimus pro *cæcitate cordis.*

Frequentat, etc. Sic Remig. cum plerisque aliis; editi, *frequentatur.*

Sancto Spiritu. Desunt hæc verba in Remig.

Digitized by Google

nente adventus Domini metatores esse sortiti sunt. Hoc lumen sæculo datum, et diem nobis salutis exortum vivificandis quoque in eum credentibus destinatum docet in Psalmis Spiritus sanctus et ostendit dicens (*Psal.* CXVII, 22-24) : *Lapis quem reprobaverunt ædicantes, hic factus est in caput anguli : a Domino factus est iste, et est admirabilis in oculis nostris ; iste dies est quem fecit Dominus : ambulemus et jucundemur in eo.* In hoc die nos ambulare Paulus quoque apostolus præcipiens et docens ac præmonens, dicit (*Rom.*, XIII, 11-13). *Nunc enim propius est nobis salus quam cum credidimus : nox præcessit; dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis : sicut in die honeste ambulemus :* id est, in Christo et mandatis ejus, cujus lumine ac monitis luminati, et in claritate diei ejus inventi, proximam nobis salutem credula in eum mente conspicimus.

VI. Solem quoque esse Christum cunctis timentibus eum, Malachias propheta testatur et promittit, dicens (*Malach.*, IV, 2.) *Vobis autem timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ, et sanitas in alis ejus* : ostendens ex nullo nobis salutem posse conferri, nisi in passione crucis ejus, qua extendens manus cuncta sæculi salvaturus amplexus est, ut converso ad eum timore credamus æternitatem vitæ et spe futuri regni ejus animemur. Quis enim tam stolidus ac demens, quis sic ab intellectu suæ salutis alienus, qui tot et tantis veritatis testimoniis incredulus non adversus meram fidem obduratum pectus intellectu veritatis emolliat, et tenebris vitæ quondam mortalis exutus, in lumine præceptorum cœlestium gradiens, ad divina monita et Domini salutaria gerenda mandata, illuminato corde, tota mentis ac fidei credulitate convertat? ut quem prophetæ prædicaverunt, Deum noscat; ut Christum qui se palam mundo venisse monstravit, intelligat; ut Scripturis divinitus testificantibus, Dei Filium et Deum credat. Sicut ipse, quæ sit vita æterna manifestat dicens (*Joan.*, XVII, 3) : *Hæc est autem*, ait, *vita æterna, ut cognoscant te solum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* : docens atque ostendens, nihil aliud esse Deum nosse, quam credere, et oculos cordis in Dominum prona, immo tota pectoris fide et devotione mentis aperire. Inde jam fit ut credendo intelligas, intelligendo quod credis, illuminato corde conspicias ; sicut idem ipse Dominus et per Esaiam monet, dicens (*Isa.*, VII, 9) : *Si non credideritis, nec intelligetis.* Tam facilis et præstans et larga est atque abundans de Domini pietate clementia, ut si quis semel sese ad eum toto timore converterit; ad cœleste munus admissus, statim mens ejus non jam nisi ad divina pateat, et ad cœlum ac superna oculos cordis attolens, Christi lumen ac patriam salutis aspiciat.

VII. Exemplum ac documentum nostri timoris et fidei, ex ipsius Abrahæ patriarchæ fideli credulitate monstratur, qui repromissioni Dei mente simplici statim credidit; et ideo ad justitiam deputari ei condigna remuneratione commeruit. Hoc Deus diligit, hoc appetit, hoc in servis suis benignus remunerat et honorat; simplicitatem videlicet mundi cordis quo eum cernimus, timorem dilectionis Domini quo probamur, credulam fidem mentis qua justitiæ deputamur. Hanc fidem sequi, hunc Dei timorem servare nos convenit; qui custodientes verba cœlestia, et sperantes promissa divina, filii Abrahæ meruimus nuncupari. Quod apostoli Pauli qui Dei voce vas electionis est dictus, contestatione firmatur dicentis (*Gal.*, III, 6, 7) : *Sic Abraham credidit Deo, et accepto latum est ei ad justitiam. Cognoscite ergo, quoniam qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ.* Hoc Judaicus populus cui a primordio legis monita loquebantur, incredulæ mentis duritia et perfidi cordis insania servare noluit; et ideo pro diffidentiæ merito, filiorum nomen amisit. Non tamen omnium perfidæ gentis, adversus nomen Domini, quominus intelligerent veritatem, odio obdurata mens est. Etiamque Spiritus sanctus, id est, Christus Dominus noster profectus ex Deo Patre venit ut salvum faceret quod perierat Israelis; qui major ac fortior ad subigenda contumacium colla in timorem sui nominis et potestatem, eos qui adversus luminis sui claritatem, obstinata etiam tunc mentis cæcitate durabant, ad notitiam claritatis et gloriæ suæ tam facile convertit; quam ut omnes salvos faceret providentia suæ divinæ misericordiæ dignatus advenit.

VIII. Nam ut duri cordis tunc et impiæ plebis ad Domini metum, ipso Domino evangelizante, conversas mentes sileam; ut Apostolorum ejus prædicatione multiplicatum in toto orbe et reversum credentium populum conticescam : illud præclarum atque memorabile gloriosumque Jasonis Hebræi Christiani, et

ANNOTATIONES.

et duobus aliis ; *præmonente* in eodem codice, ex quo etiam sequentem periodum in editis corruptam emendavimus.

Factus est iste. Sic Remig. et alii duo : *factum est istud* editi.

Credula. Sic Remig.; editi, *credulitatis.*

Cuncta sæculi. Aliter in quodam codice Baluzii, nunc bibliothecæ Regiæ, *cuncta sæcula complexus est.* Quæ sequuntur emendata auctoritate cod. Remig., cui alius ex parte consentit. Sic legebatur apud Morel.: *converso* (Pamel. *ergo*) *ad eum timore credamus et ad æternitatem vitæ spei futuri.*, etc.

Adversus meram. Sic Remig. eum duobus aliis, quorum alter habet *adversus veram fidem* ; editi, *adversus in meram* vel *in veram.*

Tota. Remig. et alius, *toto,* videlicet corde toto. Paulo post, *quæ sit vita :* Remig., *qui sit ;* alius, *quid sit.*

Et devotione. In hac verborum complexione et in sequentibus codicem Remig. accurate sequimur, ac multa emendamus ; velut quod vitiose in editis legebatur, *tota pectoris fide devotæ mentis :* et non multo post, *Christi lumen partæ jam salutis aspiciat.*

Videlicet. Addidimus ex Remig. Paulo post ex eodem, *quo eum cernimus,* pro eo quod erat in editis, *quo quidem ejus cernimus.*

Accepto latum est. Mandato reputatum est Remig.

Obdurata. Sic Remig.; editi, *durata.*

Spiritus sanctus. Aliter in Remig., *Dominus enim Christus, Dei Filius, Dominus noster, qui profectus.*

Dignatus. Ac dignatione Remig.

Digitized by Google

Papisci Alexandrini Judæi disceptationis occurrit; Judaici cordis obstinatam duritiam, brevi admonitione ac leni increpatione mollitam; et victricem in Papisci corde Jasonis de Spiritus sancti infusione doctrinam: qua Papiscus ad intellectum veritatis admissus, et ad timorem Domini, ipso Domino miserante, formatus, et Jesum Christum Filium Dei credidit, et ut signaculum sumeret deprecatus, Jasonem postulavit. Probat hoc scriptura concertationis ipsorum, quæ collidentium inter se, Papisci adversantis veritati, et Jasonis asserentis et vindicantis, dispositionem et plenitudinem Christi, Græci sermonis opere signata est: ad cujus translationem ad intellectum Latinum, animante Dei ope et juvantis fidei firmitate, servata verborum proprietate, intrepidus accessi; et his qui ab intellectu Græcæ docilitatis alieni sunt, interpretata integra et significatione verborum, et intellectus omnis ac veritatis manifestatione patefacta, Romani sermonis ratione discussa, disserui. Cujus laboris probationem tibi, charissime, qui utriusque linguæ instructione fundatus es, impensa petitione committo: ut qui sancti Spiritus veneratione verecundus es, collata utriusque operis lectione, audaciam verecundæ temeritatis explores; et examine judicii tui, quæ minus a nobis vel improprie forte digesta sunt, auctoritate Spiritus sancti qui in pectus tuum inundatione gratiæ cœlestis influxit, comprobes et emendes; sitque ad te de ista lectione ab humilitate nostra mandata legatio, et insinuanda tibi in nos prima dilectionis petitio; ut parvitatem fidei meæ, cum discipulorum tuorum instructione atque eruditione conjungas; et me quem in alia parte hujus provinciæ constitutum propter visendos vultus tuos non itineris longinquitas terruit, nec senium ac difficultas fatigati ac fessi jam corporis retardavit, sed animante famulatu Domini, et urgente festinata cupiditate properandi, contempta quoque omni tribulatione inopiæ atque penuriæ, quantacumque virium facultate veniendi sanctimoniæ tuæ celebris huc fama perduxit, ad proximam dilectionis tuæ charitatem cum unanimitate fraternitatis admittas; et amori tuo quem discipulis suis Dominus hæreditatis titulo reliquit, conjungas pariter et adsciscas; ut expectem pariter cum fratribus in apertione oris tui splendorem gratiæ luminis Christi. Tu enim sequeris in tractatibus tuis lumen vitæ, quod Dominus ostendit, quod Christus adveniens æternam se esse vitam monstravit.

IX. Certe quam mihi læta illa, quam exoptabilis dies est, cum misericordia Domini ac favore accersitione dilata, senectam istam meam proferre contigerit; ut et orationibus sanctorum impense et jugiter deprecantium Dominum conjungi merear, ut Christi martyrem videam, ut coronam justitiæ quæ tibi penes Dominum deposita est, portare conspiciam. Non autem putaveris martyrii tibi, secundum præsens votum fidei, gloriam tribui. Tunc inde felicitatis hujus collata dignatio est; tunc judicio justo Dominus elegit destinatum martyrem, cum te exemptum de justorum grege atque assumptum sibi de inopinato constituit altari suo sacerdotem. Præclara prorsus et gloriosa vocationis electio, et de Domini dignatione nova atque inaudita et mira felicitas: transmarinæ peregrinationis necessitatibus occupatum, ad destinatum tibi munus, ignarum ac nescium repente venisse: atque ita regressus tui tempus ad hoc esse libratum, ut inspirata celeritate veniendi, intelligeres atque dignosceres honorem sacerdotii cœlestis inter cæteros tibi potissimum destinatum, et quod jussione Domini exspectatus venires atque occurreres, reservatum. Ut enim Ecclesiæ suæ Dominus tota miserationis pietate consuleret, dimicantis plebis mora, quem potius eligeret episcopum, te quærenti populo suo Christus inopinatum repente obtulit, et complacitum sibi cœlestis providentia, manifeste adventus tui improvisa occursione monstravit: et documentum repentini ac pernicis occursus, procurationem Dei voluntatis ostendit; ut quod difficili expeditione potuisset occurrere, facili celeritate perfectum sit urgentis Domini jussione; et ut prius te in Ecclesia Dei episcopum stare conspiceres et stupores, quam venisse dignoscereris.

X. Inde dilectionem jam tecum suam Dominus initiata charitate firmavit; inde amicitiam tecum, quam discipulis suis sub triumpho crucis suæ tradidit dedicavitque, dicens (*Joan.* xv, 14): *Si feceritis quæ mando vobis, jam non dico vos servos, sed amicos;* inde martyrium, inde sacerdotii electionem signavit. Magna amicitia est, per quam ad Christi vultus admitteris, extraordinaria hostia pervenire. Sic eliguntur justi, sic probantur religiosi ac simplices in Christi timore electi; ut ante remunerationi fidei destineris, ante præmio devotæ menti, in Domino dignus habearis, quam venerit hora decreti, quam exceperis sententiam Christi, probatam te et paratam hostiam

ANNOTATIONES.

Brevi admonitione. Sic Remig.; editi, *Hebræa admonitione.*

Fidei juvantis. Sic Remig. et alius; editi, *viventis.*

Famulatu. Sic Remig.; editi, *stimulatu.*

Ad proximam. Sic idem; editi, *ad permixtam.* Paulo post ex eodem legimus *ut exspectem*, pro eo quod est in editis *expertum*; et *tu enim sequeris* pro *sequar*; et *vitam se esse* pro *vitam esse.*

Misericordia Domini ac favore. Sic Remig.; editi, *misericordiæ Domini favore.*

Conjungi merear, ut. Hæc addita ex eodem codice.

Fidei. Editi addunt *nostræ;* quidam codices mss., *vestræ;* neutrum in Remig. Paulo post, *de inopinato* in Remig. et aliis duobus.

Altari suo. Sic Remig.; deest *suo* in editis.

Inspirata. Sic Remig. et Sorbon.; editi, *insperata.*

Reservatum. Ut enim. Sic Remig. et alii tres; *reservatus ut* in editis.

Dimicantis plebis. Remig.; *dimicationis* editi.

Pernicis. Remig. cum quatuor aliis; *perennis* editi.

Urgentis. Ita Remig. cum tribus aliis; *urgente* editi.

Dignoscereris. Sic Remig.; editi, *dignosceris.*

Sub triumpho. Sic codices mss. et Morel.; *cum triumpho* Pamel.

Magna. Hanc vocem addimus ex cod. Remig. Idem cum alio habet *pervenire*; editi, *perveni.*

In Christi timore. Sic codices mss.; *in Christum* editi.

Digitized by Google

electio cœlestis inveniat. Etenim ille te, qui non mendax est Deus, qui episcopum plebi suæ de improviso constituit, ille plena dilectione suæ voluntatis te coronabit. Tunc tantum ut nostri memineris petimus, et oramus, cum pudice allectionis Domini probata atque immaculata hostia, ante Christi tribunal adstiteris, cum gloria gratiæ Dei, præmium devotæ mentis ac remunerationem acceperis; memoriæ hæreat, et tenaciter in sensibus tuis maneat, quam nobis impertire dignaris, dilectio charitatis; ut orationibus tuis peccata nostra veniam consequantur, ut meritis justitiæ tuæ, vitæ nostræ delicta purgentur. Etenim martyrii A instar esse confido, peccatorem justi petitione meruisse salvari: ut et, cum ipse promereri quid precibus tuis minus possis, martyris meritis libereris. Sic Job justus pro amicorum trium peccatis a Deo rogaturus et impetraturus ostenditur, et probatio timoris ejus et fidei Domini voce teste signatur. Cum ergo in die liberationis tuæ, charissime, repræsentare te Christi vultibus cœperis; cum in æternitatem perpetuitatemque videndi regnare cum Christo felici sorte successeris: pro Domini misericordia in mente jam habe puerum tuum Celsum, sanctissime.

ANNOTATIONES.

Pudice. Sic Remig.; non male in alio, *pudicæ;* editi, *pudicitia.* Auctoritate ejusdem cod. Remig. et aliorum nonnullorum legimus *tenaciter* pro *teneas ut*, et *promereri* pro *promovere*, et alia nonnulla emendamus.

Justi petitione. Sic Remig. *justi martyris* edit. et paulo post, *martyris precibus* in eod. Remig.

Celsum. Cœcilium cod. Remig.

PRÆFATIO

NICOLAI LENGLET DUFRESNOY (1)

IN LACTANTIUM.

I. Jamdudum expectant eruditi emendatiorem atque perfectiorem, quam antehac, Lactantianorum operum editionem. Hanc publici juris facimus, atque id curavimus, ut textus sit emendatissimus; notæ vero non ad ostentationem, sed ad utilitatem referantur. Ne putes tamen, lector erudite, hæc omnia soli meæ curæ deberi. In mentem equidem mihi anno 1707 venerat hanc operam in me suscipere, ut otium quod erat mihi a seriis negotiis, quibus detinebar insulis Flandrorum in aula Bavarico-Coloniensi, hoc studio exercerem; omnes fere Lactantii editiones congesseram, atque manuscriptos quosdam, tum in Belgio, tum antea Parisiis contuleram; notas item plurimas assiduo labore confectas et undique conquisitas in unum coacervaveram.

II. Sed quo tempore hæc animo versabam, et manum admovebam, ut ad finem operis properarem, nunciatum mihi fuit, Joannem Baptistam le Brun Rothomagensem, Aureliæ ad Ligerim tunc degentem, omne studium, laborem omnem Lactantio emendando intendere; tunc susceptum opus deposui, atque per interpositos amicos misi Joanni le Brun selectas decem editiones et amplius ex rarioribus quadraginta, quas summa cura collegeram. Hujus doctrina et diligentia mihi ex editis S. Paulini operibus, aliisque non indoctis lucubrationibus notæ ac probatæ erant.

(1) Cujus editionem, ut pote omnium hactenus publici juris factarum loco habendam, ad innumerorumque tam editorum quam manuscriptorum codicum fidem emendatam, nonnulis tamen vel in melius mutatis vel additis, recudimus.

III. Verum, re infecta, anno 1731, abiit ad superos vir eruditus, atque quibusdam ab hinc annis ejus mihi commissa sunt scrinia, et creditæ annotationes. Sed quantus me stupor incesserit vix enarrare fas est, cum viderim, editorem sane eruditum, improbo decem annorum labore in eo tantum desudasse, ut undique coacervaret, imo et corraderet varias lectiones manuscriptorum codicum et Lactantianarum editionum; omissis interim iis observationibus, vel historicis, vel criticis, quæ ad auctoris mentem tum assequendam, tum explanandam essent necessariæ. Hac inita ratione, numerum tantummodo editionum auxisset Joannes le Brun; sed antiquiorum non extinxisset desiderium, imo potius incendisset.

IV. Sed ad Lactantium ipsum nostra convertatur oratio. Certum est auctores inter Latinos id illi peculiare esse, ut quodammodo sit ad diversa munia paratus. Si etenim in scriptoribus ecclesiasticis secundum, aut tertium solummodo locum habet, procul dubio vir fuit primarius in re litteraria, propter variam ejus eruditionem, dignam homine litterato. Tanta quippe facundia, nitore tanto, tanta etiam gravitate de rebus maxime in religione necessariis sublime disputat atque disserit, ut nostris temporibus æque gratus sit, ac prioribus Ecclesiæ sæculis.

V. Quærere vulgo solent, cur eruditus ac eloquentissimus scriptor suas ediderit Institutiones. Id porro causæ fuit: sicut prudentes, et arbitri equitatis Institutiones juris civilis compositas vulgarunt, quibus dissidentium lites contentionesque sopirent, sic Divinas Institutiones eo potissimum publici juris

Digitized by Google

fecit Lactantius, ut fidelibus uno quasi intuitu cuncta præsto essent argumenta, quibus gentilium errores revincerent, et assererent infractam religionis christianæ veritatem (*Lactant., Instit., lib.* I, *cap.* 1, *col.* 116 *nost. ed.*).

VI. Ejus quippe Institutiones, quæ libris septem absolvuntur, eo procedunt ordine, ut tribus prioribus cultus deorum insanos refundat, tribus aliis fideles christianos ad veritatem instituat; nam, ut ait Lactantius ipse (*lib.* I, *cap.* 23, *col.* 232 *nost. ed.*) : « Primus sapientiæ gradus est falsa intelligere, secundus vera cognoscere; » ultimo tandem libro de impiorum pœnis et cruciatibus, piorum vero immortali præmio et beatitudine agit. Nec tamen credas, toto hoc in opere omnia momenta æque valida esse; quædam rationes quæ nunc leviores et frigidæ videntur, tunc graves erant atque firmæ. Ita quandoque fit, tum ex ingenio, tum ex moribus hominum, ut diversa temporum curricula diversas etiam habeant disserendi rationes.

VII. Non diffitetur autem Lactantius, quin eamdem viam emensi jam fuerint quidam e nostris scriptoribus. Sed, ut ipse ait, Minucius Felix, qui veritatis idoneus assertor esse potuisset, non integram tamen nec omnino plenam in tuenda religione disputationem scripsit. In Tertuliano, idque merito, desiderat eloquii perspicuitatem et facilitatem; in Cypriano, quamvis eloquenti et ornato, quamvis in persuadendo potenti, non sat aptam in convincendis gentibus scriptionem notat. At non est culpandus Lactantius, quod septem libros a præceptore Arnobio scriptos silentio prætermiserit. Arnobius enim non nisi, ut videtur anno Constantini XX, id est, æræ vulgaris 326 (1), christianam suscepit religionem quo tempore suas in ethnicam superstitionem edidit disputationes, sex plus minus annis post vulgatas a Lactantio suas Institutiones. Mirum igitur non est, si Lactantius christianorum, teste Eusebio Cæsariensi, eruditissimus tam arduam in se susceperit operam; nec inulta voluerit esse convicia, quibus christianos consectati fuerant duo philosophi, sive ii sint Hierocles ac Porphyrius, sive quidam alii.

VIII. Hos porro libros quando scripserit Lactantius, non est usque adeo certum. In varias critici abierunt sententias. Putat Isæus anno 302 elaboratos esse; sed hoc anno fideles christiani aliquantulum pace fruebantur, verum quo tempore edidit suas Institutiones persecutione exagitabatur Ecclesia. Existimant alii, anno 311; cardinalis Baronius, post annum 315; doctiores denique, multo post annum 318, forte anno 320 aut 321, editas fuisse sentiunt. Meum non est hic per multas sermonum ambages horum omnium agitare rationes, et argumenta utrinque allata curiosius conquirere. Sufficiat probatam, aut saltem probabiliorem exponere sententiam.

IX. Nicomediam Bithyniæ ex Africa accitus fuerat, imperante Dioclesiano, Lactantius, ut ea in urbe litteras oratorias, id est, Romanum doceret eloquium; ibique mansit toto persecutionis tempore, quæ decem et amplius annos in christianos sæviit. Ea vero finem non habuit, nisi medio mense junio anni 313. At Eusebius horum temporum scriptor diligentissimus admonet, ex Bithynia in Gallias profectum non fuisse Lactantium nisi anno 317. Verum Lactantius cum scripsit Institutionum libros, tunc in Bithynia non erat. « Ego, inquit, cum in Bithynia oratorias litteras accitus docerem, contigissetque ut eodem tempore Dei templum everteretur, duo extiterunt ibidem, qui jacenti veritati insultarent (*libro* V *Institut., cap.* 2). Vidi ego, inquit, in Bithynia præsidem (*libro* V, *c.* 11). Hæc igitur jamdiu præterierant; tunc ab ea Lactantius aberat provincia. Hæc ergo scripsit post annum 317.

Attamen persecutiones memorantur in libris Institutionum : sed quænam istæ fuerint ex ipso videre est Lactantio. Eam non puto fuisse, quam desinente anno 302 meditabantur Diocletianus et Galerius; quæque incœpit die februarii 23 anni 303, exitumque habuit die 13 junii anni 313. Tunc enim Nicomediæ erat Lactantius; non igitur hanc eo loci appellat persecutionem. Clarius istud elucescit ex his Lactantii verbis (*lib.* VI, *c.* 17) : « Spectatæ sunt spectanturque adhuc (1) per orbem terræ pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis nova et inusitata tormenta excogitata sunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari, cum immanium bestiarum ultra ipsam mortem carnificina sævierit. » Equidem eo loci loquitur Lactantius de Diocletianea persecutione : sed ea tunc non sæviebat. Propius inspicias hæc verba, « Spectatæ sunt pœnæ; tormenta excogitata sunt; horret animus recordari; cum sævierit. » Numquid hæ locutiones ad statum præsentem spectant? numquid e contrario ad præteritum? Jam igitur hæc omnia præterierant, cum scripsit Lactantius.

(1) Sic porro ait Eusebius : *Anno* XX *Constantini Arnobius in Africa rhetor clarus habetur, qui cum in civitate Siccæ ad declamandum juvenes erudiret, et adhuc ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neque ab episcopis impetraret fidem, quam antea impugnaverat, elucubravit adversus pristinam religionem luculentissimos libros, et tandem velut quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetravit.* Ita Chronicon Eusebii; eaque ratione accessionem Arnobii ad religionem christianam in annum 326, qui est vigesimus Constantini, rejicimus, quamvis R. P. Remigius Ceillier eam statuat ann. 303, in Historia scriptorum ecclesiasticorum, tomo III. Si anno tertio quarti sæculi Christo nomen dedisset Arnobius, procul dubio id annotasset Eusebius regnante Diocletiano, non autem anno XX Constantini. Porro ejus Chronico non est deneganda fides : hoc ipso tempore liber ille fuit conscriptus a viro eruditissimo, qui omnem operam contulerat in exploranda vita doctiorum, sui præsertim sæculi.

(1) Hæc sane sunt intelligenda de claris istorum temporum confessoribus, quos partibus corporis ac membris mutilos fecerant persecutores. Horum multi interfuerunt concilio Nicæno. Ex iis erant SS. Paphnutius Thebaidis, Potamo Heracleæ, Spiridio Cypri episcoporum, quorum stigmata pro Christo accepta deosculatus est non semel Constantinus imperator, juxta Eusebium, in hujus principis Vita, lib. III, c. 6 ad 13, et post Eusebium multi scriptores ecclesiastici.

Digitized by Google

Itaque multo post annum 315. Verum post Ecclesiam restitutam nulla omnino alia fuit in christianos persecutio, nisi Liciniana, cujus initium in annum 320 rejiciendum est. Quis vero non videt de Licinio rem esse libro VI Institutionum, capite 6, ubi sic ait Lactantius : « Quidam probitate ficta viam sibi ad potentiam muniunt, faciuntque multa quæ boni solent, eo quidem promptius, quod fallendi gratia faciunt; utinamque tam facile esset præstare, quam facile est simulare bonitatem! Sed ii cum esse cœperint propositi ac voti sui compotes, et summum potentiæ gradum ceperint (*id est* acceperint), tum vero simulatione deposita, mores suos detegunt, rapiuntque omnia, et violant, et vexant; eosque bonos (*id est* christianos) quorum causam susceperant, insequuntur, et gradus per quos ascenderunt amputant, ne quis illos contra ipsos possit imitari. » Numquid non est hic ipse Licinius, qui, cœlitus per quietem monente angelo ut præscripta precis norma exoraret a Deo summo victoriam, statim exoravit et impetravit. « Liciniani ergo, » inquit noster Lactantius, « scuta deponunt, galeas resolvunt, ad cœlum manus tendunt, præeuntibus præpositis, et post imperatorem (Licinium) precem dicunt. Illi oratione ter dicta, virtute jam pleni reponunt capitibus galeas, scuta tollunt, tubæ canunt, signa procedunt (*de Mortibus persecut.*, *c.* 46, *tom.* II); Liciniani, impetu facto, adversarios invadunt » (*Ibid.*, *c.* 47). Nonne hic idem ipse est Licinius, qui fecit multa quæ boni solent, quique « de restituenda Ecclesia litteras proponi jussit... et verbo hortatus est, ut conventicula (christianorum) in statum pristinum redderentur? » (*De Mort. persec.*, *c.* 48, *initio et in fine.*) Attamen insequitur eos ipsos bonos, quorum causam antea susceperat, rapitque omnia, et violat, et vexat.

Illa vero Liciniana persecutio in Oriente tantum sæviebat; occidentales enim imperii partes quæ Constantino, eas ut regeret, obtingebant, data jamdudum et firmata pace fruebantur. Hinc Lactantius ipse summum imperatorem alloquens, ait : « Malis qui adhuc adversus justos in aliis terrarum partibus sæviunt, quanto serius, tanto vehementius idem Omnipotens mercedem sceleris exsolvet. (*Libro* I *Instit.*, *c.* 1, *col.* 117, *nost. ed.*). Hac igitur sæviente orientali persecutione suas scripsit, suas edidit Institutiones Lactantius, id est, anno forte 320 aut 321. At non dum exsolverat Deus Licinio mercedem sui sceleris.

Verum peroratio ad Constantinum posterioris videtur esse temporis, anni scilicet 324, cum soli huic principi pareret Romanum imperium, Licinio devicto et procul a republica remoto. « Te, » inquit Lactantius, « Providentia summæ Divinitatis ad fastigium principale provexit, qui posses vera pietate aliorum male consulta rescindere, peccata corrigere, saluti hominum paterna clementia providere, ipsos denique malos a republica submovere, quos summa potestate dejectos (*quæ verba neminem alium quam Licinium indicant in ordinem redactum*) in manus tuas Deus tradidit (*quia Licinius bis a Constantino victus, cedere coactus est*) ut esset omnibus clarum quæ sit vera majestas. Illi enim qui ut impias religiones defenderent, cœlestis ac singularis Dei cultum tollere voluerunt, profligati jacent, » (*lib.* VII *Institut.*, *cap.* 26) : in exilium enim pulsus est Licinius anno 324, sed nondum, ut videtur, morti fuerat traditus, ob res novas quas in Oriente moliebatur, quod factum solummodo fuit anno 325. Hinc Lactantius eo loci *veram* Constantini *pietatem* laudat, quod et venia et vita perduelli et inimico concessis, eum etiam comiter convivio exceperit.

X. Qui possunt eruditi quidam de his ad Constantinum orationibus tamdiu satagere; utrum scilicet imperatori suas inscripserit Lactantius Institutiones? Hunc equidem principem ter quaterve appellat eo in opere. Has orationes non diffiteor sæpe, quin et sæpissime a mss. codicibus abesse, iisque antiquissimis, tum etiam ab editis quibusdam. Aliquæ tamen leguntur in probatis codicibus, at non omnes. Facile controversiam dirimes, si duplicem conjicias factam fuisse a Lactantio Divinarum Institutionum editionem : unam tristibus Licinianæ persecutionis temporibus, anno 320 aut 321, alteram post eumdem devictum atque in ordinem redactum, anno 324. Tunc Constantinus, parta victoria, « Malorum, » id est, Licinii et Martiniani, « male consulta rescidit. » Sed scriptorem se moderatiorem prudentemque præbuit eo loci Lactantius, non appellato nomine Licinii, proxima conjunctione cum imperatore conjuncti. Constantinus enim sororem Constantiam uxorem Licinio tradiderat.

Quin etiam fatentur omnes has orationes, tam ineunte libro I quam desinente septimo, plane Lactantianum sermonem redolere : qua de re disserimus iisdem in locis, collatis harum vocibus cum indubitatis Lactantii loquendi formulis. Sed unde fieri potest, ut sæpe ex his orationibus una aut altera, non autem ultima legatur quibusdam in manuscriptis (1)? Id sane fuit factum propter diversa, ex quibus posteriores codices descripti sunt, exemplaria. Cum istas orationes Lactantius suis addidit Institutionibus, solus regebat Constantinus Romanum imperium. At si altera facta est Lactantio Divinarum Institutionum editio anno 324, potuit, verbi gratia, inter hæreticos appellare Arianos (*lib.* IV *Institut.*, *c.* 30), quorum nomen in plurimis, iisque antiquis manuscriptis legitur. Jam enim Arius ab Alexandro episcopo Alexandria fuerat ejectus, et damnatus duabus in synodis, annis videlicet 319 et 324.

XI. Quamvis gentiles certioribus sæpissime coarguerit argumentis, quamvis religionem sincere et candide coluerit Lactantius, non diffiteor tamen, eum quibusdam obstrictum fuisse erroribus. Hos diverso animo unusquisque, prout affectus est reprehendit. Recte de Lactantio cum S. Hieronymo (*Epist. ad Paulinum*) dicimus : « Utinam tam nostra confirmare

(1) Sic in ms. Lactantii Patr. Capuc. S. Honorati Oratio lib. I legitur, at non ea lib. VII.

Digitized by Google

potuisset, quam facile aliena destruxit! Sed non eo progredimur, ut eum cum Antonio Raudensi (1) ex ordine Minorum, sæculi xv theologo, exagitemus, quasi ejus libri hæresibus et impietate undique referti sint. Mens mea non est in varias doctiorum incurrere reprehensiones, ne eadem in me dicteria inferantur, qualia expertus est Raudensis ille, quem non solum Adamus (2) quidam, monachus Genuensis, notat vehementer ut insanum, verum etiam Franciscus Philelfus bonarum ille litterarum cultor assiduus. Sic enim Antonium Raudensem alloquitur (*Philelfus, lib.* v *Epist., ad an.* 1443), propter male et insulse reprehensum ab eo tribus libris Lactantium: « Vellem equidem, Pater optime, ab omni istiusmodi scribendi genere te continuisses, neque cum insaniente Candido Decembre desipere ipse voluisses : id certe fuisset et ordinis, et dignitatis tuæ. Quæ enim per immortalem Deum fanatica ratio te commovit, ut perinde atque infesto quodam, atque inimico afflatus Spiritu, in virum illum doctissimum atque disertissimum tam insolenter, tam injuriose, tam impie invehereris, ut non res solum pene innumerabiles consulto male interpreteris, sed nomen etiam viri depravare studueris; utpote quem *Lactensium* pro *Lactantio* nomines? Nam de rebus ipsis quid loquar, quas vel pueris notas dum corrumpere laboras, te omnibus eruditis et gravissimis viris ridiculo præbes. Pudet me profecto ea in medium proferre, quæ a te non inepte minus, quam perperam notata sunt atque reprehensa. » Nusquam vidi Antonii istius Raudensis erratorum Lactantii libros tres typis commissos : eorum in Bibliotheca Regia tria novimus exemplaria manu exarata; editæ tantum fuerunt ex iis quædam decerptæ annotationes.

XII. Nimium etiam excrevit Josephi Isæi censura, qua in Lactantio reprehenduntur propositiones nonaginta quatuor, quarum tamen quædam, ipso teste Isæo, benigno sensu sunt interpretandæ, quod aliquando fieri solet in vetustissimorum temporum scriptoribus ecclesiasticis. Libenter potius amplectimur Joannis Mariæ Brasichelli annotationes censorias, quæ moderati sunt theologi. Hujus animadversiones, etsi Lactantio, ubi opus erat, accomodaverimus, eas nihilominus infra sub uno quasi conspectu exhibemus.

XIII. Nec etiam Lactantio adjudices impia illa Manichæorum dogmata, quæ quandoque in quibusdam mss. ejus codicibus ac editis leguntur. Ea enim vix reperies in vetustis exemplaribus; aut saltem in margine quorumdam adscripta sunt, velut extranea et peregrina. At uno verbo, Manichæis non adhæsisse Lactantium, ex silentio S. Hieronymi et S. Augustini aliorumque scriptorum manifestum est. In Manichæorum grege nullus unquam eum annumeravit, quod procul dubio non omisissent, si ansam in eo reprehensionis dedisset Lactantius. Hæ etenim impietates sæpissime assutæ textui Lactantiano non modo perturbant Scriptoris sermonem, verum etiam ejus doctrinæ plane sunt contrariæ, ut data occasione ostendimus.

XIV. Quamvis in explicanda Verbi divini generatione non erraverit Lactantius, minus tamen theologice locutus est : sed philosophorum loquendi modis utitur, quod interdum evenit iis auctoribus, qui ante Nicænum scripserunt concilium, quo non doctrina tantum catholica dilucidius et planius quam antehac explicata est, verum etiam voces doctrinæ christianæ maxime consonæ formatæ sunt et constitutæ. Cæterum verba quæ ex capite 9 libri secundi Institutionum contra sensum Ecclesiæ excerpta esse putantur, ea nec in antiquis leguntur exemplaribus, nec illis convenit cum doctrina Lactantii, qui Verbum, Dei Filium, ante sæcula fuisse genitum pronuntiat (*libro* iv *Instit., c.* 6), quod negabant Ariani. Hunc etiam « summo Patri similem » pronuntiat (*lib.* iv, *c.* 13, *initio*) : quin imo Isaias inquit (*ibid.*) Christum « et Deum fuisse et hominem testatur. » Sic porro ait cap. 19 libri vii : « Hic est enim liberator, et judex, et ultor, et Rex, et Deus, quem nos Christum vocamus. » Sed doctrinam catholicam, qualem eam reperias in Patribus ante-Nicænis, atque in probatis illorum temporum scriptoribus ecclesiasticis, multis verbis prædicat auctor noster. « Cum dicimus, inquit, Deum Patrem et Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus, quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre secerni... Cum igitur et Pater Filium faciat, et Filius Patrem, una utrique mens, unus spiritus, *una substantia est*... Et Filius ac Pater qui unanimes incolunt mundum Deus unus, quia et unus est tamquam duo, et duo tamquam unus... Denique unum Deum esse tam Patrem quam Filium Isaias ostendit. » Hæc omnia scriptoris sunt apprime catholici, atque tum a verbis, tum a mente Arianorum omnino aliena, iisque maxime contraria. Hi enim nusquam dixerunt Patrem et Filium « unius esse substantiæ. » Verum tantam sibi Lactantius, tum ob singularem facundiam, tum ob variam multiplicemque eruditionem, conciliaverat apud antiquos auctoritatem, ut ejus scripta, tamquam sibi faverent, ex ingenio corruperint hæretici quidam, sive Manichæi, sive Ariani.

XV. At suspensus hæreo propter S. Hieronymi auctoritatem. Sanctus enim Doctor ait (*Epist. ad Pammach.*) Lactantium, « errore Judaico in libris suis, maxime in epistolis ad Demetrianum, negare substantiam Spiritus sancti. » Verum hujus erroris ne vesti-

(1) Vide Lucam Wadingum in libro Scriptorum ordinis Minorum, in-folio, Romæ 1650. Hic autem Raudensis librum edidit alium *de Verbo bono*, quem propter stylum multum exagitat Laurentius Valla.

(2) Hujus in Raudensem epigramma versuum octo legitur in editione Lactantii Romana anni 1468, apud Petrum de Maximis, unde illud exscripsit Albertus Fabricius Bibliothecæ Latinæ Supplemento, pag. 395. Hoc eo loci dare nobis visum est :

Hic male corripuit stolidis Antonius (Raudensis ausis
Auctorem : in variis causa pianda locis.
Non erat in tenebris errantes imaginis astrum
Dicere, vel nitidum luce carere jubar.
Denique cum sanctæ Ecclesiæ pia lumina constet.
Obsequio ex tanto conticuisse viro ;
Tu vero, eloquio lingua interdicta Latino,
Cubitum; nam te pensitat elleborum.

Digitized by Google

gium quidem extat in Institutionum, aliisque ejus libris. Hinc cum eodem Hieronymo (*lib.* I *in Epistol. ad Galat., c.* 4) dicere nobis liceat : « Quis mihi interdicere potest ne legam Institutionum libros, quibus contra Gentes scripsit fortissime, quia superior sententia detestenda est? » Ita porro locutus est erravitque Lactantius « per imperitiam Scripturarum, » ait idem sanctus Doctor.

XVI. Nullus tamen diffitetur, in sententiam erroresque Millenariorum descendisse Lactantium. Existimavit enim, cum viris tunc apprime catholicis, Christum Dominum, vergente ad finem mundo, per mille annos cum justis hominibus in terra regnaturum. At jam a multo tempore sublatus est a Christiana religione hic error, cujus parens fuit vir quidam pius, Papias scilicet, episcopus Hierapoleos in Phrygia, ineunte sæculo secundo. Hunc autem, ex perperam intellecto Apocalypseos capite XX ortum, studiose comprobare nititur Lactantius, tum ex versibus Virgilianis, tum ex libris Sybillinis, qui medio eodem sæculo exarati creduntur, quique apud ipsum, atque alios scriptores ecclesiasticos, plurimum poterant. Sed illi non est venia deneganda, quam alii ob istud erratum acceperunt. Merito tamen et sapienter Gelasius papa, exeunte sæculo quinto, Lactantii opera una cum scriptis apocryphis annumerat, quod ea non poterant inoffensa omnino doctrina catholica perlegi a cunctis fidelibus.

Ne autem lectorem verba et auctoritas Lactantii decipiant, et inducant in ejus errores, non tantum in notis illos depellimus, sed etiam in hujus tomi primi præmonitis diligenter, ex variis auctoribus, admonemus.

XVII. Nihilominus doctissimi quique ejus libros summo in pretio habebant; atque mirum est, quot in orbe litterario Lactantianorum operum codices manuscripti reperiantur. In sola Parisiensi urbe triginta septem et amplius innotuerunt mihi : multo plures invenias in aliis Galliæ nostræ bibliothecis; qui vero cæteras Europæ regiones perlustraret, uberiorem sane segetem consequeretur. Vaticana duodecim, Regia Taurinensis bibliotheca novem exhibent. Quid ab Hispanicis, maxime Scorialensi, omnino eruditis nostratibus ignota, quamvis referta rarioribus mss., quid a Neapolitanis, Vindobonensi, Veneta, Ambrosiana, Florentina, Cassinensi, Siculis expectandum esset? Non omnes tamen æque sunt antiqui et optimæ notæ. Nullus tamen est prætermittendus, quippe qui ex antiquiori descriptus sit exemplari. Hinc erudito lectori persuasum esse debet, quanti scriptorem elegantissimum fecerint majores nostri. Multos tamen reperias sæculis XIV et XV exaratos. Tunc temporis enim iterum ardere cœperunt, in Italia præsertim, studia litterarum; atque Lactantium non propter solum latini sermonis nitorem, sed propter variam ac minime vulgarem eruditionem curarunt ubique describi. In emendandis porro diligenter auctoribus antiquis, unus non sufficit manuscriptus codex, sed plures sunt adhibendi. Ille quidem veram lectionem profert : sed alius eam confirmat; nec sine plurium testimonio aliquid certi depromere licet. Attamen est modus quidam adhibendus, ne amanuensis erratum loco veri scriptorum sermonis suscipiatur.

Eorum qualemcumque pertexuimus indicem, addito, quantum in nobis fuit, scriptionis tempore, ne in censuram eruditorum incurreremus. Nec igitur sine ratione Gallæus culpatur, merito Isæus ipse improbatur, qui cum duodecim Vaticanos codices inspexerit, eorum tamen ætatem non indicavit. Recte ergo, quin imo et rectissime, Bunemannus ait (*Præfationis suæ Lactantianæ editionis, pag.* 7) : «Non dubito post Isæi tempora plures codices in Vaticanam (*Bibliothecam fuisse*) illatos. Utinam, inquit, opitulante Eminentissimo Passioneo, præcipuo litterarum elegantiorum patrono, aliquis inde ad Lactantium illustrandum fructus etiam postliminio redundaret! »

XVIII. Variæ nunc brevi percurrendæ sunt Lactantii editiones. Vix unus aut alter est scriptores inter profanos, ne dicam ecclesiasticos, quem sæpius vel docti emendaverint, vel excuderint bibliopolæ. Centies integer prælo subjectus est : ejus vero libri aliquod quindecies et amplius cum notis vulgati sunt. Atque ab ipsis typographiæ incunabulis, ante annum primum sæculi decimi sexti, decies septies in lucem prodierunt : quod vix reperias in aliquo alio scriptore. Aliquando ter, sæpius bis unoquoque anno diversis in urbibus publici juris fecerunt eum eruditi tum catholici, tum a cultu catholico Romano alieni. Itali, Galli, Germani, Hispani, Batavi, Angli hunc notis, quantum in iis fuit, illustrarunt. Attamen non æque omnes sunt utiles : adhuc aliquid, non solum ut textus ab omnibus amanuensium mendis liber fieret, verum etiam ut apprime mentem auctoris assequeremur, desiderabant doctiores quique; fatenturque (*Nicolaus le Nourry, e congregatione S. Mauri Benedictinus, in Apparatu ad Biblioth. SS. Patr., t.* II, *col.* 658) « nullam ex omnibus his editionibus esse omnino perfectam, omnibusque suis numeris et partibus expletam. » Equidem vetustissimæ loco tantum sunt mss. codicum, quos repræsentant. Si enim exemplaria, ex quibus exprimuntur, truncata fuerunt et corrupta, procul dubio editum mancum est et imperfectum. Sic editio rarissima anni 1465 in multis deficit, quippe quæ ab uno tantum codice, eoque imperfecto, fuerit deprompta. Græca quandoque prætermissa sunt; sæpius etiam absunt quidam versus et commata. Ita fere est de editis, quæ vulgata sunt prioribus istis temporibus. Vix textus emendatus utcumque nobis suppetit ante Aldinas editiones ope et cura tum Baptistæ Egnatii, tum Honorati Fasitellii. Verum ab eo tempore ad annum 1544, quo prodiit emendatior editio Coloniensis, vix ulla est, quæ lectori possit satisfacere.

XIX. Sed ad Lactantium planius intelligendum, propter variam ejus doctrinam, necessariæ sunt annotationes. Atque primus omnium Xystus Betuleius integras elaboravit, quæ anno 1563, post ejus mortem, Basileæ vulgatæ fuerunt. Erasmus quidem jam anno 1529, in librum de Opificio Dei annotatiunculas ediderat, sicut et Willichius anno 1542,

Digitized by Google

Sed Betuleius vix mss. codicum rationem habuit. Ejus notæ multo quam par est prolixiores, et ad eruditionis variæ ostentationem, non ad legentium utilitatem sunt elaboratæ. Michael Thomasius Taxaquetius melius aliquid molitus est : sed jejune admodum usus est duobus antiquissimis Bononiensibus exemplaribus et Vaticanis septem, quæ viderat. Plane igitur et perfecte medicam manum omnibus Lactantiani textus vulneribus non adhibuit. Multo perfectior est Isæi emendatio, quæ Cæsenæ in Italia vulgata fuit in anno 1646, ex Vaticanis duodecim codicibus expressa. Criticas non solum, sed etiam theologicas annotationes apposuit. Thysius paucas admodum, et nullius fere momenti notas textui Lactantiano aspersit; primusque mihi visus est auctorem nostrum corrupisse libri I, capite 15. Quam corruptelam amplexus est, atque longiori, quam par est, annotatione contra bonos mores ac veritatem evangelicam defendit Gallæus, ut pro usura propugnaret; nec eam emendare sategerunt Sparkius et Walchius. Gallæus ipse, anno 1660, emendatiorem ac nitidiorem juvenis molitus est Lactantii editionem, quam notis undique conquisitis, extraneis sæpe, et ad controversias theologicas spectantibus illustravit. Sparkius Gallæo, etsi multo parcior, doctior tamen fuit. Cantabrigiensis editor fatetur, se iterum cudere Thomasianum textum. Cellarius quasdam, sed nec inutiles notas, nec indoctas adjunxit sat emendatæ suæ editioni. Joannes Georgius Walchius vix annos natus viginti in Lactantio emendando specimen acris judicii edidit atque doctrinæ, qua nunc in patria illustrior habetur; mirorque in hac juvenili ætate opus senile non obiisse modo, sed et excogitasse. Christophorus Augustus Heumannus elegantem sane excudit, tum ob textus Lactantiani emendationem, quam tamen, ipso fatente, a Christophoro Cellario mutuatus est, tum ob suas notas, quæ singulare in arte critica studium, accuratamque diligentiam exhibent. Multo plura tamen, quam debuisset, glossemata excogitat in Lactantium a viris parum litteratis inducta fuisse. Occurritne difficile aliquid, tunc subest illi cujusdam additamenti suspicio, aut etiam querela, verum sæpissime falsa, utpote nullius fulta manuscripti codicis auctoritate? Tandem Joan. Ludolphus Bunemannus in edendo Lactantio palmam aliis omnibus præripuit. Tanta enim variarum animadversionum ubertas, diversarum lectionum tam multiplex affluit copia, tam argutum judicii enitet acumen in hac sua editione, ut nullus ante illum eo usque progressus fuerit. Sat ipsi non fuit tot mss. codices, tam multas variasque conferre editiones; Scriptorem nostrum cum latinæ linguæ principibus æque contulit, ut persuasum sit omnibus, Lactantium auctores inter ecclesiasticos dissertissimum fuisse. Hunc quippe ad quinquaginta duos mss. codices, vulgatosque quinquaginta quinque emendavit. Merito igitur magnam in Germania laudem ob emendatum Lactantium consecutus est vir eruditissimus. Miror tamen illum, adhibitis historicis annotationibus, ad optatam A metam opus tam eximium non perduxisse; cum jam fortis, jam ingentis cursus emensus esset spatium. Nil factu erat facilius : minus procul dubio laboris fuisset ex antiquis ea colligere, quæ apta sunt ad hunc auctorem explicandum; plus tamen scientiæ, plus contulisset ingenii.

XX. Quid alii in edendo Lactantio præstiterint, diximus; quid jam in hac editione præstemus, nostrum est enarrare. Quanquam de auctore nostro optime sit meritus Joan. Bapt. le Brun, quædam tamen ejus annotationibus addenda esse putavi. Vix mihi creditum est hujus editoris autographum Lactantianum, cum in mentem mihi venit, ut quas ipse notas congesseram olim, in unum cum variis lectionibus a Joanne le Brun collectis copularem atque jungerem. B Hac ratione existimavi fieri posse, ut eruditorum omnium animadversiones hæc novissima repræsentaret editio, atque cunctarum instar esse posset. Alias, non omnes tamen, verum selectas et utiliores conquisivi et elegi in Erasmo, Betuleio, Thomasio, Isæo, Gallæo, Sparkio, Cellario, Walchio et Heumanno. At Isæi editio cum raro venum eat, ejus tamen notæ sint eruditæ, et ad rationem theologicam sæpius exaratæ, integras eas adjungere visum est ad calcem prioris voluminis, ne desiderent aliquid lectores in hac ultima Lactantii editione, quæ omnes alias uno quasi intuitu complectitur. Si ergo subjiciatur textui Lactantiano quædam annotatio historica aut critica, ne dubites, ea est Lengletii : si vero subsint lectiones variæ, eas, quibusdam tamen exC ceptis, Joanni le Brun adjudices. Hæc est norma hujus curas ab alterius opera secernendi. Verum quæ ad grammaticam, aliorumque scriptorum cum Lactantii verbis collationem spectant, vix attigimus. Si cui porro necessariæ forent notæ, vel potius disquisitiones in Lactantium theologicæ, eas uberrime dabit Domnus Nicolaus le Nourry, e congregatione S. Mauri Benedictinus, tom. II Apparatus ad Bibliothecam Sanctorum Patrum, a columna 571 ad 1172.

XXI. Attamen quosdam manuscriptos codices, editionesque nonnullas a Joanne le Brun nusquam visas conquisivi. Codicem unum eximium, etsi quadringentorum tantum annorum, suppeditavit exquisitissima Bibliotheca Eminentissimi cardinalis de Rohan, nusD quam a theologis, imo nec a litteratis omnibus sine laude nominandi. Codicem alium trecentorum et amplius annorum perhumaniter, ut solet, subministravit R. P. Domnus Ludovicus Lemerault, Regiæ Sangermanensi Bibliothecæ præfectus : collationes quorumdam Italicorum manuscriptorum a Latino Latinio factas, quæ in ejus Bibliotheca non leguntur, aliasque etiam a Petro Ciacconio collectas ultro commodavit D. Claudius Prevotius canonicus regularis ex regalis abbatiæ Genovefanæ Bibliotheca desumptas. Duos codices ut ad me mitterentur benigne concessit insigne capitulum Cameracense, unum decimi vel undecimi, sed lacerum, alterum integrum decimi quinti tantum sæculi. Quintum tandem habuimus ex Bibliotheca patrum Capucinorum conventus sancti Honorati Pari-

Digitized by Google

sinensis, ejusdem fere scriptionis ac est Sangermanensis codex, paulo tamen recentiorem. Manu exaratum codicem Lactantii librorum de Ira et de Opificio Dei quadringentorum circiter annorum habet Joan. le Beuf, Regiæ Inscriptionum ac Litterarum Academiæ socius. Hunc libenter utendum ad me misit, ex eoque aliqua decerpsimus. Manuscriptum quoddam Coloniense exhibet præclara et emendata editio anni 1544. Ad septuaginta igitur quinque codices, quos enumerabat Joannes le Brun, additi sunt a me quinque, aut etiam sex alii.

Idem sit judicium de pluribus, iisque rarissimis editionibus, quas non viderat Joan. le Brun, ac præcipue de Sublacensi anni 1465, quæ omnium princeps est et primaria, quin etiam et rarissima; hujus quippe quinque vix reperias exemplaria : unum Romæ, in Barberina Bibliotheca; alterum in Mogontinensis ecclesiæ archivio litterario; tertium in eximio musæo viri clarissimi ac eruditi Claudii de Boze, utriusque Academiæ, tum Gallicæ, tum Regiæ Inscriptionum socii, atque Regiorum Numismatum scriniis præpositi : quartum exemplar Tiguri extat, in Bibliotheca Carolina; quintum tandem in Bibliotheca Scholæ Zwickaviensis (Cycneæ) servatur. Hujus editionis variæ lectiones sigillatim hic edentur. Contulimus præterea hunc auctorem nostrum ad Parisiense editum anno 1513, quamvis cæteris minus emendatum. Sed magnopere attendimus editionibus Coloniensi anni 1544, Heumannianæ anni 1736, atque aliis quibusdam, quas non inspexerat Joannes le Brun.

Jam metam laboris attingebam, cum mihi nuntiatum fuit a magnæ spei juvenibus, doctissimi viri Joan. Georgii Walchii filiis, cum me Parisiis invisere, virum æque clarissimum ac eruditissimum, Jo. Ludolphum Bunemannum, novissimam anno 1739, vulgasse in Germania Lactantianorum operum editionem. Eam statim conquisivi, atque ex ea decerpsi non paucas annotationes, eas etiam, quæ huic nostræ emendationi adversantur. Illasque præmisi textui Lactantiano in utroque hujusce editionis volumine.

XXII. Huc usque de Divinis tantum Institutionibus verba feci : alia tamen opuscula edidit Lactantius, quorum plura vel interierunt, vel alicubi delitescunt. Verum quo putantur ordine elaborata esse, non abs re erit inquirere. Quod ut rectius fiat, quid de scriptore illo dixerit S. Hieronymus (*de Scriptorib. ecclesiasticis, cap.* 80), in medium est afferendum. « Firmianus, inquit, qui et Lactantius, Arnobii discipulus, sub Diocletiano principe accitus cum Fannio grammatico, cujus de Medicinalibus versu compositi extant libri, Nicomediæ rhetoricam docuit, ac penuria discipulorum ob græcam civitatem, ad scribendum se contulit. Habemus ejus Symposium, quod adolescentulus in scholis scripsit Africæ, et Ὁδοιπορικὸν de Africa usque Nicomediam, hexametris scriptum versibus, et alium librum qui inscribitur Grammaticus, et alium pulcherrimum de Ira Dei, et Institutionum Divinarum adversus Gentes libros septem, et Ἐπιτομὴν ejusdem operis in libro uno ἀκεφάλῳ, et ad Asclepiadem libros duos; de Persecutione librum unum; ad Probum Epistolarum libros quatuor; ad Severum Epistolarum libros duos; ad Demetrianum auditorem suum Epistolarum libros duos; ad eumdem de Opificio Dei, vel Formatione hominis librum unum. Hic extrema senectute magister Cæsaris Crispi, filii Constantini, in Gallia fuit, qui postea a patre interfectus est. »

Ex his sancti Doctoris verbis, allisque documentis elici, non certo quidem, sed non improbabili conjectura potest, tempus quo unumquemque librum ediderit Lactantius. Jam is extremam senectutem erat adeptus, cum in Gallias missus est a Constantino, ut Crispum filium litteris erudiret, quod factum est, juxta Eusebii Chronicon, circa annum 318. Hanc senectutem extremam conjicere licet fuisse ad annum circiter septuagesimum. Ab annis igitur 318 si dempseris septuaginta, supersunt 248, quo æræ christianæ anno natus forsan est Lactantius noster.

At juxta Hieronymum, hic, cum esset adolescentulus in scholis Africæ, scripsit Symposium anno, ut puto, 268. Hoc deperditum crediderunt eruditi. At non semel illud edidit sub nomine Lactantii Heumannus; nec multum abnuit Bunemannus. Attamen hæc ænigmata Symposio cuidam a veteribus tribuuntur, ut apprime notat Albertus Frabicius in Bibliothecæ Latinæ supplemento p. 271. Nihilominus tamen illud iterum excudi curavi tomo II hujusce editionis. Istud autem Symposium, opus quidem juvenile, centum continet ænigmata versibus exarata, quæ prius vulgata fuerant sub Symphosii vel Symposii, ignoti cujusdam poetæ nomine : aliquæ tamen editiones titulum præferunt : *Cælii Firmiani Symposii Poetæ.*

Elegantius vero est Carmen de Phœnice, quod acris æque ac limati judicii vir, Nicolaus Heinsius, Lactantii fœtum agnoscit et prædicat. Idem censet Petrus Lambecius in eruditissimis de Bibliotheca Cæsareo-Vindobonensi Commentariis, l. II, cap. 8, p. 788. Ac doctiores quidam tum ante, tum post Lambecium, in eamdem loquuntur sententiam; atque multis in ms. sub Lactantii nomine legitur. Sic etiam habet codex Sangermanensis : « Ista carmina dicuntur esse Lactantii. » Quæ si sint scriptoris hujus, illa circa annum 280 scripta sunt, cum jam in maturiorem ætatem adoleverat : nondum tamen Christo nomen dederat Lactantius. Ea etiam dedimus tomo secundo nostræ editionis.

At cum, Diocletiano imperante, ex Africa Nicomediam accitus fuerit Scriptor elegantissimus, ut rhetoricam doceret, atque Ὁδοιπορικὸν, id est *Itinerarium suum*, hexametris versibus scripserit, mens mea est annum circiter 290 in Bithyniam advocatum hunc fuisse. Diocletianus enim non est imperio potitus, nisi anno 284. Peractis autem in Europa bellis quibusdam, Asiam repetiit anno 189, a quo, ut puto, petierunt Nicomedienses, ut ad se vir ille disertissimus accerseretur. Id vero a solo poterant Imperatore exorare atque impetrare. Eodem forte tempore Grammaticum scripsit Lactantius. Uterque autem liber non invenitur.

Digitized by Google

Sed cum Christo fuerit postea mancipatus, veram in Asia suscepit religionem, forsan anno 295, septem vel octo annis antequam in Fideles fureret persecutio. Hac sæviente, scripsit Lactantius libellum eximium de Opificio Dei, circa annum 310, ad Demetrianum quondam auditorem suum, ut quem litteris nihil aliud quam linguam instruentibus erudierat, ipsi non deesset honestioris rei, meliorisque doctrinæ præceptor (*De Opificio Dei*, *cap.* 1). Hunc librum ita philosophice scripsit Lactantius, ut ex eo tamen facile Christianus mandata cœlestia hauriat. Obscurius nihilominus, ipso fatente (*De Opificio Dei, cap.* 20), locutus est, quam decuit, idque pro rerum ac temporis necessitate, plura et meliora editurus, si indulgentia cœlitus venerit. Quæ verba procul dubio sævientem indicant persecutionem. Tunc autem meditabatur Lactantius grandius quoddam volumen contra philosophos, et de iis quæ ad vitæ beatæ statum spectant (*Ibid.*). Hic non obscure indicat Divinas Institutiones, quarum libri priores contra Philosophos scripti sunt, ultimus de Vita Beata disserit. Non igitur illas jam ediderat Lactantius, quod multo clarius elucet legentibus caput 20 libri de Opificio Dei.

Eodem forsan tempore scripsit ad Demetrianum ipsum Epistolarum duo volumina, quæ, sicut et aliæ ejus epistolæ, interciderunt: quasdam tamen, desinente, sæculo XVI, viderat Hadrianus Junius in Egmundani monasterii Bibliotheca, ms. codicibus olim refertissima (*Hadrian. Junius*, *in Bataviæ Historia*, *in*-4°, *Lugduni Batav.* 1588, *pag.* 311). At jam ab anno 1573 sublati erant hi duo libri, quos Junio abbas hujusce monasterii tunc ostenderat.

In eadem forte persecutione multas scripsit Lactantius Epistolas ad Asclepiadem. Huic sane cum elegantissimo scriptore nostro consuetudo intercesserat et familiaritas. Sicut enim Asclepiades, cæterum vix notus, sed aut Græcia, aut Asia oriundus, ut nomen indicat, ad Lactantium librum nuncupaverat de summa Dei Providentia (*lib.* VII *Institut. Div.*, *c.* 4, *in fine*); vicissim ipsi duos libros Lactantius inscripsit. Verum hi utique perierunt.

Sedata Diocletianea persecutione, pace composita, christianis in integrum restitutis, Lactantius librum de Mortibus persecutorum scripsit, anno, ut videtur, 315. Idque non solum post pugnam ad Campum Serenum descriptam capite 47, qua superatus est a Licinio Maximinus, die primo maii anni 313, imo post edictum de restituenda Ecclesia, quod die decimo tertio junii proponi jussit Licinius, ut habetur cap. 48, verum etiam post mortem, qua Valeria anno 315 mulctata fuerat: quod legitur cap. 51. Hunc libellum de quo iterum dicemus initio alterius voluminis, ab annis mille deperditum, repertumque in Bibliotheca Colbertina, primus anno 1679 edidit Stephanus Baluzius, mandante illustrissimo viro Joanne Baptista Colbert, regi a sanctioribus secretis, et summo ærarii administro. Singularis hujus in orbe christiano codicis, qui cum reliquis omnibus Colbertinis in Regiam venit Bibliothecam, copiam mihi fecit, insito quodam vel innato potius quo est in rem litterariam amore Claudius Sallier, Regiæ Bibliothecæ præfectus alter. Codicem hunc cum editis iterum conferendum esse duxi, et quædam rursus (quod vix credas) a multis, iisque viris eruditis, prætermissa annotavi. Ita ut etiam expresserim in notis quæ fuerint amanuensis errata. Ea enim sæpissime doctioribus dant locum, novam ac utiliorem aut elegantiorem fingendi interpretationem. Sed ne aliquid deesset huic nostræ editioni, commentarios, quos in Ultrajectinam anni 1692 congesserat Paulus Bauldri, eos omnes, nullo dempto, recudi curavimus. Idque tanta fide ac diligentia, ut eorum etiam notationes censorias, quibus gravius quam decet in Doctrinam catholico-romanam incurrunt, non prætermiserim, addita nihilominus quadam, ubi opus est, animadversione, qua in annotatorem rejicitur error. Ad quid enim istæ tam intempestivæ excursiones, ubi de historia, non de rebus agitur theologicis? Hac ratione nostram in editionem ea omnia contulimus, quæ prius undique sigillatim conquirere erat necesse, ut integra Lactantii opera, variosque in ea commentarios sibi compararet lector eruditus.

Crispus, anno 317, ætatis vigesimo, Cæsar factus est a Constantino patre. Tunc in Galliis uterque erat, quo accitus fuit Lactantius, qui filium imperatoris litteras edoceret humaniores. Atque ab eo tempore non solus ego multis ductus rationibus opinor editas fuisse Divinas Intitutiones, verum in eamdem loquuntur sententiam Antonius Pagius (*Critica ad Annal. Baronii*, *ad an.* 315, *n.* 6), Tillemontius (*Hist. Eccl.*, *tom.* VI, *p.* 728), Nicolaus le Nourry (*Apparat. ad Biblioth. SS. Patrum*, *tom.* II, *p.* 336 *et* 366), Remigius Ceillier (*Hist. de Auct. eccl.*, *tom.* III, *p.* 592), uterque Benedictinus, Joannes Baptista le Brun, aliique bene multi, quibus est persuasum Lactantium hunc librum edidisse postquam percrebuit Liciniana persecutio, quæ sævire non cœpit nisi anno 320. Nolim tamen diffiteri Lactantium multa prius de re christiana in arcanis tabellis scripto annotasse, ut opus hoc tam arduum, tam difficile non solum adoriretur, sed etiam ad optatum perduceret exitum vix enim aliter fieri potuit. Institutionum vero duplicem a Lactantio vulgatam fuisse editionem, non Thomasius modo (*Thomas. notæ ad cap.* 1 *lib.* I *Institut.*), sed et Baluzius ipse (*Baluz. notæ in lib. de Mort. persecut.*, *ad calcem tom.* II *nostræ edit.*), et Heumannus (*Not. ad cap.* 1 *Divin. Instit. libri primi*) monuerunt; apud quos leges, tristibus quidem temporibus scriptas esse Divinas Institutiones, lætioribus autem emendatas, auctas et Constantino dicatas. Bis, inquit Heumannus, Lactantius hoc opus edidit, prius ante regnum Constantini, iterum eo rerum potito. Ex hac forsan duplici editione emanarunt, non equidem omnes, sed quædam lectiones variæ, quæ laboris non minimum facessere, tum doctis Lactantii editoribus, tum eruditis quibusque. Non enim adversatur scriptori etiam diligentissimo, nec abhorret

Digitized by Google

a ratione, ut suas ipse retractet lucubrationes. Felicior sane atque suavior multo est emendatio propria quam aliena.

At liber iste varia et multiplici cum refertus sit doctrina, ad ejus lectionem, ut plane intelligatur, vigilans ac singularis adhibenda est opera. Multi autem terrentur assiduo et acriori studio. Hinc Epitome prodiit, postulante Pentadio, sive is frater Lactantii fuerit, sive christianus quidam et amicus, quem loco fratris Lactantius habebat. Pentadius ille ejusdem fortasse generis erat, atque alter hujusce nominis, qui Constantio imperatori intimis fuit a secretis. Istud enim nomen parum vulgare est apud antiquos. Ita porro suas Institutiones angustioribus constrinxit terminis auctor noster, ut mentes instruat, nec tamen prolixitas pariat fastidium, sicut nec brevitas obscuritatem. Quamvis autem eamdem ibi Divinarum Institutionum tradiderit doctrinam, quam alibi passim, eam nihilominus iisdem verbis non explicat. Sicuti nonnulla prætermisit intacta: ita plurima, veritatis explicandæ causa, interdum adjicit. Hinc facile ad scribendum, hinc varium aptumque ad omnia exhibet ingenium. Hujus autem Epitomes pars maxima jam a tempore sancti Hieronymi desiderabatur; quam tamen integram fere ex codice ms. Regiæ Taurinensis Bibliothecæ edidit Parisiis, anno 1712, vir doctissimus Christophorus Matthæus Pfaffius, Tubingensis Academiæ cancellarius. Cujus libri apographum ad me, deprecante eruditissimo Joan. Daniele Schœpflino, historiarum et eloquentiæ professore publico in Argentoratensium universitate, misit Pfaffius, atque in eo quædam non exigui momenti observavi. Ne putes tamen statim post editas Institutiones Epitomen fuisse perscriptam: plures enim elapsi sunt anni opus inter utrumque. « Quamquam, ait Lactantius (*Epitome in proœmio*), Divinarum Institutionum libri, quos jampridem ad illustrandam veritatem religionemque conscripsimus, etc. » Quemadmodum hæc verba, « non ita pridem, » paucos annos, sic ea « jampridem, » quæ Lactantius habet, longius temporis significant intervallum. Libens ergo crediderim anno 325 aut 326 editam fuisse Epitomen.

At interea, forte anno 324, plures alios per otium libros edidit scriptor disertissimus, illum præcipue qui de Ira Dei inscribitur, quem editurum se præmonuerat (*Divinar. Instit. lib.* II, cap. 17): « Seponatur, inquit, locus de Ira Dei, quod et uberior est materia, et opere proprio latius exequenda. » Hoc vero contra Epicureos probat, Deum summe justum ob malam hominum mentem, perpetrataque ab iis delicta, imponere pœnas sontibus, sicut bene merentes promissis donat muneribus. Hunc librum non pulcherrimum modo, sed et docto pariter et eloquenti sermone conscriptum, recte S. Hieronymus habet ut Epitomen Dialogorum Ciceronis. Qui utinam eximie et eleganter in Gallicam linguam versus a Joanne Fr. Dreux du Radier, regis a consiliis, in tractu Thymarensi prætore speciali, mox prodeat in lucem, sicut et ipse spem nobis fecit.

Circa eadem tempora scripsisse mihi videtur Lactantius Epistolarum ad Severum libros duos. Severus autem ille Hispanus erat, atque unus ex majoribus Aquilii Severi, de quo ait S. Hieronymus (*in Catalogo scriptor. ecclesiast.*): « Aquilius Severus in Hispania, de genere illius Severi ad quem Lactantii duo Epistolarum scribuntur libri. » At Nicomedienses sicut et Bithynos inter et Hispanos nihil, multum vero Galliam inter et Hispaniam erat negotii. Hinc conjicere licet has Epistolas a Lactantio editas fuisse, dum in Gallia morabatur. Eadem porro dicerem de libris quatuor Epistolarum ad Probum, cujus nomen non Asiaticum, sed Romanum est, vel forte Gallicum. Ad eum enim in Gentis gratiam atque laudem Lactantius his in Epistolis de Gallis præclara quædam profert, testante S. Hieronymo (*Proœm. lib.* II, *in Epist. ad Galatas*). « Galli, inquit Lactantius, a candore corporis Galatæ nuncupantur, et Sibylla sic eos appellat. Quod significare voluit poeta, cum ait: *Tum* LACTEA *colla auro innectuntur*, cum posset dicere CANDIDA. Hinc utique Galatia provincia, in quam Galli aliquando venientes, cum Græcis se miscuerunt; unde primum ea regio Gallo-Græcia; post Galatia, nominata est. » Hæc tamen, non diffiteor ipse, levior est conjectura; verum ab aliis certiora, melioraque sunt expectanda.

XXIII. Jam diximus de omnibus Lactantii libris, tum extantibus, tum deperditis, quos enumerat sanctus Hieronymus; sed parum nobis curæ est de promissis operibus, quæ nusquam forsan extiterunt, quale illud est adversus Judæos (*Lact., Inst. lib.* VII, *c.* 1), cujus veterum nullus meminit. Sic etiam pollicitus fuerat *Disputationes contra omnes mendaciorum sectas* (*Lact., lib.* IV *Divin. Instit., cap. ultimo, et de Ira Dei, cap.* 2). Quod utrumque onus multo gravius erat, quam ut illud feliciter sustinere posset auctor elegantissimus, at in Scripturis sacris non satis exercitatus, nec integre versatus in Ecclesiæ doctrina. Nec plus curamus eos libellos quos *supposititos* appellamus. Memorant doctiores quidam librum de Spectaculis (*in Memoriis Trevoltianis, ad ann.* 1705, *pag.* 1992; *Nouvelles de la République des Lettres, ann.* 1705, *tom.* II, *pag.* 117; *Buddei Lexicon universale, voce* LACTANTIUS), quem dicunt sub nomine Lactantii ex ms. editum esse Venetiis, anno 1705. Hujus copiam mihi facere, imo nec certam habere notitiam potui ex illustrissimorum virorum, atque etiam bibliopolarum litteris Venetias missis. Unde merito hanc editionem fabulam esse putamus, cum viro clarissimo Jo. Ludolpho Bunemanno in Miscellaneis Lipsiensibus, tomo III, pag. 136.

Jam anno 1570 monuerat Michael Thomasius in Antuerpiensi sua editione, carmen de Pascha non esse Lactantii, sed Venantii Honorii Clementiani Fortunati, presbyteri Italici VI seculo, testante ms. codice Bibliothecæ Vaticanæ, in quo leguntur poemata hujus Venantii Fortunati, qui postea fuit Pictaviensis episcopus. Alii versus de Passione Domini ignotum prorsus habent auctorem, at non Lactantium. Hæc nihilominus carmina edidimus, ne forte querantur mo-

Digitized by Google

rosi quidam lectores, putentque truncam esse ac imperfectam nostram editionem.

Quamvis autem antiquiores Lactantiani codices uno contextu scripti sint sine ulla nec sectionum, nec capitum, sed solummodo librorum distinctione : receptam tamen adhibuimus in capita divisionem, summariis additis, ut cuncta legentibus clariora fiant. Medii ævi exemplaria, quale illud est eminentissimi cardinalis de Rohan, sectiones multas habent; nullas reperire est in vetustissimis Regiis et Cameracensi, nec etiam in Sangermanensi ; at codex patrum Capucinorum qui recentior est, vulgatis capitibus distinguitur.

Dictu inutile putavi de stylo Lactantii longius disserere. Sat est observasse cum S. Hieronymo aliisque viris doctissimis, scriptorem hunc disertissimum Ciceronis eloquentiam referre. Nusquam ejus turget, raro assurgit oratio ; sed cum lenitate quadam æquabiliter profluit, non tamen sine nervis et viribus : tam est accurata, tam fortis, ut nulla sit aptior ad persuadendum, sed sine judiciali asperitate, et sine sententiarum forensium aculeis. Puro studet eloquio, perspicuo atque eleganti; sequiturque hanc Ciceronis ipsius normam, « Pacatiorem philosophorum rationem esse, oratorum vero pugnatiorem. » In vocum dispositione tantam sectatur suavitatem, ut etiam apud eloquio potentes Cicero christianus audire mereatur, et Romani Oratoris ingenium omnino sapiat. Habet tamen verba quædam peregrina, sed ea vel sunt illius sæculi quo vixit Lactantius, vel Africanæ terræ solum redolent. Sic Tertullianus, sic SS. Cyprianus, Augustinus et Fulgentius, æque ac Lactantius Africani, verbis quibusdam utuntur insolitis et barbaris. Ea porro in rerum indice diverso, id est, Italico charactere edi curavimus.

In hac vero editione, quæ textum Lactantianum sine typographico errore repræsentat, noluimus auctoris hujus verbis admiscere litteras aut signa, quæ notas indicarent, ne rerum series perturbetur, neve immutetur orationis ordo ; ne tandem frequentiores notulæ textui permistæ, attentum lectoris animum retardent, alioque avertant. Satis esse duximus initio cujusque annotationis apponere voces quæ forent in gratiam minus eruditi lectoris planius explicandæ.

Hæc de nostra sufficiat observasse editione, in qua excudenda vicem suam implet Joannes de Bure, bibliopola, ut doctis emptoribus fiat satis, tam in charta eligenda, quam nitidioribus adhibendis characteribus.

Cæterum si quid forte in notis dictum fuerit a nobis adversus sanctæ, catholicæ, apostolicæ et Romanæ Ecclesiæ scita, cujus judicio hæc nostraque omnia subjecta sunto, illud indictum omnino esse volumus, parati emendare, ubi opus erit.

LACTANTII VITA.

Lucius Cælius vel Cæcilius FIRMIANUS LACTANTIUS, non in Italia, sed in Africa potius natus esse recte creditur. Ibi enim etiam adolescentulus præceptore usus est Arnobio. Nec mos fuit unquam Romanorum aut Italorum Africam petere, ut eloquentiam aut scientias edocerentur ; imo Afri in Italiam disciplinarum aut artium discendarum ergo immigrabant sæpissime. Tunc autem Siccæ (1) rhetoricam docebat Arnobius, quem non æquavit modo, sed etiam vicit dicendi suavitate Lactantius, ita nominatus a lactea, ut aiunt, eloquentia. Circa annum 290, Nicomediam accitus est sub Diocletiano, ut litteras oratorias doceret. Testatur itaque hunc S. Hieronymus (*de Scrip. eccles.*) Ὁ δοιπορικὸν, id est, Itinerarium suum ex Africa Nicomediam usque hexametris versibus descripsisse. Illum ethnicis parentibus fuisse prognatum, atque eorum errores cum lacte simul hausisse colligitur ex eo, quod de se ipse dicat, Epitomes capite 48, paulo ante finem : « Nos qui sumus ex Gentibus ; » et initio capitis 2 de Ira Dei : « Liberati ab errore quo implicati tenebamur, formatique ad veri Dei cultum, justitiam disceremus. » Sic et libro VII, capite ultimo ait : « Abjectis erroribus, quibus antea tenebamur, ad æterna cœlestis thesauri præmia dirigamur. »

Quo vero tempore ad christianam religionem accesserit, certo non constat ; forte tamen anno 295, ut jam diximus. Nihilominus sat nobis est asserere, illum ante inceptam sub Diocletiano, anno scilicet 303, persecutionem cœleste lumen attigisse. Id colligitur ex hoc Divinarum Institutionum loco (*lib.* V, *cap.* 4, *initio.*) : « Cum præsente me, inquit, ac dolente, sacrilegas litteras suas explicassent, » duo philosophi acerrimi christianorum adversarii.

Litteris humanioribus a teneris annis probe fuit excultus Lactantius, cujus præcox ingenium testatur Symposium, quod adolescentulus scripsit in scholis Africæ. Illud autem non putamus esse, quod tamen post Heumannum et Bunemannum edidimus : opus sane juvenile vel etiam puerile, in quo centum quædam explicantur ænigmata. Forsan antequam christianæ militiæ nomen daret, Carmen de Phœnice vulgavit, quod, teste Heinsio aliisque viris doctis, sat est elegans, ut ascribi Lactantio possit, eique revera ascribitur quibusdam in manuscriptis.

Quamvis eloquentiæ daret operam, rhetoricamque

(1) *Sicca*, urbs Africæ propriæ ; vocaturque aliquando *Sicca Veneria*, vel *Sicca Colonia*. *Siccesitanus episcopus* legitur apud Victorem Vitensem in historia Persecutionis Vandalicæ.

Digitized by Google

docceret, forum tamen nusquam attigit, sed, ipso fatente, ad argutam malitiam juvenes erudiebat; quod et Quintilianus multo ante Lactantium fecit, sicut testantur ejus Declamationes. Ut autem tempus tereret, otiumque dulce honestaret, se propter discipulorum penuriam ad scribendum contulit, etiam suscepta religione christiana. Hinc emanarunt opera quædam ab eo vulgata, de quibus supra diximus Præfationis nostræ p. XIV (*col. hujus ed.* 71). Post adeptam veritatem Nicomediæ commoratus est Lactantius ad annum usque 317; ibi ergo fuit toto decennio, quo sæviit odiosa principum crudelitas. Quid hac furente fecerit, qua ratione ipse christianus in tam horrida tempestate catenas aut vincula effugerit, ignotum omnino est. Ille fortasse a principibus ac præsidibus non christianus, sed philosophus potius habebatur. Sic enim de christianis ait ipse (*de Opificio Dei, c. 1, initio*) : « Quo philosophi nostræ sectæ, quam tuemur, instructiores doctioresque in posterum fiant. » His interim elegantissimum librum scripsit de Opificio Dei, stylo tamen mere philosophico, aliosque nonnullos; atque consilium tunc iniit contra philosophos omnes disputandi, ut vanas eorum refelleret opiniones, veritatemque exponeret ac propugnaret : non autem istud eo tempore ad prosperum adduxerat exitum. Anno vero 317 desinente, in Galliam, Nicomedia relicta, accersitus est, ut Crispi, magnæ spei principis, filii Constantini natu maximi, juvenilem ætatem nobilioribus artibus ac scientiis informaret. Tunc enim solum vigesimum ætatis annum attigerat Crispus, cum a patre Cæsar factus est, anno 317, kalendis martiis, ut testantur Idaciani Fasti.

Hujus tam præclari, nobiliorisque muneris nusquam in scriptis suis meminit Lactantius; tantæ modestiæ fuit vir ille eruditissimus! Crispus autem, quamvis juvenis, moderatam tamen studio litterarum navabat operam, ac eodem tempore ita in gerenda republica erat occupatus, ut exercitibus præesset, consul eligeretur annis 318, 321 et 324, Francorum victor anno 320, atque Licinii anno 323, fuerit. Hinc videas illud officium Lactantii litterarium, egregium quidem, at nec servile, nec domesticum, nec tandem ita perpetuum fuisse, ut a scribendo deterreretur. Tunc ergo molitus est Divinarum Institutionum opus, quod prius non modo fuerat meditatus, sed ad quod etiam extruendum eruditas animadversiones, prout tempora dabant, privatis chartis haud dubie consignaverat.

Alia etiam edidit, de quibus jam egimus in Præfatione. Verum ab eo tempore quo Crispum adiit, nil de Lactantio nec sui, nec sequentium temporum notant historici. Id solum observat Eusebius virum hunc, quem eloquentissimum, quem doctissimum appellat, adeo ab aulicis abhorruisse deliciis, vitamque tanta in egestate degisse, ut sæpe etiam necessariis indigeret, quod est ejus in christiana religione inconcussæ constantiæ argumentum. Talis sane erat Lactantii penuria antequam Crispo Cæsari foret addictus. Nec mirum igitur si tanto animo, si tanta cura laudes effundat in paupertatem evangelicam. Dubitetne quispiam, quin Cæsaris præceptor, quem tanti faciebat Constantinus Magnus, princeps benelicus ac liberalis in omnes, sanctissime vixerit, qui opes, qui dignitates, qui honores aliaque bona calcavit mortalia : qui denique Crispum discipulum sic instituit, ut hunc Eusebius Cæsariensis principem optimum et Deo charum appellaverit.

Quo anno, vel qua in urbe obierit Lactantius, omnino incertum est : facile tamen assentior viris doctissimis Christopho Browero et Ægidio Bucherio, qui tradunt, eum Treviris non solum extremam egisse senectutem, sed et supremum diem obiisse, qua in urbe diu moratus fuit Crispus, ad quem fuerat ex Asia accitus auctor noster.

INSIGNIUM VIRORUM TESTIMONIA
DE
L. CÆCILIO FIRMIANO LACTANTIO.

Eusebius Cæsariensis, in Chronico, IV sæculo : *Crispum Lactantius latinis litteris erudiit, vir omnium suo tempore eloquentissimus, sed adeo in hac vita pauper, ut plerumque etiam necessariis indiguerit, nedum deliciis.*

S. Hieronymus, de Scriptoribus eccl., V sæculo : *Firmianus, qui et Lactantius, Arnobii discipulus, sub Diocletiano principe accitus cum Flabo grammatico, cujus de Medicinalibus versu compositi extant libri, Nicomediæ rhetoricam docuit, ac penuria discipulorum ob Græcam videlicet civitatem, ad scribendum se contulit. Habemus ejus Symposium, quod adolescentulus scripsit Africæ, et Ὁδοιπορικὸν de Africa usque Nicomediam, hexametris scriptum versibus, et alium librum qui in-*

ANNOTATIONES.

Flabo. Sic restitui ex mss. 1 Reg., n. 3736, annorum 900, et 1 Clarom. approbante clar. Baluzio, et e mss. PP. Capucinorum. In impressis est *Flavio;* in uno, *Fannio.*

Scripsit Africæ. Ita mss. 1 Reg Tornesianus, et 1 Clarom. nec male, ut apud Ciceronem, *Siciliæ cum essem.* In versione Græca est ἐν τῇ Ἀφρικῇ. Supradictam locutionem latinam ignorantes editiores emendare voluerunt, in pluribus editis tollendo *Africæ;* in duobus præponendo *in scholis τῷ scripsit Africa;* in duobus aliis mutando *adolescentulus* in *adolescentibus*, ita ut legatur *adolescentibus scripsit Africæ.*

Digitized by Google

scribitur Grammaticus, et alium pulcherrimum de Ira Dei, et Institutionum Divinarum adversus Gentes libros septem et Ἐπιτομὴν ejusdem operis in libro uno ἀκεφάλῳ; et ad Asclepiadem libros duos; de Persecutione librum unum; ad Probum Epistolarum libros quatuor; ad Severum Epistolarum libros duos; ad Demetrianum, auditorem suum, Epistolarum libros duos; ad eumdem, de Opificio Dei, vel formatione hominis librum unum. Hic extrema senectute magister Cæsaris Crispi, filii Constantini, in Gallia fuit, qui postea a patre interfectus est.

Idem, Commentar. in Eccles. cap. x :

Firmianus quoque noster in præclaro Institutionum suarum opere... de virtutibus et vitiis plenissime disputavit.

Idem, in cap. iv Epistolæ Pauli ad Ephesios :

Firmianus noster librum de Ira Dei docto pariter et eloquenti sermone conscripsit, quem qui legerit, puto ei ad iræ intellectum satis abunde posse sufficere.

Idem, in epistola 13, ad Paulinum :

Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit.

Idem, in epistola 83 (al. 84), ad Magnum :

Septem libros adversus Gentes Arnobius edidit, totidemque discipulus ejus Lactantius; qui de Ira quaque et Opificio Dei duo volumina edidit : quos si legere volueris, Dialogorum Ciceronis in eis ἐπιτομὴν reperies.

Eucherius episcopus, in epist. ad Valerianum, v sæculo :

Et quando clarissimos facundia, Firmianum, Minutium, Cyprianum, Hilarium, Johannem, Ambrosium, ex illo volumine numerositatis evolveris.

Honorius, Augustodun. presbyter, de Luminaribus Ecclesiæ, sive de Scriptoribus eccles., xii sæculo :

Firmianus, qui et Lactantius, Arnobii discipulus, scripsit in scholis Africæ Itinerarium hexametris versibus, et alium librum, qui inscribitur Grammaticus, et alium pulcherrimum de Ira Dei, et Institutionum divinarum adversus Gentes libros septem; ad Asclepiadem duos; ad Demetrium (lege *Demetrianum*), *auditorem suum, Epistolarum libros septem; de Persecutione unum; ad Probum epistolarum libros quatuor; ad Severum Epistolarum libros duos; ad Demetrianum de Opificio Dei, vel Formatione hominis, librum unum. Hic magister Cæsaris Crispi, filii Constantini, fuit.*

Abbas Trithemius, de Scriptoribus ecclesiasticis, xv sæculo :

Firmianus Lactantius, Arnobii rhetoris quondam auditor, atque discipulus, vir in sæcularibus litteris abundanter doctus, divinis Scripturis nobiliter institutus ita, ut in arte dicendi post Ciceronem facile obtinuerit principatum, rhetoricen primum Nicomediæ, deinde Romæ (male, sed solum *Nicomediæ*) *sub Diocletiano ab eo vocatus gloriose docuit. Et cætera, ut supra.*

Raphael Volaterranus, Antropol., lib. xvi, ut sup., xv sæculo.

Franciscus Petrarcha, Epistolarum Senilium lib. i, epistola 4, ad Joannem Boccacium, xiv sæculo :

De secundo autem, et de utroque quamvis, ut vides, maximi sint auctores, quid tamen vir doctus et eloquens Lactantius Firmianus hinc senserit, non alienum videtur inserere, etc.

Et ibidem paulo infra :

Quid vero si quid tale Lactantio dictum esset? Quid si dictum, et creditum Augustino? Dicam quod in animo est, neque ille tam valide peregrinarum superstitionum fundamenta convelleret, neque iste Civitatis Dei muros tanta arte construeret.

Idem, Invectivar. in medic. lib. primo, ad fin. :

Audi ergo quid Lactantius vir et poetarum et philosophorum notitia, et Ciceroniana facundia, et quod cuncta transcendit, catholica religione clarissimus primo suarum Institutionum libro ait.

Et de Otio religiosorum lib. primo :

Atque in primis Lactantium Firmianum, qui omnem deorum scenam, turpesque latebras scelerum aperiens, totam rei seriem, qui fuerint, quid egerint, qui mores, quæ vita, qui exitus, quæ sepulcra, operosissima disputatione complectitur.

Et libro secundo :

Lactantius Firmianus et ipse magnus vir in eo libro, quo, Gentilium erroribus exarmatis, fidem nostram, quantum quivit, armavit, omnemque hanc deorum scenam mira et laudabili curiositate detexit, inque hoc idem opus Augustino atque aliis sequacibus viam fecit, etc.

Et paulo infra :

Accessit sacer nominandus Ambrosius, accessere Hieronymus, Gregoriusque, novissimus oris aurei Joannes, et exundans lacteo torrente Lactantius. In hoc pulcherrimo comitatu Scripturarum sacrarum fines, quos ante dispexeram, venerabundus ingredior, etc.

Idem, Rerum Memorabilium lib. primo, in M. Varrone :

Vir fide pius, eloquioque sacer Lactantius Firmianus, etc.

Joannes Franciscus Picus, lib. de Stud. divinæ atque humanæ philosoph., cap. 7, xv sæculo :

Quis apud nos non videat esse Ciceronem, sed christianum, hoc est aliquem, qui eum ad lineam unguemque expresserit? Quis enim non advertit Lactantium Firmianum æquasse ipsum, et forte præcelluisse in eloquendo?

Idem, lib. iii Epistolar., epistola 10 :

Lactantius Ciceronis stylum effigiavit, aut, ut quibusdam placet, supergressus est. Mihi videtur rebus et sententiis crebrior, nec numeris injucundior, nec fili æquabilitate et candore posterior : has quippe virtutes maximis viribus et æmulatus et assecutus est : hunc nec æquales, nec posteri momorderunt; nemo elumbem et fractum, Asianum, et redundantem nemo causatus est.

Leonardus Aretinus, in epistola ad Constantiam Sforziam, xv sæculo :

Maxime vero inter omnes, qui de christiana veritate scripserunt, longe eminet, et excellit nitore quodam ac copia Lactantius Firmianus, vir omnium christianorum procul dubio eloquentissimus, cujus libros lege, quæso, si litteras amas.

L. Cœlius Rhodiginus, Antiquarum Lect. lib. vi, cap. 18, xv sæculo :

Lactantius inter christianæ veritatis assertores eloquentia maxime illustris.

Idem, libro ix, cap. 12 :

At ego, o Lactanti, non te quidem dementem dixerim, cum et prudenter et docte scripseris non parum multa.

Et paulo post ibidem :

Hoc fuisse tibi propositum, vir doctissime, et de Christiana veritate optime merite, malim credere, etc.

Joannes Ludovicus Vives, Valentinus, ad finem libri tertii de Tradend. Discipl., xvi sæculo :

Christianorum omnium facundissimus est Lactantius : sonum habet plane Ciceronianum.

Et libro quarto :

Ad efficacem rationem argumentandi Aristoteles, ad civilem Ciceronis Dialogi et Lactantius primas partes feret.

ANNOTATIONES.

Ἀκεφάλῳ. ms. 1 Reg. habet ἀκέφαλον : in edd. est *acephalo*.

Ad Demetrianum. Sic habent mss. 1 Reg. ac Tornesianus, et editi. At in uno ms. Clarom. et apud Honorium Augustodunensem legitur *ad Demetrium*, corrupte, ut videtur ex omnibus tum mss. tum editis Lactantii codicibus.

Extrema senectute. Edd. tres addunt præpositionem *in*, quam cæteri respuunt.

Digitized by Google

Et libro quinto.

Judicium porro, ut quod est in prudentia naturale, doceri non potest, elimari et excoli potest: primum lectione eorum auctorum, qui plurimum bono illo valuerunt Platonis, Aristotelis, Demosthenis, Ciceronis, Senecæ, Quintiliani, Plutarchi; ex nostris autem Origenis, Chrysostomi, Hieronymi, Lactantii, etc.

Joannes Baptista Pius, Annotat. c. 98, xvi sæculo:

Lactantius Firmianus maximus religionis veræ propugnator.

Gregorius Giraldus Veronen., Dialogo quinto de Hist. poetarum, xvi sæculo:

Eodem quo Juvencus tempore fuit et Lactantius Firmianus, unus eloquentiæ Ciceronianæ inter christianos præcipuus æmulator, qui præter ea, quæ multa soluta oratione scripsit, et quæ passim in manibus habentur, versus quoque composuit, etc.

Franciscus Floridus, Subsecivarum Lect. lib. II, cap. 4, xvi sæculo:

Lactantius Firmianus, Arnobii auditor, Latinorum omnium, qui theologica tractarunt, citra controversiam eloquentissimus, nostræque religionis assertor acerrimus, celeberrimi, dum viveret, nominis propter singularem excellentiam a christianæ pietatis cultoribus habitus est, editisque non paucis elegantissimis, magnaque eruditione refertis lucubrationibus, quarum bona pars doctorum manibus teritur, pars vero commune cum cæteris Romanorum scriptis naufragium passa est, sic in omnium ore versatur, quasi qui unice cuncta philosophorum dogmata christianis ex diametro adversantia optimis rationibus pervertens, et gravissimis sententiis, et

A *styli candore unice sit commendandus. Quamobrem fuerint licet, qui alias theologiæ partes facilius, quam ille, atque etiam argutius excoluerint, in iis tamen, quæ ad confutanda Gentium (sic enim vocabantur quicumque ante Christi adventum legem a Moyse traditam non amplecterentur) placita spectant, nemo ad hanc diem extitit (quantum quidem ipse judicare valeo) qui cum Lactantio longo intervallo sit conferendus; vel quia rerum verborumque pondere, ac efficaci quadam naturæ vi susceptum contra munitissimas ethnicorum sententias munus egregie obit, vel quia paucis verbis plurima complectitur, semper (quod de Thucydide perhibet M. Tullius) sibi instans, nullasque sordes, ut alii complures faciunt, secum trahens. Quod nisi tam eximius auctor plurima scripsisset, in quibus vix credas virum tam curiose in sacris profanisque litteris versatum labi potuisse*, eum unum *ex omnibus latinis Scriptoribus maxime deligendum censerem, qui pueris in manibus semper esset, ut eodem tempore illi ex unius lectione, et christianæ fidei rudimenta, et Romani sermonis puritatem discerent*, etc.

B Gulielmus Canterus, Novar. Lect. lib. III, cap. 30, xvi sæculo:

Quem inter Græcos theologos locum Nazianzenus Gregorius obtinet, eum inter Latinos fere Firmianum Lactantium tenere non immerito quis judicet.

Non ex re putavimus ultra progredi: sat est monuisse, neminem inter nostrorum temporum scriptores esse, qui Lactantii nostri cum laude non meminerit. Quamvis eum non inculpatum omnino habeant eruditi, ejus tamen multiplicem doctrinam, variam in re profana eruditionem, summam tandem ejus eloquentiam prædicant omnes.

SYNTHESIS
DOCTRINÆ LACTANTII.

Quoniam plus operæ in falsis refutandis quam in C veris confirmandis posuit Lactantius, ideo pauca fidei nostræ capita plene ab eo sunt exposita: pleraque tantum attigit; plurima non intellexit. Ex iis quæ plenius aliquanto ab eo sunt declarata, est doctrina: de religione christiana, de Deo in genere, de Providentia, de vero Dei Cultu interiore.

Religionis christianæ partes, adjuncta et effecta præclare persecutus est. Partes duas esse statuit religionis: agnitionem Dei et cultum (*Lib.* III, *cap.* 29; *lib.* IV, *cap.* 4, etc.). Adjuncta religionis Scriptura sacra comprehensæ hæc explicat: veritatem, perspicuitatem, antiquitatem, simplicitatem. Veram esse religionem christianam ex eo probat, quod prophetarum vaticinia fuerint impleta, quod prophetæ fallere non potuerint (*Lib.* I, *cap.* 4). Quod apostoli non tantum pro fide mortem subierint, sed etiam morituros esse se et scierint, et prædixerint (*Lib.* V, *cap.* 3). Quod Christiani non errent in vitæ suæ actibus omnibus, unde probabile sit eos nec in ipsa summa, hoc est, in religione, errare (*Lib.* V, cap. 9). Quod Christianorum numerus in ipsa persecutione augeatur: quod iidem dilacerentur variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam teneant patientiam, unde et vulgus colligat, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo tantos cruciatus posse perferre (*Lib.* V, *cap.* 13 et 22).

Perspicuitatem religionis scriptæ asserit (*Lib.* VI, *c.* 21). Num igitur, inquit, Deus et mentis et vocis et linguæ artifex diserte loqui non potest? Immo vero summa providentia carere fuco voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent quæ ipse omnibus loquebatur.

Antiquitatem Scripturæ sive religionis nostræ elicit ex prophetarum ætatibus (*Lib.* IV, *c.* 5), ubi antiquiores, inquit, etiam Græcis scriptoribus prophetæ reperiuntur. Errorem igitur suum sentiant, qui sacram Scripturam coarguere nituntur tamquam novam et recens fictam, ignorantes ex quo fonte sanctæ religionis origo manaverit.

Simplicitate Scripturæ docet multos offendi (*Lib.* V, *cap.* 1), sed injuria. Nec enim decebat aliter, quam nude et breviter eam tradi, ut cum Deus ad hominem loqueretur, non argumentis assereret suas voces, tanquam fides ei non haberetur; sed loqueretur quasi rerum omnium maximus judex: ejus est non argumentari, sed pronuntiare verum (*Lib.* III, *cap.* 1).

Effecta religionis christianæ, quæ quantaque sint, pulchre explicat (*Lib.* III, *cap.* 25). Da mihi, inquit, virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus: paucissimis Dei verbis tam placidum, quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, et pecuniam suam plenis manibus D largientem. Da timidum doloris, ac mortis: jam cruces, et ignes, et taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganconem: jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem et sanguinis appeten-

Digitized by Google

tem : jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injustum, insipientem, peccatorem : continuo et æquus, et prudens, et innocens erit.

Postremo de intelligentia religionis christianæ præclara ejus vox est : Homo per se ipsum pervenire ad hanc scientiam non potest, nisi doceatur a Deo (*Lib.* II, *cap.* 3).

De Deo satis pure docuit, nempe quid sit, qualis sit, et quod unus sit. Deus illi est æterna mens ex omni parte perfectæ consummatæque virtutis (*Lib.* I, *cap.* 4). Idemque æternus et humanis sensibus incomprehensibilis ; sic enim scribit, lib. II, cap. 9 : « Solus Deus est, qui factus non est ; et idcirco destruere alia potest, ipse destrui non potest : permanebit semper in eo quod fuit, quia non est aliunde generatus, nec ortus, nec nativitas ejus ex aliqua re pendet, quæ illum mutata dissolvat. Ex se ipso est ; et ideo talis est, qualem se esse voluit, impassibilis, immutabilis, incorruptus, æternus. » Et lib. II, cap. 5 : « Dei principium, quoniam non potest comprehendi, ne quæri quidem debet. Satis est homini ad plenam perfectamque prudentiam, si Deum esse intelligat, cujus intelligentiæ vis et summa hæc est, ut suscipiat et honorificet communem parentem generis humani, et rerum mirabilium fabricatorem. » Porro esse Deum unum, erudite probat lib. I, a cap. 3 usque ad 8 : argumenta videantur in Analysi.

Hujus Dei filium Christum hinc inde profitetur, quem et Deum, et hominem esse, lib. IV, cap. 13, confirmat. Hujus consilio et opere usum in fabricatione mundi Deum, lib. IV, cap. 6 ; hunc Λόγον rectius dici a Græcis, quam Verbum a Latinis, lib. IV, cap. 9 ; hunc cum voce ac sono ex Dei ore processisse, ejusdem lib. cap. 8, scribit auctor. Epitheta Christo hæc tribuit : nominat eum *legatum*, et *nuntium*, et *sacerdotem summi Patris*, lib. IV, cap. 25 et 29 ; *opificem rerum, vocem et sapientiam Dei, sanctum et incorruptibilem spiritum*, lib. IV, cap. 6 et 9 ; *primum et maximum filium*, quo *consiliatore et artifice* Pater usus sit in rerum creatione, lib. II, cap. 9.

Conciliat etiam apparentem contradictionem in religione nostra, qua unum quidem Deum profitemur, et tamen non Patrem solum, sed et Filium Deum dicimus. « Cum dicimus, inquit, lib. IV cap. 29, Deum Patrem et Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus, quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre secerni ; siquidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cum igitur et Pater Filium faciat, et Filius Patrem, una utrique mens, unus spiritus, una substantia est : sed ille quasi exuberans fons est, hic tanquam defluens ex eo rivus ; ille tanquam sol, hic quasi radius a sole porrectus, qui quoniam summo Patri et fidelis, et charus est, non separatur, sicut nec rivus a fonte, nec radius a sole : quia et aqua fontis in rivo est, et solis lumen in radio. » Et paulo post exemplo hoc illustrat : « Cum quis habet filium, quem unice diligit, qui tamen sit in domo et manu patris, licet ei nomen domini, potestatemque concedat, civili tamen jure et domus una, et unus dominus nominatur. Ita hic mundus una Dei domus est, et Filius ac Pater, qui unanimes incolunt mundum, Deus unus, quia et unus est tamquam duo, et duo tamquam unus. Neque id mirum, cum et Filius sit in Patre, quia Pater diligit Filium, et Pater in Filio, quia voluntati Patris fideliter paret. » Et sub finem capitis : « Unus est solus, liber, Deus summus, carens origine, quia ipse est origo rerum, et in eo simul et Filius et omnia continentur. Quapropter cum mens et voluntas alterius in altero sit, vel potius una in utroque, merito unus Deus uterque appellatur ; quia quidquid est in Patre, ad Filium transtulit, et quidquid est in Filio, a Patre descendit. »

De Providentiæ divinæ solertia sparsim dicit per totum opus Institutionum Divinarum ; nec alia de causa librum de Opificio Dei scripsit, quam ut lucentem in corpore humano providentiam Dei ob oculos hominum poneret, et Epicureorum providentiam negantium sophismatis occurreret.

De vero Dei cultu interiore illustres hic auctor sententias scriptis suis inseruit. Ac primum « Non potest, inquit, ille summus ac singularis Deus nisi per Filium coli : qui solum Patrem se colere putat, sicut Filium non colit, ita ne Patrem quidem » (*Lib.* IV, *cap.* 29). Deinde verum cultum Dei esse scribit, in quo mens colentis se ipsam Deo immaculatam victimam sistat (*Lib.* VI, *cap.* 2). Et lib. IV, cap. 28 : Certum est « nullam aliam spem vitæ homini esse propositam, nisi ut abjectis vanitatibus et errore miserabili, Deum cognoscat et Deo serviat ; nisi huic temporali renuntiet vitæ, ac se rudimentis justitiæ ad cultum veræ religionis instituat. Hac enim conditione gignimur, ut generati nos Deo justa et debita obsequia ei præbeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo et religati sumus, unde ipsa religio nomen accepit. » Et lib. VI, cap. ultimo : « Deo utrumque incorporale offerendum est, quo utitur : donum est integritas animi, sacrificium laus et hymnus. » Item cap. 1 ejusdem libri : « Nihil sancta et singularis illa majestas aliud ab homine interius desiderat (1), quam solam innocentiam, quam si quis obtulerit Deo, satis pie, satis religiose litavit. » Atque hi sunt quatuor loci theologici satis copiose a Lactantio tractati, quibus non incommode addi potest locus de creatione.

Creationis enim causas omnes hinc inde explicat : Efficientem, lib. II, cap. 5 et 9, ubi : « Deus, inquit, fecit ex eo, quod non est, quia per æternitatem fortis est, etc. ;

Materialem, quod ex nihilo omnia condiderit, lib. I, cap. 3 : Virtute atque consilio Dei ex nihilo est conflata immensitas divini operis (*vide et l.* II, *c.* 9) ;

Finalem, quod omnia propter hominem sint condita lib. VII, cap. 4, 5, 6, (*item libro de Ira Dei*, *cap.* 13) ; formalem, quo ordine nimirum Deus singula creaverit, lib. II, cap. 9. De interitu quoque mundi hæc ejus verba leguntur, lib. VII, cap. 1 : « Plato, quia cœleste mysterium ignorabat, ideo in perpetuum dixit esse fabricatum mundum, quod longe secus est. Quoniam quidquid est solido ac gravi corpore, ut initium cepit aliquando, ita finem capiat, necesse est. » Finem specialem hominis conditi ubique affirmat hunc esse, ut Deum colat l. VII, c. 5 ; l. VI, c. 1, etc.

Loci, quos leviter attingit, vere tamen exponit, sunt hi : de Ecclesia, de Objecto adorationis, de Pœnitentia, de Matrimonio, de Lege, de Lapsu hominum, de Peccato, de novissimo Judicio et signis quibusdam mundi finem præcessuris.

De Ecclesia docet quid sit, et quæ sint ejus notæ : « Ecclesia est verum templum Dei, quod non in parietibus est, sed in corde ac fide hominum, qui credunt in eum ac vocantur fideles » (*Lib.* IV, *cap.* 13). Item : « Ecclesia est æternum templum constitutum Deo a Christo universas gentes ad religionem Dei veram convocante. Hæc est domus fidelis, hoc immortale templum, in quo si quis non sacrificaverit, immortalitatis præmium non habebit » (*Lib.* IV, *c.* 14). Fundamenta Ecclesiæ ubique posuerunt apostoli per provincias dispersi » (*Lib.* VI, cap. 21). Notas Ecclesiæ ejusdem libri cap. 30 perstringit : « Sola catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum christianos, et suam esse catholicam Ecclesiam putant : sed sciendum est, illam esse veram, in qua est confessio et pœnitentia, quæ peccata et vulnera salubriter curat. »

De objecto adorationis disserit lib. II, cap. 18 : « Nihil aliud adoremus, nihil colamus, nisi solum artificis parentisque nostri unicum numen, qui propterea hominem erectum creavit, ut sciamus nos ad superna et cœlestia provocari. » Et lib. V, cap. 18 : « Nesciunt, » inquit (loquitur de gentibus), « quantum

(1) Hæc tamen sunt benigne explicanda.

Digitized by Google

sit nefas adorare aliud præterquam Deum, qui condidit cœlum atque terram, qui humanum genus finxit, inspiravit, luce donavit. »

Pœnitentia homines ad Deum reduci docet lib. VI, cap. 24, his verbis : « Nec deficiat aliquis, ac de se ipso desperet, si aut cupiditate victus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus, ad injustitiæ viam lapsus est. Potest enim reduci ac liberari, si eum pœniteat actorum, et ad meliora conversus, satisfaciat Deo; » nam Deus non thure (scribit idem libro de Ira Dei, cap. 21), non hostia humana, non pretiosis muneribus, quæ omnia sunt corruptibilia, sed morum emendatione placatur. Et qui peccare desinit, iram Dei facit mortalem. Idcirco enim non ad præsens noxium quemque punit, ut habeat homo resipiscendi et corrigendi sui facultatem. Est autem Lactantio pœnitentiam agere nihil aliud, quam profiteri et affirmare se ulterius non peccaturum (*Lib.* VI, *cap.* 13). Quem enim facti sui vere pœnitet, errorem suum pristinum intelligit; ideoque Græci melius et significantius *μετάνοιαν* dicunt, quam nos possimus *resipiscentiam* dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem 1° errati piget, deinde castigat seipsum dementiæ, et confirmat animum suum ad rectius vivendum » (*Lib.* VI, *cap.* 2). Liquet etiam ex lib. V, cap. 13, eos, qui in persecutionibus veritatem abnegarunt, tum temporis fuisse receptos in Ecclesiam, modo pœnitentiam agerent : « Licet, inquit, Deo satisfacere; et nullus tam malus Dei cultor est, qui data facultate ad placandum Deum non revertatur, et quidem sæpe devotione majori. Peccati enim conscientia et metus pœnæ religiosiorem facit. »

Matrimonium iis necessarium esse docet, qui affectus frænare non possunt : « Cohibeat eos intra præscriptum legitimi thori, ut et illud, quod avide expetit, assequatur, et tamen in peccatum non incidat, » inquit lib. VI, cap. 23. Et paulo post : « Oportet sibi quemque proponere, duorum sexuum conjunctionem generandi causa datam esse viventibus; eamque legem his affectibus positam, ut successionem parent. » Plura ibidem de castitatis officiis reperies.

Legis capita primaria duo esse docet, quorum unum præcipiat, quid Deo, alterum, quid homini debeatur (*Lib.* VI, *cap.* 9 *et* 10).

Lapsum primorum parentum eleganter describit ex Mose (*Lib.* II, *cap.* 2) : « Criminator ille, inquit, invidens operibus Dei, omnes fallacias et calliditates suas ad decipiendum hominem intendit, ut ei adimeret immortalitatem. Et primo mulierem dolo illexit, ut vetitum cibum sumeret: et per eam ipsi quoque homini persuasit, ut transcenderet Dei legem, etc. »

De Peccato testatur hominem sua culpa injustum esse (*lib.* IV, *cap.* 24), et peccatum omnibus hominibus naturaliter inesse (*Lib.* VI, *cap.* 13).

De novissimo judicio et signis illud præcessuris copiose disserit, lib. VII, et plurima signa nominat cap. 15. Verum ea omnia non satis ad catholicorum mentem expressa sunt.

NÆVI LACTANTII, ET ERRORES.

Diximus quæ fidei capita plene exposuerit, quæ item leviter, vere tamen attigerit : consequens est ut de iis quoque studiosum lectorem moneamus, quæ non satis intellexisse videtur Lactantius, adeoque nævos et errores ejus aperiamus. Sunt autem nævi ejus triplicis generis : quidam enim theologici, alii chronologici, nonnulli philosophici.

Nævi theologici sunt :

Quod periculosa loquendi formula Deum Patrem ex se ipso dicit esse procreatum (*Lib.* I, *cap.* 7).

Quod Filii Dei æternitatem sat diserte non asseruerit. Nam lib. IV, cap. 6, scribit, « Deum antequam præclarum opus mundi adoriretur, Spiritum genuisse, quem Filium nuncuparunt. » Quæ eadem lib. II, c. 8, reperiuntur.

Quod contra fidem historiæ sacræ scribit, Christum numquam se ipsum Deum dixisse; quia non servasset fidem, si missus, ut deos tolleret et unum assereret, induceret alium præter unum (*Lib.* IV, *cap.* 14).

Quod negat a Pilato sententiam in mortem Christi prolatam esse (*Lib.* IV, *cap.* 18).

Quod Christum in Galilæam ait profectum, noluisse Judæis sese ostendere, ne eos ad pœnitentiam adduceret (*Lib.* IV, *cap.* 20).

Quod Spiritum sanctum ne quidem nominet : immo quod in epistolis ad Demetrianum, auctore sancti Hieronymo, Spiritus S. substantiam negavit, et errore Judaico dixit, cum vel ad Patrem referri, vel ad Filium, et sanctificationem utriusque Personæ sub ejus nomine demonstrari.

Quod de præcipuo Christi incarnati officio, sacerdotali nimirum, tacuit, et ideo tantum Christum humanam naturam assumpsisse contendit, ut quemadmodum Pater, ita et ipse Filius esset *ἀπάτωρ* atque *ἀμήτωρ* (*Lib.* IV, *cap.* 13), atque religionem sanctam Dei transferret ad gentes (*Lib.* IV, *cap.* 11); ut universis gentibus, quæ sub cœlo sunt, singularis et veri Dei sanctum mysterium revelaret, et unum illis Deum nuntiaret (*Lib.* IV, *cap.* 12); denique ut exempla virtutis homini præbere posset (*Lib.* IV, *cap.* 25). Quæ omnia quam frigida sint, omisso principe incarnationis Christi fine, nemo non videt.

Quod angelos tum demum homini custodes adhibitos fuisse ait, cum humanum genus in majorem numerum crescere cœpit (*Lib.* II, *cap.* 15).

Quod terræ potestatem ab initio diabolo tributam a Deo, duoque dæmonum genera facta esse asserit, alterum terrenum, alterum cœleste (*Ibidem*).

Quod bonos angelos hominum tutelæ adjunctos dominatorem cœli fallacissimum ad vitia pellexisse, et mulierum congressibus inquinasse, suosque fecisse satellites ac ministros existimat (*Lib.* II, *cap.* 15).

Quod nove dixit, diem, quem primus Oriens subministrat, Dei esse : noctem autem, quam Occidens extremus inducit, qui Deum æmulatur, scilicet diaboli (*Lib.* II, *cap.* 9).

Quod hominem ex diversis et repugnantibus rebus a Deo factum putat. Sic enim scribit, lib. II, cap. 12 : « Ex rebus diversis ac repugnantibus homo factus est; sicut ipse mundus ex luce ac tenebris, ex vita et morte : quæ duo inter se pugnare in homine præcepit, ut si anima superaverit, quæ ex Deo oritur, sit immortalis, et in perpetua luce versetur; si autem corpus vicerit animam, ditionique subjecerit, sit in tenebris sempiternis et in morte. »

Quod hominem mortalem atque imperfectum e terra fictum affirmat (*Lib.* VII, *cap.* 5 et 14).

Quod eumdem immortalitatem propriis viribus adipisci statuit (*Ibid.*).

Quod fingit Deum infinitam multitudinem animarum creasse, quas primo fragilibus et imbecillibus corporibus illigatas constitueret inter bonum malumque medias, ut constantibus ex utrisque naturis virtutem proponeret, ne immortalitatem delicate assequerentur, etc. (*Lib.* VII, *cap.* 5. *Vide tamen not. ad cap.* 18, *lib.* III).

Quod cum, lib. V et VI, de justitia christianorum orationem ex professo instituerit, tamen de philosophica tantum seu legis justitia disputat, et justitiæ fidei, quæ Evangelii propria est, ne verbulo quidem meminit.

Quod spiritum, sive animam hominis justitiæ operibus emereri, ut fiat æternus spiritus (*Lib.* IV, *cap.* 25); quod item largitione perpetua peccata carnis aboleri (*Lib.* VI, *cap.* 13), asserit.

Quod iis tantum ignosci scribit, qui ad peccatum imprudenter incauteque labuntur : veniam non habere, qui sciens peccat (*Ibid.*).

Quod de perfectione hominis renati contradictorias sententias tuetur, et quidem in uno eodemque libro, nimirum sexto : fatetur, quod nemo esse sine delicto possit, quamdiu indumento carnis oneratus est, cap. 13. Et tamen cap. ultimo verum Dei cultorem

Digitized by Google

nihil vult aliud precari, nisi peccatis suis veniam, licet nulla sint.

Quod ideo Deum permittere malum grassari sentit, ut virtutis ratio constet (*Lib.* v, *cap.* 7). Hoc fine scribit permittere Deum errores (*Lib.* II, *cap.* 17); hoc fine diabolum a Deo excitatum ait, libro de Opificio Dei, c. 20. Hoc fine tantam vim natricum viperarumque factam a Deo putat (*Lib.* VII, *c.* 4, *et libro de Ira Dei*, *c.* 13).

Quod quoties oramus, credere non vult, tentari nos a Deo, an simus digni exaudiri (*Lib.* VI, *c.* 13).

Quod militiam homini justo non licitam esse putat, nec accusare quemquam crimine capitali (*Lib.* VI, *c.* 20).

Quod animas scribit post mortem in una communi custodia detineri, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen (*Lib.* VII, *c.* 21).

Quod de fine sæculi, novissimo judicio et imperio mille annorum, periculosas opiniones, lib. VII, c. 14, 15, 16, 17, etc., inseruit. Ex illis enim liquet, Lactantium contra Scripturam duas asseruisse resurrectiones, alteram ad aureum sæculum millenarii, alteram ad destructionem diaboli et impiorum; duo item judicia universalia. Liquet statuisse eum tantum pios, non autem et impios judicatum iri.

Quod denique mire negatur non solum de Antichristo, verum de adventu etiam Heliæ in terram, conversuro multos ad Dei cultum (*Lib.* VII, *c.* 17).

Fuere qui Manichæismi quoque Lactantium accusare non dubitaverunt. Sed quia nec Hieronymus, nec quisquam alius veterum hunc in Lactantio errorem animadvertit, quia item vetusti codices non habent ea, quæ in recentioribus editionibus pro Manichæis facere videbantur, apparet inde, hujus quoque auctoris libros a Manichæo quodam fuisse interpolatos.

Nævi chronologici.

Quod Mosen nongentis fere annis Trojanum excidium antecessisse scribit, cum Eusebius tantum trecentos quinquaginta numeret. *Sed hæc controversia adhuc est sub judice. Multi enim ejusdem sunt opinionis ac Lactantius.*

Quod imperium regum Israelitarum annis quadringentis sexaginta desinit, doctioribus chronologis annos quingentos et quindecim numerantibus (*Lib.* IV, *c.* 5).

Nævi philosophici sunt :

Quod antipodes esse negat (*Lib.* III, *c.* 22).

Quod inter alias summi boni conditiones et hanc ponit, ut solius sit animi, nec communicari possit cum corpore (*Lib.* III, *c.* 9). At, inquam ego, si summum bonum hominis quæritur, homo autem non ex sola anima, sed ex anima et corpore simul constat, utique non solius animi, sed animi et corporis simul summum bonum erit : quemadmodum immortalitas, quam Lactantius summum bonum nominat, ad corpus pariter et animam referetur.

Quod reprehendit viri boni definitionem Ciceronianam, qua nemini nocere vir bonus dicitur, nisi injuria lacessitus (*Lib.* VI, *c.* 18), cum Cicero non de privata, sed publica vindicta loquatur.

ANNOTATIONES CENSORIÆ

IN QUÆDAM LACTANTII ERRATA,

EX CODICE MANUSCRIPTO BIBLIOTHECÆ REGIÆ

NUMERO MDCLXXIII, INTER THEOLOGOS, IN-FOLIO.

LUCII CŒLII LACTANTII FIRMIANI DIVINARUM INSTITUTIONUM ADVERSUS GENTES, AD CONSTANTINUM IMPERATOREM, LIBER PRIMUS.

E REGIONE HUJUS PAGINÆ PRIMÆ HÆC LEGUNTUR : Correctum volumen hoc juxta censuram admodum Rev. Patris Jo. Mariæ Brasichel, sacri Palatii apost. magistri, anno 1607, *a summo pontific. Paulo V constituti, ordinis Fratrum Prædicatorum generalis electi, anno* 1608, *atque in amplissimo cardinalitiæ dignitatis gradu anno* 1611 *collati.*

PORRO AD MARGINEM HÆC INFRA LEGUNTUR :

De Lactantio Firmiano plura S. Hieronymus in Catalogo et epistola 83, ad Magnum, quem mirifice ab eloquentia laudat. Cæterum ne contingat quempiam in Lactantii operum lectionem impingere, prænonendus lector, quam ipsi circumspecte et suspenso pede in pervolvendis ejusdem auctoris scriptis sit. Eumdem S. Damasus romanus pontifex epistola ad S. Hieronymum, quæ est 124 inter Hieronymi epistolas, hæc ait : « Fateor quippe tibi eos, quos jampridem Lactantii dederas libros, ideo non libenter lego, quia et plurimæ epistolæ in eis usque ad millia spatia versuum tenduntur, et raro de nostro dogmate disputant. Quo fit, ut et legenti fastidium generet longitudo; et si quæ brevia sunt, scholasticis magis sint apta, quam nobis, de metris, et regionum situ, et philosophis disputantia. »

Hæc S. Damasus : sed et S. Hieronymus, epist. 13, ad Paulinum inquit : « Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit! » Et l. II, in Epistolam ad Galatas cap. IV, ait : « Multi per imperitiam Scripturarum (quod et Firmianus in octavo ad Demetrianum epistolarum libro facit) asserunt Spiritum sanctum, sæpe Patrem, sæpe Filium nominari. » Rursum Apologia ad Pammachium et Oceanum inquit : « Lactantius in libris suis, et maxime in epistolis ad Demetrianum, Spiritus sancti omnino negat substantiam et errore judaico dicit, eum ad Patrem referri, vel ad Filium; et ad sanctificationem utriusque Personæ sub ejus nomine demonstrari. Quis mihi interdicere potest, ne legam ejus Institutionum libros, quibus contra gentes scripsit fortissime, quia superior sententia detestanda est? » Hactenus S. Hieronymus.

S. Gelasius in concilio romano sic pronuntiat : Opuscula Lactantii apocrypha. Ita sane S. Pontifex, gravi maturoque judicio censuit. Nam in his Lactantii operibus multiplices errores et sententiæ a puritate orthodoxæ doctrinæ discrepantes. Earum indicem magister Antonius Raudensis ad finemque librorum Lactantii attexuit. Verum et Francisco Philelpho lib. IV Epistolarum, et multis eruditis visum (est) censuras Raudensis in quibusdam nimium atroces,

Digitized by Google

in aliis ineptas, multaque alia castigatione digna omisisse.

Libro I, ad caput 7 : *Verum quia*, etc. Caute lege ista omnia ad finem usque capitis, nam vehementer abhorrent a more loquendi theologorum : neque enim Deus a se ipso genitus est, aut procreatus, cum nihil magis impossibile (sit) quam aliquid seipsum generare aut producere; nec videntur verba Lactantii in bonum aliquem sensum posse reduci, nisi negative; *a se ipse genitus*, id est, *non ab alio genitus*. Denique in hac causa, quam illud absurdum : *fieri non potest, quin id quod sit, aliquando esse cœperit*. Vide *Apparatum* sacrum Possevini in Gilberto Genebrardo.

Libro II, ad caput 14 : *In centum et* XX *annis*. Dissentiunt ab hac Lactantii opinione, quæ etiam fuit Josephi, S. Hieronymus in traditionibus hebraicis in Genes. VI. S. Chrysostomus Homil. 20, in Genesim, et plerique ferme omnes. Vide Sixtum (Senensem) lib. V Bibliothecæ, annotat. 75, et recentiores interpretes in VI Genesis.

Eodem libro II, capite 15, *Cum ergo numerus hominum*, etc. Circumspecte legendum hoc caput, nam nonnullos errores Lactantius implicat. Primus est, Deum ab initio tribuisse diabolo terræ potestatem. Secundus, angelos non missos ad hominum tutelam, nisi postquam genus humanum cœpisset increscere. Tertius, præcepisse Deum bonis angelis, ne terræ contagione macularentur, ne substantiæ cœlestis amitterent dignitatem. Quartus, diabolum paulatim pellexisse bonos angelos ad vitia, et eos mulierum congressibus inquinasse. Quintus, hoc esse peccatum, ob quod angeli e cœlo ceciderint. Sextus, e congressu illo angelorum cum feminis natum esse tertium genus eorum, qui neque angeli cœlestes, neque homines, neque dæmones inferni fuere; sed sobolem quamdam terrestrium dæmonum, qui sunt hominum tentatores, deceptores, magicarum artium et humanarum calamitatum ac malorum auctores. Sunt omnia ista dogmata absurda, erronea, et a sincera theologorum doctrina prorsus aliena. Consule Sixtum (Senens.) lib. V Bibliothec., annot. 77, et alios interpretes capit. VI Geneseos.

Libro III, capite 24 : *Quid illi qui esse contrarios*, etc. Quod Antipodes cum aliis priscis auctoribus Lactantius tollat, refellitur evidentia perspicua novi orbis, et auctoritate quoque insignium ex antiquitate scriptorum, ut fuse demonstrat F. Thomas Malvenda lib. III de Antichristo, cap. 14. Quæ vero contra cœli volubilem rotunditatem disserit, etsi eadem quoque nonnulli philosophi et Patres docuisse reperiantur, at revincuntur aperte, et auctorum testimoniis, et claris philosophiæ astronomiæque demonstrationibus. Vide quæ eodem loco (Thomæ Malvendæ) notantur.

Eodem libro III, capite 25 : *Nunc pauca nobis de Philosophia*, etc. Caute lege hoc caput; nam si Lactantius omnem antiquorum Gentilium philosophiam reprehendit, non satis consulte facit, cum multa et vera, et recta illa philosophia contineret, quæ usui et utilitati humanæ vitæ essent. Si vero philosophiam in universum damnat, nullo pacto ferendus est, et repugnat communi Patrum et Ecclesiæ sensui. Vide Alphonsum Castrum libro XIII adversus Hæreses, verbo *Scientia*.

Libro VI, capite 2 : *Mactant igitur opimas ac pingues*, etc. Cum judicio accipe quæ hoc capite Lactantius disserit de non accendendis candelis et cereis in templis; nam ut recte invehitur in gentilicum et superstitiosum ethnicorum ritum : ita satis improvide ansam Novatorum quibusdam præbuisse videtur carpendi pium et religiosum morem accendendi cereos et lampades in ecclesiis ad altaria, ad reliquias martyrum, etc., quem quoque sanctum usum impius Vigilantius sugillabat. Vide Bellarm. lib. de Reliquiis Sanctorum, cap. 3 et 4; et Baronium tom. I Annalium, anno Domini 58.

Eodem libro VI, capite 20 : *Non enim cum occidere Deus vetat*, etc. Caute lege decem aut undecim istas lineas; nam duo docet Lactantius a recta theologiæ ratione prorsus abhorrentia. Primum, non esse licitum occidere hominem in judicio et a publica potestate, neque accusare quemquam crimine capitali, qui est manifestus error. Vide S. Thomam. 22, quæst. 64, art. 2 et 3, ejusque interpretes; et Bellarminum libro III de Laicis, cap. 12 et 13. Secundum, neque licere christianis militare, quæ fuit hæresis Manichæorum, et nostro sæculo Erasmi aliorumque Novatorum. Vide S. Thomam 2-2, quæst. 40, art. 1, ejusque interpretes; Sixtum lib. VI Bibliothec., annot. 156; Bellarmin. lib. III de Laicis, c. 64.

Eodem libro VI, capite 25 : *Nunc de sacrificio ipso*, etc. Non satis cordate disputat hoc capite Lactantius de externo Dei cultu, templis eorumque ornatu, donariis, sacrificio; videtur enim omnem externum Dei cultum improbare. Equidem præcipuum Ecclesiæ sacrificium Eucharistiæ externum quoque magna ex parte est, et externo ritu mactatur. Insuper etsi cultus internus mentis et spiritus sit præcipuus, et quem magis ab unoquoque nostrum requirit Deus; nam ille externus sine interno non affert salutem christiano : at externus Dei cultus ex se pius, sanctus, bonus, et Deo gratus est; externaque ornamenta Ecclesiarum, quæ partim in fabricis, partim in vasis aureis, vestibus sericis, etc. consistunt, ex ipso suo genere faciunt ad pium et sanctum Dei cultum; et contrarium sentire hæresis est Petrobrussianorum et Wiclefistarum, ac Novatorum nostri temporis. Vide Bellarminum lib. III de Cultu Sanctorum, cap. 6; et (Baronium) tom. I Annalium anno 57.

Quod vero attinet ad mentem Lactantii hoc capite, eum in bonum sensum recte reducit Thomasius in Notis, quas hic ad finem capitis affixit; tametsi Lactantius non satis circumspecte loquatur.

Libro VII, capite 14 : *Sciant igitur philosophi*, etc. Sex millium annorum spatio totam mundi durationem, nedum hic Lactantius, sed multi quoque alii Patres inclusere; quorum sententiæ hac in re singulares quemadmodum sint accipiendæ, fuse demonstrat P. Thomas Malvenda theologus Dominicanus lib. I de Antichristo, cap. 28, 29, 30. Vide Sixtum lib. V Bibliothec., annot. 190.

Eodem libro VII, capite 27 : *Propheta magnus mittetur a Deo*, etc. Lactantius haud probe tenens vaticinium Apocalypsis XI, quæ ibi de duobus prophetis Henoch et Elia tempore Antichristi venturis prædicantur, ipse uni tantum hic tribuit. Vide librum de Antichristo P. Thomæ Malvendæ theologi Dominicani lib. IX, cap. 16, ad finem.

Eodem libro VII, capite 19 : *Oppresso igitur orbe terræ*, etc. Lactantius sacrarum Scripturarum non satis peritus, ut ait S. Hieronymus, verba Apocalypsis XVI haud penitus introspiciens, quædam hoc capite de Antichristo non satis consona prodit : accurate excutiuntur ea lib. X de Antichristo Thom. Malvendæ, cap 11 et 13.

Eodem libro VII, capite 21 : *Igni sempiterno cujus natura*, etc. Tametsi non sit erroneum aut temerarium asserere, ignem inferni esse alterius naturæ ab hoc nostro elementari, dummodo verus et corporeus ignis agnoscatur : at melior et probabilior theologorum sententia est, esse ejusdem naturæ et speciei cum hoc nostro, quibusdam tamen qualitatibus distinctum. Vide Dominicum Bannes I parte Quæst., artic. 2, dubio 2, conclus. 2.

Eodem capite 21 : *Sed et justos cum judicaverit*, etc. Error iste Lactantii de expurgandis igni justorum corporibus post universale judicium, rejectus est ab scholis theologorum. Vide Sixtum lib. V Bibliothec., annot. 170, 171.

Eodem capite 21 : *Nec tamen quisquam putet*, etc. Hæresis est manifesta, ab Ecclesia damnata, asserere animas justorum corpore solutas, ac nulla purgatione egentes, non statim admitti ad claram Dei

Digitized by Google

visionem, seu essentialem beatitudinem. Cujus quoque erroris fuisse videtur Lactantius; nam ejus verba vix quidem admittunt sanum intellectum. Vide Sixtum libro VI Bibliothecæ, annot. 345; Bellarminum lib. I de Sanctorum Beatitudine, cap. 1, 2, 3, 4, 5 6; Coccium tom. I Thesauri Catholici lib. V, artic. 2.

Eodem, lib. VII, capite 22 : *Hæc eos ratio fefellit*, etc. Hic addito scholion inferius positum ad cap. 21.

Eodem libro VII, capite 24 : *Nunc reliqua subnectam*, etc. Quæ tribus istis postremis hujus libri capitibus, nempe 24, 25, 26. Lactantius prolixe disputat de resurrectione prima hominum, de aureo Christi mille annorum regno in terris post resurrectionem primam; de alligatione diaboli per A mille annos, ejusque solutione, ac prælio Gog et Magog, ex perperam intellectis vaticiniis Apocalypsis XX, sunt ea fere omnia a sensu Scripturæ sacræ, et ab Ecclesiæ sanctorumque Patrum doctrina prorsus aliena, ac palam erronea, ut fuse ostendit P. Thomas Malvenda, theologus Dominic., lib X, de Antichristo a cap. 3, ad 11.

Eodem libro VII, capite 25 : *Jam superius ostendi*, etc. Vide notam superius ad cap. 24. Quod autem hic addit Lactantius, a suo tempore ad finem usque mundi tantum superfuisse ducentos annos, et experientia ipsa, et manifesta ratione erroris convincitur. Vide librum de Antichristo Patris Thomæ Malvendæ, theologi Dominicani, lib. II, caput 30.

PROPOSITIONES

QUÆ IN LACTANTIO REPERIUNTUR

AD FIDEM PERTINENTES, A CATHOLICIS CAUTE LEGENDÆ, IN NOTIS,

VEL PIO SENSU EXPLICATÆ, VEL CONFUTATÆ, EX EDITIONE ISÆI DESUMPTÆ.

Eæ sunt numero quatuor et nonaginta : loca vero, ubi B *toto in opere sparsim antehac periculose legebantur, supra centum et septuaginta.*

1. Deum, amotis Angelis, solum vel solitarium esse, lib. I Institut., cap. 7; lib. IV, cap. 8.

2. Deum Angelos, vel homines genuisse, lib. I, cap. 7; lib. II, cap. 13.

3. Deum ex se ipso genitum, factum, vel procreatum esse, lib. I, c. 7; lib. II, c. 9.

4. Templorum usum supervacuum, lib. I, c. 20; lib. II, c. 2, lib. V, c. 8; lib. VI, cap. 25; lib. de Ira Dei, cap. ult.

5. Non altaria Deo extruenda, non sacrificia facienda, lib. I, c. 20; lib. II, c. 2; lib. VI, c. 1, 20 et 25; lib. VII, c. 6. Epitom., c. 2. lib. de Ira Dei, c. 21.

6. Non munera Deo offerenda, non templa exornanda, lib. II, c. 4; lib. V, c. 8; lib. VI, c. 1 et 25. Epitom. c. 2; lib. de Ira Dei, c. 21.

7. Imaginum usum supervacaneum esse, lib. II, c. 2, 3, 7, 18 et 19.

8. Hominem esse hominis animam : corpus autem C hominis animæ ipsius vas, receptaculum, hospitium, domicilium, vestem, indumentum esse, lib. II, c. 2, 3 et 13; lib. III, c. 18; lib. IV, c. 21 et 26; lib. V, c. 22; lib. VII, c. 12; lib. de Opificio Dei, c. 1, 4 et 20.

9. Brutis rationem inesse, et ab homine sola religione differre, lib. II, c. 3 et 9; lib. III, c. 10; l. VII, c. 9; lib. de Ira Dei, c. 7.

10. Sapientiam omnibus hominibus æqualiter a Deo datam esse, lib. II, c. 8; lib. III, c. 25.

11. Deum ad excogitandum prudentissimum esse, lib. II, c. 9. (*Vide p.* 143, *not. ad lin.* 5.)

12. Dei Filium Dei spiritum esse, lib. II, c. 9; l. IV, c. 6, 8, 9 et 18.

13. Supremum Angelum ante mundi molitionem creatum fuisse, l. II, c. 9.

14. Supremum Angelum divinam stirpem extitisse, l. II, c. 9.

15. Supremi Angeli peccatum fuisse peccatum invidiæ, l. II, c. 9.

16. Dei Filium Deo Patri perseverando probatum fuisse, l. II, c. 9.

17. Verbum Dei primum et maximum Dei Filium inter Angelos esse, l. II, c. 9; l. IV, c. 8, 10 et 14; juxta unam lectionem, ibi, principem Angelorum.

18. Corpus hominis esse animæ septum, vinculum, laqueum, custodiam, carcerem, l. II, c. 9; l. VII, c. 2, 5, 8, 12. *Hæc jam supra, propositione* 8.

19. Duo principia, et duos rerum duces esse, alterum bonarum, alterum malarum, l. II, c. 10, 15, 18; l. VI, c. 3 et 6.

20. Animæ materiam in calore esse, l. II, c. 10.

21. Animam humanam ignem esse, l. II, c. 13.

22. Animam humanam ex Dei spiritu, vel ex Dei substantia esse, l. II, c. 13; l. VII, c. 12.

23. Adam fuisse ab initio boni ac mali nescium, sed ab esu vetiti fructus adeptum boni ac mali scientiam, l. II, c. 13.

24. Justorum animas post universale judicium in paradisum terrestrem introductum iri, l. II, c. 13.

25. Deum post diluvium vitæ hominum metam in centum et viginti annis collocavisse, lib. II, c. 14.

26. Angelos a Deo missos ad custodiam atque tutelam humani generis, cum numerus hominum cœpisset increscere, l. II, c. 15.

27. Eis Deum præcepisse, ante omnia, ne terræ contagione maculati substantiæ cœlestis amitterent dignitatem, *ibid.*

28. Eos subinde a diabolo ad vitia pellectos, et mulierum congressibus inquinatos fuisse, *ibid.*

29. Idcirco propter eorum peccata non ultra receptos in cœlum, in terram decidisse, *ibid.*

30. Eorum autem filios, quia neque Angeli, neque homines fuerunt, sed mediam quamdam naturam gerentes, nec ad inferos nec in cœlum receptos fuisse, *ibid.*

31. Ita duo genera dæmonum facta fuisse, cœleste unum, terrenum alterum, *ibid.*

32. Dæmones aliquod solatium acquirere ex hominum perditione, l. II, c. 15.

33. Dæmones esse quosdam spiritus tenues, et incomprehensibiles, l. II, cap. 15.

34. Dæmones hominum valetudinem vitiare, l. II, c. 15.

35. Dæmones nullum sibi honorem appetere, l. II, c. 17.

36. Deum vere et proprie quibusdam affectibus commoveri, l. II, c. 18; l. de Ira Dei, c. 2, 15 et 16.

37. Deum vere et proprie irasci, l. II, c. 18, et toto l. de Ira Dei, præsertim, c. 16 et 17.

Digitized by Google

38. Animæ humanæ originem e cœlo esse, l. II, c. 19, l. VII, c. 9 et 12.

39. Cœlum, terram, mundum denique rotundæ, sive orbicularis figuræ non esse, l. III. c. 24.

40. Diabolum non statim post transgressionem ad pœnam detrusum, sed in hunc mundum manere permissum, etc., l. III, c. 29; l. VII, c. 26.

41. Divina providentia aversos fuisse philosophos, ne scire possent veritatem, l. IV, c. 2.

42. Deum patrem dignatum fuisse Filium suum appellatione divini nominis, l. IV, c. 6.

43. Christum fuisse a principio Filium Dei, lib. IV, cap. 8.

44. Filium Dei a Deo Patre fuisse procreatum, l. IV, c. 8.

45. Dei Verbum spiritum esse cum voce et tono ex ore Dei prolatum. l. IV, c. 8.

46. Dei Filium Angelum esse, l. IV, c. 8 et c. 14; juxta unam lectionem, ibi, principem Angelorum.

47. Angelos Dei spiritus esse ex Dei naribus tacite prolatos, l. IV, c. 8.

48. Hominis spiritus dissolubiles esse, l. IV, c. 8.

49. Christum, cum carnem humanam sumpsit, hominem induisse, gessisse, l. IV, c. 10.

50. Christum passum esse anno quinto decimo Tiberii Cæsaris, lib. IV, c. 10.

51. Deum noluisse Filium suum in primo adventu in claritate et potestate cœlesti mittere, ut ingratus in Deum populus Judæorum in errorem induceretur, l. IV, c. 11.

52. 53. Duas resurrectiones futuras in fine sæculorum. Post primam resurrectionem Christum mille annis in terra cum justis regnaturum. Quo tempore multa eventura pronuntiat, quæ falsa notantur, ipso regno mille annorum sublato, l. IV, c. 12, in fin.; l. VII, c. 2, 14, 19, 20, 21, 22, 24, 25 et 26. Epit., c. 11.

54. Infirmatum Virginis uterum, et factam in multa miseratione matrem Virginem, l. IV, c. 12.

55. Hierosolymam a Salomone conditam fuisse, l. IV, c. 13 et c. 18.

56. Christum mediam inter Deum et hominem substantiam gessisse, sive medium inter Deum, et hominem esse, l. IV, c. 13 et c. 25.

57. Christum Deum et hominem fuisse ex utroque genere permistum, l. IV, c. 13.

58. Christum initio adolescentiæ suæ baptizatum fuisse, l. IV, c. 15.

59. Christum legem Dei solvisse, l. IV, c. 17.

60. Pilatum sententiam adversus Christum non tulisse, l. IV, c. 18.

61. Christum Dominum passionis tempore coloris punicei veste indutum fuisse, lib. eod., cap. eod.

62. Christum post passionem suam se Judæis ostendere noluisse, ne adduceret eos in pœnitentiam, et eos resanaret, l. IV, c. 20.

63. Deum parum virtutem docere non potuisse, quia expers corporis non fecisset, quæ doceret; ideo Christum carnem sumpsisse, l. IV, c. 23.

64. Christi corpus e cruce intactum sublatum, ne ad resurgendum inhabile redderetur, l. IV, c. 26.

65. Christianos, cum unum Deum esse dicant, duos tamen asserere, Deum Patrem, et Deum Filium, l. IV, c. 29. (*Hæc minus bene ab Isæo reprehensa esse videntur.*)

66. Patrem a Filio fieri, et Filium vicissim a Patre, l. IV, c. 29. (*Hæc etiam plano sensu explicantur : quod enim constituit patrem, vel paternitatem est filius vel filiatio ; sicut paternitas constituit filiationem*)

67. Usum luminum in templis supervacuum, l. VI, c. 2.

68. Qui sciens peccat, apud Deum veniam non habere, l. VI, c. 13.

69. Qui ab operibus malis abstinet, satis justum esse, l. VI, c. 13.

70. Maximum crimen esse illius, qui parum lætetur, cum adversi quidpiam inimico suo videat accidere, l. VI, c. 16.

71. Justo militare non licere, l. VI, c. 20.

72. Justo accusare quemquam crimine capitali non licere, l. VI, c. 20.

73. Præceptum in Decalogo positum, « Non occides, » simpliciter et absque ulla exceptione intelligendum esse, ut nullo modo liceat hominem occidere, l. VI, c. 20.

74. Deum corpore præditum esse, lib. VII, cap. 5, Epitom. 10, de Ira Dei, 2 et 18, de Opific. 2 et 8.

75. 76. Mentem humanam in quiescentibus somno sopiri, in furiosis penitus extingui, contagio corporeæ imbecillitatis ægrescere, lib. VII, cap. 12, Opific. cap. 18.

77. Animam humanam emissam corporis claustro ad sedem suam revolare, l. VII, c. 12.

78. Mundum sex millibus annorum duraturum, l. VII, c. 14 et 25 Epitom., c. 11.

79. Adam mille annis vixisse, l. VII, c. 14.

80. Non ante venturum Antichristum, quam Roma pereat, l. VII, c. 15 et 25.

81. Hostem superventurum decem Regibus in fine mundi, qui illos subigat, mox et ipse ab Antichristo subigendus, et occidendus, l. VII, c. 16 Epitom., c. 11.

82. In fine mundi prophetam missum iri a Deo, l. VII, c. 17.

83. Post prædicationem illius prophetæ Antichristum oriturum, l. VII, c. 17.

84. Malo spiritu Antichristum generatum iri, l. VII, c. 17.

85. Impios non resurrecturos in judicium, l. VII, c. 20.

86. Animam humanam spiritum esse, et ideo corpore exutam parem levibus ventis esse, lib. VII, c. 20.

87. Carnem, quam Deus homini superjecerit post resurrectionem non hunc terrenæ fore similem, l. VII, c. 21.

88. Ignem inferni diversum natura esse ab hoc nostro, l. VII, c. 21.

89. Ignem inferni purum esse, et lucidum, etc., l. VII, c. 21.

90. Pœnas animarum et præmia differri usque ad diem universalis judicii, l. VII, c. 21.

91. Affectus interdum ad delinquendum cogere, Epitom., c. 4.

92. Deum auctorem esse malorum, l. de Ira Dei, c. 5.

93. Deum proposuisse bonum et malum, l. de Ira Dei, c. 15.

94. Aere ali animam, cibis corpus, lib. de Opific., c. 11.

ELENCHUS MANUSCRIPTORUM

CODICUM LACTANTII.

MANUSCRIPTI CODICES :

Balliolensis Oxonii in Anglia ms. codex, complectens septem libros Divinarum Institutionum, ac librum de Ira Dei. Eo usus est Thom. Sparckius in editione Oxoniensi anni 1684.

Digitized by Google

Baluzianus, seu clariss. necnon eruditissimi viri Stephani Baluzii Tutelensis ms. codex bonæ notæ 400 annorum. In eo sunt liber de Ira Dei incipiens a capite 8, et liber de Opificio Dei. Hic codex nunc est in Bibliotheca Regia, forma octava, numero 2967 : quem videas infra.

Codex ms. Divin. Institutionum a Barthio visus, cujus tamen paucissimæ sunt variantes lectiones a Barthio excerptæ.

Ms. codex quo usus est Betuleius in editione, quæ post mortem ejus emissa est anno 1563; parce tamen hoc ms. usus videtur Betuleius.

Bodleianus Oxonii, continens libros Divinarum Institutionum, cum Epitome, et de Ira Dei, ac de Opificio Dei. Codex optimus, quo usus est Thomas Sparkius in editione 1614. Incipiunt variæ lectiones secundo tantum libro Divinarum Institutionum.

Duo Codices Cœnobii S. Salvatoris Bononiensis, quorum antiquior dicitur esse mille annorum, mihi vero ex specimine 900 annor. ætatem superare non videtur; non sunt enim litteræ quadratæ nec capitales; sunt potius similes ms. Regio 900 annorum notato 3735. Est equidem bonæ notæ; et quandoque differt a cæteris, ac nonnullas habet interpolationes. Hujus antiquissimi codicis specimina ediderunt Leo Allatius in Hetruscis Antiquitatibus; clarissimus D. Bernardus de Montfaucon in Diario Italico, et in Palæographia Græca, atque etiam D. Nicolaus le Nourry, tom. II Apparatus ad Bibliothecam SS. Patrum, p. 616.

Alterum exemplar Bononiense recentius est, sed priori non impar. Utrumque a Thomasio, quem Isæus sequitur, collatum ac sapius citatum. Multo plures horumce amborum mss. codicum variantes lectiones a Latino Latinio in ora sui Lactantii notatas habuit Joan. B. le Brun, cura, et studio litterati viri Petri Hemard, Stampensis, in senatu Parisiensi advocati. Simile exemplar, idque autographum Latini Latinii habuit Lengletius ex celeberrima Sanctæ Genovefæ Bibliotheca. Non equidem ipse Latinius contulerat mss. Bononiensia : sed varias eorum lectiones acceperat, anno 1558, a Michaele Thoma Taxaquetio, qui alius non est a Thomasio, Lactantii editore. De hoc infra in Taxaq.

Codex D. Joannis le Beuf, Regiæ Inscriptionum Academiæ socii, continet solummodo duos libellos de Ira Dei et de Opificio Dei. Scriptus videtur sæculo decimo quarto.

Joannis Baptistæ le Brun, Rotomagensis, ms. codex 400 annorum, complectens septem libros Div. Institutionum libros de Ira Dei, et de Opificio Dei. In hujus margine adscriptæ sunt variæ alterius ms. codicis lectiones ad septem libros Divin. Institutionum.

Cameracenses duo in membrana codices; unus noni aut saltem decimi sæculi, sed ita mutilus, ut nonnisi summo studio et cura legi possit. Continet septem libros Institutionum : habet fere ubique Græca eximia litteris quadratis scripta. Alter scriptus est ineunte sæculo decimo quinto, in quo continentur libri VII Institutionum, et libelli de Ira et de Opificio Dei, vel de Formatione hominis. Adsunt Græca, quandoque sat bene scripta, quandoque charactere vulgari latino.

Celeberrimæ Academiæ Cantabrigiensis Bibliothecæ codex manuscriptus anno Domini MCCCCLXV in venerabili Monasterio Sublacensi, ut notatur ad calcem ejusdem codicis; continetque septem libros Div. Institutionum, ac libros de Ira Dei, et de Opificio Dei : itaque ibi eo ipso anno scriptus fuit, quo prima editio Sublaci excusa est. Hunc vidit editor Cantabrigiensis. Hic codex descriptus non est ex prima Sublacensi editione, a qua multum differt, ut patet ex variis lectionibus, quas ex eo profert editor Cantabrigiensis.

Lectiones variæ optimi mss. codicis a Theodoro Cantero collectæ; quæ Gallæo sunt commodatæ.

Codex in membrana medio sæculo decimo quinto exaratus, et sat concinne scriptus. Hunc, qua pollet humanitate, mihi commodavit R. P. Fulgentius, præfectus Bibliothecæ PP. Capucinorum Parisiensium conventus S. Honorati. Græca in eo eleganter scripta sunt; non tamen adsunt omnibus in libris. Quo in codice leguntur libelli de Ira et de Opificio Dei.

Codex ms. antiquus et optimæ notæ, fere in omnibus antiquissimo Bononiensi similis, a Jo Cauci accuratissime collatus, complectens libros Div. Institutionum, de Ira Dei, et de Opificio Dei. Hujus codicis variæ lectiones Gallæo usu venerunt.

Ms. codex collegii Corporis Christi Oxonii, continens libros Div. Institutionum, de Ira Dei, et de Opificio Dei. Eo usus est, parce tamen, Thom. Sparkius.

Mss. 400 et 300 annorum codices duo eruditissimi atque urbanissimi viri Gothofredi Clermont Amstelodamensis, apud legatos Batavos in Gallia oratoris sacri, anno 1715; qui ubi audivit Parisiis a cl. viro Stephano Baluzio, Joannem B. le Brun in eo esse, ut Lactantii editionem ad mss. codices collatam et emendatam publici juris faceret, reversus Amstelodamum, duos ad usum humanissime Joan. Bapt. le Brun misit, cum editis duobus; quam ob rem ei multum debet hæc nostra editio.

Bibliothecæ Colbertinæ ms. codex 800 annorum, n. 1297, ex quo in lucem prodiit præclarus ille Lactantii liber de Mortibus persecutorum, clarissimi nec non eruditissimi viri Stephani Baluzii cura; quem ms. denuo accuratissime contulit Joan. B. le Brun, ac ipse in eo cum editis conferendo curam summam ac studium suum posuit Lengletius, qui animadvertit plura ab aliis prætermissa. Alii sunt codices, horum unus, qui videtur esse ann. 700, n. 2679, scriptus est Venetiis; alius 500 annor., n. 5173, scriptus in diœcesi Aniciensi; tres alii 500 annorum, scilicet n. 3573, scripti Bononiæ; alteri duo, n. 4095 et n. 4495 complectentes libros Divinarum Institutionum, et libros de Ira Dei et de Opificio Dei; unus 300 item annorum scriptus Bononiæ, n. 1975, continens septem dumtaxat libros Divinarum Institutionum; et alter, 300 pariter annorum n. 6210, scriptus Florentiæ, continens libros de Ira Dei et de Opificio Dei. Est etiam alter, qui est, 800 annorum, n. 1336, qui nihil habet ex Lactantio, sed carmen de Phœnice sub nomine Lactantii. Atqui omnes isti codices Colbertini hodie sunt in Regia Bibliotheca : horum indicem ac ætatem mox dabimus.

Ms. codex Divinarum Institutionum, et libri de Opificio Dei Colomesio visus : cujus paucæ admodum sunt variantes lectiones.

Coloniensis codex, cujus varias lectiones sæpissime profert editor Coloniensis anni 1544 : qua editione usus est Lengletius.

Cottoniensis Oxonii codex ms. complectens libros Div. Institutionum, primo (ut videtur) dempto, cujus nonnullas variantes lectiones apposuit Sparkius in sua Oxoniensi editione anni 1684.

Mss. codices duo, quorum variantes lectiones ad Tornesium misit Jacobus Cujacius. His Tornesius usus est in editione anni 1579.

Codex ms. Bibliothecæ collegii Emmanuelensis apud Cantabrigienses anno Domini MCCCCXXIV descriptus, ut ex subscriptione ad finem addita liquet, et est altero Cantabrigiensi longe emendatior. Complectitur libros Div. Institutionum, et de Ira Dei ac de Opificio Dei. Hunc contulit editor Cantabrigiensis, ejusque varias lectiones præmisit suæ editioni.

Ms. codex vetustus, quo olim usus fuit Desiderius Erasmus. Illius variæ lectiones paucissimæ sunt, præterquam ad librum de Opificio Dei, quem pauculis quibusdam notis illustravit Erasmus in hujus libelli editione anni 1529, et aliarum quæ postea excusæ sunt;

Digitized by Google

tum separatim, tum in quibusdam Lactantii editionibus.

Antiquissimus codex, quo Georgius Erhardus usus est : at cujus paucissimas variantes lectiones decerpsit Gallæus.

Cujus nomen sæpius legitur in notis, is erat Petrus Francius, eloquentiæ professor in illustri schola urbis Amstelodamensis, cujus Bibliotheca, non equidem numero voluminum, sed notis mss. hujus viri doctissimi unicuique libro aspersis illustrior erat. Obiit, ut puto, anno 1704, ejusque musæum litterarium venale fuit Amstelodami anno 1705, apud Henricum Wetstein, bibliopolam. Hujus in Lactantium annotationes et conjecturas habuerat Joan. Bapt. le Brun a Domino de Clermont, Batavo.

Ecclesiæ metropolitanæ S. Gatiani Turonensis 300 annorum codex, cujus, ac ms. codicis Majoris Monasterii variantes lectiones ad Joan. Bapt. le Brun misit Jacobus Christophorus Garreau, vir eruditus ac religiosus, et publico bono natus.

Gothanus codex ms. serenissimi Saxonum ducis est 400 circiter annorum ; continetque septem libros Institutionum, ac libros de Ira Dei, et de Opificio Dei. Eo usi sunt Cellarius, Heumannus et Bunemannus.

Ms. codex Claudii Menardi, de quo sic J. F. Gronovius : *Nactus in Andibus apud Claudium Menardum membranas non valde vetustas, incepi qualescumque essent conferre, et inveni quæ vulgatis potiora ducerem.* Plures dumtaxat locos duorum priorum librorum Div. Institutionum emendavit ex hoc manuscripto in libro Observationum in scriptores ecclesiasticos.

Quinque Guelf. aut Wolff. mss. codices Wolfenbutelenses, partim ex Bibliotheca Gudiana, sed quorum varias lectiones habere non potuit Bunem. Fortasse quispiam felicior erit.

Codex ms. Jani Guilielmi, aut saltem ab ipso collatus, non infimæ vetustatis. Continet libros Divinarum Institutionum, de Ira Dei, et de Opificio Dei : quasdam varias ejus lectiones habuit Gallæus.

Unus papyraceus Adriani Junii, scholæ Amstelodamensis, in nova urbis regione rectoris. Hic codex fœda admodum manu ex optimo archetypo exaratus, commodatus fuit Gallæo ab Hadriano Junio. At eum diligentius inspexit Thomas Crenius.

Lipsiensis Academiæ tres mss. codices carthacei, 300 circiter annorum, quorum unus est optimæ notæ, et antiquissimis consentiens. Continent libros Divinarum Institutionum, de Ira Dei et de Opificio Dei, dempto uno, in quo desunt duo postremi. His usi sunt Cellarius atque Bunemannus.

Londinense Regium, de Ira Dei, cujus apographum habuit ex amico Bunemannus.

Ms. 500 annorum codex Majoris Monasterii, Gallice *Marmoutier*, ordinis S. Benedicti, S. Mauri congregationis, prope Turones.

Mertoniensis Oxonii ms. codex, cujus varias lectiones, sed nimis parce, refert Sparkius in sua Oxoniensi editione ; inchoat solum tertio libro Div. Institutionum usque ad finem libri de Opificio Dei.

Ex Bibliotheca collegii Navarrici Paris. ms. codex 500 annorum, complectens libros divin. Institutionum de ira Dei, et de Opificio Dei.

Membranaceus codex Palatinus, continens libros Divinarum Institutionum, cujus varias lectiones Gallæo suppeditavit Isaac Vossius.

Francisci Peniæ Hispani, romanæ rotæ auditoris, ms. codex non infimæ notæ, complectens libros Div. Institutionum, de Ira Dei, et de Opificio Dei. Hunc Isæus contulit : sed cujus sit ætatis non indicavit.

Mss. codices Bibliothecæ Regis Christianissimi, quorum duo sunt 900 annorum optimæ notæ, primus n. 3735, et alter n. 3736, qui fuit olim ex Bibliotheca cl. Puteani : hunc Jo. Opsopœus contulit olim in nonnullis græcis Sibyllarum locis, et reliqua sunt a Joan. le Brun collata ; unus 400 ann., n. 3976, et alter A 300 an., n. 3739 optimæ notæ; unus 300 ann.,n.3737; alius 300 annor., n. 3741, optimæ notæ; unus 300 ann., n. 3740, cum eximiis picturis, in quo est etiam Epitome divinarum Institutionum; alius Mantuæ descriptus anno 1428, n. 3977 ; alius 300 circiter annorum, n. 3738, ex bono archetypo exscriptus ; alter 200 aut 250 annorum, n. 3742. Alii duo 300 circiter annorum, n. 3978 et n. 3979, continentes solummodo Lactantii libros de Ira Dei, et de Opificio Dei, seu Formatione hominis.

Hos omnes codices æque ac Colbertinos contulit Joan. Bap. le Brun, quorum hic damus indicem, eo quo nunc exstant ordine ; scilicet :

N. 1662. Codex membranaceus olim Claud. Puteani: Cæcilii Firmiani Lactantii libri septem Institutionum, liber de Ira Dei, liber de Opificio Dei, Epitome div. Institutionum, codex in-folio nono sæculo exaratus.

N. 1663. Codex membranaceus : de Falsa Religione libri septem, at Divin. Institutionum sexti finis et septimi pars maxima desiderantur, nono sæculo scriptus, in-folio.

B N. 1664. Codex in membrana : Firmiani Lactantii de Falsa Religione libri septem, ejusdem ad Demetrian. liber de Opificio Dei : partim xii, partim xiv sæculo exaratus, in-fol.

N. 1665. Codex membranaceus : Firmiani Lactantii Institutionum divinarum libri septem : sub finem sæculi xiv scriptus, in-fol.

N. 1666. Codex chartaceus : Firmiani Lactantii Institutionum divinarum adversus gentes libri septem, liber de Opificio Dei, sive Formatione hominis, anno 1428 Mantuæ scriptus, in-folio.

N. 1667. Codex chartaceus, olim Colbertinus: Lucii Cæcilii Firmiani Lactantii Institutionum divinarum libri septem, anno 1463 exaratus, in-folio.

N. 1668. Codex partim membranaceus, partim chartaceus : Firmiani Lactantii Divinarum Institutionum libri septem, sæculo xv exaratus, in-folio.

N. 1669. Codex membranaceus, olim Colbertinus : Firmiani Lactantii divinarum Institutionum libri
C septem. Subjicitur excerptum ex S. Augustini lib. xx de Civit. Dei ; de novissimo Judicio ; de Ira Dei, de Opificio Dei, sæculo xv exaratus, in-folio.

N. 1670. Codex membranaceus, olim Colbertinus : Firmiani Lactantii Institutionum divinarum libri septem. Subjicitur fragmentum de extremo Judicio, liber de Ira Dei, liber de Opificio Dei, sæculo xv exaratus, in-folio.

N. 1671. Codex membranaceus, olim Puteanus ; Firmiani Lactantii Institutionum Divinarum libri septem, de Ira Dei, de Opificio Dei, de Phœnice carmen, de Resurrectione carmen, Epitome divin. Institutionum, sæculo xv exaratus, in-folio.

N. 1672. Codex membranaceus : Firmiani Lactantii Institutionum divinarum libri septem, Præmittuntur poemata duo, unum de extremi judicii Die, anonymo auctore, alterum de resurrectionis Dominicæ Die, Lactantio tributum. Subjicitur fragmentum de extremo Judicio e S. Augustini libro xx de Civita-
D te Dei, liber de Ira Dei, de Opificio Dei ; sæculo xv exaratus, in-folio.

N. 1673. Codex membranaceus : Firmiani Lactantii Institutionum divinarum libri septem ; passim ad marginem adjectæ sunt notæ R. P. Joannis Mariæ Brasichelli sacri Palatii Apostoloci magistri : sub finem xv sæculi scriptus, in-folio. (*At notæ Brasichelli quæ infra sunt editæ, scriptæ fuerunt initio sæculi*, xvii).

N. 1674. Codex membranaceus : Firmiani Lactantii libri septem Institutionum divinarum, quarum initium desideratur, de Ira divina, de Opificio Dei, sive Formatione hominis, carmen de Phœnice, de Resurrectionis Dei die ; sub finem xv sæculi exaratus, in-folio.

N. 1675. Codex chartaceus : Lactantii Firmiani Institutionum divinarum adversus Gentes libri septem, de Ira Dei, de Opificio Dei, Epitome, de Ratio-

Digitized by Google

ne libri fragmentum recentius : manu rudi scriptus, in-folio.

N. 1676. Codex chartaceus : Firmiani Lactantii liber de Ira Dei : XV sæculo exaratus, in-folio.

N. 1677. Codex membranaceus : Firmiani Lactantii liber de Ira Dei, et de Opificio Dei : sæculo XV scriptus, in-folio.

N. 1678. Codex chartaceus : Firmiani Lactantii erratorum libri tres, auctore Antonio Raudensi, theologo : scriptus sæculo XV, in-folio.

N. 1679. Codex chartaceus, olim Colbertinus : idem liber Antonii Raudensis, in-folio.

N. 1680. Codex chartaceus, olim Colbertinus : idem liber Antonii Raudensis, in-folio.

N. 2623. Codex membranaceus, olim Colbertinus : Firmiani Lactantii divinarum Institutionum libri septem, de Ira Dei, de Opificio Dei : scriptus Bononiæ in Italia, anno 1436, in-4°.

N. 2624. Codex membranaceus : Firmiani Lactantii de Falsa Religione libri septem, de Ira Dei, de Opificio Deo : sæculo XV scriptus, in-4°.

N. 2625. Codex partim membranaceus, partim chartaceus, olim Colbertinus : Lactantii Firmiani Institutionum divinarum libri septem, de Ira Dei, de Opificio Dei : sæculo XV scriptus in-4°.

N. 2626. Codex membranaceus, olim Colbertinus : Lactantii Firmiani Institutionum libri septem, de Opificio Dei, seu hominis Formatione, de Ira Dei : scriptus sæculo XV, in-4°.

N. 2627. Codex membranaceus, olim Colbertinus : Lycii Cæcilii liber de Mortibus persecutorum, cum scriptis aliis : partim XII, partim XI sæculo scriptus, in 4°.

N. 2967. Codex membranaceus, olim Baluzianus : liber de Ira Dei (desiderantur septem priora capita), de Opificio Dei, seu hominis Formatione : sæculo XV scriptus, in 8°.

N. 2958. Codex membranaceus, olim Colbertinus : Lactantius Firmianus, de Ira Dei, de Opificio Dei, seu hominis Formatione, scriptus anno 1439, in-8°. C

Reimmannianus codex chartaceus, Bunemanno libenter communicatus, sæculi XV.

Codex unus in membrana, decimi quarti sæculi, quem habet eximia Bibliotheca eminentissimi cardinalis de Rohan, cujus principis summa humanitate copia nobis facta est. Continet solummodo septem libros Divinarum Institutionum, in quibus Græcum non legitur, sicut ea ferebant tempora.

Rostochiensis ms. codex, cujus paucæ admodum sunt variantes lectiones ad libros Divinarum Institutionum. Has habuit Gallæus ab Isaaco Vossio.

Sangermanensis codex, in membrana pariter, olim Seguierii, Franciæ cancellarii, eleganter scriptus, quadringentorum fere annorum, cui desunt duæ priores paginæ. Continet libros septem Divinarum Institutionum ; Epitomen, sed imperfectam ; libros de Ira divina ac de Opificio Dei ; atque tandem carmen de Phœnice, cum ista admonitione : *Ista Carmina dicuntur esse Lactantii.* Quandoque adsunt Græca, eaque sat eleganter scripta.

Sorbonici duo 300 annorum, n. 271 et n. 272, in quorum priore legitur ad calcem, *Scripsi ego Johannes de Maguncia..., an.* 1448. Uterque complectitur Lactantii septem libros Divin. Institutionum, et libros de Ira Dei, et de Opificio Dei, sive de hominis Formatione.

Ms. mille annorum codex Taurinensis Sardiniæ regis, ex quo eruditissimi viri Christophori Matthæi Pfaffii beneficio in lucem prodiit Parisiis, anno 1712. Divinarum Institutionum Epitome integra, paucis exceptis, cujus priora quinquaginta quinque deerant capita in præcedentibus editionibus. Hujus codicis apographum ad me misit clarissimus Pfaffius per doctiss. Johan. Gabrielem Schoefflinum. Monet Pfaffius exstare præterea in Bibliotheca Taurinensi novem codices mss. Lactantianorum operum; verum ætatem non indicat.

Codex doctissimi viri Michaelis Thomæ Taxaquetii, diligenter excussus atque examinatus ab Isæo, qui ejus ætatem non indicavit. Continet libros Divinar. Institutionum, de Ira Dei et de Opificio Dei.

Miror sæpissime a doctis appellari codicem ms. Taxaquetii, cum Taxaquetius non sit alius a Michaele Thomasio, Lactantii editore, qui Balearo-Majoricanus erat. Is, medio sæculo XVI, Bononiæ juri pontificio ac civili, cum, ut ait ipse (*Epistola ad Granvellen. cardin., Lactantio anni* 1570 *præfixa*), operam daret, vidit, non antiquissimum modo codicem Lactantii sæpius decantatum, sed etiam aliud exemplar in eadem Bibliotheca S. Salvatoris Bononiensis, minus equidem antiquum, at non impar illi antiquissimo. Nicolaus Antonius, Bibliothecæ Hispanæ novæ, t. II, in-folio, Romæ, 1672, p. 117, hanc controversiunculam dirimit. Sic enim ait : *Michael Thomasius Taxaquet Balearis Majoricensis cæsareo ac pontificio* B *juri operam navavit, cum Iterde apud Catalanos, tum Bononiæ in Italia. Præclaram ejus doctrinam eruditionemque scripta præ se ferunt ; scilicet Lactantii Firmiani opera emendavit, et notulas addidit. Antuerpiæ ex officina Plantiniana* 1570. Alia ejus opera recenset Nicolaus Antonius : sed suspicor unde natus sit error. Latinus Latinius hæc manu sua notavit, initio Lactantianæ editionis, Aldinæ, 1535, in qua varias lectiones Bononiensium mss. descripsit. *Emendare cœpi*, inquit, *libros hosce Lactantii ex variis lectionibus duorum codicum, quorum alter ex Bibliotheca S. Salvatoris Bononiensis litteris Longobardicis descriptus miræ vetustatis, alter itidem Bononiæ ab erudito viro Michaele Thoma Taxaquetio, ex Balearium Majore insula orto, diligentissime excussus, atque examinatus est. Earum vero emendationum copiam fecit mihi Taxaquetius cum Romæ esset, meque mirifice diligeret : quæ est hominis humanitas.* Hæc porro eadem Latinii manu ad calcem Lactantianæ Epitomes scripta sunt : *Emen-* C *dationi huic manum primam adhibui Romæ*, 1558, *tertio kal. junii.* Hinc procul dubio ansam arripuerunt Isæus, aliique viri eruditi, secernendi Michaelem Thomam Taxaquetium a Michaele Thomasio, Lactantii editore. At error ab uno semel patratus facile ad plures dimanavit. Non igitur culpandus erat Heumannus, quod Michaelem Thomasium a Michaele Thoma Taxaquetio non distinxerit aut separaverit. Si ergo doctis occasio evenit eruditorum errata reprehendendi id sobrie, id modeste fiat, velim, nec illos umquam juveniliter exagitent.

Ms. codex septem librorum Divinarum Institutionum emptus a Tornesio, cum suam pararet editionem Lugdunensem, an. 1567 et subsequentium, quarum in margine varias quasdam ms. codicis apposuit lectiones ; sed ms. ætatem non indicavit.

Duodecim Vaticani codices mss. qui Romæ in Bibliotheca Vaticana asservantur : eorum lectiones passim allegantur. Horum Thomasius septem, Isæus vero D quinque adhuc alios se cum superioribus septem mss. codicibus diligenter contulisse testatur ; sed cujus fuerint ætatis, illis non placuit indicare nobis, sicut nec indicavit Gallæus eorum ms. quorum variantes lectiones collegit.

Ms. codex Abbatiæ Canonicorum Regularium S. Victoris Paris. 400 circiter annorum, complectens libros Divinarum Institutionum, de Ira Dei et de Opificio Dei : quem benigne cum Joan. le Brun communicavit Domnus Vion Herovallius, canonicus regularis, et Bibliothecæ San-Victorinæ Parisiensis tunc præfectus.

Unus Canonicorum B. Mariæ Ultrajectinæ ms. codex ex optimo descriptus archetypo, continens libros Div. Institutionum, de Ira Dei, et de Opificio Dei, quo usus est Gallæus.

Digitized by Google

ADMONITIO

IN SEQUENTEM NOTITIAM.

Jamdiu questi sunt eruditi, quod Josephus Isæus in sua Lactantianorum operum editione duodecim appellaverit manuscriptos codices Vaticanos a se collatos, non indicata eorum ætate, nec quo tempore scripti putantur. Cum eumdem cursum peragerem, in mentem mihi venit litterarum ac litteratorum Patronum non orare modo, sed et ab eo exorare, ut per ipsum mihi liceret mss. codicum Lactantii, quos servat Vaticana Bibliotheca, notitiam habere. Hanc ergo benigne curam suscepit eminentissimus cardinalis A Passioneus non tantum ob singularem ejus erga studiosos quosque amorem, verum etiam propter antiquam, qua me ab annis fere quadraginta complectitur, benevolentiam. En igitur hæc ipsa notitia, qualem eam eminentissimo cardinali ultro præbuit vir clariss. atque eruditiss. Josephus Simonius Assemannus, Bibliothecæ Vaticanæ custos. Hac, lector erudite, at non sine grato in litteratorum Patronum animo, fruaris velim.

NOTITIA

MANUSCRIPTORUM CODICUM

LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII,

QUI ASSERVANTUR ROMÆ, IN APOSTOLICA BIBLIOTHECA VATICANA.

Quos Josephus Isæus contulisse se testatur.

I. Codex Vaticanus, signatus num. 215, in membrana, folia scripta continens 180, in eo continentur : Lactantii Firmiani Divinarum Institutionum libri septem a fol. 1 ad fol. 148; ejusdem de Ira Dei liber unus, fol. 149 ad fol. 165; ejusdem de Opificio Dei liber unus, fol. 165 ad fol. 180. Nulla temporis nota signatur; videtur autem scriptus circa annum 1480, quantum conjicere est ex pictura minio ornata codici præfixa.

II. Codex Vat., signatus num. 216, in membrana, folia scripta continens 264, exaratus 24 Augusti 1481, quemadmodum notatur ab amanuensi, extrema linea folii 264. Leguntur in eo : Lactantii Divinarum Institut. libri septem, fol. 1; de Ira Dei, fol. 216; de Opificio Dei, fol. 235; Divinav. Institut. Epitome, qualis tunc habebatur, cujus initium est, *Nam si initium*, vel potius, *Nam si Justitia*, fol. 254.

III. Codex Vat., signatus num. 217, in membrana, folia scripta continens 146. Nulla temporis nota affixa est; sed ejusdem ætatis ac duo præcedentes codices videtur. Sunt in eo : Lactantii Divinar. Institut. libri septem, fol. 1; de Ira Dei, fol. 123, a tergo; de Opificio Dei, fol. 135, a tergo.

IV. Codex Vat., num. 218, in membrana, folia scripta continens 165, exaratus sub Sixto IV pontifice, cujus insignia codicis præfiguntur fol. 1. Hic vero apostolicam Romanam sedem occupavit a 9 Augusti anni 1471 ad 12 ejusdem mensis anni 1484; continenturque in eo : Divinar. Instit. libri septem, fol. 1; de Ira Dei, fol. 134, a tergo; de Opificio Dei, fol. 150.

V. Codex Vat., num. 219, continens folia scripta 180, exaratus sub Julio II pont., cujus imago aurea codici præfigitur fol. 1 cum his litteris : *Julii II, Pont. Max.*; in membrana. Hic porro sedem apostolicam obtinuit a die 1 Novembris anni 1503 ad B 21 Februarii 1513; quo in codice leguntur : Divinar. Instit. libri septem, fol. 1; de Ira Dei, fol. 133; de Opificio Dei, fol. 166, a tergo.

VI. Codex Vat., num. 220, in membrana, folia scripta continens 171, exaratus ante annum 1447, Nam, fol. 172, extat nota Valterii cujusdam, qui testatur recepisse se duodecim ducatus in numerata pecunia pro pretio hujus codicis, anno Domini 1447, die 12 Decembris; reperiuntur in eo : Divinar. Inst. libri septem, fol. 1; de Ira Dei, fol. 153; de Opificio Dei, fol. 166, a tergo.

VII. Codex Vat., 221, in membrana, folia scripta continens 281, exaratus circa annum 1450, uti ex præfixis picturis et imaginibus colligitur; continentur in eo : Divinar. Institut. libri septem, fol. 1; de Ira Dei, fol. 252; initium, *de Summis necessitatibus*; exhortatur Demetrianum ad studendum pietati diligentius, et ad mundi contemptum; hanc epistolam Isæus non edidit; de Opificio Dei, fol. 267, uti apud Isæum.

VIII. Codex Vat., 222, in charta papyracea, folia continens 275, exaratus anno 1462, mense decembri, C die vigesimo primo uti fol. ult. annotatur. Leguntur porro in eo : Divinarum Instit. libri septem, fol. 1; de Ira Dei, fol. 225; de Opificio Dei, fol. 252.

IX. Codex Vat., 223, folia continens 217, exaratus in fol. in membrana per manus Johannis Hornsen, familiaris domini Corradi de Monte Politiano, uti annotatur fol. ult. cujus Corradi insignia præfiguntur fol. 1 cum his litteris : *A. Corradi de Monte Policiano.* Habentur in eo : Divinarum Instit. libri septem, fol. 1. In fine est, fol. 195, hæc nota : Firmiani Lactantii (sic) Divinarum Institutionum ad Constantinum imperatorem, et adversus Gentes libri finiunt septem per manus Johannis Hornsen, indigni servuli egregii domini Corradi de Monte Policiano (sic) palatio apostolico, temporibus serenissimi domini Petri, Domini Nicolai divina Providentia papæ quinti, anno 1454, Pontificatus sui anno septimo. De Ira Dei ad Donatum, fol. 195, a tergo.

Digitized by Google

X. Codex Vat., 224, in membrana, folia continens 125. Fuit olim Monasterii S. Crucis in Hierusalem Romæ, uti annotatur fol. 1, describunturque in eo : Divinarum Instit. libri septem a fol. 1 ad fol. 118.

XI. Codex Vat., 225, in membrana, folia continens 135, sine nota temporis; sed ex scriptura colligitur, fuisse scriptum anno circiter 1460; leguntur in eo : Divinarum Instit. libri septem, fol. 1 ad 135.

XII. Codex Vat., 226, in charta papyracea, folia continens 187. Fuit Antonii de Pichetis juris canonis peritissimi, uti annotatur fol. ultimo. Exaratus Papiæ, anno 1441, die quarto Decembris, ut habetur fol. 180.

CODICES VATICANI

Quos non viderunt nec Josephus, nec Sigismundus Iscæus, in editione Firmiani Lactantii.

1. Codex Vat., 2876, chartaceus, in-4°, manu recentiori exaratus : Fol. 53. Fragmentum ex libro VII Lactantii Divinarum Institutionum.

2. Codex Vat., 3152, chartaceus, in-4°. Fol. 21 : Lactantii Firmiani de Festo die Resurrectionis Dominicæ versus. Initium :

Salve, festa dies toto venerabilis ævo,
Qua Deus infernum vicit, et astra tenet, etc.

Jam anno 1570 monuerat Thomasius in sua Lactantii editione, hæc carmina esse Venantii Fortunati. Videas quæ annotamus, pag. 270, tom. II hujusce editionis; fol. 23, ejusdem, de Ortu et obitu Phœnicis carmen :

Est locus in primo felix Oriente remotus,
Qua patet æterni maxima porta poli.

3. Codex Vat., 3381, in membrana, in fol., ex libris Fulvii Ursini : Firmiani Lactantii in Statii Papinii Thebaidem expositio. — Prologus, sive proœmium : *Quæritur quo tempore fuerit Statius iste; constat veraciter, fuisse eum temporibus Vespasiani imperatoris*, etc. :

Fraternas acies, alternaque regna profanis;

quia pacti erant fratres, ut mutuis annis regnarent, etc. Constat foliis 162.

Norunt eruditi hanc expositionem in Statium non esse Firmiani Lactantii, sed Grammatici cujusdam, Luctatii scilicet vel Luctatii Placidi, aut etiam Placidi Lactantii, sub cujus etiam nomine extant glossæ quædam in Ovidii Metamorphoses.

4. Codex Vat., 5134, fol. 110. Versus Lactantii de Phœnice :

Est locus in primo felix Oriente remotus, etc.

Ut cod. 315, fol. 28, in charta papyracea scriptus.

5. Codex Vat., 5346 : Lactantii de Phœnice Elegia, fol. 21 :

Est locus in primo felix Oriente remotus (ut supra).

CODICES NUNC VATICANI,

Olim Palatini.

1. Codex Palatinus 161, membranaceus, sæculi XII; constat foliis 236 : Firmiani Lactantii Divinarum Institutionum, libri septem (deest initium libri primi); de Opificio Dei, fol. 236 (deest finis).

2. Codex Palatinus 162, membran. in fol. recent.; constat foliis 213 : Divinar. Institutionum libri septem, fol. 1; de Opificio hominis : *Quam minime*, fol. 193; de Ortu obituque Phœnicis : *Est locus in primo*, etc., fol. 209.

3. Codex Palat. 163, membran. recent. fol. 261 : De Ira Dei : *Animadverti sæpe*, fol. 1; Divinarum Institutionum libri septem, fol. 21; de Opificio hominis : *Quam minime*, fol. 233; Index capitum Lactantii, fol. 253.

4. Codex Palat. 164, ex papyro, in-fol. 190 : Divinarum Institutionum libri septem, fol. 1; de Opificio hominis, fol. 157; de Ira Dei, fol. 174.

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ URBINATENSIS

Codices Lactantii.

1. Codex Urbinatensis 58, membran. antiq. in fol. 282 : Divinarum Institut. libri septem, fol. 1; de Opificio Dei, fol. 234; de Ira Dei, fol. 258; Carmen de Phœnice : *Est locus*, etc., fol. 278; Carmen de Christi Resurrectione : *Salve, festa dies*, etc., fol. 281.

2. Codex Urbinat. 361 : Lactantii Commentaria in Papinii Statii Thebaidem et Achilleidem : *Quæritur quo tempore*, ut in cod. Vat. 3381. In Pergameno; constat foliis 132

CODICES VATICANI

Bibliothecæ Regiæ Alexandrinæ,

Id est, ex Bibliotheca Christinæ Alexandræ, reginæ Suecorum.

1. Codex Regio-Alexandrinus 149, in fol., membran., exaratus decima sexta die mensis Januarii anno Domini 1434, Bononiæ, uti folio ult. annotatur. Fuerat Bibliothecæ cardinalis et principis a Dietrichstain, Germani, ut notatur fol. 1. Constat foliis 244, ubi : Lactantii Divinar. Institut. libri septem, fol. 1; de Ira Dei : *Animadverti*, fol. 207; de Opificio Dei : *Quam minime*, fol. 226. In fine hæc ab amanuensi annotantur :

1436, die 3 Feb. correctum est hoc opus.
Die 20 Feb. 1438 correctum est secunda vice.
1439, die 8 Januarii hora 3, perfeci studium ejus.
1441, die 6 Feb. perfeci iterum studium ejus, corrigendo usque ad orthographiam.

2. Cod. Regio-Alexandrinus 217, membran. in-4°. Fuerat Gerardi Joannis Vossii, uti annotatur fol. 1, deinde Alex. Petavii, num. 71, anno 1656, uti ibidem legitur : De Ira Dei : *Animadverti*, fol. 1; de Opificio Dei, fol. 25.

3. Cod. Regio-Alexandr. 265, membran., constat foliis 189. Ibi sunt : Divinarum Institut. libri septem, fol. 1; de Ira Dei : *Animadverti*, fol. 161; de Opificio Dei, fol. 176.

4. Cod. Regio-Alexandr. 268, ex papyro. Constat foliis 155, exaratus a Gotardo Stella, uti annotatur folio ult. Fuit Nicolai Heinsii, postea Petavii anno 1656, uti observatur, fol. 1 : Divinarum Institutionum libri septem, fol. 1 (deest initium); de Ira Dei : *Animadverti*, fol. 133; de Opificio Dei : *Quam minime sim quietus*, fol. 145.

5. Cod. Regio-Alexandr. 276, membran., antiq., constat foliis 241 : Divinarum Institutionum, libri septem : *Magno et excellenti*, fol. 1 ad fol. 219.

6. Cod. Regio-Alexandr. 1151, ex papyro, exaratus a Philippo Scholari Parisiensi, die sexto Octobr., an. Domini 1506, uti annotatur fol. 108 : Divinarum Instit. libri septem, *Magno et excellenti*, fol. 58 (imperfecti); de Ira Dei : *Animadverti*, fol. 77 ad 98.

7. Cod. Regio-Alexandr. 1939, membran., exaratus sub Nicolao V papa, uti constat ex ipsius Stemmate, fol. 2, a tergo. Fuerat patrum Theatinorum S. Silvestri, ut docet inscriptio apposita fol. 1; a Clemente XI in Bibliothecam Vaticanam illatus. Constat foliis 289 : Divinarum Institution. lib. septem : *Magno et excellenti*, fol. 2; de Ira Dei : *Animadverti sæpe*, fol. 244; de Opificio hominis : *Quam minime sim quietus*, fol. 268.

VARIÆ EDITIONES LACTANTII.

Lactantii Firmiani *de Divinis Institutionibus adversus Gentes*, libri septem, necnon ejusdem ad Donatum *de Ira Dei* liber unus, una cum libro *de Opificio hominis* ad Demetrianum, in-folio, in venerabili monasterio

Digitized by Google

Sublacensi, sub an. Domini MCCCCLXV, pontificatus Pauli papæ II anno ejus secundo, indictione 13, die vero antepenultima mensis octobris. Hæc editio aliquando Romana dicitur, quam per errorem D. Bernard. de Montfaucon in Diario Italico ad annum MCCCCLXI retulerat. Est porro rarissima. Romæ reperitur in bibliotheca Barberina; Moguntiæ, in scrinio litterario nobiliss. capituli Moguntin.; Parisiis, in museo viri clariss. D. Claudii de Boze, Academiarum Galliæ et Inscriptionum socii. Græca in ea editione quandoque, sed non semper leguntur, videturque ex unico solum desumpta ms. exemplari. Titulus libri i manu est exaratus. Hanc editionem, utpote minus comptam, juxta quosdam, existimavit editor Cantabrigiensis eam esse codicem manuscriptum: sed codex ms. CANTABRIGIENSIS, de quo mentio est in elencho præcedenti, diversus est ab edito.—In-folio, Romæ, in domo Petri de Maximis, apud Conradum Sweynheym, anno 1468. Extat tum in bibliotheca Regia Parisiis, tum in museo D. de Boze. Extat quoque Romæ in bibliotheca eminentissimi cardinalis Passionei.—In-folio, Romæ, cum præfatione Andreæ, episcopi Aleriensis, apud eumdem Conradum Sweynheym, 1470. Extat in bibliotheca Regia Parisiis. Differt a priori an. 1468. — In-folio, Romæ, 1471. Hanc vidit et contulit Jo. Ludolphus Bunemannus. — In-folio, Venetiis, 1472, quam Gallæus, sed falso, omnium esse primam existimavit. Hanc Isæus, Heumannus et Bunemannus viderunt. — In-folio, sine loco et anno, sed in Germania excusa rudi charactere, jam a primis typographicæ artis incunabulis. Hanc habet Romæ eminentissimus cardinalis Passioneus. Nec usquam eam reperi, neque in Germanorum, neque in Gallorum nostratum bibliothecis. — In-folio, Romæ, 1474. Extat in bibliotheca Regia Parisiis; extabatque in biblioth. Carpzoviana, unde eam habuerat Christoph. Cellarius. Extabat etiam in bibliot. Hulsiana. — In-folio, Romæ, 1475. Hanc laudat Joh. Alb. Fabricius, quam tamen non extare putat Bunemannus. —In-folio, Rostochii, 1476. Hanc diligenter Heumannus et Bunemannus contulerunt. Græcorum in ea spatia vacua sunt relicta.—In-folio, Venetiis, per Josep. de Colonia et Johan. Menthen de Gerretzem, 1478. Hæc editio satis est accurata, in qua Græca sunt edita. Extat in bibliotheca regalis abbatiæ Sanctæ Genovefæ; eaque usus est Heumannus. Hanc per errorem, propter nomen Josephi de Colonia, citat catalogus Hulsianus, sub anno 1478, tamquam Coloniæ excusam. — In-folio, Venetiis, per Andream de Paltasichis Catarensem et Boninum de Boninis, 1478. Græca citata exhibet, sed rudi charactere; in ea excusa est Epitome. Romæ in eximia bibliotheca ejusdem eminentissimi cardinalis Passionei; hanc etiam habet Bunemannus. — In-folio, Venetiis, per Bernardinum de Benaliis, 1483. Hanc laudant Fabricius, Mettayre, aliique; verum eam extitisse dubitat Bunemannus.— In-folio, Venetiis, per Theodorum de Ragazonibus de Asula, MCCCCLXXXX (per errorem, pro MCCCCLXXXX). Hanc habuerunt Isæus, Gallæus, Carpzovius et Cellarius: hanc habet vir clariss. Claud. de Boze. — In-folio, Venetiis, per Vincentium Benalium, 1493. Extat in bibliotheca regalis abbatiæ S. Germani a Pratis.—In-folio, Venetiis, 1494, quam habuit Carpzovius. — In-folio, Venetiis, per Simonem Bevilaquam, studio Andreæ Episcopi Aleriensis, 1497. Eam expressam putat Bunemannus ex editione 1470. — In-4° parvo, Parisiis, 1500, cum Ægidii Delphi annotamentis.—In-folio, Venetiis, cura Joan. de Tridino, 1502. Hanc ipse habui, et Joanni le Brun miseram anno 1709. — In-folio, Venetiis, cura ejusdem Joan. de Tridino. 1509. Hanc habebat Carpzovius. — In-4° parvo, Parisiis, emendata ab Ægidio Mazeriensi, 1509. Idem est qui emendaverat editionem anni 1500. — In-folio, Venetiis, a Jano Parrhasio castigata, 1510. — In-8°, Antuerpiæ 1510. — In-4°, Parisiis, 1511. — In-folio, Venetiis, 1511, a Joan. de Tridino: eadem est ac Parrhasiana 1510; ea usi sunt Isæus et Gallæus.— In-4°, Parisiis, a Joanne Petit et Nicolao de Pratis, 1513, ex emendatione Ægidii Mazeriensis Delphi. Huic præfixus est titulus: *Lepida Lactantii Opera*, etc. — In-8°, Florentiæ Juntarum, ex emendatione Mariani Tuccii, 1513. Hanc habet bibliotheca Regia, eaque usi sunt Isæus, Gallæus et Heumannus. — In-8°, Venetiis, Aldus, ex emendatione Joan. Bapt. Egnatii Veneti, 1515.—In-folio, Parisiis, 1521. — In-folio, Venetiis, quam recensuit Janus Parrhasius, 1521. Hanc vidimus in bibliotheca Regia; in ea Græca sat emendate sunt edita. Eadem est ac Parrhasiana an. 1510.—In-4°, Basileæ, Cratandri, 1521. Plerumque ex Aldina fuit desumpta; satis tamen est emendata.—In-folio, vel in-4°, Basileæ, Cratandri, 1523. Hac Gallæus se usum esse dixit; vult tamen Bunemannus eamdem esse cum ea anni 1521.— In-4°, Basileæ, Cratandri, 1524. Hac usus est Bunemannus in emendando Lactantio.—In-folio, Parisiis, 1525.—In-folio, Basileæ, Cratandri, 1532. Ea usus est Cantabrigiensis editor. Hujusce editionis copiam fecit Joanni le Brun Nicol. Lengletius. — In-8°, Lugduni, 1532. — In-8°, Antuerpiæ, Joan. Graphæi, 1532, cum notis Erasmi ad Librum de Opificio Dei. Ea est quam Joanni le Brun olim misimus. Hanc habuit Heumannus. — In-4°, Basileæ, 1534. — In-8°, Venetiis, Aldus, ex castigatione Honorati Fasitellii Veneti ad codices Casinenses, 1533. Ea usi sunt Thomasius, Isæus et Gallæus; fuitque suo tempore editio princeps. — In-8°, Venetiis, Paulus Manuccius, 1538. — In-8°, Coloniæ, 1539. — In-8°, Antuerpiæ, Gymnicus, 1539. Hanc ex parte emendavit Erasmus Rotterodamensis, cujus leguntur annotationes in librum de Opificio Dei. — In-8°, Lugduni, Gryphius, ex emendatione Fasitellii, 1541: sat elegans. — In 8°, Lugduni, Gryphius, ex eadem emendatione, 1543. Hæc minus emendata. — In-folio, Coloniæ, 1544, cum notis Desiderii Erasmi ad libellum de Opificio Dei. Hæc est eximia et emendatissima. — In-4°, Basileæ, 1545, aliis 1546.—In-16, Lugduni, Tornesius, ex emendatione Fasitellii, 1548. Editio elegans et nitida. — In-16, Lugduni, Tornesius, 1555, ex eadem emendatione Fasitellii. — In-8°, Antuerpiæ, 1553. Hæc laudatur ab Elia Dupin in Bibliotheca Ecclesiastica. — In 8°, Antuerpiæ, Gymnicus, 1555, cum Erasmi annotationibus in librum de Opificio Dei. — In-16, Lugduni, Tornesii, 1556, ex castigatione Fasitellii: sat nitida. — In-8°, Antuerpiæ, 1556. — In-folio, Basileæ, ex officina Henrici Petri, 1556, ubi, juxta Eliam Dupin et P. D. Remigium Ceillier, bis fuit edita. Edita quidem est in hæresiologia Jo. Heroldi. Verum Claudius Ceillier existimat eamdem separatim editam fuisse, hoc ipso anno 1556. — In-folio, Basileæ, Henrici Petri, 1559. — In-16, Parisiis, Hieronymus de Marnef, 1561, ex recensione Fasitellii; parum nitida. — In-folio, Basileæ, cum Xysti Betulei commentariis, 1563. Non omnino probatur eruditis, quamvis in iis multa, et fortasse plura quam par est, Betuleius congesserit. — In-8°, Parisiis, 1563. — In-16, Parisiis, 1565. — In-16, Lugduni, Tornesii, 1567: sat elegans, ac emendata ad codicem ms. quem sibi comparaverat Tornesius. — in-8°, Antuerpiæ, 1568. — In-8°, Antuerpiæ, Stelsii, 1570, cum notis Erasmi ad libellum de Opificio Dei. — In-8°, Antuerpiæ, ex officina Plantiniana, 1570. Sat elegans, ex emendatione Michaelis Thomasii ad duos codices Bononienses et septem Vaticanos. Hæc Gronovio minus placebat, nec omnino placuit Isæo, qui observat Thomasium ad nonnulla quidem textus Lactantiani medicam manum adhibuisse, sed pleraque et prope innumera reliquisse plane intacta: quapropter nos admonet, se in Thomasiano textu emendasse trecenta et amplius errata, ut Lactantium puriorem et integriorem redderet. — In-8°, Antuerpiæ, 1579. — In-16, Lugduni, Tornesii, 1579, ad duos mss. codices emendata. — In-8°, Antuerpiæ, 1580. — In-16, Lugduni, Tornesii, 1586.—In-8°, Antuerpiæ, Plantin, 1587. Hæc est altera Thomasianæ emenda-

Digitized by Google

tionis editio; nihil tamen in ea fuit immutatum. — In-8°, Lugduni, Tornesii, 1587. Hæc editio emendata est ad multos codd. manuscriptos, atque etiam ad notas varias a Jacobo Cujacio transmissas. — In-folio, Parisiis, 1589, in Bibliotheca Patrum. — In-16, Lugduni, Tornesii, 1594. Non differt ab editione anni 1587. — In-8°, Parisiis, 1589, ex recensione Thomasii. — In-16, Lugduni, Thomæ Soubron, 1594; sat emendata, quamvis minus compta. — Coloniæ Allobrogum (id est, Genevæ), Tornesii, 1613; ex duobus mss. a Jacobo Cujacio emendata. Multi eam facit Gallæus: in ea tamen Isæus se animadvertisse asserit textum Lactantii ubique esse corruptum. — In-16, Coloniæ, 1613, teste Bunemanno. Eadem forsan cum superiori. — In-16, Lugduni, 1615 et 1616. — In-16, Genevæ, 1630. — In-folio, Lugduni, 1642. — In-folio, Cæsenæ, 1646. Josephi Isæi cura et castigatione, ad duos Bononienses et duodecim Vaticanos mss. codices emendata. — In folio, Romæ, Mascardi, 1650, ex Isæi emendatione. Verum non nova, sed eadem plane est ac Cæsenensis editio, prima fronte solum immutata. — In-8°, Lugduni Batavor., ex emendatione Antonii Thysii, 1652: sat nitida est, sed parvi est apud eruditos momenti; hæc capite 15 libri primi corrupta est, ubi agitur de Platone. — In-8°, cum selectis variorum notis a Servato Gallæo, Lugduni Batavorum, 1660. Hæc sat elegans est. Omnes fere notas surripuit Gallæus ex editione Betuleii et e schedis Salmasii; at quosdam contulerat mss. codices, quorum variæ lectiones adjectæ sunt ad finem libri. Quæ cum non sit usquequaque emendata, in eam Joan. le Brun habuit annotationes Petri Francii, historiarum et eloquentiæ professoris in Amstelodamensi gymnasio. Ea simili modo usi sumus in hac nostra editione. — In-8°, Oxonii, ex recensione et cum notulis quibusdam Thomæ Spark, 1684. Elegans est ac emendata ad quinque codices mss. In ea editus est liber de Mortibus persecutorum. Æque ac Joan. le Brun ista usi sumus editione. — In-8°, Cantabrigiæ, 1685. Sat elegans: sed ex Thomasiana editione expressa est. Usus tamen fuit editor duobus mss. codicibus, quorum varias lectiones præmisit libris Lactantii. In ea itidem legitur liber de Mortibus persecutorum. Verum, sed falso, putat Albertus Fabricius hunc editorem exemplar Sublacense habuisse pro manuscripto codice. — In-8°, ex recensione Christoph. Cellarii, Lipsiæ, 1698. Quamvis emendata, non est tamen omnino inculpata, quasdam nihilominus notas habet non exigui momenti. — In-8°, ex recensione Jo. Geor. Walchii, Lipsiæ, 1715. Primus Epitomen vulgavit integram cum aliis Lactantii operibus. Prælixa est erudita disquisitio de vita et stylo Lactantii. In ea editione aliquid desiderant eruditi. Quid mirum? An clariss. Walchius, qui vix annum vigesimum attigerat, potuit in edendo Lactantio idem artis criticæ et doctrinæ, quibus nunc quinquagenarius pollet, specimen edere? Num eadem ætate, non doctiorem dico, sed æque doctam emisissent lucubrationem Walchii reprehensores? — In-8°, ex emendatione Christoph. August. Heumanni, Gottingæ, 1736. Hæc editio prioribus longe est perfectior. In ea, quibusdam tamen immutatis, servatus est Christop. Cellarii textus; atque notis Cellarianis additæ sunt ubique novæ ac eruditæ: hanc editionem attentius legimus eaque usi sumus. — In-8°, ex emendatione Jo. Ludolphi Bunemanni, Lipsiæ, 1739. Jam ad finem properabat nostra Lactantiana editio, cum hanc eximiam accepi a doctissimo Joh. Daniel. Schœpflino, historiarum et eloquentiæ in Argentorat. Academia professore. Mirum est quantum laboris ac studii impenderat clariss. Bunemannus in edendo Lactantio: notas ex eo collegimus, eas etiam quæ nostris opinationibus adversabantur, ut uno quasi intuitu hæc nova cæteras omnes complecteretur editiones.

Nota. In Elencho variarum Lactantii editionum prætermisi eas, quæ missæ sunt in Bibliothecis Sanctorum Patrum, quos inter Lactantii opera non infimum locum obtinent. At illæ Patrum collectiones sexies saltem editæ sunt, vel Coloniæ Agrippinæ, vel Parisiis, vel Lugduni. Hæ porro editiones non sunt ad mss. codices emendatæ, sed ex aliquo jam edito exemplari expressæ.

PARTES LACTANTIANORUM OPERUM SEORSIM EDITÆ.

L. Cæcilius Lactantius Firmianus, *de Opificio Dei, seu Formatione hominis*, ex recensione et cum notis Desiderii Erasmi, in-8°, Basileæ, Froben, 1529. — In-8°, Parisiis, Colineus, 1529. — In-4°, Parisiis, 1551. Hæ annotatiunculæ prodierunt in aliis quibusdam Lactantii editionibus, quod jam observavimus. Istæ porro, quamvis utiles, paucæ tamen sunt, nec tres paginas editionis nostræ implerent. — Idem liber cum observationibus Jodoci Willichii, in-8°, Francofurti et Argentorati, 1542. Hanc editionem habet bibliotheca Regia. — Idem liber ex emendatione Georgii Lud. Goldneri, cum Vita Lactantii et judiciis eruditorum, in-8°, Genæ, 1714.

Lucius Cæcilius Lactantius Firmianus, *de Mortibus persecutorum*, edente cum annotationibus clariss. viro Stephano Baluzio, in-8°, Parisiis, 1679, tomo II, Miscellaneorum. — Idem separatim editus, in-8°, Parisiis, 1679. — Idem, verum sine notis Baluzii, a Joan. Fell., in-12, Oxonii, 1680. — Idem, cum notis Joannis Columbi, in 8°, Aboæ in Finlandia, 1684. — Idem liber cum notis variorum, scilicet Baluzii, Columbi, Gisberti Cuperi, Toinardi et Pauli Bauldri, in-8°, Ultrajecti, 1692 et 1693, nam utrumque annum præfert eadem editio. — Idem, cura et cum observationibus Nicolai le Nourry, monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri, in-8°, Parisiis, 1710. De his omnibus editionibus verba fecimus in præfatione secundi voluminis. L. Cæcilii Lactantii Firmiani Epitome Divin. Institutionum, edente viro clariss. et Doctiss. Christop. Matth. Pfaffio, Academiæ Tubingensis cancellario, in-8°, Parisiis, 1712. — In 8°, cum notis Jo. Davisii, Cantabrigiæ, 1718.

QUÆDAM LACTANTIANA IN LINGUAS VULGARES VERSA.

Lactance Firmian, des Divines Institutions, contre les religions et erreurs des gentils et idolâtres (*traduit en français par René Fame, secrétaire du roi François Ier*), in-folio, *Paris*, 1546; — in-folio, *Lyon*, 1547; — in-16, *Paris*, 1555; — in-16, *Lyon*, de *Tournes*, 1563; — in 16, *Paris*, 1581. Hæc sola est translatio integra Divinarum Institutionum nostri Lactantii.

Le premier livre des Institutions Divines, *traduit en français par M. Drouet de Maupertuis*, in-12, *Avignon*, 1710.

Traité de la Colère de Dieu, *traduit du latin de Lactance, précédé d'un discours sur la vie, les sentimens et les ouvrages de l'auteur, en forme d'apologie; par M. Dreux du Radier, conseiller du roi, lieutenant particulier à Châteauneuf en Thimerai.* Hanc elegantissimam translationem penes me habeo manu exaratam, a diligenti auctore mihi amice et benevole commissam. Nil vehementius opto, quam ut mox prælo subjiciatur. Ex vita Lactantii ab ipso exarata quædam excerpsi, eleganti et concinno auctore ultro annuente.

Traité de Lactance de la Mort des persécuteurs de l'Eglise, *mis en français par M. de Maucroix, chanoine de l'église cathédrale de Reims*, in-12, *Paris*, 1680. Hæc translatio non elegans solummodo est, verum etiam elegantissima. — Idem liber anglice versus a Gilberto Burneto, episcopo Sarisburiensi, cum præfatione de persecutione in christianos, in-8°, Londini, 1686 et 1714. Præfationem istius operis fatetur ipse Albertus Fabricius esse parum decentem. — *Le même livre, traduit en français sur la version anglaise de M. Burnet, avec la préface*, in-8°, *Utrecht*, 1687.

Symphorien Champier, Traduction du grec en français des prophéties des Sybilles, *mises en vers fran-*

Digitized by Google

çais dans la Nef des Dames. Hæc parum ad illustrandum Lactantium conferunt; ex eo tamen conjicitur, quanti auctorem nostrum fecerint eruditi.

DISSERTATIONES AD LACTANTIUM.

Antonini Randensis, theologi ordinis Minorum, *Firmiani Lactantii erratorum libri tres.*

Anthologia Lactantii Firmiani, elegantissimas sententias, easque tam pietate, quam doctrina illustres, complectens : recenter in locos digesta communes, per Thomam Beconum, in-8°, Lugduni, 1558. Hæc Anthologia quædam est Lactantiana theologia, qua ad certa capita revocantur ea omnia, quæ in Lactantio leguntur de Deo et rebus divinis ; atque etiam illa in quibus agitur de christianorum moribus.

Jean Gardei, *Collection des fleurs de Lactance Firmian, contenant sentences très-belles*, in-8°. Hic liber idem fere est cum Thomæ Beconi Anthologia.

Défense des sentimens de Lactance sur le sujet de A *l'usure ;* par M. Louis Bulteau, in-12, Paris, 1671 et 1677.

Nicolai Toinardi *Notæ in Lactantium, de Mortibus persecutorum*, in-12, 1690. Has notas, quæ doctiores sunt, edidimus.

Jo. Augusti Krebsii, *de Stylo Lactantii*, in-4°, Halæ Saxonum, 1702. Hanc dignam, quæ editionibus Lactantii adjungatur, judicant Memoriæ Trivoltianæ anni 1708, pag. 1069.

Matthiæ Nic. Kortholti, *Dissertatio de Cicerone christiano Lactantio*, in 4°. Giessæ, 1711.

Danielis Michelii *Introductio ad historiam litterariam*, in 8°, Cantabrigiæ, 1721 in qua eximia legitur disquisitio critica de codice Colbertino *de Mortibus persecutorum*, a pagina 187 ad 240, contra Nicolaum le Nourry, ordinis S. Benedicti.

Joachimi Justi Rau *Diatribe historico-philosophica de Philosophia Lucii Lactantii Firmiani*, in-8°, Ienæ, 1733.

ANALYSIS
LIBRI PRIMI LACTANTII.

ARGUMENTUM.

Propositio generalis primi et secundi libri est religiones deorum esse falsas. Speciales libri primi partes sunt quatuor :

Proœmium, cap. 1.

Providentiæ assertio, cap. 2.

Assertio unius veri Dei, cap. 3, 4, 5, 6, 7.

Refutatio deorum gentilium, inde ad finem.

Proœmium tria continet :

Causas hujus scriptionis.

Προσφώνησιν *ad Constantinum Magnum.*

Repetitionem primariæ causæ hujus scriptionis : ubi ratio exponitur cur tam pauci religioni assentiantur.

Causæ quibus motus Lactantius orator hanc de religione disputationem instituerit, quinque recensentur.

Prima : Succurrere vult iis, quibus prorsus ignota vera religio, quorum multi veritatem quæsiverunt, sed frustra, quia arcanum summi Dei ingenio ac propriis sensibus non potest comprehendi. C

Secunda : Succurrere vult iis, quibus aliquo modo innotuit vera religio : sed eam vel contemnunt, ut docti, quod idoneis assertoribus egeat; vel oderunt, ut indocti, ob insitam sibi austeritatem.

Tertia : Quia non tam de rebus humanis bene meretur, qui scientiam bene dicendi affert, quam qui pie atque innocenter docet vivere.

Quarta : Quia maximi oratores extremum vitæ actum philosophiæ tribuerunt; ergo justius ego theologiæ tribuam.

Quinta : Viri prudentes Institutiones juris civilis ediderunt; melius igitur ego divinas Institutiones persequar.

Προσφώνησις ad imperatorem Constantinum, qua illi gratulatur de veritatis agnitione.

Repetit causam principem institutæ disputationis, ut homines avocet ab erroribus, additque rationem cur tam pauci religioni veræ assentiantur : quod multi obdurent se contra manifestam veritatem, nec D cogitent, quare sint nati; hæc enim pravitatis est causa, ignoratio sui.

Altera pars libri primi quæstionem de providentia pertractat : An sit providentia ? Lactantius non copiosa hanc thesim demonstratione indigere scribit; tum quod Stoici et Cicero satis argute negativam refutarint; tum quod omnes populi in hac una re consentiant esse providentiam, cap. 2.

B Tertia parte asserit unum esse Deum, mundi hujus conditorem et gubernatorem; idque rationibus et auctoritatibus confirmat.

RATIONIBUS.

Quia Deus est perfectus. Ergo non potest esse nisi unus.

Quia Deus non capit interitum. Ergo nec divisionem.

Quia unus Deus facere mundum potuit. Ergo et regere.

Quia ut res militaris non constat, nisi sub uno duce : sic hic summa ipsa rerum non constabit, nisi singularum partium potestas ad unam providentiam referatur.

Quia dicere multorum arbitrio cuncta regi, tale est, quale si quis affirmet in uno corpore multas esse mentes : quoniam multa et varia sunt ministeria membrorum, quæ omnia mens sola gubernat.

Objectio : Sunt equidem multi dii, sed unus est summus Rector.

Responsio : Si universi pares non sunt; non igitur dii sunt omnes.

AUCTORITATIBUS.

Prophetarum. Prophetæ, qui fuerunt admodum multi, unum Deum prædicant, unum loquuntur.

Objectio. Non admittimus illorum testimonia; sunt voces humanæ.

Respons. Impleta sunt illorum vaticinia; igitur non fuerunt furiosi nec mendaces, quia cæteros ab omni fraude cohibuerunt; et voluntas fingendi ac mentiendi eorum est, qui appetunt opes, qui lucra desiderant, quæ res procul a sanctis illis viris fuit. Aliqui eorum principes aut etiam reges fuerunt, in quos cadere non potest suspicio fraudis.

Poetarum : nam Orpheus Deum verum πρωτόγονον vocat. Sic Virgilius et Ovidius Deum mundi fabricatorem agnoscunt.

Philosophorum : Thaletis, Pythagoræ, Anaxagoræ, Antisthenis, Cleanthis et Anaximenis, Chrysippi, Zenonis, Aristotelis, Platonis, Ciceronis, Senecæ.

Mercurii Trismegisti : Ὁ δὲ θεὸς εἷς. ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδέεται; ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος.

Sibyllarum, quæ omnes unum Deum prædicant.

Apollinis, qui quærenti quid esset Deus, respondit : αὐταφυές.

Digitized by Google

Quarta libri parte refutat primum communes gentilium religiones a cap. 8 usque ad 20, deinde proprias Romanorum, a cap. 20 ad finem; probatque religiones deorum falsas esse, quod certo tempore nati, pessime vixerint, tandemque mortalium omnium legem subierint, quos pro diis gentiles coluerunt.

LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII DIVINARUM INSTITUTIONUM *LIBER PRIMUS.*

DE FALSA RELIGIONE DEORUM.

Præfatio.

QUANTI SIT ET FUERIT SEMPER COGNITIO VERITATIS.

Magno et excellenti ingenio viri, cum se doctrinæ penitus dedissent, quidquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus et privatis et publicis actionibus, ad inquirendæ veritatis studium contulerunt; existimantes multo esse præclarius humanarum divinarumque rerum investigare ac scire rationem, quam aut struendis opibus, aut cumulandis honoribus inhærere. Quibus rebus, quoniam fragiles terrenæque sunt A et ad solius corporis pertinent cultum, nemo melior, nemo justior effici potest. Erant illi quidem veritatis cognitione dignissimi, quam scire tantopere cupiverunt; atque ita, ut eam rebus omnibus anteponerent. Nam et abjecisse quosdam res familiares suas, et renuntiasse universis voluptatibus constat, ut solam nudamque veritatem nudi expeditique sequerentur: tantumque apud eos veritatis nomen et auctoritas

VARIORUM NOTÆ.

Dedissent. Ex mss. Lipsiensibus et Gothano; rectius est et concinnius quam *dedidissent*, ut habent alii multi. Ms. elegans eminentissimi cardinalis Rohannei habet *dedissent*. *Dedidissent.*—Cellario *dedissent*, quod et Reimmanni ms. habet visum *rotundius*. At aliorum plerorumque codicum editionumque, primæ Sublacen., Rom., Venet. 1471, 1472, utriusque 1478, Rost. 1476, et longe plurium, *dedidissent*, ad Ciceronem, quem plerumque exprimit, propius accedit. Lib. I Offic., 21: *Qui excellenti ingenio doctrinæ se dediderunt.* Lib. III de Orat., cap. 15: *Ei studio se excellentissimi ingenii homines dediderunt.* Lib. I de Orat., cap. 3: *Studio litterarum penitus se dedere.* Neque *penitus dedidissent* minus *rotunda* videntur, quam Lact. lib. IV, cap. 13, *penitus nescientem*; et lib. VII, cap. 5, *se voluptatibus dediderunt.* Torn. 158, 1613, *penitius dedidissent.* BUNEMAN.

Struendis opibus. Mss. et sæc. XV edd., *quam struendis*; at Parrhas., Crat., Junt., Ald., Gymn., Griph., Paris. 1513, Isæus, *quam aut struendis.* Reimm., Venet. 1472, et edd. Tornæs., *quam in struendis.* Prius receptum ab Heum., posterius est contra Lactantii indolem, qui semper *inhærere* cum dativo construit. BUNEMAN.

Quoniam. Mss. Rohan. legit *quia.*

Justior effici. Sic restituimus ex Rohanneo et omnibus mss. codicibus, veteribus Romanis editionibus, et duobus Lipsiensibus. In cæteris editis, legitur *fieri.* — *Justior effici.* Ita mss. Goth., Guelpherb., Lips., Ultr., Junt., Cauc., Cantabr., Gron., Reimm. et primæ Subl., Rom., Ven. 1471, 1472, Rost., Paris. 1513, Torn.; et præstat lib. III, cap. 12: *Effici quemquam beatum posse*; lib. IV, cap. 3: *Efficitque meliores.* Cic. III, fin., 3, *beatam vitam virtute effici.* BUNEMAN.

Cupiverunt. Ita plerique libri plenius: at lenius et Ciceroni atque Lactantio propius Parrhas., Junt., Ald., Crat., Gymn., Is., *cupierunt*, in hoc et similibus. BUNEMAN. B

Atque ita. Deest in Rohan. mss. idque recte.

Abjecisse quosdam. Biam scilicet, Democritum, etc. V. Valer. Max., lib. VII, cap. 2; lib. VIII, cap. 7. De his singulis plenius loquetur libro III, qui est de Falsa sapientia.

Nudam veritatem nudi expeditique sequerentur. Ita Hieron. epist. 13, ad Paulinum: *Nudam crucem nudus sequens, expeditior et levior scandis scalam Jacob.* In multis editis ac in pluribus mss. *virtutem* et *virtutis* legitur, non vero *veritatem* et *veritatis.* At in mss. Oxoniensibus a Sparckio laudatis *veritatem* et *veritatis* scribitur, sicut et in mss. quibus usus est editor Coloniensis anni 1544. Porro in hoc capite non agitur de virtute, sed de veritate, ut paucis post lineis videre est; *quia veritas*, ait Lactantius, ingenio ac propriis sensibus non potest comprehendi.

Digitized by Google

valuit, ut in ipsa esse summi boni præmium prædicarent. Sed neque adepti sunt id quod volebant : et operam simul atque industriam perdiderunt; quia veritas, id est arcanum summi Dei, qui fecit omnia, ingenio ac propriis non potest sensibus comprehendi : alioqui nihil inter Deum hominemque distaret, si consilia et dispositiones illius majestatis æternæ cogitatio assequeretur humana. Quod quia fieri non potuit, ut homini per seipsum ratio divina innotesceret, non est passus hominem Deus lumen sapientiæ requirentem diutius errare, ac sine ullo laboris effectu vagari per tenebras inextricabiles; aperuit oculos ejus aliquando, et notionem veritatis munus suum fecit : ut et humanam sapientiam nullam esse monstraret, et erranti ac vago viam consequendæ immortalitatis ostenderet.

Verum quoniam pauci utuntur hoc cœlesti beneficio ac munere; quod obvoluta in obscuro veritas latet; eaque vel contemptui doctis est, quia idoneis assertoribus eget, vel odio indoctis, ob insitam sibi austeritatem, quam natura hominum proclivis in vitia pati non potest (nam quia virtutibus amaritudo permixta est, vitia vero voluptate condita sunt; illa A offensi, hac deliniti feruntur in præceps, et bonorum specie falsi, mala pro bonis amplectuntur) succurrendum esse his erroribus credidi : ut et docti ad veram sapientiam dirigantur et indocti ad veram religionem. Quæ professio multo melior, utilior, gloriosior putanda est, quam illa oratoria, in qua diu versati, non ad virtutem, sed plane ad argutam malitiam juvenes erudiebamus. Multo quippe nunc rectius de præceptis cœlestibus disseremus, quibus ad cultum veræ majestatis mentes hominum instruere possimus : nec tam de rebus humanis bene meretur, qui scientiam bene dicendi affert, quam qui pie atque innocenter docet vivere : idcirco apud Græcos majore in gloria philosophi, quam oratores fuerunt. Illi enim recte vivendi doctores sunt existimati : quod B est longe præstabilius : quoniam bene dicere, ad paucos pertinet, bene autem vivere ad omnes. Multum tamen nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, ut nunc majore copia et facultate dicendi causam veritatis peroremus : quæ licet possit sine eloquentia defendi, ut est a multis sæpe defensa ; tamen claritate ac nitore sermonis illustranda, et quodammodo disserenda est, ut potentius in animos

VARIORUM NOTÆ.

Prædicarent. Ita restitui ex mss. codicibus ac veteribus editis Rom., Ald., Paris., 1525; quod juxta Cellarium efficacius est notandæ philosophorum jactantiæ, quam *judicarent* quod est in recentissimis mss. Emmanuel. et Cantabrig. et in editis recentibus. In quibusdam editis legitur, *ut in ea omne summi boni prædicarent.*

Veritas, id est arcanum. De hoc quæstio erit lib. IV, qui est de Vera sapientia.

Summi Dei. Hanc locutionem centies reperies apud Lactantium.

Veritas... compr. Lib. III, c. 1, et l. VII, c. 2. BUN.

Dispositiones. Pro *decreta*; hinc Lactantius in Erasmico Ciceroniano notatur, quod vocabulum *decreta* hic non adhibuerit. — *Dispositiones.* Notatur noster ab Erasmo in Ciceroniano, quod *dispositiones* pro *decretis* dixerit. Vindicamus ex Tertulliano ad Lactant. lib. II, cap. 16. Conf. lib. VII, cap. 5. BUNEMAN.

Innotesceret. Ita mss. Anglicani et Aldina editio; aliæ quædam habent, *notesceret*, sed minus bene. — *Innotesceret.* Sic Torn., Gymn., Parrh., Crat. omnino h. l. sonantius. At *notesceret* habent cum Goth., Reimm., Lips. ad oram, Thom.; fere omnes edd. antiquæ, Subl., Ven. 1472, 1497, et Paris. 1513: præfert quoque Heumannus. Occurrit aliquoties lib. IV, cap. 26, et in Epitome ex ms. Taur. BUNEMAN.

Errare. Sic cum edit. Rom. omnes mss. præter 1 D Reg. et edd. rec. in quibus est, *oberrare.* — Regnat in omnibus edd. *oberrare*; quia vero hoc Lactantio et aliis est *circa aliquid errare*, ut noto ad lib. II, c. 2, præfero *errare :* sequitur *erranti :* etiam Reimm., *errare.* BUNEMAN.

Laboris effectu. Certe non opus a consensu codicum, etiam Reim., abire. Iterum Lact. lib. III, cap. 1, *voluntatem non secutus effectus.* Seneca de Tranquill. cap. 11, fin. : *Ne aut labor irritus* sine effectu *sit, aut* effectus *labore indignus.* BUNEMAN.

Notionem veritatis munus suum fecit. Id est, ipse Deus voluit fungi officio doctoris, veritatem notam faciendo. *Ipsi enim soli veritas nota est*, lib. III, c. 1; *et Dei est hoc munus... et veritatis notio divinæ conditionis est.* BUNEMAN.

Nullam. Id est nullius pretii, nullius emolumenti. WALCHIUS. — Ita interpretantur vocem *nullus* purioris eloquii auctores.

In obscuro veritas. Quomodo id sit docet lib. III, c. 28.

Assertoribus. Ita cum vet. tribus Romanis editionibus an. 1468, 1470 et 1474, ac Betuleii et Cellarii mss. Bonon., 7 Reg., 6 Colbert., 2 Sorbon., Navar., Victor., Gatian., Cauc., Ultr., 3 Lips., Cant., Emm., Jun., Gronov., 2 C'arom. et 2 Brun. melius et con- C cinnius quam *assertionibus* in 2 Reg. rec. et Marm. ac recentioribus editis. De assertoribus christianæ religionis vide lib. V, cap. 2.

Falsi. Id est, decepti.

Illa oratoria. Sc. profana, sophistica, quam vocat de Opif., cap. 21, *fallacem captiosamque facundiam.* BUN.

In qua diu versati. Forum tamen non attigit.

Instruere. Sic restituimus ex veterrimo et optimo ms. Regio-Puteano, 3 Colbert., 2 Claromont. aliisque, et vet. editis Rom. Egnat. seu Ald., 1515, Paris., 1525. Cratand., 1532. In nonnullis mss. et recentioribus editis, *instituere.*

Majore in gloria, etc. De philosophi et oratoris comparatione vide Plutarchum in Stoicis Enantiomatis sub initium.

Multum tamen nobis exercitatio illa fictarum litium, etc. *Fictarum*, ait, *litium*, nam verarum numquam patronus fuit, cum ne forum quidem attigerit, ut testatur ipse de se lib. III, cap. 13. Olim autem cum in Græcia et Romæ floreret eloquentiæ studium, D juvenes, percepta grammatica, ducebantur ad rhetores, qui themata illis vel conficta, vel ex historiis petita proponebant, qualia sunt quæ in Senecæ patris, et Quintiliani declamationibus, et apud Græcos scriptores etiamnum multa reperiuntur, in quibus pueri in scholis sese dictione ac scriptione exercerent, quales fuerunt Libanius, Carneades, Dio Chrysostomus : ita hi juvenes instituebant, ut postea serio ad populum, vel senatum eloqui possent; et materias infames pertractare consueverunt. Hæ itaque exercitationes erant, quibus paulo supra Lactantius ait, se in professione illa oratoria diu versatum, juvenes olim non ad virtutem, sed plane ad argutam malitiam erudivisse, multumque illarum usum nunc sibi profuturum ad causam veritatis adversus gentes perorandam. ISÆUS.

Disserenda est. Disserere, est velle indicare, declarare. Tacit. Hist. II : *Haud fuerit longum initia religionis, templi situm, formam deæ paucis disseremus*

Digitized by Google

influat et vi sua instructa, et luce orationis ornata.

CAPUT PRIMUM.

De religione et sapientia.

De religione itaque nobis rebusque divinis instituitur disputatio. Nam si quidam maximi oratores professionis suæ quasi veterani, decursis operibus actionum suarum, postremo se philosophiæ tradiderunt, eamque sibi requiem laborum justissimam putaverunt; si animos suos in earum rerum, quæ inveniri non poterant, inquisitione torquerent, ut non tam otium sibi, quam negotium quæsisse videantur, et quidem multo molestius, quam in quo fuerant ante versati: quanto justius ego me ad illam A piam, veram, divinamque sapientiam, quasi ad portum aliquem tutissimum conferam, in qua omnia dictu prona sunt, auditu suavia, facilia intellectu, honesta susceptu? Et si quidam prudentes, et arbitri æquitatis, Institutiones civilis juris compositas ediderunt, quibus civium dissidentium lites contentionesque sopirent: quanto melius nos et rectius divinas Institutiones litteris persequemur; in quibus non de stillicidiis, aut aquis arcendis, aut de manu conserenda, sed de spe, de vita, de salute, de immortalitate, de Deo loquemur, ut superstitiones mortiferas, erroresque turpissimos sopiamus?

Quod opus nunc nominis tui auspicio inchoamus, Constantine, Imperator Maxime, qui primus Romanorum principum, repudiatis erroribus, majestatem B

VARIORUM NOTÆ.

BARTHIUS.—Forte legendum, *asserenda est*, ait Petrus Francius in ora Lactantii sui.

Et vi sua instructa. Ita emendatum ex vetustissimo et optimo ms. Regio-Puteano, aliisque 7 Regiis, et 6 Colb., 2 Lips., Christ., Em., Cantabrig., 2 Clarom., 2 Brun., ac 3 vet. editis Rom., Egn. seu Ald., Paris. 1525, Tornes., Cratand., Graph., Gymnic. et 2 Lips.; cum antea esset in editis sex recentioribus *et vi sua et instructa religione*. Et quidem duas hasce voces esse delendas existimabat doctissimus Petrus Francius historiarum et eloquentiæ professor Amstelodami, in notis mss. ad oram Lactantii sui, *religione* suspicans natum ex sequentibus.

Maximi oratores. Imprimis Cicero, qui, sexagenario major, omnia fere philosophica scripsit. Conf. ejus init. Disp. Tuscul. BUNEMAN.

Veterani. A militia desumpta similitudo; alii C enim milites veterani, alii tirones. Veterani sunt milites, qui multis annis stipendia fecerunt, et diuturno usu in re militari sunt exercitati; sub vexillo tamen continebantur, ut patet ex Cæsare libro 1 de Bello Gallico. Vide Lipsium, ad librum 1 Taciti; Budæum, in l. *de Asse*. Hinc oratores veterani appellantur, qui multis annis declamando sese exercuere, ac qui diuturno usu, dicendi facultatem ac facilitatem acquisivere. GALLÆUS.

Prudentes. Id est jureconsulti; sic in jure dicuntur *responsa prudentum*. Sic infra lib. v, cap. 12, *prudentes* iterum qui et *jureconsulti* dicuntur: et *prudentia* pro jurisprudentia apud Ciceronem, de Senect. cap. 9, et de Amicit. cap. 1.

Institutiones. Respicit ad operis titulum, ad instar Caii Institutionum juris civilis, quarum hodie extant fragmenta. Institutiones autem sunt libri, quibus prima elementa docendæ alicujus artis aut scientiæ ita concluduntur, ut rudis aliquis per gradus ad ejus cognitionem pervenire possit. Sic apud JC. Institutiones legimus scripta brevia BARTHIUS.—Per *divinas Institutiones* intelligit Lactantius, de religionis christianæ institutis et præceptis, deque impiis gentilium cultibus coarguendis disceptationes. D

Institutiones. Quæ juxta, Lact. lib. v, cap. 4, *doctrinæ alicujus substantiam continent*. BUN.

Non de stillicidiis, aut aquis, etc. In Pandectis jurisconsultorum, libro XXX, titulus tertius est *de aqua, et aquæ pluviæ arcendæ*. Vid. Ciceron., lib. 1 de Oratore, num. 38.

De manu conserenda. Teste Gellio, lib. XX, cap. 9, *manum conserere* est, de qua re disceptabatur in re præsenti, sive ager, sive quid aliud est, cum adversarium simul manu prehenderet, in ea re omnibus verbis vindicare. A. GELLIUS.

Quod opus nunc nominis tui auspicio, etc. Hæc usque ad *Omissis ergo* desiderantur in mss. 4 Reg., 2 Bon., 7 Vatic., 4 Colb., Nav., Vict., Chr., Em., 1 Lips., Gat., Tornes., Claromont., Brun., et in edit. Florentina. Desunt quoque in mss. Rohanneo et Sangerman. Extant autem in vetustissimo ms. Reg. 900 annorum codice, et in aliis quatuor Regiis, 5 Vaticanis, 2 Colbertinis, Sorbon., 2 Lips., 1 Claromont., Goth., Balliol., Marm., et in vet. editis, 3 Rom., Ald. 1515, Paris. 1525, Graphei, Cratandri, Gymnici, Betuleii, Fasitelii, Thomasii, Soubr., 2 Paris., Spark. et 2 Lips. Hæc repudiat Isæus; tuentur autem nobiscum clarissimi et eruditissimi viri Stephanus Baluzius, Sebastianus Tillemontius, et Jo. Georgius Walchius ex styli æqualitate, et bis editos a Lactantio fuisse: primo tristibus quidem temporibus scriptos putant Institutionum libros, scilicet paulo post an. 302, lætioribus autem emendatos, auctos, altera editione prodiisse, et Constantino inscriptos ac dedicatos circa annum 321 aut 323. Vide præfationem nostram, n. 10, et Hist. eccles. Tillemontii, tom. VI, p. 208. *Omnino genuinus fœtus est Lactantii*, inquit Walchius in sua Lipsiensi editione, an. 1715, pag. 13: *quod ex scribendi indole clare colligi potest*. Qua de re vide Isæum, in notis ad librum 1, quæ subjiciuntur ad finem hujusce voluminis.

Imperator Maxime. Nomine isto fuit insignitus Constantinus, cum jam solus, debellatis hostibus, gubernacula imperii Romani haberet. Plura etenim cognomina gradatim assecutus est Constantinus. Ex eo quod, Maxentii victor, Romanum imperium tyrannide liberasset, appellatus fuit Liberator Urbis et Fundator quietis; cum solus imperaret, salutabatur Restitutor humani generis, Propagator imperii, et Fundator æternæ securitatis.

Qui primus Romanorum principum. Non tam *primus, repudiatis erroribus, majestatem Dei singularis ac veri cognovit et honoravit*, quam primus imperatorum pacem christianis dedit. Nam ante illum Philippus, qui imperavit ab anno 244 ad 249, videtur fuisse christianus, ut colligi potest ex Eusebii Chronico, et Hist. eccles., lib. VI, cap. 39, pag. 234, B; c. 34, pag. 232; B. Hieronymo, lib. de Viris illustribus, seu de Script. Eccles, cap. 54, pag. 285; Vincentio Lirin., lib. 1, cap. 23; Oros., lib. VII, cap. 20 et 28, aliisque. Itaque multo obscurior fuit in Philippo quam in Constantino, christianæ religionis professio. Vide Tillemontium, Histor. imperatorum, tom. III, pag. 300 et p. 645 et seqq. Causa conversionis Constantini fuit victoria de Maxentio, καὶ τὸ τοῦ σταυροῦ σημεῖον, cui adscriptum: ἐν τούτῳ νίκα. Id autem evenit an. Chr. 311. Mortuus est 337, die Pentecostes, 22 maii sub coss. Feliciano et Titiano. Vide Philostorgium, lib. 1 Hist. eccles., 6, alii ante victoriam jam fuisse christianum referunt. De cruce illa quæ anno 311 Constantino apparuit, vide Jac. Gothofredum ad Philostorgium; Eusebium, lib. 1 de Vita Constantini, cap. 22, et Sebastianum Tillemontium, Histor. impe-

Digitized by Google

Dei singularis ac veri et cognovisti et honorasti. Nam cum ille dies felicissimus orbi terrarum illuxisset, quo te Deus summus ad beatum imperii culmen evexit, salutarem universis et optabilem principatum præclaro initio auspicatus es, cum eversam sublatamque justitiam reducens, teterrimum aliorum facinus expiasti : pro quo facto dabit tibi Deus felicitatem, virtutem, diuturnitatem : ut eadem justitia, qua juvenis exorsus es, gubernaculum reipublicæ etiam senex teneas, tuisque liberis, ut ipse a patre accepisti, tutelam Romani nominis tradas. Nam malis, qui adhuc adversus justos in aliis terrarum partibus sæviunt, quanto serius, tanto vehementius idem omnipotens mercedem sceleris exsolvet : quia ut est erga pios indulgentissimus pater, sic adversus impios rectissimus judex. Cujus religionem cultumque divinum cupiens defendere, quem potius appellem, quem alloquar, nisi eum per quem rebus humanis justitia et sapientia restituta est?

Omissis ergo hujusce terrenæ philosophiæ auctoribus nihil certi afferentibus, aggrediamur viam rectam : quos equidem, si putarem satis idoneos ad bene vivendum duces esse, et ipse sequerer, et alios, ut sequerentur, hortarer. Sed cum inter se magna concertatione dissideant, secumque ipsi plerumque discordent, apparet eorum iter nequaquam esse directum : siquidem sibi quique, ut est libitum, proprias vias impresserunt, confusionemque magnam inquirentibus veritatem reliquerunt. Nobis autem, qui sacramentum veræ religionis accepimus, cum sit veritas revelata divinitus, cum doctorem sapientiæ ducemque veritatis Deum sequamur, universos sine ullo discrimine vel sexus vel ætatis ad cœleste pabulum convocamus. Nullus enim suavior animo cibus est, quam cognitio veritatis, cui asserendæ atque illustrandæ septem volumina destinavimus, quamvis ea res infiniti pene sit operis et immensi : ut si quis hæc dilatare atque exequi plenissime velit, tanta illi rerum copia exuberet, ut nec libri modum nec finem reperiat oratio. Sed nos idcirco breviter omnia colligemus; quod ea quæ allaturi sumus, tam clara sunt et lucida, ut magis mirum esse videatur tam obscuram videri hominibus veritatem, et iis præcipue, qui sapientes vulgo putantur, vel quod tantummodo instituendi nobis homines erunt, hoc est, ab errore quo sunt implicati, ad rectiorem viam revocandi.

Quod si fuerimus, ut spero, assecuti, mittemus eos ad ipsum doctrinæ uberrimum ac plenissimum fontem, cujus haustu atque potu conceptam visceribus sitim sedent, ardoremque restinguant. Eruntque illis omnia facilia, prona, manifesta : modo ne pigeat ad percipiendam sapientiæ disciplinam, legendi, vel audiendi patientiam commodare. Multi enim superstitionibus vanis pertinaciter inhærentes, obdurant se contra manifestam veritatem, non tam de suis religionibus, quas prave asserunt, bene meriti, quam de se male : qui cum habeant iter rectum, devios sequuntur anfractus; planum deserunt, ut per præci-

VARIORUM NOTÆ.

ratorum, tom. IV, cap. 23, pag. 126, atque dissertationem Nicolai de Lestocq, huic editioni annexam.

Aliorum facinus. Taxat hic Lactantius Maxentii et Licinii in christianos crudelitatem, et alios christianorum persecutores.

Dabit tibi Deus felicitatem. Sic S. Augustinus : *Constantinum*, inquit, *imperatorem non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet*, etc., de Civit. Dei, lib. V, cap. 25.

Etiam senex teneas. Hæc verba desunt in edit. Sublac.

Justos. Id est christianos.

Quanto serius, tanto vehementius. Val. Max. lib. I, cap. 1, ext. 3 : *Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat.* Bun.

Afferentibus. Ut paulo post, *quæ allaturi sumus.*, at mss. 9 recentiores cum nonnullis editis, *asserentibus.* Hic non Academicos modo intelligit, sed philosophos omnes, qui variis opinionibus sapientiæ studium dilaniarunt. — *Nihil certi afferentibus.* L. III, cap. 7, fin. : *Nec tamen afferat ipse, quod sequamur.* Cic. c. 16 : *Nihil boni ad vitam afferebant.* De Opif., c. 1 : *Sic disputant, ut ea, quæ afferunt, probata et cognita videri velint.* Singulis his locis quoque de philosophis agitur.

Inquirentibus. Sic mss. S. Germani et Lipsienses duo; alii vero *quærentibus.*

Requirentibus veritatem. Merito ex Lips. prætulit Cellarius. Amat Lactantius vocem hanc. infra, l. VII, cap. 7 : *Veritatem sine duce requirerent.* De Ira, c. 3 : *Veritatem alibi requiramus.* Bun.

Sacramentum. Hic significat rem arcanam, quæ naturaliter rationi humanæ ignota est, sed divinitus patefacta, quo sensu verus interpres vocem μυστήριον reddidit. Hæc vox nonnumquam significat juramentum, quod milites olim imperatori præstabant, eoque se fideliter pugnaturos et prompte obtemperaturos pollicebantur : hæc significatio huic loco etiam aptari potest, atque ita accepit D. Thys. Nam et christiani quando per baptismum Ecclesiæ inserebantur, juramento Christo se obligabant; hinc S. Hieronymus ad Heliodor. : *Recordare tyrocinii tui diem, quo Christo consepultus, in sacramenti verba jurasti.* Gallæus.

Cui asserendæ. Sic 22 mss. inter quos sunt antiquiores Reg., Bonon. et Rohan. ac Sangerm. quod præferendum aliis mss. recentioribus et editis, qui habent *cujus.*

Infiniti pene sit operis et immensi. Inest in his elegantia. Cic. I, de Orat., 6 : *Nec dubito, quin hoc plesque* immensum infinitumque *videatur.* Bun.

Copia exuberet. Ven. 1471, utraque 1478, Rost., Ven. 1497, Pier., Parrh. et quædam aliæ *exuperet.* Nihil muto, lib. IV, cap. 17, *copia lactis exuberant;* cap. 29, *exuberans fons;* lib. VII, cap. 15, *ager exuberat;* de Ira, cap. 13, *Ut arbusta pomis exuberent.* Epit. cap. 72 : *Lactis, vini fontes exuberabunt.* Bun.

Nec libri modum, nec finem reperiat oratio. Heumannus miratur, tam diu in mendo cubuisse h. l. et rescribit, *liber.* Non opus si, *nec libri modum*, reperiant subaudias. Certe omnes libri scripti et editi *libri* habent : ita ut prius loco hic, *reperiant.*

Vanis. In ed. Sublac. legitur *variis.*

Obdurant se contra. Goth. *obdurantur contra manifestam veritatem.* Cicero sine reciproco, lib. III Finib., 11 : *Quis contra studia naturæ tam vehementer obduravit.* Bun.

Prave asserunt. Ita cum editis optimi quique mss. In tribus rec. est *proferunt;* in decem recentissimis, *præferunt.* Vide infra *prave sentientium.*

Digitized by Google

pitium labantur; lucem relinquunt, ut in tenebris A cæci ac debiles jaceant. His consulendum est ne contra se pugnent, velintque se tandem ab inveteratis erroribus liberari: quod utique facient, si, quare sint nati, aliquando perviderint. Hæc enim pravitatis est causa, ignoratio sui; quam si quis, cognita veritate, discusserit, sciet quo referenda, et quemadmodum sibi vita degenda sit. Cujus scientiæ summam breviter circumscribo: ut neque religio ulla sine sapientia suscipienda sit, nec ulla sine religione probanda sapientia.

CAPUT II.

Quod providentia sit in rebus humanis.

Suscepto igitur illustrandæ veritatis officio, non putavi adeo necessarium ab illa quæstione principium sumere, quæ videtur prima esse natura: sitne providentia, quæ rebus omnibus consulat; an fortuitu vel facta sint omnia vel regantur. Cujus sententiæ auctor est Democritus, confirmator Epicurus. Sed et antea Protagoras, qui deos in dubium vocavit; et postea Diagoras, qui exclusit; et alii nonnulli qui non putaverunt deos esse; quid aliud effecerunt, nisi ut nulla esse providentia putaretur? quos tamen et cæteri philosophi, ac maxime Stoici acerrime re-

VARIORUM NOTÆ.

Ut per præcipitium labantur. Et sic labantur lib. VI, B cap. 57; Epitom., cap. 69. At mss. duo Colb. rec. et Rohan., *ut in præcipitium*; 1, Reg. *ut in præceps.*

Relinquunt. Reimm., Lips. 2 et 3, *derelinquunt.* Certe Lactantius amat hoc decompositum; lib. I, cap. 18, lib. V, cap. 8, cap. 18, et quidam lib. III, cap. 13. Bun.

Liberari. Francius, forte *liberare.* Sed melius legitur in Coloniensi anni 1544 editione, *velintque tandem ab inveteratis erroribus liberari.*

Si quare sint nati. Ex mss. et editis addidi *sint*, quod decrat editis Thys. et etiam Servati Gall. — *Quare sint nati.* Illud *sint* in Reimm. et in triginta amplius edd. deprehenditur, in Sublac., duabus Rom., decem Venetis, an. 1471—1510, tribus Antuerp., tribus Basil., quinque Tornæs., Junt., Parrh., Berut., Gryph., duabus Isæi. Neglexerunt Thys., Gall., Spark., Cantabr.

Ut neque.... probanda sapientia. Hypothesis est totius professionis christianæ: de hoc agitur in Lactantii libro de Ira Dei, cap. 12. C

Non putavi adeo necessarium. Plenius hoc argumentum tractatur a Lactantio libro de Ira Dei, cap. 9, 10, 11, et in libello de Opificio Dei, ubi Epicureos confutat.

Natura; sitne providentia. Hinc Lact. Epitom. cap. 2, incunte: *Prima incidit quæstio, sitne providentia.* Bun.

Regantur. Sic cum optimis editionibus et mss. antiquioribus; quod capite 1 Epitomes confirmatur; ubi legere est: *Sitne aliqua providentia, quæ aut fecerit aut regat mundum.* In quibusdam tamen mss. legitur *gerantur*, etiam Rohanneo et Sangermanensi, in aliis etiam, sed male, *gerantur.*

Democritus. Qui fortuito omnia ex atomis facta asserere conatur. Vide Laertium. Optime Plutarchus: *Nihil pulchri temere, et fortuito nascitur, sed ab arte aliqua efficitur.* Vossius. — De ipso Democrito copiose agitur infra libro III, cap. 17. Democrito autem adjungit Epicurum, quia hic ex illo pleraque hausit, teste Cicerone, lib. V de Finib.; et lib. II de Natur. deorum.

Protagoras. Democriti auditor; de illo sic Lactant. D de Ira Dei, cap. 9.: *Primus omnium Protagoras extitit temporibus Socratis, qui sibi diceret non liquere, utrum esset aliqua divinitas necne*, etc. Suidas, in Προταγόρας; Theophilus, ad Autolyc. lib., 3; Cic., lib. I de Nat. deor.; Epiphanius, lib. III contra Hæreses; Theodoret., orat. II contra Græcos. Elmenhort.—Protagoras propter impium dogma Athenis ejectus est. Ejus Vita est apud Laertium libro IX. Sub Protagoræ nomine dialogus est inter Platonis Dialogos.

Diagoras. Cic. de Nat. deos., I. I, c. 23, et I. II, c. 37; Josephus, II contra Appion.; Tatian.; Athenag., Πρὸς Ἕλληνας; Clemens, in Protrept. Ὧν δὴ χάριν, etc.; *Diagoras Melius, cui Atheon cognomen imposuit antiquitas*, dixit Minucius Felix. Contra quem suum de Providentia librum scripsit Theodoretus. Athenienses talenti pretium proscripsere illi qui Diagoræ caput afferret (Suidas in Διαγόρας). Vixit autem Diagoras, juxta Euseb., Olymp. LXXIV, et deinceps vir perspicacissimi ingenii, clariss. Vossius existimat eumdem esse Diagoram Atheniensem, qui reliquit sermones Phrygios. Tatianus contra Græcos: Διογόρας Ἀθηναῖος, etc. Ili phrygii sermones fuisse videntur historia eorum quæ ad Cybelen, sive matrem Phrygiam, et ejus sacra pertinerent. Ab ipso autem eo fine conscripti, ut homines a sacris illis averteret. *Ex* Vossio. — De hoc Diagora iterum agitur a Lactantio, lib. de Ira Dei, cap. 9, et a Theodoreto in Therapeutica Græcorum, in sexto.

Et postea Diagoras. Post Protagoram, ante Epicurum, et ipse discipulus Democriti. Suid. ed. Kuster., t. I, f. 550. Si recte capias, Lactantius credidit fuisse eum post Epicurum, de Ira, capite 9. Male. Diagoras Olymp. LXXIV floruit; Epicurus demum Olymp. CIX, anno tertio natus; Laert. I. X, sect. 14, 15, et Menag. p. 453. Vossius ergo corruptam Laertii editionem secutus est, cum de Hist. Græc. I. I, c. 21, Epicurum Olymp. CVII mortuum tradidit; concedit enim Olymp. CIX natum fuisse, I. IV, c. 10, ed. C Lugd. B. in-4°. Ad rem conf. Cic. de Nat. deor. L. I, c. 1 et c. 23; I. III, c. 37; Valer. Max. I. I, c. 1, ext. n. 7; Ælian., I. II Hist. Var., c. 31. Bun. — *Antea Protagoras... postea Diagoras.* Cic. libro I de Nat. deor. c. 1: *Deos esse, dubitare se Protagoras, nullos esse omnino, Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt.* Idem dicto libro, c. 23: *Quid? Diagoras, Ἄθεος qui dictus est, posteaque Theodorus, nonne aperte deorum naturam sustulerunt? Nam Abderites quidem Protagoras, sophistes temporibus illis vel maximus, cum in principio libri sic posuisset*, de divis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere, *Atheniensium jussu urbe atque agro est exterminatus, librique ejus in concione combusti.* Cell.

Et alii nonnulli. E. g. Theodorus. Epit. cap. 68; de Ira, c. 9. Loca scriptorum indicarunt Elmenhorst. ad Minuc. c. 8. Pfanner, in Syst. Theolog. Gentil. c. 2, § 2. Bun. — Bion etiam exclusit deos: carmina quæ de illo extant reperies apud Meursium quem adire ne pigeat, *in opusculis Hesychii, p.* 12. Gallæus. D

Ac maxime stoici. Stoicos imprimis celebrat; sed non minorem laudem promeritus est Plato, qui Deum passim vocat δημιουργὸν ἁπάντων, *opificem universi.* Vossius. — Stoicorum insignes de providentia divina sententiæ reperiuntur. Lactantius laudat Stoicos, cæterosque philosophos: Epictet. apud Arrianum: *Discendum ante omnia, unum esse Deum, omnia regere, omnibus providere; quidquid vero faciamus, dicamus, cogitemus, nihil eum latere posse.* Vide Senecam in Quæst. et in lib. de Beneficiis, et libro de Providentia. *Eumdem Hetrusci, quem nos Jovem, intelligunt, custodem rectoremque universi, animum ac spiritum, mundi hujus operis dominum et artificem, cui numen omne convenit. Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic est ex quo suspensa sunt omnia, ex quo sunt omnes causæ causarum. Vis illum providentiam dicere? recte dicis. Est enim cujus consilio huic mundo providetur, ut inconcussus exeat, et actus suos explicet.* Sic

Digitized by Google

tuderunt, docentes, nec fieri mundum sine divinâ ratione potuisse, nec constare, nisi summa ratione regeretur. Sed et M. Tullius, quamvis Academicæ disciplinæ defensor esset, de providentia gubernatrice rerum et multa et sæpe disseruit, Stoicorum argumenta confirmans, et nova ipse afferens plurima : quod facit tum in omnibus philosophiæ suæ libris, tum maxime in iis qui sunt de Natura deorum.

Nec difficile sane fuit paucorum hominum prave sentientium redarguere mendacia testimonio populorum atque gentium in hac una re non dissidentium. Nemo est enim tam rudis, tam feris moribus, qui oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat cujus Dei providentia regatur hoc omne quod cernitur, non aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione : nec posse fieri quin id, quod mirabili ratione constat, consilio majori aliquo sit instructum. Et nobis utique facillimum est exequi hanc partem quamlibet copiose. Sed quia multum inter philosophos agitata res est, et providentiam tollentibus satis responsum videtur ab hominibus argutis et eloquentibus, et de solertia divinæ providentiæ per totum hoc opus, quod suscepimus, sparsim dicere necesse est; omittamus in præsenti hanc quæstionem, quæ cum cæteris sic cohæret, ut nihil a nobis disseri posse videatur, ut non simul de providentia disseratur.

CAPUT III.

Uniusne potestate Dei mundus regatur, an multorum?

Sit ergo nostri operis exordium quæstio illa consequens ac secunda : utrum potestate unius Dei mundus regatur, anne multorum? Nemo est qui quidem sapiat, rationemque secum putet, non unum esse intelligat, qui et condiderit omnia, et eadem, qua condidit, virtute moderetur. Quid enim multis opus est ad mundi regimen sustinendum? nisi forte arbitremur, si plures sint, minus habere singulos nervorum atque virium. Quod quidem faciunt ii, qui multos esse volunt; quia necesse est imbecilles esse: siquidem singuli, sine auxilio reliquorum, tantæ molis gubernaculum sustinere non possent. Deus autem, qui est æterna mens, ex omni utique parte

VARIORUM NOTÆ.

et Cleanthes apud Simplicium : *O Deus*, inquit, *rege me per eam causam, qua omnia moderaris et temperas.*

Acerrime retuderunt. L. III, c. 28 : *Cum fortiter inimicorum impetus retudisset*; l. IV, c. 27, *vim retundit.*

Docentes. Ita ferunt mss. veterrimi et optimi. Rohanneus vero et Saugermanensis habent *dicentes*, quod idem fere est.

M. Tullius. Cicero modo Platonicos, modo Stoicos, modo Aristotelem secutus est.

Nemo est enim tam rudis, etc. Recte observat doctiss. Wowerius, hæc vulgaria esse argumenta, quibus omnes fere qui adversus Gentes scripserunt, in astruenda divinitate usi sunt. Minucius idem habet argumentum, quod a Cicerone mutuatur, de Natura deorum II, dicente : *Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur.* Idem, de arusp. Resp. : *Etenim quis est tam vecors, qui cum cœlum suspexerit, deos esse non sentiat, et ea quæ tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet? aut cum deos esse intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum imperium natum, et auctum et retentum*, etc. ELMENHORST. — Prudentius vero in Apotheosi :

> Attamen in cœlum quotiens suspexit, in uno
> Constituit jus omne Deo, cui serviat ingens
> Virtutum ratio, variis instructa ministris.

Vide Isidor. Pelus. lib. IV. Hoc argumentum a creaturis petitum omnes convincit, et omnibus notum est, adeo ut validissimum sit ad asserendam divinitatem; hoc enim argumento B. Paulus, Rom., I, v. 20, utitur, ut Gentes reddat inexcusabiles. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles. GALLÆUS. — argumentum iterum a Cicerone tractatur libro I Tusculunarum Quæstionum.

Qui oculos. Ita mss. et editi veteres. Unde homines cognitionem deorum habuerint, docet Plutarchus in Placitis philosophorum libro I, c. 6. Vide etiam Ciceronem in libro de Universitate.

Pulchritudine. Nihil certe illorum quæ sensu comprehenduntur, mundo ornatius, pulchrius et absolutius, ut Philo notat in lib. περὶ Ἀφθαρσίας κόσμου, Cic. lib. II de Nat. deorum. ELMENHORST. — Cicero idem affirmat, quod hic Lact., lib. II de Divinat. Ob hanc pulchritudinem mundus Græcis est κόσμος. Vide etiam Aristotelem de mundo, et Plinium, libro II, capite 4. Pro voce *temperatione*, quæ sequitur, ed. Subl. legit prave, *comparatione.*

Quod mirabili ratione. Francius legit, *quod tam mirabili ratione constat.*

Utique. Sic reposuimus ex mss. et omnibus fere editis. In 4 edd. rec., *itaque.*

Necesse est. In ed. Sublac. additur *non*, optime.

Nemo est qui quidem sapiat. Optime cum doctiss. Gronovio ita restitui ex mss. Rohan., item ex 2 aliis Reg. bonæ notæ, necnon Gronov., 1 Colb., 2 Brun. et edit. Cellar. In cæteris, *Nemo est quidem qui sapiat... qui.*

Non unum esse intelligat. Editi quinque in medio inserunt *Deum :* sed perperam; mox enim præcessit *unius Dei.* Cæterum in eamdem rem vide Lactantium lib. II, cap. 2 : *Cum jurant, et cum optant*, etc., inquit Tertullianus in Apologet. de ethnicis sui temporis : *Anima licet falsis diis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula et somno Deum nominat, et quod Deus dederit, omnium vox est, judicem quoque contestatur illum : Deus videt, et Deo commendo, et Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ! Denique pronuntians hæc, non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit? novi enim sedem Dei vivi.* Deum unum poëtæ agnoverunt Æschylus, et Sophocles, Philemon, Orpheus, Pythagoras. Vid. S. Justinum de Monarchia.

Qui et condiderit omnia, etc. Hierocles Ζῆνα et Δία Deum appellatum esse scribit, quia per eum omnia sunt et vivunt. Hinc Apuleius Deum vocat *rerum omnium exertorem.* Proclus vocat Deum πηγὴν πάσης ζωῆς, *fontem omnis vitæ.* Sic Cato apud Lucanum :

> Hæremus cuncti superis, temploque tacente,
> Nil agimus nisi sponte Dei.

Sacra etiam pagina ad providentiam asserendam, argumentum (quod omnes convincit) ab experientia petit (Ps. CIII, v. 28 et 29).

Nervorum atque virium. Posterior vox priorem explicat. Vide Davis. ad Cæs. I Gal., 20 : *Opibus ac nervis.* Hic video expressum Ciceronem Or. V Philip. c. 12 : *Experietur consentientis senatus nervos atque vires.* Conf. Lact. I.IV, c. 18, *nervis ac viribus.* BUNEMAN.

Æterna mens. Seneca lib. I Natur. Quæst. : *Quid*

Digitized by Google

perfectæ consummatæque virtutis est. Quod si verum est, unus sit necesse est. Potestas enim, vel virtus absoluta, retinet suam propriam firmitatem. Id autem solidum existimandum est, cui nihil decedere; id perfectum, cui nihil possit accedere.

Quis dubitet potentissimum esse regem, qui totius orbis habeat imperium? neque immerito: cum illius sint, quæ ubique sunt omnia; cum ad eum solum omnes undique copiæ congerantur. At si plures partiantur orbem, minus certe opum, minus virium singuli habebunt, cum intra præscriptam portionem se quisque contineat. Eodem etiam modo dii, si plures sint, minus valebunt, aliis tantumdem in se habentibus. Virtutis autem perfectior natura potest esse in eo, in quo totum est, quam in eo, in quo pars exigua de toto est. Deus vero, si perfectus est (quia perfectus est) ut esse debet, non potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia. Deorum igitur virtutes ac potestates infirmiores sint necesse est: quia tantum singulis deerit quantum in cæteris fuerit; ita quanto plures, tanto minores erunt. Quid, quod summa illa rerum potestas ac divina vis ne semel quidem dividi potest? Quidquid enim capit divisionem, et interitum capiat necesse est. Si autem interitus procul est a Deo, quia incorruptibilis est et æternus, consequens est ut dividi potestas divina non possit. Deus ergo unus est, si nihil esse aliud potest, quod tantumdem capiat potestatis; et ii tamen, qui multos esse arbitrantur, officia inter se dicunt esse partitos: de quibus omnibus suo loco disputabimus. Illud interim, quod ad præsentem locum pertinet, teneo. Si partiti sunt inter se officia, eodem revolvitur res, ut ex iis quilibet sufficere omnibus nequeat. Perfectus igitur jam non erit, qui, cessantibus cæteris, non potest omnia gubernare. Ita fit ut ad regendum mundum unius perfecta virtute magis opus sit, quam imbecillitate multorum. Qui autem putat hanc tantam magnitudinem non posse ab uno regi, fallitur. Nec enim quanta sit vis potestasque divinæ majestatis intelligit, si existimat singularem Deum, qui facere mundum potuit, eumdem regere non posse quem fecit. At si concipiat animo, quanta sit divini hujus operis immensitas cum antea nihil esset, tamen virtute atque consilio Dei ex nihilo esse conflatam; quod opus nisi ab uno inchoari perficique non potuit: jam intelliget, multo facilius esse ab uno regi, quod est ab uno constitutum.

Dicat fortasse aliquis, ne fabricari quidem tam immensum opus mundi, nisi a pluribus potuisse: quamlibet multos, quamlibet magnos faciat, quidquid in multis magnitudinis, potestatis, virtutis, majestatisque posuerit, id totum in unum confero, et in uno esse dico; ut tantum in eo sit istarum rerum, quantum nec cogitari nec dici potest. Qua in re quoniam et sensu deficimus et verbis; quia neque tantæ intelligentiæ lucem pectus humanum, neque explanationem tantarum rerum capit lingua mortalis: idipsum intelligere nos oportet ac dicere. Video rursus quid e contrario dici possit: tales esse illos plures, qualem nos volumus unum. At hoc fieri nullo pacto potest, quod singulorum potestas progredi longius non valebit, occurrentibus sibi postestatibus cæterorum. Necesse est enim ut suos quisque limites aut transgredi nequeat, aut si transgressus fuerit, suis alterum finibus pellat. Non vident, qui deos multos esse credunt, fieri posse ut aliqui diversum velint;

VARIORUM NOTÆ.

est Deus? Mens universi. Anaxagoras Deum vocavit νοῦν; Cic. in prim. Tuscul. Quæst.: *Deus est mens soluta et libera, segregata ab omni concretione mortali.* Voss.—Ita loquuntur Platonici. Augustinus tamen de Trinitate libr. XV, scribit Deum amplius quiddam, quam mentem esse, tantum, quantum homo mente præditus, superat bruta mente carentia. De Dei natura vide Plutarchum de Placitis philosophorum libro I, c. 7.

Nihil decedere. Ita etiam S. Augustinus libro V de Trinit. docet nulla accidentia in Deum cadere posse; et quiquid de Deo dicatur essentialiter, non accidentaliter dici.

Copiæ. Id est, *abundantia, bona, opes.* Infra l. V, c. 12: *Omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes denique copiæ conferantur.* L. VII, c. 23: *Fruentes jucunditate innumerabilium copiarum.* De Ira, cap. 13: *Rerum et copiarum abundantia... instruere;* et cap. 23: *Deus nos innumerabilibus copiis alit.* Hinc l. VI, c. 11, *copiosi*, sunt opibus affluentes. Freinsh. ad Tac. Ann. III, c. 54. BUNEMAN.

Virtutis autem perfectior, etc. Ita mss. Rohanneus et S. Germani, idque eleganter; prius tamen legebatur per triplicem negationem: *Virtutis autem perfecta natura non potest esse nisi in eo quo totum est, non in eo in quo pars*, etc. At editio Heumanni legit, *Virtutis autem perfecta natura in eo potius est, in quo totum est, quam in eo in quo pars*, etc.

Natura in eo potest esse, in quo totum est; quam. Virtutis autem perfecta natura in eo potest esse *in quo totum est*, quam *in eo*. Hæc lectio est rectissima, nec erat a Cellario corrigenda; nec, ut Heuman. scripsit, manifestus error librarii. Subaudiendum, *potius*. BUN.

Quia perfectus est. Hæc omittunt mss. Lips et Goth. necnon editio Betulei. Ex mss. primæ notæ et prope omnibus, veteribusque editionibus Romanis et Cellarii repositum *quia*, pro *nam* quod est in cæteris editis.

Incorruptibilis. Hanc vocem fere Ecclesiast. jam ante nostrum sæpe in Tertulliano, Cypriano, Arnobio legi.

Divina. Ed. Sublac. habet *æterna*. BUN.

Eodem revolvitur res. Exprimit Cicer. l. IV Acad., 6: *Imprudens eo, quo minime vult*, revolvitur; l. II, Divin. c. 5, *eodem revolveris.* Add. l. I Tuscul., c. 6. BUNEMAN.

Ex nihilo esse conflatam. Paræus in Genes. probat ex nihilo mundum conflatum. Idemque dixit Theophrastus. Mundum ex materia quadam Deo coæterna esse factum asseruerunt antiqui philosophi, Pythagorici et Zeno cum Stoicis suis, ipseque Plato. Hos secuti sunt hæretici, quos *Materiarios* appellat Tertullianus, libro adversus Hermogenem, c. 25. Vide Augustinum, hæresi 59.

Facilius esse.... regi. Illud *esse* minus necessarium exesse jubent Rost., Subl., Ven. 1471, utraque 1478, 97, Parrh., Pier., Crat., Paris., Junt., Ald., Gymn., Gryph., Isæus, Betul., Heum. Inseruit Thomasius, quem secuti Gall., Cantabr, Spark., Walch., Cell. BUNEMAN.

Deficimus. Heumannus existimat legendum esse *deficimur*. Juxta latini sermonis analogiam: *Si quis deficiatur pecunia*, ait Seneca epist. 76; *Viribus deficeretur*, ait J. Cæsar de Bel. civil. lib. III, c. 64, et alii.

Tantæ. Ita mss. precipue Rohanneus; at mss. 7 rec. legunt *tantam* cum Sangermanensi.

Digitized by Google

ex qua re disceptatio inter eos et certamen oriatur: sicut Homerus bellantes inter se deos finxit; cum alii Trojam capi vellent, alii repugnarent. Unius igitur arbitrio mundum regi necesse est. Nisi enim singularum partium potestas ad unam providentiam referatur, non poterit summa ipsa constare; unoquoque nihil curante amplius, quam quod ad eum proprie pertinet: sicut ne res quidem militaris, nisi unum habeat ducem atque rectorem. Quod si in uno exercitu tot fuerint imperatores, quot legiones, quot cohortes, quot cunei, quot alæ, primum nec instrui poterit acies, unoquoque periculum recusante; nec regi facile, aut temperari, quod suis propriis consiliis utantur omnes, quorum diversitate plus noceant, quam prosint: sic in hoc rerum naturæ imperio, nisi unus fuerit, ad quem totius summæ cura referatur, universa solventur et corruent.

Dicere autem, multorum arbitrio regi mundum, tale A est, quale si quis affirmet in uno corpore multas esse mentes: quoniam multa et varia sunt ministeria membrorum; ut singulos corporis sensus singulæ mentes regere credantur, item multi affectus, quibus commoveri solemus vel ad iram, vel ad cupiditatem, vel ad lætitiam, vel ad metum, vel ad miserationem; ut in his omnibus totidem mentes putentur operari: quod si quis profecto dicat, ne ipsam quidem, quæ una est, habere videatur. Quod si in uno corpore tantarum rerum gubernationem mens una possidet, et universis simul intenta est; cur aliquis existimet mundum non posse ab uno regi, a pluribus posse? Quod quia intelligunt isti assertores deorum, ita eos præesse singulis rebus ac partibus dicunt, ut tamen unus sit rector eximius. Jam ergo cæteri dii non B erunt sed satellites ac ministri, quos ille unus maximus et potens omnium his officiis præfecerit; et ipsi

VARIORUM NOTÆ.

Sicut Homerus bellantes inter se deos finxit. Quem sequuntur Virgilius, Ovidius, Silius, Lucanus et alii. Sic Arnobius, lib. IV adversus Gentes: *Vulnerari, vexari, bella inter se gerere furialium memorantur ardore discriminum.* Cic., de Nat. deor., II; Plato, de Repub. II, a cujus calumnia Proclus Homerum (si diis placet) liberat, negotium ad nescio quas divisas progressiones, atque substantiarum discrimina referens. Lege Augustinum de Civ. Dei, lib. IV, cap. 30. Sic Ovid., Trist. II:

Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Vid Cic. de Nat. deor. II, c. 28; Tertull. Apol. 14: *Deos inter se propter Trojanos et Achivos, ut gladiatorum paria congressos depugnasse.* BUNEMAN.

Summa. Tornes. et alii addunt, *potestas.* Vid. infra Epit. c. 2: *Nec potest aliter rerum summa consistere.* Reimm. et vett. edd., *summa ipsa constare.* BUN.

Constare. Adde *potestas*, ut legitur in optima Coloniensi edit. anni 1544.

Pertinet. Ita codex Rohan. et Sangerm.; at mss. recentiores cum editis, *pertineat.*

Cunei. Cuneus erat multitudo militum ita collocata ut initio esset angusta, et paulatim dilataretur. Vid. Turneb. ad Quintil. I Inst. 13. Plena manu Pitiscus auctores citat in Thes. Antiq. Roman., tom. I, fol. 607. BUNEMAN.

Diversitate. Mss. decem recent. *diversitates*, inter quos Rohan. *Diversitates* etiam habet Subl. ed.

Totius summæ cura. Sic mss. et Subl., Venet. 1471, 97. Vide infra. L. I, c 5. Deum vocat *summæ totius artificem*; Epit. c. 4, *totius summæ gubernatorem.* BUNEMAN.

Tale est, quale si. Hic elegans vocularum prætermissus usus a scriptoribus de particulis, l. III, c. 3: *Tale est, profecto, quale si disserere velimus.* L. VI, c. 15: *Quod tale est, quale si velint;* cap. 16: *Hoc vero tale est, quale si dicerent.* BUNEMAN.

Quibus. Elegans lectio Gronovii *siquidem*, quamvis omnes mss. et edd. *quibus* habeant. Videtur ταυτότης, *quibus*, id est *affectibus, commoveri ad affectus.* BUNEMAN.

Item multi affectus, quibus commoveri, etc. Non negat cum Stoicis Lactantius multos esse in homine affectus, quibus commoveamur: sed negat bene colligi, multas esse in homine mentes, quia sint in eo, ut varia ministeria membrorum, ita et multi affectus ab una eademque origine sunt repetendi. In ms. Gronov. legitur: *Item multi affectus, si quidem commoveri solemus vel ad iram*, etc. Sed contra fidem aliorum mss.. unus ms. Lips. habet *multi effectus*, etc.

Tantarum. Quasi dicas *multarum.* Hæc dictio non magnitudinem, sed multitudinem hoc loco significat, ut fiat antithesis ad illud *unus*; ita Græcis τοσοῦτος, promiscue significat, *tot*, et *tantus.* Ex Isæo. — *Tantarum rerum.* Id est, tot, tam multarum, in oppos. *una mens.* Sæpe Lactantius l. V, c. 13, *tanta hominum millia.* Sic l. III, c. 19, *quanta hominum millia*, id est, *quam multa.* . . Tertull. Apolog. c. 50: *Multi apud vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur. . . nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos christiani factis docendo.* BUNEMAN.

C

Mens una. Sic habent, et quidem recte, cum veteribus Romanis editionibus et Is. Spark., ac 2 Lips. codices mss. omnes; dempto uno Regio rec. in quo est *mens humana*, ut in editis sex. At mss. ac vet. editorum lectionem scopus Lactantii postulat; nam ut probet ab uno Deo tam multas res sufficienter regi posse, inter alias similitudines et hanc adducit, quod *una mens* omnes et tam varias corporis actiones regat.

Simul. Mss. 18, *semel*, vitiose.

Singulis rebus ac partibus. Ita legunt omnes mss. et impressi, quos videre quidem licuit. In ms. Gronov. erat *singulis rebus ac partium*, cum superscripta littera, ut *partitim* videretur voluisse scribere librarius. Suspicor fuisse, *ita eos præesse singulis rebus ac partitim*, hoc est, per partes, distributis partibus. GRONOVIUS.

D

Ut tamen. Sic emendatum ex omnibus mss. et veteribus editis; præter ms. Jun. et nonnullas editiones, in quibus legitur: *Ut tantum*; sed male.

Potens omnium. Heumannus in App. II ad Sympos. et hic rescribit, *parens omnium.* Lactantio quidem Deus vocatur, *parens omnium*, c. 5, lib. II, c. 16, lib. V, c. 3. At quia constanter omnes libri, *potens omnium*, et maxime hic de potentia Dei agitur, nihil est mutandum. Patet ex Epit. h. l. c. 2: *Nullus igitur eorum poterit omnipotens nuncupari, quod est verum cognomentum Dei;* lib. V *Institut*, c. 21: *Deus... quem rerum potentem confiteris.* BUNEMAN.

Præfecerit. Ita restituimus ex omnibus ferme mss. ac veteribus editis; et recte. In mss. 2 Reg. rec. et excusis rec., *præfecit.*

Et ipsi. Ita reposuimus ex optimis mss. 2 Reg., 2 Bonon., Taxaq., 6 Colb., 2 Claromont., 3 Brun. ac vetustis edit. Mss.; 4 Reg. rec. et 9 editi habent, *ut ipsi.*

Digitized by Google

ejus imperio ac nutibus servient. Si universi pares non sunt, non igitur dii omnes sunt. Nec enim potest hoc idem esse, quod servit, et quod dominatur. Nam si Deus est nomen summæ potestatis, incorruptibilis esse debet, perfectus, impassibilis, nulli rei subjectus. Ergo dii non sunt, quos parere uni maximo Deo necessitas cogit. Sed quia non frustra falluntur ii qui hoc ita putant, causam hujus erroris paulo post aperiemus. Nunc unitatem divinæ potestatis testimoniis comprobemus.

CAPUT IV.

Quod unus vere sit Deus a prophetis etiam prænuntiatus.

Prophetæ, qui fuerunt admodum multi, unum Deum prædicant, unum loquuntur : quippe qui unius Dei spiritu pleni, quæ futura essent, pari et consona voce prædixerunt. At enim veritatis expertes non putant his esse credendum. Illas enim non divinas, sed humanas voces fuisse aiunt. Videlicet quia de uno Deo præconium faciunt, aut insani, aut fallaces fuerunt. At quin impleta esse implerique quotidie illorum vaticinia videmus ; et in unam sententiam congruens divinatio docet non fuisse furiosos. Quis enim mentis emotæ, non modo futura præcinere, sed etiam cohærentia loqui possit ? Num ergo fallaces erant, qui talia loquebantur ? quid ab his tam longe alienum quam ratio fallendi, cum cæteros ab omni fraude cohiberent ? Idcirco enim a Deo mittebantur, ut et præcones essent majestatis ejus, et correctores pravitatis humanæ.

Præterea voluntas fingendi ac mentiendi eorum est qui opes appetunt, qui lucra desiderant; quæ res procul ab illis sanctis viris abfuit. Ita enim delegato sibi officio functi sunt, ut, derelictis omnibus ad tutelam vitæ necessariis, non modo in futurum, sed ne in diem quidem laborarent, contenti extemporali cibo, quem Deus subministrasset : et hi non modo quæstum nullum habuerunt, sed etiam cruciatus atque mortem. Amara sunt enim vitiosis ac male viventibus præcepta justitiæ. Itaque ii, quorum peccata et arguebantur et prohibebantur, excruciatos eos acerbissime necaverunt. Ergo a quibus abfuit studium lucri, abfuit etiam voluntas et causa fallendi. Quid, quod aliqui eorum principes aut etiam reges fuerunt, in

VARIORUM NOTÆ.

Servient. Sic restituimus ex optimæ notæ mss. 2 Reg., 2 Bonon., Taxaq., 1 Colb., 2 Brun., et antiquioribus editis. In mss. 4 rec. et 10 editis est *serviant.*

Si universi pares non sunt. Ed. Sublac. legit : *Si universæ partes non sunt.*

Impassibilis. L. II, c. 8, do antiquiorem Tertull. de Resurr. Carn. c. 57, *Caro impassibilis ;* adv. Valentin. c. 27, *in Christo impassibilis*, et sæpius. Bun.

Qui hoc ita esse putant. Venet. 1493, 97, Paris., *qui hoc putant :* certe melius quam multi, *qui hoc ita putant*, cum Goth. et Reimm. Buneman.

Paulo post. Scilicet infra cap. 8.

Fuerunt. Ita emendatum ex omnibus mss. et editis, præter 3, edit. Thys., Gall., Spark., in quibus est, *fuerant.*

Unum loquuntur. Deut. VI et XXVII, Psalm. XVII et LXXXV; Sap. XII; Isaiæ LV. Non adducit Lactantius testimonia, quia prophetarum scripta hoc unum sonant.

Fallaces. Cum Cellario, ex optimis mss. 2 Bonon., 6 Reg., 5 Colb., Taxaq., Pal., Lips., Jun., Em., 2 Claromont. et 2 Brun. reposuimus, *fallaces.* In 3 mss. rec. et editis legitur, *mendaces.*

At quin, etc. Sic legit Isæus, et recte, cujus ad hunc locum annotationem vide. Alii vero legunt *atqui*, sed minus bene ; Sangerman. legit *atque.*

Implerique. Sic legendum, volentibus mss. 2 Reg. 900 annor., 1 al. Reg. bonæ notæ, Gronov. nec non 1 Claromontano a prima manu. Loquitur de prophetis Hieron. præfat., 6, in Hieremiam : *Nos autem sequentes auctoritatem apostolorum, et evangelistarum, et maxime apostoli Pauli, quidquid populo Israel carnaliter promittitur, in nobis spiritualiter completum esse monstramus hodieque compleri.* Gronovius. — Sic legunt Cauc. et Ultr.

Futura præcinere. Valla c. l. in suo codice legit, *futura prædicere....* Eleganter *canere* et *præcinere* vates dicuntur. Lact. l. v, c. 5, *Zachariam constat...* cecinisse. L. IV, c. 11, *Olim Prophetæ* cecinerant. Bun.

Mentis emotæ. Plane *motæ* loco, Seneca cap. 18 de Cons. ad Polyb. Sic etiam Lactant. l. IV, c. 27. Mss. duo Reg., 2 Colb., Goth., Jun. et Brun. habent *mentis semotæ*, quod etiam recte exprimit, imo efficacius, id quod Lactantius intendit; nam volens probare prophetas non fuisse furiosos, dicit hoc fieri non posse ut furiosi, quibus mens est semota, et futura et cohærentia loquantur. Gallæus. — Vide quoque apud Lactantium *hominum mentes emotas*, lib. IV Div. Instit., c. 27.

Sed etiam cohærentia. Ita ferunt mss. et editi omnes. *Sed saltem cohærentia*, vel, *sed certe cohærentia*, sive, *sed vel cohærentia*, dicere debuisse Lactantium, notat Vall. et mendum esse librariorum suspicatur, lib. III Elegant. cap. 27. Isæus.

Num ergo. Mss. 8 recentes, *Non ergo.* Utraque lectio bona. — *Num ergo.* Ita habent fere omnes, Subl., Rost., Ven. 1471, 72, utraque 78, 93, 97, Junt., Ald., Parrh., Crat., Paris., Gymn., Gryph, Thom., Torn., Isæus, Gall., Cantabr., Sparkius. Buneman.

Alienum. Heumannus putat addendum esse *fuit ;* at sequimur mss.

Correctores pravitatis. Ms. Cant. et prima ed. Subl. 1465, *correptores.* At amplius et aptius prius vocabulum ob sequens, *pravitatis.* Noto ad Lactant. de Ira, cap. 15; et c. 17, *ad pravitatis correctionem.* Buneman.

Procul ab. Rectius sic cum mss. quam Subl., Rost., Ven. 1471, 72, 97, Pier., Parrh., Crat., Paris., Gymn., Gryph., Ald., *procul dubio.* Reimm., *procul ab illis fuit.* Buneman.

Ad tutelam vitæ. Vid. l. VII Inst. c. 4 : *Tutelæ ejus* (confer. supra) *atque usibus data.* Seneca ad Helviam c. 9 : *Terra ea vix ad tutelam incolentium fertilis... quantulum est, quod in tutelam homini necessarium sit.* Buneman.

In diem. L. III, c. 25 : *Quibus in diem victus labore est quærendus.* Buneman.

Extemporali cibo. Sublac., Venet. 1471, 1472, utraque 1478, Rost., Paris., *temporali cibo.* At etiam *lautissimus* cibus temporalis est. Ven. 1493, 1479, Parrh., *ex temporali*, vocibus duabus. Tandem Ald., Gymn., Gryp., Thom. una voce, *extemporali*, et sic mss. Goth. et alii. Optime. *Cibus extemporalis* est, facilis, subito, parvo, parabilis. Buneman.

Cruciatus atque mortem. De quibus infra lib. IV, cap. 11. Vitas prophetarum scripserunt Epiphanius et Theodoretus Cyri episcopus.

Digitized by Google

quos cadere non posset suspicio cupiditatis ac fraudis, et tamen præconium Dei singularis eadem, qua cæteri, divinatione fecerunt?

CAPUT V.

De testimoniis poetarum et philosophorum.

Sed omittamus sane testimonia prophetarum, ne minus idonea probatio videatur esse de his, quibus omnino non creditur. Veniamus ad auctores; et eos ipsos ad veri probationem testes citemus, quibus contra nos uti solent, poetas dico ac philosophos. Ex his unum Deum probemus necesse est: non quod illi habuerint cognitam veritatem; sed quod veritatis A ipsius tanta vis est, ut nemo possit esse tam cæcus, qui non videat ingerentem se oculis divinam claritatem. Poetæ igitur, quamvis deos carminibus ornaverint, et eorum res gestas amplificaverint summis laudibus, sæpissime tamen confitentur spiritu vel mente una contineri regique omnia. Orpheus, qui est vetustissimus poetarum, et æqualis ipsorum deorum (siquidem traditur inter Argonautas cum Tyndaridis et Hercule navigasse), Deum verum et magnum, πρωτόγονον, id est primogenitum, appellat; quod ante ipsum nihil sit genitum, sed ab ipso sint cuncta generata: eumdem etiam φάνητα nominat; quod cum adhuc nihil esset, primus ex infinito apparuerit et

VARIORUM NOTÆ.

Non posset. At in 13 mss. *non potest.*

Cupiditatis. Cupiditas, h. l. idem quod infra *studium lucri.* Confer infra, sine *avaritia.* BUNEMAN.

Dei singularis. Id est *unius*, *unici.* Nihil frequentius Lactantio, quam *singularis*, pro *unus*, *unicus*, Ciceronis more; l. I, cap. 3, c. 6; lib. II, c. 16; lib. V, c. 1, c. 21; lib. VI, c. 9; l. IV, c. 12, c, 26, c. 29. Epit. Taur. c. 3, c. 4. BUNEMAN.

De his. Ex omnibus prope mss. et vetustioribus editis Rom., Venet. 1490, Erasm. 1539, Betul. et Is., Lactantio suum restituimus loquendi modum. Sic et infra lib. V, c. 15, *de suis auctoribus doceamus.* Sed et Cicero Lentul., *de Crasso domum emissem*; idem de Orat., *Hoc audivi de patre.* Partim ex Isæo. In editis rec. *ab his*: quæ lectio magis placeret, si esset mss. codicum.

Poetas dico ac philosophos. S. Augustinus contra Faustum. lib. XIII, cap. 15, ostendit poetarum et philosophorum testimonia valere ad paganorum vanitatem revincendam, non tamen ad istorum auctoritatem C amplectendam.

Ex his unum Deum probemus necesse est. Demonstrat Lactantius ethnicos sapientes veteres unum Deum credidisse. Idem præstant S. Justinus in libro de Monarchia, et Clemens Alexandrinus in Orat. ad Gent. Vide August. Eugubin. de Perenni philosoph. *Ex* Isæo.

Ingerentem... claritatem. Refert Minuc. 17, 3: *Ignorare nec fas, nec licet, ingerentem sese oculis et sensibus cœlestem claritatem.* Ad rem conf. l. II, c. 1; l. III, cap. 1. — Pro *claritatem*, ed. Sublac. habet *voluntatem.* BUNEMAN.

Poetæ igitur. Sic et Minucius Felix c. 19: *Audio poetas quoque unum patrem divum atque hominum prædicantes.* Passim hoc apud poetas, tam græcos, quam latinos, videre licet, quod nullum præter unum Deum statuant. Vide Orpheum, Phocylidem, Xenophanem Colophonium, Hermesianum, Parmenidem, Philemonem; quid vero divinius hisce Sophoclis, quæ extant apud Clement. Alexand. Προτρεπτ. πρὸς Ἕλλ. et Cyrillum contra Julianum. E Latinis vero, adi: Valerium Soranum; Plautum in Captivis:

Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus auditque et videt;

Manilium, lib. I Astronom.:

Deus est, qui non mutatur in ævo.

Horatium lib. I, Od. XII:

Qui res hominum ac deorum,
Qui mare et terras variisque mundum
Temperat horis.
Unde nil majus generatur ipso,
Nec viget quicquam simile aut secundum.

Eumdem, lib. III, Od. IV; Ovid., lib. Metamorph.:

Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei.

B Senecam, in Thyeste:

Res Deus nostras celeri citatus turbine versat.

Lucanum, lib. IX Pharsal., ubi de Jove:

Estque Dei sedes, ubi terra, et pontus, et aer,
Et cœlum, et virtus. Superos quid quærimus ultra?
Juppiter est quodcumque vides, quodcumque movetur.

Orpheus qui est vetustissimus. Ita optimi et antiquissimi mss. 2 Bon., 7 Reg., Tax., Lips., 4 Colb., Jun., 2 Clarom., Ultr. et antiq. ed. Rom. et Is. In mss. 4 rec. et multis editis, *qui*, etc. Tatianus, Ὀρφεὺς δέ, etc. hoc est, *Orpheus iisdem ac Hercules temporibus fuit: alia autem, etiam versus ei attributos, aiunt, auctorem habere Onomacritum, qui fuit temporibus Pisistratidarum, circa Olympiada quinquagesimam.* Tzetzes quoque historia CCCXCIX, chil. 12, eum Herculis facit coætaneum, ac centum ante bellum Trojanum annis floruisse ait Clariss. ex quo hæc descripsi. Vossius. — Cyrillus libro I contra Julianum, Orphea, Œagri filium, primum odas et hymnos idolis conscripsisse, deinde, mutata sententia, palinodiam cecinisse asserit. Inter cæteros Orphei versus hi præcipue occurrunt:

Εἷς δ' ἐστ' αὐτογενής, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται,
Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περιγίγνεται, οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράᾳ, etc.

Tullius, lib. I de Natura deor., refert Aristotelem prodidisse Orphea istum numquam fuisse; quæ vero carmina ejus nomine circumferuntur, ea a Pythagoricis attribui cuidam Cecropi, vel, ut legi debet, Cercopi. *Ex* Vossio. — Nota etiam Origenem negasse ulla Orphei scripta suo ævo extitisse lib. I contra Celsum. De Orpheo vide infra cap. 22.

Inter Argonautas. Argonautæ fuerunt illi heroes qui cum Jasone in Colchos profecti sunt, numero amplius quinquaginta, ex quibus præcipui fuere, Castor et Pollux, Telamon, Orpheus, Hercules, et D Hylas puer. Sic cognominati a navi qua vecti fuere: *Argo* enim navis illa vocabatur a longitudine.

Cum Tyndaridis. Castore et Polluce, qui καταχρηστικῶς Tyndaridæ vocantur: non enim uterque ex Tyndaro natus, sed tantum Castor; Pollux autem ex Jove. Vocantur autem Tyndaridæ, quia uterque e Leda Tyndari uxore natus.

Id est Primogenitum. Verba hæc eradenda, nec leguntur in mss. Rohanneo et Sangermanensi. Nec aliud sunt, quam glossema seu interpretatio amanuensis.

Cuncta generata. De hac Orphei doctrina vide Eusebium, Præpar. Evang. l. III.

Φάνητα. Macrobius qui omnium deorum numina ad Apollinem refert, hoc illi epitheton tribuit; rationem tamen nominis diversam affert. *Item*, inquit, *Phaneta appellant* ἀπὸ τοῦ φαίνειν et Φαναῖον, ἐπειδὴ φαίνεται νεὸς, quia sol quotidie renovat se; libro I, c. 17, et sequenti capite hosce Orphei versus citat

Digitized by Google

extiterit. Cujus originem atque naturam quia concipere animo non poterat, ex aere immenso natum esse dixit : Πρωτόγονος φαέθων περὶ μήκεος ἠέρος υἱός. Aliud enim amplius quod diceret non habebat. Hunc ait esse omnium deorum parentem, quorum causa cœlum condiderit, liberisque prospexerit ut haberent habitaculum, sedemque communem : ἔκτισεν ἀθανάτοις δόμον ἄφθιτον. Natura igitur et ratione ducente, intellexit esse præstantissimam potestatem cœli ac terræ conditricem. Non poterat enim dicere Jovem esse principem rerum, qui erat Saturno genitus; neque Saturnum ipsum, qui cœlo natus ferebatur : cœlum autem tamquam Deum primum constituere non audebat, quod videbat elementum esse mundi, quod ipsum eguerit auctore. Hæc eum ratio perduxit ad illum Deum primogenitum, cui assignat et tribuit principatum.

Homerus nihil nobis dare potuit, quod pertineat ad veritatem, qui humana potius quam divina conscripsit. Potuit Hesiodus, qui deorum generationem unius libri opere complexus est. Sed tamen nihil dedit, non a Deo conditore sumens exordium, sed a chao, quod est rudis inordinatæque materiæ confusa congeries : cum explanare ante debuerit, chaos ipsum unde, quando, quomodo esse, aut constare cœpisset. Nimirum sicut ab aliquo artifice disposita, ordinata, effecta sunt omnia : sic ipsam materiam fictam esse ab aliquo necesse est. Quis igitur hanc, nisi Deus, fecit, cujus potestati subjacent omnia? sed refugit hoc ille dum horret incognitam veritatem. Non enim Musarum instinctu, sicut videri volebat, in Helicone carmen illud effudit; sed meditatus venerat et paratus.

Nostrorum primus Maro non longe fuit a veritate; cujus de summo Deo, quem mentem ac spiritum nominavit, hæc verba sunt :

> Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes,
> Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra,
> Spiritus intus alit; totamque infusa per artus
> Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Ac ne quis forte ignoret quisnam esset ille spiritus, qui tantum haberet potestatis, declaravit alio loco, dicens :

> Deum namque ire per omnes
> Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.
> Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
> Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Ovidius quoque in principio præclari operis, sine ulla

VARIORUM NOTÆ.

in eumdem fere sensum. *Orpheus quoque*, Macrobii sunt verba, *solem volens intelligi*, *ait inter cætera* :

> Τῆχων αἰθέρα Δῖον, ἀκίνητον πρὶν ἐόντα
> Ἐξανέφηνε θεοῖς ὥραν κάλλιστον ἰδέσθαι,
> Ὃν δὴ γῆν καλέουσι φάντά τε καὶ Διόνυσον,

etc. cap. 18 Macrobii.

Πρωτόγονος, etc. Hoc est :

> Principio genitus Phaeton longo aere natus.

Ἔκτισεν, etc. Hoc est : *Condidit immortalibus domum incorruptibilem.*

Ducente. Sic e cunctis pene mss. et antiquioribus ac melioribus editis, et ipsomet Lactantio infra, item *natura ducente*. In ms. Bonon. antiq., *deducente*. In 4 rec., *docente* ; in 3 aliis rec., *dicente*.

Potestatem cœli. Mss. tres rec. et omnes fere editi, *potentiam*.

Non poterat ..... Ferebatur. De Jove et Saturno plura infra capp. 11 et 12.

Elementum esse. Hoc tamen non admisisset Aristoteles, qui libro de Mundo æthera censuit esse στοιχεῖον ἕτερον τῶν τεσσάρων, ἀκήρατον καὶ θεῖον.

Ad veritatem. Ostendit tamen Cyrillus contra Julianum, Homerum unum cognovisse Deum. Vide Lactant. infra cap. 19.

A chao. L. II, c. 8, id refutat. Conf. Grotium de Verit. Rel. Christ. I, § 16, hæc docte illustrantem. Bun. — *Sed a chao quod est rudis*, etc. Vide Hesiodum in Theogonia. Apud Ovidium Metamorph. lib. I : *Rudis indigestaque moles*. Confusas res fuisse etiam Linus didicit docuitque :

> Tempore primævo simul omnia mixta fuerunt.

Anaxagoras quoque : *Cuncta simul erant ; at mens ea discrevit ornavitque. et quæ confusa erant ordinavit.* Ægyptii etiam intellexerunt mundum e chao, confusa massa, prodiisse; de illis Laertius in proœmio : Ἀρχὴν εἶναι τὰν ὕλην, etc. *Principium esse molem confusam, ex hâc discreta elementa quatuor, et animalia perfecta.* Hesiodum secutus est Valentinus hæresiarcha : Τριάκοντα γὰρ καὶ οὗτος θεοὺς καὶ οὐρανοὺς βούλεται προσάγειν· ὁ μὲν πρῶτός ἐστι βύθος. Vide Epiphanium hæres. 31. Sic et Anaxagoras chaos indigestum omnium seminarium constituit, cui adjecit principium effectivum, *mentem* seu *Deum*.

Effecta. Mss. 1 Bonon. antiq. et 1 Colb. rec. *facta*. Viro erudito placeret *efficta*, propter id quod sequitur, scilicet *materiam fictam*.

Materiam fictam. Bene : nam fictio materiæ est et materialium. Mss. 1 Bonon. antiq. 1 Colb. et Goth. et Sangerm. *factam*.

Fecit. Ita restitutum ex mss. prope omnibus. At Bonon. et Taxaq. cum editis, *fecerit*.

In Helicone. Monte Musis dicato. Heliconis sublimitatem passim poetæ prædicant. Sic Aratus in Phænomenis, v. 216, et Strabo lib. IX, c. 8, 9 et 10. Jam Hesiodus initio Theogonias dixerat : Αἴτ' Ἑλικῶνος, etc., id est,

> Quæque Helicona tenent montem magnumque sacrumque.

Meditatus venerat et paratus. Cic. l. II in Verr., c. 40; l. II in Verr., c. 6; et pro Publ. Quint., c. 11 : *Cum paratus meditatusque venisses*. Buneman.

Non longe abfuit a veritate. Lib. III. c. 8, *ab hac vanitate non longe fuit*. Bun.

Quem mentem ac spiritum. Hic ordo est omnium mss. præter. 2 Colb., in quibus ut in editis est, *quem spiritum ac mentem*.

Ignoret. Sic optimus codex mss. Regio-Puteanus, Lipsienses, 3 Colbert., 1 Claromont. aliique cum omnibus editis, præter Cellar. ac mss. 12, in quibus est *ignoraret*. Utraque lectio bona. Prior Lactantii esse mihi videtur. Si enim scripsisset is *ignoraret*, quis librarius substituisset *ignoret*?

Ille spiritus. Ita emendavimus ex omnibus mss. codicibus et editis Rom. 1468, 1740, Cymnic., Crat., Tornes., 2 Lips. Editi 4 habent, *illi spiritus*, male.

Deum namque ire per omnes. Lib. IV, Georgic. vers. 221. Juvencus lib. I de Hist. Evang. :

> Nil absente Deo loquimur; nil abdita clausum
> Pectoris antra tegunt : cernit Deus omnia præsens.

Vide Epictetum, apud Arrianum, lib. I, c. 14; Apul., de Mundo; Hieron., in Epist. Pauli ad Eph. cap. IV ; Augustin., de Civ. Dei lib. IV, c. 2; Salvianum de Gubernat. Dei, lib. I; pariter et Ovid., lib. I Metamorph. Elmenhorst.

Operis. Metamorphoseos scilicet, in quo gentilium theologia explicatur.

Digitized by Google

nominis dissimulatione, a Deo, quem fabricatorem mundi, quem rerum opificem vocat, mundum fatetur instructum. Quod si vel Orpheus, vel hi nostri, quæ natura ducente senserunt, in perpetuum defendissent, eamdem quam nos sequimur, doctrinam comprehensa veritate tenuissent.

Sed hactenus de poetis. Ad philosophos veniamus, quorum gravior est auctoritas, certiusque judicium; quia non rebus commentitiis, sed investigandæ veritati studuisse creduntur. Thales Milesius, qui unus e septem sapientium numero fuit, quique primus omnium quæsisse de causis naturalibus traditur, aquam esse dixit, ex qua nata sint omnia; Deum autem esse mentem, quæ ex aqua cuncta formaverit. Ita materiam rerum posuit in humore; principium causamque

A nascendi constituit in Deo. Pythagoras ita definivit quid esset Deus: « Animus, qui per universas mundi partes, omnemque naturam commeans atque diffusus; ex quo omnia, quæ nascuntur animalia, vitam capiunt. » Anaxagoras Deum esse dixit infinitam mentem, quæ per scipsam moveatur. Antisthenes multos quidem esse populares deos, unum tamen naturalem, summæ totius artificem. Cleanthes et Anaximenes æthera dicunt esse summum Deum; cui opinioni poeta noster assensit:

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes
Magnus alit magno permixtus corpore fœtus.

B Chrysippus naturalem vim divina ratione præditam,

VARIORUM NOTÆ.

Quæ. Legitur *qui*, in ed. Sublacensi.

Ducente. Mss. recentes 1 Reg., 2 Colb., Em., Goth., *docente.* Cæteri, *ducente*; vera lectio, quæ confirmatur e superiori loco, *natura et ratione ducente.*

Thales Milesius, etc. *aquam esse dixit ex qua nata sint omnia. Et qua* 23 mss. inter quos sunt veterrimi Bonon. et Reg. *Nata sunt*, in sexdecim. Augustinus de Civ. Dei l. VIII, c. 2: *Ionici generis princeps fuit Thales Milesius* (qui obiit anno primo Olympiad. LVIII), *unus illorum septem, qui appellati sunt sapientes. Sed illi sex vitæ genere distinguebantur, et quibusdam præceptis ad bene vivendum accommodatis. Iste autem Thales, ut successores etiam propagaret, rerum naturam scrutatus, suasque disputationes litteris mandans eminuit, maximeque admirabilis extitit, quod Astrologiæ numeris comprehensis, defectus solis et lunæ etiam prædicere potuit. Aquam tamen putavit rerum esse* C *principium, et hinc omnia elementa mundi, ipsumque mundum, et quæ in eo gignuntur, existere.* Videantur: idem, ejusdem l. c. 5; Justinus Mart., Serm. paræn. sive Exhort. ad Gentes, paulo post initium; Laertius, l. I; Tertullianus, adversus Marcionem; Sext. Empiricus, contra Mathematicos; Hermias, διασυρμῷ τῶν ἔξω φιλοσόφων; Seneca, libro III Natural. Quæstion., c. 13; Chalcidius, in Timæum Platonis; Vitruvius, proœmio libri VIII; Servius, ad VI Virg. Eclogam; Ausonius, Ludo sapientum; Arnobius, l. II; Eusebius, Præparat. l. V, c. 13. Cic., l. I de Nat. deor., n. 25: *Thales Milesius, qui primus de naturalibus rebus quæsivit, aquam dixit esse initium rerum: Deum autem eam mentem quæ ex aqua cuncta fingeret.* MERULA. — Existimarunt quidam, Thaletis doctrinam e sacris Litteris esse desumptam Geneseos capite I, 2, ubi dicitur: *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Verum de numero sapientum vide Diogenem Laertium lib. I. Ii porro erant Thales, Solon, Periander, Cleobulus, Chilon, Bias, Pittacus; his etiam annumerantur loco D Periandri, aut Anacharsis Scytha, aut Myso.

Aquam esse dixit, etc. Arist., I Met.; Cic., I de Nat. deor.; Plut. in Placit.; Laert.

Quæ ex aqua. Recte a nobis emendatum ex omnibus pene mss. ac vet. ed. Rom. et sic legendum esse, non qui, ut in rec. 1 Reg. et 1 Colb. rec. non editis, confirmatur ex proxime allato præcedenti nota Ciceronis loco, l. I de Nat. deor., n. 25. Ita etiam Minutcus Felix, post Ciceronem et Laertium, dixit: *Is Milesius Thales rerum initium aquam dixit, Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta formaverit.*

Rerum. In editis legitur *omnium rerum;* at secuti sumus mss., præcipue Rohan. et Sangerm. Sane hæc duo verba non sunt necessaria, cum proxime præcedat *cuncta formaverit*, illaque Lactantii non esse, et ab amanuensibus intrusa suspicabar, cum etiam multum hic varient codices. Ea enim absunt a mss. Regiis sex, *omnium* ab Ultr., Jun., 1 Claromont., Brun. et ab edit. Cellarii; *rerum* ab editis Betul., Thomas., Is., Spark. Illa tamen retinui ex vet. mss. Bonon. 8, 2 Reg., 2 Colb., Cantabrig. ac editis Rom., Ald., Paris. 1525, Grat., Gymn., Tornes., Fasitel. et Walch. In decem mss. *Item*, pro *Ita.*

Constituit. Rectius ex vetustissimis ms. 2 Bonon. et 2 Reg. aliisque tribus, 6 Colb., Tax., Jun., Lips., 2 Claromont., Em., Brun., quam ex mss. 3 Reg. editisque *posuit;* quæ est non elegans repetitio.

Pythagoras ita definivit. Vide etiam Lactantium, libro de Ira Dei, c. 11; Galenum, in Hist. Philosoph.; Cicer., Plutar., Laer., Salvianus, de Gubernat. Dei, l. I: *Pythagoras philosophus, quem quasi magistrum suum philosophia ipsa suscepit, de natura et beneficiis Dei disserens, sic locutus est:* « *Animus per omnes mundi partes commeans atque diffusus, ex quo omnia nascun-* C *tur, animalia vitam capiunt.* » Cic. de Nat. deor. l. I. ELMENH.

Anaxagoras dixit, etc. Is natus est Olympiad. LXX. De eo legatur Jamblichus, de Vita Pythag., c. 18; Cicero, I de Nat. deor., l. IV Academ. Quæstionum; Plutarchus, de Placitis philosophorum; Diogenes Laertius. l. II. ELMENH. — Vide etiam ante ad c. 3; item August., de Civ. Dei l. VIII, c. 2; Clement. Alexand., Protrept.; Aristotel., de Phys. Auscult. Strab., l. XIV.

Per se ipsam. Ita ex omnibus mss. emendatum et ex antiquioribus et melioribus editis. In 5 vulgatis *per se ipsum*, in ed. Betul., *per se ipsa.*

Antisthenes multos, etc. Inf., l. de Ira Dei, c. 11; Cic., de Nat. deor.

Naturalem summæ, etc. Ante erat inter duas hasce voces insertum, id est, quod expunximus; habetur tamen in sex mss. rec. et recentioribus editis; desideratur in antiquis, nec est necessarium.

Cleanthes et Anaximenes. Anaximenem, inquit Au- D gustinus loquens de Anaximandro, *discipulum et successorem reliquit, qui omnes rerum causas infinito aeri dedit, nec deos negavit aut tacuit; non tamen ab ipsis aerem factum, sed ipsos ex aere ortos credidit.* Adeundi: Diogenes Laertius, l. II; Plutarch., περὶ ἀρεσκ.; Justinus Martyr, λόγ. παραινετ. πρὸς Ἕλλ.; Stobæus, l. I Eclog. Physic., c. 13. De Cleanthe, vide Cic., l. I de Nat. deor., ubi legitur *aera*, non *æthera*; Clementem Alexandrinum, in Protreptico, ubi optime mentem Cleanthis exponit circa rerum generationem. Legatur etiam Tertullian. in Apologet.

Poeta. II Georg., 325. Vide Macrob., l. I de Somnio Scipion., cap. 17, et Servium in hæc verba Virgil.

Permixtus. Vulgata Maronis lectio habet *commixtus.*

Chrysippus. Chrysippus ait vim divinam in ratione esse positam, et universæ naturæ animo atque mente; ipsumque mundum esse, et ejus animi fusionem universam; tum fatalem umbram, et necessitatem rerum futu-

Digitized by Google

interdum divinam necessitatem Deum nuncupat. Item Zeno divinam naturalemque legem.

Horum omnium sententia, quamvis sit incerta, eodem tamen spectat, ut providentiam unam esse consentiant. Sive enim natura, sive æther, sive ratio, sive mens, sive fatalis necessitas, sive divina lex, sive quid aliud dixeris; idem est, quod a nobis dicitur Deus. Nec obstat appellationum diversitas, cum ipsa significatione ad unum omnia revolvantur. Aristoteles, quamvis secum ipse dissideat, ac repugnantia sibi et dicat et sentiat, in summum tamen unam mentem mundo præesse testatur. Plato, qui omnium sapientissimus judicatur, monarchiam plane aperteque defendit; nec æthera, aut rationem, aut naturam, sed, ut est, Deum nominat; ab eo mundum hunc perfectum atque mirabilem esse fabricatum. Quem Cicero secutus atque imitatus in plurimis, Deum frequenter confitetur, ac supremum vocat in iis libris, quos de Legibus scripsit; ab eoque regi mundum argumentatur, cum disputat de Natura deorum, hoc modo: « Nihil est præstantius Deo; ab eo igitur mundum regi necesse est. Nulli igitur est naturæ obediens aut subjectus Deus; omnem ergo regit ipse naturam. » Quid autem sit Deus, in Consolatione definit: « Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens ac movens. »

Annæus quoque Seneca, qui ex Romanis vel acerrimus Stoicus fuit, quam sæpe summum Deum merita laude prosequitur! Nam cum de immatura morte dissereret: « Non intelligis, inquit, auctoritatem ac majestatem judicis tui, rectorem orbis terrarum, cœlique et deorum omnium Deum, a quo ista numina, quæ singula adoramus, et colimus, suspensa sunt. » Item in Exhortationibus: « Hic, cum prima funda-

VARIORUM NOTÆ.

rarum. Ita Cicero, l. I de Nat. deor. Vide Aristot., tom. II; Stob. in Eclog. Phys., c. 2; Diogenem Laertium, l. VII. ELMENH.

Zeno. Cic., l. I de Nat. deor., c. 14: *Zeno naturalem legem divinam esse censet; eamque vim obtinere recta imperantem, prohibentemque contraria, atque alio loco æthera Deum esse dicit;* testantibus Laertio et Plutarcho, quem deinde Cleanthes ejus auditor est secutus. Zeno autem ille Cittiensis Stoicæ factionis princeps fuit.

Nec obstat, etc. Huc apprime conveniunt verba S. Cypriani, de Idolorum cultu. *Nec,* inquit, *nomen Dei quæras; Deus nomen est illi. Illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est.*

Aristoteles. Vide Aristot., lib. I Metaphys. cap. 3 et 4; Cicer., lib. I de Natura deorum; Minut. Felic., Octav., ubi videbis quantum philosophus ille a se ipso dissideat.

In summum tamen unam mentem mundo præesse testatur. De Aristotele loquitur, quem ex II de Generat. ex XII *Divinorum,* ex c. 7 libelli de Mundo, unum Deum sensisse constat. Vide Scaliger., de Subtilitate, ad Cardan. exercitat. 365. ISÆUS.

Plato. Minucius Felix: *Platoni in Timæo Deus est ipso nomine mundi parens.* Plato, libro IV de Legibus: ὁ θεὸς μὲν πάντα, etc., et in Sophista, πάντων δημιουργὸν appellat. Platonis theologiam examinat S. August. libro VIII de Civit. Dei.

Supremum vocat. Plato lib. I de Legib, et lib. II.

De legibus. Quos scripsit Cicero paulo ante mortem.

Nihil est præstantius... naturam. Hæc singula sunt ipsa Ciceronis verba ex l. II de Nat. deor., c. 30. BUNEMAN.

In Consolatione. Opus deperditum; sed vide Ciceronem in I Tusculanar. ex Platone.

Quum de immatura morte dissereret. Non est superstes liber hujus nominis a Seneca confectus. BUN.

Auctoritatem ac majestatem. Ita emendavimus ex omnibus fere mss. codicibus, et vetustioribus ac potioribus editis: in posteriores irrepsit *auctorem ac majestatem;* in 1 Reg. rec., 1 Colb., 1 Brun., *veritatem et majestatem.* Mox *rectoris* legitur, pro *rectorem,* in ed. Sublac.

Deorum omnium Deum. Recte, ita mss. 18. Prius erat, *rectoris orbis terrarum, cœlique et deorum omnium Dei;* sed minus bene.

Quæ singula adoramus. Quia auctor noster sæpe mentionem facit adorationis, animus est impræsentiarum ea quæ ad adorationis ritum pertinent annotare, ne postea, ubi idem recurrit, cogamur eadem oberrare chorda. Itaque in adorationis ritu manum ori admoveri solitam omnibus jam notum. Brisson. de Form. notat locum admodum luculentum ad hanc rem explicandam, nempe Luciani, quod et Dempsterus ad Rosin. notavit ex Apuleio Milesiar. 4: *Et admoventes oribus suis dexteram, priori digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.* Idem, Apolog., *adorandi gratia manum labris admovere.* Recte observavit Salmasius exercit. Plin., p. 936, adorantes in dextrum latus corpus circumagere solitos. Plinius: *In adorando, dexteram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus.* Videndi Plautus et Propertius. Salmasius in Flav. Vospisc. hunc adorandi ritum explicans, docet, non solum totum corpus ab adorantibus dextra circumagi solitum, verum etiam speciatim, manum labris admoveri, eique oscula figi; hinceque *labratum osculum* ejus, qui in adorando manus labris admovebat atque osculabatur. Sic olim numina sua, sic imperatores suos adorabant, et imperatorum imagines, haud minus quam deorum simulacra. Hieronymus adversus Ruffinum: *Qui adorant, solent deosculari manum, et capita submittere.* Plura de hoc more Lipsius in Electis, lib. II, pag. 20; sed male ab illo ibidem scriptum est, adorantes manum prius porrigere, deinde statim ad os referre solitos: immo contra faciebant, manum enim osculari, deinde eam versus illum quem adorabant, protendere consueverant; et hoc erat quod dicebant, *oscula jacere, et basia jactare* (*Tacitus, lib.* I Hist.). Jactare basia apud Juvenal., Satyr. 4, et apud Phædrum, 87, lib. V:

Jactat basia
Tibicen,

id est populum adorat. Jacere autem osculum is proprie dicetur, qui manum osculatur, deinde eam porrigit ad eos, quorum honori ac venerationi dat illud osculum: nam protensione manus, quam prius erant osculati, quodammodo osculum ipsum porrigere, et jactare ad eos videbantur quibus honorem illum deferebant. Tacitus de Nerone cantante: *Postremo genu flexus, et cœtum illum manu veneratus est.* Histrionem ille verum agebat: at histrionum, pantomimorum et cantorum mos hic erat, ut populum scenam ingressi adorarent. Vetus epigramma, a Pythœo editum, ut videre est ejus lib. IV Epigr.:

Ingressus scenam populum saltator adorat.

Sic aurigæ flagello populum venerabantur: cum enim

Digitized by Google

menta molis pulcherrimæ jaceret, et hoc ordiretur, quo neque majus quidquam novit natura, nec melius; ut omnia sub ducibus suis irent, quamvis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui deos genuit. » Et quam multa alia de Deo nostris similia locutus est : quæ nunc differo, quod aliis locis opportuniora sunt. Nunc satis est demonstrare, summo ingenio viros attigisse veritatem, ac pene tenuisse; nisi eos retrorsum infatuata pravis opinionibus consuetudo rapuisset, qua et deos alios esse opinabantur, et ea, quæ in usum hominis Deus fecit, tamquam sensu prædita essent, pro diis habenda, et colenda credebant.

CAPUT VI.

De divinis testimoniis et de Sibyllis et earum carminibus.

Nunc ad divina testimonia transeamus : sed prius unum proferam, quod est simile divino, et ob nimiam vetustatem, et quod is, quem nominabo, ex hominibus in deos relatus est. Apud Ciceronem C. Cotta pontifex disputans contra Stoicos de religionibus, et de varietate opinionum, quæ solent esse de diis, ut more academicorum omnia faceret incerta, quinque fuisse Mercurios ait; et enumeratis per ordinem quatuor, quintum fuisse eum, a quo occisus sit Argus, ob eamque causam in Ægyptum profugisse, atque Ægyptiis leges ac litteras tradidisse. Hunc

VARIORUM NOTÆ.

dextram manum in adorando ad os referrent, aurigæ qui dextra flagellum tenebant, flagellum ipsum osculabantur, et sic adorabant (*Dio, in Caracalla, de ejus aurigationibus*). Hic ritus non solum Romanis, verum et Orienti usitatus, ut doctiss. Drus. frag. vett. interpr., p. 834, recte annotavit; probavitque ex Job c. XXXI, vers. 26, 27 et 28 : *Si vidi solem cum splendesceret aut lunam nobiliter incedentem, et seductum est in abscondito cor meum, et admota est manus mea ori, etiam hæc est iniquitas a judice vindicanda, quia sic negassem Deum supremum.* Ubi LXX reddunt : *Si manum meam ori admotam deosculatus sum.* Juxta Symmachum : *Et adoravit manus mea circum os meum.* Hieronymus : *Et osculatus sum manum meam ore meo.* Deosculatio Hebræorum phrasi est adoratio, ut constat ps. II, vers. ult. ut et I Reg., c. XIX, vers. 18 : *Omnia genua quæ non curvaverunt se ipsi Bahal, et omne os quod non osculatum est eum.* Apud Oseam, cap. XIII, vers. 11, *osculentur.* Symmach. et Theodot. reddiderunt, *adorantes;* Aquila καταφιλοῦντες, *osculantes.* Hieronymus : *Pro eo quod juxta Symmach. et Theodot. vertimus* ADORANTES, *Aquila interpretatus est* καταφιλοῦντες, *id est, deosculantes; qui enim adorant, solent deosculari manum suam, quod Job fecisse se negat, dicens : « Si osculatus sum manum meam apponens ori meo »* (ex Salmasio). Vide Martinum Kempium de Osculis Dissert. 4, *de Osculo adorativo.*

Deus genuit. Illustrat Crenius part. IX. Animadvers., p. 50 sqq. Credidi omnino in Lactantio hic corrigendum fuisse, *Deus genuit.* Ita suadent verba l. I, c. 7, ubi ad hunc locum provocat : *Genuisse regni sui ministros Deum.* In editis erat, *deos genuit.* BUNEMAN.

Ac pene tenuisse. Ita restituimus ex mss. vet. 4 Reg., 1 Bonon., 6 Colb., Gronov., Lips., 2 Claromont., 2 Brun., ac veteribus editis quinque. In sex vulgatis rec., *prope.*

Infatuata pravis opinionibus. Sic mss. duo codices eruditissimorum virorum Gronovii et Claromontii, 1 a prima manu, cum recentioribus editis quatuor. At mss. 5 Reg., 1 Bon., 3 Colb., 1 Sorbon., Cauc., Jun., 1 Claromont., Lips., Pen., Tax., Ultr., Em., Cant., Christ., Balliol., cum editis Rom. 1468 Betulei et Isæi, habent *infucata.* In 3 Reg., 1 Colb. et Brun. nonnullisque editis legitur *fucata.* In 1 Colb. rec., *fuscata;* in altero Colb., *retroversus infricata,* corrupte; in 14 mss., *retrorsus.* Verior nobis visa est lectio mss. Gronov. et Clarom., *infatuata;* per opiniones enim in stultitiam labimur. Lactant. lib. IV, cap. 1 : *Quod unius sæculi stultitia religiones varias suscipientis, deosque multos esse credentis, in tantam subito ignorantiam sui ventum est.* Verbum autem hoc, ut exprimendæ rei efficax, ita non nimis vulgare. Cicero, Philip. III : *Ea, cur magister ejus ex oratore arator factus sit, ut hominem stultum magis etiam infatuet mercede publica.* Pro Flacco : *Neminem quidem adeo infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet?* In dictis mss. 23 et in nonnullis edit. legitur *infucata,* librariorum oscitantia prave pro *infatuata;* in nonnullis *fucata.* Quid autem illa *fucata consuetudo;* quid est *fucare,* nisi interpolare certam rei speciem? Non omnino tamen nobis displicent mss. et editiones quæ legant, *fucata* vel *infucata pravis opinionibus consuetudo;* cum alibi legatur *veritatem fucatam mendacio.* Ili loquendi modi apprime inter se conveniunt.

Divina testimonia. Id est, quæ pro divinis et divinæ auctoritatis habebantur ab ethnicis, veluti Sibyllarum versus, Apollo Milesius, Hermes Trismegistus, qui unum dumtaxat Deum prædicant.

Ex hominibus in deos relatus est. Ita potiores mss. Bon., 2 Reg. 900 annor., 3 alii Reg., 4 Colb., 2 Sorbon., 2 Clarom., 3 Lips., Gatian. et Marm., in quo, ut in Reg. vetustissimo, legitur mendose *relaxatus est,* pro *relatus est;* in undecim aliis recentioribus et plerisque editis, *inter deos.*

In deos. Sic Reimm., Goth., Lips., tres Ultr., Tax., Junt., Bon., elegantius quam sublac., Ven. 1471, 97, etiam Rost. 1476. De eodem vero Mercurio iterum constanti codd. lectione Lact., l. VII. c. 13 : *Quamvis in deos relatus Mercurii nomine ab Ægyptiis honoretur.* Ipse Cicero, l. III de Nat. deor., c. 20 : *Referre in deos;* et jam, l. I, c. 13.

Apud Ciceronem. Libro scilicet III de Nat. deor., quem adeas.

Quinque Mercurios. Totidem ab Arnobio numerantur, quem vide libro III adversus Gentes : primus Cœlo patre et Die matre genitus : secundus Pharonidis et Valentis filius, qui et Trophonius vocatur; tertius Jove tertio natus et Maia; quartus Nilum patrem habuit, quem Ægyptii nefas ducunt nominare; quintus est quem colunt Pheneatæ, qui et Argum dicitur interemisse. Hunc, ut dicunt, Ægyptii Thoyt appellant; attamen non conveniunt tempora. Vide Ciceronem, l. III de Nat. deor., atque notam infra positam.

Ob eam causam. Quidquid sit, constat Thoyth, sive Mercurium Ægyptiorum, multo antiquiorem fuisse eo Mercurio, a quo Argus fuit occisus. Ultimus iste Mercurius Jovis fuit filius : at Jupiter decimo nono sæculo ante vulgarem æram vixit; sed Thoyth, sive Mercurius Ægyptiorum, decem sæculis antiquior est Jove, sive is sit Thoyth I, vel ejus filius Thoyth II. De libris vero qui a Thoyth, vel Mercurio Ægyptiorum sunt editi, vide Clementem Alexandrinum l. VI, Stromatum, ubi eos enumerat. Libri autem quos nunc habemus sub Mercurii Trismegisti nomine, constat esse suppositilios.

In Ægyptum profugisse. Sic in Lactantii codicibus, tum mss., tum impressis legitur. Cicero autem, l. III, de Natur. deor., unde hunc locum descripsit auctor noster, habet, *ob eamque causam Ægypto præfuisse.* Nihil tamen obstat, Thoyth profugerit in Ægyptum, et ei postea præfuerit.

Ægyptiis leges ac litteras tradidisse. Sanchoniathon dicit Mercurium invenisse τὴν τῶν πρώτων στοιχείων γραφήν, et litterarum characteres instituisse.

Digitized by Google

Ægyptii Thoyth appellant, a quo apud eos primus anni sui mensis, id est september, nomen accepit. Idem oppidum condidit, quod etiam nunc Græce vocatur Ἑρμόπολις; et Phenatæ colunt eum religiose. Qui tametsi homo, fuit tamen antiquissimus, et instructissimus omni genere doctrinæ : adeo ut ei multarum rerum et artium scientia Trismegisto cognomen imponeret. Hic scripsit libros, et quidem multos, ad cognitionem divinarum rerum pertinentes, in quibus majestatem summi ac singularis Dei asserit, iisdemque nominibus appellat, quibus nos, Deum et patrem. Ac ne quis nomen ejus requireret, ἀνώνυμον esse dixit; eo quod nominis proprietate non egeat, A ob ipsam scilicet unitatem. Ipsius hæc verba sunt : Ὁ δὲ Θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδέεται : ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. Deo igitur nomen non est, quia solus est; nec opus est proprio vocabulo, nisi cum discrimen exigit multitudo, ut unamquamque personam sua nota et appellatione designes. Deo autem, quia semper unus est, proprium nomen est Deus.

Superest de responsis carminibusque sacris testimonia, quæ sunt multo certiora, proferre. Nam fortasse ii, contra quos agimus, nec poëtis putent esse credendum, tamquam vana fingentibus; nec philosophis, quod errare potuerint, quia et ipsi homines fuerint. M. Varro, quo nemo umquam doctior, ne apud

VARIORUM NOTÆ.

Hunc Ægyptii Thoyth appellant. In omnibus Lactantii operibus nulla mss. editor. major hac varietas. Frequentes editi ferunt *Thoth.* At cunctorum mss. vetustissimi et præstantissimi Bonon., 1 Reg. 900 annor., Marm., Gat., 1 Sorbon., *Thoyth;* accedentibus 1 Reg., in quo *Thout.*; 1 al. Reg. Θευσιν; 1 Colb. in quo NHOYTH; 1 al. Colb. in quo Θευμ. Quinque recentiores scripti, 1 Reg. a prima manu, 1 Colb., Nav., Vict., Brun., legisse videntur Θωυθ, aut Θευθ, ut editi Betul., Fasitel. et Henr. Petri 1556. Corrupte admodum cæteri mss., 2 Reg. rec., 1 Colb., 1 Sorbon., 1 Claromont. Ημουθ, vel Ηνουθ; Reg. duo cum editis. Rom. 1468, 1470, πνουγνα, πνουγν, etc. Claromontanus alter πνουσία, 1 Colb. *Hermin.* Sed cum Joan. Ger. Vossio eo potissimum propendeo, ut *Thoyth* legendum putem : sic enim habent optimæ notæ codices mss. ac impressi; sic etiam legendum esse docet Eusebius Præparationis Evang., l. I, c. 9 : Αἰγύπτιοι μὲν ἐκάλεσαν Θωὺθ, Ἀλεξανδρεῖς δὲ Θὼθ, Ἑρμῆν δὲ Ἕλληνες μετέφρασαν; *Ægyptii Thoyth vocarunt, Alexandrini Thoth, Græci Hermen, hoc est Mercurium, interpretati.* Similiter apud Ciceronem, l. III, de Nat. deor., unde hunc locum desumpsit noster Lactantius, legitur : *Hunc Ægyptii Thoyth appellant, eodemque nomine anni primus mensis apud eos vocatur.* Notandum porro, quod 1 ms. Lips. pro *Thoyth* habet *Moysin.* De variis Mercuriis vide Isæum, in notis. De Mercurio vide etiam doctissimum D. Fourmont, in observationibus ad Sanchoniatonem, quarum editio nova modo prodiit anno 1747, Paris., apud Joan. de Bure, t. I.

Ἑρμόπολις. Urbs magna, a qua denominata fuit regio Hermopolitana, Ἑρμοπολίτης νόμος, in partibus Ægypti Mediterraneis, ad occasum Nili.

Et Phenatæ colunt eum religiose. Idem, Cic., l. III, de Nat. deor., n. 56, ubi de Mercurio loquens, sic ait : *Quintus quem colunt Pheneatæ, qui et Argum dicitur interemisse, ob eamque causam Ægypto præfuisse, atque Ægyptiis leges et litteras tradidisse. Hunc Ægyptii Thoyth appellant, eodemque nomine anni primus mensis apud eos vocatur.* Et Pausanias in Arcadicis, l. VIII, p. 501 : *Deorum vero,* inquit, *omnium maxime Mercurium Pheneatæ* venerantur. Legendum itaque ex mss. codicibus Cauc., 1 Lips., Ultr., Christ., et ed. Cellar., *et Pheneatæ colunt eum religiose;* convenientibus 1 Bonon., 8 Reg., 5 Colb., 2 Sorbon., Gat., Marm., 1 Lips., Goth., Em., Cantabrig., et 2 Claromont., in quibus legitur *Feniatæ* pro *Feneatæ,* seu *Pheneatæ :* accedentibus quoque ms. Vict. in quo *Fenitæ;* mss. Navar., 1 Colb. et Brun. in quibus est *Fenicæ;* et 1 al. Lips. *Fenioes.* In mss. Cauc., Jun. et Cantabrig., ac edit. Rom. 1468 habetur, *et Pheneatæ servant et colunt eum religiose.* In editis Betul., Thys., Gall., Spark., Walch., *et Saitæ colunt eum religiose;* in edit. Paris. 1525, Ald., Fas., Cratand., Graph., Gymn., Tornes., *et Saitæ servant et colunt eum religiose,* quod in nullo manuscriptorum quos viderim B reperi. Petrus Ciaconius suspicatur legendum esse, *et Saitæ et Pheneatæ colunt eum religiose.* Mallem, *et Saitæ servant et Pheneatæ colunt eum religiose,* si aliquam haberem ex mss. *auctoritatem;* ut dicatur et in Ægypto a Saitis servari, et in Arcadia a Pheneatis coli. Apparet igitur legendum esse Pheneatæ, quia supra dixerat de Ægyptiis, a quibus transit ad Pheneatas arcadicos. —*Colunt.* Reimm., *et servant et colunt.* Cant., Junt., Cauc., *Servant et colunt.*

Adeo ut ei multarum rerum et artium scientia Trismegisto cognomen imponeret. Ita antiquiores et meliores mss. Bon., 6 Reg., Lips., Pal., Gronov., et omnes fere editi; Crat. et Tornes., *imponerent.* In mss. vero Cauc., Jun. 1 Colb., et edit. Paris. 1525, *ut ei ob multarum rerum scientiam Trimegisto cognomen imponerent*; et in recentioribus, 2 Reg., 1 Colb. et Brun. *nomen.*

Trimegisto cognomen. Vel Termagnus appellatur, C quod leges eximias condiderit; quod summo sacerdotio illustratus, Religionis ceremonias et ritus sacros indiderit; atque tandem quod in Philosophicis apprime versatus, geometriam in Ægypto summe necessariam, atque alias scientias naturales docuerit. De Trimegisto iterum disseret Lactantius libro de Ira Dei, cap. 10.

Iisdemque nominibus. Vide Trismeg. Pimand., c. 11, *Asclep.*, 1. Sed constat hos libros Pimandri et Asclepiadis esse fictitios.

Ἀνώνυμον. Latine, *sine nomine.*

Ὁ δὲ Θεὸς, Latine, *Deus autem unus; unus autem nomine non eget : est enim qui est sine nomine.*

Deo igitur nomen non est. Minutius Felix in Octavio : *Nec nomen Deo quæras; Deus nomen est itli.* Item apud Xistum in sententiis; apud Hermetem Ægyptium dicitur *ineffabilis, innominandus, silentio prædicandus;* apud Platonem quoque *indictus, innominabilis;* apud Apul., l. de Nat. phil. Platonis; Alcinoüm, Isagog., c. 9; et D Porph., l. IV Hist. philosophicæ, apud Cyrillum. Vide supra testimonium S. Cypriani nota ad initium cap. 5.

Unus est. Sic apud S. Cyprianum contra Idolorum cultum : Hermes Trismegistus *unum Deum loquitur, eumque incomprehensibilem atque inestimabilem.*

Putent. Sic repositum ex omnibus pene mss. et editis Betull. et Cellar. In 2 Colb., 1 Claromont. et in cunctis fere editis est *putant.*

Quod errare potuerint. Ita restituimus ex omnibus ferme mss. In 1 Clarom. a prima manu, et in editis multis, *potuerunt.*

Ei ipsi homines fuerint. Sic reposuimus ex mss. prope omnibus. Edd. et 3 mss. rec., *fuerunt.* In editis, si excipias Cellar., *hi,* pro ipsi.

M. Varro. Hic autem natus anno urbis DCXXXVIII, denatus autem pene nonagenarius anno urbis DCCXXVII, familiaris fuit Ciceroni, qui eum in Epistolis ad Atticum libro V, epist. 10, vocat *universalem polygraphum.* Sic Quintilianus, lib. XII, Varronem omnia pene tradidisse testatur; quem etiam vide

Digitized by Google

græcos quidem nedum apud latinos vixit, in libris rerum divinarum, quos ad C. Cæsarem pontificem maximum scripsit, cum de quindecim viris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllæ; sed appellari uno nomine Sibyllinos quod omnes fœminæ vates Sibyllæ, sint a veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel a consiliis deorum enuntiandis. σιὼς enim deos, non θεοὺς, et consilium non βουλὴν, sed βυλὴν appellabant Æolico genere sermonis : itaque Sibyllam dictam esse quasi σιοβυλὴν; cæterum Sibyllas decem numero fuisse; easque omnes enumeravit sub auctoribus, qui de singulis scriptitaverint ; primam fuisse de Persia, cujus mentionem fecerit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit : secundam Lybissam, cujus meminit Euripides in Lamiæ prologo : tertiam Delphida, de qua Chrysippus loquitur in eo libro, quem de divinatione composuit : quartam Cimmeriam in Italia, quam Nævius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat : quintam Erythræam, quam Apollodorus Erythræus affirmat suam fuisse civem, eamque Graiis Ilium petentibus vaticinatam, et perituram esse Trojam, et Homerum mendacia scripturum : sextam Samiam de qua scribit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum repe-

VARIORUM NOTÆ.

libro x, sicut et Ciceronem, in Academicis, lib. I, ubi Varronem eximie laudat.

Ne apud Græcos quidem... vixit. Sic quoque mss. Tax., Cauc., Jun., Ultr, Reimm., ubi male Rost., Ven. 1471, 72, utraque 78, aliæque, *neque Latinos*, aut *nedum Latinos*, infarciunt. BUNEMAN.

Nedum apud Latinos. Hæc verba absunt a 35 mss. atque etiam a Rohanneo et Sangermanensi, et ab edit. Cellar. et Sublac. Pro *nedum* legitur *neque* in edit. Rom. 1468, Paris. 1525, Ald., Grat., Graph., Gymnic.

In libris, etc. De Varronis libris vide S. Augustin. de Civ. Dei lib., VI, cap. 3.

De quindecim-Viris. De quibus vide Alexand. ab Alexandro, Genialium dierum lib. III, c. 16, et infra alia nota. Hæc tamen ex Pomponio Læto : *Dummodo*, inquit, *a Tarquinio superbo instituti fuere, qui sibi inspicerent libros Sibyllinos : deinde cum plebs creari ex suis instaret, ex Plebeis et Patriciis creati decem, et deinde quindecim, qui libros Sibyllinos inspicerent.*

Sibyllæ. De Sibyllarum nominis etymologia vide Servium in VI Æneid.

Vel ab unius Delphidis nomine. Vide Antimach., de Oraculis Sibyll.

Vel a consiliis deorum, etc. Id multimodis ineptum, atque etiam falsum. Σίβυλλα simplex nomen est, non compositum. SALMASIUS.

Enuntiandis. Ita restituimus ex cunctis ferme mss. et editis Rom. 1470, Paris. 1525, Betul., Cellar. In octo editis est *denuntiandis*; in ms. 1 Colbert., *nuntiandis.*

Σιοβυλὴν. Ita emendavimus ex mss. 1 Reg. opt. notæ, 1 Sorb., Colb. et 2 Brun. in quibus legitur *Siobulen*. Et sic profecto legendum esse constat ex præcedentibus σιὼς et βυλὴν. Ante erat, θεοβούλην.— Hæc verba, *Itaque Sibyllam...* Σιοβυλὴν desunt in ed. Sublac.

Cæterum Sibyllas. De Sibyllis earumque scriptis multa olim gentiles et christiani memoriæ prodiderunt : quid de iis statuerunt non est hujus loci, nec nunc vacat referre. Vide si lubet S. Augustinum, de Civ. Dei lib. XVIII, cap. 23; Vossium, et Blondellum, qui de his optime disseruit in suo de Sibyllis libro. Vide etiam Servatum Gallæum, in sua Sibyllinorum carminume ditione in-4°, Amstelod. 1688 et 1689.

Decem numero fuisse. Vide Antimachum, de Oraculis Sibyllinis. Alii novem tantum fuisse volunt, inter quos Suidas; alii quatuor, ut Pausanias; nonnulli tres, ut Solinus et Ausonius. Alii duas ponunt, ut Martianus Capella : denique nonnulli unam tantum. C. Plinius lib. II, cap. 33, adstipulante Aulo Gellio lib. I, cap. 19. DEMPSTERUS. Sed Gyraldus plures quam decem numerat.

Scriptitaverint. Ita restitui ex plerisque et optimis mss. et edit. Betul. In mss. Tax., 2 Colb., 1 Clarom., *scriptitaverunt*. Colb. a secunda manu, et 1 Clarom. a prima, cum editis, *scriptitarunt*; 1 Clarom. a secunda manu, *scriptitarint*. Subjunctivus modus valde familiaris est Lactantio, ut ex sequentibus patebit.

Primam fuisse de Persis. Aliis Chaldæa, aliis Hebræa, proprio nomine Sambethe. BETULEIUS.

Nicanor. Fortasse hic Leander Nicanor Alexandrinus grammaticus, qui de Alexand. Commentarium scripsit. THYSIUS.

Secundum Lybissam. Juxta Græcam terminationem. Ita mss. 7 Reg. quorum duo sunt 900 annor., 3 Colb., Nav., Ultr., 1 Sorbon., Vict., Marm., 1 Clarom. et al. Clarom. a secunda manu, cum editis Fasit., Tornes., Spark. In mss. 3 Reg., Bonon., Lips., Em., Cantabrig., Ultr., Christ., 3 Colb., 1 Sorbon., Gat., 1 Clarom. a prima manu, cum plerisque editis, *Lybicam.*

In lamiæ prologo, etc. Inter Euripidis tragœdias non extat Lamia.

Tertiam Delphida. Ita mss. Gronov. et edit Cellar. ut et Lactantius in Epitom., cap. 5, convenienter Varroni, et prorsus recte. Etenim Lactantius paulo ante dixit, visum esse quibusdam Sibyllarum nomen ductum esse *ab unius Delphidis nomine.* Et quidem lectioni nostræ favent mss. 4 Reg. quorum duo sunt 900 annor. et duo alii recentiores, sed bonæ notæ, 2 Colb., Navar., Vict., et 2 Brun., in quibus legitur *Delphidam.* Quis autem non videat, legendum esse *Delphida* juxta Græcam terminationem ex supradictis? hellenismis enim quandoque utitur noster Firmianus. In undecim mss. rec. et in omnibus fere editis est *Delphicam.*

In eo libro, etc. Hic liber a Laertio non recensetur in Chrysippo.

Quartam Cimmeriam. Sic emendavimus ex mss. vetustissimis 2 Reg., Navar., 1 Sorbon., Vict, Ultr., 2 Brun., Christ., et edit. Cellar. In aliis 5 Reg., 2 Colbert., Em., et Gat. est *Cimmeriam;* etiam reponi vult Lilius Gyraldus *Cymeriam.* In Goth., *Cymeream;* in Gronov., *Cimenam*, pro *Cimeriam*; *in* 1 Colb. et Marm., *Cimœam*; in 2 Colb. rec., *Cuneam*; in 5 Reg., 12 Vatic., 1 Sorbon., 2 Clerm. ac editis multis, *Cumœam*; mendose omnino, cum auctor noster aperte *quartam Cimmeriam a septima Cumana* seu *Cumea* paulo inferius posita distinguat; itemque Isidorus lib. VIII Origin., cap. 8, et Suidas ad V. Σίβυλλα. *Cymmeria*, autem sic dicta est, teste Gyraldo, quod in *Cimmeria* Italiæ oppido, fuerit quondam, juxta lacum Avernum in Campania, secundum Plinium lib. III, cap. 5.

Nævius... belli Punici. Sc. primi, quo stipendia fecit. Vid. Voss. Hist. Lat. I, c. 2. BUN.

Quintam Erythræam. Hanc Sibyllam Erythræam, Cumæam et Cumanam, unam eamdemque fuisse vult Salmas. exercit. Plin. pag. 37.

Graiis. mss. 4 rec. *Græcis.* Sed idem est.

Graiis Ilium... menducia scripturum. Hoc in earm. Sibyllinis sermon. 3 his verbis : Ἴλιον, οἰκτείρω σε, κατα Σπαρτὴν γὰο ἐρευνύς, etc.

Sextam Samiam. Φυτὼ nomine, cujus Valer. Maximus meminit lib. I de Ominib. ubi de Prienensibus. BETULEIUS.

Scribit. Ita repositum ex mss. codd. ac edit. Ter-

Digitized by Google

isse se scriptum : septimam Cumanam nomine Amaltheam, quæ ab aliis Demophile vel Herophile nominatur; eamque novem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum, ac pro eis trecentos Philippeos postulasse ; regemque aspernatum pretii magnitudinem, derisisse mulieris insaniam : illam in conspectu Regis tres combussisse, ac pro reliquis idem pretium postulasse : Tarquinium multo magis mulierem insanire putasse. Quæ denuo tribus aliis exustis, cum in eodem pretio perseveraret, motum esse regem, ac residuos trecentis aureis emisse : quorum postea numerus sit auctus, Capitolio refecto, quod ex omnibus civitatibus et Italicis, et Græcis, et præcipue Erythræis coacti, allatique sunt Romam, cujuscumque Sibyllæ nomine fuerint : octavam Hellespontiam in agro Trojano natam; vico Marpesso, circa oppidum Gergithium ; quam scribit Heraclides Ponticus Solonis et Cyri fuisse temporibus : nonam Phrygiam, quæ vaticinata sit Ancyræ : decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur ut dea, juxta ripas amnis Anienis, cujus in gurgite simulacrum ejus inventum esse dicitur, tenens in manu librum : cujus sortes Senatus in Capitolium transtulerit.

Harum omnium Sibyllarum carmina et feruntur et habentur, præterquam Cumææ, cujus libri a Romanis occuluntur, nec eos ab ullo, nisi a quindecim viris inspici fas habent. Et sunt singularum singuli

VARIORUM NOTÆ.

nes. et Walch. In multis editis, *scripsit.*

Septimam Cumanam. Vide Salmas. Exercit. Plin. p. 73, eamque eamdem cum Cumea Italica reperies ; cui etiam adstipulor; et notandum ms. Ultr. habere hoc modo, *septimam Cumanam* vel *Cumeam.* GALLÆUS. —Ac eam Cumæam vocat eximia editio Coloniensis in-folio anno 1544. De hac intelligitur Justini martyris locus.

Quæ ab aliis Demophile vel Herophile. Solinus et Suidas, non Cumanam, sed Erythræam vocant Herophilem, quamquam apud Solinum et Tibullum, Eleg. 5, lib. II, legatur *Heriphile.* Eusebius vero nec Erythræam, nec Cumanam, sed Samiam Herophilem vocatam scribit, quam Numa, Romanorum rege, vivente floruisse refert. ISÆUS.

Eamque novem libros, etc. Salmasius in Exercit. Plin. plane negat libros Sibyllinos a Cumana Sibylla Tarquinio oblatos, imo ne Sibyllam quidem eam fuisse asserit. Dionysius Halicarnasseus, γυναῖκα οὐκ ἐπιχωρίαν tantummodo nominat lib. IV. Gellius libro I, cap. 19 : *In antiquis annalibus memoria super libris Sibyllinis hæc prodita est : Anus hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum regem adiit, novem libros ferens, quos esse dicebat divina oracula, eos velle venundare,* etc. Plura si quis desiderat, locum consulat. GALLÆUS.

Tarquinium Priscum. Cum Lactantio sic eum nominant Varro, Isidorus lib. VIII, cap. 8, et Suidas; at Dionysius Halycarnasseus lib. IV, Plinius lib. XIII, cap. 13, Gellius lib. I, cap. 19, *Superbum.* Sed verius, inquit erud. Cellarius, Prisco tribuitur, quia Solinus, c. 2, quamquam cum Plinio eum Superbum vocat, *quinquagesima Olympiade* id contigisse refert.

Philippeos postulasse. Servius, in Virgilium, addit, hos Philippeos aureos fuisse, qui tum pretiosi erant; non tamen quod nummi illi cusi fuerint nomine Philippi, patris scilicet Alexandri magni : siquidem eo tempore quo empti dicuntur illi libri, nondum fuerit Philippus Macedo. Sed veteres auctores, ut ait doctiss. Walchius, in re nummaria ita scribunt, prout facies ejus erat tempore suo : quod multis exemplis posset illustrari. Valebat autem numinus Philippeus aureus duos circiter aureos Gallicos, ut adnotat Lambinus ad Plautum. Vide Budæum de Asse, lib. IV, et Gronovium, lib. III, de Pecunia vet. et nova. Multi tamen hæc omnia fabulam redolere existimant.

Trecentis. Vide Gellium supra citatum, et Dionysium Halycarnass. lib. IV.

Capitolio refecto. Sic etiam Tacitus lib. VI Annal., cap. 12 : *Post exustum sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam et Siciliam et Italicas colonias carminibus Sibyllæ,* etc.

Fuerint. Mss. 17 et 15 ed., *Fuerunt.*

Hellespontiam. Ita cum Epitome cap. 5 omnes fere mss. In duobus recentioribus est *Hellespontiacam.* Edd., *Hellesponticam.*

Vico Marpesso. Sic etiam legit Pausanias ad mss. Græcos tres Regios a me collatos lib. X, ubi de Herophile fatidica loquitur. Ego in omnium fere editionum recepta lectione nihil mutare volui, siquidem Isæus et Gallæus asserunt legi *Marpesso* in maxima Lactanctianorum mss. parte : licet in omnibus quos vidi, scilicet 10 Reg., 6 Colb., Nav., 2 Sorbon., Vict., Gat., Marm., 2 Claromont., 2 Brun., necnon in 1 Bonon., Tax., Pen., Christ., Goth., Lips., Cauc., Ultr., Pal., Rostoch., Cantabrig., et in veterrimis tribus Ramanis editionibus habeatur *Marmesso;* apud Suidam d. l. *Marmisso.*

Gergithium. De qua vide Stephan. Byzantinum in Γέργις ; eamque sepultam esse in templo Apollinis Gergithii dicit. Gergis vero locus est in Troade. — *Vico Marmesso circa oppidum Gergitium.* Alii, *Marpesso,* quibus videtur Tibullus favere, l. II, El. 5, v. 67 :

> Quidquid Amalthea, quidquid Marpessia dixit :

nisi et ibi cum Salmasio in Solin. pag. 55, *Marmessia* legendum est. BUNEMAN.

Heraclides Ponticus. Platonis et postea Aristotelis auditor. Voss. Hist. Gr. l. I, c. 8 et 9. Diog. Laert. l. V, f. 86, sq. BUNEMAN.

Nonam Phrygiam. Hanc Capella eamdem cum Erythræa et Cumana facit. BETULEIUS.

Decimam Tiburtem. Albuneam Tiburi cultam religiose, indicat in agro Tiburtino mons et fons ejus nomine, de quo Virgil. Æneid. lib. VII.

Cujus sortes Senatus in Capitolium transtulerit. Ita restituimus ex mss. Jun., Marm., Jani Gulielmi, et 4 Regiis, quorum duo sunt eximii, nisi quod in vetustissimis habetur, *in Capitolio.* Mss. Gat., *Cujus sortes Senatus in Capitolium attulit.* Hæc absunt a mss. 6 Reg., 6 Colb., 2 Sorbon., Nav., Vict., 2 Clarom., Tax., Pen., Em., Cantabrig., 2 Brun., Edit. Rom. 1470. Betul. et Walch. et Sublac. Pro *sortes* legitur *sacra* in 12 editis rec. Legendum esse *sortes* confirmatur ex Virgilii loco, ubi Æneas ad Demophilem Cumanam Sibyllam ait lib. VI Æneid., v. 72 :

> Hic ego namque tuas sortes arcanaque fata
> Dicta meæ genti ponam.

Sortes enim, inquit Servius ad hunc locum, Sibyllina responsa sunt.—*Cujus sortes..... transtulerit.* Tibullus idem eadem voce extulit l. II, el. 5, v. 67, sq. (al. el. 6) :

> Quidquid Amalthea, quidquid Marpessia dixit,
> Herophile Phœbo grata quod admonuit,
> Quodque Albuna sacras Tiberis per flumina sortes
> Portarit.

Ipse Lactantius, l. I, c. 14, *Saturno datam sortem..... elevandæ sortis.* In epist. c. 28, *sortes et oracula* junxit.

Nisi a quindecim viris inspici fas habent. Ita reposuimus ex Mss. 4 Reg., 5 Colb., 2 Sorbon., 2 Clarom., Lips., Goth., Ultr., Cauc., Jun. aliisque. Mss. Gronov., *inspectos habent,* non male. In 1 Colb. et in

Digitized by Google

libri : qui quia Sibyllæ nomine inscribuntur, unius esse creduntur; suntque confusi, nec discerni ac suum cuique assignari potest : nisi Erythrææ, quæ et nomen suum verum carmini inseruit, et Erythræam se nominatum iri prælocuta est, cum esset orta Babylone : sed et nos confuse Sibyllam dicemus, sicubi testimoniis earum fuerit abutendum.

A Omnes igitur hæ Sibyllæ unum Deum prædicant; maxime tamen Erythræa, quæ celebrior inter cæteras ac nobilior habetur : siquidem Fenestella, diligentissimus Scriptor de quindecim viris dicens, ait, restituto Capitolio, retulisse ad Senatum C. Curionem Cos. ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam deportarent; itaque

VARIORUM NOTÆ.

impressis, *inspici fas est*. Cæterum de hoc collegio quindecim virorum notandum, in principio Tarquinium duos tantum constituisse : post ducentos et tredecim annos, anno U. C. 388, numerus illorum auctus fuit, atque a denario numero, decemviri appellati sunt : vide Livium, IV Decade. Postea ad quindecim numerus accrevit, quod factum fuit intra annos U. C. 671, quo Capitolium conflagravit, et 675, quo Sylla se dictatura abdicavit; ut diligenter annotavit David Blondellus in opere quod Gallica lingua de Sibyllis composuit. Hoc nomen quindecim virorum illis semper mansit immutatum, etiamsi postea quadraginta fuerint numero, notante Servio. Etiam tempore christianorum, ut videre licet loco laudato. Horum quindecim virorum munus erat, sedulo asservare oracula Sibyllina, eaque exigente necessitate ex mandato senatus consulere. GALLÆUS.

Mortis supplicio (juxta S. Justinum Apolog. 2 pro christianis) erat ethnicis interdictum librorum prophetarum et Sibyllarum lectione; mutuebatur enim, ne scripta illa legentes, veræ fidei ac bonarum rerum notitiam perciperent, et ad christianam transirent religionem. Sibyllæ autem fœminæ erant, quæ antiquis vates habebantur. Earum nomine hodieque supersunt libri octo, in quibus multa reperiuntur christianæ religioni convenientia, a priscis Ecclesiæ Patribus a S. Justini tempore prolata. Hosce octo libros, vel omnino vel partim supposititios, aut saltem depravatos esse, nunc convenit inter eruditos : non item de Sibyllarum numero. De his optime disserentem vide Blondellum. Dionysius vero Halicarnasseus hæc lib. IV dicit : *Romani*, inquit, *nihil ita custodiunt, neque sanctum neque sacrum, quemadmodum Sibyllina divinitus missa oracula. — Inspectos habent.* Lactantius, l. III, c. 20, *quæ adspici... nefas habentur.* Sublac. Ven 1471, 97, Rost., Junt., Ald. aliæ, *inspici fas est*, quod placet Heumanno. Sic Cicero, I. V, Verr., c. 72 : *Simulacrum Cereris ne adspici quidem fas fuit.* BUN.

Singuli libri. Libri isti non in chartaceis voluminibus descripti, sed linteis. Symmach. lib. IV, epist. 34 : *Et Marciorum quidem vatum divinatio caducis corticibus inculcata est, monitus Cumanos lintea texta sumpserunt : tu etiam sericis voluminibus, Achemænio more, infundi litteras meas jubes.* Fl. Vopisc. in Aurel. *Inveni nuper in Ulpia Bibliotheca inter linteos libros epistolam D. Valeriani.* Ausonius, ep. 23 :

Per licia texta querelas
Edidit et tacitis mandavit crimina telis.

Hinc itaque patet, non solum libros Sibyllinos in linteis tabulis, verum etiam et alios scriptos fuisse. Plinius totam hanc rem expedit, lib. XIII, cap. 11 : *In Palmarum* (lege *Malvarum*, corrigente Dalecampio) *foliis primo scriptum, deinde quarumdam arborum libris : postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox et privata linteis confici cœpta aut cereis.* Ego vidi hominem in linteis egregie scribentem in carcere, custode papyrum seu cartham denegante. Lintea autem ista leviter agglutinata erant primario pane aqua diluto, farinæ penuria. Hæc ait Joan. Bapt. le Brun.

Et Erythræam se nominatum iri prælocuta est. Hæc vera et genuina nobis visa est lectio edit. Graph. Gymnici, Betulei, manuscriptorum 4 Reg. ex quibus duo sunt veterrimi, alii duo rec. bonæ notæ; nec non vet. edit. Ald. 1515, Paris. 1525, Crat., Fasitel., in quibus tamen 4 pro *Babylone*, est *Babyloniæ*. Quid enim rectius, quam quod illa Sibylla *Erythræa nomen suum verum* ac proprium (aliud quam Erythræa) *carmini inseruit;* et tamen *se* aliquando *Erythræam nominatum iri prælocuta est, cum*, id est quamvis, B *esset orta Babylone*. Mira est et inepta varietas in aliis 13 mss. rec. et ed. Rom. 1470, in quibus est, *Erythræam se nominat, ubi prælocuta est cum esset orta Babylone;* in sex aliis scriptis rec., *Babyloniæ;* in 1 Bonon. rec., *ubi perlocuta est.* Ad quid enim referetur *ubi?* Ad *Erythræam?* Sed quam incomposita locutio! — *Nominat ubi prælocuta est.* Codex Jani Guil. et Emmann., Tax., Pen., *prolocuta est.* Addit. Guil. *proloqui, vaticinari* et *futura canere; unde prophetæ, quod proloquerentur.* BUNEMAN.

Prælocuta. Vel potius *prolocuta*, ut habetur ad oram eximiæ editionis Coloniensis in-folio anni 1544.

Abutendum. Id est, *utendum.* Sic Terentius in Prologo Andr. *Operam abutitur*, pro *utitur*. Eodem sensu hoc verbum acceperunt Apul. lib. IV : *Jam provecta vespera abusi beneficio tenebrarum, Trasileonis caveam Demochari cum litteris illis adulterinis offerimus.* Cic., de Nat. deor., lib. II : *Nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur.* Nazarius Panegyr. dicto Constantino, n. 30: C *O si nunc mihi facultas daretur sermonis pro rerum dignitate figurandi, adhiberem omnes flosculos, et abuterer exquisito quodam lepore ac venustate dicendi.* Baldricus Noviomensis, lib. III, cap. 69 : *Sentiens imperator se blanditiis impetrare non posse quod petebat, cœpit abuti violentia.*

Curionem. Is fuit consul anno urbis Varroniano DCLXXVIII, cum Cn. Octavio. De his vide Librum de Ira Dei infra, capite 22 et 23.

Sibyllæ. Tanti olim fecerunt antiqui christiani Sibyllarum carmina, ut ex re esse crediderim de iis aliquid dicere. Numerum tamen earum non attingere visum est, quia incertus est ac diversus. Sat igitur erit earum auctoritatem ad examen hic paucis revocare. Constat olim fuisse quasdam, easque valde antiquas, mulieres fatidicas, quas Sibyllas veteres nominarunt. Sed quid prænuntiaverint, id semper in obscuro fuit; sacrum quippe erat earum secreta mysteria revelare. Solis namque datum fuit apud Romanos duumviris, qui postea ad quindecim excrevere, earum libros perscrutari : sed iis sub pœna capitis fuerat prohibitum, ne detegerent ea quæ legerint. Unde fit, ut scriptoribus christianis semper earum carmina fuerint penitus ignota, eaque nil nisi de gentilibus superstitionibus agebant, ut notant historici, multumque erant obscura, immo ambigua et furore quodam poetico scripta. Verum in iis carminibus, quæ undique ex Græcia mendaci corraserant quidam veterum, et quæ nunc habemus, nec mens emota poetarum agnoscitur, nec obscuritas ulla; cuncta more historicorum christianæ religionis secreta mysteria adeo clare, adeo manifeste enarrantur, ut pateat ea fuisse tum a prophetis Judæorum, tum a scriptoribus evangelicis desumpta, sive a Judæis ipsis, ut opinatus est Isaac Vossius, sive a quibusdam prioribus christianis vel efficta, vel saltem interpolata sint, quod ad verum propius accedit. Quidam tamen ex antiquis Patribus iis parum fidei adhibebant. Testis est de se ipso S. Augustinus

Digitized by Google

missos esse P. Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium, qui descriptos a privatis versus circa mille Romam deportarunt. Idem supra ostendimus dixisse Varronem. In iis ergo versibus, quos legati Romam attulerunt, de uno Deo hæc sunt testimonia :

Εἷς θεὸς ὃς μόνος ἐστὶν ὑπερμεγέθης, ἀγήρατος.

Hunc esse solum Deum summum, qui cœlum fecerit, luminibusque distinxerit.

Ἀλλὰ θεὸς μόνος εἷς, πανυπέρτατος, ὃς πεποίηκεν
Οὐρανὸν, ἠέλιόν τε καὶ ἀστερόεις, ἠδὲ σελήνην,
Καρποφόρον γαῖάν τε, καὶ ὕδατος οὔθεα πόντου.

Qui quoniam solus sit ædificator mundi, et artifex rerum, vel quibus constat, vel quæ in eo sunt, solum coli oportere testatur :

Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα σέβεσθ' ἡγήτορα κόσμου.
Ὃς μόνος εἰς αἰῶνα καὶ ἐξ αἰῶνος ἐτύχθη.

Item alia Sibylla, quæcumque est, cum perferre se ad homines Dei vocem diceret, sic ait :

Εἷς μόνος εἰμὶ θεὸς· καὶ οὐκ ἔστι θεὸς ἄλλος.

Exequerer nunc testimonia cæterarum, nisi et hæc sufficerent, et illa opportunioribus locis reservarem. Sed cum defendamus causam veritatis apud eos, qui aberrantes a veritate falsis religionibus serviunt, quod genus probationis adversus eos magis adhibere debemus, quam ut eos deorum suorum testimoniis revincamus?

CAPUT VII.

De testimoniis Apollinis et deorum.

Apollo enim, quem præter cæteros divinum maximeque fatidicum existimant, Colophone respondens, quod Delphis (credo) migraverat, Asiæ ductus amœnitate; quærenti cuidam, quis esset, aut quid esset omnino Deus, respondit viginti et uno versibus, quorum hoc principium est :

VARIORUM NOTÆ.

libro XVIII de Civit. Dei, capitibus 45 et 47. Ea porro carmina videntur emissa post annum æræ vulgaris 140, id est post tempora Papiæ Hierapolitani, cujus opinio erronea de regno christianorum in terris millenario iis in libris legitur. At quamvis Celsus infensissimus christianorum adversarius, quosdam eorum, teste Origene, lib. V contra Celsum, sugillet, quod Sibyllarum carmina in sui defensionem adducant, non ideo tamen culpandi sunt priores religionis propugnatores, quod tam incerta, tam caduca veritatis asserendæ studio adhibuerint momenta. Tunc sat erat ad Gentilium errores revincendos, ut his carminibus fidem adhibuerint, unde contra eos recte argumentarentur veteres christiani. Totum Sibyllarum negotium jam ante medium sæculi proxime elapsi in controversiam venerat; atque res summo criterio, multaque ac varia eruditione agitata fuit, non quidem a nimis credulo Crasseto Jesuitici Sodalitii alumno, sed a Ludovico Elia Dupin, doctore Parisiensi, a Nicolao le Nourry atque P. le Cellier, utroque ex ordine S. Benedicti, hoc ex S. Vitoni, illo S. Mauri Congregationibus. Non inutilem etiam hac in controversia examinanda suam extrauei doctissimi operam adhibuerunt. Ii sunt Joan. Dallæus, Isaac Vossius et Servatus Gallæus, quos omnes adire licet.

Otacilium. Sic lego cum optimo ms. Reg. Put. Martial. Epigram. l. x, c. 78. Multi, *Octavilium.*

Εἷς θεὸς ὃς *μόνος* ἐστὶν. Interpret. lat. *Unus Deus qui solus est excedens omnem magnitudinem, increatus.* Pro ἐστὶν, *est*, ms. Reg. antiq. habet ἄρχῃ, al. ἄρχει, *regnat.*

Ἀλλὰ θεὸς. Interpret. lat. vide Theophilum ad Autolic. lib. II : *Sed Deus solus unus eminentissimus, qui fecit cœlum, solemque, et stellas, et lunam, fructiferamque terram, et aquæ maris fluctus.*

Πανυπέρτατος, Commode transfert, *exsuperantissimus*, et illustrat docte Spanhem. ad Callimach. Jovem, v. 91, p. 42. BUNEMAN.

Αὐτὸν τὸν μόνον. Lat. :

Ipsum, qui solus est, colite principem mundi,
Qui solus est in sæculum, atque a sæculo fuit.

Ἐτύχθη. Sic legendum ex emendatione Cl. Turnebi, et auctoritate optimorum ms. codicum Cauc., 1 Clarom. et 3, Reg. vet. in quorum altero est redditum latine *permanet :* in nonnullis, ἐτέχθη quod proxime accedit ad ἐτύχθη; repugnantibus licet cæteris fere ms. qui habent ἔτυχεν vel ἔτυχε, quod ferre non potest metri ratio.

Εἷς *μόνος* εἰμὶ θεὸς. Hæc sermone 3, in ms. 1 Reg. μόνος γὰρ θεὸς εἰμι; latine, *Unus enim Deus sum.* Ranconetus legendum censebat, Ὃς μόνος ἐστὶ θεὸς; lat. *Qui solus est Deus.* Interpret. lat. *Unus solus sum Deus, et non est Deus alius.*

Præter cæteros. Id est, *præ cæteris.* lib. I, c. 17. *Ne sola præter alias mulieres impudica . . . videretur.* Ibidem, *præter cæteras animantes.* Cic. II, Off., 7: *Testis est Phalaris, cujus est præter cæteros nobilitata crudelitas.* Plura ad lib. de Ira c. 14.

Colophone. Urbs Ioniæ ad fluvium Halesum, circa XXXVIII, gradum Latitudinis. Vide Strabonem libro XIV, et Solinum cap. 53 : *Non longe Epheso,* inquit, *Colophon civitas, nobilis Oraculo Clarii Apollinis.* Vide etiam Plinium lib. II, cap. 103.

Quod Delphis (credo) migraverat. Ita ms. 3 Reg., 3 Colb., 1 Sorbon., 1 Lips., Cauc., Jun., 2 Clarom., edd. Rom. 1468, 1470, Ald. 1515, Paris. 1525, Crat., Tornes. At in editis et mss. septem est, *emigraverat.* Nec opus est mutatione illa quam vult Thomasius, qui legit *quo Delphis*, ut est in 12 ms., in duodecim vero ms. rec. est, *quo a Delphis;* contenditque *quod* nullo modo legi posse : imo sic legendum esse patet ex scopo et mente Lactantii; nam ut rationem reddat quare Apollo *Colophone respondit*, cum in templo suo Delphis ordinarie redderet sua oracula, hoc causatur, *quod Delphis migraverat amœnitate ductus Asiæ.* Sic etiam supradicti priores codices optimi legunt, et illud, *credo*, quod in nonnullis impressis omissum, in iisdem reperitur; et quis non videt, ut recte notant *Thomasius et Isæus*, hanc voculam omnino retinendam, propter elegantem ironiam; Lactantius enim sic tacite convellit gentilitios deos, quippe qui tales sunt, qui amœnitate locorum recreentur. GALLÆUS. — De oraculo Delphensi et aliis oraculis vide Theodoretum de Græcarum affectionum curatione lib. X de Oraculis; Œnomaum Cynicum, Porphyrium de electorum Philosophia, Plutarchum libro de Oraculis quæ jam defecerunt, et Diogenianum. — *Quo Delphis.* Gallæus sibi non constat. In Var. Lect. dixit B. T. P. G. habere, *quo :* contra in notis, *quod* codices optimos, Bon., Tax., Pen., Lips., Jun. Cauci, aliosque, habere contendit et defendit contra Thomasium. *Quo* est in Goth. et Lips. tertio; in Lips. secundo ductus est obscurior, *quo*, subscriptum, *quod.*

Amœnitate. Scilicet loci, quia ex Justini Histor. lib. XXIV, Delphicum fanum Parnassi rupibus horridum erat; Colophon e contra situs in Promontorio Asiæ minoris, ex Mela plus delectationis habebat.

Digitized by Google

Αὐτοφυής, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀστυφέλικτος,
Οὔνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενόν, ἐν πυρὶ ναίων·
Τοιοῦτος θεός, μικρὰ δὲ θεοῦ μερὶς ἄγγελοι ἡμεῖς.

Num quis potest suspicari de Jove esse dictum, qui et matrem habuit, et nomen? Quid quod, Mercurius ille ter maximus, cujus supra mentionem feci, non modo ἀμήτορα, ut Apollo, sed ἀπάτορα quoque appellat Deum; quod origo illi non sit aliunde? Nec enim potest ab ullo esse generatus, qui ipse universa generavit. Satis (ut opinor) et argumentis docui, et testibus confirmavi, quod per se satis clarum est Unum esse regem mundi, unum patrem, unum Deum.

Sed fortasse quærat aliquis a nobis idem illud, quod apud Ciceronem quærit Hortensius: Si Deus unus est, quæ esse beata solitudo queat? Tamquam nos, qui unum esse dicimus, desertum ac solitarium esse dicamus; habet enim ministros, quos vocamus nuntios. Et est illud verum, quod dixisse in Exhortationibus Senecam supra retuli, ministros genuisse regni sui Deum. Verum hi neque dii sunt, neque deos se vocari, aut coli volunt: quippe qui nihil præter jussum ac voluntatem Dei faciant. Nec tamen illi sunt, qui vulgo coluntur, quorum et exiguus et certus est numerus. Quod si cultores deorum eos ipsos se colere putant, quos summi Dei ministros appellamus, nihil est quod nobis faciant invidiam, qui unum Deum dicamus, multos negemus. Si eos multitudo delectat, non duodecim dicimus, aut trecentos sexaginta quinque (ut Orpheus), sed innumerabiles esse arguimus errores eorum in diversum, qui tam paucos putant. Sciant tamen, quo nomine appellari debeant: ne Deum verum violent, cujus nomen exponunt, dum pluribus tribuunt. Credant

VARIORUM NOTÆ.

Αὐτόφυής. Sic Nonno αὐτόφυτος, καὶ λόγος αὐτοφυτόῖο Θεοῦ. Et Sibylla Erythr. Ser. 3,

Αὐτοφυής, ἀόρατος, ὁρῶν μόνος αὐτὸς ἅπαντα.

Plutarch. in Placit. Ph. Platonis et Socratis sententiam aliorum sententiis subjungit, qui dicunt Deum esse τὸ ἕν, τὸ μονοφυὲς καὶ τὸ αὐτοφυές, τὸ μονόδικον, τὸ ὄντως ἀγαθόν. In ms. antiq. Regio Put. est αὐτοφυής. Interpret. Lat.

Ex se ortus, non edoctus, sine matre, inconcussus,
Nomen ne verbo quidem capiendum, in igne habitans,
Hoc Deus est: modica autem Dei portio Angeli, nos.

Ἀμήτωρ. De hoc vide infra lib. IV, cap. 7.

Ἀστυφέλικτος. Ita Callimachus Hymn. in Delum, v. 2, 6: Θεὸς δ' ἀεὶ ἀστυφέλικτος, quam vocem egregie illustrat Spanhem., pag. 345. Ipse Lactantius lib. VI, c. 25: *Ut idem* (Deus) *sit semper et stabilis, et immutabilis, et* INCONCUSSUS. BUNEMAN.

Ἥμεῖς. De his Apollinis oraculis vide Augustinum Steuchum Eugubin. lib. III, de perenni Philosophia, cap. 16, ubi hæc responsa refert.

Num quis. Ita emendavimus ex mss. 4 Reg. quorum duo sunt vetustissimi, et Em. ac Balliol. Et ita legendum esse censent nobiscum doctissimi viri. Alii *Numquid.*

Mercurius. Is est Trismegistus, de quo capite 6, nota 5.

Ἀμήτορα ... ἀπάτορα. Lat. *sine matre ... sine patre.*

Aliunde. Id est, ab alio.

Generavit. Sic restituimus ex omnibus fere mss. et sex vetustioribus editis. In 7 recentioribus, et in 3 mss. rec., 1 Reg., 1 Colb. et Brun. *generaverit.*

Qui unum. Sic quoque Goth. ubi Sublac., Ven. 1471, 97. Rost. et reliquæ, *qui*, quod Heum. ex Thom. præfert. Ab Bon., Tax., Pen. plane absunt, *quia unum esse dicimus.* BUNEMAN.

Solitarium esse, etc. Falsa est hæc propositio; Personarum enim divinarum pluralitas a Deo solitudinem excludit, non associatio angelorum, qui sunt extraneæ naturæ. Dicitur enim aliquis solus in horto, quamvis sint ibi multæ plantæ et animalia. V. S. Thom. p. p. quæst. 31, art. 3. *ex* Isæo. Verum hic loci Gentilium captui paulo quam par est sese accommodat Lactantius; atque ut aliquid proferret quod rudibus ingeniis arrideret, factum ait angelorum consortio ne Deus esset solitarius: cum interim solitudo non tollatur per societatem alicujus quod sit extraneæ naturæ. — *Solitarium.* Ita Deum singularem contumeliose vocabant e. g. Cæcilius apud Minuc., cap. 10: *Unde, vel quis ille, aut ubi Deus unicus*, solitarius, *destitutus.* Alia de hac voce *solitarius* contra Hæreticos habet Hilarius lib. IV de Trinit. f. 86, seq. ed. noviss. Veron. BUN.

Ministros. Hos angelos vocamus, quod nomen est officii, non dignitatis. De his vide Philonem Judæum ..... ubi multa leges de angelis, eorumque ministerio et officiis.

Genuisse. Valet, *creasse.* Vid. exempla ad lib. III, cap. 14. Huc pertinet lib. VII, cap. 5. BUNEMAN.

Genuisse regni sui ministros. Sic Apostolus de Angelis in epist. ad Hebræos cap. I, v. 14: *Nonne sunt omnes administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?* Hinc etiam B. Joannes, Apocalyps. cap. V, vers. 11, vidit illos in visione κύκλοθεν τοῦ θρόνου, *in circuitu throni*, ut exequantur mandata. Cæterum vox *genuisse* improprie sumitur a Lactantio aliisque ecclesiasticis scriptoribus pro *creasse.*

Neque deos sè vocari aut coli volunt. Coli, id est adorari. Hoc enim sensu accipi, cum de Deo aut de fictis dlis sermo est, in multis Scripturæ sacræ locis cuivis notum est. Et angeli et sancti semper prohibuerunt se adorari (*Apocal.*, *c.* XIX, *v.* 10, *et cap.* XXII; *Act. c.* X. *v.* 26, *et cap.* XIV, v. 14 *et* 17). Soli enim Deo debetur adoratio.

Quod. mss. 5 rec., *in quod;* Em., *in quo.*

Invidiam. Mss. 2 Colb. a secunda manu, *injuriam.*

Qui unum Deum dicamus, multos negemus. Ita veterrimi mss. aliique optimi. In 4 veteribus editis deest *Deum.* In mss. vero rec. 2 Reg. 1 Colb., Vict. et Brun., *Qui unum Deum dicamus, si multos negemus.*

Esse arguimus. Interposui plenam distinctionem, *esse. Arguimus.* BUNEMAN.

In diversum. Habent mss. in his Reim. et utraque Ven. 1.78, et pleræque: expono, *in contrarium*, ut Cicero alicubi *contrarius* et *diversus* junxit. Absunt ab Ven. 1471, et Rost. 1476. In Heuman. 1479, annus est vitiosus. Ipse scribit, *esse*, ac *arguimus eorum* errorem, *qui paucos putant.* BUNEMAN.

Cujus nomen exponunt. Ita legunt mss. Vaticani, 9 Reg. 6 Colb., 1 Bonon. antiq., 1 Sorbon., 2 Clarom., Jun., 2 Brun. aliique, cum editis, præter ed. Betul. et ms. Cauc. in quibus est *exponunt;* in ms. 1 Bonon., rec., tax., Lips., *explodunt.*, Omnes hæ lectiones bonæ *Exponunt;* id est, extrudunt Dei nomen qui illud pluribus tribuunt. Dei enim nomen extruditur, et foras projicitur quando aliis tribuitur. Thomasius tamen credit legendam esse, *cujus nomen explodunt*, ex antiquis codicibus; quia Dei nomen dicitur explodere et ejicere, qui illud pluribus tribuit. — *Nomen exponunt.* Cauci, *expungunt.* Servo *exponunt*, sc. contemptui, derisui. Sic ponunt scriptores sacri: Ambrosius, l. I Abrah., c. 6, fin.: *Non utique vitia Patriarcharum Scriptura* exposuit, *quos victos vino legimus; sed ut tu disceres, quid caveres;* Sulpic. Sever. Dial. I, de Virt. Monach., c. 8, 6: *Nihil omisit, quod non caperet, lacerauret,* exponeret; *præcipue vanitatem insectatus est.* BUNEMAN.

Digitized by Google

Apollini suo, qui eodem illo responso, ut Jovi principatum, sic etiam cæteris diis abstulit nomen. Tertius enim versus ostendit, Dei ministros, non deos, verum angelos appellari oportere. De se quidem ille mentitus est, qui cum sit e numero dæmonum, angelis se Dei aggregavit: denique in aliis responsis dæmonem se esse confessus est. Nam cum interrogaretur, quomodo sibi supplicari vellet, ita respondit:

Πάνσοφε, παντοδίδακτ' αἰολόστροφε, κέκλυθι, δαῖμον.

Item rursus cum precem in Apollinem Smynthium rogatus expromeret, ab hoc versu exorsus est:

Ἁρμονίη κόσμοιο, φαεσφόρε καὶ σοφὲ δαῖμον.

Quid ergo superest, nisi ut sua confessione verberibus veri Dei ac pœnæ subjaceat sempiternæ? Nam et in alio responso ita dixit:

Δαίμονες οἳ φοιτᾶσι περὶ χθόνα καὶ περὶ πόντον
Ἀκάματοι δάμανται ὑπὸ μάστιγι θεοῖο.

De utrisque generibus in secundo libro disserimus (scilicet cap. 15). Interim nobis sat est, quod, dum honorare se vult, et in cœlo collocare, confessus est, id quod res habet, quomodo sint appellandi qui Deo semper assistunt.

Retrahant ergo se homines ab erroribus et abjectis religionibus pravis, parentem suum dominumque cognoscant: cujus nec virtus æstimari potest, nec magnitudo perspici, nec principium comprehendi. Cum ad illum mentis humanæ intentio et acumen et memoria pervenerit, quasi subductis et consummatis omnibus viis, subsistit, hæret, deficit; nec est aliquid ulterius quo progredi possit. Verum quia fieri non potest, quin id quod sit, aliquando esse cœperit, consequens est, ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex se ipso sit procreatus. Ideoque ab Apolline αὐτοφυής, a Sibylla αὐτογενής, et ἀγέννητος, et ἀποίητος nominatur. Quod Seneca, homo acutus, in Exhortationibus vidit: « Nos, inquit, aliunde pendemus. Itaque ad aliquem respi-

VARIORUM NOTÆ.

Dæmonum. Dæmon apud antiquos idem est ac *angelus*; sed Lactantius ad mentem sacræ Scripturæ, *Dæmonis* nomine intelligit gentilium deos juxta illud psalmi, *omnes dii Gentilium dæmonia*.

Πάνσοφε Interpret. lat. *Omnia sapiens, omnia docte, qui circa varia versaris, exaudi dæmon.*

Αἰολόστροφε. Sic mss. 1 Reg. et Guillelmi Canteri. Regii 4, *πάνστροφε*, et sic Goth., Clar. et Brun. legisse videntur ex latina versione, *qui per multa versaris*. Alter *Clarom.*, 1 Reg., 1 Colb., ὁλοίστροφε; 2 Colb. et edd. quiddam, ἐνολοίστροφε.

Precem. Ita restituimus ex mss. estque apud Plautum. In editis est *preces*. — *Preces*. Id est diras execrationes. Vid. Davis. ad Cæs. VI Gall., 31, 5: *Omnibus* precibus *detestatus Ambiorigem*. Ovid. XV Met., 505:

Hostilique caput prece detestatus euntes.

Sic mss. Bun., Tax., Ultr., Gron. in singulari, *cum precem*, cum Reimm. habent. Buneman.

Apollinem Smynthium. Ita in mss. fere cunctis et optimis, favente Romana editione 1470, in qua est *Samnitium*: in editis, *Smyntheum*. A muribus hoc epitheton ductum est, qui σμίνθοι appellantur, Auctoribus Pausania, Strabone, et Homero, Illiad. *a*,

Τενεδοῖό τε ἶφι ἀνάσσεις, Σμινθεῦ.

Cum enim sacerdos quidam Apollinis, Crinis nomine, sacra dei neglexisset, atque ob hoc nihil penitus fructuum eo anno collegisset, omnibus rebus a muribus corrosis, tanto detrimento commotum sacerdotem consueta deo sacra peregisse, deumque illico mures omnes sagittis suis perdidisse, atque ex ea re Smintheum vocatum esse. Nam Cretenses, mures Smyntas vocavere. Betuleius.

Ἁρμονίη. Interpr. Lat.:

Concentus mundi, lucifer et sapiens dæmon.
Dæmones qui ventitant circa terram, et circa mare
Indefessi, domantur sub flagello Dei.

Honorare se vult et in cœlo collocare. Ita mss. cum omnibus editis præter Cellar. et 7 mss. rec. in quibus est *honorari et collocari*; quam lectionem vetustioribus et melioribus mss. confirmari vellem.

Deo semper assistunt. Addidimus *semper* ex mss 2 Bonon., 4 Reg. quorum duo sunt veterrimi, 6 Colb., Pen., 2 Clarom., Em., Cantab., Cauc., Jun., Brun. ac Lipsiensibus, et editis Rom. 1468, 1470, et Betul. in rec. editis deest, *semper*.—*Assistunt*. Ut apparitores Dei, I, II, c. 16, Bon., Pen., Cauc., Jun., Goth., Lips. 1, 3 Emm., Reimm., Sublac., Ven. 1471, 1497, *qui Deo* semper assistunt. Bun.

Parentem suum dominumque. Hoc sæpe urget : loca indico ad l. IV, c. 3. Buneman.

Consummatis omnibus viis. Sic emendavimus ex optimo ms. Regio-Put. et 4 aliis, ex 5 Colb., 1 Clarom., Em., Cantab. et Lipsiensibus, nec non ex veteribus editis 3, Rom., Paris. 1525, Ald., Crat., Graph. 1532. In 3 Reg. 1 Colb., 1 Clarom. et 2 Brun., *consumptis*, in quorum posteriore est *suis* pro *viis*.

Aliquid ulterius. Mss. 1 Bonon. antiquior., et Pen., *aliud ulterius*.

Verum quia fieri non potest quin id quod sit, aliquando esse cœperit. Animadversio R. P. Jo. Mariæ Brasichelli., sacri palatii apost. Magistri, excerpta ex ora ms. Reg. n. 3759: *Caute lege ista omnia ad finem usque capitis, nam vehementer abhorrent a more loquendi theologorum; neque enim Deus a seipso genitus est aut procreatus, cum nihil magis impossibile sit, quam aliquid seipsum generare aut producere. Nec videntur verba Lactantii in bonum aliquem sensum posse reduci, nisi negative a seipso genitus, id est, non ab alio genitus. Denique in hac causa quam illud absurdum: « Fieri non potest quin id, quod sit, aliquando esse cœperit. »* Vide apparatum sacrum Possevini in Gilb. Genebrardo. —*Quia fieri non potest, quin id quod sit, aliquando esse cœperit.* Locus hic immunis est ab errore; debet enim de rebus quæ existunt intelligi: ut l. II, c. 10. *Quoniam* est *apparet aliquando cœpisse*. Esse enim nulla res sine exordio potest. Confer. infra l. VII, c. 1 De Deo recte sensit, lib. IV, c. 12. cap. 13. Conf. Hockeri Biblioth. Heilsbronn. f. 48 (30). Buneman.

Quando. Ita mss. optimi et omnes ferme editi. Et hæc vox est Ciceroniana pro *quandoquidem*, vel *quoniam*. In mss. codicibus 1 Bonon., 6 Colb., Ultr., 1 Clarom. et Brun., *quoniam*.

Ex seipso sit procreatus. Notandum Lactantium errare, quando dicit Deum seipsum procreasse; quem errorem repetit Lactantius, lib. II, cap. 9. Gallæus. —*Ex seipso sit procreatus.* Haud accurate: ita fere lib. II, c. 8, *ex seipso est*. Notarunt Lactantii errorem Gall. et Sparck. Buneman.

Αὐτοφυής. Lat., *Ex se ortus*.

A Sybilla, αὐτογενής, etc. Lat., *se genitus*, et *ingenitus*, et *non factus*. Minus recte mentem christianorum explicat Lactantius per has voces αὐτοφυής et αὐτογενής, quæ excludunt creationem et generationem; atque melius explicarentur per hanc vocem quod *ex seipso sit, ex se ipso existens*; quod ex S. Athanasio probat Pearsonius.

Ἀγέννητος et ἀποίητος. Id est, non genitus nec factus. Huc redeunt Athanasiani Symboli verba, *non factus, nec creatus, nec genitus*. De quo vide Theophilum Antiochenum ad Autolicum libro II.

Homo acutus. Ita reposui ex omnibus mss ac ve-

Digitized by Google

cimus, cui, quod est optimum in nobis debeamus. Alius nos edidit; alius instruxit: Deus ipse se fecit.»

CAPUT VIII.

Quod Deus sine corpore sit, nec sexu ad procreandum egeat.

Iis igitur tot et tantis testibus comprobatur unius Dei potestate ac providentia mundum gubernari; cujus vim majestatemque tantam esse dicit in Timæo Plato, ut eam neque mente concipere, neque verbis enarrare quisquam possit, ob nimiam ejus et inæstimabilem potestatem. Dubitet vero aliquis, an quidquam difficile aut impossibile sit Deo, qui tanta tamque mirifica opera providentia excogitavit, virtute constituit, ratione perfecit; nunc autem spiritu sustentet, potestate moderetur, inexcogitabilis, ineffabilis, et nulli alii satis notus quam sibi? Unde mihi de tanta majestate sæpius cogitanti, qui deos colunt, A interdum videri solent tam cæci, tam incogitabiles, tam excordes, tam non multum a mutis animalibus differentes, qui credant eos, qui geniti sunt maris ac fœminæ coïtu, aliquid majestatis divinæque virtutis habere potuisse; cum Sibylla Erythræa dicat:

. . . . . Οὐ δύναται ἀνδρὸς
Ἐκ μητρῶν μήτρας τε θεὸς τετυπωμένος εἶναι.

Quod si est verum, sicuti est, apparet Herculem, Apollinem, Liberum, Mercurium, Jovemque ipsum cum cæteris homines fuisse; quando sunt ex duobus sexibus nati. Quid est autem tam remotum a Deo, quam id opus quod ipse ad propagandam sobolem mortalibus tribuit, et quod sine substantia corporali nullum potest esse?

B Dii ergo si sunt immortales et æterni, quid opus est altero sexu; cum successione non egeant, qui semper sunt futuri? Nam profecto in hominibus

VARIORUM NOTÆ.

teribus editis Rom. estque apud Ciceronem libro III Natur. deor., cap. 83. In cunctis fere editis est, *vir acutus*. — *Homo acutus*. Præfero scripturam Bon., Tax., Pen., Ultr., Pal., Juntar., Goth., Lips. trium, Reim., Sublac., Rost., Ven. 1471-97, *homo acutus;* ut de Opif. c. 1, *homo disertissimus*. Bun.

Quod est optimum in nobis debeamus. Ita omnes editi et mss. codices, præter unum Bonon. et 4 edit. rec. qui ex eo post *in nobis* addunt *animam:* quam vocem ut glossema expunximus.

Majestatemque tantam esse dicit in Timæo Plato. Eadem Hermes in Pœmand. et S. Justinus Parænet. C Platonem illa hausisse ex Mosis et Ægyptiorum disciplina scribit Clem., Protrept.; apud Hebræos enim nomen Dei ἀνεκφώνητον. Basil. de S. Spiritu, cap. 18. Vide Wowerum in Minuc.

In Timæo Plato. Hunc locum, quum Celsus apud Orig. l. VII, p. 360, attulisset, Origenes examinatum plenius explicat de Platone unum Deum confitente. Conf. Athenag. pro Christianis p. 26, 27; Just. Mart. Apol. II, sect. 11, ed. Ox., p. 27; Minuc. Felic. c. 19.

Ob nimiam. Mss. Jun. Cauc. et editi sex addunt *ejus:* quæ vox in cæteris deest. Hæc tamen mire hic convenit.

Dubitet vero. Recte *vero* a nobis immutatum ex omnibus mss. codicibus et ed. Cellar. pro *ergo* quod est in vulgatis.

Inexcogitabilis. Id est, cujus divinam naturam infinitasque perfectiones humana mens cogitatione ac meditatione cognoscere non potest.

De tanta majestate. Mss. 2 Bonon. et alii rec. habent *potestate*.

Incogitabiles. Id est, incogitantes, inconsiderati. Hic Lactantius imitatus est Plautum, qui Milit. Glorios., act. II, sc. 6, v. 63, scribit:

. . . . . Nunc demum scio
Me fuisse excordem, cæcum, incogitabilem.

Hæc vox est affectatio vocabuli soni grandioris, cujusmodi sunt ejus formæ omnia, quibus solet Maro majestatem suo carmini conciliare: ut, *lacrymabile bellum: ineluctabile fatum: illætabile murmur*. Alioquin religiosiores fuisse veteres Latinos in ejusmodi vocibus, docet M. Tullius, qui καταληπτὸν cum vertisset *comprehensibile*, quasi magnum aliquod ausus, *Feretis hæc?* inquit; et Seneca notat apud Mœcenatem *irremediabile*, pro ἀνηκεστὸν, epist. 114. Simile apud Lucilium, *Monstrificabile:* apud disertissimum scriptorem Lactantium, *insustentabilis dominatio*, lib. VII, cap. 16, pro eo quod Græcis ἀνυπόστατος ἀρχή, etc. Isæ. Casaubon.

Mutis animalibus differentes. Plerœque omnes edd. et ms. Goth., *a mutis;* et sic legit Heumannus. Malim cum Cellario, Reimm., Lipsienses Codd. aliosque sequi, qui dativum habent, *mutis*, more Horatii, Ciceronis. Vid. exempla in Vechner. Hellenol., p. 440, ubi Heusingerus nobiscum facit. Hic imitatur Cicer. V Fin., c. 15: *Quid animantibus differamus*. Sic Grat., Gron., Verburg. edd. Iterum Lact. l. II, c. 5: *Sol... luna* luminibus *astrorum... differunt*.

Οὐ δύναται. Lat. *Non potest ex viri femoribus et utero* (mulieris) *Deus formatus esse*. Hæc græca verba leguntur apud Theophilum libro II ad Autolicum, sed loco τεταπωμένος legendum videtur τετυπωμένος.

Sicuti est. Mira hujus formulæ elegantia. Cic. Paradox. V, c. 1: *Si servitus sit, sicut est, obedientia fracti animi*. Et pro S. Rosc. c. 8: *Quamvis ille felix sit, sicut est*. Livius VII, 35: *Si nox opportuna est eruptioni, sicut est*. — *Sicuti est*. Sic rei veritas eleganter confirmatur. Nepos in Eumene c. 1: *Apud nos revera*, sicut sunt, *scribæ mercenarii æstimantur*. Bun.

Quando sunt. Ita potiores mss. et vetustiores editi Rom., Ald., Crat., Graph., Fasitel., Gymnic., nec non Lactantius noster variis in locis pro *quandoquidem*, quod substituerunt 4 Colb., 2 Clarom. et 8 rec. editi., 5 Reg., *quoniam*.

Dii ergo si sunt immortales et æterni. Sic lego sine incisione cum mss. 2 Bonon., 1 Reg. vetustissimo aliisque duobus, Tax., Pen., 3 Lips., 6 Colb., 2 Clarom., 2 Brun.; et omnibus fere editis. In mss. 3 Reg. Goth et Betul., ac 2 ed. rec., *Diis ergo, si* D *sunt*. Magis tamen consonans videretur oratio, si legeretur, *Diis ergo, si sunt immortales et æterni, quid opus est altero sexu*.

Quid opus est altero sexu, cum successione non egeant. Ita mss. 1 Bonon. antiq., Navarr., 2 Brunn., et edd. Is., Thys., Gall., Spark., et 2 Lips. Post *altero sexu*, mss. 4 Reg. Vatic., 4 Colb., Gat., Marm., Em., Christ., Pal., Lips., Cauc., et ed. Fasitel., Betul. ac Tornes. addunt, *nimirum ut generent*. In aliis 4 Reg., 2 Colb., 1 Sorb., 1 Clarom., ac ed. vet. 2 Rom., Paris. 1525, Ald., Crat., Graph., Gymnic., *nimirum ut generentur*, quod ut glossema respuimus, velut etiam sequentia verba, *Ipsa progenie quid opus est*, quæ absunt ab antiquiore Bononiensi, a Nav. et ab editis multis. Et quidem sententia est optima, et oratio est efficacior, brevi quodam enthymemate conclusa; ut dicat utroque sexu non opus est diis, quia successione non egent, qui semper sunt futuri. — Scal. Post hæc verba legitur in ed. Sublac.,

Digitized by Google

cæterisque animantibus diversitas sexus, et coitio, et generatio nullam habet aliam rationem, nisi ut omnia genera viventium, quando sunt conditione mortalitatis obitura, mutua possint successione servari. Deo autem, qui est sempiternus, neque alter sexus, neque successio necessaria est. Dicet aliquis, ut habeat vel ministros, vel in quos ipse possit dominari. Quid igitur opus est sexu fœmineo, cum Deus, qui est omnipotens, sine usu et opera fœminæ possit filios procreare? Nam si quibusdam minutis animalibus id præstitit, ut sibi

> E foliis natos et suavibus herbis
> Ore legant :

cur existimet aliquis ipsum Deum, nisi ex permixtione sexus alterius non posse generare? Illos igitur, quos imperiti et insipientes tanquam deos et A nuncupant et adorant, nemo est tam inconsideratus, qui non intelligat fuisse mortales. Quomodo ergo, inquiet aliquis, dii creditisunt? Nimirum quia reges maximi ac potentissimi fuerint : ob merita virtutum suarum, aut munerum, aut artium repertarum, cum cari fuissent iis quibus imperitaverant, in memoriam sunt consecrati. Quod si quis dubitet, res eorum gestas, et facta consideret, quæ universa tam poetæ quam historici veteres prodiderunt.

CAPUT IX.

De Hercule et ejus vita et morte.

Hercules, qui ob virtutem clarissimus, et quasi Africanus inter deos habetur, nonne orbem terræ, B quem peragrasse ac expurgasse narratur, stupris, li-

VARIORUM NOTÆ.

nimirum ut generent? Ipsa progenie quid opus est? Hæc verba desunt in Gallæi editione ; leguntur tamen in eximia Coloniensi editione anni 1544, et in Betuleii aliisque multis : sed absunt a mss. quæ in altera parte notæ superioris referuntur. Huc referri possunt verba, quæ sunt in Orphicis :

Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔκλετο νύμφη;

sic a Soræico reddita :

Progenitor genitrixque Deum, Deus unus et omnis.

Attamen opinatur Thomasius hæc eradenda esse, velut glossema, quod ex margine in textum irrepserit. Sine his verbis sententia est optima et oratio efficacior ; eradas igitur si velis. C

Coitio. Pro *coitus, concubitus;* ut Solinus, *desiderium coitionis.* BUNEMAN.

Quando. Sic passim Lactantius pro *quandoquidem.* Plures mss., *quoniam.*

Cum Deus, qui est omnipotens, sine usu, etc. In nonnullis post *omnipotens* sequitur *ut vocatur*, quod inepte addi censet *Thomasius*, fretus auctoritate antiqui codicis Bonon. aliorumque mss. Et sane Deus non solum vocatur, verum revera est omnipotens, ut et gentiles ipsi illud divinum attributum agnoscunt. GALLÆUS.

Minutis animalibus. Apibus nempe. Vide Virg. Georg. IV, et Plinium ; inter neotericos Clusium, vulgo *de Lecluse* de Generatione Apum. Istud vero de Apum generatione habet Quintilianus, declamatione 13 : *Abest inimica virtutum voluptas castis sine labe corporibus. Solæ omnium non edunt fœtus, sed faciunt, et ut oportet animal laboriosum, ex opere nascuntur.* D

E foliis natos. Virgilii verba sunt de apibus, Georg. lib. IV, vers. 200.

Quia Reges maximi ac potentissimi fuerunt. Mss. Colb. et Brun., *fuerint.* Maximus Tyrius, Dissertat. 38, Καὶ Ἕλληνες, etc. *Et Græci quidem bonis etiam viris sacra faciunt, quorum virtutum memoriam celebrant, calamitates vero omittunt.* Et multo ante ita Persæus Citticus., is quem Aratus Sicyonius Acrocorintho ejecit ; et Cicero lib. I de Nat. deor. *Perseus* (scribe *Persæus*, ut Græce, Περσαῖος) *Zenonis auditor, eos dicit habitos Deos, a quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa, ipsasque res utiles deorum vocabulis nuncupatas*, etc. Vide Doctiss. Voss. de Idolol. Suidas in Σερούχ et Damascen. lib. de Hæres., inquit Elmenhorst., auctores sunt, Seruchum, defunctos præstantes viros adorari, et quotannis eorum memoriam celebrari jussisse, et illorum nomina in sacros commentarios referri, atque deos eos judicari, tamquam benefactores ; hinc primum ortam idololatriam, deorumque pluralitatem. Vide etiam lib. Sapientiæ, c. XIV, v. 15 ; Athanasium, adversus gentes ; Euseb. I, cap. 6 ; Theodoret., serm. III ; Nazianz., Orat. I, in Julianum. Quem locum, quia prolixior est, hic non describam. Sic et Cyprianus tractatu Quod idola dii non sunt : *Deos non esse, quos vulgus colit, hinc notum est. Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos postmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis instituta templa ; inde ad defunctorum vultus per imaginem delinendos expressa simulacra : nam et immolabant hostias, et dies festos dando honore celebrabant. Inde posteris facta sunt sacra, quæ primis fuerant assumpta solatia.* De his vide plura ad hujus lib. cap. 15. Hinc Tzetzes in varia historia, de Hercule scribens, Ptolemæum auctorem citat, quod reges omnes θεοὺς, Reginas vero θεὰς appellari fuerit solitum.

Hercules. Integrum caput abunde illustrat Munkerus ad Hygin., c. 29, 30, quem toties exscribere non est meum.

Quasi Africanus. Scipio videlicet Africanus tot virtutibus celebratus. Deest *quasi* in ms. I Claromont. In mss. rec. I Reg., I Colb. et Brun., *gentes apud Africanas.* Id est, sicut non celebratur alius inter Romanos Scipione nemo virtute præstantior : sic inter heroas nullus Hercule celebrior fuit.

Ac expurgasse. Ita mss. et editi multi, faventibus mss. 2 Bonon., 1 Reg. vet., Tax., 1 Lips., 3 Colb., 1 Clarom., Brun. et ed. Rom. 1470, in quibus *ac purgasse.* In 1 Reg., 3 Colb., Jun., Ultr., Christ., Em., *ac expugnasse :* quæ lectio præ cæteris arridet nonnullis. Hæ duæ voces Walchio superfluæ esse et glossema sapere videntur. Est autem *purgare*, inquit Cellarius, a monstris et tyrannis liberare. De Hercule vide S. Basilium magnum, serm. 21, et S. Asterium Amasenum episc., serm. 10.

Stupris. Hoc argumento etiam Arnobius, lib. IV, ejus Divinitatem oppugnat : *Ut Hercules*, inquit, *sanctus deus, natas quinquaginta de Thestio* (vel potius *Thespio*) *nocte una perdocuit, et nomen virginitatis exponere, et genitricum pondera sustinere.* Pausanias Bæot. Ἡρακλέα ταῖς θυγατράσι, etc. Hæc ita latine vertit Romulus Amasæus : *Herculem tradunt Thestii filias quinquaginta* (*tot enim erant*) *eadem nocte constuprasse, una excepta : eam, cum sola obsequi recusasset, sacerdotem sibi perpetuæ virginitatis lege data legisse. Audivi tamen alios, qui omnes plane Thestii quinquaginta filias ab Hercule eadem una nocte vitiatas, et ei singulas mares filios peperisse narrarent ; et quidem geminos, natu maximum et minimum.* Tatian. contr. Græcos, Theodorin. de Martyr. contra Græc. ser. 8, Clemens Alexandrinus hoc idem Her-

Digitized by Google

bidinibus, adulteriis inquinavit? nec mirum, cum esset adulterio genitus Alcmenæ. Quid tandem potuit in eo esse divini, quis suis ipse vitiis mancipatus, et mares et fœminas contra omnes leges infamia, dedecore, flagitio affecit? Sed ne illa quidem, quæ magna et mirabilia gessit, talia judicanda sunt; ut virtutibus divinis tribuenda videantur. Quid enim tam magnificum, si leonem aprumque superavit, si aves sagittis dejecit, si regium stabulum egessit, si viraginem vicit, cingulumque detraxit, si equos feroces cum domino interemit? Opera sunt ista fortis viri, hominis tamen. Illa enim, quæ vicit, fragilia et mortalia fuerunt. Nulla enim est (quod ait A Orator) tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit. At animum vincere, iracundiam cohibere, fortissimi est: quæ ille nec fecit unquam, nec potuit. Hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo; sed simillimum Deo judico.

Vellem adjecisset de libidine, luxuria, cupiditate, insolentia; ut virtutem ejus impleret, quem similem Deo judicabat. Non enim fortior putandus est, qui leonem, quam qui violentam in seipso inclusam feram superat, iracundiam; aut qui rapacissimas volucres dejecit, quam qui cupiditates avidissimas coercet; aut qui Amazonem bellatricem, quam qui libidinem vincit, pudoris ac famæ debellatricem; aut qui fi- B

VARIORUM NOTÆ.

culi objicit in Protrept. Suidas in θεσπιάδες. Epiphan. Anchorato, Nazianz. orat. 1 in Julian. ELMENHORST. — Et non solum has quinquaginta compressit, verum et Elienses mulieres cum exercitu suo concumbere permisit. Vide Diodorum Siculum libro IV. Chalciopen, Eurypili filiam, vitiavit: Iolem, Euryti filiam, vi abstulit: ejus concubitus cum Alcimedontis filia, etc., diversis locis Pausanias tradit. V. Betuleium.

Alcmenæ. Amphitrionis uxoris. Arnobius lib. IV, scribit: *Jovem in Alcmena novem continuis noctibus pervigilasse; atque ex illo concubitu natum Herculem, qui patris transivit exsuperavitque in hujusmodi rebus virtutes.* Hoc etiam testatur Clemens Protrept., Servius in VIII Æneid. et Lucian. Dial. deor. scribunt Jovem trinoctium, Plaut. Prolog. Amphitr. unam saltem, sed longiorem; Hieron. tom. II, advers. Vigilant., cap. 4, Ovidius lib. I Amor, Eleg. 13, et Hygin. fab. 39, duas noctes congeminasse, dum cum C Alcmena cubat. ELMENHORST.

Gessit. Mss. 1 Colb. et Brun. addunt, *ut vultis.*

Leonem. Nemæum discerpsit ac dilaceravit. Ovid. Metamorph. lib. IX, fab. 3.

Aprumque. Menalium, sive Erymanthium, Arcadiæ vastatorem cepit vivum. Ovid. Metamorph. lib. IX, fab. 3. — *Si leonem aprumque.* Noti labores Herculis. Hyginum lege fab. 30; Diodor. Sic. lib. IV, c. 9, seq.

Si aves sagittis dejecit? Stymphalidas, a Stymphalo Arcadiæ oppido et Stymphalide palude dictas. —

Si aves dejecit. Infra, *volucres dejicit.* Verbum venatorum *dejicere.* Vid. Virgil. lib. V Æn., 542, et II Æn., 580. BUN.

Stabulum. Scilicet Augiæ, Eliensium regis, quod purgavit superinducto in stabulum Alcæo fluvio. Pausanias in Eliacis I, c. 1; Diodor. Sicul. lib. IV, cap. 13.

Si viraginem vicit. Vitiose in plerisque mss. et nonnullis editis, *virginem.* Legere malo cum 3 Reg., 1 Colb. Brun., et pluribus impressis *viraginem,* Hippolyten scilicet, Amazonum reginam. Justinus, qui lib. II, Herculis cum Amazonibus bellum describit, non Balteum, vel cingulum (ζωστῆρα), sed arma habet. Varias de hac re sententias refert Isacius Tzetzes in Lycophroniano commentario. BETUL. — *Viraginem vicit.* Volunt nonnulli, *viraginem* valere *virginem fortem;* unde infra *Amazonem bellatricem* vocat.

Domino. Scilicet Diomede, Rege Thraciæ, de quo Ovidius Metamorph. lib. IX, fab. 3.

Quod ait Orator. Ita restituimus ex omnibus mss. Præterquam 1 Claromont. in quo, sicut et in plerisque editis, est *ut ait Orator,* id est Cicero Oratione pro Marcello. — *Quod ait.* lib. III, c. 19. *Non dissimile illud Platonis est, quod aiebat.* Lib. VI, cap. 11: *Verumque est illud Ciceronis, quod ait,* etc. BUN.

Quæ non ferro. Sic habent mss. et editi omnes quos hactenus videre licuit, et Cicero ipse, cujus est hæc sententia. Bonon. tamen antiquior habet, *quæ ferro ac viribus debilitari frangique non possit.*

Cohibere. De hac victoria vide Ambrosium de Officiis, et Prudentium, ubi est virtutum cum vitiis monomachiæ descriptio.

Hæc qui faciat. Goth. *hæc qui facit,* sicuti Grævius ex Erfurt. cod. in Ciceronе restituit. BUN.

Non ego eum cum summis viris comparo. Ego excudendum curavi ut est in mss. 3 opt., Reg., Bonon. antiq., 1 Colb., 2 Brun., et apud ipsum Tullium. Illa enim *tantum solummodo,* elegantер ad Græcorum imitationem plerumque negationi subintellecta, quam addita malunt Latini, sequente adversativa, quamvis *et aut etiam* non addatur. Isæus, qui de eo plura exempla adducit. — In aliis est, *non modo ego eum,* etc.

Simillimum Deo judico. Apuleius lib. de Deo Socr. *Nihil est Deo similius et gratius, quam vir unimo perfecte bonus.* Plinius initio Panegyr.: *Quid enim est præstabilius aut pulchrius munere deorum, quam castus et sanctus et diis simillimus princeps?* Idem Musonius, de re eadem apud Stobæum, ser. 46. Aristot. etiam Polit. lib. III, cap. 9, hominem virtute præstantem θεὸν ἐν ἀνθρώποις εἶναι, *esse* tanquam *Deum inter homines* existimat. Plura de hoc vide lib. de Ira Dei, cap. 19. VALLINUS.

Similem Deo. Julium scilicet Cæsarem propter clementiam.

Putandus est. Sic legere malo cum omnibus pene mss. inter quos sunt optimi et vetustissimi 2 Reg. 900 annor. et 2 Bonon. quam cum Cauc., Jun. ac editis, *judicandus est.* Plura vide apud Lactantium lib. *de Ira Dei,* cap. 19.

Quam qui violentiam in se, etc. Plerique impressi et mss. habent *violentiam;* sed Isæus post Thomasium correxit, legitque, *qui leonem, quam qui violentam in se ipso inclusam feram superat iracundiam.* Sic etiam D habent 1 Bon. antiq., 2 Reg., 1 Claromt. et 2 Colb.; quod mihi valde probatur; nam oratio ipsa elegantior est ac gravior. Quod si legamus *violentiam,* non video, quæ ratio reddi posset, cur iracundiam appellaverit feram in seipso inclusam, cum violentia sit acerbior quædam iracundia; ita, cum unum uni tantum comparare, et leonem assumat, illum sine dubio cum violenta illa fera iracundia comparat.

Rapacissimas volucres dejicit. Sagittis interfecit; Hygin. Fab. 30, quod negat Apollonius lib. II, v. 1055, æneo crepitaculo potius et tinnitu, quam arcu, abegisse contendens. BUN.

Amazonem bellatricem. Amazonum nonnen tractum est ab alterius mammæ jactura: *dextram quippe mammam ab infantia inurebant, ne sagittarum jactum impediret;* quod fabulosum non esse prorsus colligere est ex Platone, de Legibus, lib. VII. Aliquid simile habet Hippocrates in re seria de Scythis sui temporis. BOCHARTUS.

Quam qui... famæ debellatricem. Hæc desunt in ed. Sublacensi.

Digitized by Google

mum de stabulo, quam qui vitia de corde suo egerit, quæ magis sunt perniciosa, quia domestica et propria mala sunt, quam illa, quæ et vitari poterant et caveri. Ex quo fit, ut ille solus vir fortis debeat judicari, qui temperans, moderatus et justus est. Quod si cogitet aliquis, quæ sint Dei opera : jam hæc omnia, quæ mirantur homines ineptissimi, ridicula judicabit. Illa enim non divinis virtutibus, quas ignorant, sed infirmitate suarum virium metiuntur. Nam illud quidem nemo negabit, Herculem non Eurystheo tantum servisse regi, quod aliquatenus honestum videri potest; sed etiam impudicæ mulieri Omphalæ, quæ illum vestibus suis indutum sedere ad pedes suos jubebat pensa facientem : detestabilis turpitudo! sed tanti erat voluptas. Quid tu, inquiet aliquis, poetisne credendum putas? Quidni putem? Non enim ista Lucilius narrat, aut Lucianus, qui diis et hominibus non pepercit; sed hi potissimum, qui deorum laudes canebant.

Quibus igitur credemus, si fidem laudantibus non habemus? Qui hos mentiri putat, proferat alios quibus credamus auctores, qui nos doceant, qui sint isti dii, quomodo, unde orti; quæ sit vis eorum, qui numerus, quæ potestas, quid in his admirabile, quid cultu dignum, quod denique certius veriusque mysterium : nullos dabit. Credamus igitur istis, qui non ut reprehenderent sunt locuti; sed ut prædicarent. Navigavit ergo cum Argonautis, expugnavitque Trojam, iratus Laomedonti ob negatam sibi pro filiæ salute mercedem : unde, quo tempore fuerit, apparet. Idem furore atque insania percitus, uxorem suam cum liberis interemit. Hunc homines deum putant? sed Philocteta ejus hæres non putavit, qui facem supposuit arsuro, qui artus ejus et nervos cremari ac diffluere vidit, qui ossa ejus ac cineres in Œteo monte sepelivit, pro quo munere sagittas ejus accepit.

CAPUT X.

De Æsculapii, Apollinis, Neptuni, Martis, Castoris et Pollucis, Mercurii atque Liberi vita et gestis.

Æsculapius et ipse non sine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud divinis honoribus dignum, nisi quod sanavit Hippolytum? mortem sane habuit clariorem, quod a Deo meruit fulminari. Hunc Tarquitius de illustribus viris disserens, ait incertis parentibus natum, expositum, et a venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chironi traditum, didicisse medicinam : fuisse autem Messenium, sed Epidauri moratum. Tullius etiam Cynosuris ait sepul-

VARIORUM NOTÆ.

Temperans est, et moderatus, et. Reimm. *qui temperans et moderatus est, et justus.* Non male. Bun.

Eurystheo. Regi Mycenarum. V. Diodor., l. iv, c. 9, et Betul.

Omphalæ. Lydiæ reginæ. Vide Fulgent., Mythol., lib. ii, c. 5; Diodor. Sicul., lib. iv, c. 31; Hygin., Fab. 32; Elmenhorst. in Arnob. libro iv, apud Lucianum, Æsculapium et Statium.

Turpitudo. Ms. Jun. legit *fortitudo*, sed male. Vide Ovidium in Heroicis.

Non enim ista Lucilius. Vitiorum notator acerrimus. Videndi Juvenalis Sat. 1, de hoc Lucilio poeta, et Persius Sat. 1.

Quod denique certius veriusque mysterium. Sic cum reliquis Reimm. *Non credit* Heumannus, *Lactantii esse hæc verba;* at mihi videntur vel maxime necessaria propter suspectos mendacii poetas, qui illa mysteria revelaverant. Hinc cap. 12, *revelavimus mysterium poetarum*, quibus rejectis, certius veriusque mysterium erat requirendum. Conf. c. 15, c. 21.

Nullos dabit. Mss. rec., 3 Colb. et 1 Bonon. cum ed. Rom. 1470, Paris. 1525, Graph., Gymnic., Is., *nullus dabit.*

Argonautis. Argonautarum navigatio facta fuit 83 annos ante Trojanum excidium, vel 32 annos antequam regnaret Thesæus. Vide Apollonium et Valerium Flaccum in Argonauticis.

Trojam. Hæc quidem obsidio 40 annis ante Trojam a Græcis direptam, in qua Laomedontem regno privavit Hercules.

Filiæ. Hesiones, quam a monstro vorandam redemit Hercules.

Insania percitus. A Junone, quæ scilicet ipsi infesta erat. Vide Herculem furentem Euripidis atque etiam Senecæ.

Uxorem. Cui nomen erat Megara, Creontis Menœcei filii natam. Vide Epitomen Lactantii, cap. 7, atque Apollodorum, lib. ii.

Philocteta. Ita restituimus ex mss.; ad hoc enim cuncti conveniunt. In editis est *Philoctetes.* De hoc lege Servium ad Æneid. iii. Cæterum de Philoctetæ interitu et *inhumati*, lege Ovid. lib. xiii Metamorph.; fab. 4. Ejus historia est apud Philostratum in heroicis, cap. 6. Betuleius.

Qui ossa ejus ac cineres in Œteo monte sepelivit. Vibius Sequester de Montibus : *Œta mons Thraciæ, ubi Hercules est combustus.* Cyprianus de idolis : *Hercules ut hominem exuat, Œteis ignibus concrematur.* Videsis Mythologos, Hyginum, fab. 36; Servium ad Ecl. 8 et viii Æneid.; Augustin., de Civ. Dei, lib. xviii, cap. 4. *Ex* Elmenhorst.— Arnobius lib. iv ex Plutarcho, ait id factum esse post comitialis morbi ruinas; unde et iste morbus ab Aristot. in Problem. Herculeus vocatur.

Œteo. Præstat mss. pene omnes sequi, quam *Œta* vulgatorum, et quorumdam Vaticanorum. 1 Lips. habet, *in Œtæo monte Thessaliæ.* Sic et apud Ciceronem lib. iii de Natura deor., c. 40, *in monte Œtæo.*

Flagitio. Id est adulterio Apollinis cum Arsinoe vel Coronide, ut Pindarus ait, atque Arnobius lib i et vii.

Hippolytum. Thesei filium.

Quod a deo meruit fulminari. Arnob. lib. iv, testatur illum *fulminis telo fuisse transfixum;* et Tertullian. rationem reddit quare meruerit fulminari, Apol. cap. 14 : *Est de Lyricis (Pindarum dico) qui Æsculapium canit avaritiæ merito, quod medicinam nocenter exercebat, fulmine vindicatum.* Locus ad quem respexit Tertull. est Pyth. Od. 3. De Æsculapio vide Pausaniam in Corinthiacis, ac Diodorum Siculum lib. iv, Virgil. lib. vii Æneid.

Hunc Tarquitius. Ammianus Marcellinus lib. xxv, c. 6, de hoc auctore : *Ex Tarquitianis libris in titulo, De rebus divinis, relatum esse.* Memorat etiam Macrobius Saturn. iii, c, 7. Buneman.

Chironi. De Mort. Pers. cap. 33 Vid Apollodor. l. i p. 5, et lib. iii, § 3, pag. 198. Buneman.

Epidauri moratum. Ita ed. et mss. ferme omnes; 1 Clarom. *commoratum;* mss. 1 R., 1 Colb. et 1 Brun., *mortuum.* Epidaurus est urbs in Achaia, Noronico quasi marmore redimita, Æsculapii delubro percelebris : hinc *Epidaurius* vocatur Æsculapius.

Cynosuris. Cic. Nat. deor. lib. iii, c. 22. Cynosura

Digitized by Google

tum. Quid Apollo pater ejus? Nonne ob amorem, quo flagrabat, turpissime gregem pavit alienum, et muros Laomedonti exstruxit, cum Neptuno mercede conductus, quæ illi negari potuit impune, ab eoque primo Rex perfidus, quidquid cum diis pepigisset, didicit abnegare. Idem formosum puerum et dum amat, violavit; et dum ludit, occidit.

Homicida Mars, et per gratiam cædis crimine ab Atheniensibus liberatus, ne videretur nimis ferus et immanis, adulterium cum Venere commisit. Castor et Pollux, dum alienas sponsas rapiunt, esse gemini desierunt. Nam livore injuriæ concitatus Idas, alterum gladio transverberavit; et eosdem poetæ alternis vivere alternis mori narrant: ut jam sint non deorum tantum, sed omnium mortalium miserrimi, quibus semel mori non licet. Hos tamen Homerus ambos simpliciter (non ut poetæ solent) mortuos esse testatur. Nam cum faceret in muris assidentem Priamo Helenam, cunctos Græciæ principes recognoscere, solos autem se fratres suos requirere, subjeccit orationi ejus hujusmodi versum:

Ὡς φάτο, τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν φυνίζοος αἶα.

Fur ac nebulo Mercurius, quid ad famam sui reliquit nisi memoriam fraudum suarum? Cœlo scilicet

VARIORUM NOTÆ.

urbs est in Arcadia, ubi est et promontorium ejusdem nomminis.

Apollo. Tertull. Apol. c. 14; Minuc. c. 22, et notas. BUNEMAN.

Flagrabat. Sic restitutum ex omnibus pene mss. ac veteribus editis. Mss. rec. 2 Reg., 1 Colb. et quidam rec. editi, *flagravit.*

Turpissime gregem pavit alienum. Nempe Admeti. Hujus pastoritii muneris meminere Orpheus, in Argonaut.; Homerus, Iliad. β; Pindarus, Pyth., Od. 9; Callimachus, Hymno in Apoll.; Euripid., in Alcestid.; Q. Smyrnæus, lib. III παραλ.; Apollonius Rhodius, IV Argonaut.; Coluthus, de raptu Helenæ; Pausanias, lib. VII; Diodorus Siculus, lib. V; Plutarchus, in Numa; Lucianus, de Sacrificiis; Clem. Alexand., Προτρεπτ.; Virg., III Georg.; Ovid., II Metamorph., Tibullus, lib. II, Eleg. 3, et lib. III, El. 4; Lucanus, lib. VI; Hyg., fab. 50; Val. Flaccus, Argon.; Macrob., lib. I Satur., cap. 17; Tatianus, in Oratione; Arnob., lib. IV; Augustinus, de Civ. Dei, lib. XVIII, c. 13; Sidonius Narbon. aliique. Fabulam sic referunt veteres, Apollinem succensuisse Jovi, ob filium interemptum, ac propterea sagittis ejus confectos Cyclopas, qui Jovi fulmina fabricarent: tum Jovem aiunt ita excanduisse, ut Apollinem cœlo relegaret in terras, ubi is inopia adactus, confugerit ad Thessaliæ regem Admetum, ejusque pecus paverit.

Neptuno. Vide Tertull. Apologet. cap. 13, atque Tatianum contra Græcos, Ovidium lib. XI Metamorph. — Non est hic Neptunus Jovis frater; multo enim hunc Trojani muri conditorem, illo juniorem esse ex temporum ratione liquet. De eo, qui cum Apolline muros condidit Trojanos, placet sententia eorum, quæ est in Eustath. ad Il. φ.

Quæ illi negari potuit impune. In mss. rec., 2 Colb., 2 Brun. et edit. Tornes., *negare.* In Jun. et 1 Colb., *quæ ille negare*, etc. In 1 Bonon. antiq., Ultr., 1 Clarom., *quam illi negavit.* Negata igitur a perfido Laomedonte merces, atque ob id a Neptuno inundatio, ab Apolline pestis in urbem fuit immissa. Vide Ovidium lib. XI Metamorphos.

Ab eoque primo rex perfidus. Ab eo tempore, rex primum perfidus in deos; nam iterum mox perfidus fuit in Herculem Argonautam; Hygin. ibid. CELL.

Idem formosum puerum. Hyacinthum, Amyclæ et Diomedæ filium, Cynorti fratrem, ab Apolline valde adamatum, sed ab eodem per imprudentiam quoque occisum, lusu disci, qui ab Apolline jactus, in Hyacinthi caput cecidit; et cum Apollo diu multumque artem suam nequicquam experiretur, Hyacinthum in florem sui nominis convertit. Vide Apollodorum lib. II Bibliot. BETULEIUS.

Per gratiam. De Ira c. 20. *Qui judicia eludunt* per gratiam, *vel potentiam*, BUNEMAN.

Per gratiam cædis. De hac cæde et judicio legitur Epocha III, in marmoribus Arundellianis. Id evenit 1532 annis ante vulgarem æram; vide etiam Pausaniam et Suidam. Ab hoc judicio judices nomen Areopagi sortiti sunt; Ἄρης græce idem atque Mars latino sermone.

Adulterium. Quod describitur ab Homero Odyss. θ, Ovidio lib IV Metamorph. a Luciano in dialogo Apollinis et Mercurii, ab Arnobio lib. V adversus Gentes.

Castor et Pollux. De Castore et Polluce vide Theocritum, Idyl. 22; Joan. Tzetzen, Chiliade II variæ historiæ; et Arnobium, lib. IV contra Gentes. Rapuerunt ii Phœben et Naciram, Leucippi filias, Idæ et Lyncei Apharei filiorum sponsas.

Dum alienas sponsas rapiunt. Hygin. Fab. 80. CELL.

Livore. Ita mss. cum veteribus editis Rom., Ald., Paris. 1525, Graph., Crat., Gymnic., favente vet. et optimo codice Regio-Puteano, in quo est *labore* corrupte (ut puto) pro *livore*, *b* pro *v*. In 5 mss. rec. et posterioribus editis, *dolore.*

Dolore injuriæ. Sic Goth. cum Gryph., Thom. et recentioribus. At mss. Lips., Angl., Reimm., Sublac., Rost., Rom., Ven. 1471, 1515, Junt., Paris., Gymn., *livore injuriæ.* Heumann., *livore et injuria.* Nihil muto. Sic Sal. Cat. 28, 4, *dolore injuriæ.* Livius I, 40, *injuriæ dolor ... eos stimulabat.* Phædr. IV, 24, 17, *dolens injuria.* Ipse Lact. de Mort. Pers. c. 83, *Constupratis uxoribus ... quum* dolorem *ferre non possent*, sc. mariti. Boethius l. IV Consol. ineunte: *Ob injuriæ dolorem nuper oblita.* BUNEMAN.

Idas. Sponsus alterius raptæ. Hygin. fab. 80. Idas fulmine periit, ait Homeri commentator.

Poetæ. Virgilii Æneid. lib. VI, vers. 121.

Ὡς φάτο. Lat ex mss. 1 Colb. et Brun. Vide Homerum III Illiad. et Ciceronem libro III de Natura deorum.

Sic ait: ast illos retinebat terra sepultos.

Multi editi, *Hæc ait.* Hunc versum in pluribus editis repertum e textu abstulimus, velut interpretationem, quæ ex ora libri in textum irrepserit in postremis editionibus.

Fur ac nebulo Mercurius. Fulgent. Mythol.: *Mercurium dicunt internuncium furatrinumque deum. Hunc*, inquit idem Fulgentius, *deum Furti et præsulem volunt, quod nihil intersit inter negotiantis rapinam atque perjurium, furantisque dejerationem et raptum.* Arnob. lib. IV: *Numquid furem Mercurium publicavimus.* Prudentius Hamartig.:

Expertes furandi homines hac imbuit arte
Mercurius, Maia genitus: nunc magnus habetur
Ille Deus, cujus dedit experientia fures.

Hinc Mercur. ab Aristoph. in Pluto, τειχορύχος, *effractor parietum*, vocatur. βουκλόπον alii, *boum furem*, dixerunt. *Ex* ELMENH. *et* BETULEIO.

Digitized by Google

dignus, quia palæstram docuit, et lyram primus invenit. Liberum patrem in senatu deorum summæ auctoritatis primæque esse sententiæ necesse est; quia præter Jovem solus omnium triumphavit, exercitum duxit, Indos debellavit. Sed invictus ille Imperator Indicus, maximus ab amore ac libidine turpissime victus est. Delatus enim Cretam cum semiviro comitatu, nactus est impudicam mulierem in littore ac fiducia victoriæ Indicæ vir esse, voluit, ne nimium mollis videretur atque illam patris proditricem, fratris inte remptricem, ab alio relictam et repudiatam, in conjugium sibi vendicavit, et Liberam fecit, et cum ea pariter ascendit in cœlum.

Quid horum omnium pater Jupiter, qui in solemni precatione Optimus, Maximus nominatur? nonne a prima sua pueritia impius ac pene parricida deprehenditur? cum patrem regno expulit ac fugavit, nec expectavit mortem decrepiti senis, cupiditate regnandi: et cum paternum solium per vim, per arma cepisset, bello est a Titanibus lacessitus; quod

VARIORUM NOTÆ.

Quia palæstram docuit, et lyram, etc. De illo Horatius, lib. I, Ode 10:

Mercuri facunde, nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, et decoræ
More palestræ, etc.

et lib. III, Ode 2. Vide Homeri Hymnum in Mercurium. BETULEIUS.

Et lyram primus invenit. Hygin. Astron. II, cap. 7. CELL.

Primæque esse sententiæ. Primæ aut secundæ sententiæ esse dicebantur proprie senatores, non consules: horum erat relatio; illorum sententiæ dictio. Primi sententias rogabantur Coss. designati, aut si ii nulli essent, princeps senatus: *quare primæ sententiæ senator, et princeps senatus* tantumdem valent. Trebellius Pollio in Pisone tyranno: *Aurelius Fuscus consularis primæ sententiæ qui in locum Valeriani successerat.* Valerianum autem Capitolinus in Gordianis vocat *principem senatus*; Trebellius, *clarissimum principem civitatis.* Vopiscus in Aureliano: *Tunc surrexit primæ sententiæ Ulpius Syllanus.* Ita sæpe legas *primæ sententiæ senatorem*; etiam in lapide, qui honori Symmachi fuit dicatus, QUI. PRIMUS. IN. SENATU. SENTENTIAM. ROGARI SOLITUS. Huc allusit Lactantius hoc loco. Is. CASAUB.

Indos debellavit. Diodorus Siculus libro IV; Orosius, lib. I, cap. 9: *Ea tempestate subactam Indiam Liber pater sanguine madefecit, cædibus opplevit, libidinibus polluit, gentem utique nulli unquam obnoxiam, vernacula tantum quiete contentam.* Ejus stratagemata aliqua enumerat Polyænus, Chil. I. Vide Arrianum, lib. VIII. *Ex* BETULEIO.

Indicus. Hoc cognomine scilicet more Romano donatus Bacchus ex devicta gente, sicut Imperatores dicti Parthici, Germanici, Britannici. Walchius legendum putat, *Indisque maximus.* In nonnullis editis rec. est *Inclytus.*

Ab amore ac libidine. Ita Vetustiss. et optimi mss. Bonon., Regii, Cauc., aliique multi, necnon editi. In 16 mss. rec. male, *ob amorem ac libidinem.* Quæ ultima lectio minus arridet Thomasio, quam *ab amore et libidine.* Nam si diceretur Liberum ob amorem fuisse victum, innui videretur amorem et libidinem ei fuisse causam, quare ab aliquo victus fuerit; cum tamen nesciamus ab aliquo duce Liberum in illa Indica expeditione victum fuisse. A libidine tamen, qua in Ariadnen exarsit, victus fuit.

Delatus enim Cretam. Sic restituimus ex cunctis mss. codicibus, et antiquis editionibus Romanis, Tornes. et Veneta ante Aldum, cujus est *Diam*, quem recentes editiones secuti sunt, Diodori Siculi, lib. V, c. 51, auctoritate moti: at cum Cellario nullus dubito quin Lactantius scripserit *Cretam*, quia illustrior est quam parva *Dia*, 70 stadiis a Cretensi litore remota, ut Strabo sub finem libri X tradit; cui potius credo quam Diodoro, qui Naxum postea vocatam ait.

Cum semiviro comitatu. Qui ex viris et fœminis constabat: quia Bacchus non solum viros, verum et fœminas in suo exercitu habuit. Moris enim erat apud Persas et Assyrios (verba sunt Bocharti in lib. de Col. Phœn.) ut in bellicis expeditionibus uxores viris adessent: sic Darius in Alexandrum dimicaturus uxorem matremque et aliarum fœminarum gregem circumducebat. Quin et Indicæ mulieres viris συστρατεύουσι, *omni armorum genere instructæ*: ita refertur a Megasthene apud Strabonem lib. XV. Hæ mulieres quæ Libero in expeditione Indica adfuerunt, *Bacchæ*, sive *Bacchantes*, fuerunt appellatæ, sic dictæ a luctu, (*Ezech.* VIII), quia Bacchi sacra multo cum fletu et ululatu celebrabantur. Vide *Bochart.* loco citato. Hæc verba, *cum semiviro comitatu*, ex Virgilio, Æneid. IV, vers. 215, desumpta sunt. De hoc Liberi comitatu vide S. Augustin. de Civit. Dei, lib. XVIII, cap. 13.

Impudicam mulierem in littore. Ms. Bonon. antiq. solus addit *Arrianen*, non *Ariadnam*, ut est inter varias lectiones edit. Gallæi. In ms. Taurin. Epitom. est, *Arianam*, c. 8.

Ne nimium mollis. Mss. 1 Colb., Em., Christ., *nimirum*: quod Cellario placet.

Patris. Minois: *fratris*, Minotauri: *alio*, Thesea.

Vendicavit. Mss. 5 Reg. et 1 Clarom. a secunda manu, *vindicavit*: nec male.

Et Liberam fecit. Jocus est. Cum, inquit is, Liber esset, sibimet eam copulando Liberam fecit, et cum ea pariter in cœlum ascendit. Neque enim τὸ *Liberam*, hic accipi potest, ut, contra *servam*, distinguitur, cum nusquam sit proditum, Liberi patris ope ab ulla servitute Ariadnem liberam factam; ideo contra cæteras editiones majori littera hoc nomen scripsimus. Erat autem apud gentes et dea quæ Libera vocabatur, de qua Cic., II de Nat. deor et VI Act. in Verrem; Tacit., lib. II; Livius, I, 3 decad.; Arnob., V; August., VI de Civit., cap. 19. Hanc alii Cererem, alii Venerem, quidam Proserpinam fuisse aiunt. Sed Ovid. de Ariadne loquitur, lib. III. Fast., vers. 512, ad quos versus procul dubio respexit Lactantius cum hæc scriberet:

Tu mihi juncta thoro, mihi juncta vocabula sumes;
Nam tibi mutatæ Libera nomen erit. Isæus.

Adscendit in cœlum. Goth. *ascendit ad cœlos.* Non male. At Ciceronis est, *adscendere in cœlum*; item, *adscendere cœlum.* BUNEMAN.

Optimus, maximus nominatur. Jovem Capitolinum *propter beneficia Pop. Rom. optimum, propter vim, maximum nominavit*, teste Cic. de Nat. deor. I, II, et in epilogo Orationis pro Domo sua in solemni precatione. Hunc titulum gentiles semper tribuebant Jovi, ideo ut eos salvos, incolumes et opulentos redderet. Inscriptio vetus:

OPTIMUS. MAXIMUS. CÆLUS.
ÆTERNUS. JUPITER.

Expulit. Huc refer Virgilii verba Æn. lib. VIII:

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens.

De hac fabula vide S. Augustin., lib. VII de Civit. Dei, cap. 26. Videatur et Cicero lib. II de Natura deor.

Titanibus. De hoc bello vide Hesiodum, in Theo-

Digitized by Google

humano generi principium fuit malorum : quibus victis, et pace in perpetuum comparata, reliquam suam vitam in stupris adulteriisque consumpsit. Omitto virgines, quas imminuit. Id enim tolerabile judicari solet. Amphitryonem ac Tyndarum præterire non possum, quorum domos dedecore atque infamia plenissimas reddidit. Illud vero summæ impietatis ac sceleris, quod regium puerum rapuit ad stuprum. Parum enim videbatur, si in expugnanda fœminarum pudicitia maculosus esset ac turpis, nisi etiam sexui suo injuriam faceret ; hoc est verum adulterium, quod fit contra naturam. Hæc qui fecit viderimus, an maximus ; certe optimus non est : quod nomen a corruptoribus, ab adulteris, ab incestis abest ; nisi forte nos erramus homines, qui talia facientes sceleratos vocamus, ac perditos, omnibusque pœnis dignissimos judicamus. Stultus autem Marcus Tullius, qui C. Verri adulteria objecit : eadem enim Jupiter, quem colebat, admisit ; qui P. Clodio sororis incestum : at illi Optimo Maximo eadem fuit *et soror et conjux*.

A

B

CAPUT XI

De Jovis ortu, vita, regno, nomine et morte, et de Saturno et Urano.

Quis est igitur tam excors, qui hunc in cœlo regnare putet, qui ne in terra quidem debuit ? Non insulse quidam poeta triumphum Cupidinis scripsit : quo in libro non modo potentissimum deorum Cupidinem, sed etiam victorem facit. Enumeratis enim amoribus singulorum, quibus in potestatem Cupidinis ditionemque venissent, instruit pompam, in qua Jupiter cum cæteris diis ante currum triumphantis ducitur catenatus. Eleganter id quidem a poeta figuratum : sed tamen non multum distat a vero. Qui enim virtutis est expers, qui a cupiditate ac libidinibus malis vincitur, non Cupidini (ut ille finxit), sed morti subjectus est sempiternæ. Sed omittamus de moribus dicere : rem consideremus ; ut intelligant homines, in quibus miseri versentur erroribus. Regnare in cœlo Jovem vulgus existimat : id et doctis pariter et indoctis persuasum est. Quod et Religio ipsa, et precationes, et hymni, et delubra, et simulacra demonstrant. Eumdem tamen Saturno et Rhea genitum confitentur. Quomodo potest Deus videri, aut credi (ut ait poeta) :

C

. . . . . Hominum rerumque repertor,

ante cujus ortum infinita hominum millia fuerunt ? eorum scilicet, qui Saturno regnante vixerunt ; ac priores luce, quam Jupiter, sunt potiti. Video alium Deum regem fuisse primis temporibus, alium consequentibus. Potest ergo fieri, ut alius sit postea futurus. Si enim regnum prius mutatum est : cur despe-

VARIORUM NOTÆ.

gon. ; Ovidium, lib. v Metamorph. ; et Claudianum, in Gigantomachia.

In stupris adulteriisque. Jovis adulteria et stupra lege apud Arnobium lib. IV et V, et Epiphan. in Anchorato.

Omitto, etc In omnibus Lactantii libris passim usitatus hic loquendi modus.

Virgines quas imminuit. Vide similem locutionem libro de Mort. Persec., c. 38.

Id enim tolerabile. Ed. Sublac. habet *intolerabile*, minus recte.

Amphitryonem ac Tyndarum. Amphitryo princeps fuit Thebanus, e cujus uxore Alcmena Jupiter Herculem genuit. Tyndarus vero rex fuit Œbaliæ in Peloponneso, hic Lædam uxorem habuit. Ex ea et Jove nati sunt Pollux et Helena.

Regium puerum rapuit ad stuprum. Scilicet Ganymedem Trois Trojanorum regis filium. De illo Homer. Iliad.. Virgil., Æn. V, Ovid. in Metam., Lucianus in dialogis aliquot, Cæsar Germanicus in Aquario, Herodian. lib. I, Oros. l. I, c. 12.

Maculosus. Pollutus, contaminatus. Tacitus Hist. III, cap. 58, *omni dedecore maculosus*. BUN.

Adulterium, quod fit contra naturam. Turpissimum, detestabile, et summe nefandum Pæderastiæ crimen, quod Plato lib. I de Leg. ut sceleratum et impurissimum execratur, appellatque ut hic Lactantius Τὸ παρὰ φύσιν τόλμημα. Christianiss. Impp, Constantinus et Constantius primi obviam iverunt huic sceleratæ temeritati, et laudabili lege lata, qua infamibus hisce pædiconibus, infamia et capitalia irrogant supplicia, malum hoc sustulerunt de terra. Vide lib. III Cod. Theodos. ad L. Juliam de Adulter. ; lib. III Cod. Just. ad Legem Juliam de Adulter. ; Novellam LXXI et CXLI. *Ex* ELMENHORST.

Verri adulteria... Clodio incestum. Vide Ciceron. Act. II in Verrem, et Orat. pro M. Cœlio.

Et soror et conjux. Vide Virgilium, Æneid. I, 1 ; Ovidium, lib. III Metamorph. ; sicut et Horat. III, Odar., 5 ; Macrobium et Plutarchum. Id in usu erat apud Orientales.

Excors. Sine corde, vel sine animo.

Quidam poeta triumphum Cupidinis scripsit. Ignotum, qui fuerit poeta, nec liber ejus ad nostra tempora pervenit. Huc respexit auctor libri de Pudicitia apud Cypr. ubi scripsit : *Impudicitia hominem sub triumphum libidinis mittit*. Poetæ nomen ignotum quoque confitetur Nic. Abram. ad Cic. in Pison. c. 25. BUNEMAN.

Potestatem. Sic apud Lucianum Jupiter Cupidini exprobrat, quod ipsum fecerit *Satyrum, Taurum, aurum* et alia, quæ ipsi Jovi in dedecus verterunt.

Cupiditate. Ita mss. codices. Editi, *cupiditatibus*.

Regnare in cœlo Jovem. Cœlo tonantem credidimus Jovem, ait Horatius III Od., 5. Fingitur Jupiter cœli esse dominus, quia illi obtigerunt excelsa loca, præcipue vero Africa, cujus magna pars cum sit inter tropicos, solem habet et reliquos planetas supra verticem, unde est quod putatur esse cœlo proxima. V. *Lucanum* lib. IX.

Hymni. Hymnos ad Jovem vide apud Callimachum.

Delubra. Delubrum est locus, in quo Dei simulacrum dedicatum est. Vide Festum, Serv. et Macrob. in Saturnalibus.

Saturno et Rhea. Ita frequentes mss. et omnes fere editi. Mss. decem rec., dempto uno, habent *Saturno et Ope*. Res eodem redit ; Rhea enim alio nomine *Ops* vocatur, ut cuivis notum.

Credi. Hoc verbum quod est in antiquo Bononiensi codice, et in editis Thomas., Thys., Gall. et 2 Lipsiensibus, desideratur in cæteris.

Poeta. Virgil., XII Æneid., 820.

Millia fuerunt. Iisdem fere argumentis confutat Tertullianus Saturni divinitatem in Apologetico, capite 10.

Ut alius sit. Forte legendum, *ut et alius sit*.

Mutatum est. Sic Aristoteles libello de Mundo, hanc de Jove fictionem exponit.

Digitized by Google

remus etiam posterius posse mutari? nisi forte Saturnus generare potuit fortiorem : Jupiter non potest. Atqui divinum imperium aut semper immutabile est : aut, si est mutabile, quod fieri non potest, semper utique mutabile est.

Potest ergo Jupiter regnum amittere, sicut pater ejus amisit? Ita plane. Nam cum idem neque virginibus, neque maritatis unquam pepercisset, abstinuit se tamen una Thetide, quod responsum fuit, majorem patre suo futurum, quisquis ex illa natus esset. Et primum imprudentia in eo non Dei, cui nisi Themis futura dixisset, ipse nesciret. Si autem divinus non sit, ne Deus quidem sit ; unde ipsa divinitas nominatur, ut ab homine humanitas. Deinde conscientia imbecillitatis, qui timuit utique majorem : quod qui facit, scit profecto non esse se maximum : quondoquidem potest aliquid majus existere. Idem per Stygiam paludem sanctissime jurat.

Vana superstitio, superis quæ reddita divis.

Quæ est ista superstitio? aut a quo reddita? Est ergo aliqua potestas maxima, quæ pejerantes deos puniat? quæ tanta formido est paludis infernæ, si sunt immortales? quid metuunt eam, quam visuri non sunt, nisi quos mori necesse est? Quid igitur homines oculos suos in cœlum tollunt? quid per superos dejerant, cum ipsi superi ad inferos revolvantur, ibique habeant quod venerentur et adorent? Illud vero quale est? esse fata, quibus dii omnes, et ipse Jupiter pareat. Si Parcarum tanta vis est, ut plus possint quam cœlestes universi, quamque ipse rector ac dominus, cur non illæ potius regnare dicantur, quarum legibus ac statutis parere omnes deos necessitas cogit? Nunc cui dubium est, quin is, qui alicui rei obsequitur, maximus non sit? nam si sit, non accipiat fata, sed faciat. Nunc ad aliud, quod omiseram, redeo. In una

VARIORUM NOTÆ.

Quod. Mss. 1 Colb. et 1 Brun. *de qua.* Vide Lucianum primo Dial. deorum.

Non potest. Non male his verbis antiqua manus in Reimm. inscripsit, *non potuit.* BUNEMAN.

Ita plane. Elegans formula, ut l. II, c. 2, de Mort. Pers., c. 18. Est a Cicerone I Tusc., 7. BUN.

Thetide. Vid. Appollodor. l. III, pag. 218; Hygin. Fab. 54, Crenius Part. IX Animadv., p. 48 BUNEMAN.

Quod responsum fuit, majorem patre. Id. responsum Pindarus habet Isthm. Ode ult., sect. 4. BUNEMAN.

Et primum imprudentia in eo non Dei. Ita cum Isæo et Gallæo legimus ex mss. Regiis, Vaticanis, 3 Colb., 2 Brun. et compluribus editis. At in mss. 2 Bon., Tax., Pen., Jun., 1 Lips. et apud Aldum habetur, *prudentia Deo non Dei ;* in 3 Colb., 1 Clarom. et vet. editis Rom. 1468 et 1470, Paris. 1525, *prudentia in Deo non Dei ;* ita ut (inquit Walchius) prudentia fuerit in Jove, non autem divina, quia nesciret, nisi Themis prædixisset. At genuinam Lactantii lectionem, quæ est in textu, patet ex eo quod hic et infra cap. 13, ab auctore nostro arguitur Jovis *imprudentia*, id est, inscitia et ignorantia ; quæ quam longissime a Deo abest. *Imprudentia* enim est (inquit Cicero) *cum scisse aliquid is, qui arguitur, negatur.* Et nobiscum ita etiam legisse Heraldum constat, ex allegatione hujus loci ad Arnobium lib. III. Walchius legit et apponit in textu Lactantiano, *Primum in eo imprudentia, non Dei providentia.* De qua lectione judicent eruditi.—Edit. Sublac. legit *prudentia*, pro *imprudentia.*

Conscientia imbecillitatis. Hoc est, notitia, judicium mentis quod homines convincit. Sic apud Plinium legitur *litterarum conscientia*, lib. VII, cap. 30, id est, notitia. SALMASIUS.

Timuit. Ergo non Deus. Vid. c. 13 et de Ira c. 15. BUNEMAN.

Scit profecto. Sic Bon., Tax., Pen.; *scit utique*, Ultr.; *scit utique profecto*, Antiquiss. Cauci, Rost. utraque 1478, Paris. 1513, Parrh., Ald., Crat. 1521-24, Gymn. Nolui junctas particulas, mihi nondum observatas, prætermittere. BUNEMAN.

Aliquid majus. Forte leg. *aliquis major.* Eodem loco mss. 3 rec. habent *item* pro *idem.* Ms. 1 Bonon. antiq. post *existere*, addit : *ideo nec optimus, nec maximus.*

Idem, etc. Sic legunt optimi codices, atque meliores editiones, cum puncto ante voculam *Idem.*

Per Stygiam paludem sanctissime jurat, etc. Stygis tanta fuit veneratio, ut per hanc solam deos jurare crederetur : notum ex Homero Il. O, Hesiod. Theog., Apollonio, lib. II, Argon., item Marone IX et XII. Æneid., Ovidio Met. I, Seneca Herc. Fur., et Appulei VI, Metam., Virg. VI Æneid. :

. . . . . Stygiamque paludem,
Dii cujus jurare timent et fallere numen.

Cum quique eorum pejerassent, bi annum integrum, secundum Hesiod. jacebant spiritus atque animæ expertes. Orpheus tamen paulo aliter, ut Servius ad VI Æneid. bis verbis indicat : *Fertur namque ab Orpheo, quod dii pejerantes per Stygiam paludem, novem millibus annorum puniuntur in Tartaro.* Ex Vossio de Idol. V, Bochart. Geograp. sacræ p. 165, qui locum Stygiæ paludis ex Ptolomæo indicat. — *Idem per Stygiam paludem jurat.* Cellarius hic et cap. 17 putavit Lactantium hunc versum de Jove jurante sumpsisse, quum de Junone agat ; at Lactantius ea verba Virgilii tamquam descriptionem Stygiæ paludis juri-jurandi religione sacratæ addidit. Conf. Apollod. I, c. 2, § 4, et Voss. Theol. Gentil. l. II, c. 81. BUN.

Vana superstitio. Locus Virgilii Æneid. XII, vers. 817. Ita restituimus ex codice, quo usus est editor Lactantii in fol. Coloniæ anno 1544, pag. 15. Attamen in vulgatis legitur, *Una superstitio.* Juxta mss. fere omnes Lactantii, et vulgatos Virgilii. Posset etiam legi cum editione Gallica an. 1563 et mss. Anglicanis Christ. ac Balliolensi, *Vana superstitio :* siquidem apud Virgilium Æneid. lib. VIII, v. 187, cit. a Lactantio lib. IV, c. 28, legitur,

Vana superstitio, veterumque ignara deorum.

Revolvantur. Sic veterrimi et optimi mss. Regii, 2 Bonon., 5 Colb., Tax., Jun., Ultr., 2 Claromont. Illud verbum Virgilio familiare. In 3 rec. mss., 1 Reg., 1 Colb. et Brun. ut in editis, *devolvantur.*

Fata. Idem quod Parcæ. Hinc proverbium, necessitati (id est fato) deos ipsos non repugnare. Quid vero ἀνάγκη, quid εἱμαρμένη secundum philosophos, vide apud Plutarchum in Placitis philosophorum lib. I, c. 25, etc. Item Aristoteles, de Mundo.

Si Parcarum tanta vis, etc. Mss. rec., 1 Reg., 1 Colb. et Brun., *Fatorum.* Parcæ idem quod Fatum, ut hic loci vides, atque in aliis scriptoribus omnino liquet : pauca tantum delibabimus. Fulgentius Planciades Mythol. lib. I : *Tria enim isti Plutoni destinant fata, quarum prima Clotho, secunda Lachesis, tertia Atropos.* Procopius Ἔχει δὲ τὸν ναὸν, etc., *Habet autem in foro templum prope curiam, paulum si supergressus sit illud trium fatorum. Sic Romani Parcas solent appellare.* Ex Vossio. —Vide in Luciano dialogum, cui titulus Ζεὺς ἐλεγχόμενος, in quo Cynicus quidem

Digitized by Google

itaque sola fuit continentior, cum eam deperiret; non virtute aliqua, sed metu successoris. Quæ formido utique ejus est, qui sit et mortalis, et imbecillus, et nihili: quippe qui potuit et tunc, cum nasceretur, extingui, sicut frater ejus ante genitus, extinctus est: qui si vivere potuisset, nunquam minori concessisset imperium. Ipse autem furto servatus, furtimque nutritus, ζεὺς sive ζῆν appellatus est; non, ut isti putant, a fervore cœlestis ignis, vel quod vitæ sit dator, vel quod animantibus inspiret animas, quæ virtus solius Dei est (quam enim possit inspirare animam, qui ipse accepit aliunde?), sed quod primus ex liberis Saturni maribus vixerit.

Potuerunt igitur homines alium deum habere rectorem, si Saturnus non fuisset ab uxore delusus. At enim poetæ ista finxerunt. Errat quisquis hoc putat. Illi enim de hominibus loquebantur; sed ut eos ornarent, quorum memoriam laudibus celebrabant, deos esse dixerunt. Itaque illa potius ficta sunt, quæ tamquam de diis, non illa quæ tamquam de hominibus locuti sunt: quod clarum fiet exemplo, quod inferemus. Danaen violaturus, aureos nummos largiter in sinum ejus infudit. Hæc stupri merces fuit. At poetæ, qui quasi de Deo loquebantur, ne auctoritatem creditæ majestatis infringerent, finxerunt ipsum in aureo imbre delapsum, eadem figura, qua imbres ferreos dicunt, cum multitudinem telorum sagittarumque describunt. Rapuisse dicitur in aquila Catamitum: poeticus color est. Sed aut per legionem rapuit, cujus insigne aquila est; aut navis, in qua est impositus, tutelam habuit in aquila figuratam, sicut taurum, cum rapuit et transvexit Europam. Eodem

VARIORUM NOTÆ.

propter hanc inevitabilem necessitatem, conditionem Jovis et aliorum deorum nihilo meliorem esse humana indicat conditione.

Itaque. Sic emendatum ex vet. edit. Rom. et omnibus mss. præter 1 Brun., in quo sicut et in editis est *utique;* minus apte, cum mox *utique* sequatur.

Imbecillus. Ita restituimus ex vetustissimis et optimis mss. In decem rec. et in editis est *imbecillis.*

Furto servatus. Rhea igitur, Jovem enixa, metu patris infantem in Creta occultavit, nutriendum a duabus nymphis, Adrastea et Ida, Melissei filiabus. Vide Ovidium Fastor. v.

ζῆν. Mss. 2 Colb., 82 Brun. Ζόεν, quasi vitæ dator.

Non.... a fervore cœlestis ignis. Immo videtur sic derivandum hoc nomen; ζέω enim a ζεὺς, ferveo: sic etiam auctor Etymologici refert ad calorem aeris. De quo vide Platonem in Cratylo, et Aristotelem de mundo circa finem.

Accepit. Sic reposuimus ex omnibus mss. et edit. Rom. 1470. In cunctis fere editis, *accipit.*

Rectorem. Ita restituimus ex antiquioribus et potioribus mss. 2 Bonon., 5 Regiis, 5 Colb., Gronov., 2 Lips., 2 Clarom., Tax., Pen., et veteribus edit. Rom. 1470, 1474, Paris. 1525, Ald., Graph., Crat., et Cellar. In 3 Reg., 1 Colb., 1 Lips., Pal., Cauc., Brun., et nonnullis editis, *regem.*

Danaen violaturus. Ita cum 5 editis omnes mss. demptis rec. 2 Reg., Cauc., et Cantabrig. ac editis multis qui addunt *Jupiter:* quod glossema viris doctis esse videtur; et quidem abesse potest, siquidem supra de Jove est sermo. De hac fabula Jovis in aureo imbre delapsi vide Terentium in Eunucho; Ovidium VI, de Tristibus; Horatium, lib. III Carmin.; Germanicum Cæsarem in Aratum ubi de Perseo loquitur; Hyginum, in cap. 63 fabularum; lege etiam Epiphanium in Anchorato.

Ferreos. Sic Virgil. XII Æneid., Ovid. I Trist., 9.

In aquila. Vid. Lucian. de Sacrif. p. 364; Athenæi Deipnos. XIII, fol. 566; Alex. ab Alex. Dier. Genial. II. IV, c. 2, p. 865. Sex Vaticani, *in aquila*; quinque alii Vatic. Bon. Reimm. *in aquilam figuratam.* BUN.

Catamitum. Catamiti pueri sunt meritorii, inquit Betuleius. Glossæ: Catamitus, Γανυμήδης. Festus: *Catamitum pro Ganymede dixerunt, qui fuit Jovis concubinus.* Ita etiam Arnobius.

Aquila. Ita etiam Fulgentius de hoc Jovis facinore. Vide Platonem, lib. I de Legibus.

Tutelam habuit in aquila figuratam. Delerem in mss. 1 Bonon. antiq., 5 Vatic., 2 Colb., *in aquilam. Tutela,* deus sive dea erat, cujus simulacrum in puppi figuratum conspiciebatur. Consueverant enim veteres diis quibusdam naves suas consecrare, eorumque tutelæ committere. Sic apud Ovid. in ep. ad Hel. Paris loquitur:

> Addimus antennas et vela sequentia malos,
> Accipit et pictos puppis adunca Deos.

Virg. lib. X Æneid.

> Aurato fulgebat Apolline puppis.

Et non solum deorum, verum etiam dearum tutelæ naves committebantur; unde etiam deam Minervam pro tutela habuit navis illa, quæ Ovidium in Pontum vexit. Trist. lib. I, El. 9:

> Est mihi, sitque precor, flavæ tutela Minervæ
> Navis, et a picta casside nomen habet.

Isæus non solum deos deasque pro tutelis fuisse habitas, verum et res alias, puta aquilam aliaque animalia, contendit; sed meo quidem judicio, errat: quodnam enim auxilium, quamve tutelam ab animali bruto sperare poterant navigantes? certe nomen ipsum tutelæ satis manifeste hoc indicare videtur, non ab alio quoquam navis conservationem expectasse veteres, quam ab illo deo deave cujus tutelæ eam commiserant, aut cui consecraverant, cujusque imaginem, honoris gratia, in puppi figuratam habebat navis. Errat porro idem *Isæus,* cum aliis nonnullis viris doctis, quod putet tutelam fuisse navis insigne proræ impositum, atque a tutela nomen habuisse, ac Græcis tutelam, παράσημον vocari. Erroris illi ac aliis occasionem præbuit, quod gloss. dicat *tutela,* παράσημον τοῦ πλοίου. Non semper hoc verum; nonnunquam enim tutelam nihil cum Parasemo commune habuisse, cum Salmasio affirmo: et patet in nave illa, qua vecta fuit Europa; Jupiter enim *tutela,* taurus erat παράσημον. Itaque sic habe, unam eamdemque rem nonnunquam fuisse et tutelam et παράσημον, tum nempe, quando dei deæve effigies, in cujus tutela erat navis, in prora collocaretur. Hoc sæpe, non ordinarie factum fuit, ut navis illa qua vehebatur Paulus, Act. Ap. cap. XXVIII, Τῶν Διοσκουρων παράσημον habuit, simulque tutelam, unde et Διόσκουροι vocabantur, et in illo casu navis a tutela nomen accipiebat, alioquin nomen habebat a Parasemo, quod erat animalis alicujus. Diligenter itaque distinguendum inter *tutelam,* quæ in puppi, et παράσημον, quod in prora effigiabatur. GALLÆUS.

Sicut taurum. Ed. Sublac. addit *figuratum.* Nolim intelligas taurum fuisse tutelam navis illius, quæ Europam vexit, sed παράσημον; Jupiter enim fuit tutela. V. Festum in voce *Europa,* Eusebium in Chronico, Seldenum in libello de diis Syris Syntag. II, cap. 16. Mss. 1 Reg., 1 Colb. et Brun., *Taurus.* Vide infra Epitom., cap. 11, ubi hæc paulo aliter. Eusebius ta-

Digitized by Google

modo convertisse in bovem traditur Io Inachi filiam, A quæ, ut iram Junonis effugeret, ut erat jam setis obsita, jam bos tranasse dicitur mare, in Ægyptumque venisse, atque ibi, recepta pristina specie, dea facta quæ nunc Isis vocatur. Quo igitur argumento probari potest, nec Europam in Tauro sedisse, nec Io factam bovem? Quod certus dies habetur in Fastis, quo Isidis navigium celebratur : quæ res docet non tranasse illam, sed navigasse. Igitur qui sapere sibi videntur, quia intelligunt vivum terrenumque corpus in cœlo esse non posse, totam Ganymedeam fabulam pro falso repudiant; ac sentiunt in terra id esse factum, quia res ac libido ipsa terrena est. Non ergo ipsas res gestas finxerunt poetæ; quod si facerent, essent vanissimi : sed rebus gestis addiderunt quemdam colorem. Non enim obtrectantes illa dicebant, sed ornare B cupientes. Hinc homines decipiuntur : maxime quod, dum hæc omnia ficta esse arbitrantur a poetis, colunt quod ignorant. Nesciunt enim, qui sit poeticæ licentiæ modus; quousque progredi fingendo liceat : cum officium poetæ sit in eo, ut ea, quæ gesta sunt vere, in alias species obliquis figurationibus cum decore aliquo conversa traducat. Totum autem, quod referas, fingere, id est ineptum esse, et mendacem potius quam poetam.

Sed finxerint ista, quæ fabulosa creduntur; num etiam illa, quæ de diis fœminis, deorumque connubiis dicta sunt? Cur igitur sic figurantur, sic coluntur? nisi forte non tantum poetæ, sed pictores etiam fictoresque imaginum mentiuntur. Si enim hic est Jupiter, qui a vobis dicitur deus, si non is est, qui ex Saturno et Ope natus est, non oportuit nisi solius simulacrum in templis omnibus collocari. Quid sibi mulierum effigies volunt? quid sexus infirmus? in quem si cecidit hic Jupiter, eum vero ipsi lapides hominem fatebuntur. Mentitos aiunt esse poetas, et his tamen credunt; immo vero non esse mentitos, re ipsa probant, ita enim deorum simulacra confingunt, ut ex ipsa diversitate sexus appareat, vera esse quæ dicunt poetæ. Nam quod aliud argumentum habet imago Catamiti, et effigies aquilæ, cum ante pedes Jovis ponuntur in templis, et cum ipso pariter adorantur : nisi ut nefandi sceleris ac stupri memoria maneat in æternum? Nihil igitur a poetis in totum fictum est : aliquid fortasse traductum, et obliqua figuratione obscuratum, quo veritas involuta tege-

VARIORUM NOTÆ.

men in Chronico ait : Europa a Cretensibus rapta est navi, cujus fuit insigne taurus. Naves enim jam ab antiquis temporibus insigne habebant, a quo denominabantur.

Europam. Agenoris Regis Phœnicum filiam Jupiter C rapuit, ope navis tauri picturam habentis. Vide Ovidium lib. II Metamorph. et Lucianum de Dea Syria.

Io. Hæc fabula apud Ovidium lib. I Metamorphos. Inachus vero, Rex Argis, decimo-nono ante vulgarem æram vixit sæculo. Hinc nota est ætas Jovis et aliorum deorum.

Setis obsita. Æneid. VII, sub fin.

Pristina specie. Ita cum edit. Tornes. et duabus Lipsiensibus habent omnes mss. præter 2 Reg. rec. in quibus est *forma*, ut in cæteris edd.

Isis. Vide Ovid. lib. I Metamorph., sub finem. De cultu vero Isidis vide Herod. lib. II, Diodor. Sicul. lib. I, Euseb. libro II de Præparat. Evangel., Epiphan. in Anchorato.

Navigium. Pro navigatione ponitur.

Ganymedeam fabulam. Cujus auctores damnat Plato libro de Legibus primo.

Pro falso. Forte leg. *pro falsa.* FRANCIUS.

Ac sentiunt. Sic legere malo cum manuscripto 1 Colbert., edit. Is. atque Gallica an. 1563, et cum D Thomasio ac Francio, quam *nec* cum cæteris. 2 Reg. rec., *non.*

Ipsas res gestas. Ms. Gronov., *ipsa gesta.*

Colorem. Juxta Horatium de Poetica, qui vult fabulas esse veris proximas : ita ante hunc observavit Aristoteles in Poetica.

Qui sit. Eleganter sic meliores libri, pro vulgari, *quis sit.* Sic solet infra : *unde*, qui sit, *apparet.* L. VI, c. 1, *Sicut enim*, qui sit *verus Deus*, *ita* qui sit *verus cultus, ignorant.* L. VI, c. 6, Qui sit *ex divitiis fructus petendus*, BUN.

Poeticæ licentiæ. Lib. VII, c, 22. Hoc amplius Ovid. III, Am., 12, fin.

Exit in immensum fœcunda licentia vatum.
Obligat historica nec sua verba fide. BUN.

Cum officium poetæ sit, etc. Idem fere docet Vossius de natura ac institutione Poetices lib. III : *Mediam viam epici insistunt. Nam multa quidem fingunt : sed primaria actio hauritur ab historia; vulgoque nota esse solet, quia regum ducumque gesta latere non possunt.*

In alias species. Ita correximus ex mss. 5 Reg. quorum duo sunt vetustissimi, 5 Colb., 1 Clarom., et editis Betul., Tornes., Soubron., et Gallica an. 1563, faventibus aliis mss. 1 Reg., 1 Colb., 2 Brun. qui ferunt, *in alia specie*; Em. *in aliis speciebus.* In 2 Reg. et 1 Clarom. atque in multis editis est, *in aliquas species.*

Finxerint. Sic emendavimus ex mss, tum vet. tum optimis 2 Bonon., 4 Reg., 1 Colb., Tax., 2 Brun., 1 Clarom. a secunda manu., et edit. Is. ac Cellar. Et quidem recte. Mss. 12 rec. cum ed. fere omnibus, *finxerunt.*

Sed et pictores fictoresque imaginum. Quum Bon., Tax., Pen., *sed pictores etiam imaginum* cum Cell. legant, plenius Ultr.; Pal., Goth., Lips. 1, 2, Jun., Cauc., Torn., *sed et pictores etiam fictoresque imaginum.* Apparet Cicero I de Nat. deor., c. 29, *Jovem... reliquos deos ea facie novimus, qua* pictores fictoresque *voluerunt.* BUN.

Si enim hic est Jupiter, qui a vobis dicitur Deus, si non is est. Ita reposuimus ex cunctis pene mss. et edit. Cellar. quod expressius est, quam quod habent mss. rec. 2 Reg., 1 Colb., 2 Clarom., et editi multi, *Si enim hic Jupiter qui a vobis dicitur Deus non is est.*

In quem si cecidit hic Jupiter. Mss. ex præcipuis et edd. Rom. 1470 ac Is. sic ferunt. *Hic* deest in 4 Colb. et in editionibus novissimis. Mss. Jun. *is Jupiter* habet; Cauc. et edit. Fasitel., Betul., Tornes., *iste Jupiter*; ms. Pen. et edit. Paris. 1525 Ald., Crat. Graph., Gymnic., *ipse Jupiter*; mss. rec. 2 Reg., 3 Colb., 2 Brun., *ceciderit.*

Eum vero. Ita restitutum ex edit. Is. et omnibus ferme mss. inter quos sunt vetustissimi et optimi Bonon. et Regii. Doctissimus Francius legendum esse existimabat, *enim vero.* Deteriores editi cum mss. Cauc. *tum vero*, Mss. Pen., Lips., 4 Colb. cum editis multis, *eum vere.*

Nam quod aliud argumentum. Additum *quod* ex cunctis codicibus mss. et editis, præter Thys., Gall., Spark.; Walch.

Nihil igitur a poetis in totum fictum est. Sic restituimus ex optimis et vetustissimis cod. 2 Bon., Cauc.,

Digitized by Google

retur; sicut illud de sortitione regnorum. Aiunt enim Jovi cœlum obtigisse, Neptuno mare, inferna Plutoni. Cur non terra potius in sortem tertiam venit; nisi quod in terra gesta res est. Ergo illud in vero est, quod regnum orbis ita partiti sortitique sunt, ut Orientis imperium Jovi cederet; Plutoni, cui cognomen Agesilao fuit, pars Occidentis obtingeret : eo quod plaga Orientis, ex qua lux mortalibus datur, superior; Occidentis autem inferior esse videatur. Sic veritatem mendacio velaverunt, ut veritas ipsa persuasioni publicæ nihil derogaret. De Neptunii sorte manifestum est, cujus regnum tale fuisse dicimus, quale Marci Antonii fuit infinitum illud imperium; cui A totius oræ maritimæ potestatem Senatus decreverat, ut prædones persequeretur, ac mare omne pacaret. Sic Neptuno maritima omnia cum insulis obvenerunt. Quomodo id probari potest? Nimirum veteres historiæ docent. Antiquus auctor Euhemerus, qui fuit ex civitate Messene, res gestas Jovis, et cæterorum qui dii putantur, collegit, historiamque contexuit ex titulis, et inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur, maximeque in fano Jovis Triphylii; ubi auream columnam positam esse ab ipso Jove titulus indicabat, in qua columna gesta sua perscripsit, ut monumentum esset posteris rerum B suarum. Hanc historiam et interpretatus est Ennius,

VARIORUM NOTÆ.

5 Reg., 3 Colb., 2 Brun.; at *in* deest in quibusdam. *In totum*, id est omnino. V. l. II, c. 11; et Cic. Gallice dicimus *en tout*. In 13 mss. rec. atque in editis habetur : *Non igitur a poetis totum fictum est.*

Regnorum. Hæc sortitio legitur apud Homerum, Iliad. lib. III, sub persona Neptuni, Iridem alloquentis; quæ sortitio explicatur physice in vita Homeri. Vide etiam explanationes Fulgentii mythologicas.

Jovi cœlum obtigisse. Vide quomodo, initio hujus capitis.

Neptuno mare. Neptunus non dictus a *nando*, ut voluit Cicero l. II, de Natura deorum; sed a *nubendo*, vel a *nuptu*, ut volunt Lipsius et Varro, qui in quarto de L. L. ait : *Neptunus, quod mare terras obnubit, ut nubes cœlum, a nuptu, id est, opertione.* Quod etiam ex illo notavit Arnobius lib. III; *Vossius*, lib. de Idolol. Hunc Neptunum eumdem cum Japheto esse (*Genes.*, IX, C v. 27) quidam volunt, cum Japheti Hebræo nomine sit synonymum latinum Neptuni nomen. Hunc mari præfecerunt, quia cum stirpi Semi septentrionalis et orientalis Asia obtigerit; Chami vero progenies meridionalem Asiam cum Africa obtinuerit; Japheto cesserit continens Europa cum insulis maris Mediterranei, ut hic Lactantius testatur. Quidam sic olim interpretati sunt hanc sortitionem trium fratrum; sed jam multo tempore ad interpretationes quæ magis ad historiam profanam accedunt, inclinarunt eruditi. At doctiss. Bochartus et clarissimus Huetius in Demonstratione Evangelica omnes mythologiæ fabulas ad familiam et posteros Noe referebant : sed, re attentius considerata, Pezeronius et Banierus aliique ex fonte historiæ profanæ omnem veritatem, quoad fieri potuit, derivarunt. Et hinc multum lucis fabulis istis affertur, sine ambage et metaphora.

Agesilao. Alii legunt *Agelasto*, quod nomen Plutoni etiam datum est.

M. Antonii. Sic habent omnes mss. codices; uno Vaticano, Bononiensi antiquiore, recentioribus 1 Reg., 1 Colbert., 1 Sorbon., exceptis, in quibus legitur *Pompeii*, sicut et in editis Tornes, 1579, Soubron et Genev. 1613. Pompeio siquidem lege Gabinia data est classis præfectura, ad liberandum a prædonibus mare. Cæteri tam mss. quam editi, quos Isæo, Gallæo, Cellario, et mihi videre licuit, legunt *M. Antonii*; quam lectionem, ut Lactantii genuinam, probarunt Cœlius Rhodig. lib. VI, c. 18. Petrus Ciaconius, Latinus Latinius, et Isæus. Et quidem Cicero huic lectioni bis favet : *Postquam*, inquit, *M. Antonii infinitum illud imperium senserant;* et Frumentaria : *Ita se M. Antonius in illo infinito imperio gessit.* Vix dubito quin ad hæc loci respexerit Lactantius. Et tamen ex eodem Cicerone atque ex Plutarcho idem attributum ac delegatum Pompeio. Ergo a recepta, totque mss. et editis confirmata lectione discedere nolui. In vetustissimo Regio est *quale Marci Antonini* vitiose; in Regio-Puteano, *quale Antonii*. Attamen magis arridet Thomasio ea lectio, qua scribitur *Pompeii*, quem Cicero pro lege Manilia ac pro lege Agraria, ob felicem ejus successum, Neptunum appellatum fuisse docet. Quin etiam, ait Thomasius, multæ antiquæ imagines Pompeii reperiuntur, quæ Pompeio Neptuni insignia attribuunt.

Senatus decreverat. Plutarchus tamen auctor est Cæsarem Aug. M. Anton. et Lepid. inter se partitos fuisse imperium Romanum anno urbis 712, injussu senatus, et rebus omnibus turbatis; quod imperium tripartitum historici vocarunt Triumviratum.

Obvenerunt. Frequenter hoc verbum de sorte adhibuit Cicero, quem hic imitatur; et Ambrosius l. I Off., 13: *Poetæ mundum in tres ferunt esse divisum; ut alii cœlum, alii mare, alii inferna coercenda imperii* sorte obvenerint. Ita *evenire* : Livius l. XXI, 17 : *Sortiri jussi, Cornelio Hispania..... evenit;* l. XXXII, c. 8. *Sortitis... Quintio Macedonia evenit.* Lactantius supra *obtingere*, eodem sensu. BUN.

Euhemerus. Auctor Historiæ deorum. Hunc Arnobius Agragantinum vocat lib. IV; Strab. vero lib. I et Plutarchus in lib. de Iside et Osiride Messenium faciunt. Vivebat ille anno post Romam condltam 438. Inter atheos ab antiquis computatur. Citatur autem et a Cicerone lib. I de Natura deorum : *Quæ ratio*, inquit, *maxime tracta est ab Euhemero, quem noster interpretatus et secutus est præter cæteros Ennius.* Hujus etiam meminere: Plinius, lib. XXXV, cap. 22; Josephus, lib. I contra Appionem; Clemens Alexandrinus Προτρεπτ; Minutius Felix, in Octavio; Eusebius, lib. II Præparat. Evang., cap. 4; Augustin., de Civit. Dei, lib. VI, cap. 7, et lib. VII, cap. 26; Theodoretus, Græcarum Affectionum, lib. II in fine, et initio lib. III. Festus, in *Sus Minervam*, aliique. Theophilus Antiochenus, serm. 3, hunc Euhemerum Ἀθεώτατον vocat.

Messene. Ita emendavimus ex mss. Regio-Put. D aliisque 2 Reg., 1 Colb., Goth., Brun., et Epitom. cap. 13. Et recte Plutarcho enim dicitur *Messenius.* Reg. 1 antiq., 2 Colb., et 1 Claromont. habent *Messena.* Alter Clarom., 3 Colb., 1 Sorbon. et edit., *Messana.* — *Ex civitate Messene.* Isæus, non sine errore, tamquam *Messene* et *Messana* unam urbem significent, loca Scriptorum exposuit. Optime Lactant. epist. c. 13 : *Euhemerus fuit Messenius.* In Lips. 2 prave, *Messana.* In editis antiquis omnibus male, *Messana.* BUN.

Triphylii. Quod a Triphilis populis in Peloponneso habitantibus colebatur. — *In fano Jovis Triphylii.* Triphylia, regio inter Elidem et Messeniam; Strab. VIII, pag. 252; lib. XXXII, 5; Pausan. I Eliac. p. 151. Ei urbem Lepreum Pausanias tribuit. Inde Jupiter Triphylius. CELL.

Interpretatus est Ennius. Arnobius lib. IV, pag. 147: *Euhemeri libellos Ennius, clarum ut fieret cunctis, sermonem in Italum transtulit.* CELL.

Digitized by Google

et secutus; cujus hæc verba sunt : « Ubi Jupiter Neptuno imperium dat maris, ut in insulis omnibus et quæ secundum mare loca essent, omnibus regnaret. »

Vera sunt ergo quæ loquuntur poetæ, sed obtentu aliquo specieque velata. Potest et mons Olympus figuram poetis dedisse, ut Jovem dicerent cœli regnum esse sortitum; quod Olympus ambiguum nomen est et montis, et cœli. In Olympo autem Jovem habitasse docet historia eadem, quæ dicit : « Ea tempestate Jupiter in monte Olympo maximam partem vitæ colebat, et eo ad eum in jus veniebant, si quæ res in controversia erant. Item, si quis quid novi invenerat, quod ad vitam humanam utile esset, eo veniebat, atque Jovi ostendebat. » Multa in hunc modum poetæ transferunt, non ut in eos mentiantur quos colunt, sed ut figuris versicoloribus venustatem ac leporem carminibus suis addant. Qui autem non intelligunt, quomodo aut quare quidque figuretur, poetas velut mendaces et sacrilegos insequuntur. Hoc errore decepti etiam philosophi, quod ea, quæ de Jove feruntur, minime in Deum convenire videbantur, duos Joves fecerunt, unum naturalem, alterum fabulosum. Viderunt ex parte, quod erat verum, eum scilicet, de quo poetæ loquuntur hominem fuisse : in illo autem naturali Jove, vulgari consuetudine religionis inducti, erraverunt, quod in Deum nomen hominis transtulerunt; qui (ut supra diximus) quia solus est, non indiget nomine. Jovem autem illum esse, qui sit ex Ope Saturnoque natus, negari non potest. Vana igitur persuasio est eorum, qui nomen Jovis summo Deo tribuunt. Solent enim quidam errores suos hac excusatione defendere; qui convicti de uno Deo, cum id negare non possunt, ipsum se colere affirmant, verum hoc sibi placere, ut Jupiter nominetur : quo quid absurdius? Jupiter enim sine contubernio conjugis filiæque coli non solet. Unde quid sit, apparet : nec fas est id nomen eo transferri, ubi nec Minerva est ulla, nec Juno. Quid? quod hujus nominis proprietas non divinam vim exprimit, sed humanam? Jovem enim, Junonemque a juvando esse dictos, Cicero interpretatur. Et Jupiter, quasi Juvans pater dicitur; quod

VARIORUM NOTÆ.

Et secutus. Sic constanter libri. Sensus est : et approbavit, et suam fecit historiam. Cell. — *Et interpretatus est Ennius, et secutus.* Hic expressit Ciceronem l. I de Nat. deor., c. 42 : *Quæ ratio maxime tractata ab Euhemero est, quem noster et interpretatus et secutus est Ennius.* Hinc concidit Heumanni correctio, *Interpretatus est Ennius, cujus.* Bun.

Ubi Jupiter Neptuno imperium dat maris. Ita mss. quamplurimi, inter quos sunt veterrimi et optimi. In 13 scriptis ac vet. editis Rom. et Is. est *Ibi.* Decst in omnibus fere impressis.

Ut in insulis omnibus... omnibus regnaret. Absorptam sequente syllaba præpositionem *in* addidimus ex mss. 4 Colb. et 2 Brun. Omnes mss. præter 1 rec. Regium, legunt cum editis Betul. et 2 Lips., *essent.* Pro *secundum*, quod est cunctorum fere mss. tum vet. tum optimorum, est *secus* in rec. 2 Reg., 3 Colbert., Cauc., Christ., Em., necnon *locis* in rec. 6 Reg., 1 Colbert., Christ., Em., Brun., ac in editionibus Cellarii et Walchii. Sic *secundum mare* apud Cicer. VIII Att., 19 et XVI, 8.

Mons Olympus. Ideo Olympus et Cœlum synonyma fuerunt, quod Olympus mons erat altissimus, et ad cœlum usque pertingere videbatur. Vid. Apul., de Mundo, sub fin.

Historia. Vide Ennium.

Jupiter in monte Olympo. Multorum id montium nomen. Cujus ego hic est? In Olympo Arcadiæ, τραφῆναί φασιν τὸν Δία, *educatum Jovem ferebant*, Pausan. Arcad. p. 268. At Thessaliæ Olympus propior Gigantomachiæ. Asiæ et Cypri montes hinc longius absunt. Bun.

Maximam partem vitæ colebat. Id est, habitabat; antiqui *colere* absolute dixerunt pro *habitare.* A. Gellius : *Sauromatas qui ultra Borysthenem fluvium longe colunt.* Varro : *Ædes possideo et colo;* unde *coligo* pro domo apud Arnob. ita enim correximus e libris mss. lib. II : *In penetralibus coliginis perpetuos fovetis focos.* Inde et *colium* idem quod domus. Hinc etiam veteres dixere *domicolium* pro *domicilium.*

Salmasius.

Figuris versicoloribus. Ex cunctis ferme manuscriptis et compluribus editis restitui *versicoloribus*, quæ vox est Ciceroniana. In 3 Regg., 1 Colb., Brun., et 4 recenter editis est *figuris variisque coloribus.* Est et in Epitome, cap. 11, *versicolore.* — *Figuris versicoloribus.* Heumanno præplacet, *figuris variisque coloribus*, sic Goth. Confirmat Epit. c. 11, *ut ea* figura, *et quasi velamine aliquo* versicolore *prætexas.* Bun.

Figuretur. Hoc verbum ex quampluribus mss. et omnibus editis in textu reliquimus, utpote *figuris* versicoloribus convenientius, quam *fingatur*, quod est mss. 1 Bonon. antiq., 3 Regg., 1 Colb., Gronovio, Pal., Lips., Brun.

Duos Joves. Imo tres potius, ac etiam plures, ut ait Plutarchus in Placitis Philosoph. lib. I, c. 6, atque post ipsum Epiphanius affirmat : sic etiam erat de aliis diis. Vide Augustin., de Civit. Dei, lib. IV, cap. 27, et lib. VI, cap. 6. Sic Plutarch. de Placitis philosoph. causam primam enumerat unam naturalem, alteram fabulosam, tertiam civilem.

Vana... nomen Jovis... Deo tribuunt. Vid. Minuc. Fel. c. 18, fin.; Arnob. I, p. 19; Origenem contra Cels. l. IV, p. 196; l. V, p. 261, 262; l. I, p. 18, 20. Conf. Lact. l. IV, c. 9; Augustin. Civ. Dei, l. XIX, c. 22; Seldenum, meliora tradentem de diis Syr. Synt. II, c. 1, p. 201, sqq. Bun.

Sine contubernio. Vide Macrob. lib. III, cap. 4. — *Sine contubernio conjugis filiæque.* Vid. Dionys. Halic. lib. IV exeunte. Egregie rem illustrat ex nummis antiquis Rycquius, de Capitolio Rom., c. 13, tot. p. 126. 136. Bun.

Quid sit apparet. Ita omnes prope mss. et vetus editio Rom. In 1 Colbert. et Brun. est *qui sic.* In 2 Regg. recentiorib. cunctisque fere excusis, *quid sit.* In 4 recentioribus scriptis *quis sit.* Sed *qui sit* eleganter, et Ciceronis imitatione.

Jupiter quasi juvans pater. De Nat. deor. l. II, c. 25, ubi sic ait : *Sed et ipse Jupiter, id est juvans pater, quem, conversis casibus, appellamus, a Juvando, Jovem, a poetis pater divumque hominumque dicitur : a majoribus autem nostris Optimus, Maximus, et quidem ante Optimus, id est beneficentissimus, quam Maximus, quia majus est certeque gratius prodesse omnibus, quam opes magnas habere.* Vide et A. Gellium lib. V, cap. 12, ubi sic habet : *Jovem Latini veteres a* Juvando *appellavere, eumdemque alio vocabulo juncto* patrem dixerunt. Hoc etiam voluere Cicero et Cato de Re rustica; sed falluntur : *Jupiter* nil aliud est quam *Jovis Pater*, id est, Ἰαοῦ Πατήρ, seu Ἰαὼ Πατήρ, Jehova Pater. Antiqui dicebant *Joupater* pro *Jovis Pater*, ut *Jouglans* pro *Jovis Glans.* Gallæus.—De Jove, Saturno, Rhea, Junone, Hercule, Æsculapio, Api,

Digitized by Google

nomen in Deum minime congruit; quia juvare hominis est, opis aliquid conferentis in eum, qui sit alienus, et exigui beneficii. Nemo sic Deum precatur, ut se adjuvet; sed ut servet, ut vitam salutemque tribuat: quod multo plus ac majus est quam juvare.

Et quoniam de patre loquimur, nullus pater dicitur filios juvare, cum eos generat, aut educat. Illud enim levius est, quam ut eo verbo magnitudo paterni beneficii exprimatur. Quanto id magis inconveniens est Deo, qui verus est pater; per quem sumus, et cujus toti sumus, a quo fingimur, animamur, illuminamur; qui nobis vitam impertit, salutem tribuit, victum multiplicem subministrat. Non intelligit beneficia divina, qui se juvari tantummodo a Deo putat. Ergo non imperitus modo, sed etiam impius est, qui nomine Jovis virtutem summæ potestatis imminuit. Quare si Jovem et ex rebus gestis et ex moribus hominem fuisse, in terraque regnasse deprehendimus, superest ut mortem quoque ejus investigemus. Ennius in sacra Historia, descriptis omnibus quæ in vita sua gessit, ad ultimum sic ait: Deinde Jupiter, postquam quinquies terras circuivit, omnibusque amicis atque cognatis suis imperia divisit, reliquitque hominibus leges, mores frumentaque paravit, multaque alia bona fecit, immortali gloria, memoriaque affectus, sempiterna monimenta suis reliquit: ætate pessum acta, in Creta vitam commutavit, et ad deos abiit, eumque Curetes filii sui curaverunt, decoraveruntque eum; et sepulcrum ejus est in Creta et in oppido Cnosso, et dicitur Vesta hanc urbem creavisse; inque sepulcro ejus est inscriptum antiquis litteris græcis, ΖΑΝ ΚΡΟΝΟΥ, id est latine, Jupiter Saturni. Hoc certe non poetæ tradunt, sed antiquarum rerum scriptores: quæ adeo vera sunt, ut ea sybillinis versibus confirmentur; qui sunt tales:

VARIORUM NOTÆ.

Castore et Polluce, Baccho, Venere, Ganymede, Helena, Japeto, Neptuno, Vulcano, Osiri, Isi, Selene, Marte, Cupidine, Minerva, Libero, Latona, Plutone, seu Sarapide, Priapo, Proserpina, Cerere, Eleusina, Dionysio, etc., vide S. Cyprianum, tractatu de Idolorum Vanitate, sub initium; S. Augustinum, de Civitate Dei, lib. IV, 6 et 18; S. Asterium, Serm. 10; Theodoretum, lib. VIII de Martyribus, et lib. III et VIII de Græcarum Affection. Curat.; Macrob., Chartarium, Natal. Comitem, Giraldum et D. Fourmont in Sanchoniatone enucleato.

Et quoniam de patre loquimur, nullus pater dicitur juvare. Ed. Sublac. hæc omittit.

Per quem sumus. Arnob.: *Nonne huic omnes debemus hoc ipsum quod sumus, quod homines esse dicimur.* Apuleius in lib. de Mundo: *Vetus opinio est, atque cogitationi omnium hominum penitus insedit, Deum essentiæ originis haberi auctorem.* Apud Euripidem, Manilium, Juvenalem. Manilius:

> An quoquam genitos nisi cœlo credere fas est
> Esse homines?

Juvenalis:

> Sensum ex cœlesti demissum traximus arce.

PRICÆUS.

A quo finginur, etc. Irenæus: *Cujus jussu homines nascuntur.* Arnob., lib. I: *Num quod incedimus, quod spiramus, ab eo ad nos venit?* Seneca, IV, 6, de Benef., et Act. cap. XVII, v. 25, *cum ipse det omnibus vitam et inspirationem.* PRIC. Sic Apostolus dicit: *In ipso vivimus, movemur, et sumus.*

Et ex rebus gestis. Et addidi ex omnibus fere mss.

Quinquies terras circuivit. Ita restituimus ex vet. ed. Rom. 1470 et Is. omnibusque mss. præter 1 Colb. rec. et plerasque editiones, in quibus est, *postquam terram quinquies circuivit.* Sed et Lactantius infra c. 22, de Jove ait, *cum terras circuiret.*

Imperia. Sic legunt omnes pene mss. edd. Betul. Spark. et Cellar. At 2 Reg. rec. multique editi, *imperium;* H Reg., *dedit;* in 2 aliis Reg., *dividit, reliquitque;* mendose: sua enim cuique pars, imperium. Cicero lib. IV, famil. epist. 1: *Orbem terrarum imperiis distributis, ardere bello.* Justinus, lib. II: *Novercæ cognatos, quos Philippus imperiis præfecerat.*

GALLÆUS.

In Epitom. cap. 13, legitur quoque *cognatis distribuisset imperia.—Imperia divisit.* Ita vero solet: l. II, c. 16: *Attribui... imperia.* L. III, c. 22: *Mulieres... imperia suscipere.* Maxime in Epit. c. 13: *Cum amicis suis atque cognatis distribuisset imperia;* c. 38: *Fœminis imperia permisit.* BUN.

Ætate pessum acta. Ita mss. 4 Reg. quorum duo sunt vetustissimi, 5 Colb., Lips., Brun., et edit. Fasitel., Betul., Tornes., Thom., Spark., Is., Thys., Soubr., Gall., 2 Lipsienses; accedentibus editis Egnat., Paris. 1525, Graph., Crat., Antwerp. 1539, Gymnic., Fasit., Henr., Petri, in quibus est *pessumata;* in 4 Reg., 2 Colb., 1 Clarom. edit. Rom. 1470, Azul. 1490, *persumata*, corrupte; 1 Colb. a secunda manu *perfinita;* 1 Clarom., *perfuncta;* 2 Bononienses, Taxaq., Pen. et Bocatius lib. VII, cap. 1, *pessume acta;* vitiose. Nam cum Lactantius velit *mortem Jovis* investigare, et cum Ennius ibi totus sit in laudibus Jovis, parum apposite de vita ejus pessume acta mentionem faceret: itaque Lactant. dicit ætatem Jovis pessum actam, eo quod ad finem sui jam tum venerat. 1 Vatic. habet, *consummata.* Sensus igitur est, *ætate pessum acta*, id est, *ætate in imum, vel ad ultimum et finem inclinante;* sic *pessum abire* apud Plautum, et *pessum ire* apud Collumellam, est *in profundum abire, in profundum ire.*

Vitam commutavit. mss. 2 Colb., Cantabrig., et 1 Clarom. et ed. Sublac., *consummavit.* — *Vitam commutavit.* Licet Heumannus ex 1472, 76, 78, *consummavit*, scribat, rectius tamen Reimm. et plures, *commutavit.* Nam in Epit. c. 13 iisdem verbis dicit: Jovem *in Creta vitam commutasse, atque ad deos abiisse.* BUN.

Curetes. Triplices sunt Curetes: Ætolici, Phrygii, et Cretici. Ætolici inhabitarunt Chalcidem: de Curetibus vide Strabonem, lib. XVIII, et Hyginum, fabula 139. Ii erant Cretenses ipsi ex Plinio et Solino.

Sepulcrum ejus est in Creta. In Creta abest a ms. 1 Reg. et edd. Thys., Gall. et Walch. et in Epitome, c. 13, et apud Arnobium, lib. IV. De Jovis sepulcro in Creta insula, vide Melam lib. II, cap. 7, et Solinum, c. 17, quod etiam ostendebatur temporibus Theophili Antiocheni, Arnobii libro IV et Epiphanii in Anchorato.

In oppido Cnosso. Ita scribo cum præstantioribus mss. Regio-Puteano et 1 alio Reg., 3 Colb., 1 Clarom. et ed. Rom. 1468, faventibus 1 Bonon. minus antiquo qui habet, *Enosso;* Bonon. antiquiore *Cosso*, 1 al. Reg., 2 Colb. ac edit. Walch., *Cnosso;* 1 Reg. *Nosso;* 2 Reg., Marm., et edit. Rom. 1470, *Gnoso;* in Epitom. c. 13, 4 Reg., Navarr., 1 Colb., Vict., Gat., Brun., edd. Ald., Paris., 1525, Graph., Crat., Gymnici, Fasitel., Cellar., Thys., Gall., *Gnoso.* Utraque lectio recepta. *Cnossus* autem est oppidum Cretæ, de qua vide Strabonem libro Geographiæ X.

Zan. Sic legendum esse arbitramur; idque ex au-

Digitized by Google

Δαίμονας ἀψύχους, νεκύων εἴδωλα καμόντων,
Ὧν κρύπτη καύχημα τάφους ἡ δύσμορος ἴσχει.

Cicero de Natura deorum, cum tres Joves a theologis enumerari diceret, ait tertium fuisse Cretensem, Saturni filium, cujus in illa insula sepulcrum ostenditur. Quomodo igitur potest deus alibi esse vivus, alibi mortuus, alibi habere templum, alibi sepulcrum ? Sciant ergo Romani, Capitolium suum, id est summum caput religionum publicarum, nihil esse aliud quam inane monimentum.

Veniamus nunc ad ejus patrem, qui ante regnavit, et qui fortasse plus habebat in se, quod ex coitu tantorum elementorum genitus esse dicatur. Videamus quid in eo fuerit deo dignum : in primis illud, quod aureum sæculum narratur habuisse ; quod justitia sub eo fuerit in terra. Teneo aliquid in hoc, quod in ejus filio non fuit. Quid enim tam conveniens deo, quam justum regimen, ac pium sæculum ? Sed cum eadem ratione natum esse cogito, non posA sum putare Deum summum, quo videam esse aliquid antiquius, cœlum scilicet atque terram. At ego Deum quæro, ultra quem nihil sit omnino, qui fons, et origo sit rerum. Hic sit necesse est, qui cœlum ipsum condidit, terramque fundavit. Saturnus autem si ex his natus est (ut putatur) quemadmodum potest Deus esse principalis, qui aliis ortum suum debet ? aut quis præfuit mundo, priusquam Saturnus gigneretur ? Sed hoc poeticum est (ut dicebam paulo ante) figmentum. Nec enim fieri poterat, ut elementa insensibilia, tantoque intervallo separata, in unum coirent ac filium procrearent : aut is, qui natus esset, non potissimum genitoribus similis existeret ; sed eam formam gereret, quam parentes sui non habebant.

B Quæramus ergo quid veritatis sub hac figura lateat. Minucius Felix in eo libro, qui Octavius inscribitur, sic argumentatus est : « Saturnum, cum fugatus esset a filio in Italiamque venisset, Cœli filium

VARIORUM NOTÆ.

ctoritate vet. et optimi ms. Regio-Puteani. Item alterius Reg., Gat., Marm., 1 Clarom. et 4 edit. rec. et Epitom., c. 13. In mss. 1 Reg. et 3 Colb. Ζῆνα ; 1 al. Colb. et 1 Clarom., Ζῆνα ; 1 Sorbon., Ζῆμα ; in 3 Reg. et edit. Rom. 1468, 1470, et 7 aliis antiquis, Ζεὺς. Vide Callimach. Hymn. in Jov.

Δαίμονας. Latine :

Dæmones inanimes, cadaverum simulacra mortuorum,
Quorum Creta in jactantiam sepulcra misera habet.

Sibyll. carmina, serm. 8.

Καύχημα τάφους. Hinc corrigendus est codex Sibyllinus qui habet, τάφου καύχημα : ibi enim scansio non constat : nec ἕξει est legendum, ut ibi ; sed ut in nostro ἴσχει. Isæus. Ms. Cauc. habet ἕξει.

De Nat. deor. Scilicet l. III, et post eum Arnobius lib. III.

Enumerari. Sic a me restitutum ex edit. Betul. et omnibus mss. præter Pen. in quo *numerari*, cui lectioni adstipulatur et ipse vulgatus Ciceronis locus : *Principio* (inquit) *Joves tres numerant.* In cæteris Lactantii editionibus est *nominari.*

Capitolium. Arx Romæ, in qua Jovi templum fuerat ædificatum, unde Jupiter Capitolinus ; a quo vero sic dictum Capitolium vide Arnobium l. VI.

Tantorum elementorum. Hoc est, cœli et terræ. Nam Saturnus filius fuit ætheris et terræ ; Saturnus enim et Titææ filius erat : verum Uranus, et Cœlum, et Æther interpretatur, sicut Titæa idem est ac Terra.

Aureum sæculum narratur habuisse. De aureo Saturni sæculo vide infra, l. V, c. 4 et 5 : *Rex Saturnus,* inquit Trogus apud Justin., l. XLIII, *tantæ justitiæ fuisse fertur, ut neque servierit sub illo quisquam, neque quidquam privatæ rei habuerit, sed omnia communia et indivisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset.* Et Virg. I, Georg. :

Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat.

Et Ovid., l. III Amorum, eleg. 7 :

Signabat nullo limite fossor humum.

Quod de eadem ætate habetur in Hesiodo :

Cœlorum imperium dum Rex Saturnus habebat,
Dis similes summa degebant pace, nec ullus
His labor aut ærumna fuit.

Adde et Martialem de Saturno, l. XII, epigr. LXIII. Hæc fabula hausta fuit ex Scriptura ; per Saturni enim aureum sæculum, intelligendum illud tempus quo, orbe nondum diviso, Noachus in universum genus hominum, ut pater in liberos, naturale habuit imperium : atque aureum illud sæculum sumptum videtur ex Vaticinio Lamechi de Noacho, Gen. v, 29 ; *Iste consolabitur nos ab operibus, et laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus.* Bochart. —Hæc tamen a Samuelis Bocharti tempore, non ad historiam sacram, sed ad profanam rectius referuntur. Aurelius Victor de origine gentis romanæ sic loC quitur de Saturno : *Is primus agriculturam edocuit, ferosque homines ex rapto vivere assuetos ad compositam vitam traduxit.* Vide supra locum Justini.

Quod justitia sub eo fuerit in terra. Hoc etiam commode de Noe accipi potest. Nam, non modo justus, sed et justitiæ præco sedulus fuit ; cum eo vixerit sæculo quo hominum mores erant perditissimi, nihil non egit, ut illos ad veræ pietatis normam verbo et exemplo reduceret. Saturnum itidem regem justissimum fuisse volunt, adeoque pro virili, *Homines sui temporis ex agresti vita ad humaniorem cultum transtulisse, et propterea magnos honores consecutum, multa orbis loca peragrasse, et omnes ad justitiam et animi simplicitatem induxisse.* Diodori verba sunt, l. V Biblioth., neque aliter Aurelius Victor in l. de Orig. gentis Rom : *Feros homines ex rapto vivere assuetos ad compositam vitam traduxit.* Virg. Æneid. VIII :

Is genus indocile et dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit.

D *Teneo aliquid in hoc.* Ita restitui ex mss. vet. et optimis 1 Bonon., Regiis 3, Colb. 2, Brun. In ms. Jun. *de eo.* In mss. rec. tribus Colb., 2 Clarom. ac editis est *in eo.*

Quo videam esse aliquid antiquius. Sic emendavimus ex vetustissimis et optimis mss. 2 Bonon., Regio-Puteano, nec non ex 2 aliis Reg., Taxa., 1 Colb., 2 Clarom., cum in septem aliis mss. et in editis sit *quod videam ;* in scriptis Christ. et Balliol., *cum videam.*

Nihil sit omnino. Sic restituimus ex mss. In editis autem est, *nihil est omnino.*

Priusquam. Ita reposui ex mss. In editis autem est, *antequam.*

Minucius Felix. Cujus extat libellus elegans adversus Gentes, vixit tertio sæculo.

In Italiam, etc. Mirum est quantum distant tempora inter Saturnum Urani filium et Saturnum italicum : hic enim decimo quarto ante æram vulgarem vixit sæculo ; sed Saturnus, Urani filius, vigesimo ante nostram æram sæculo fuit. De Saturni tamen

Digitized by Google

dictum, quod soleamus eos quorum virtutem miremur, aut qui repentino advenerint, de cœlo cecidisse dicere ; terræ autem, quod ignotis parentibus natos, terræ filios nominemus. » Sunt hæc quidem similia veri, non tamen vera : quia constat etiam tunc cum regnaret ita esse habitum. Potuit et sic argumenteri : **Saturnum, cum potentissimus rex esset, ad** retinendam parentum suorum memoriam, nomina eorum cœlo terræque indidisse, cum hæc prius aliis vocabulis appellarentur ; qua ratione et montibus et fluminibus nomina scimus imposita. Neque enim cum dicunt poetæ de progenie Atlantis, aut Inachi fluminis, id potissimum dicunt, homines ex rebus sensu carentibus potuisse generari ; sed eos utique significant, qui nati sunt ex his hominibus, qui vel vivi, vel mortui, nomina montibus aut fluminibus indiderunt. Nam id apud veteres, maximeque Græcos, fuit usitatum. Sic maria eorum traxisse nomina accepimus, qui deciderant in ea, ut Ægeum, Icarium, Hellesponticum : et in Latio Aventinus, vocabulum monti dedit, in quo sepultus est; Tiberinus vel Tiberis, amni in quo mersus est.

Non ergo mirandum, si nomina eorum cœlo terræque attributa essent, qui reges genuerant potentissimos. Apparet ergo non ex cœlo natum esse ; quod fieri non potest : sed ex eo homine, cui nomen Urano fuit. Quod esse verum Trismegistus auctor est : qui cum diceret admodum paucos extitisse in quibus esset perfecta doctrina, in his Uranum, Saturnum, Mercurium cognatos suos nominavit. Hæc ille quia ignoravit, alio traduxit historiam ; qui quomodo potuerit argumentari, ostendi : nunc dicam, quomodo, ubi, a quo sit hoc factum ; non enim Saturnus hoc, sed Jupiter fecit. In sacra Historia sic Ennius tradit : « Deinde Pan eum deducit in montem, qui vocatur

VARIORUM NOTÆ.

in Italiam adventu, vide Diod. Sicul., l. IV, et Dionys. Halicarn., l. I. De Saturno, Urani filio, videas scriptores rerum mythologicarum. Id tamen factum est, quod omnia quæ a diverso Saturno et Jove diverso gesta sunt, in unum contulerunt : hinc venit confusio quædam, quæ non nisi per temporum et locorum examen explicari queat.

Qui repentino advenerint, de cœlo cecidisse. Sic Tibull. :

Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar cœlo missus adesse tibi.

Qui repentine advenerint. Vulgo legunt recentiores *repentino*, quasi *de repentino*. At Lips. mss. et ed. Ald. et antiquiores Aldina, Rom. et Ven., *repentine*, adverbii forma, non multum adhuc observata. Bun.

Repentine. Mss. Angl., Lips., tert. Goth., Ultr., Cauc., et edd. Bas. 1556, Torn., Thom. et sequentes, *repentino*, vocali quarta. Voce Plauti Pseud. I, 1: *Repente exortus sum, repentino occidi ;* et Cic. pro Quintio, c. 4, *et moritur repentino.* Bun.

De cœlo cecidisse. Hæc abunde illustrant interpretes ad Minuc., c. 22. Savaro ad Sidon. VI, ep. 10, p. 378 : *Velut polo lapsa reputabitur.* Bun.

Ignotis parentibus natos, terræ filios nominemus. Sic etiam Tertullian., Apol. auctor, l. de orig. gentis Rom. : *Primus in Italiam venisse creditur Saturnus. Tanta autem antiquorum hominum simplicitas, ut advenas, quod eorum originem ignorabant, cœlo et terra editos non solum ipsi crederent, sed posteris affirmarent.* Eadem habet Aurelius Victor de origine gentis Romanæ. Omnia enim e cœlo et mari orta credebant. Ita ignotorum origo ad cœlum, aut mare relata, ut cœli, aut Neptuni filii crederentur. Serv. in Virgil. Scholiast. Apollonii, monstrosos terræ filios, truculentos Neptuni habitos scribit. Næv. apud Prisc., *Titanes filii terræ.* Et Orpheus in Hym. obscuris et ignotis parentibus orti. Idem Rhodigino Antiquar. lection., l. II, c. 28, ac Politiano in Miscellan., c. 18. Wouwer.

Cœlo terræque indidisse. Confusio inde orta est apud Latinos, quod οὐρανος et τιτανες, quæ nomina patronymica, transtulerunt per nomina realia. Sed paulo post in hoc ipso capite aliquid verosimilius de Urano refert Lactantius.

Atlantis. Is fuit rex Mauritaniæ, qui in montem sui nominis transformatus dicitur ; cujus fabulam vide apud Ovidium, l. IV Metamorph.

Inachi. Is primus fuit rex Argivorum, decimo nono ante æram vulgarem, ut creditur, sæculo. Is erat ex genere Titanorum, et Saturni ac Jovis cognatus. Dicitur nomen suum dedisse fluvio Peloponesi, vel in eum artibus Jovis fuisse præcipitatum.

Ægeum. Ab Ægeo Thesei patre, qui ob mortem filii falso sibi annuntiatam, se in mare præcipitem dedit : hoc evenit decimo tertio ante vulgarem æram sæculo. Vide Solinum capite 15.

Icarium. Ab Icaro Dædali filio, cujus fabulam videas apud Ovidium libro VIII, Metamorph. Solinus, Varronem secutus, refert, Icarum Cretensem in hoc mare naufragio periisse, et de exitu hominis nomen loco impositum fuisse ; atque ita historia locum fabulæ dedit : at nunc ex fabula historiam deducere cogimur. Vide Solinum capite 21.

Hellesponticum. Mss. 18 cum editis Rom. 1470, Soubron. et Tornes. habent *Hellespontum.* Fortasse legendum *Hellespontium*, ut supra *Hellespontiam* ad c. 6. Hellesponticum mare, vel Hellespontus, fretum est angustum inter mare Ægeum et Propontidem, Asiam ab Europa septem non amplius stadiorum intervallo disterminans : nomen sortitur ab Helle, Athamantis filia, vel ab Ἕλλην unde Ἕλληνες, quæ fuit una Græcorum appellatio.

Aventinus. Vide Tit. Liv., l. I.

Tiberinus. Vulgatior fama est Tiberinum, Capeti filium, decimum Albanorum regem, insignem latronem, cum in trajectu Tiberis submergeretur, nomen dedisse fluvio, qui prius Albula dicebatur.

Qui reges genuerant potentissimos. Reimm. *attributa essent, quos reges fuisse potentissimos legimus, qui reges genuerant potentissimos.* Bun.

Trismegistus. Quem vide in Pimandro, c. 10.

Sit hoc factum. Sic restituimus ex mss. Regiis, 6 Colb., Lips., Em., Goth., 2 Clarom., 2 Brun. Et lectio nostra confirmatur ex mox sequentibus : *Non enim Saturnus* HOC, *sed Jupiter* FECIT. Plerique editi, *hoc dictum.*

Ennius. Cujus tantum supersunt fragmenta.

Pan eum deducit in montem. Locus est obscurissimus, et mira tum mss. tum editorum varietas. Ex his hanc elegi lectionem, utpote eruditorum virorum consilio, majorique mss. et editorum numero ac auctoritate probatam, nempe mss. multorum Vaticanorum, 2 Bonon., 2 Reg., 1 Sorbon., Lips., Tax., Pal., Cantabr., Christ., Edit., Venet. 1490, Soubron., Tornes. 1579, Genev. 1613, et Isæanæ ; faventibus quoque aliis 7 Reg. inter quos est optimus Puteanus, 4 Colb., Gat., Marm., 1 Clarom., Brun., et editt. Rom. 1468, 1470, ac Cellar., in quibus legitur *Paneum* ; item mss. quibusdam Vaticanis et Pen. quibus

Digitized by Google

cœli stela. Postquam eo ascendit, contemplatus est late terras, ibique eo in monte aram creat cœlo; primusque in ea ara Jupiter sacrificavit: in eo loco suspexit in cœlum quod nunc nos nominamus, idque quod supra mundum erat, quod æther vocabatur, de sui avi nomine cœlo nomen indidit: idque Jupiter, quod æther vocatur, precans, primum cœlum nominavit; eamque hostiam, quam ibi sacravit, totam adolevit. » Nec hic tantum sacrificasse Jupiter invenitur. Cæsar quoque in Arato refert Aglaosthenem dicere, Jovem cum ex insula Naxo adversus Titanas proficisceretur, et sacrificium faceret in littore, aquilam ei in auspicium advolasse; quam victor bono omine acceptam tutelæ suæ subjugarit. Sacra vero Historia(*scilicet Ennii*) etiam ante consedisse illi aquilam in capite, atque illi regnum portendisse, testatur. Cui ergo sacrificare Jupiter potuit, nisi cœlo avo? quem dicit Euhemerus in Oceania mortuum, et in oppido Aulacia sepultum.

CAPUT XII.

Quod stoici figmenta poetarum ad philosophicam tranferunt rationem.

Quoniam revelavimus mysteria poetarum, et Saturni parentes invenimus, ad virtutes ejus et facta redeamus. Justus in regno fuit. Primum ex hoc ipso jam Deus non est, quod fuit: Deinde quod ne justus quidem fuit; sed impius, non modo in filios quos necavit, verum etiam in patrem, cujus dicitur abscidisse genitalia; quod forsitan vere acciderit. Sed

VARIORUM NOTÆ.

est *Panæum*. In ms. Reg. antiquissimo *Pavenium*, in Em. *Paneam*, plur. Vatic. et 8 edit., *Pantum*, 1 Colb. *Pancum*, 1 al. Colb., Nav., Vict., *Paucum*, in 1 Clarom. *Panen*, in edit. Cratand., Antwerp. 1539, et apud Bocatium, l. III, *Pangæum*: qui altus est Thraciæ mons in Macedoniæ confinio, Philippis urbi imminens.— *Paneum*. Una voce quoque edd. Reimm. Ven. 1471, utraque 1478, 97, Rost. *Paneum*; Lips., 1, Pal., Bon., Tax. et multi Vaticani divisim *Pan eum*; ex iisdem alii: *Pan eum deducit in montem*. Cretæ. BUN.

Cœli stela. Sic prorsus legendum esse censent eruditi viri Petrus Ciaconius, Isæus, Baluzius, Francius, Cellarius, aliique; non abludente ms. Victorino, in quo a prima manu est *stelia*, a στήλη. *Stela* est columna. Martianus Capella l. II: *Quasque librorum notas Athanasia conspiciens, quibusdam eminentibus saxis jussit adscribi, atque intra specum per Ægyptiorum abdita collocari, eademque saxa stelas appellans, deorum stemmata continere*. Hunc igitur montem ob ejus altitudinem, *cœli stelam*, hoc est *columnam*, vocatum vult, tamquam qui cœlum contingere atque sustinere videretur. In mss. 10 Reg., 6 Colb., Sorbon., Nav., Vict., Gat., Marm., 2 Clarom., Brun., et in editis *stella*.

Quod nunc nominamus. Ita lego cum mss. 9 Reg. (quorum unus est optimus Puteanus), 6 Colb., Nav., Vict., 1 Sorbon., Gat., Marm. 1 Bon. Lips., 2 Clarom., Brun., edit. Rom. 1468, 1470. Editi multi, *quod nominatur* οὐρανός; 1 Bonon. antiquior, *quod nominatur*, simpliciter, sine οὐρανός: quæ vox inepte addita est, cum Lactantius ipse se mox interpretetur, *quod nunc cœlum nominamus*, tum ita primum a Jove fuisse nominatum.

Quod æther vocabatur. Ita mss. omnes cum editis Rom. 1468, 1470, et Tornes. 1579. Cæteri editi, *vocatur*.

Precans. Mss. 12 rec. multique editi. *placans*; quod participium abest a Lipsiensibus. In 1 Colb. est *deprecans*.

Sacravit. Lipsienses codd., *sacrificavit*. CELL.

Cæsar quoque in Arato. Ea verba nunc quoque in scholiaste Germanici supersunt; unde constat antiquitas scriptori. Fuisse vero dubius hic commentator etiam Lactantii ævo videtur: quem enim simpliciter Cæsarem citat, eum germanicum Cæsarem aperte vocat c. 21 ejusdem l. et claris verbis l. V, c. 5. Scholia Grammaticum sapiunt, sed et Grammaticam curabant tum primi apud Romanos proceres. BARTHIUS.

Aglaosthenem. Goth. vitiose, *Aglaosthen*. Scripsit *Aglaosthenes*, historiam Rer. Naxicarum. Naxus insula in Cycladibus. Voss. Hist. Gr., l. III, p. 318. Muncker. ad Hygin. Astron., c. 2, pr. et ipse Hygin. Poet. Astr., c. 16 et 17.

Aquilam ei in auspicium, etc. Aquila apud veteres auspiciis fuit accommodatissima. FESTUS.—Qua de re vide Suetonium in Octavio Augusto, ubi ob circumvolantem aquilam non semel plebs ipsi bene fuit ominata.

Tutelæ suæ. Quid sit *tutela* dictum est supra.

In Oceania. Sic emendavimus ex vetustissimis et optimis 2 Reg. aliisque 4 Reg., ac editis Rom. 1470 et 1474, faventibus mss. 2 Clarom. Gat., Marm., edit. Rom. 1468, quibus est *in Occeania*, Lips. *Occeana*, 1 Reg. rec. *in Octavia*, corrupte; 1 Colb., Nav., Vict., 2 Brun., *in Oceani*, mendose; 1 Reg. rec. et multi editi, *in Oceano*. Oceaniam, auctore Stephano, Lybiam, ubi Uranus habitavit, esse existimant nonnulli; alii melius (ut nobis videtur) Cretam, quæ a Creta nympha hoc posterius nomen nacta est. Vide Plinium Histor. natur., l. IV, c. 12. Pro hac enim ultima opinione facere videntur duo subsequentia Lactantii verba, *in oppido Aulacia;* nam una ex centum urbibus esse perhibetur, quæ in Creta insula conditæ fuerant. — *In Oceania... in oppido Aulatia*. Oppidi nomen aliis *Aulacia*, aliis *Aularia*. Lips. 1, *Alaria*. CELL.

Aulacia. Ita mss. 1 Regio-Putaneus, Tornesianus et 1 Clarom. In 1 Reg. vetustissimo, *Autlacia*. In antiquis editionibus *Alacia*, in 2 Reg., 1 Clarom. et ed. Reg., *Aulatia*. 1 Lips., *Alaria*.

Quod fuit. Quia de Deo non potest dici quod fuit; est enim *qui est* (Exodi III): est enim sibi constans et semper idem.

Quos necavit. Quia dicitur eos vorasse, vel potius in carcerem eos detrusisse.

Cujus dicitur abscidisse genitalia. Sic restituimus ex omnibus manuscriptis, præter 1 Colbertinum in quo est *cui*, sicut et in editis. Vulgo dicitur Jovem exsecuisse Saturnum. Lycophron. in Cassand. vs. 76. Alii referunt Saturnum abscidisse genitalia Cœlo. Apollonius Argonautic. lib. IV, vs. 984:

> Hic, ubi Saturni falx abdita (parcite Musæ,
> Invitus refero, quæ nos docuere priores),
> Quæ patris abscidit genitalia.

In Apollonii scholiis Timæus agnoscit ancipitem esse fabulam; Corcyram Drepanen vocari dicens, *a falce, qua Cœli pudenda exsecuit Saturnus, aut Saturni Jupiter*. BOCHART. — De hac fabula vide Macrobium libro I, c. 8, qui omnia refert ad rationes physicas.

Digitized by Google

homines respectu elementi, quod dicitur cœlum, totam fabulam explodunt tamquam ineptissime fictam: quam tamen stoici (ut solent) ad rationem physicam conantur traducere; quorum sententiam Cicero, de Natura deorum (*lib.* II, *cap.* 24) disserens, posuit: « Cœlestem, inquit, altissimam ætheriamque naturam, id est igneam, quæ per sese omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis, quæ conjunctione alterius egeret ad procreandum: quæ ratio in Vestam potuit convenire, si mas diceretur. Idcirco enim virginem putant Vestam, quia ignis inviolabile sit elementum, nihilque nasci possit ex eo, quippe qui omnia quæ arripuerit absumat. » Ovidius in Fastis (*Lib.* VI, *v.* 291 *sqq.*):

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam;
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Jure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit, et comites virginitatis amat.

Vulcano quoque id potuit adscribi, qui quidem putatur ignis; et tamen eum poetæ non absciderunt. Potuit et Soli, in quo est natura et causa gignentium; nam sine Solis igneo calore neque nasci quidquam, neque augeri potest: ut nulli alii elemento magis opus sit genitalibus, quam calori, cujus fotu concipiuntur, nascuntur, sustentantur omnia. Postremo etiamsi ita sit (ut volunt) qui magis abscissum esse Cœlum putemus, quam omnino sine genitalibus natum? Nam si per se gignit, non indigebat utique genitalibus, cum Saturnum ipsum procrearet. Si vero habuit, et a filio abscissa sunt, ortus rerum, et natura omnis interisset. Quid, quod ipsi Saturno non divinum modo sensum, sed humanum quoque adimunt, cum affirmant eum esse Saturnum, qui cursum et conversionem spatiorum et temporum continet; eumque græce id ipsum nomen habere. Κρόνος enim dicitur, quod est idem, quod χρόνος, id est spatium temporis. Saturnus autem est appellatus, quod saturetur annis. Hæc Ciceronis verba sunt exponentis sententiam stoicorum (*Lib.* II *de Nat. deor*, c. 64): «Quæ quam vana sit, cuivis intelligere promptissimum est. Si enim Saturnus Cœli est filius, quomodo potuit aut tempus a Cœlo gigni, aut Cœlum a tempore abscidi, aut postea tempus imperio spoliari a filio Jove? Aut quomodo Jupiter natus est ex tempore? Aut quibus annis saturari possit æternitas, cui nullus est finis?»

CAPUT XIII.

Quam vanæ sint et inanes stoicorum interpretationes de diis; et ibi de Jovis ortu, Saturno et Ope.

Si ergo vanæ sunt istæ rationes philosophorum, quid superest, nisi ut vere factum esse credamus, id est hominem ab homine abscissum? nisi forte aliquis existimet deum fuisse, qui timuit cohæredem: cum, si quid divinitatis habuisset, non patris genitalia debuerit amputare, sed propria, ne Jupiter nasceretur,

VARIORUM NOTÆ.

Abscidisse. Alii de Jove, alii de Saturno referunt. Conf. Tertull. 2, ad Nat., c. 12; Orig. l. 1; Cels. p. 14, lib. IV, pag. 196; Athenag. pro Christ. p. 70, 71 et p. 85; Huetius in Demonstr Evang. ad Chamum patrem denudatum videntem, cum Bocharto applicat. Quintilianus auctor est l. 1, Inst. c. 6. Modestum scripsisse, quia Cœlo Saturnus genitalia absciderit, hoc nomine appellatos *cœlibes*. BUNEMAN.

Ad rationem physicam. Cap. 11. not. et Tertull. 1 adv. Marc. c. 13. BUN.

Egeret. mss. 1 Colbert et Brun. *egeat;* nec male.

Putant vestam. Duplex apud antiquos fuit Vesta; una Saturni mater, quæ etiam pro terra sumitur, et dicitur deorum mater et magna mater; altera autem Saturni fuit filia: huic ultimæ cum Jupiter Titanas vicisset, optionem dedit, virginitatem, optavit. De hac ultima agitur in sequentibus Ovidii carminibus, quæ sunt libro VI Fastorum. Hujus Vestæ sacra fuerunt vetustissima apud Romanos; ab ea enim fluit ignis æterni per Vestales custodia et cura.

Qui quidem putatur ignis. Quod ignis usum Volcanus primus mortalibus indicasse putatur: in cujus beneficii memoriam solemni die, quem *Lampadon* appellabant Athenienses, accensis a foco Vestæ facibus, per urbem discurrebant. BETULEIUS.

Eum poetæ non absciderunt. Eum correximus ex mss. et editis Rom. Soubron, Gymnic., Fasitel., Tornes. et rec. 2, Lips. In editis Thys. et Gall. *eam* mendose.

Sine Solis igneo, etc. De hac Solis ad omnium generationem necessitate, vide Platonem in sexto Politicor. et alios.

Cursum et conversionem, etc. Quia Saturnus propter vetustatem est veluti temporis symbolum, de quo vide Heraclidis Pontici Allegorica, sicut et Fulgentium atque etiam Macrob. et S. Aug. de Civit. Dei, l. XVII, c. 19.

Κρόνος. De quo vide Macrobium lib. 1 Saturnal., cap. 22 et 29.—Hinc Saturni sacra *Croniu* dicta Accio. Conf. Savaron. ad Sidon. Carm. 15, p. 149. Huet D. E. p. 257. BUN.

Saturnus, quod saturetur. Huetius c. 1. p. 290. a מתר, *latuit*, cum aliis A. Acoluthus statuit, verissime derivari ab Armenico, s. Ægyptiaco SATOR, cum N suffixo, ut *Saturn* sit *magnus cultor;* habetur enim pro inventore falcis messoriæ, quæ genitalia cœli, id est, gramina, herbas, flores, segetes, cœli, beneficio progenitas, desecuit. Vid. Acoluthi Epist. ad B. Abb. Luccensem MOLANUM in Leibnitii Collect. Etymol. pag. 162. BUN.

E cœlo gigni. Cum Goth. ex Lips. Rost. Ven. 1471, 72, utraque faciunt; *sed facile apparet*, inquit Heumannus, a cœlo *rescribi oportere.* Non puto. Sic dixit c. 11, *apparet non* ex cœlo *natum esse.* Latini enim haud raro dicunt, gigni, generari, nasci ex aliquo, ex aliqua. BUN.

Abscidi. Ita omnes fere mss. et editi codices. Et olim dictum fuisse *abscidere* pro *abscindere*, a me observatum est ad Paulin. ep. 11 novæ ed. n. 7. Sic ait Joan Bapt. *le Brun*, cujus hæc editio S. Paulini.

Vere. Id est, non allegorice.

Nisi forte aliquis existimet. Sic omnes libri in conjunctivo, *existimet*, præter Lips. tert. et Reimm. *existimat.* Heumann. *Lege*, inquit *existimat; ita enim Latini loquuntur.* Lactantius l. 1, c. 3: *Nisi forte arbitremur*, ubi noto; de Ira, cap. 10: *Nisi forte quis arbitretur.* Cicero l. X, Att., 8: *Nisi forte... censueris.* BUN.

Timuit. Ergo Deus non erat existimandus; timor enim in deum cadere non potest.

Digitized by Google

qui eum regni possessione privavit. Idem sororem suam Rheam, quam latine Opem dicimus, cum haberet uxorem, responso vetitus esse dicitur, mares liberos educare; quod futurum esset, ut a filio pelleretur: quam rem metuens, natos sibi filios non utique devorabat (ut ferunt fabulæ) sed necabat; quamquam scriptum sit in Historia sacra (*scilicet* Ennii) Saturnum, et Opem, cæterosque tunc homines humanam carnem solitos esitare: verum primum Jovem, leges hominibus moresque condentem, edicto prohibuisse ne liceret eo cibo vesci. Quod si verum est, quæ potest in eo fuisse justitia? Sed fictum sane putemus, Saturnum filios devorasse, modo quum aliqua ratione: num idcirco, quod ait vulgus comedisse filios suos eum qui extulerit, sepulturæque mandaverit? Ops autem cum Jovem peperisset, subtraxit infantem, eumque nutriendum furtim misit in Cretam. Rursum imprudentiam reprehendam necesse est. Cur enim responsum ab alio potius accepit? Cur in cœlo constitutus, quæ gerebantur in terra, non videbat? Cur eum Corybantes cymbalis fefellerunt? Postremo cur extitit aliqua vis major, quæ illius vinceret potestatem? Nimirum senex a juvene facile victus est, ac spoliatus imperio. Fugit igitur, et in Italiam navigio venit, cum errasset diu; sicut expulsus Ovidius in Fastorum libris (*libro primo*) refert:

> Causa ratis superest. Thuscum rate venit ad amnem
> Ante pererrato falcifer orbe Deus.

Hunc errantem atque inopem Janus excepit. Cujus rei argumenta sunt nummi veteres, in quibus est cum duplici fronte Janus, et in altera parte navis; sicut idem poeta (*ibidem*) subjecit:

> At bona posteritas puppim formavit in ære,
> Hospitis adventum testificata dei.

Omnes ergo non tantum poetæ, sed historiarum quoque ac rerum antiquarum scriptores, hominem fuisse consentiunt, qui res ejus in Italia gestas memoriæ prodiderunt: Græci, Diodorus et Thallus; Latini, Nepos et Cassius et Varro. Nam cum agresti

VARIORUM NOTÆ.

Idem. Mss. Pal. 1, Colb., 1 Lips. et Brun. *Item.* *Responso vetitus.* Responso Telluris matris. Apollodor. I, c. 1. CELL.

Sed necabat. Poetæ volunt omnes liberos a Saturno devoratos, præter tres, Jovem, Neptunum, Plutonem, qui soli superstites orbem universum inter se diviserunt. Vide Hesiodum in Theogonia.

Num idcirco. Ita restitui ex quamplurimis mss. et edd. Betul. et Is. Vide supra cap. 11, similem locution. ms. Em., *Nam*, male, pro *num.*; 1 Lips. et plures editi, *nunc idcirco... mandaverit?* Alii sine interrogatione. mss. 2. Colb. et 1, Clarom., *non idcirco.*

Num idcirco. Subaudi *putemus.* BUN.

Qui extulerit, sepulturæque mandaverit. Venter et os per comparationem sepulcrum appellantur: hinc David Ps. XIII, v. 6, *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Ad quem locum allusum ab Optato Afro lib. II adversus Parm.: *Unde furori vestro tanta fames innata est, ut guttura vestra sepulcro patentiora feceretis? Unicuique sepulcro sufficit unum funus, et clauditur; gutturi vestro honorum funera minime sufficiunt, et adhuc patet dum aliquos quæritis devorare.* Valer. Max. de Artemisia, lib. IV, c. 6; Quintilian. Declam. 12: *Æstuant adhuc intra pectus sepulcra ventribus nostris cognata viscera.* Quia igitur venter et os sepulcrum appellantur, hinc Saturnus devorasse filios dictus est, quos extulerat sepelieratque. KIRCHMANNUS.

Furtim misit in Cretam. Antea, c. 11. idem dictum, quod de Creta insula fere omnes intelligunt. BUNEMANUS.

Corybantes. Ii erant Cybeles sacerdotes, qui, sacro correpti furore, cymbala pulsabant. Idam primum, Phrygiæ montem, ac postea Cretam habitarunt, ubi Jovem infantem aluerunt. De eorum nomine putat Diodorus Siculus, quod illud habuerint a Corybanto, Jasii et Ideæ filio. — *Corybantes.* Liber I, cap. 21. In nummo totam fabulam oculis contrectandam dedit Minuc. c. 21, pag. 201. Spanhem. ad Callim. in Gronovius ad Jovem, p. 21, 23. Conf. Luciani dial. Vener. et Cupid. p. 206, et de Saltat. p. 78. Langbein ad Dionys. Longin. *παρὰ ὕψους*, sect. 39; Voss. Theol. Gentil. l. II, c. 53. Montfaucon, Antiqu. Expliq. tom I, f. 301, sq. BUN.

Aliqua vis major. Ita mss. codices. In editis post *aliqua vis*, additum est *potentior aut*, quod est glossema. Quis etiam credat Lactantium scripsisse *vis potentior, quæ illius vinceret potestatem?*

Janus. Arnob. III, p. 117; Cypr., Idol. Van. cap. 1, 4; Tertull. Apol. cap. 10; Plin. lib. 33, c. 3, sect. 13; cætera dant notæ ad Minuc. Fel. c. 22. Crenius p. IX Animadv., p. 52, maxime Montfauc. t. I. Ant. Expl. BUN.

Cujus rei argumenta sunt nummi veteres, etc. Mss. 1, Colb. et Brun., *Cui rei argumenta sunt.* Vide Plutarchum in Ῥωμαϊκοῖς, qui tamen rationem non approbat, quia id Saturno cum multis commune fuit. Ut igitur quod mihi magis probabile videtur, proferam, puto veteres symbolo navis aliud quidpiam significasse, nempe Arcam Noe, qua cum suis ab universali diluvio fuit servatus. Per Janum multi existimant eumdem Noam intelligendum, eumque bifrontem pingi, eo quod viderit sæculum quod fuit ante et post diluvium. *Ex* BOCHARTO, qui omnia refert ad Noachicam familiam. — Videsis etiam Dickinson in diatriba de Noe nominibus ethnicis. Sed recentiores ope veterum historicorum, relicta metaphora, ad res quæ magis sunt verosimiles accedunt. — Hi nummi dicuntur *Jani ratiti, ratici Janicolæ;* de quibus vide Jobertum e Societate Jesu in eleganti libro de Notitia Rei nummariæ. Hos nummos commemorant Plinius lib. 33, Historiæ natur. cap. 13; Plutarchus, in Quæstionib. Romanis; Macrobius, Saturnal. lib. I, cap. 7.

Formavit. Ita omnes mss. et editi codices Lactantiani: at meliores libri Ovidiani, *servavit.*

Prodiderunt. Mss. 1 Colbert., 1 Clarom. et Brun. *tradiderunt.*

Diodorus et Thallus, etc. Tertull. Apol. *Saturnum, neque Diodorus Græcus, aut Thallus, neque Cassius Severus, aut Cornelius Nepos, aliud quam hominem provulgarunt.* Thallus Syriacam Historiam diligenter tractavit, ut auctor est Africanus apud Euseb. de Præpar. Evang., lib. X, cap. 3; item Euseb. lib. I Chronic. — Diodorus Siculus, lib. III, cap. 61. CELL.

Thallus. Cap. 23. Minuc. Fel. c. 22. Tertull. II ad Nat. c. 12, rectius quam Goth. et Reinm. *Thallius.* BUN.

Thallus... Nepos, Cassius. Nepos in Chronicorum libris, qui una cum Thalli et Cassii Severi historiis interierunt. Eosdem auctores de Saturni regno terrestri Minucius Felix citat, et Tertullianus Apolog. cap. 10. CELL.

Digitized by Google

quodam more in Italia viveretur,

Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit; legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Censet nc aliquis deum esse, qui pulsus est, qui fugit, qui latuit? Nemo tam stultus est. Qui enim fugit aut latet, et vim et mortem timeat necesse est. Orpheus, qui temporibus ejus recentior fuit, aperte Saturnum in terra et apud homines regnassé commemorat :

Πρώτιστος μὲν ἄνασσεν ἐπιχθονίων Κρόνος ἀνδρῶν,
Ἐκ δὲ Κρόνου γένετ' αὖτὸς ἄναξ, μέγας, εὐρυόπα Ζεύς.

Item Maro noster :

Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat;

Et alio loco :

Aureaque (ut perhibent) illo sub rege fuere
Sæcula : sic placida populos in pace regebat.

Neque superius dixit in cœlo egisse vitam, neque inferius superos in pace rexisse : unde apparet illum regem fuisse terrenum ; quod alibi apertius declarat :

Aurea condet
Sæcula; qui rursus Latio, regnata per arva
Saturno quondam.

Ennius quidem in Euhemero non primum dicit regnasse Saturnum, sed Uranum patrem. Initio, inquit, primus in terris imperium summum Cœlus habuit ; is id regnum una cum fratribus suis instituit atque paravit. Non magna dissensio, siquidem maximorum auctorum de filio ac patre dubitatio est. Sed tamen utrumque fieri potest : ut et primus Uranus eminere inter cæteros potentia cœperit, et principatum A habere, non regnum ; postea Saturnus majores sibi opes comparaverit, ac regium nomen asciverit.

CAPUT XIV.

Quid de diis Euhemeri et Ennii doceat sacra historia.

Nunc quoniam ab iis, quæ retulimus, aliquantulum sacra Historia dissentit, aperiamus ea quæ veris litteris continentur, ne poetarum ineptias in accusandis religionibus sequi ac probare videamur. Hæc Ennii verba sunt : « Exin Saturnus uxorem duxit Opem. Titan, qui major natu erat, postulat ut ipse regnaret. Ibi Vesta mater eorum, et sorores Ceres atque Ops, suadent Saturno, ut de regno non concedat fratri. Ibi Titan, qui facie deterior esset, quam Saturnus, idcirco et quod videbat matrem atque sorores suas B operam dare ut Saturnus regnaret, concessit ei ut is regnaret. Itaque pactus est cum Saturno, uti si quid liberum virilis sexus ei natum esset, ne educaret. Id ejus rei causa fecit, uti ad suos gnatos regnum rediret. Tum Saturno filius qui primus natus est, eum necaverunt. Deinde posterius nati sunt gemini, Jupiter atque Juno. Tum Junonem Saturno in conspectum dedere, atque Jovem clam abscondunt, dantque eum Vestæ educandum, celantes Saturnum. Item Neptunum clam Saturno Ops parit, eumque clanculum abscondit. Ad eumdem modum tertio partu Ops parit geminos, Plutonem et Glaucam. Pluto Latine est Dispater : alii Orcum vocant. Ibi Glaucam filiam Saturno ostendunt, ac filium Plutonem celant atque C abscondunt. Deinde Glauca parva emoritur. » Hæc

VARIORUM NOTÆ.

Is genus, etc. *Virg.* VIII *Æneid.*, 320. Hæc verba citantur etiam ab Augustino lib. VII, de Civit. Dei, cap. 26.

His quoniam latuisset tutus in oris. Hinc Saturni nomen deduco a verbo hebræo SATAR, *latuit, abscondit;* ita ut Saturnus idem sit ac Latius, unde terra Saturnia, dicta etiam *Latium*. *Ex* Vossio.

Πρώτιστος, etc. Latine sic,

Primus quidem regnator erat terrestrium Saturnus virorum,
Ex Saturno autem genitus est ipse rex magnus,
Et late cuncta intuens Jupiter.

Aurea condet. Ex lib. VI, *Æneid.*, 793, ubi Anchises pater filio Æneæ de Augusto Cæsare hæc vaticinatur.

Sæcula; qui rursus Latio. Lego *qui*, ut apud Maronem et in cunctis Lactantii mss. codicibus, præter Brun. et edit. in quibus est *quæ*. Nam ibi de Augusto loquitur.

Cœlus habuit. Sic restitui ex omnibus mss. quorum 5 rec. habent *Cœlius*; cuncti pene editi, *Uranus*.

Sacra historia. Scilicet Euhemeri quam, interpretatus est Ennius.

Facie deterior. Ita restitui ex omnibus fere mss. et 8. impressis. Cæteri excusi cum mss. 2, Reg. rec. et 1 Brun., *facile*. At *facie deterior*, recte : Gallice, *plus laid de visage*. — *Facile deterior*. Goth., Lips. tert., Reimm., Ven., utraque 1478, Crat., Tornes. 3, *Facie deterior*. Non male : deterius Ven. 1471, *facie clarior*. BUNEMAN.

Sorores suas operam dare. Sic restituimus ex omnibus fere mss. et editis. In edd. Gall. et Spark, *suam*, quæ vox abest a 2 Reg. recent. Hæc verba, *atque sorores suas*, desunt in ed. Sublac.

Concessit ei. mss. Em., Christ. et ed. Cellar., *eis*, scilicet matri et sororibus.

Filius. Per Antiptosim pro *Filium*, ut : *Sermonem quem audistis, non est meus; Urbem quam statuo, vestra est.* ISÆUS.

Junonem Saturno in conspectum dedere. More veterum, qui prolem in conspectum patris dedere, ut eam genuinam et ejus sobolem esse agnosceret. Cum illam acciperet in gremium tolleretque, signum fuit agnitæ sobolis. WALCHIUS.

Celantes Saturnum. Goth., Sublac., Ven. 1471, secunda 1478, Rost., *celantes Saturno*. BUN.

Pluto latine est Dispater. Sic habent quidam mss. teste Isæo ; et sic ipse legendum esse censet. Cor- D rectioni nostræ favent vetustissimi mss. Regio-Putean us a prima manu, et Cauc. in quibus est, *Diispater*, quod puto librarium scripisse pro *Dispater*, qui est Pluto ; et 1 Clarom. in quo est *Dispiter*. In multis mss. et in omnibus fere editis est *Diespiter :* quod Jovis, non Plutonis, cognomen est, teste Macrobio Saturnal. I, cap. 15. Pluto latine sonat *Dis;* et sic vocatus est Æneid. lib. VI, v. 269, id est *dives*. Pluto autem (ut notat Cicero lib. II, de Nat. deorum) est *Dispater*, quasi dicas, *pater dives*, vel, *Deus divitiarum* : Quia *Dis*, ut apud Græcos, πλουτῶν. Arnob. lib. II, in fine : *Cum ex Apollinis monitu patri Diti, ac Saturno humanis capitibus supplicaretur.* Qua autem ratione in cæteris Lactantii mss. et editis vocatur *Diespiter* non video. Nomen enim Diespitris Jovi attributum fuisse notissimum est; at Plutoni nunquam quod sciam.

Orcum vocant. Ita restitutum ex mss. codicibus, præter duos Reg. rec. in quibus, sicut et in editis, est *dicunt*.

Digitized by Google

(ut scripta sunt) Jovis fratrumque ejus stirps, atque cognatio in hunc modum nobis ex sacra scriptione tradita est. Item paulo post hæc infert : « Deinde Titan, postquam rescivit Saturno filios procreatos, atque educatos esse clam, seducit secum filios suos, qui Titani vocantur, fratremque suum Saturnum, atque Opem comprehendit, eosque muro circumegit, et custodiam his apponit. »

Hæc historia quam vera sit, docet Sibylla Erythræa, eadem fere dicens; nisi quod in paucis, quæ ad rem non pertinent, discrepat. Jupiter ergo liberatur summi sceleris crimine, quod patrem vinxisse compedibus perhibetur : id enim Titan patruus fecit quod ille contra pactionem jusque jurandum mares liberos sustulisset. Reliqua historia sic contexitur : Jovem adultum, cum audisset patrem atque matrem custodiis circumseptos, atque in vincula conjectos, venisse cum magna Cretensium multitudine, Titanumque ac filios ejus pugnando vicisse, parentes vinculis exemisse, patri regnum reddidisse, atque ita in Cretam remeasse : Post hæc deinde Saturno datam sortem, ut caveret ne filius eum regno expelleret : illum elevandæ sortis atque effugiendi periculi gratia, insidiatum Jovi, ut eum necaret : Jovem, cognitis insidiis, regnum sibi denuo vindicasse, ac fugasse Saturnum, qui, cum jactatus esset per omnes terras, persequentibus armatis, quos ad eum comprehendendum vel necandum Jupiter miserat, vix in Italia locum, in quo lateret, invenit.

CAPUT XV.

Quomodo, cum fuerint illi homines, dii fuerint nominati

Quibus ex rebus, cum constet illos homines fuisse, non est obscurum qua ratione dii cœperint nominari. Si enim nulli reges ante Saturnum vel Uranum fuerunt propter hominum raritatem, qui agrestem vitam sine ullo rectore vivebant : non est dubium quin illis temporibus homines regem ipsum totamque gentem summis laudibus ac novis honoribus jactare cœperint, ut etiam deos appellarent, sive ob miraculum virtutis (hoc vere putabant rudes adhuc et simplices), sive (ut fieri solet) in adulationem præsentis potentiæ, sive ob beneficia quibus erant ad humanitatem compositi. Deinde ipsi reges, cum chari fuissent iis, quorum vitam composuerant, magnum sui desiderium mortui reliquerunt. Itaque homines eorum simulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium; progressique longius

VARIORUM NOTÆ.

Ut scripta sunt. Dele, inquit Heumannus; *est glossema.* Imo sunt verba Ennii repetita in Epitome, c. 13, non ergo delenda. Bun.

Hæc infert. Sic reposuimus ex mss. codicibus, præter duos Colbert. rec. et edd. in quibus est, *refert.*

Eosque muro circumegit. Sic cuncti pene mss. et editi omnes; ita ut nullus dubitem sic scripsisse Lactantium : Quasi dicas, *muro egit circum eos.* Equidem nullum auctorem latinum sic locutum invenio. Quidam malunt legere *murum*, ut in uno recentiore Colbertino. An mavis legere *eosque muros circumegit*, cum duobus Regiis, ex quibus unus est omnium vetustissimus? Vel hic *circumegit* est pro *circumdedit*, vel *cinxit*, seu *circumduxit*, ut est apud Virgilium :

Stridentem fundam circum caput egit.

Quod propius est latinitatis indoli, ut a *circum* casus pendeat. Sed verbum *circumdedit* Sparckio magis arridet, quam *circumegit.*

Iis. Sic correxi ex mss. Reimm. *hiis*, id est, iis. Bun.

Sybilla, etc. Sybyllina carmina, *serm.* 3 : Ἤνικα δ' ἤκουσαν, etc.

Sustulisset. Id est, e terra sublatos, susceptos educasset, lib. I, cap. 16. Plura Pitisc. ad Curt. l. IX, cap. 1, 25 not. 58. Schott. ad. Senec. l. IV Controv.., 26 p. 313. Barth. ad Stat. I. Silv. II, 109, p. 66, et Bartholin. de Puerperio veterum, p. 72, sq. Bun.

Audisset. Ita mss. præter tres rec. in quibus, *vidisset.* In editis, *audivisset.*

Titanumque. Sic in editis ac mss. si quinque vulgatos excipias, in quibus est *Titanem.*

Filios ejus pugnando vicisse. Ita mss. quamplurimi et optim. In 3 Reg., 1 Colb. et Brun., *filios ejus pugna vicisse*; in 1 Colbert., *filios ejus expugnavisse*; in Christ., 2 Colb. et edit. Tornes. *filios ejus expugnasse.* In 1 Reg. rec., *socios suos expugnasse.*

Post hæc deinde. Pleonasmus. Vid. not. l. II, c. 13, *Postea deinde.* l. VII, c. 5. *Post deinde; posthæc deinde.* Ex Colum. III, 4, indicavit Heusinger, ad Vechner, pag. 157. Bun.

Sortis. Oraculi. Vid. not. l. I, cap. 6. Bun.

Elevandæ sortis. Id est, imminuendæ. In 1 Christ., *alienandæ*; 1 Colbert., *allevandæ.*

Honoribus jactare. Sic Reim. et plurimi. At Ven. 1471 et Rost. 1476, *honoribus tractare.* Utraque Ven. 1478, *honoribus ictare.* Corrupte. Insolens *honoribus jactare aliquem*; mallem *honoribus mactare.* Ita Lact. l. V., c. 9 : *Eos laudant et honoribus mactant.* Ubi plura dant a me citati auctores. Bun.

Ut etiam deos appellarent, sive ob, etc. Origo consecrationis est hujusmodi. Mos erat antiquissimis temporibus, ut conditoribus urbium, aut aliis de publica re et vita communi bene meritis, a morte summi honores decernerentur, qui ἡρωικαὶ τιμαὶ dicebantur. Adulatio ac postea superstitio θεοποιΐαν invenit, et paulatim pro diis haberi cœperunt, quibus antea heroici tantum honores fuerant decreti : Plutarch. in Mulier. præclaris factis. Hanc esse consecrationis originem, præter Lactant. hoc loco, etiam Athenagoras, Euseb., Theodoret., Minut. Fel. aliique diserte tradunt. Hinc igitur phrases adulationis plenissimæ, *in deorum numerum referre, in deos referre*, ἀποθεοῦν, vel θεὸν ποιεῖν, quibus abundant Veterum scripta. Hac adulatione reliquos mortales omnes superarunt Athenienses, ut notum omnibus iis, qui ipsorum historiam leviter tantum degustarunt. Kirchmannus.

Ut fieri solet. Sublac. et Rost., *ut solet.* Haud raro illud *fieri* Lactantius aliique omittunt. Conf. l. I, c. 6, not.; l. VI, c. 10, not. Bun.

In adulationem. Vide S. Augustin. de Civit. Dei lib. II, cap. 15.

Ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium. Cyprianus in tract. quod Idola dii non sunt : *Deos non esse, quos vulgus colit, hinc notum est. Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos postmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis instituta templa; inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos, expressa simulacra : nam et immolabant hostias, et dies festos dando honore celebrabant; inde posteris facta sunt sacra, quæ primis assumpta fuerant solatia.* Sic etiam apud profanos auctores. Servius ad I Georg. de Sylvano. Senec. epist. 40 de imaginibus loquens : « Desiderium absentiæ falso atque inani

Digitized by Google

per amorem meriti, memoriam defunctorum colere cœperunt; ut et gratiam referre bene meritis viderentur, et successores eorum allicerent ad bene imperandi cupiditatem. Quod Cicero de Natura deorum (l. II, c. 14) docet, dicens : « Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber. » Et alio loco : « Atque in plerisque civitatibus intelligi potest, acuendæ virtutis gratia, aut quo libentius reipublicæ causa periculum adiret optimus quisque virorum fortium, memoriam honore deorum immortalium consecratam. » Hac scilicet ratione Romani Cæsares suos consecraverunt, et Mauri reges suos. Sic paulatim religiones esse cœperunt, dum illi primi, qui eos noverant, eo ritu suos liberos ac nepotes, deinde omnes posteros imbuerunt. Et hi tamen summi reges ob celebritatem nominis in provinciis omnibus colebantur.

Privatim vero singuli populi gentis aut urbis suæ conditores, seu viri fortitudine insignes erant, seu fœminæ castitate mirabiles, summa veneratione coluerunt; ut Ægyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Cabirum, Pœni Uranum, Latini Faunum, Sabini Sancum,

VARIORUM NOTÆ.

solatio levant. » Videsis Tacit. Annal. XII. etc. *Ex* PRICÆO.

Per amorem meriti. Sic ms. 1 Bonon. antiq. et 10 editi. Abest *meriti* a 25 scriptis, et vet. edit. Rom., Betul., Tornes., Is.

Tollerent. Ex Cicerone de Nat. deor. lib II, c. 62, et omnibus mss. nostris ac edit. Tornes. sic emendamus. In editis est, *tolleret.*

Et alio loco : Atque in plerisque civitatibus. In editis Is., Gall. et Spark. erat, *Atque adeo ;* quæ ultima vox abest a mss. Regiis, 1 Colb., 2 Brun. et ab ipso Cicerone lib. III de Nat. deor. cap. 50. In mss. 5 Colb., 2 Clarom., Christ. et in omnibus fere edit. adhuc ineptius, *Et alio loco, atque alio in plerisque civitatibus ;* cum verba Ciceronis quæ sequuntur, non nisi ex uno, quem signavimus loco, deprompta sint omnia. *Atque* satis inutile videtur : sed illud utpote Ciceronis sine necessitate conservavit Lactantius, ut Tullianum *autem* ex superiore loco, ex lib. II. cap. 24. *Alio* frustra ex antecedente repetitum.

Acuendæ. Ita omnes editi et mss. uno dempto. Apud Ciceronem legitur, *augendæ.*

Optimus quisque. Id est, *fortissimus* quisque, ut sequitur, *fortium.* Conf. not. lib. III, c. 17. BUN.

Hac scilicet ratione Romani Cæsares, etc. Post Romulum, cui, quamdiu respublica in libertate fuit, iste honos delatus sit, reperio neminem : postquam vero ad Cæsares omnia deferri cœpta, tunc reditum est ad veterem illum morem, relatique inter deos sunt plerique imperatores, quorum catalogum vide apud Onuphr. Panvin. lib. II Fastor. Primus hoc honore Jul. Cæsar affectus est ab Augusto. Manilius :

> Jam facit ipse Deos, mittitque ad sidera numen
> Majus, et Augusto crescit sub principe cœlum.

Solebat autem consecratio a Senatu decerni, penes quem, nisi sic ut tyranni regnarent, erat hujus rei auctoritas. Qua de re vide S. Athanasium adversus gentes. Hinc Æl. Spartian. in Vita Adriani : *Acta ejus irrita fieri Senatus volebat ; nec appellatus est Divus, nisi Antoninus rogasset :* et Jul. Capitol. aliquoties hujus Senatusconsulti meminit; ut in Antonino Pio : *Cum jucunditate a senatu Divus appellatus est, cunctis certatim admittentibus ;* et in M. Antonino philosopho : *Deinde cum gratias ageret senatui, quod fratrem consecrasset ;* et in Pertinace : *Per senatum et populum Pertinax in Deos relatus est.* Ritum autem consecrationis fuse descripsit Herodianus lib. IV. KIRCHMANNUS.—De hac Cæsarum apotheosi vide Theophilum ad Autolicum, sermone priore.

Et Mauri reges suos. Tertullianus Apol. cap. XXIV; *Unicuique provinciæ, et civitati suus deus est, ut Syriæ Astartes, ut Arabiæ Disares, ut Noricis Belenus, ut Africæ Cœlestis, ut Mauritaniæ reguli sui.* Cyprianus de Vanitate gentium : *Mauri manifeste reges colunt, nec ullo velamento prætexunt.* Vossius.

Cœperunt. Ita reposui ex mss. In editis autem est, *cœpere.*

Singuli populi. Id ait Tertulliannus, quem vide nota præcedenti. Alii sunt dii provinciales, qui apud Alexandrum ab Alexandro Neapolitanum occurrunt lib. VI, cap. 4. Qua de re consulendi sunt etiam auctores, qui de diis gentium scripserunt, quales sunt Lilius Gyraldus et Vossius.

Ægyptii Isidem. De Iside ejusque sacris, videsis hujus libri cap. 21.

Mauri Jubam. Præ aliis Juba a Mauris cultus videtur, cum nomen ejus apud auctores expressum invenitur, vel etiam forte, Jubæ nomen commune regum Maurorum fuit, ut Pharaonum, vel Ptolomæorum in Ægypto. De Juba inter deos relato vide Tertullian. in Apologetico. — *Mauri Jubam.* Notavit Cellarius ad Eutr. 6, 18, 2 et ad Minuc. c. 22, Jubam Numidarum, *non Maurorum fuisse* regem, intelligens de tempore Jubæ. At Gronovius defendit Minucium, quia ejus tempore Numidia sub Mauritania Cæsariensi continebatur, qua ratione etiam hic Lactantius, Eutropius, Sext. Rufus, Isidorus aliique defendi possunt. Davisius, ad Minuc. p. 137 putat, proprie sic dictis Mauris reges Jubarum nomine fuisse. Ipse vero Cellarius ad Eutrop. l. 5, fin. docuit, *solenne* Latinis *Numidas appellare Mauritanos*, idque de Juba ex altero civili bello constare. BUN.

Cabirum. Ita plurimi mss. ac editi. In edit. Rom. 1468, *Cabirim*; Betul. et Tornes. 1579, *Cabyrium*, in mss. 2 Reg. et ed. Rom. 1470, *Gabyrum*; 1 Reg., *Gabirium*; 1 al. Reg. et Marm., *Gabirum*; 1 Reg., *Sabrium* : 1 alter Reg., Vict., Nav., 1 Colbert. et Brun., *Scabrum.* De Cabiris vide Pausaniam.

Uranum. In antiquissimo Reg. ut et in alio Reg. recentiore a prima manu, *Uranium.*

Faunum. Is erat tertius post Janum Latinorum rex. Pici filius fuit, teste Virgilio, pater Faunorum et Latinorum; hic vixit, ut creditur, 520 annos ante Romam conditam. Hunc Romani colebant nonis decembris; vide Horat. lib. III, Ode 18. De hoc adhuc agetur infra cap. 22.

Sabini Sancum. Hoc nomen varie scriptum reperio. In nonnullis Lactantii mss. Vaticanis, in 1 Bonon. antiq., in Vict., Nav., Marm., et 3 Reg., quorum unus est veterrimus, et in editis Gymnic., Henr., Petri, Fasit., Soubr., Tornes., Thomas., Thys., Gall., 2 Lips., *Sancum ;* optime. Quæ lectio probatur a Josepho Scaligero ad Varronem de Lingua Latina. In ms. Brun. est *Saucum* pro *Sancum*, *u* pro *n*; 1 Sorbon. et 1 Clarom., *Santum*; in Regio-Puteano aliisque 4 Reg., 5 Colb., Gat., Em., *Sanctum;* nec male. Ovidius enim Fastor. lib. VI eum vocat *Sanctum.* Augustinus l. XVIII de Civ. Dei, cap. 19, ait: *Sabini etiam Regem suum primum Sancum, sive ut aliqui appellant Sanctum, retulerunt in deos.* mss. Cantabrig. 1 Clar., ed. Rom. 1468, *Xanct.* mss. 1 Reg., 1 Bonon. rec. ac ed. Rom. 1470, *Xantum;* mss. 1 Reg. et ed. Venet. 1490, *Sabum*; edit. Paris. 1525, Ald. Crat., Graph., Antwerp. 1539, *Sangum*; ms. 1 Colb., *Fautum;* 1 Lips. *Ratum;* Ultr., *Annæum.* Qui autem hic Sabinis *Sancus* est, ille Græcis est *Hercules ;* et Latinis *Deus*

Digitized by Google

Romani Quirinum. Eodem utique modo Athenæ Minervam, Samos Junonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi. Sic per populos atque regiones varia sacra suscepta sunt, dum grati homines esse in suos principes cupiunt, et quod alios honores, quos vita carentibus deferant, invenire non possunt. Præterea pietas eorum, qui successerant, plurimum contulit ad errorem; qui (ut divina stirpe nati viderentur) divinos honores parentibus detulerunt, deferrique jusserunt. An potest aliquis dubitare, quomodo religiones deorum sint institutæ, cum apud Maronem legat Æneæ verba sociis imperantis:

Nunc pateras libate Jovi, precibusque vocate
Anchisem genitorem.

Cui non tantum immortalitatem, verum etiam ventorum tribuit potestatem:

Poscamus ventos, atque hæc me sacra quotannis
Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.

Idem scilicet de Jove Liber, et Pan, et Mercurius, et Apollo fecerunt; ac postea de his ipsis successores eorum. Accesserunt etiam poetæ, et compositis ad voluptatem carminibus, in cœlum eos sustulerunt: sicut faciunt qui apud reges, etiam malos, panegyricis mendacibus adulantur. Quod malum a Græcis ortum est: quorum levitas, instructa dicendi facultate et copia, incredibile est quantas mendaciorum nebulas excitaverit. Itaque admirati eos, et susceperunt primi sacra illorum, et universis gentibus tradiderunt. Ob hanc vanitatem Sibylla sic eos increpat:

Ἕλλὰς δή τι πέποιθας ἐπ' ἀνδράσιν ἡγεμόνεσσι ?
Πρός τί δὲ δῶρα μάταια καταφθιμένοις ἀνιεῖσ ?
Θύεις εἰδώλοις· τίς σοι πλάνον ἐν φρεσὶ θῆκε,
Ταῦτα τελεῖν προλιπόντα θεοῦ μεγάλοιο πρόσωπον.

M. Tullius, qui non tantum perfectus orator, sed etiam philosophus fuit; siquidem solus extitit Platonis imitator, in eo libro, quo se ipse de morte filiæ consolatus est, non dubitavit dicere, deos, qui publice colerentur, homines fuisse. Quod ipsius testimonium eo debet gravissimum judicari, quod et augurale habuit sacerdotium, et eosdem se colere venera-

VARIORUM NOTÆ.

Fidius. Vide Varronem, lib. IV Ling. Lat., cap. 10. Festus: *Fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia Herculi aut Sanco, qui scilicet idem Deus est.* Vocabatur etiam *Semo*, ut apud Ovid. Fastor. lib. VI, v. 213. In veteri inscriptione Gruteri, p. 96, et in ea quam habet Fulv. Ursinus ad Cæsar. de Bello Gallico:

SANCTO. SANCO. SEMONI. DEO. FIDIO, SACRUM.

Sancus unus erat ex diis, quos in sexdecim Cœlorum ordinibus enumerat Martianus Capella. De Sanco vide etiam Gregorium Giraldum lib. I Histor. deorum.

Quirinum. Vulgata sunt quæ de Quirino dicuntur, de quo vide Livium, Dionys. Halicarn. et Plutarchum.

Athenæ Minervam. Ab ea Athenarum urbs nomen sortita est. De hac igitur vide Pausaniam in Atticis, Plutarchum in Themistocle, Isocratem in Panathenaico, et S. Augustinum de Civitate Dei lib. XVIII, cap. 9.

Samos Junonem. Samos insula maris Ionici, olim Junoni sacra, in qua habuit templum ab Argonautis fundatum. De hac Virgilius I Æneid.,

Quam Juno terris fertur magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo.

De hac iterum infra cap. 17.

Paphos Venerem. Sic Virgilius lib. I Æneid.:

Ipsa Paphum sublimis adit, sedesque revisit
Læta suas, ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ.

Lemnos Vulcanum. Vide fabulam apud Homerum Iliad I, ubi legitur Vulcanum in Lemnum insulam fuisse præcipitatum.

Naxos Liberum. Naxos una ex insulis Cycladibus, Libero vel Baccho sacra, olim Dyonisia vocata, in qua vites eximiæ, ac proinde vinum generosum.

Apollinem Delphi. Sic legendum ex 17 editis *Delphi* in recto casu, ut præcedentia urbium nomina postulant. In mss. Regio-Put. et aliis 4 Reg., 5 Colb., I Sorbon., 2 Clarom., Gat. et Marm. a secunda manu ac vet. editis Rom. 1468 et 1470, est *Delphos*, mendo (ut videtur) ex præcedentibus nominativis in *os* nato. In cæteris mss. est *Delos*. Apud Virgilium Æneid. lib. VI, v. 12,

Delius inspirat vates, aperitque futura.

Sic per populos, etc. Hos topicos deos collegit Lilius Gregor. Giraldus syntagmate I.

Et quod alios honores, quos vita carentibus deferant. Ita restituimus ex omnibus fere mss., ex editis Paris. an. 1525, Crat., Graph., Gymnic. In mss. I Colb., Brun. et in editis octo, *et quos alios honores vita carentibus deferant.* A mss. Lips., Pal. et I Colb., abest, *quos.*

Nunc pateras, etc. Virgilius VII Æneid. v. 133.

Hæc me sacra. Sic restituo ex cunctis ferme mss. Et sic habetur in antiquis aliquot mss. Virgilianis, et vulgatis nonnullis. In mss. 2 Colb. et 1 Clarom. a prima manu et editis, *Hæc mea sacra*, sed male.

Panegyricis. Jam a multo tempore sermones laudatorii nullam fidem meruerunt.

Levitas. Græcorum levitatem aliquoties perstringit, l. I, c. 18; l. III, c. 14, et est communis eorum nota. Vid. Lud. Vivem ad Augustini. l. I Civ. Dei, c. 4, et l. II, c. 14, et, quem plures exscribunt, Abramum ad Cic. pro Ligar. c. 4, et Cort. ad Sall. Catil. VIII, 2, p. 55. BUNEMAN.

Ἑλλὰς δή, etc. Oracula Sybillina, sermon. 3, aliter legunt: nam, præterquam quod secundum versum omiserit, qui sic habet,

Θνητοῖς, οἷς οὐκ ἔστι φυγεῖν θανάτοιο τελευτήν;

ubi in tertio est ἀνατίθης, oracula Sibyllina habent πορίξεις, ut et codex optimæ notæ Cl. Puteani, qui est in Bibliotheca Regia: ubi impressi habet,

Τίς τοι πλάνην βάλεν ἐν νῷ,
Ὥστε σε τάδε ποιεῖν μεγαλοῖο θεοῖο προσώπου;

in mss. veterrimis Cauc. et 3 Regiis, scriptum est,

Τίς σοι πλάνον ἐν φρεσὶ θῆκε,
Ταῦτα τελεῖν προλιπόντα θεοῦ μεγάλοιο πρόσωπον.

Et sic legendum esse monuit doctiss. Francius. Horum autem versuum sic habet latina interpretatio:

Græcia quid confidis in viros principes?
Ad quid dona inania mortuis dedicas?
Immolas idolis, quis tibi errorem in mente imposuit,
Hæc te perficere relinquentem Dei magni faciem?

Platonis imitator. Sic Quintilianus libro X Ciceronem Platonis in philosophia æmulum vocat; atque ita Platonis addictum, ut cum ipso errare, quam cum aliis bene sentire maluerit. Vide Paterculum lib. I, cap. 17, ubi præclara habet de Ciceronis eloquentia.

In eo libro, quo se ipsum de morte filiæ. Perit hic liber cum aliis multis. CELL.

Se ipse. Mss. 2 Colb. et multi editi, *se ipsum.*

Dubitavit. Ita omnes mss. cunctique ferme editi. In ed. Gall., *dubitabit.*

Augurale sacerdotium. De quo vide Ciceronem ipsum, l. XII Epistol. ad Atticum, et l. IV Familiarium.

Digitized by Google

rique testatur. Itaque intra paucos versiculos duas res nobis dedit. Nam dum imaginem filiæ eodem modo se consecraturum esse profiteretur, quo illi a veteribus sunt consecrati, et illos mortuos esse docuit, et originem vanæ superstitionis ostendit. « Cum vero, inquit, et mares et fœminas complures ex hominibus in deorum numero esse videamus, et eorum in urbibus atque agris augustissima delubra veneremur, assentiamur eorum sapientiæ, quorum ingeniis et inventis omnem vitam legibus et institutis excultam constitutamque habemus. Quod si ullum unquam animal consecrandum fuit, illud profecto fuit. Si Cadmi progenies, aut Amphytrionis, aut Tyndari in cœlum tollenda fama fuit, huic idem honos certe dicandus est. Quod quidem faciam, teque omnium optimam doctissimamque, approbantibus diis immortalibus ipsis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium consecrabo. » Fortasse dicat aliquis, præ nimio luctu delirasse Ciceronem. Atqui omnis illa oratio, et doctrina, et exemplis, et ipso loquendi genere perfecta, non ægri, sed constantis animi ac judicii fuit; et hæc ipsa sententia nullum præfert indicium doloris. Neque enim puto illum tam varie, tam copiose, tam ornate scribere potuisse, nisi luctum ejus et ratio ipsa, et consolatio amicorum, et temporis longitudo mitigasset. Quid, quod idem dicit in libris de Republica? idem de Gloria? Nam de Legibus, quo in opere Platonem secutus, leges voluit ponere, quibus putaret usuram esse justam et sapienetm civitatem, de Religione ita sanxit: « Divos, et eos qui cœlestes semper habiti sunt, colunto; et illos, quos in

VARIORUM NOTÆ.

Versiculos. Eleganter pro vulg. *lineas.* Conf. l. II, c. 8 : *In his decem versibus.* BUNEMAN.

Imaginem filiæ eodem modo se consecraturum. Hunc modum vide supra ad initium hujus capitis.

Mares. Verba Ciceronis in Consol.

Delubra. Apud Ciceronem, *templa.*

Adsentiamus. Sublac. 1465, Rost. Ven. 1471, 97, Parrh. *adsentiam.* Fr. Fabritius testatur, ms. Lactantii librum habere, *adsentiamus*, atque eamdem vocem Ciceroni l. I Off. 6 restituit cum aliis. Certe Gothanus clare, *adsentiamus.* Atque hæc forma placet Lactantio, l. I, c. 5, *Adsensit;* c. 18, *Adsensit;* l. III, c. 29, *Virgilius adsentit;* Epit. cap. 12, *Poetæ adsentiunt.* Imo ipse Cicero consensu codd. l. I Att., ep. 14, *Curioni adsenserunt;* l. II, ep. 1, *adsensit senatus;* pro Manil. c. 26, *ejus voluntatibus adsenserint.* Male igitur alii de Ciceronis consensu dubitarunt. Conf. Quintil. I Inst., c. 5. BUNEMAN.

Quod si ullum unquam animal consecrandum fuit, illud profecto fuit. Ita omnes mss. et edd. : scilicet homo. Locus iste depravatus nonnullis videtur, quem desumpsit Lactantius ex Ciceronis libro de Consolatione, qui deperditus est, et cujus tantum fragmenta supersunt; sic autem se habet : *Quod si ullum unquam animal consecrandum fuit, qualia multa consecraverunt Ægyptii (quod nullum profecto fuit), si Cadmi,* etc.

Cadmi progenies. Ino scilicet, quæ dea marina facta est.

Amphitryonis. Hercules, qui inter deos relatus est: *si Cadmi progenies, aut Amphitryonis.* Sic ex mss. et veteribus editis Rom. 1474, Venet. 1490, Florent., Tornes. 1579, Genev. 1613, ac Cellar. hæc isto ordine reposuimus; et sic corrigendum esse ipsa ratio docet. Huic lectioni adstipulantur fragmenta Ciceronis de Consolatione, quæ collegerunt Sigonius ac Patricius hunc locum ex Lactantio referentes. In 5 mss. rec. totidemque editis legitur : *Si Cadmi aut Amphitryonis progenies;* in octo editis *Amphionis,* corrupte : nullam enim Amphionis, at Amphitryonis in deos relatam novimus progeniem, Herculem nempe, Amphitryonis filium : ut eum sic vocat Euripides in *Hercule insano.* Partim *ex* Isæo.

Tyndari. Castor et Pollux, qui ob id Tyndaridæ dicti sunt.

Præ nimio luctu. Cic. IV Tusc., 29 : *Consolationis librum in medio (non enim sapientes eramus) mærore et dolore conscripsimus.* BUNEMAN.

De Republica. Cujus quidem extat fragmentum in *Somnio Scipionis.*

De Gloria. Jamdiu intercidit liber ille Ciceronis.

Platonem secutus, etc. Sic profecto legendus hic locus, et sic habent omnes mss. et editi, præter Thys., Gall., Spark. et Walch., in quibus deest *civitatem.* Mirum quam ex ista omissione hic hallucinatus sit Gallæus, qui ex suppresso in editione Thysiana nomine *civitatem*, vocem *usuram esse*, quæ infinitivi modi futurum est verbi *utor*, usurpavit pro substantivo nomine *usura;* indeque occasionem sumpsit diluendi usuræ crimen, probandique ex truncato isto Lactantii loco usuram esse licitam : quod in auctoris nostri mentem nequaquam venit; quippe qui contrarium asserit infra lib. VI cap. 18, Epitom. cap. 64. Usuram damnarunt Ecclesiæ Patres, concilia, et ecclesiastici scriptores tam theologi quam canonistæ, ut ostendit Dominus Ludovicus *Bulteau,* in libro quem Gallica lingua contra Gallæum, in nostri Lactantii defensionem Parisiis an. 1691, data opera edidit, ad quem remittimus lectorem, et præcipue ad cap. 2 et 3. Francius videns non bonam esse editionis Gallæanæ lectionem, legendum esse censebat, *usurum esse justum et sapientem.* Sed potius sequendi sunt mss. codices.

Usuram... justam et sapientem civitatem. Addunt *civitatem* mss. omnes, etiam Reimm. et edd. Sublac., Rom., Rost., Ven. 1471, 78, utraque 1478, 93, 97, Pier., Parrh., Crat., Paris., Tornes., Gryph., Junt., Ald., Gymn., Thom., Isæus, Cant., rectissime. Respexit ad Platonis institutum, qui *civitatem de sapientibus voluit componere,* Lact. III, 23. Unde absona sunt h. l. omnia, quæ Gallæus et Walchius, perperam vocem *civitatem* omittentes, de *usura* hic annotarunt. Ridiculam illam Gallæi de *usura* commentationem ex instituto confutavit Lud. *Bulteau* (hic enim auctor est teste Pezii Bibliotheca Bened. Maurian. l. I p. 62) *en Défense des sentimens de Lactance sur le Sujet de l'Usure,* à Paris 1672, quod scriptum recenset *Journal des Savants* 1672, p. 16-19. Hinc non opus puto dicta a me in Misc. Lips. tom. III, p. 140, repetere. Num vero, ut Walchius ibidem in Miscell., p. 361, regerit, sic *usura sapiens,* ut *sapiens excusatio, moderatio,* dici possit, ipse viderit. Idem, qui modus est facillimus se expediendi, *probabile est,* inquit, *verba hæc,* quo in opere, Platonem secutus, leges voluit ponere, quibus putaret usuram esse justam et sapientem, *sapere glossema.* Heumannus hic nullam glossam suboluit. Addidit vero hic illa, ut leges sapienti et justæ civitati positæ eo sapientius datæ crederentur, et ut huic testimonio de *hominibus* in cœlo ab *hominibus* locatis, quod hic urget, gravissimo, major fides haberetur. His gemina sunt Lact. I, cap. 5: *Quem* (Platonem) *Cicero secutus atque imitatus in plurimis... in iis libris, quos de Legibus scripsit.* Idem manifestum ex ipso Cicerone de Legibus l. II, c. 6: *Ut... fecit* Plato... *gravissimus... de* Legibus, *id mihi credo esse faciendum.* Ibid. c. 7, c. 15, c. 16, c. 18, c. 27; l. III, c. 1. BUNEMAN.

Digitized by Google

cœlo merita locaverunt, Herculem, Liberum, Æsculapium, Pollucem, Castorem, Quirinum. » Item in Tusculanis, cum diceret totum pene cœlum humano genere completum : « Si vero, inquit, scrutari vetera, et ex illis ea quæ scriptores Græciæ prodiderunt, eruere coner, ipsi illi majorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in cœlum reperientur. Quære, quorum demonstrantur sepulcra in Græcia; reminiscere, quoniam es initiatus, quæ traduntur mysteriis : tum denique quam hoc late pateat intelliges. » Testatus est videlicet Attici conscientiam, ex ipsis mysteriis intelligi posse, quod omnes illi homines fuerunt, qui coluntur : et cum de Hercule, Libero, Æsculapio, Castore, Polluce incunctanter fateretur; de Apolline ac Jove, patribus eorum, item de Nep- A tuno, Vulcano, Marte, Mercurio, quos majorum gentium deos appellavit, timuit aperte confiteri. Et idcirco ait late hoc patere, ut idem de Jove cæterisque antiquioribus diis intelligamus, quorum memoriam si eadem ratione veteres consecraverunt, qua se imaginem nomenque filiæ consecraturum esse dicit, ignosci mœrentibus potest, credentibus non potest. Quis enim tam demens, qui consensu et placito innumerabilium stultorum aperiri cœlum mortuis arbitretur? aut aliquem, quod ipse non habeat, dare alteri posse? Apud Romanos deus Julius, quia hoc scelerato homini placuit Antonio; deus Quirinus, quia hoc pastoribus visum est : cum alter gemini fratris extiterit, alter patriæ parricida. Quod si consul non fuisset Antonius, C. Cæsar pro suis in rempublicam meritis etiam de- B functi hominis honore caruisset, et quidem consilio

VARIORUM NOTÆ.

Quos in cœlo merita locaverunt. Mss. 2 Colb., *collocaverunt.* Ed. Rom. 1470, *in cœlum merita locaverunt.* Cicero, cujus locus est in secundo de Legibus cap. 19, habet, *et illos quos cœlum merita vocaverint;* vel, *et illos quos in endo cœlo merita vocaverint,* ut in quibusdam libris Ciceronis legi testatur, et legendum censet Muretus ad illud Catulli; *Flavi, delicias tuo Catullo.*

Si vero. Ita emendavimus ex mss. et edd. Rom. 1470, Tornes. et Walch. In cæteris editis, *Si voluero.* Locus est apud Ciceronem Tusculanarum quæst. lib. I, cap. 29.

Quoniam es initiatus. In paganis sacris institutus. De initiis mysteriisque, et usu eorum inter Paganos, Ciceronem consulas Lib II de Legib., cap. 14. CELL. C

Attici conscientiam. Hinc testem habes Lactantium Atticum fuisse illum, qui per litteram A interlocutor designatur in libris Tuscul. qua de re quæstio esse solet, ut notat *Turnebus* IX *Advers.*, c. 18 : nam alii, ut Lambin. in annotationibus ad lib. earum Quæstionum, Lactantii opinionem refellunt, et non *Atticum;* sed incertam personam, puta, Adolescentem designari contendunt, sive auditorem, ut *Robertellius* in Annotat. ad varios auctores. ISÆUS.

Incunctanter. Aliquoties hac voce utitur, l. II, cap. 7, *cotem incunctanter secuit.* Elegantius in eadem historia Livius l. I, c. 36, *haud cunctanter.* Conf. Lact. l. VI, cap. 12. Usus ante nostrum Cyprianus de Lapsis ed. Basil. fol. 286 : *Incunctanter et largiter fiat operatio.* De Mortalit. prope fin., *Incunctanter ac libenter.* BUNEMAN.

Majorum gentium deos, etc. Deos majorum gentium vocat, ad imitationem Reipubl. Romanæ, eos qui duodecim Consentes appellantur. Patres quos Romulus D legerat, majorum gentium appellabantur. Tarquinius deinde Priscus centum Patres in curiam legit, qui minorum gentium, et Patres conscripti sunt appellati. Consentes Dii, Ennianis numerantur versibus :

> Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
> Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo;

quibus deinde adscriptitios addiderunt octo, ut essent numero XX. Atque hæc numina propter majores in mundo administrationes selecta dicebantur, ut *Augustinus* ex *Varrone* indicat. Apud Ægyptios similes fere Deorum ordines et gradus fuerunt, sicut apud Herodotum in Euterpe legimus. BETULEIUS.—Ac postea innumeri promanarunt dii; ita ut Cæsares ipsi, quamvis hominum pessimi, inter deos collocarentur.

Deus Julius, etc. Hic primus Cæsarum fuit consecratus, idque ab Augusto, de quo Suetonius in Julio CLXXXVIII. Hinc in Juliani Cæsaribus, Augustum Silenus vocat Κοροπλαστὴν, *puparum* effectorem, ratione- nemque eo hujus ridiculi nominis poscente, respondet, uti homuli illi faciunt pupos, sic ipsum fecisse deos; quorum unus primusque esset Julius Cæsar. Similiter de eo Manilius extremo lib. IV :

> Jam facit ipse Deos, mittitque ad sidera numen
> Majus, et Augusto crescit sub principe cœlum.

— *Deus Julius, quia... placuit Antonio.* Dignus Plinii locus Panegyr. cap. 11, qui cum hoc nostro componatur. *Dicavit,* inquit, *cœlo Tiberius Augustum, sed ut majestatis numen induceret : Claudium Nero, sed ut irrideret : Vespasianum Titus, Domitianus Titum; sed ille, ut Dei filius, hic, ut frater videretur.* CELL.

Antonio. Qui, auctore Tranquillo, cum esset Consul, per præconem pronuntiavit senatusconsultum, quo Cæsari omnia simul et divina et humana decreverat. Vide Ciceron. Philippica II.

Deus Quirinus, etc. Hic est Romulus, ut videre est in fine hujus capitis : nomina enim mortuis mutabantur. Si nosse velis quare pastoribus sic visum fuisse referat Lactantius, adisis Livium, caput 7 lib. II, ibi reperies senatum a Romulo e pastoribus electum; atque hic dici pastoribus sic visum, quia Senatus (e pastoribus creatus) subornavit Proculum, *ut nuntiaret plebi suæ, vidisse se regem humano habitu augustiorem, eumque mandasse ad populum ut sibi delubrum fieret, sed Deum esse et Quirinum vocari.* De Quirino præter Livium, Dionysium Halicarnasseum et Plutarchum jam citatos, lege S. Cyprianum de idolorum Cultu, et S. Augustinum lib. III de Civit. Dei, cap. 4. — *Deus Quirinus.* Tertull. II Nat., 9 : *Romulus post mortem Deus. Sane Romulus et fratrem interfecit, et alienas virgines dolo rapuit : ideo* Quirinus *est, quia tunc parentibus* quiritatum *est per illum.*

Gemini fratris. Sic legendum ex mss. 4 Reg. quorum duo sunt vetustissimi, 4 Colb., Cauc., Gronov., Lips., Ultr., Pal., 2 Clarom., Em., 2 Brun., ms. Jani Gulielmi, et ed. Betul. et 2 Lips. Sic etiam legit Augustinus de Civ. Dei, lib. III, cap. 13 : *Sed quomodo et istum diu toleraret, qui fratrem geminumque non pertulit.* Geminus frater vocatur, inquit Isæus, qui uno partu et uno die natus est. Virgil. de Romulo et Remo lib. VIII :

> . . . . Geminos huic ubera circum
> Ludere pendentes pueros.

Legitur *germani* in recent. 4 Reg., 1 Colb. et Cantabr. et in cæteris editis.

Patriæ parricida. Ita et Cicero l. III Officior., cap. 3, ad finem. Ubi verba hæc sunt de Cæsare : *Potest enim cuiquam esse utile fœdissimum et teterrimum parricidium patriæ, quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab oppressis civibus parens nominetur?*

Digitized by Google

Pisonis soceri, et L. Cæsaris propinqui, qui vetabant funus fieri, et Dolabellæ consulis, qui columnam in foro, id est, tumulum ejus evertit, ac forum expiavit. Nam Romulum desiderio suis fuisse declarat Ennius, apud quem populus amissum regem dolens, hæc loquitur :

O Romule, Romule dic, o,
Qualem te patriæ custodem dii genuerunt?
Tu produxisti nos intra luminis oras.
O pater, o genitor, o sanguen diis oriundum!

Ob hoc desiderium facilius creditum est Julio Proculo mentienti, qui subornatus a patribus est, ut nuntiaret plebi vidisse se regem humano habitu augustiorem, eumque mandasse ad populum, ut sibi delubrum fieret, se deum esse, et Quirinum vocari. Quo facto, et ipsi populo persuasit Romulum ad deos abiisse, et senatum suspicione cædis regiæ liberavit.

CAPUT XVI.

Qua ratione dii esse non possint, quos sexus differentia discernit; et quod in naturam Dei non cadit officium generandi.

Poteram iis, quæ retuli, esse contentus; sed supersunt adhuc multa suscepto operi necessaria. Nam quamvis ipso religionum capite destructo, universa sustulerim, libet tamen prosequi cætera, et redarguere plenius inveteratam persuasionem, ut tandem homines suorum pudeat ac pœniteat errorum. Magnum hoc opus, et homine dignum.

Relligionum animos nodis exsolvere pergo,

A ut ait Lucretius, qui quidem hoc efficere non poterat, quia nihil veri afferebat. Nostrum est hoc officium, qui et verum Deum asserimus, et falsos refutamus. Illi ergo, qui poetas finxisse de diis fabulas opinantur, et deas feminas et esse credunt et colunt, revolvuntur imprudentes ad id quod negaverant, coire illos, ac parere. Nec enim fieri potest, quin duo sexus generandi causa sint instituti. Recepta vero sexuum diversitate, non intelligunt consequens esse, ut concipiant : quod in Deum cadere non potest. Sed sit ut isti putant; nam et Jovis esse filios dicunt, et cæterorum deorum. Nascuntur ergo et quotidie quidem dii novi, nec enim vincuntur ab hominibus fecunditate. Igitur deorum innumerabilium plena sunt omnia, nullo scilicet moriente. Nam cum hominum vis
B incredibilis, numerus sit inæstimabilis, quos tamen, sicuti nascuntur, mori necesse est; quid deorum esse tandem putemus, qui tot sæculis nati sunt, immortalesque manserunt? Cur ergo tam pauci coluntur? nisi forte arbitramur, non generandi causa, sed tantummodo capiendæ voluptatis duos esse sexus deorum; et ea exercere, quæ homunculos et facere et pati pudet.

Cum vero dicantur aliqui ex aliquibus nati, consequens est, ut semper nascantur; siquidem aliquando sunt nati : vel, si aliquando nasci desierunt, scire nos convenit, cur aut quando desierint. Non illepide Seneca in libris moralis Philosophiæ : « Quid ergo est, inquit, quare apud poetas salacissimus Jupiter desic-
C rit liberos tollere? Utrum sexagenarius factus est,

VARIORUM NOTÆ.

Pisonis soceri, et L. Cæsaris. L. Piso Calpurnius, Cæsaris socer, post cædem illius æque ac L. Cæsar pro libertate stetit, quod de isto Philipp. XII, cap. 6, de hoc lib. IX, epist. 14, confirmatur. CELL.

L. Cæsaris. Scribit de hoc ad Dolabellam Cicero l. IX Epistolar.

Tumulum. Sic restituimus ex omnibus pene et melioribus mss. Regiis, 4 Colb., Goth., 2 Brun. et edd. Betul. ac Cellar. In cæteris editis et in mss. rec., 2 Colb. ac 1 Clarom., *titulum.* Illam columnam evertit consul Dolabella : quod factum magnopere laudat Cicero Philippic. I, cap. 2, ad Atticum XIV, ep. 15.

O Romule. Ita Ennius II Annal., teste Prisciano.

Plebi. Expunximus τὸ *suæ*, quod deest in mss. et perperam addunt editi, si excipias Cellar. De Romuli apotheosi vide Valerium Maximum lib. V, cap. 1; Ciceron., de Legibus lib. I, cap. 1; Dionys. Halicarnass. D lib. II Antiquit. Roman.

Vocari. Liv. lib. I, c. 16. Flor.

Abiisse. Reimm. *Abisse*, contracte, ut idem sæpe, et more Ciceronis et Livii. Vid. not. ad Lact. l. III, c. 18. BUNEMAN.

Religionum. Notat apprime Betuleius, vocem hanc in plurali numero expressam, in malam partem semper usurpari, aliter, si in singulari explicetur.

Lucretius. Qui sæpius a Lactantio citatur, poeta est elegantissimus, ac scripsit de Nat. rerum libros sex, qui supersunt. De morte ejus Hieronymus in Chronico Eusebii : *T. Lucretius poeta nascitur : qui postea amatorio poculo in furorem versus, cum aliquot libros per intervalla insaniæ conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit anno ætatis* 44. WALCHIUS. — Hic Lucretii versus ex lib. I de Natura rerum, vers. 931. Vide infra, lib. IV, c. 28.

Deas feminas et esse credunt et colunt. Ita emendamus ex plur. mss. In editis, *esse credunt.*

Negaverant. Sic reposuimus ex omnibus mss. et editis, præter Gal., Spark., Walch., in quibus est, *negaverunt.*

Duo sexus. Id explicat Lactantius a causa finali, de qua vide eumdem auctorem de Opificio hominis, cap. 12 et 13.

Recepta vero sexuum diversitate. Arnobius, lib. III : *Adduci enim primum hoc ut credamus, non possumus*, immortalem præstantissimamque naturam divisam esse per sexus, et *esse partem unam mares, partem esse alteram feminas.* Vide Prudentium περὶ στεφάνων, Hymn. X, v. 176. Et propter hanc sexus diversitatem consuevere in precibus dicere : *Sive tu deus es, sive dea*, ut notat Arnobius, lib. III. ELMENHORST.

Inæstimabilis. Pro innumerabilis; item in libro de Mortibus persecutorum, c. 53 : *Inæstimabile scatebat examen*, vermiculorum scilicet.

Ea exercere. Facere, patrare, committere. Epitom., c. 10, *exercere omnia libidinum genera;* et lib. VI, c. 23. BUN.

Homunculos. Cicero variis locis hac voce usus est. Vide Nizolium, p. 666. Ita WALCHIUS.

Consequens... nascantur. Idem Minuc., c. 23, Cypr. Idol. Van., c. 2. BUN.

In libris moralis Philosophiæ. Ita restituimus ex mss. Reg., 3 Colb., 3 Lips., 1 Clarom., Em., ac edit. Rom. 1474, Tornes., Spark., 2 Lips. In mss. rec. 1 Reg., 2 Colb., 1 Clarom. et 9 editis est, *moralibus*; 1 Colb. *moralium;* ed. Rom. 1468, *morali.* —*Moralis Philosophiæ.* Sic recte Reimm., Ven. 1493, 97, Par. 1513, Tornes. 1 et 4, et ipse Lactant., l. VI, c. 17. BUN.

Salacissimus. Est libidinosissimus.

Liberos tollere. Hoc est suos agnoscere, alere in spem familiæ et hæredes habere. Hoc enim moris erat apud antiquos, ut obstetrix infantem adhuc de

Digitized by Google

et illi lex Papia fibulam imposuit? an impetravit jus trium liberorum? an tandem illi venit in mentem :

Ab alio expectes, alteri quod feceris,

et timet, ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno? » At isti, qui deos asserunt, videant quomodo respondeant huic argumento quod inferemus : Si duo sunt sexus deorum, sequitur concubitus; et si coeunt, et domos habeant necesse est, nec enim carent virtute ac pudore, ut hoc promiscue aut in propatulo faciant, sicut muta videmus facere animalia. Si domos habent, consequens est ut et urbes habeant, et quidem auctore Nasone qui ait :

Plebs habitat diversa locis; hac fronte potentes
Cœlicolæ clarique suos posuere penates.

Si habent urbes, et agros igitur habebunt. Jam, quis non videat quæ sequantur? arare illos, et colere : quod quidem victus causa fit. Ergo mortales sunt. Quod argumentum retroversum idem valet. Si enim agros non habent, ne urbes quidem : si urbes non habent, ne domos quidem. Si domibus carent, ergo et concubitu. Si concubitus ab his abest, et sexus igitur femineus : in diis autem videmus et feminas esse; ergo dii non sunt. Dissolvat hoc argumentum, si quis potest. Ita enim res rem sequitur, ut hæc ultima necesse sit confiteri. Sed ne illud quidem dissolvet aliquis. Ex duobus sexibus alter fortior, alter infirmior est. Robustiores enim mares sunt, feminæ imbecilliores. Imbecillitas autem non cadit in deum; ergo nec femineus sexus. Huic additur superioris argumenti extrema illa conclusio, ut dii non sint, quoniam in diis et feminæ sunt.

CAPUT XVII.

De Stoicorum eadem sententia; et ibi de deorum ærumnis et turpitudinibus.

Ob has rationes Stoici alioversus deos interpretantur; et quia non pervident, quid sit in vero, conantur eos cum rerum naturalium ratione conjungere. Quos Cicero secutus, de diis, ac religionibus eorum hanc sententiam tulit : Videtisne igitur, ut a physicis

VARIORUM NOTÆ.

matre rubentem in terram deponeret, et statim pater, siquidem illum pro suo agnoscebat, terra levabat. Infans non habebatur legitimus, nisi pater præsens, vel eo absente, procurator pro eo, infantem terra levasset, ac sinui imposuisset. Terent. in Adelphis :

Qui sine hac jurabat se unum nunquam victurum diem,
Qui in suo gremio positurum puerum dicebat.

Et in Heautontim. :

Meministine me esse gravidam, et magnopere
Interminatam, si puellam parerem,
Nolle tolli? Chrem. Scio quid feceris,
Sustulisti.

Cestius Pius apud Senec., lib. II Controvers., 9 : *Dives sustulit unum filium, non fuit contentus, quid enim erat diviti unus? tres sustulit.* Multus est Papinius Statius in hoc ritu, lib. II Sylvar. 1, v.79 :

Raptum sed protinus alvo
Sustulit exultans, ac prima lucida voce
Astra salutantem Dominus sibi mente dicavit,
Amplexusque sinu tulit, et genuisse putavit.

Ex Dempstero.

Et illi lex Papia fibulam imposuit. Respexit orator christianus ad illud Juvenalis, Sat. 6 :

Quis tamen affirmat, nil actum in montibus, aut in
Speluncis? adeo senuerunt Jupiter et Mars.

Fibulam imponere, hic metaphorice est, ob ætatem ingravescentem nuptias vetare, quemadmodum Tertulliano, *supremam carni fibulam imponere*, libidinem compescere. Joh. Rhodius. — Lex Papia Poppea sexagenarios infibulabat, id est vetabat uxorem ducere, tanquam effœta jam virtute essent ad generandum... Cuti quæ super penis glandem extenditur superaddebatur circulus æneus, quem fibulam vocabant. Unde Martiali *refibulare*, et fibulam solvere. Isæus. — Lex autem Papia caverat, ne mulier quinquaginta annis minor sexagenario nuberet; neque vir minor sexaginta quinquagenariam duceret : meminit item ejus Apul. Apol., lib. I. Sustulerat olim hoc caput Claudius Cæsar (*Suet.*, XIII; *Ulpianus in fragmentis, tit.* VI); repositam ab aliis imperatoribus, iterum sustulit aut Justinus aut Justinianus. Eustathius sensum hujus legis sic exprimit : *Mulier major sexagenaria viro minori quinquagenario potest nubere.* Nam recte credidit Senatus mulieres ad quinquaginta annos concipere posse, viros plerumque generare ad sexagesimum; et noluit fecundos fecundasve cum infecundis copulari. Grotius. — Et tamen ultra sexagesimum viros generare notum est. Vide Plinium, lib. VII, c. 14; Solinum, c. 4; Tertullian., in Apologetico, c. 4.

An impetravit jus trium liberorum. Erant privilegia, et immunitates, quæ favore propagationis dabantur parentibus tres filios habentibus, de quibus in *L. prima Cod. qui num. lib. se excus. L.* I. *Cod. de jure liber. et* § *Sed hæ juris instit. ad S. C. Tertullian.* Plutarch. de Amor. prol. Sed interdum ex principis indulgentia iis quoque qui pauciores, ac etiam nullos habebant filios, hæc privilegia dabantur : id jus qui assecuti fuissent, præter alias ea quoque utilitate fruebantur, quod cum populo aliquid viritim dividebatur, ii pro tribus liberis accipiebant. Vide Duaren., lib. I Disp., c. 40; Alexand. ab Alex. Genial. dier., lib. IV, c. 8; Beroald. et Sabellic. ad Suet. in Galba, c. 14. Isæus.

Ab alio. Publius Syrus in Collect.

Plebs, etc. Ovid. initio I Metamorph., vers. 173. *Plebs.* Id est, minores dii, quos Augustinus L. I de Civ. Dei cap. 4, vocat *deos gregales et de turba plebis;* Seneca ep. 110, *deos inferioris notæ;* Ovidius, *de plebe deos.* Buneman.

Infirmior. Sic Plato de Republica lib. V, ait : *Mulieres ad res omnes obeundas, æque ut viros idoneas, nisi quod viribus sunt infirmiores.*

Robustiores mares. Physici causam assignant, quia calor in viro, quam in muliere major est.

Alioversus. Vox antiqua, quæ idem est ac si dicas, in aliam partem, in aliam sententiam.

Non pervident. Utraque 1478, *non vident, quia.* Reimm., *provident.* At cum mss. Gryph., Thom., *pervident*, rectum, et Lactantianæ elegantiæ. L. II, c. 3, *ex factis et moribus pervidetur.* L. II, c. 8, *non potest pervideri.* L. IV, c. 30, *nec vim rationemque penitus pervidebant.* L. V, c. 8, *Deus ipsas cogitationes pervidet.* Buneman.

Quid sit in vero. Lib. I, cap. 11 : *Illud in vero est.* Tertull. de Resurr. : *Non enim hanc* (mortem) *esse in vero, quæ sit in medio.* Cypr. ep. 9, fin., ed. Oxon., *Quid sit in vero, rescribite.* Buneman.

Cicero. Lib. II de Nat. deor., cap. 28, ubi auguria irridet : vide etiam S. Augustin. de Civitate Dei, lib. IV, cap. 30.

Digitized by Google

rebus bene atque utiliter inventis tracta ratio sit ad commentitios ac fictos deos? quæ res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos, et superstitiones pene aniles. Et formæ enim deorum nobis, et ætates, et vestitus, ornatusque noti sunt; genera præterea, conjugia, cognationes omnes, omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ. Quid planius, quid verius dici potest? Romanæ philosophiæ princeps, et amplissimo sacerdotio præditus, commentitios ac fictos deos arguit; quorum cultus superstitiones pene aniles esse testatur: falsis opinionibus, erroribusque turbulentis implicatos esse homines queritur. Nam totus liber tertius de Natura deorum omnes funditus religiones evertit ac delet. Quid ergo a nobis expectatur amplius? Num eloquentia superare possumus Ciceronem? minime id quidem; sed fiducia illi defuit ignoranti veritatem, quod ipse simpliciter in eodem opere confitetur. Ait enim facilius se posse dicere, quid non sit, quam quid sit; hoc est, falsa se intelligere, vera nescire. Clarum est igitur homines fuisse illos, qui dii putantur, et eorum memoriam post mortem consecratam esse. Ideo etiam ætates diversæ sunt, et certæ imagines singulorum, quod in eo habitu, et ætate simulacra eorum configurata sunt, in qua quemque mors deprehendit.

Consideremus, si placet, ærumnas infelicium deorum. Isis filium perdidit; Ceres filiam; expulsa et per orbem terræ jactata, Latona vix insulam parvam (*Delon*), in qua pareret, invenit. Deum mater et amavit formosum adolescentem, et eumdem cum pellice deprehensum exsectis virilibus semivirum reddidit; et ideo nunc sacra ejus a Gallis sacerdotibus celebrantur. Juno pellices acerrime persecuta est, quia parere ipsa non potuit ex fratre. Insulam Samum scribit Varro prius Partheniam nominatam, quod ibi Juno adoleverit, ibique etiam Jovi nupserit. Itaque nobilissimum et antiquissimum templum ejus est Sami, et simulacrum in habitu nubentis figuratum, et sacra ejus anniversaria nuptiarum ritu cele-

VARIORUM NOTÆ.

Pene aniles. Hic et infra perperam Lips. 2, *pene viles.* Vid. præter Ciceronem, Epit. Taur. cap. 22, et Augustin. Civit. Dei, lib. IV, cap. 30. BUNEMAN.

Formæ deorum. Unusquisque eorum notam quamdam habebat, cujus ope dignoscebatur olim, ac etiamnum dignoscitur in monumentis antiquis. Has notas quæras apud mythographos.

Sacerdotio. Scilicet augurátu; ut supra c. 15, *augurale habuit sacerdotium.* — *Sacerdotio.* Cujus dignitatem ipse Cicero describit lib. II Leg., cap. 12. BUN.

Arguit. Sic reposuimus ex mss. Regiis, 4 Colb., Cauc., 2 Brun. et editis Torn. et Walch. In multis est, *redarguit.*

Liber tertius. Cotta Pontifex in eo libro loquitur.

Ait enim facilius. Credo respexisse ad Cic. I Nat. deor., cap. 21, fin.: *Quid non sit citius, quam quid sit, dixerim;* et in princip. ibid.: *Mihi non tam facile in mentem venire solet, quare verum sit aliquid, quam quare falsum.* Conf. Cic. II Nat. deor. cap. I, et Lact. lib. II, cap. 3. De Ira, cap. 11. BUNEMAN.

Se posse. Reimm. *posse se,* grato Ciceroni et nostro sono. BUNEMAN.

Vera nescire. Ita Cic. I de Natura deorum circa finem.

Certæ imagines singulorum. Ita restituimus ex antiquis mss. et cunctis pene editis. In nonnullis recentioribus est *certe.*

Simulacra eorum. Sic reposui ex omnibus fere mss. et 3 editis. In cæteris impressis, et 8 manu exaratis rec. pro *eorum* est *singulorum,* quod mox præcessit.

Configurata. Lact. lib. VII, cap. 4. Hac forma etiam Tertull. de Anima, cap. 34; Gell., Noct. Att. XII, c. 1. BUNEMAN.

Mors, etc. Quintus Curt. lib. VIII, cap. 4, 14.

Isis filium perdidit. Osirim. Vide postea ad cap. 21 hujus libri.

Ceres filiam. Proserpinam. Vide ibidem. De qua videatur et Claudianus.

Deum mater. Possem exponere, inquit Arnobius lib. IV, *cujus matrimonium magna mater tenuerit, quid spei, quid voluptatis specioso ab Attide conceperit,* etc., quem vide. Legatur etiam Ovidius lib. IV Fastorum:

> Cujus erat species in qua materque paterque
> Cognosci possent.

Formosum adolescentem. Atys Phrygium, quem ea amabat his conditionibus, ne alieno frueretur amore: complexus ille Sangaridem Nympham; de qua cum ipsa sumpsisset supplicium, adolescens sibi virilia amputavit. Rem tamen paulo aliter narrant Arnobius lib. V, Diodorus Sicul. lib. IV, Herodianus lib. I, Lucianus in Dialogo Veneris et Cupidinis, S. Augustin. de Civit. Dei, lib. VI, cap. 7, et alii, quos vide.—*Formosum adolescentem.* Atys de quo extat Catulli carmen. CELL.

Sacra ejus a Gallis sacerdotibus, etc. Augustinus de Civit. Dei lib. I, cap. 7: *Sacra sunt matris deum, ubi Atis pulcher adolescens ab ea dilectus, et muliebri xelo abscissus, etiam hominum abscissorum, quos Gallos vocant, infelicitate deploratur.* Videndi Lucianus in Deor. dial. Οἱ Κορύβαντες δέ, etc. *Corybantum alius suum ipse penem ense desecat, alius dimissa coma per montes fertur insanus, alius cornu canit, alius tympano tonat, alius cymbalo strepit. Breviter omnis undequaque Id. tumultus atque insaniæ plena est.* Sextus Aurelius Victor in Heliogab.: *Vestalem virginem quasi matrimonio jungens suo, abscissisque genitalibus, Magnæ se matri sacravit.* Firmicus Astron. lib. IV, cap. 29, 31, et lib. I, cap. 6: *Archigallos faciet, qui virilia sibi propriis amputent manibus.* Arnob. passim eos appellat *eviratos, abscissos, semiviros, effœminatos.* Lampridius in Heliogab., Hieronym. lib. I, in Oseam cap. 4, Valerius Flaccus, lib. VII Argonaut. Vide etiam insignem hac de re locum, apud *Lucian.* de Dea Syria. Sed quia prolixior est, non describo. Locus incipit: Γάλλοι δὲ πολλοί, etc. *Ex* ELMENHORST. — Betuleius, Vossius aliique putant a flumine Gallo *Gallos* vocari. Sic etiam Ovid. Fast. lib. IV.

Pellices. Latonam, Io, Europam, Danaen et alias.

Ex fratre. Mss. 2 Colbert. et 1 Brun., *ex patre.* Melius igitur *ex fratre,* id est ex Jove, cujus erat et soror et conjux, juxta Virgilium.

Samum... Juno. Lib. I, cap. 15. Strabo ed. nov. lib. XIV, fol. 637. De ejus templo et sacris Savaro ad Sidon. Apollin. carm. 9, pag. 122. Add. Spanhem. ad Callim. Dian. v. 228. pag. 283, et ad Delum, v. 48, de *Samo Parthenia* dicta, pag. 358-360, et Muncker. ad Hygin., Fab. 14, pag. 41. BUNEMAN.

Scribit Varro. De quo vide S. Augustinum, de Civit. Dei, lib. VI, cap. 7.

Partheniam. Partheniam nominatam esse a fluvio Parthenio, ut scribit Strabo. Sed inde diversa sortita est nomina.

Sacra ejus anniversaria nuptiarum ritu celebrantur. Ut bene hoc intelligatur, sciendum quomodo nuptiæ

Digitized by Google

brantur. Si ergo adolevit, si virgo fuit primo, postea mulier, hominem fuisse, qui non intelligit, pecudem se fatetur. Quid loquar obscœnitatem Veneris omnium libidinibus prostitutæ, non deorum tantum, sed et hominum? Hæc enim ex famoso Martis stupro genuit Harmoniam; ex Mercurio Hermaphroditum, qui est natus Androgynus; ex Jove Cupidinem; ex Anchise Æneam; ex Bute Erycen; ex Adonio quidem nullum potuit, quod etiamtum puer ab apro ictus occisus est: quæ prima, ut in Historia Sacra continetur, artem meretriciam instituit, auctorque mulieribus in Cypro fuit, uti vulgato corpore quæstum facerent: quod idcirco imperavit, ne sola præter alias mulieres impudica, et virorum appetens videretur. Etiamne habet hæc aliquid numinis? cujus plura numerantur adulteria, quam partus. Sed ne illæ qui- A dem virgines illibatam castitatem servare potuerunt.

Unde enim putemus Erichthonium esse natum? an ex terra, ut poetæ videri volunt? At res ipsa clamat. Nam cum Vulcanus diis arma fecisset, eique Jupiter optionem dedisset præmii quod vellet postulandi, jurassetque, ut solebat, per infernam paludem se nihil negaturum, tum faber claudus Minervæ nuptias postulavit. Hic Jupiter Opt. Max. tanta religione constrictus abnuere non potuit: Minervam tamen monuit repugnare, pudicitiamque defendere. Tum in illa colluctatione Vulcanum in terram profudisse aiunt semen, unde sit Erichthonius natus; idque illi nomen impositum ἀπὸ τῆς ἔριδος, καὶ χθονὸς, id est, ex certamine atque humo. Cur igitur virgo eum puerum cum dracone conclusum et obsignatum tribus virginibus Ce- B

VARIORUM NOTÆ.

apud antiquos celebratæ fuerint; atque hinc clarum fiet, quo more sacra ejus fuerint peracta. Celebrandi nuptias ritus qui nosse volet, adeat clariss. Dempsterum pag. 291, in additamentis ad Rosini Antiquitates; prolixior enim est quam ut hic describi possit. Solum hoc addam, hinc esse quod Juno habeat nomina ad matrimonium pertinentia, vel quæ ejus ritus exprimunt: vocatur *Pronuba*, *Cinxia*, *Unxia*, *Domiduca*, *Manturna*, etc. Horum explicationem vide apud Doctiss. Voss. *de Idol.* pag. 453.

Virgo... postea mulier. De Opif. cap. 12. Sic *mulieres virginibus* opponit de Mort. persec. cap. 27. Conf. lib. VI, cap. 23. Hieron. in Oseam, cap. 2. *Homo quum uxorem accepit*, *de* virgine mulierem *facit*. BUNEMAN.

Deorum et hominum. Deorum scilicet cum Marte, Mercurio et Jove: hominum cum Anchise et Bute, etc. C

Hæc... genuit. Id est, peperit. Nam feminæ etiam *gignere* dicuntur. Vid. Heins. ad Ovid. VIII Met., 49: *Si quæ te genuit.* Sic Venus Cupidini minatur Apul. V Metam. pag. 172: *Scias, multo te meliorem filium alium genituram.* Add. Burm., ad Phædr. III, cap. 15, pag. 153, et Davis. ad Cicer. I Tusc., 42. BUNEMAN.

Harmoniam. Hanc tamen Diodor. Sicul., lib. V, filiam Jovis et Electræ facit. De adulterio Veneris et Martis, vide Homerum Odyss. V, et Ovid. lib. IV Metamorph.

Hermaphroditum. Sic Ovidius de eo, lib. IV Metamorph.:

> Mercurio puerum, et diva Cythereide natum,
> Naiades Ideis enutrivere sub antris;
> Cujus erat species, in qua materque paterque
> Cognosci possent, nomen quoque traxit ab illis.

Vide etiam Plinium lib. VII, cap. 3. Gignuntur aliquando et utriusque sexus infantes, hermaphroditi dicti; et ii in prodigiis annumerantur. Ii antea nominabantur androgyni, quod ex viro et muliere habebant aliquid. — *Hermaphroditum.* Hygin. Fab. 271, Euseb. Præpar. II, cap. 2. CELL. D

Cupidinem. Attamen Cicero de Natura deor., eum Martis et Veneris filium facit.

Ex Anchise Æneam. Æneas ipse apud Homer. suam genesim edisserit.

Erycen. Vide Hyginum cap. 260 fabularum. Vide etiam Servium ad V Æneid., qui tamen aliter opinatur.

Ex Adonio. Ita restituimus ex 5 Reg. quorum duo sunt veterrimi et optimi, 2 Colb., 2 Brun., Nav., Vict., Gat., Marm. In duodecim recentioribus mss. et editis est, *ex Adone.* Ed. Thomas. et Franc., *Ex Adonide.*—*Ex Adone.* Contendit Witsius lib. II Ægypt., cap. 2, n. 15, pag. 66, Adonem Phœnicium numen idem esse ac Osirim, atque exponit mysterium. Witsius Vossium de Idolol. lib. II, cap. 4, secutus est. BUNEMAN.

Ab apro ictus occisus est. Conjunctionem *et*, quæ est in recentioribus mss. sex et editis, delevi ex cæteris mss. et ed. Rom. 1468, 1470, et Tornes. 1579. Legitur, *aprio ictu* in mss. Nav., I Colb., Brun. et Vict. a prima manu. Adonii fabula recitatur ab Aphthonio rhetore. Vide et Ovidium lib. X Metamorph. circa finem. — *Ab apro ictus.* Id est, *percussus ab apro*, Ovid. III Metamor., 213. Proprie de morsu aprorum *ictus* dicitur. Vid. interpretes ad Phædr. I, fab. 11, 6:

> Aper vindicavit *ictu* veterem injuriam.

In Historia Sacra. Scilicet Euhemeri.

Meretriciam instituit. Vide Theodoret. in Therapeut.

Auctorque. Hic feminino genere, ut *auctor optima* apud Ovidium et apud Servium, quando derivatur a nomine *auctoritas*; dicitur autem *auctrix*, quando venit ab *augeo*.

In Cypro fuit. Sic mss. 8 Reg., 6 Colb., 2 Clarom., Lips., 2 Brun. et editi: quod præferendum est mss. Christ., Em. et Cantabrig., ubi legitur, *in stupro*.

Vulgato corpore quæstum facerent. Sic emendavimus ex mss. 2 Brun. Quæ lectio Lactantiana est. Vide infra eodem libro cap. 20, *vulgati corporis vilitatem*; et lib. VI, cap. 23, *publicis vulgatisque corporibus abstinendum.* Et apud Plautum, *corpus suum vulgare*, id est prostituere. I Reg. rec. habet, *in vulgo.* Cæteri, *vulgo.*

Sed ne illæ quidem virgines. Minerva et Diana. CELL.

Erichthonium. Is fuit quartus Athenarum rex, de quo vide S. Augustin. de Civitate Dei lib. XVIII, cap. 12; Pausaniam in Atticis, Hygin. cap. 166; Servium in III Georg.

Poetæ. Homer. II Iliad., Eurip., Ovid. II Metamorph.

Ut solebat. Virgil. VI Æneid.

Semen. Ita mss. et editi, præter Gal. ubi est *semel.*

Unde sit Erichthonius natus. Paus. Attic.: Πατέρα δὲ Ἐρεχθονίῳ λέγουσιν ἀνθρώπων μὲν οὐδένα εἶναι, γονέας δὲ Ἥφαιστον καὶ Γῆν. Hom. in Catal. Apollod. lib. III, de Deorum origine, Lucian. in Philopseud., Origen. contra Celsum lib. VIII, sed præcipue Augustin. lib. XVIII de Civ. Dei, cap. 12, Hieronym. contra Jovinian. cap. 4, Tertull. de Spectac. cap. 9. LINDENBROGIUS.

Virgo. De qua vide Ovid., II Metamorph.

Tribus Virginibus. Ovid. lib. II Metamorph.:

> Pallas Erichtonium prolem sine matre creatam
> Clauserat Actæo texta de vimine cista,
> Virginibusque tribus gemino de Cecrope natis
> Servandum dederat.

Alii dicunt tantum duabus commisisse, nempe Aglauro et Pandroso. Germanici interpres: *Natus est Erichthonius, quem Minerva in cista abscondidit, draconeque custode apposito, duabus sororibus, Aglauro et*

Digitized by Google

eropidis commendavit? evidens, ut opinor, incestum, quod nullo modo possit colorari. Altera cum pene amatorem suum perdidisset, qui erat *Turbatis distractus equis*, præstantissimum medicum Asclepium curando juveni advocavit; eumque sanatum :

Secretis alma recondit
Sedibus, et nymphæ Egeriæ, nemorique relegat:
Solus ubi in silvis Italis ignobilis ævum
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.

Quid sibi vult hæc tam diligens, tam sollicita curatio? quid secretæ sedes? quid relegatio vel tam longe, vel ad mulierem, vel in solitudinem? quid deinde nominis commutatio? Postremo, quid equorum tam pertinax abominatio? quid significant hæc omnia, nisi conscientiam stupri, et amorem minime virginalem? Erat plane cur tantum laborem pro tam fideli juvene susciperet, qui amanti novercæ obsequium pernegarat.

CAPUT XVIII.

De deorum consecratione propter collata in homines beneficia.

Hoc loco refellendi sunt etiam ii, qui deos ex hominibus esse factos, non tantum fatentur, sed ut eos laudent etiam gloriantur, aut virtutis gratia, ut Herculem; aut munerum, ut Cererem ac Liberum; aut artium repertarum, ut Æsculapium ac Minervam. Hæc vero quam inepta sint, quamque non digna propter quæ homines inexpiabili se scelere contaminent, hostesque Deo vero fiant, quo contempto, mortuorum sacra suscipiunt, ex singulis rebus ostendam. Virtutem esse dicunt, quæ hominem tollat in cœlum : non illam, de qua philosophi disserunt, quæ posita est in bonis animi; sed hanc corporalem, quæ dicitur fortitudo : quæ quoniam præcipua in Hercule fuit, immortalitatem meruisse creditur. Quis tam stulte ineptus est, ut corporis vires divinum vel etiam humanum bonum judicet; cum sint et majores pecudibus attributæ, et uno morbo sæpe frangantur, vel ipsa senectute minuantur et corruant? Itaque idem ille, cum deformari ulceribus toros suos cerneret, nec sanari se voluit, nec senem fieri, ne quando seipso minor aut deformior videretur. Hunc e rogo quo vivum se ipse combusserat, ascendisse in cœlum putaverunt : eaque ipsa, quæ stultissime admirati sunt, simulacris et imaginibus expressa et consecrata posuerunt, ut in perpetuum vanitatis eorum moniA B C D

VARIORUM NOTÆ.

Pandroso, commendavit. Totidem verbis Fulgentius Mytholog. lib. II, nisi quod Pandora ipsi, quæ Pandrosus aliis dicitur, etc. MEURSIUS.

Commendavit. Eleganter, pro *deposuit*, sive, ut Hygin., fab. 166, dedit *in cistula* servandum. Apul. Apolog., pag. 308, *Alienæ custodiæ* commendatam. Paulo post pag. 309, explicat, *deponere;* et Grævius ad Cicer. pro Cluentio, cap. 12 : *Spem in alvo commendatam a viro continebat.* De differentia verborum *commendare* et *deponere*, consule Burmann. ad Phædr. I, fab. 173, p. 43. BUN.

Incestum. Neutro genere, ut Minuc. Fel. XXXI, 3 : *Incestum penes vos sæpe deprehenditur, semper admittitur;* add. infra. Conf. Lact. l. VI, cap. 20, *Incesta* Liv. II : *Ut virgo Vestalis damnata* incesti *pœnas dederit;* add. Plin. liv. IV, epist. 11. BUNEMAN.

Altera. Scilicet Diana. Lactantius videtur mendacii arguere narrationem, et significare periculum modo mortis, non ipsam mortem passum fuisse Hippolytum. Ideo etiam *curando*, ait *non in vitam revocando.* Hæc igitur vox et sententia me cogit spernere quod in mss. est, *plane.* Hippolyti historiam vide apud Ovid., lib. XII Metamorph.

Turbatis. Id ex Virg., VII Æneid., v. 774.

Asclepium. Recte Lactantius in Græca fabula Græculum nomen *Asclepium* dat medico, juxta antiquiores et meliores codices, 4 Reg., 2 Colb., Gronov., Nav., Gat., Marm., 2 Brun., et ed. Cellar. non *Æsculapium*, ut in recentioribus mss. et editis.

Secretis. Locus ex eodem Virgilii libro.

Tam longe. Ita reposuimus ex mss. et editis, præter Gall., Spark., in quibus est *tam longa.*

Amanti novercæ. Phædræ, Thesei uxori, cui Hippolyti fatum in fabulis imputatur. Vide Ovidii epist. 4, quæ hujus Phædræ est ad Hippolytum. CELL.

Pernegarat. Sic restituimus ex mss. codicibus et edit. Tornes. In 1 Clarom. *denegarat;* in 3 rec. et pluribus ed., *pernegaret.*

Hoc loco refellendi. Ita passim loqui solet Lactantius; et sic habent mss., præter 2 Reg. recentiores et edit. in quibus est, *Hoc in loco.*

Cererem ac Liberum. Sic Virgilius libros orditur Georgicorum, *Liber et alma Ceres.*

Minervam. Quam Horatius operosam, Ovidius ingeniosam vocant.

Homines inexpiabili sese scelere contaminent. Res eodem recidet, si corrigas : *homines inexpiabili scelere contaminentur;* ut lib. V, cap. 1, *inexpiabili scelere contaminari atque adstringi.* BUNEMAN.

Disserunt. Est ex mss. vetustissimis 1 Bonon., 3 Reg., 1 Colb., Lips., 2 Clarom., Em., 2 Brun. aliisque, et ed. Is. ac Cellar. In mss. 1 Reg., 5 Colb., Cauc., Jun. et editis, *dixerunt.*

Vel ipsa senectute minuantur. At in quibusdam mss., *senectute ipsa minuantur, ad extremum morte terminentur et corruant.* Quod cur Lactantii esse negem, causam non video, præsertim cum reprehendat opinionem, viribus corporis Herculem meruisse immortalitatem; ergo bene ipsius mortis jus adhibetur : qui enim per hoc pariatur immortalitas, in quod tantum jus morti? quod totum morte finitur. GRONOVIUS. — In hanc additionem, *ad extremum morte terminentur*, sic habet Bunemannus : — « Hæc, inquit quippe ex solo Gronovii codice, Heumanno suspecta diversis typis imprimenda curavi; quæ tamen Gronovius satis bene tuetur, quem lege in Obs. in Eccl. cap. 17, pag. 182. Certe Lactantius amat verbum *terminare.* Lib. III, cap. 12 : *Quæ* (vita) *cum corpore terminatur.* Conf. l. VII, cap. 15. »

Nec sanari se voluit, etc. Codex antiquus Bon. habet, *nec sanum se voluit, nec senem fieri;* quod mihi probatur, quia illa similitudo dictionum, *sanum et senem* efficit quamdam orationis venustatem. Alter codex Bon. : *Nec sanari se voluit, ne senex aut deformior videretur.* Quæ etiam oratio non est inepta, neque inconcinna; sed quia lectioni vulgatæ quæ est 30 mss. et omnium edit. optimus est sensus, eam retinuimus. Id ex THOMASIO.

Seipso minor. In senibus enim ossa macerantur, et caro caloris acrimonia tabescit. VANDER LINDEN.

E rogo. Ita reposuimus ex mss. Regio-Puteano, 2 Colb., Ultr. et ed. Paris. 1525, ad id conspirantibus 3 Colb., Jun., 1 Clarom. et edit. Rom. 1468, 1470, et Egnat. in quibus est *ergo* pro *e rogo.* In mss. Cauc., 3 Reg., 1 Bonon., Pen., 1 Colb., 1 Clarom. et editis multis rec. *a rogo.*

Se ipse combusserat. Manuscriptorum est; *se ipsum*, editorum recentiorum.

Digitized by Google

menta perstarent, qui ob necem bestiarum deos fieri credidissent. Sed hæc Græcorum fortasse culpa sit, qui res levissimas pro maximis semper habuerunt. Quid nostri, num sapientiores? qui athleticam quidem virtutem contemnunt, quia nihil obest : sed regiam, quia late solet nocere, sic admirantur, ut fortes et bellicosos duces in deorum cœtu locari arbitrentur ; nec esse ullam aliam ad immortalitatem viam, quam exercitus ducere, aliena vastare, urbes delere, oppida excidere, liberos populos aut trucidare, aut subjicere servituti : videlicet quo plures homines afflixerint, spoliaverint, occiderint, eo se nobiliores, et clariores putant, et inanis gloriæ specie capti, sceleribus suis nomen virtutis imponunt. Jam mallem, ut a ferarum cædibus deos sibi fingerent, quam immortalitatem tam cruentam probarent. Si quis unum hominem jugulaverit, pro contaminato ac nefario habetur, nec ad terrenum hoc domicilium deorum admitti eum fas putant. Ille autem, qui infinita hominum millia trucidaverit, cruore campos inundaverit, flumina infecerit, non modo in templum, sed etiam in cœlum admittitur. Apud Ennium sic loquitur Africanus;

Si fas endo plagas cœlestum ascendere cuiquam est,
Mi soli cœli maxima porta patet.

Scilicet quia magnam partem generis humani extinxit ac perdidit. O quantis in tenebris, Africane, versatus es! vel potius, o poeta, qui per cædes et sanguinem patere hominibus in cœlum ascensum putaveris! Cui vanitati et Cicero assensit : Est vero, inquit, Africane : nam et Herculi eadem ista porta patuit. Tamquam ipse plane, cum id fieret, janitor fuerit in cœlo. Equidem statuere non possum, dolendumne potius, an ridendum putem; cum videam graves et doctos, et, ut sibi videntur, sapientes viros, in tam miserandis errorum fluctibus volutari. Si hæc est virtus, quæ nos immortales facit, mori quidem malim, quam exitio esse quamplurimis. Si aliter immortalitas parari non potest, nisi per sanguinem, quid fiet, si omnes in concordiam consenserint? Quod certe fieri poterit, si pernicioso et impio furore projecto, innocentes esse ac justi velint. Num igitur nemo erit cœlo dignus? num peribit virtus, quia hominibus in homines sævire non dabitur? Sed isti, qui eversiones urbium populorumque summam gloriam computant, otium publicum non ferent; rapient, sævient, et injuriis insolenter illatis, humanæ societatis fœdus irrumpent, ut habere hostem possint, quem sceleratius deleant, quam lacessierint. Nunc ad reliqua pergamus. Nomen deorum Cereri ac

VARIORUM NOTÆ.

In deorum cœtu. Plerique edili, *cœlum.*

Oppida excidere. In sex mss., *excindere*, in septem, *exscindere.*

Si quis unum... jugulaverit. Cypr. l. II, ep. 2, fol. 33, ed. Bas. : *Homicidium quum admittunt singuli, crimen est : virtus vocatur, quum publice geritur.* Buneman.

Ad terrenum hoc domicilium deorum. Non quadrat hic Cellarii explicatio. Vult Lactantius homicidas non admitti ad templum, a templis excludi. Vid. l. III, c. 17 : *Terrestre illud domicilium Jovis.*

Ennium. Epigram. et apud Cic. de Rep. teste Senec. epist. 109.

Si fas endo plagas cœlestum. Ita correximus ex Cicerone lib. III de Republica, et ex Lactantianis mss. Salmas., 1 Lips., Pal., Ultr. et Regio-Puteano, in quo est *cœlestium* pro *cœlestum;* ad id conspirantibus 3 Reg., 3 Colb., Nav., Vict., Gat., 2 Brun., Em., Balliol., in quibus est, *Si faciendo plagas.* Correctioni nostræ adstipulantur doctissimi viri Salmasius, Pithæus, Isæus, Gronovius, Baluzius, et Cellarius. In undecim mss. recentioribus et in editis legitur :

Si fas cædendo cœlestia scandere cuiquam est.

In quo quis non videt librariorum fraude et inscitia factum esse *cædendo ἀντὶ τοῦ endo?* deinde accessisse partim aliorum librariorum, partim editorum pravum judicium; qui quasi verba proxime sequentia, *Scilicet quia magnam partem generis humani exstinxit ac perdidit,* necessario aliquid in Enniano carmine positum interpretarentur, fecerunt, *cædendo*, deleverunt *plagas*, *cœlestia* vicem *cœlestium* vel *cœlestum* subjecere; hoc est, vere mapalia fecerunt. Et quia gloria Africani omnibus ex rebus bello gestis adeo nota sit, ut ipsi soli cœlum patere velit poeta, non apparere demonstrat aliam causam cur id velit, nisi quod

Πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν,

versus Homeri initio Iliad., quasi dicas :

Multas illustres animas ad orcum præmiserit.

Ipse ergo Lactant. interpretatur, etsi nullum ea de re verbum in epitaphio inveniret, cædes et sanguinem multorum hominum opinione locasse Africanum inter sidera; utpote quem non aliunde, quam ex cædibus et sanguine, hoc est, ex bello, celebrem norimus. Sed a multis ante Lactantium similiter explicatur. Seneca epistol. 95 : *Ex senatusconsultis plebisque scitis scelera exercentur, et publice jubentur vetita privatim. Quæ clam commissa capite luerent, eadem quia paluduti fecere, laudantur. Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere.* Gronov. — *Endo* antiqui dixere pro *in*, iis credo rationibus nixi, quod *endo* deductum a græco ἔνδον passim apud Ennium legatur pro *in*, uti et apud Lucretium *indogredi* pro *ingredi*, et id genus plura; in suæ sententiæ confirmationem illud etiam afferunt, quod cum nullam causam, quæ ad immortalitatem iter aperuisset Africano, ab Ennio expressam videret Lactantius, hanc ipse adjecerit.

In tenebris, Africane, versatus es? vel potius, o Poeta. Africanus hic est ipse *Scipio*, et Poeta est *Ennius.* Buneman.

Est vero, inquit, Africane. Ita Cicero, lib. III de Republica; ita cum editis manuscripti, præter 3 Colb. et 1 Reg. in quibus legitur, *Et vero, inquit, Africane.* Andreas Patricius in Scholiis ad fragmenta Ciceronis e III de Repub. putat legendum, *est vero ita, Aphricane;* vel simpliciter, *et vero, Aphricane.* Ego vero ubi unanimes codices reperio, non facile quidquam immuto.

Eadem ista. Locutio Lactantiana, quæ passim occurrit; mss. 3, rec. et 9 edit. rec., *eadem ipsa.*

Mori quidem. Sic mss. At editi cum 4 mss. rec., *mori equidem.*

In concordiam consenserint. Nihil muto, pro recepta Lact. l. v, c. 7, infra; *In eam multitudo universa consenserit.* Ubi plura. Buneman.

Otium publicum. Id est pacem.

Fœdus irrumpent. Ita omnes editi ac manuscripti, præter 1 Clarom. qui habet, *fœdus rumpent.* At observo verbis compositis pro simplicibus, et simplicibus pro compositis Lactantium non semel uti.

Nomen deorum Cereri. Cererem Eleusinii maxime colebant, quia cum in Atticam venisset ad filiam quærendam, primum eos frugum sationem legesque do-

Digitized by Google

Libero traditio munerum fecit. Possum divinis docere litteris, vinum atque fruges ante progeniem Cœli atque Saturni fuisse in usu hominum : sed ab his sane inventa esse fingamus. Num potest plus aut majus videri, collegisse fruges, hisque fractis, panem facere docuisse, aut uvas de vitibus lectas expressisse, vinumque fecisse, quam fruges ipsas, aut vites generasse, ac protulisse de terra? Reliquerit hæc sane Deus humanis ingeniis eruenda : tamen fieri non potest, quin ipsius sint omnia, qui et sapientiam tribuit homini, ut inveniret, et illa ipsa, quæ possent inveniri. Artes quoque suis inventoribus immortalitatem peperisse dicuntur, ut Æsculapio medicina, Vulcano fabrica. Colamus igitur et illos, qui fullonicam sutrinamque docuerunt. Cur autem figulinæ repertori honos non habetur? an quia isti divites vas Samia contemnunt? Sunt et aliæ artes, quarum repertores humanæ vitæ plurimum profuerunt. Cur non et illis attributa sunt templa? sed nimirum Minerva est, quæ omnes reperit : ideoque illi opifices supplicant. Ergo ab his sordibus Minerva ascendit in cœlum. Est vero cur quisquam derelinquat eum, qui terram cum animantibus, cœlum cum astris et luminibus exorsus est, ut eam veneretur, quæ telam docuit ordiri? Quid ille, qui vulnera in corporibus sanare docuit? num potest esse præstantior, quam qui corpora ipsa formavit, sentiendi ac vivendi rationem dedit? herbas denique ipsas, et cætera quibus medendi ars constat, excogitavit ac protulit?

CAPUT XIX.

Quod Deum verum simul cum diis vanis nemo possit colere.

At enim dicet aliquis, et huic summo qui fecit omnia, et illis qui partim profuerunt, suam veneratio-

VARIORUM NOTÆ.

cuisset. Nec tamen omnino displicet eorum opinio, qui *Ceres* ab Hebræo charas, *arare*, dictum velint, quia ut Ovid. lib. v Metamorph. :

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro.

Ex Vossio.

Traditio. Mss. 1 Colb. et Brun., *tributio*.

Possum divinis docere litteris. Genes. iv, ubi frugum et vitium inventio atque cultura Adamo et Noæ tribuitur; de quo disserit rursus ipse Lactantius infra lib. ii, cap. 4, et S. Augustinus lib. viii, super Gen. ad litter. Plinius igitur, ad finem, l. vii, et cæteri ethnicorum nugantur, qui hæc Cereri et Eumolpo Atheniensi attribuunt, vel Dionysio, sive Osiridi, ut scribit *Diodorus*, lib. i, c. 2. Isæus.

Quin ipsius sint omnia, etc. Antiquus codex habet, *et illa ipsa quæ possent inveniri, artes quoque*, etc. ita ut expungantur verba illa, *primus invenit*, quæ sane expungenda sunt : nam de Deo ante et hic loquitur, declarans homines, quamvis aliquem usum humano generi utilem multarum rerum invenerint, tamen omnia in Deum esse referenda, qui et prudentiam hominibus ad inveniendum ea tribuerit, et res ipsas effecerit, in quibus prudentia hæc posset apparere. Thomasius.

Possent inveniri. Post *inveniri*, adsunt multi scripti, et Sublac. 1465, Ven. 1471-97, Pier., Parrh., Crat., Gymn., Junt., Ald., Paris., Gryph., Tornes., *Primus invenit*, quæ ab antiquiss. Bon. et Emman. aliena, et jure a Thomasio expuncta. Bun.

Æsculapio Medicina. Homerus Odyss. δ; Pæoni cuidam medicinæ inventionem tribuit, Plato et Ovidius Apollini, Galenus Asclepio : Pindarus vero, Od. 3, Pyth., item 3 Nemeor., Chironem Æsculapii in medicinis præceptorem facit. Sorano medicinam invenit quidam Apollo, amplificavit Æsculapius, perfecit Hippocrates. Plura hujus generis nugamenta reperies apud Polydorum Virgil. de rerum inventoribus lib. i, cap. 20, de Invent. Med. Quæstum suum Æsculapio exprobrat Tertullianus Apolog. cap. 13. Lege ad hæc quæ de hoc Theodoretus lib. iii Θεραπευτικῆς, qui est de diis secundariis inscriptus, ex quarto Biblioth. Diod. Sicul. refert. Betul.

Vulcano fabrica. Vulcanus inventor ignis et artificiorum quæ igne parantur, Tzetzes in Hist. 335, Chil. x, habet :

Ἥφαιστός τις Αἰγύπτιος, etc.

Hunc Vulcanum, Tubalcaïnum fuisse putant multi, de quo Geneseos cap. iv, 22. Arma bellica, ærariam, ferramentariam invenit.

Vasa Samia. Plin., lib. xxxv, c. 12, quo de plasticæ inventoribus scribit, ex quorumdam opinione tradit, Rhœcum et Theodorum primos omnium plasticen invenisse. Atque rursus eod. cap. *Major*, inquit, *pars hominum terrenis utitur vasis*. Samia etiamnum in esculentis laudantur. De Samia terra lege eumdem Plinium cap. 16 ejusdem lib. Betuleius.

Cur non et illis. *Et* ex mss. reposui : *etiam* editorum est.

Minerva est. Minervæ autem, apud Martianum Capellam, Vulcanus cooperator est : et apud S. Augustinum de Civit. Dei lib. iv, cap. 10.

Ab his sordibus. Id est, inventis et opificiis sordidis, vilibus, more Ciceronis et veterum. Cic. i de Off. cap. 42, *Opifices omnes in sordida arte versantur*. Buneman.

Est vero cur quisquam. In plerisque editis, *Est vero causa :* quam vocem mss. et editi Plant., Is., Thys., Gall., Spark., et 2 Lips. elegantius extrudunt. Plautus Aulul., *Est quod revisam*. Demum Ovid., ii Metam.:

Est vero cur quis Junonem lædere nolit?

Lactantius supra in fine cap. 17 : *Erat plane cur tantum laborem*, etc. Et infra lib. ii, c. 7, ad finem., *est vero cur illorum auctoritas*. Hinc nonnulli malucre simpliciter sic scribi, *est cur*, vel *est quod*. Ex Isæo. — Hæc ironice a Lactantio dicta sunt. — *Est vero, cur quisquam*. Lips. i et vet. edd., *est vero causa, cur quisquam* : sed reliqui duo Lips. et alii codd. illud *causa* elegantius extrudunt. Sic paulo ante cap. 17, extr. *Erat plane, cur tantum laborem*, etc. Ironia. Buneman.

Quæ telam docuit ordiri. Ed. Sublac. addit *causa*. Est hæc Minerva Saitica, Ægyptiis Neith vocata, ut ait Plato in Timæo : est hæc textrinæ artis repertrix. Diod. inter varia ejus inventa refert et τὴν τῆς ἱσθῆτος κατασκευήν. Quibusdam eadem est ac Noema sive Naama, filia Lamechi, Mosi memorata Gen. iv, 23, si verum est quod apud Genebrardum in Chronicis, et in Lipomani Catena legas, eam lanificium ac texturam reperisse, ac propter hoc inventum memorari præter morem Scripturæ, quæ non solet in genealogiis referre feminas, nisi ob virtutem eximiam, aut mysterii causa; idque magis hinc elucere, eo quod jungatur tribus præclaræ rei inventoribus, Jabel, Jubal ac Tubalcaïn. Vossius.

Quid ille : Æsculapius. Bun.

Qui partim profuerunt. Sic libri plures et Reimm. *Rescribo*, inquit Heumannus, *per artem profuerunt*, quia edd. 1472, 76, 78 (addatur et prior. 1478), exhibent *partem*, quasi *p artem*. Conf. c. 18. Ingeniose, nisi quia partim *profuerunt*, hic opponantur verbis : *summo*, qui fecit *omnia*. Coluerunt enim plures, quam qui modo *per artem profuerunt*. Vide hoc caput a n. 1 ad n. 21 et lib. v, c. 14. Bun.

Digitized by Google

nem esse tribuendam. Primum nec factum est unquam, ut qui hos coluit, etiam Deum coluerit : neque fieri potest; quoniam si honos idem tribuitur aliis, ipse omnino non colitur, cujus religio est, illum esse unum ac solum Deum credere. Clamat summus poeta, eos omnes,

Qui inventas vitam excoluere per artes,

apud inferos esse, ipsumque illum *repertorem medicinæ talis et artis ad Stygias undas fulmine* esse *detrusum* : ut intelligamus, quantum valeat pater omnipotens, qui et deos fulminibus extinguat. Sed homines ingeniosi hanc secum habebant fortasse rationem : quia Deus fulminari non potest, apparet non esse factum ; immo vero, quia factum est, apparet hominem fuisse, non deum. Mendacium enim poetarum non in facto est, sed in nomine. Metuebant enim malum, si contra publicam persuasionem faterentur, quod erat verum. Quod si hoc constat inter ipsos, ex hominibus deos factos, cur ergo non credunt poetis, si quando illorum fugas, et vulnera, et mortes, et bella, et adulteria describunt? Quibus de rebus intelligi datur, non potuisse ullo pacto fieri deos : quia ne homines quidem probi fuerunt, eaque in vita sua gesserunt, quæ mortem pariunt sempiternam.

CAPUT XX.

De diis Romanorum propriis et eorum sacris.

Venio nunc ad proprias Romanorum religiones, quoniam de communibus dixi. Romuli nutrix lupa honoribus est affecta divinis. Et ferrem si animal ipsum fuisset, cujus figuram gerit. Auctor est

VARIORUM NOTÆ.

Coluit. Sic ex editis Tornes., Is., Spark. et manuscriptis restituimus, præter 1 Colb. et Brun., in quibus est *coluerint ;* in cæteris editis, *colit.*

Repertorem medicinæ talis et artis. Ita cum Virgilio mss. 10 Reg., 6 Colbert., Cauc., Jun., Sorbon., Ultr., 2 Lips., 2 Clarom., 2 Brun., 13 vet. impressi. At in ms. Bonon. et edit. Thomas., Is., Spark., legitur, *medicinæ artis repertorem.*

Et deos fulminibus extinguat. Sed fulmine ictus demum deus factus Æsculapius. Minucius cap. 21 et ex eo Cypr., de Idol. Van., cap. 1 : *Æsculapius ut in deum surgat, fulminatur.* Arnob., 1. pag. 24 : *Nonne Æsculapium medicaminum repertorem* post *pœnas et supplicia fulminis custodem nuncupastis, et præsidem sanitatis, valetudinis et salutis?* In Reimm., *qui etiam deos.* Bun.

Metuebant enim malum. Isocrates in Laud. Busirid. impias poetarum de diis fabulas perstringit, ac nonnullos eorum idcirco meritas, ait, dedisse pœnas. Nam Orpheus a Threissis discerptus est, insimulatis Liberi Patris sacris. Homerus et errare et mendicare est coactus; immo etiam excæcatus fuit : alii aliis affecti fuere suppliciis. Plura apud eum vide. Tullius quoque illum hanc ipsam ob causam reprehendit. *Homerus,* inquit, *humana ad deos retulit, mallem divina ad nos.* Philostratus in Heroicis de eodem ait, *πρῶτον μὲν θεοὺς*, etc. *Primum quidem, cum hominibus deos miscuisset, de hominibus ingentia, de diis vero exilia dixit, ac vilia.* Ex Vossio.

Si quando illorum fugas, et vulnera, etc. Cic., lib. 1 de Nat. deor. : *Poetæ ira inflammatos et libidine furentes induxerunt deos, feceruntque ut eorum bella, pugnas, prælia, vulnera videremus; odia præterea, dissidia, discordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortalesque ex immortali procreatos.* Isocrates in Laud. Busir., Theodoret., Serm. 3 contra Græcos, de angelis, de diis et dæmonibus; August., de Civit. Dei lib. IV, c. 27. *Ex* Elmenhorst., *in Arnob.*— Inter omnes poetas nullus tam fœde loquitur de diis quam Homerus, de quo Jul. Scaliger, lib. IV de re Poet., cap. 1, hæc dicit : *Homerus, de diis suis, tamquam suibus loquitur.* Tertull. contra Gentes cap. 14 : *Quis non poeta dedecorator invenitur deorum?* Pythagoras Homerum apud inferos torqueri dicebat, quod ejusmodi fabulas poematibus suis intexuerit. Plato item in lib. de Legg. hoc nomine insimulat Homerum. Vossius.

Fugas, etc. Objecit eadem pluribus Athenag. Legat. pro christianis, ed. Oxon. pag. 74-77. Adde doctas H. Stephani ex Sexto philos. et Dechairii, ex Longino et Cicerone notas. Bun.

Mortes. De plurali vid. not. ad l. VII, cap. 10 et ad lib. de Mortib. persec. princ. Bun.

Quibus de rebus. Sic cum ed. Cellar. mss. omnes, demptis 2 recentioribus a quibus abest præpositio. In editis est, *Quibus ex rebus.* Sed et alibi præpositione *de* pro *ab* vel *ex* usum fuisse Lactantium jam supra observavi ad caput 5.

Romuli. Romulum et *Remum* a virtute, hoc est robore, appellatos fuisse, putat Festus : nec immerito, si observemus Ῥώμην Latinis *valentiam* esse, nam ἐρρῶσθαι est *valere.* Glossæ : Ῥῶμη. *valentia.* Ita vocatur *robur* corporis, quod et ipsum ex eadem origine venit. Ῥῶμος *et fortitudo et vir fortis.* Salmasius. — *Romulum* a ruma, hoc est, mamma, alii deducunt. Blanckardus.

Lupa. Notarunt docti ad Minuc. c. 25; adde Livium lib. X, c. 23; Tertull. 2 ad Nat., c. 9 fin.; Arnob., l. IV, p. 128. Bun.

Si animal ipsum fuisset. Ms. Jun., *ipsa;* ms. Cauc. et editi fere, *si id animal ipsum fuisset.* Euseb. Chron., propter pulchritudinem et rapacitatem corporis quæstuosi, lupa a vicinis appellabatur. Unde ad nostram usque memoriam, meretricum cellulæ lupanaria dicuntur. Idem etiam extat apud Isidorum Etym. lib. XVIII, cap. 42. Prudentius :

Ruricolas vexare lupas.

Quas Prudent. *lupas* vocat, dicuntur a Tertulliano lib. de Pallio, *Lupæ popularium libidinum nundinæ;* et ab eodem auctore, lib. de Spectaculis, cap. de Munere : *Prostibula, publicæ libidinis hostiæ et pudoris sui interemptrices.* D. Hieron. ad Gerantiam : *Ut in eo,* ait, *se putet esse laudabilem, si scortis melior sit, si publicarum libidinum victimas superet.* Senec. Nat. quæst. lib. I : *Corpora publico objecta ludibrio* nuncupat. Juretus. — Non desunt tamen, qui veram belluam Romuli nutricem velint fuisse, non autem prostitutam Larentinam. In his et Strabo, qui Tiberii temporibus, e Ponti regibus oriundus, clarissimus fuit, libro V Geograph. Justinus, lib. XXXVIII, : *Ipsi ferunt conditores suos lupæ uberibus, sic omnem illum populum, luporum animos habere, inexplebiles sanguinis atque imperii.* Jul. Hygin. Augusti libertus fab. cap. 252 : *Romulus et Remus, Martis et Iliæ filii, a lupa nutriti sunt.* Hoc idem scribit Virgilius l. VIII, Æneidos :

Fecerat et viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuisse lupam, etc.

Juvenalis, Sat. 11, vers. 104, et Vet. Schol. ibid. :

Romuleæ simulacra feræ mansuescere jussæ.

Ovid. lib. II Fast. :

Lacte quis infantes nescit crevisse ferino?

Sext. Propert. lib. XI, Eleg. 6 :

Digitized by Google

Livius, Larentinæ esse simulacrum, et quidem non corporis, sed mentis ac morum. Fuit enim Faustuli uxor, et propter vulgati corporis vilitatem, lupa inter pastores, id est, meretrix nuncupata est; unde etiam lupanar dicitur. Exemplum scilicet Atheniensium in ea figuranda Romani secuti sunt; apud quos meretrix quædam nomine Leæna, cum tyrannum occidisset, quia nefas erat simulacrum constitui meretricis in templo, animalis effigiem posuerunt, cujus nomen gerebat. Itaque ut illi monimentum ex nomine, sic isti ex professione fecerunt. Hujus nomini etiam dies festus dicatus est, et Larentinalia constituta. Nec hanc solam Romani meretricem colunt, sed Faulam quoque, quam Herculis scortum fuisse Verrius scribit. Jam quanta ista immortalitas putanda est quam etiam meretrices assequuntur? Flora, cum magnas opes ex

VARIORUM NOTÆ.

Tu criminis auctor
Nutritus duro, Romule, lacte lupæ.

DEMSPTER.—Doctiss. Boxhornius in Quæst. Rom. hoc fictum putat.

Auctor est Livius. Lib. I, c. 4, præter quem de Laurentia Macrobius Saturn. lib. I, cap. 10, consulatur. Alii scribunt *Larentia.* Vide Gronov. ad d. l. Livii. CELL.

Larentinæ. Sic restituimus ex veterrimis et optimis mss. 2 Bonon., 3 Reg., 2 Colb., Tax., Pen., 1 Clarom. a secunda manu, 2 Brun. et edit. Is., accedentibus mss. Regio-Puteano et 3 aliis Reg., 4 Colbert., 1 Sorbon., Gat., Marm., Cauc., Ultr., 1 Clarom. et alt. Clarom. a prima manu, in quibus est *Tarentinæ;* ed. Rom. 1468, *Jarantinæ.* Sed et infra *Larentinalia constituta,* sic dicta a *Larentina.* Nec aliter Tertullianus Apolog. cap. 25. In mss. rec. 2 Reg., Vict., Nav., Cantab., Em., et editis 12, *Larentiæ;* in edit. Crat. et Gymnic., *Laurentiæ;* in 1 Reg., *Tarentiæ.* Laurentinæ nomen est apud Livium Decade I, cap. 4.

Vulgati corporis. Id est, prostituti corporis. Vide not. supra ad cap. 17. In mss. 1 Reg. a prima manu, Nav., Vict., 1 Colb. *vulgatiorem corporis vilitatem.*— *Vulgati corporis vilitatem.* Pessime Ven. 1493: *Vulcani nominis vilitatem.* Sublac., Rost., Ven., 1471, 78, 93, Pier., Parrh., Paris.: *vulgati nominis vilitatem.* BUNEMAN.

Lupa. Ita Cicero in Philippicis Antonii scorta lupas vocat.

Id est, meretrix. Hæc delent Ven. 1471 et Sublac. et non habet Livius I, c. 4. Possunt abesse. BUN.

Lupanar. De quo adhuc infra, lib. VI, cap. 23.

Exemplum scilicet Atheniensium. Apud Athenienses vetitum erat meretricibus ingredi templa, ut videtur apud Demosthenem contra Androtionem. BARTHIUS.

Leæna. Apud Thucydidem lib. VI, legitur, quomodo Hipparchus, Pisistrati filius, per Harmodium et Aristogitonem fuerit interfectus. Quibus Pausanias adjicit, Hippiam cum Hipparchi fratris necem ulcisci vellet, mulierem nomine Leænam ad necem usque excruciasse, quam noverat scortum esse Aristogitonis. In cujus rei monumentum Athenienses post extinctum Pisistrati genus, ob cruciatus quos passa fuerat, Leænam æream posuerunt. Hujus Leænæ tolerantia celebratur a Plinio lib. VII, cap. 23, ab Athenæo lib. XIII Deipnosophist. et ab Eusebio in Chronicis. Quod cum actum fuerit Olympiad. LXVII, regnante Tarquinio Superbo, fieri non potuit ut Romani in effingenda Lupa imitati sint Athenienses in exprimenda Leæna. Lupa enim sculpta fuit ab Anco Martio triginta fere Olympiades ante effigiatam ab Atheniensibus Leænam; erratum igitur est historicum Lactantii. Tertullianus sub finem Apologetici, patientiam miratur Leænæ, quæ, Eusebio teste, linguam suam mordicus amputavit, ne proderet arcanum amicorum et sociorum: vide quæ in casu simili de Anaxarcho refert Valer. Maximus lib. III, cap. 3.

Larentinalia. Celebrantur decimo kal. jan. Vide Macrob. Saturnal. lib. I, c. 10. — *Larentinalia.* Sic plures scripti et Rost. et Ven. prima 1478. Parrh., Ald., Gryph., Crat., Tornes., Thom. eumque sequentes. Optime. BUN.

Nec hanc solam Romani meretricem colunt. Ita restituimus ex antiquissimis et optimis mss. 7 Reg., 2 Bonon., 4 Colb. aliisque undecim, et editis Rom. 1470, 1474, et Cellar. In 1 Colb., *nec eam solam;* in 1 alio Colb., *nec etiam solam: etiam* mendose pro *eam.* In mss. 1 Reg. et Jun. et plerisque vulgatis est, *hanc solum.*

Sed Faulam quoque, etc. Doctiss. Vossius existimat Lactantium prisco more scripsisse *Flauram,* id est, *Floram.* Quæ deinde subjungit auctor noster de Flora illa, cum eodem Vossio parum verosimilia arbitror; neque enim ejus nominis meretrix fuit, quæ sua populo legarit: si Lactantius indicasset auctores, quos esset secutus, tutius illi fides haberi posset; verum de hoc apud illum altum est silentium. Sed ut magis pateat hæc esse conficta, nota quod *Flora* illa a Varrone in 4 L. L. inter deos deasque ponatur, quos Romani temporibus Romuli a Sabinis acceperint, quique a Tatio inducti fuerint. Ex Varrone patet Floram jamdudum ante cultam, quam a Lactantio memoratur: et ut plane constet quam antiquus ejus cultus fuerit Romæ, lege Varr. de L. L., VI, ubi ex Ennio inquit, Numam flamines fecisse cognomine Florales. Verba ejus: *Eumdem Pompilium Numam ait* (Ennius) *fecisse flamines, qui omnes sint a singulis diis cognominati: in quibusdam apparet etyma; ut cur sit Martialis, Quirinalis. Sunt in quibus flaminum cognominibus latent origines: ut qui sunt in versibus plerique Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis.* Nec quia jam Romuli, et Numæ temporibus, Floræ sacra ac Flamines erant, eo etiam Florales fuerint ludi. Hi demum celebrati anno U. C. DXIII. C. Claudio Centhone, et M. Sempronio Tuditano coss., idque non ex Floræ, vel meretricis cujusdam hæreditate, sed ex pecunia multaticia eorum, qui peculatus damnati forent, quia publicum pop. Romani agrum occupassent, ut narrat Ovid. in V Fastor. quem vide. Ac illa quidem exordia fuere Floralium; exinde non celebrata, nisi anni ratio posceret vel Sibyllinis libris ita præceptum diceretur. Sed ut annua hæc essent, decretum demum anno urbis DLXXX. L., Posthumio Albino, et M. Popilio Lænate coss. Occasio erat ejusmodi. Magna fuerat sæpius verni temporis intemperies, indeque nata annorum plurium sterilitas. Placitum igitur Senatui, ut Floræ instituerentur ludi annui, quo favore deæ, tanto jam honore auctioris, deinceps arbores plantæque omnes melius florescerent. *Ex* Vossio.

Putanda est. Ita restitutum ex mss. codicibus et editis sex. *Est* desideratur in Cauc. et 1 Clarom. et in ed. Gymnic. Cæteri editi habent, *putanda sit.* — *Quanta ista immortalitas putanda.* Heumannus scribit, *quanti... putanda.* Sic Cicero I. V Tusc. quæst. 37: *Quanti vero ista civitas æstimanda est, ex qua boni sapientesque pelluntur?* At, quia omnes, in his Reimm. habent, *quanta,* nihil est mutandum. Ita I. V, c. 20. *Quanta majestas putanda est, quæ adoratur in templis, illuditur in theatris?* BUN.

Assequuntur. Sic mss. cum editis Paris. 1525, Graph. et Gymnic. Cæteri editi, *assequantur.*

Flora. Hæc non eadem est cum *Faula,* de qua supra. Flora apud omnes habetur scorti nomine famosa; vocaturque ab aliis Acca Larentina, ab aliis Melibæa Niobes filia, quæ colore ob metum Apollinis et Dianæ

Digitized by Google

arte meretricia quæsivisset, populum scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appelant Floralia. Quod quia senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur. Deam finxerunt esse, quæ floribus præsit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus aut vitibus bene prospereque florescerent. Eum colorem secutus in Fastis poeta, non ignobilem nympham fuisse narravit, quæ sit Chloris vocitata, eamque Zephyro nuptam, quasi dotis loco id accepisse muneris a marito, ut haberet omnium florum potestatem. Honeste quidem ista dicuntur; sed inhoneste A B

turpiterque creduntur. Nec debent (cum veritas quæritur) hujusmodi nos velamenta decipere. Celebrantur ergo illi ludi cum omni lascivia, convenienter memoriæ meretricis. Nam præter verborum licentiam, quibus obscœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus populo flagitante meretrices, quæ tunc mimarum funguntur officio, et in conspectu populi usque ad satietatem impudicorum luminum cum pudendis motibus detinentur.

Cloacinæ simulacrum in cloaca maxima repertum Tatius consecravit, et quia cujus esset effigies ignorabat, ex loco illi nomen imposuit. Pavorem, Palloremque Tullus Hostilius figuravit et coluit. Quid de hoc dicam, nisi dignum fuisse, qui semper deos suos

VARIORUM NOTÆ.

mutato, Chloris dicta sit. Vide Vossium de Idololatr. lib. I, cap. 12.

Quæsivisset. Istud verbum Lactantio familiare pro *acquirere*, ut inferius monstrabitur.

Populum. Edit. plures addunt, *Romanum :* sed abest quoque ab Epitome cap. 20.—*Populum scripsit hæredem.* Aliter Varro, lib. IV de L. L. cap. 10 antiquam Sabinorum deam fuisse Floram, Romæ ex Tatii regis voto cum aliis dedicatam. CELL.

Floralia. Id Romanis exprobrat S. Augustinus, de Civit. Dei, lib. IV, cap. 8. Celebrabantur Floralia quarto kalend. aprilis. De Flora vide Plinium l. XVIII, cap. 29, et lib. XXXVI, cap. 5, ubi scribit Floram Praxitelis opus Romæ fuisse. Tatianus multa scorta numerat quorum imagines a variis artificibus fuerunt effictæ. Cæterum insignium meretricum catalogum invenies apud Athenæum libro XIII.—*Quos appellant Floralia.* Recte etiam dicuntur *Ludi Floralia*, ut iterum ms. taur. cap. 20. *Habent*, inquit Quintil., lib. I Inst., cap. 5, *quædam faciem solœcismi, et dici vitiosa non possunt :* ut *Ludi Floralia ac Megalesia, quanquam hæc sequenti tempore intercideriut, nunquam aliter a veteribus dicta.* Ad rem Conf. Tertull. I Spectac., cap. 17, Pitisc. L. A. R. T. I fol. 793. BUN.

Aut vitibus. Sic libri plerique; at Reimm., *et vitibus. Censeo*, inquit Heumannus, *hoc esse glossema.* Mihi secus videtur, moto Ovidii verbis (quem citat infra), lib. V Fast., 261-270. Huc pertinent illa de Flora dicta v. 264 :

Si bene floruerit vinea, Bacchus erit;

et v. 269, *vina quoque florent.* BUN.

Non ignobilem. Ven. 1493, 97. Pier., *non ignorabilem.* Non inscite, si addicerent mss. ex quibus et Ven. 1471-78., Parrh., Paris., aliis præfero, *non ignobilis.* Sic lib. V, cap. 1 : *Non ignobilis loci.* BUN.

Chloris vocitata. Ovid., lib. V Fastor., v. 195 : C D

Chloris eram quæ Flora vocor.

Celebrantur ergo illi ludi, etc. Hi ludi, cum primum celebrarentur mense Aprili, postea in Maium translati sunt, Ovidio teste :

Mater, ades, florum ludis celebranda jocosis :
Distuleram partes mense priore tuas.
Incipis Aprili, transis in tempora Maii;
Alter te fugiens, cum venit alter, habet.

Alexander ab Alexandro lib. VI genial. Dier., cap. 8, his ludis feminas, quæ vulgato corpore quæstum faciebant denudari, et pudendis obscœnisque invelatis, per lusum et lasciviam currere, et impudicos jocos agere, moris erat : quibus etiam Ædiles cicer, fabas, et alia missilia plebi spargere, leporesque et capreas, aliaque mitia animalia ludis admittere consueverant. Hos in vico Patricio, aut proximo, celebrabant; noctuque accensis facibus, cum multa obscœnitate verborum per urbem currebant, et ad tubæ sonitum conveniebant. Atque hinc est, quod auctor noster dixerit ludos hosce celebrari, *convenienter memoriæ meretricis.* Introducebantur etiam hisce ludis funambuli elephantes, uti ex Suetonio in Galba, et ex Flavii Vopisci Carino apparet. Ovid., lib. V Fast., explicationem amplam horum ludorum reliquit : quem adi. ROSINUS. — Contra hanc obscœnitatem scribit S. Augustinus de Civit. Dei, lib. IV, cap. 26. — *Ergo illi ludi cum omni lascivia.* Ludi florales, sive floralia, supra, de quorum licentia et obscœnitate legi possunt Seneca epist. 97; Valer. Max. II, c. 10, n. 1; Martial., lib. I, Epigr. 1. CELL.

Convenienter. Ita reposuimus ex vetustissimis et optimis mss. 17. At in recentioribus octo atque in vulgatis legitur *convenientes.* De his videndi Tertullianus, pagg. 697, 3, 216, 6, et Joan. Chrysostomus, Homil. 6 et 7 in Matthæum.

Quæ tunc mimarum funguntur officio. Sic legas cum omnibus prope mss. Licet enim hæc vox admodum rara sit feminino genere, legitur tamen apud Ciceronem Philippica II : *Inter quos aperta lectica mima portabatur;* et apud Valer. Max. lib. II, c. 10, de Catone loquentem : *Ludos Florales spectante, populus ut mimæ nudarentur postulare erubuit.* At minus est histrio, et imitator dictorum et morum hominum, aut potius scurra facetus.

Pudendis motibus. Juvenalis depingit illos motus, Sat. 11 :

Ut Graditana canoro
Incipiat prurire choro, plausuque probatæ
Ad terram tremulo descendant clune puellæ :
Spectant hoc nuptæ juxta recubante marito.

Vide et Arnobium lib. II. — *Cum pudendis motibus.* Sublac., Ven. 1471, Rost., Ven., 1493, 97, Paris. : *cum impudentis motibus.* Walch., vitiose, *cum pudentibus moribus.* Pudendos illos motus graphice describsit Arnob. l. II, pag. 73, ubi plura, p. 90. ELMENHORSTIUS.

Cloacinæ simulacrum. Festive ad hujus deæ nomen alludit Tertullianus in lib. de Pallio, cap. 4. Meminit et ejus lib. I advers. Marcionem, c. 18. Meminit et Cyprianus de Idolorum vanitate, S. August. de Civ. Dei, lib. IV, ac Minucius Felix cap. 25.

Pavorem Palloremque. Livius, lib. I, cap. 27 : *Tullus Hostilius in re trepida vovit Salios, fanaque Pavori et Pallori, equitem clara increpans voce, ut hostes exaudirent, redire in prælium jubet.* Vide August. de Civit. Dei, lib. IV, cap. 2, 15, 23, et lib. VI, cap. 10; Cic., lib. III de Nat. deor. Sed non in Urbe, verum extra Urbis pomærium Pallori structam ædem loquitur Plutarchus in Cleomene; et recte Pallorem communi cum Pavore fano coluerunt, quia *ex timore* seu pavore nascitur *pallor.* Servius ad vers. 30. lib. III Æneid. : *Pallor nascitur, cum se, ad præcordia fugiens, contrahit sanguis.* Cic., I. V, de Finib. : *Quis*

Digitized by Google

(sicut optari solet) præsentes haberet? Ab hoc illud M. Marcelli de consecratione Honoris atque Virtutis, honestate nominum differt, re congruit. Eadem vanitate Mentem quoque inter deos collocavit senatus : quam profecto si habuisset, ejusmodi sacra nunquam suscepisset. Magnum Cicero audaxque consilium suscepisse Græciam dicit, quod Cupidinum et Amorum simulacra in gymnasiis consecrasset; adulatus est videlicet Attico, et irrisit hominem familiarem. Non enim illud magnum, aut omnino consilium dicendum fuit, sed impudicorum hominum perdita et deplorata nequitia, qui liberos suos, quos erudire ad honesta deberent, prostituerunt libidini juventutis; a quibus flagitiorum deos, et in illis potissimum locis ubi nuda corpora corruptorum luminibus patent, et in illa coli ætate volue-

A runt, quæ simplex et improvida prius irretiri, et in laqueos potest cadere, quam cavere. Quid mirum si ab hac gente universa flagitia manarunt? apud quam ipsa vitia religiosa sunt, eaque non modo non vitantur, verum etiam coluntur. Et ideo huic sententiæ, tanquam Græcos prudentia vinceret, adjecit : « Virtutes enim oportere, non vitia consecrari. Quod si recipis, o Marce Tulli, non vides fore ut irrumpant vitia cum virtutibus, quia mala bonis adhærent, et in animis hominum potentiora sunt; quæ si vetas consecrari, respondebit tibi illa eadem Græcia, se alios deos colere, ut prosint, alios, ne noceant. »

Hæc enim semper excusatio est eorum, qui mala sua pro diis habent, ut Romani Rubiginem ac Fe-
B brem. Si ergo vitia consecranda non sunt, in quo tibi assentior, ne virtutes quidem. Non enim per se

VARIORUM NOTÆ.

est enim, aut quotusquisque, cui, mors cum appropinquet, non refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu. *Ex* DEMPSTERO. — Hæc omnia enumerat S. Cyprianus. de Idolorum vanitate, his verbis : *Deam quoque Cloacinam Tatius adinvenit et coluit ; Pavorem Hostilius atque Pallorem; mox a nescio quo Febris dedicata, et Acca et Flora meretrices. Hi dii Romani.*

Præsentes haberet. Hæc est recepta lectio a mss. et excusis; nec temere rejicienda, quidquid dicat Thomasius : *præsentem haberi*, vel *præsentem esse*, pro *adesse*, norunt omnes creberrimam locutionem esse omnibus Latinis scriptoribus, præsertim Lactantio ipsi lib. II, 1. 2, in fine lib. de Ira Dei, et alibi. In ms. Bonon. antiq. est, *secum haberet*. ISÆUS.

De consecratione Honoris atque Virtutis. Hinc August. de Civ. Dei, lib. IV, cap. 21, *Dei Honorini* mentionem facit. Symmach. lib. I, epist. 20 : *Bene ac sa-*
C *pienter majores nostri, ut sunt aliæ ætatis illius, ædes Honori atque Virtuti gemellas junctim locarunt, commenti quod in te vidimus, ibi esse præmia honoris, ubi sunt merita virtutis.* Valer. Max. lib. I, cap. 1 : *Cum Marcellus quintum consulatum gerens, templum Honori atque Virtuti, Clastidio prius, deinde Syracusis potitus, nuncupatis debitum votis consecrare vellet, a collegio pontificum impeditus est.* Et in nummo Vitellii apud Gruterum, p. 10, Inscript. n. 4, legitur :

VIRTUTI
ET
HONORI

Vetus Marmor.

C. POLICIO. L. F. BIBULO. ÆD.
PL. HONORIS.
VIRTUTISQUE. CAUSA. SENATUS.
CONSULTO. POPULIQUE. JUSSU. LOCUS.
MONIMENTO. QUO. IPSE. POSTERIQUE.
EJUS. INFERRENTUR. PUBLICE.
DATUS. EST.

Aurel. Prudent. lib. I, in Symmach. — Ædem hanc anno ab U. C. 545, M. Marcellus vovit (*Liv. lib.* VII, *decad.* 3). Sacrificia honoris peragebantur aperto capite, cum sacerdotes in omnibus aliis deorum sacris tecto essent capite. Rationes varias pete a Plutarcho, Probl. Rom. cap. 12. Solemnitas ejus et festum in Maio, ut opinor. *Ex.* DEMPSTERO.

Mentem quoque. Cicero, III de Nat. deor., Plin. lib. II, cap. 7; Ovid., Fastor. VI :

Mens quoque numen habet, Menti delubra videmus,
Vota metu belli, perfide Pœne, tui.

Sic Propertius lib. III, Elegia 24.

Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono.

Et Attilius prætor menti ædem vovit an. 537, quo scilicet Qu. Fabius Max. Veneri Erucinæ. Liv. lib. II, decad. 3, et Gruter. p. 99, n. 7.

Magnum Cicero. Perditum hunc Ciceronis locum dicit Cellarius. Si h. c. sect. 17 cum his jungas, vix dubium est, quin ad Cic. lib. II de Legib. cap. 11 respexerit : ita quoque Turnebo ad Cic. locum fol. 147 visum. BUNEMAN.

Quod Cupidinum et Amorum. Ita Cicero inter Fragmenta libri II de Legibus, et mss. nostri et ed. Scripti 4 rec. habent *Cupidinis et Amoris*. Cum locus iste non legatur in libris quos de Legibus a Cicerone habemus, sed in horum librorum fragmentis, autumant eruditi, mancos esse Ciceronis libros de Legibus.

Ad honesta deberent. Mss. undecim et editi nonnulli, *ad honestatem*. In mss. Pen., 2 Colb. et ed. Is., *debuerunt*.

Corruptorum. Corruptores, adulteros, junxit, lib. I, cap. 10, exemplo Ciceronis lib. III in Verr., cap. 2. BUN.

Et in illa. Præpositio *in* addita ex mss. et editis plurimis.

Virtutes enim oportere. Ciceronis verba sunt lib. II de Legibus. Ideoque infinitivo modo efferenda cum omnibus mss. et veteribus editis 4, Rom. et Venet. 1490, ac Cellar. In cæteris editis est *oportet*.

Non vides fore ut irrumpant vitia. Sic habent omnes fere ms. et editi codices. In recentioribus mss. 4 et editis sex est, *forte ut*.

Romani Rubiginem. Dicitur *Rubigus*, lib. I, in Numæ regno. Servius ad lib. I Georg. : *Rubigo genus vitii est quo culmi pereunt, quod a rusticanis calamitas dicitur: hoc autem genus vitii ex nebula nasci solet, cum nigrescunt et consumunt frumenta; inde et Rubigus deus : sacra ejus X kalend. Maias Rubiginalia appellantur.* Festus Pomp. lib. XVI : *Robigalia dies festus*
D VII *kalend. Maias, quo Robigo deo, quem putabant rubiginem avertere, sacrificabant.* Concors ei Plin. lib. XVIII, cap. 29, qui ait Robigalia fuisse a Numa anno regni sui undecimo constituta. Vid. Columellam de Re rust. lib. X, et Ovid. lib. IV, Fastor. *Ex* DEMPSTERO. — Varro lib. I, de Re rustica, Robigum deum facit, eumque Floræ conjungit.

Febrem. Vide Prudentium in Hamartigenia :

Par furor illorum, quos tradit fama dicatis
Consecrasse deas, Febrem, Scabiemque sacellis.

Febris quasi dea culta a Romanis, fanum habuit in Capitolio, aram in Esquiliis fabricatam. Clemens Alexand., Protrept.; Plin., lib. II, cap. 7; Cicer., III de Nat. deor.; Seneca, de morte Claudii; Epictet., lib. I, cap. 19; Aug. de Civ. Dei lib. III, cap. 12; Minuc. Felix.; Arnob., lib. IV. JOH. WEITSIUS.—Febris etiam, ut deæ, ea legitur inscriptio : FEBRI. DIVÆ. FE-

Digitized by Google

sapiunt, aut sentiunt, neque intra parietes, aut ædiculas luto factas, sed intra pectus collocandæ sunt, et interius comprehendendæ, ne sint falsæ, si extra hominem fuerint collocatæ. Itaque præclaram illam legem tuam derideo, quam ponis his verbis: « Ast illa, propter quæ datur homini ascensus in cœlum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra sunto. » Atqui hæc separari ab homine non possunt. Si enim colenda sunt, in homine ipso sint necesse est. Si autem sunt extra hominem, quid opus est ea colere quibus careas? Virtus enim colenda est, non imago virtutis: et colenda est non sacrificio aliquo, aut thure, aut precatione solemni, sed voluntate sola atque proposito. Nam quid est aliud colere virtutem, nisi eam comprehendere animo, et tenere? quod unusquisque simul ac cœpit velle, consequitur. Hic solus virtutis est cultus; nam religio et veneratio nulla alia, nisi unius Dei tenenda est. Quid igitur opus est, o vir sapientissime, supervacuis extructionibus loca occupare, quæ possint humanis usibus cedere? quid sacerdotes constituere vana et insensibilia culturos? quid immolare victimas? quid tantos sumptus vel fingendis, vel colendis imaginibus impendere? Firmius et incorruptius templum est pectus humanum: hoc potius ornetur, hoc veris illis nominibus impleatur. Has ergo falsas consecrationes sequitur, quod necesse est. Qui enim virtutes sic colunt, id est qui umbras atque imagines virtutum consectantur, ea ipsa, quæ vera sunt, tenere non possunt. Itaque nulla in quoquam virtus est, vitiis ubique dominantibus; nulla fides, omnia pro se unoquoque rapiente; nulla pietas, nec consanguineis nec parentibus parcente avaritia, et cupiditate in venena et in ferrum ruente; nulla pax, nulla concordia, publice bellis sævientibus, privatim vero inimicitiis usque ad sanguinem furentibus; nulla pudicitia, libidinibus effrenatis omnem sexum et omnes corporis partes contaminantibus: nec tamen desinunt ea colere, quæ fugiunt et oderunt. Colunt enim thure ac summis digitis, quæ sensibus intimis horrere debuerunt: qui error omnis ex illius principalis ac summi boni ignoratione descendit.

Urbe a Gallis occupata, obsessi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent,

VARIORUM NOTÆ.

BRI. SANCTÆ. FEBRI. MAGNÆ. CAMILLA. AMATA. PRO. FILIO. MALE. AFFECTO. Vide Onzel Inscript. fol. 97, ad Minucium Felicem. — Val. Max., lib. II, cap. 5, n. 6: *Febrem ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc unum in palatio.* Adde Cic., lib. III, de Nat. deor., cap. 23. CELL.

Ne sint falsæ. Emman., Ven. 1471, 93, 97, et Rost., *ne sint fabulæ.* BUNEMAN.

Illa. Bun. habet *olla*, in quam vocem notam sequentem exhibuit. — *Olla.* Sic libri plerique mss. et edd. vetustæ. At Lips. 2, Reimm, Tornes, Spark., Walch., *illa.* Est vero *olla* vera scriptura. In legibus veteres antiqua vocabula amabant. Sæpius repetitur vox antiqua in Cicer., lib. II de Leg. cap. 8.

Laudum. Id est, *rerum laudandarum et virtutum*, secundum Turnebum ad Cic. c. 1, f. 139. BUNEMAN.

Sunto. Quod vide apud Cicer., lib. II de Legib., cap. 8.

Quibus careas? Virtus enim colenda est. Sic restituimus ex mss. pene omnibus. In tribus recentioribus et in editis, si Cellar. excipias, est, *careamus? Virtus colenda est.*

Virtus. Inquit Augustinus, non deus, sed Dei donum est.

Et colenda est. In mss. 2 Bonon. et Tax. ac nonnullis editis desideratur *est:* legitur in cæteris.

Simul ac cœpit velle. Sic restituimus ex mss. 2 Clarom. et Colb. et editis Rom. 1470, Fasitel., Is., Cellar., faventibus mss. 12, ac pluribus editis in quibus est, *simul accepit velle.* In Bonon. antiq., *simul ut occœpit;* in Jun. et 1 Colb. ac editis 5, *simul occœpit*, pro *simul ac cœpit.*

Templum est pectus. Idem habet Apostolus I ad Corinthios, cap. VI, vers. 19.

Hoc veris illis nominibus impleatur. Vera et optima lectio, quæ est manuscriptorum Regiorum, 3 Colb. et 1 Clarom. Male omnino in cæteris qui habent, *veris illis nominibus; immo falsis.* In alio Claramont. *hoc verius illis nominibus. Nominibus*, scilicet illis virtutibus quas supra nominavit.

In venena et in ferrum ruente. Sic habent omnes mss. Vulgati autem, *in venenum et ferrum.*

Privatim. Ex mss. et pluribus editis optime respondet præcedenti adverbio *publice.* Mss. Jun., 3 Colb. et 1 Clarom. a prima manu, et editi nonnulli legunt, *privatis.*

Summis digitis. Jocatur in morem illum ethnicorum, qui res ad sacrificandum paratas duobus aut tribus digitis accipere solebant. Thus quidem eo modo in aræ flammam jaciebant. Hieronym. epist. 1: *Non est tantum in eo servitus idoli, si quis duobus digitulis thura comprehensa in bustum aræ jaciat.* Porphyr. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, inquit, Pythia Ermionea lætatum, dum sacrificaret, placentæ frustis acceptis e pera tribus digitis. Ovid., II Fast.

Et digitis tria thura tribus sub lumine ponit.

Videsis etiam Lactant. lib. IV, cap. 3, et lib. V, cap. 19 et 20, *Ex* Isæo.—*Thure, ac summis digitis.* Id est, *extremis.* Sæpe ita cum optimis quibusque, ut notamus ad lib. V, cap. 10. *Quorum... summam figuram gerunt.* BUN.

Horrere. Sic corrigendum esse statuo cum Thomasio ex mss. ab illo citatis. His adde Cauc., 3 Colb., Cantab., Goth., Ultr., editionem Genevensem 1613 et 1579; sic etiam legunt Betuleius et Isæus. Sic legendum esse textus ipse docet; Lactantius enim redarguit illos quod colant vitia, quæ potius vitare et horrere debeant. Mss. Em., *horrescere.* Alii, *colere*, male.

Error principalis. De hoc plenius agetur libro II, qui est de Origine erroris.

Cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, etc. Eo tempore hoc evenisse statuit Sehedius, quo Roma a Suevis Senonibus seu Gallis incensa fuit, Capitolio aspera obsidione cincto, cum nervi in arcubus deficerent, matronæ superstites comam absciderunt: ex ea nervi arcubus additi, hostesque demum depulsi. Hinc libertate denuo potiti, in gratam rei memoriam, statuam Veneri erexere, cui cognomen Calvæ indiderunt, ob abscissas a matronis comas. Hanc historiam refert Vegetius lib. IV, cap. 9, de Re militari; Servius ad I Æneid. Sæpe hoc usu venit olim in bellis, inquit Is. Casaubonus in Notis ad Capitolin. pag. 188. Cæsar Belli Civilis lib. III, de iis qui obsessi erant Salonis, *præsectis omnium mulierum crinibus tormenta effecerunt.* Narrat et Dio in Severo, in obsessa urbe Byzantio rudentes de crinibus mulierum factos. Vide Aristidem in Rhodiaca. De hac re nil legitur apud Livium, neque apud Plutarchum. Attamen templum Veneris Calvæ irridetur a S. Cypriano his verbis: *Est*, inquit, *et Venus Calva. Multo hic turpius Calva, quam apud Homerum vulnerata.* De eadem et loquitur Augustinus, et Vegetius libro IV.

Digitized by Google

ædem Veneri Calvæ consecrarunt. Non igitur intelligunt, quam vanæ sint religiones, vel ex eo ipso, quod eas his ineptiis cavillantur. A Lacedæmoniis fortasse didicerant, deos sibi ex eventis fingere, qui cum Messenios obsiderent, et illi furtim deceptis obsessoribus egressi, ad diripiendam Lacedæmonem cucurrissent, a Spartanis mulieribus fusi fugatique sunt. Cognitis autem dolis hostium, Lacedæmonii sequebantur. His armatæ mulieres obviam longius exierunt; quæ cum viros suos cernerent parare se ad pugnam, quod putarent Messenios esse, corpora sua nudaverunt. At illi uxoribus cognitis, et aspectu in libidinem concitati, sicuti erant armati, permisti sunt utique promiscue; nec enim vacabat discernere. Sic juvenes ab iisdem antea missi, misti cum virginibus, ex quibus sunt Partheniæ nati, propter hujus facti B memoriam ædem Veneri armatæ, simulacrumque posuerunt: quod tametsi ex causa turpi venit, tamen honestius videtur armatam Venerem consecrasse, quam calvam. Eodem tempore Jovi quoque Pistori ara posita est, quod eos in quiete monuisset, ut ex omni frumento, quod habebant, panem facerent, et in hostium castra jactarent; eoque facto soluta esset obsidio, desperantibus Gallis inopia subigi posse Romanos.

Quæ ista religionum derisio est? Si earum defensor essem, quid tam graviter queri possem, quam deorum nomen in tantum venisse contemptum, ut turpissimis nominibus ludibrio habeatur? Quis non rideat Fornacem deam, vel potius doctos viros celebrandis Fornacalibus operari? Quis, cum audiat deam Mutam, tenere risum queat? Hanc esse dicunt, ex qua sint nati Lares, et ipsam Laram nominant, vel Larundam. Quid præstare colenti potest, quæ loqui non potest? Colitur et Caca, quæ Herculi fecit indicium de furto boum, divinitatem consecuta, quia prodidit fratrem; et Cunina, quæ infantes in cunis tuetur, ac fascinum submovet; et Stercutus, qui stercorandi

VARIORUM NOTÆ.

Dolis hostium. Ita restituimus ex omnibus mss. et pluribus editis. Cæteri vulgati habent, *hostium insidiis.*

Sicut erant. Supra lib. I, cap. 8. Hæ voculæ rei veritatem hic, non mutatam rei conditionem notant. Cic. in Bruto cap. 14: *Ut erat lana amictus, ita venit in concionem.* Ovid., V Metam., Fab. 10: *Sicut erant, fugio sine vestibus.* Val. Max., lib. IV, cap. 6: *Quem* (Plautium) *amici*, sicut erat, *togatum et calceatum corpori conjugis junxerunt:* et lib. V, cap. 6, extr. 4: *Gladio cinctus*, sicut erat, *processit.* BUNEMAN.

Juvenes ab iisdem antea missi, misti cum virginibus. C Collatis inter se variis tum mss. tum editorum codicum lectionibus, sic legendum censeo. In tribus enim mss. Reg., 1 Colb., Cantabrig., 2 Brun. est, *antea missi, admisti cum virginibus;* in 6 Reg., 2 Bonon., 5 Colb., 1 Sorbon., 2 Clarom. et vet. edit. 3 Rom., Venet., 1490, Egnat. seu Ald., Paris. 1525, Florent., Crat., Graph., *antea missi cum virginibus;* scilicet vox *misti* male scripta a librariis mutata fuerit in *missi*, et deinde ab aliis omissa, velut duplicata. In editis Gymnic., Fasitel. et Thys. est, *ante admissi cum virginibus.* Ms. Em. et edd. Gall. et Spark., *ante missi cum virginibus*, sensu prorsus imperfecto. Hujus rei historia refertur a Strabone. Lacedæmonii enim Messeniis bellum intulerunt, eo quod Teleclum regem sacrificandi causa profectum occidissent anno 813, ante vulgarem æram (propter virgines stupratas, ait Justinus,) juramento facto, se non prius reversuros, quam Messenam cepissent. Uxoribus vero tam diuturnas moras ægre ferentibus, Lacedæmonii sui jurisjurandi memores, et uxorum rationem habentes, D robustissimos ac ætate juniores e castris Lacedæmonem mittunt, quos noverant sacramenti religione non teneri. Iis præcipiunt, ut cum omnibus virginibus rem omnes haberent, eo pacto rati sobolem copiosiorem futuram. Hi ergo, qui sic geniti erant, Parthenæi dicti sunt, seu Virginum filii. Vide Justinum lib. III, cap. 4.

Partheniæ. Sic lego cum antiquissimis mss. 1 Reg., 1 Bonon. et 2 al. Reg., 1 Colb., 2 Brun., 2 aliis Colb. a prima manu. Nec aliter legunt Aristoteles lib. V Politic., cap. 7; Justin., Hist. lib. III, cap. 4. At 9 mss. rec. habent, ut et editi, *Parthenii;* Reg. Put., *Partheni* a prima manu. Videndi Pollux et Strabo lib. VI. *Veneri armatæ.* Vide Pausan. lib. III, in Lacon.; Nonnum lib. XXXV Dionysiacor. Romæ autem *Cluacina*, id est, armata dicta est, a verbo *cluere*, quod antiquis fuit pugnare. *Ex* SCHEDIO.

Pistori. Vide Ovid. VI Fastor.

In quiete monuisset. De somnio hoc silent historiæ; de jactatis panibus, Livius V, c. 48, Flor. I, c. 13, consulatur. CELL.

In quiete. Eleganter pro somnio, ut sæpe Cicero in lib. I Divin., c. 24; Valer. Maxim., lib. I, cap. 7, extern. 1, 6 et 10; Lact. lib. II, c. 7, not. BUNEMAN.

Monuisset. Solemne de talibus somniis verbum, Epit. c. 20. Vid. Broukhus. ad Tibull. 3, 4, 11, p. 314. BUN.

Quod habebant. Ita restitui ex mss. In editis, *haberent.*

Soluta esset. Sic reposui ex mss. Editi habent, *soluta est.*

Religionum derisio. Sic recte omnes, præter Goth. qui, *Religionum diversitas:* male. BUN.

Nomen. Manuscriptorum et 5 vet. editorum est. Recentiores mss. duo Reg. et editi octo legunt, *numen.*

Fornacem deam. Fornacalia, eorumque ritus explicantur a Plutarcho Problem. Rom. cap. 89. Ovid. lib. II et VI Fastor.:

> Facta dea est Fornax, læti fornace coloni
> Orant ut fruges temperet illa suas.

Olim Romani sola pulte victitabant, ignoto usu panis; panem pinsendi postea edocti artem, deam fornacibus præfecerunt. DEMPSTERUS.

Fornacalibus. Mss. 2 Colb. et 1 Brun., *Furnacalibus;* alter Brun. et 3 Colb. cum edit. Rom. 1470, *fornacibus.* Vide Ovid. Fast. lib. II. — *Celebrandis Fornacalibus.* Mense Februario. Ovidius, Fast. II, v. 527:

> Curio legitimis nunc fornacalia verbis
> Maximus indicit, nec stata sacra facit. CELL.

Operari. Sensu sacro, ut Livius, lib. I, cap. 31, *Operatum his sacris se addidisse.* BUNEMAN.

Cum audiat deam Mutam. Ovidio Fast. II, 572, dicta *Tacita.* BUNEMAN.

Laram. Ejus fabulam vide apud Ovid. lib. II Fastor.

Caca. Ita mss. 2 Reg. veterrimi aliique cum editis fere omnibus. Plurimi mss. et duo editi, *Cæca*, vel *Ceca;* duo Colb., *Ceta.* Virg. Æneid. et Ovid., lib. I Fastor. — *Caca, quæ Herculi fecit indicium.* Virgilius lib. VIII, ex aversis vestigiis bonum indicium Herculem invenisse tradit: at etiam proditionem sororis Cacæ accessisse. Serv. in Æneid. VIII, v. 190 memoravit. BUNEMAN.

Cunina. Sic legunt editi et cuncti pene mss. Varro, et S. Aug. de Civit. Dei, lib. IV, cap. 8 et 11. At mss. 2 Bonon., *Cunia;* 3 Colb. et Pen., *Cuna;* 1 Colb., *Cuna;* 1 al. Colb., *Cunena.* De Junone Cunina vide Plinium lib. VII, cap. 2, et Gruterum in Inscriptionibus, pag. 96.

Et Stercutus. Tribus syllabis *Sterculus* habet Ter-

Digitized by Google

agri rationem primus induxit; et Tutinus, in cujus sinu pudendo nubentes præsident, ut illarum pudicitiam prior deus delibasse videatur : et mille alia portenta, ut jam vaniores qui hæc colenda susceperint, quam Ægyptios esse dicamus, qui monstruosa et ridicula quædam simulacra venerantur. Et hæc tamen habent aliquam imaginem. Quid? qui lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen est Terminus? Hic est, quem pro Jove Saturnus dicitur devorasse; nec immerito illi honos tribuitur. Nam cum Tarquinius Capitolium facere vellet, atque in eo loco multorum deorum sacella essent, consuluit eos per auguria, utrum Jovi cederent; et cedentibus cæteris, solus Terminus mansit. Unde illum poeta

Capitoli immobile saxum

vocat. Jam ex hoc ipso quam magnus Jupiter inve-

VARIORUM NOTÆ.

tullianus Apologet. cap. 25, necnon mss., 1 antiq. Regio-Puteanus a prima manu, aliique 2 Regii, Vatic., 2 Colb., Nav., Goth., Cauc., Pal., Vict., 2 Brun., et edit. Cellar. Est *Stercus* in 1 Bon. antiq. et 1 Colb.; at *Sterculius* in 1 Reg., 1 Colb., Gat., et in editis multis; *Sterculinus* in 1 Bonon. rec. et Tax. In mss. octo et 2 vet. edit. Rom. et in ms. Taurin. Epitom. cap. 21, *Stercutus*. In 3 Reg. et Marm. necnon apud Augustinum lib. XVIII de Civ. Dei, cap. 15, *Stercutius;* in 1 Reg., *Stercuatus;* in alio Reg., 1 Sorbon., a prima manu, et 1 Clarom. a secunda, *Stercatus;* in 1 Colb., *Stercautus;* in alio Colb. et Jun., *Stercurius*. Sterculus Fauni filius ob stercorationis agrorum inventum immortalitatem consecutus. Vide Tertullian. Apologet. cap. 22, et Plinium lib. XVII, cap. 9. — *Et Sterculus*. Vulgo, quatuor syllabis, *Sterculius :* at tribus Goth. cod. et Tertullianus Apol. c. 25. Sic Prudentius Laurentio v. 450 :

Janum bifrontem et Sterculum
Colit senatus. BUN.

Tutinus. Mirum quam hic, sicut et in præcedenti, mss. codices variant. *Tutinus* reposui ex 9 mss. Regiis, inter quos sunt duo vetustissimi, 1 Bonon. antiq., 6 Colb., 1 Sorb., Nav., Vict., Marm., 3 Lips., Em., Cantabrig., 2 Clarom., Pen., Tornes., 2 Brun., ac edit. Rom. 1470, et Crat. in marg. In mss. 1 Reg. et Gat. est, *Futinus;* in Bonon. rec., *Cutinus*, mendose, pro *Tutinus :* facilis enim mutatio *C* et *F* in *T*. In edit. Rom. 1468, *Titinus*. Apud Arnobium Lactantii præceptorem lib. IV adv. Gentes, *Tutunus*, juxta vetustissimum cod. ms. Regium. Apud Augustinum, *Mutunus* et *Tutunus*, qui idem est ac Priapus. Hinc Arnob. lib. IV : *Cujus immanibus pudendis, horrentique fascino, vestras inequitare matronas, et auspicabile ducitis et optatis*. Lib. VI, Civ. Dei, c. 11. In ms. Cauc. et edit. Tornes., Spark., Walch., et apud Tertull. Apolog. cap. 25, et in decem vulgatis, *Mutinus*. Sed quoquomodo legas, *Tutinus*, seu *Tutunus*, vel *Mutunus*, parum refert : nam deus hic utrumque habuit nomen ab utroque obscœno : sexus enim utriusque habuit pudendum, μυττὸς, Siculum vel Æolicum, pro μυστὸς, de pudendo muliebri : inde μυττὼν μυττῶνος, et Romanum *Muttonus*. πόσθη et ποσθὼν, qui ingens habet virile, Æolice ποθθὼν ποθθῶνος : inde Latinum *Puttunus et Tuttunus;* nam T et P invicem permutabant tam Æoles quam veteres Latini. *Ex* SALMASIO. — *Ipse*, inquit Aug. ubi supra, *est apud Græcos Priapus, si non pudet. Tetinus* etiam vocabatur.

In cujus sinu pudendo, etc. In hujus Dei sinu nova nupta præsidebat, ne sterile conjugium haberet. August. de Civ. Dei lib. VI, cap. 9 : *Sed quid hoc dicam, cum et ibi sit Priapus nimis masculus, super cujus immanissimum et turpissimum fascinum, sedere nova nupta jubebatur more honestissimo et religiosissimo matronarum*. MEURSIUS.

Præsident. Recte est in Lactantio *præsident; præsidere* enim verbum in casto operantium proprium. JANUS GULIELM. — *Præsident*. Heuman. legit, *resident*, vel *prius sedent*. At omnes libri, *præsident*, quod tuetur Gulielm. c. 1, ut rectum, et verbum in casto operantium proprium. De re Arnob. c. 1 : *Etiamne Mutunus, cujus immanibus pudendis horrentique* fascino *vestras* inequitare *matronas, et auspicabile ducitis, et optatis*. S. August., de Civ. Dei, lib. VI, cap. 9. *Quum ibi sit et Priapus nimius masculus*, super *cujus immanissimum et turpissimum* fascinum sedere *nova nupta jubeatur*. Lib. VII, cap. 24 : *In celebratione nuptiarum* super Priapi scapum *nova nupta sedere jubebatur*. BUN.

Portenta. De his portentis vide Minucium Felicem, cap. 25.

Venerantur. Ms. Jun. et nonnulli editi addunt, *et colunt*. — *Venerantur*. Sic Bon., Tax., Pen., Cauc., Ult., Pal., Lips., Goth., ubi edd. Ven. 1471, 97, Rost., Paris., Parrhas., Crat., Ald., Gymn., Gryph., Tornes., *venerantur et colunt*. Nec hoc male. Senec. I Clem., c. 19 : (deos) *intueamur venerantes colentesque*. Ipse Lactantius jungit lib. II, c. 5, lib. III, c. 9, *Venerari* et *colere;* et Epitom. cap. 25 : *Colenda ac veneranda*. Conf. lib. I, cap. 15, lib. II, cap. 5. Ipse Cicero I, de Nat. deor., cap. 42 : *deos colere, precari, venerari;* et lib. II de Nat. deor., cap. 28 : *deos et venerari, et colere*. BUN.

Quid? qui lapidem. Mss. est pene omnium, et veterum ac potiorum editionum. In Christ., 2 Colb. et editis quinque, *Quid? quod lapidem*.

Terminus. Olim in limitandis agris lapis collocabatur. Virg. lib. XII Æneid. :

Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

Papinius lib. V Theb. :

Rapit ingenti conamine saxum
Quo discretus ager.

Et non solum lapis erat, verum etiam quandoque stipes, ut subdit postea Lactantius, et refertur a poeta, lib. XI Fastor. :

Termine, sive lapis, sive es desertus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.

Statua huic deo erecta erat quadrato lapide vel stipite dedolato, uncto, coronato. Vide L. Sen., in Hippolyto, act. II, sc. 1. Terminalia, huic Deo sacra, magna rusticorum solemnitate celebrantur, mense Februario; sed vario pro sæculorum ratione cultu : quippe, Numa nihil animatum ei immolari volebat deo, ut est apud Plutarchum in Vita ejus, et cap. 14 Problem. Rom. Postea tamen mutata ea fuit sacrificandi ratio, et Termino animata, ut cæteris diis, cæsa hostia. M. Cicero Phil. XII et alii, quæ vel porca, Ovid. Fast., lib. II. DEMPSTERUS. — Vide Florum lib. I, cap. 7, et Ovid. lib. II Fastor., 690. — *Solus Terminus*. Imo et *dea Juventus* cum Termino fuit contumax, testantibus aliis, quos indicat Rycquius de Capitol. Rom., cap. 9, pag. 81 et cap. 14, pr. de *Termino*. Conf. Livium lib. I, cap. 55. BUN.

Capitolium. Hist. est apud Livium lib. I, et sub finem quinti. Dionys. Halicarn., lib. II, et Plutarch. in Numa.

Atque eo in loco. Manuscriptorum est : *eoque in loco*, editorum.

Cederent. Ita mss. præter 3 rec. in quibus est, *cedere vellent*. In nonnullis rec. editis, *credere*, et *credentibus*.

Poeta. Æneid. IX, v. 448,

Capitoli immobile saxum.

Jam... quam magnus. Similis ironia lib. I, cap. 20, *jam quanta ista immortalitas putanda sit*, etc. BUN.

Digitized by Google

nitur, cui non cessit lapis, ea fortasse fiducia, quod illum de paternis faucibus liberaverat. Facto itaque Capitolio, supra ipsum Terminum foramen est in tecto relictum: ut quia non cesserat, libero cœlo frueretur; quo ne ipsi quidem fruebantur, qui lapidem frui putaverunt. Et huic ergo publice supplicatur, quasi custodi finium deo: qui non tantum lapis, sed etiam stipes interdum est. Quid de iis dicam, qui colunt talia? nisi ipsos potissimum lapides ac stipites esse?

CAPUT XXI.

De diis Barbarorum quibusdam propriis, et eorum sacris, ac itidem de Romanis.

Diximus de diis ipsis, qui coluntur: nunc de sacris ac mysteriis eorum pauca dicenda sunt. Apud Cyprios humanam hostiam Jovi Teucrus immolavit; idque sacrificium posteris tradidit, quod est nuper Hadriano imperante sublatum. Erat lex apud Tauros, inhumanam et feram gentem, uti Dianæ hospites immolarentur; et id sacrificium multis temporibus celebratum est. Galli Hesum atque Teutatem humano cruore placabant. Nec Latini quidem hujus immanitatis expertes fuerunt, siquidem Latialis Jupiter

VARIORUM NOTÆ.

Libero cœlo frueretur. Sic Cicero v Tuscul. 13, *Volucres cœlo frui libero.* Senec. ad Polyb. cap. 28, extr. *Fruitur nunc aperto et libero cœlo.* Bun.

De sacris. Lege Alex. ab Alexand. l. vi, cap. ult. et Tiraquellum, Voss. l. i Idol., cap 35, et lib. ii, et Cren. p. ix Animad., p. 77 sqq. Bun.

Apud Cyprios humanam hostiam. Ita restituimus ex omnibus manuscriptis vetustissimis duobus, scilicet, 1 Bonon., 1 Reg., et 6 aliis Reg., 2 Brun., Cauc., 1 Colb., Nav., Pal., Lips., Jun., Vict., Pen., Ultr., 1 Claromont., Marin., et edit. Rom. 1470, ac Cellar. Addunt *autem* mss. Regio-Puteanus, 4 Colb., 2 Lips., 1 Claromont., 1 Sorbon., Gat., et edit. Rom. 1468. In multis editis est, *Apud Cypri Salaminem.* —*Apud Cyprios humanam.* Epit. c. 25: *Jovi Cyprio*, sicut *Teucrus instituerat, humana hostia mactari solebat.* Rem illustrat Betuleius. Bun.

Teucrus. Testatur Strabo, lib. xiv, Salaminem Cypri a Teucro profugo esse conditam. Teucer autem, Telamonis filius, profugus erat, quod Teucer mortem fratris sui Ajacis, qui insidiis Ulyssis interierat, ultus non esset, ac sine ipso rediisset. Cæterum hæc humana Salaminiorum sacrificia antiquata fuerunt sub Adriano, teste Marcellino, lib. xiv.

Hadriano imperante. mss. 4 rec., *ab Hadriano imperatore.—Hadriano... sublatum.* Hadrianum hæc sacra antiquasse, neque apud Dionem, neque apud Spartianum, nec Eutropium legitur. Eusebius scribit, Adriani temporibus has impii erroris nebulas Evangelici solis splendore fuisse discussas. Eutropius vero Trajani temporibus Salaminiam (sic enim ipsam cum Plinio vocat) a Judæis deletam fuisse, ait Spartianus, quidem auctor est, Adrianum Romana sacrificia diligenter curasse, cæterum externa neglexisse. Ex Actis Apost. cap. xiii, certum est Paulum et Barnabam Salamine Cypri in Synagogis Jud. verbum Dei annuntiasse. Hæc a Constantio Constantia fuit postea appellata. Betul.

Erat lex apud Tauros. Hujus sacra refert Prudentius lib. contra Symmachum; et Juvenalis, satir. 15.

> Incassum arguere jam Taurica sacra solemus,
> Funditur humanus Latiari in munere sanguis.

Hæc Prudentius. Hujus sacrificii Thoas rex auctor fuit; unde a Silio italico Diana Thoantea vocatur. Vide et Pomponium Melam. lib. ii, capite de Scythia Europæa.—*Erat lex apud Tauros.* Populum supra Pontum Euxinum. Ovidius exsul lib. iv Trist., Eleg. 4, v. 63:

> Nec procul a nobis locus est, ubi et Taurica dira
> Cæde pharetratæ pascitur ara deæ. Cell.

Galli Hesum. Lucan. l. i. Pharsal. Hesus hic Mars est. Significat fortem in Hebræo idiomate. *Hesus* enim robur est. Mars autem secundum ethnicos bello præsidet: consequens igitur est ut fortis sit. Edessæ in Mesopotamia in Solis templo a vetustissimis sæculis colebatur Belus, sive Sol: juxta eum Mercurius, quem Monimum, et Mars, quem Æzizum nuncupabant, simul adorabantur. Schedius.

Teutatem humano cruore placabant. Hic Teutates est Mercurius. Livius, lib. xxvi: *Scipio in tumulum obversus, quem Mercurium Teutatem appellant.* Teutates itaque Gallis idem, qui Phœnicibus Τάαυτος, et Ægyptiis *Thouth*, vel *Theuth* et *Thoth*, de quo fusius ante. Minucius Felix refert *Gallos Mercurio humanas victimas cædere.* Tertull.: *Major ætas apud Gallos Mercurio prosecatur.* De Gallis Cæsar lib vi de bello Gallico: *Deum maxime colunt Mercurium... pro victimis homines immolant.* Per Druidas illa sacra fiebant; idem ibidem: *Illi* (Druidæ) *rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur.* Suetonius, *a Claudio diram hanc immanitatem penitus sublatam* scribit: *nec sub Tiberio, sed sub Augusto civibus interdictum, ne hominem immolarent.* Plinius, dclvii anno U. C. Corn. Lentulo, P. Licinio Crasso coss. senatusconsultum factum esse tradit, ne homo immolaretur. Vide Betul. et Tertullianum Apologetici cap. 8, atque Melam. lib iii. De hisce diis loquitur Lucanus libro primo his verbis:

> Et quibus immitis placatur sanguine cæso
> Teutates, horrensque feris altaribus Hesus.
>
> Betul.

Latialis Jupiter. Mss. septem, *Latiaris.* Utraque lectio bona. Notum enim est in Latinis libris et *Latialis* et *Latiaris* Jovis cognomen scribi: quare etiam Græci quidam in hac voce *r* retinuerunt, ut Porphyr. περὶ ἀποχῆς. Is. Casaubonus. In hanc abominandam ἀνθρωποκτονίαν etiam Clemens Alexand. invehitur in προτρεπτικῷ. Inhumanum illud sacrificium a Tarquinio Superbo in monte Albano constitutum fuerat; vide Dionysium Halicarnass. lib i. Infamis hac credulitate ara Dianæ Tauricæ: Pellæ etiam Achilli et Chironi homo immolabatur; Lesbii eodem genere victimarum Baccho sacrificabant. Quin et Erechteus Atticus, et Marius Romanus, filias ipsi suas mactaverunt, ille Proserpinæ, hic diis Averruncis. Arnobius lib. ii adversus Gentes: *Ante adventum in Italiam Herculis, cum ex Apollinis monitu patri Diti ac Saturno humanis capitibus supplicaretur.* De hac ipsa immanitate merito conquerentem vide etiam Athenagoram Orat. ὑπὲρ χριστιανῶν. Multa quoque de his Euseb. Præparat. Evangel. lib. iv, cap. 17. Ex Porphyrio narrat Dionys. Halicarnass., l. i Rom. Antiq., Herculem in Italia, et alibi, hanc plus quam belluinam feritatem sustulisse. Petrus Pantinus. — Bunemannus legit *Latiaris*, eumque sic locum annotat: « Correxi, inquit, ex Goth. et Cauci mss., *Latiaris.* Sic quoque Cl. Puteani mss. Lact. h. l. teste Lambino ad Cic. pro Milone c. 31. ubi cum Grut. et Grævio ex ms. defenditur ea vox. Etiam in Taurin epit. c. 23. —*Latialis Jupiter etiamnunc sanguine.* Idem objiciunt Tertullianus Apolog. c. 9, et in Scorpiace cap. 7. Minuc. Felix pag. 297 (ubi Elmenhorst. vide) et Prudentius adv. Symmach. l. i, v. 396. Ritus non satis notus. Videtur in amphitheatrali munere, auspicandi causa, noxius seu damnatus mactari prò victima solitus. Bun.

Digitized by Google

etiamnunc sanguine colitur humano. Quid a diis boni precantur, qui sic sacrificant? Aut quid tales dii hominibus præstare possunt, quorum pœnis propitiantur? Sed de Barbaris non est adeo mirandum, quorum religio cum moribus congruit. Nostri vero, qui semper mansuetudinis et humanitatis gloriam sibi vindicarunt, nonne sacrilegis his sacris immaniores reperiuntur? Hi enim potius scelerati sunt habendi, qui, cum sint liberalium disciplinarum studiis expoliti, ab humanitate desciscunt, quam qui rudes et imperiti ad mala facinora bonorum ignoratione labuntur. Apparet tamen antiquum esse hunc immolandorum hominum ritum: siquidem Saturnus in Latio eodem genere sacrificii cultus est, non quidem ut homo ad aram immolaretur, sed uti in Tiberim de ponte Milvio mitteretur. Quod ex responso quodam factitatum Varro auctor est; cujus responsi ultimus versus est talis :

Καὶ κεφαλὰς Ἀΐδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

A Quod quia videtur ambiguum et fax illi, et homo jaci solet. Verum id genus sacrificii ab Hercule, cum ex Hispania rediret, dicitur esse sublatum, ritu tamen permanente, ut pro veris hominibus imagines jacerentur ex scirpo; ut Ovidius in Fastis docet :

Donec in hæc venit Tirynthius arva, quotannis
Tristia Leucadio sacra peracta modo.
Illum stramineos in aquam misisse Quirites :
Herculis exemplo corpora falsa jace.

Hæc sacra Vestales virgines faciunt, ut ait idem !

Tum quoque priscorum virgo simulacra virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.

Nam de infantibus, qui eidem Saturno immolabantur propter odium Jovis quid dicam, non invenio; tam barbaros, tam immanes fuisse homines, ut parricidium suum, id est tetrum atque execrabile humano generi facinus, B sacrificium vocarent : cum teneras atque innocentes

VARIORUM NOTÆ.

Quid a diis boni precantur, qui sic sacrificant? Mss. undecim cum multis editis, *Quid ab his.* 1 Reg., 1 Colb., Nav., Vict., Brun., *Quid talibus a diis.* 1 Reg., 1 Colb. et 4 edd., *Quid ab his boni precatur qui sic sacrificant*, mendose. Ms. Jun. et editio Gallica 1563, *quibus sic sacrificant.* — *Quid ab his boni.* Sic omnes scripti et editi, quos sequi æquius, quam unum Gothanum non plane sanum; hic enim habet : *Quid a diis bonis.* Sensus facilis : *Quid boni precantur ab his*, sc. *diis?* Bun.

Precantur. Sic recte Goth., tres Lips., Reimm., Rost., Ven. 1471, secunda 1478, Paris. 1513, Tornes., Betul., Cell. ubi perperam prima 1478, 93, 97, Parrh., Ald., Gymn., Gryph., Crat., Thomas., Isæus, Gall., ed. Cantabr., *precatur* in singul. cum sequatur in omnibus, *sacrificant.* Hinc cognoscas incuriam editorum. Bun.

Desciscunt. Justin. de Scyth. lib. II, cap. 2. — *Ab humanitate desciscunt.* Lips. 2 et Reimm. perperam, *Ab humanitate desistunt.* l. IV, cap. 11, *A lege desciscerent.* De Ira cap. 23, *A pietate desciscere*, restituimus. Bun.

Ad facinora... labuntur. « Suspicor, » inquit Heumannus, « Lactantium scripsisse, *delabuntur.* » At rectum simplex. Lact. l. IV, cap 1, *Ad hos... fragiles deos lapsi.* Lib. VI, cap. 13, *Qui ad peccatum labuntur.* Ibid. cap. 24, *Ad injustitiæ viam lapsus est.* Ipse Cicero pro Sextio cap. 55, *Ad insolitum genus dicendi labi.* Bun.

In Latio. De hoc S. Augustinus et S. Athanasius.

Milvio. Mss. Brun., *Molbio.* Hic hodie dicitur *Ponte-Mole.*

Responsi. Hoc responsum apud Macrobium legitur libro I Saturn., cap. 7.

Καὶ κεφαλὰς Ἀΐδῃ. Sic restituimus ex mss. 2 vetustissimis Reg., itemque alio Reg. rec., 1 Colb., Cauc., Nav., Vict., Marm., 2. Brun., accedente 1 Sorbonico, in quo καὶ κεφαλὰς Αι καὶ, pro Αιδη, et uno Claromont., cui est Καὶ κεφαλὰς Διΐ. In novem recentissimis et in editis, καὶ κεφαλὰς κρονίδῃ. In pluribus Græca desunt. Sed et Αΐδη est apud Macrobium, Saturnal. lib. I, c. 7, et sic legendum esse contendit Pontanus in notis ad Macrobium, et ita censent doctissimi viri Baluzius ac Francius. Latine : *Et capita Saturno, et patri mittite lumina, seu hominem.*

Φωτα. Omnem accentum sustulimus, ut ambiguitas servetur oraculi, quam data opera versus continet; et semper hæc vox sine accentu scribenda est, quando est ambigua, ut significet et hominem et lumen. Cum accentu gravi hominem, cum circumflexo lumen denonat. Is.—Imo vero accentum circumflexum, illæsa ambiguitate, restitui potest : siquidem τὸ ΦΩ̃ΤΑ referre licebitvel ad ΦΩ̃Σ, ΦΩ̃ΤΟΣ, *homo*, in accusativo casu numeri singularis, vel ad ΦΩ̃Σ, ΦΩ̃ΤΟΣ, *lumen* in accusativo casu numeri pluralis. Nec convenienter grammaticæ asserit doctissimus Isæus, vocem ΦΩΤΑ, omni accentu destitutam, *hominem* æque ac *lumen* significare posse : ΦΩΣ enim pro *lumine* acceptum, neutri generis est, masculini vero si pro *homine* sumatur : cum autem omnis substantivus neutri generis idem sonet in accusativo quam in nominativo casu utriusque numeri, consequens est ut τὸ ΦΩΤΑ vel *hominem*, vel, *lumina* significet. — Post ΦΩ̃ΤΑ mss. duo Bonon. addunt, *hominem*; 2 Brun. *lumina* interpretati sunt. Ob hanc autem nominis amphibologiam, *et fax illi*, inquit Lactantius, et homo jaci solet.

In aquam misisse. Goth. auferendi casu, *in aqua;* C ut de M. P. c. 21 extr., *jactabantur in flumine.* At Ovidius et ipse Lact. infra, *in Tiberim... mitteretur.* Bun.

Corpora falsa jace. Est *jaci* apud Ovidium, et in edit. Lactantiana. Is. — *Jaci.* Omnes scripti et editi *jace*, præter Isæum, qui ex Ovidio *jaci* hic edidit quod, ut rectius, recepi; præcessit, *misisse.* Bun.

Nam de infantibus qui eidem Saturno, etc. De hoc immani sacrificio etiam paulo post hoc eodem capite mentionem facit auctor; quare duo loca illa simul explicabimus. Saturnus, qui Græcis Κρόνος plerumque censetur Moloch : infantes sive pueri utrisque erant hostiæ communes. Et nefanda illa sacra e Syria in Europam videntur migrasse, ac in Africam. Ad Ovidii Fastos, Macrobium, alios perquam obvios, relegandus, qui de Europæi Saturni hostiis humanis disquirit. De Pœnis, qui Syrorum colonia, Ennius :

Ille suos divis mos sacrificare puellos.

Versus est apud Nonium Marcellum, verbo *puellis.* Qui liberis carebant, ii a pauperibus emebant, ut ma- D ctarent; quod a Plutarcho docemur. D. Athanasius Orat. advers. Græc., Φοίνικας καὶ Κρῆτες τὸν Κρόνον ἐν ταῖς τεκνοθυσίαις ἐθρήσκευον. Ad Tiberii usque tempora durasse impium illum morem in Africa scribit Tertullianus Apolog. cap. 9 : *Infantes*, inquit, *penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberii.* Similia leguntur in Minucio Felice. Seldenus.

Quid dicam, non invenio; tam barbaros. Sic incidunt et legunt vetustissimi mss. Bonon. Regii, 1 Clarom. aliique cum omnibus fere editis. In mss. 8 rec. et edd. Rom. ac Venet. est hæc interpunctio : *Quid dicam? Non invenio tam barbaros*, etc. Nota admirantis est : Miror seu stupeo tam barbaros, etc. Quod secuta est gallica versio. an. 1563.

Sacrificium vocarent... extinguerent. Quæ hostia misericordiam provocat, inquiebat Justinus, XVIII, 6; Curtius lib. IV, cap. 3 et 23.

Innocentes. Vim hujus vocis eximie illustrat Gronov. ad Minuc. 2, p. 9, 10, ad verba : *Annis adhuc innocentibus.* Bun.

Digitized by Google

animas, quæ maxime est ætas parentibus dulcior, sine ullo respectu pietatis extinguerent, immanitatemque omnium bestiarum, quæ tamen fœtus suos amant, feritate superarent! O dementiam insanabilem! Quid illis isti dii amplius facere possent, si essent iratissimi, quam faciunt propitii? cum suos cultores parricidiis inquinant, orbitatibus mactant, humanis sensibus spoliant? Quid potest esse his hominibus sancti? Aut quid in profanis locis facient, qui inter aras deorum summa scelera committunt? Pescennius Festus in libris Historiarum per Satyram refert, Carthaginenses Saturno humanas hostias solitos immolare: et cum victi essent ab Agathocle, rege Siculorum, iratum sibi Deum putavisse; itaque ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse.

Tantum religio potuit suadere malorum,
Quæ peperit sæpe scelerosa, atque impia facta.

Cui ergo dementissimi homines illo sacrificio consulebant? cum tantam partem civitatis occiderent, quantam fortasse ne Agathocles quidem victor occiderat.

Ab isto genere sacrorum non minoris insaniæ judicanda sunt publica illa sacra: quorum alia sunt matris deum, in quibus homines suis ipsi virilibus litant; amputato enim sexu, nec viros se, nec fœminas faciunt: alia Virtutis, quam eamdem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, et utraque manu districtos gladios exerentes, currunt, efferuntur, insaniunt. Optime igitur Quintilianus in Fanatico; « Istud, inquit, si Deus cogit, iratus est. » Etiamne hæc sacra sunt? Nonne satius est pecudum more vivere, quam deos tam impios, tam profanos, tam sanguinarios colere? Sed unde isti errores et hæc tanta flagitia manaverint, suo loco disseremus: interim videamus et cætera, quæ carent scelere, ne

VARIORUM NOTÆ.

Maximæ... dulcior. Singularis constructio, pro *maxime dulcis*, aut *dulcissima*. Vid. Heusinger. ad Vechner. Hellenol., p. 171. Bun.

Pietatis. Amoris parentum adversus liberos, l. IV, c. 17; de Mort. Persecut. c. 32. Bun.

Inter aras... scelera. Cypr. ed. Oxon., f. 17, ad Donatum, l. II, epist. 2, ed. Bas. *Inter leges ipsas delinquitur, inter jura peccatur.* Bun.

Festus. De hoc nil legitur apud auctores ne quidem apud Gregor. Gyraldum. Unde lectio hæc apud multos habetur suspecta.

Per Satyram refert. Satyra, seu satura, hic loci significat, interprete Vossio, mixtim, varie, sine distinctione gentis, aut ordine temporis; vel juxta alios, promiscue, vel magna varietate et copia refertis libris; quod diceremus, *varia historia.*

Carthaginenses Saturno. Hujus sacrificii meminerunt Tertullianus, Eusebius, S. Augustinus, præter Justinum et Curtium jam citatos; nec ignoravit Plato in dialogo qui *Minos* inscribitur.

Ab Agathocle. De Rebus gestis Agathoclis in Africa vide Justinum, lib. XXI; Diodor. Siculum, lib. XI et XVII, atque Plutarchum in Pyrrho.

Tantum, etc. Hi duo versus diversis locis a Lucretio scripti sunt, scilicet lib. I de rerum Natura, vers. 102; et lib. V, v. 84. Sed hic ultimus aliquantulum immutatus.

Occiderat. Dicuntur tria millia Pœnorum tunc cecidisse. Hujus sacrilegi sacrificii exempla collegit Alexander ab Alexandro in Genialibus Diebus.

Matris Deum, etc. Habuit et alia nomina; proprie enim Rhea, aut Cybele vocabatur. Tatianus Assyrius Oratione contra gentes: *Rhea, quam in Phrygiis montibus Cybelem vocant, exsectionem virilium lege instituit propter adamatum sibi Attin.* Vide Prudentium Hymno in Romanum:

Ast hic metenda dedicat genitalia,
Numen reciso mitigans ab inguine:
Offert pudendum semivir donum deæ;
Illam revulsa masculini germinis
Vena, effluenti pascit auctam sanguine.

Vide et Augustin. lib. VII de Civ. Dei, c. 6. Ea eviratio fiebat ad tibiæ cantum: quæ res et furenti rabie stimulabat ad exsectionem, et castratis mox dolorem minuebat. Quas causas affert Elias Cretensis in Orat. Nazianz. advers. Jul. Hanc enim vim habet cantus Phrygius, ut homines accendat, et quodam quasi furore animet. Unde Lucretius lib. II:

Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes.

Item Ovidius libro IV Fastor. et in Ibin. Sic eviratos constat *Gallos* vocatos. Ad cap. 7 hujus libri ex Beluleio notavimus ita eos vocatos a Gallo flumine, quod etiam probat *Vossius*, qui putat etiam sic dictos a viro nomine *Gallo*, qui primus forte Cybeles sacerdos fuit. Sane et apud Stephanum legitur: *Et Gallum et Attin abscidisse genitalia. At Gallum venisse ad Tyriam fluvium, atque istic habitasse, et vocasse eum Gallum: ab illo enim eos quibus præcisum veretrum, Gallos appellant.* Galli isti, in sacris Cybeles et Attidis, imitabantur lugentem Cybelem ob Attin: itaque et ejulabant, et pectus cædebant palmis. Pinus etiam statuebatur in memoriam pinus sub qua se castrarat Attis. Rami pinus coronis ornabantur, quia Cybele sic honorasset pinum. Stipes ejus velabatur lana, quia Cybele exanimati Attidis pectus velasset lana, ad teporem conciliandum. Pane abstinebatur, quia Cybele eo abstinuisset ob mœrorem. Vide Arnob., lib. V. Vossius.

Bellonam. Lib. V, c. 10, et interpretes ad Minuc., cap. 30. Egregie illustrat hanc lectionem Seneca apud August. de Civ. Dei, l. VI, c. 10; explicant Lipsius l. II Elect. cap. 18, et Nic. Abram. ad Cic. in Pison., c. 20; Bræckhus. ad Tibull. I. c. 7, pag. 132. Conf. Pitisci L. A. R. tom. I, fol. 270. Bun.

In quibus ipsi sacerdotes, etc. Tertull. Apol., cap. 9 ac 24: *Hodie isthic Bellonæ sacratus sanguis de femore proscisso in parmulam* (sic legendum esse puto) *exceptus suis datur signatis.* Min. Fel.: *Bellona servum suum haustu cruoris humani imbuit.* Lucanus lib. I:

. . . . . Quos sectis Bellona lacertis
Sæva monet.

Gallos sic eviratos sugillat etiam S. Augustinus, de Civit. Dei, lib. VII, cap. 25. Mutata fuit postea illa consuetudo, et simulata tantummodo sectio membrorum aut detruncatio retenta, vera abolita. Colligo ex Ælio Lamprid. in Commodo: *Bellonæ servientes vere exsecare brachium præcepit, studio crudelitatis.* Dempst. — Hunc morem illos a Babalitis accepisse verisimile est: in Dei enim illius Babalis cultu sacerdotes se cultellis incidebant, ut videre est I Reg. cap. XVIII, v. 28. Gallæus.

Efferuntur, insaniunt. Quicquid dicant Dempsterus et Gallæus, contra fidem cunctorum tum mss. tum editorum codicum, nihil immutare voluimus. Et quidem ipse Lactantius lib. IV, cap. 27, circa medium, habet, *effertur, insanit.* Videtur Tullium pro Cœlio imitatus, cap. 9 dicentem: *Læsi dolent, irati efferuntur, pugnant lacessiti.*

Quintilianus in Fanatico. Non apparet. Cell.

Digitized by Google

studio insectandi videamur eligere pejora. Isidis Ægyptia sacra sunt, quatenus filium parvulum vel perdiderit, vel invenerit. Nam primo sacerdotes ejus, deglabrato corpore, pectora sua tundunt; lamentantur, sicut ipsa, cum perdidit, fecerat. Deinde puer producitur quasi inventus, et in lætitiam luctus ille mutatur : ideo Lucanus :

. . . . Nunquamque satis quæsitus Osiris.

Semper enim perdunt, et semper inveniunt. Refertur ergo in sacris imago rei, quæ vere gesta est, quæ profecto, si quid sapimus, declarat mortalem mulierem fuisse, ac pene orbam, nisi unicum reperisset. Quod illum ipsum poetam minime fugit, apud quem Pompeius adolescens, morte patris audita, hæc loquitur :

Evolvam busto jam numen gentibus Isim;
Et tectum ligno spargam per vulgus Osirim.

Hic est Osiris, quem Serapim vel Serapidem vulgus appellat. Solent enim mortuis consecratis nomina immutari; credo, ne quis putet eos homines fuisse. Nam et Romulus post mortem Quirinus factus est; et Leda, Nemesis; et Circe, Marica; et Ino, postquam se præcipitavit, Leucothea, materque Matuta; et Melicertes filius ejus, Palæmon, atque Portumnus.

VARIORUM NOTÆ

Eligere pejora. Rectius sic mss. et utraque 1478, 93, 97, aliæ, quam Sublac., Ven. 1471, et Rost. *eligere potiora.* Expressit Cyprian. lib. II, ep. 2, fol. 34: *Ne nos videamur* eligere *forte* pejora, *et* studio *destruendi per ea oculos tuos ducere.* Bun.

Isidis. Diod. Sicul. in I Biblioth. ait *Isidem* juxta linguam Ægyptiacam significare *antiquam.* Ægyptii sub Isidis nomine lunam colebant; unde et cornua ipsi fuere attributa, quia talis lunæ aspectus et quando crescit ac decrescit. Hanc primum omnium in Ægypto triticum ac hordeum invenisse ferunt; unde mos fuit Ægyptiis, ut messores spicas maturas ad manipulum excerperent, et Isidem invocantes diis offerrent. Hinc liquet, Isidem cum Græcorum Cerere eamdem fuisse. *Ex* Vossio *et* Schedio. — *Isidis.* Vid. Plutarch., lib. de Iside Witsii Ægypt. l. II cap. 3; l. III cap. 4; Tertull. I, Marc. XIII. Bun.

Isidis Ægyptia sacra. Itemque apud Minutium Felicem in Octavio, pag. 6. In mss. 5 Reg., 4 Colb. et Brun. est *Ægyptiæ* Utraque lectio bona. Apud Augustinum, lib. VI de Civit. Dei, cap. 10, legitur : *In sacris Ægyptiis Osirim lugeri perditum;* et ante S. Augustinum hanc elevat vanitatem Theophilus ad Autolicum sermone 1. Vide etiam Diodor. Sicul. lib. IV, et Euseb., lib. II Præparat. Evangel., cap. 1, de Osiride et Iside.

Sacerdotes ejus deglabrato corpore, etc. Herodotus testatur (in Euterpe) sacerdotes Ægyptios totum corpus radere solitos, et tertio quoque die tondere, ne pilorum sordibus, inter sacrificandum piaculum committerent, neve inter deorum cultum quidquam pediculorum, aut alterius excrementitiæ sordis ipsos pollueret : eodem sensu Martialis sacrificulorum istam turbam, *pilatam cohortem* vocat lib. X, hoc est, calvam vel glabram, cui omnes undique pili erant exstirpati. Henric. Salmuth. — Si quis plura velit, adeat Herald. in Martial., lib. XII, epigr. 29.

Pectora sua. Mss. 1 Colb. et 2 Brun. addunt, *nuda.*

Lucanus. Hallucinatur Lactantius : non apud Lucanum, sed apud Ovid. reperitur, Metamorph. l. IX, v. 793.

Vere gesta est. Sic restituimus ex omnibus fere mss. et editis. In mss. 4 Reg., 2 Colb. et 4 editis, *vera.*

Tectum ligno. In Lactantianis mss. 3 Reg. et Balliol. et apud Lucanum est *tectum lino;* in cæteris Lactantii mss. et omnibus editis est *ligno.*

Quem Serapim. Ita mss. novem cum editis Tornes., Is., Cellar. Cæteri editi cum mss. 4, *Serapin.* In 15 mss. et edit. Rom. 1468, *Serapem.* Serapis, vel Sarapis, ut Græci vocant, idem ac Apis Ægyptiorum deus, ut tradunt Clemens Alex. lib. I Strom.; August. de Civ. Dei, lib. XVIII, cap. 5. Plerique per Serapim ab Ægyptiis cultum volunt Josephum, Jacobi filium, eo quod Ægyptiis in maxima penuria de frumento prospexerit. Firmic. manifeste ait Apim fuisse symbolum Josephi. Vide Ruffinum, l. II, c. 23. De Iside et Serapi est apud Plutarchum liber.

Vel Serapidem. Sic omnes mss. Editi plures, *et Serapidem.*

Quirinus factus est. Ita restituimus ex editis Tornes. et 2 Lips. ac omnibus mss. præter 2 rec. Reg.; in cæteris editis, *dictus est.* De hujus mutato nomine vide Dionys. Halicarn., Livium et Plutarchum.

Et Leda, Nemesis. Sic et Ariadnem immortalitate donatam *Liberam* fuisse dictam annotat Probus Grammaticus; et Melicertem a morte Glaucum transnominatum fuisse scribit Nicanor Cyrenæus : neque vero mortuis solis id tributum fuisse, sed vivorum quoque nomina mutata, et cognomentis obscurata legimus; siquidem constat Alexandri Macedonis matrem Polyxenam, postea Myrtalem et Olympiada, item Stratonicem fuisse appellatam. Hadr. Junius. — De Leda Nemesi vide Germanicum Cæsarem in Arato de Cygno, et Pausaniam in Atticis.

Circe Marica. Vide Hesiodum in Theogonia; Virgil. in septimo Æneid. :

Hunc (scilicet Latinum) Fauno et Nympha genitum. Laurente Marica,
Accipimus.

Horat. III, Od. 17, *Marica littora.*

Ino. Hæc Cadmi filia, cujus fabula est apud Ovidium, lib. IV Metamorph. Hyginum cap. 20; Pausaniam in Atticis; et præcipue de hac nominum mutatione sic Ovidius in Fastis :

Leucothea Graiis : Matuta vocabere nostris.

Vide et Ciceron. Tusculan. quæst. I, de Nat. deor. lib. II.

Se præcipitavit. mss. 12 et editi tres addunt *in mare :* quod est glossema.

Leucothea. Ita restituimus ex omnibus mss. præter 1 Colb. et editis præter Thys., Gall. et Cellar., in quibus est *Leucothoa.* At *Leucothea* scribendum esse pluribus docet Munkerus ad Hygin. fabell., p. 15.

Melicertes. Qui et Palæmon et Portumnus, fuit ipse Deus marinus, ut mater. Sic Plautus in Rudent.

Sed, o Palæmon, sancte Neptuni comes.

Portumnus. Hic a Portubus dictus est, quibus præesse credebatur. Hujus ædes apud Romanos erat in portu Tiberino. Varro l. III de L. L. : *Portumnalia dicta a Portumno, cui eo die ædes in portu Tiberino facta, et feriæ institutæ.* Nempe quia Portumnus vulgo præesse portubus, et navigantes securos præstare credebatur. Arnob. lib. III : *Per maria tutissimas præstat Portumnus commeantibus navigationes.* Græci Palæmonem vocarunt, inque honorem ejus ludos Isthmicos instituere. Priapus etiam portubus se præesse dicit, in Epigr. veteri :

Ταῦθ' ὁ Πρίηπος ἐγὼν ἐπιστέλλομαι ὁ λιμενίτης.

Fuit et Venus, cognomento Limnesia, quæ præesse portubus credebatur : et primus Cæsar, somnio monitus, sacravit templum, si vera sunt quæ legimus apud Servium, lib. I Æn. : *Est*, ait, *et Limnesia Ve-*

Digitized by Google

Sacra vero Cereris Eleusinæ non sunt his dissimilia. Nam sicut ibi Osiris puer planctu matris inquiritur; ita hic ad incestum patrui matrimonium rapta Proserpina : quam quia facibus ex Ætnæ vertice accensis quæsisse in Sicilia Ceres dicitur, idcirco sacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur.

Apud Lampsacum Priapo litabilis victima est asellus : cujus sacrificii ratio in Fastis hæc redditur : Cum dii omnes ad festum matris magnæ convenissent, epulisque satiati noctem lusibus ducerent, quievisse humi Vestam, somnumque cepisse : ibi Priapum somno ejus ac pudicitiæ insidiatum; sed illam intempestivo clamore aselli, quo Silenus vehebatur excitatam, libidinem vero insidiatoris esse deceptam; hac de causa Lampsacenos asellum Priapo, quasi in ultionem, mactare consuevisse; apud Romanos vero eumdem Vestalibus sacris in honorem pudicitiæ conservatæ panibus coronari. Quid turpius? quid flagitiosius? quam si Vesta beneficio asini virgo est? At poeta fabulam finxit. Num ergo illud est verius, quod referunt ii, qui Φαινόμενα conscripserunt, cum de duabus Cancri stellis loquuntur, quas Græci ὄνους vocant? asellos fuisse, qui Liberum patrem transvexerint, cum amnem transire non posset; quorum alteri hoc præmium dederit, ut humana voce loqueretur : itaque inter eum, Priapumque ortum esse certamen de obscœni magnitudine; Priapum victum et iratum, interemisse victorem. Hoc vero multo magis ineptum est; sed poetis licet quidquid velint : non excutio tam deforme mysterium, nec Priapum denudo, ne quid appareat risu dignum. Finxerunt hæc sane poetæ; sed necesse est alicujus majoris turpitudinis tegendæ gratia ficta sint. Quæ sit ergo quæramus. At ea profecto manifesta est. Nam sicut Lunæ taurus mactatur, quia similiter habet cornua, et

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Ita in hoc quia magnitudo membri virilis enormis est, non potuit ei monstro aptior victima reperiri, quam quæ ipsum, cui mactatur, posset imitari.

Apud Lindum, quod est oppidum Rhodi, Herculis sacra sunt, quorum a cæteris longe diversus est ritus : siquidem non εὐφημία (ut Græci appellant), sed maledictis, et execratione celebrantur; eaque

VARIORUM NOTÆ.

nus, quæ portubus, ipsa et victima, et netrix, et Cæsaris somnio sacrata. Hujus meminit etiam Pausanias in Corinthiacis : sed ibi non *Limnesia*, verum *Limenia* vocatur, quod rectius existimo; planeque apud Serv. *Limnesia* scribendum puto. Item inter cognomenta Dianæ est Λιμνᾶτις apud Artemidorum lib. II, cap. 42, pro quo Cornarius habet Λιμνῆτις, unde facile fieret Limnesia, quia alias non quadrat somni expositio, cum non inventum videatur, quod latitat in stagno, sed quod est in portu. Dianam autem esse inter nautarum numina, patet in veteri inscriptione apud Gruterum, pag. 37, ubi vocatur :

REGINA UNDARUM.

SCHEFFERUS.

Sacra vero Cereris Eleusinæ. Quæ de Cerere supra diximus ad cap. 18 vide : hæc sacra vocabantur Eleusinia, sic dicta ab Eleusi, Atticæ oppido, ubi, juxta Strabonem, Eleusinæ Cereris templum extabat. Vide Arnobium, lib. V; et Augustinum, de Civit. Dei, lib. VII, cap. 20. Ejus sacra novem dies durasse autumat Meursius : in occulto fiebant, nihilque divulgare licebat. Si quis secus fecisset, secundum legem morte debebat mulctari. *Ex* MEURSII ELEUSINIIS.

Idcirco sacra ejus, etc. Seneca in Herc. fur. :

Longas Eleusi tacita jactabo faces.

Et in Hippol. act. I, sc. 2, et Statius lib. IV, Syl. 8 Cum istis facibus luto et furfure obliti currebant, atque currentes sibi mutuo tradebant, ut notat vetus Schol. Juvenal. Sat. 15, v. 141. *Ex* DEMPSTERO. — Phurnutus quoque similitudinem facit inter utramque inquisitionem Cereris filiæ, et inquisitum Osiridem ab Iside et tandem repertum. Vide Diodor. Siculum, lib. IV; Ovid., lib. V Metamorph. et IV Fastorum, atque Claudianum de Raptu Proserpinæ.

Lampsacum. Urbs est insignis Hellesponti, teste Strabone, in qua est templum matris deorum : ex hac urbe nomen Lampsaceni sortitus est Priapus. Vide Ovid. lib. VI Fastorum.

Priapo litabilis victima. Recte ex mss. 2 vetustissimis Reg. aliisque 3 recentioribus, 3 Colb., 1 Sorbon., 1 Claromont., Brun. et octo editis. Sic et Lactantius Epitom. cap. 65, ante finem : *Hæc litabilior victima est apud Deum.* In mss. 3 Reg., 1 Colb., 1 Sorbon. et 5 editis est *letabilis*; in 1 Reg. *lectabilis*, 2 Bonon. *litalis*; 1 Claromont. *letalis*; mss. Gronov., *habilis victima.* Hic Priapus erat spurcitiei præses. *Litabilis victima* ea est quæ grata et justa est, qua litatur et placatur. Eodem sensu apud Minucium Felicem, cap. 32. leges, *litabilem hostiam.*

Silenus vehebatur. Alumnus Bacchi fuit ac unus e regulis Cariæ, qui Nisæ imperavit. Aiunt Silenum asino plerumque vectum, et Baccho, Deo vinearum, comitem individuum adhærentem. Ideo calcandis uvis Silenum addicunt. Sed nihil tam impium quam quod Silenum semper ebrium esse fingunt. Vide Pausaniam in Eliacis.

Deceptam. Lectio quam hic restituimus, omnium ferme mss. et antiquissimarum editionum est. In cæteris editis et rec. mss. 2 Reg., 1 Colb., 1 Sorbon., legitur *detectam.*

Panibus coronari. Panes varia figura fingebantur; panes hi coronæ speciem referebant. Is. CASAUBON.

Conscripserunt. Hic non ipse Aratus, sed apud Aratum Theon Alexandrinus. Vide et Hyginum libro II de Signis cœlestibus, in cap. de Cancro, ubi cum Lactantio convenit. Φαινόμενα vero sunt ea quæ in cœlis conspiciuntur, quæ ad Astronomos pertinent.

De duabus Cancri stellis... quas ὄνους. Hyginum lege Poet. Astr. lib. II, cap. 23. CELL.

De obscœni magnitudine. Mss. rec., 3 Reg., 3 Vatic., 1 Claromont. et pleriique editi addunt, *membri.* Sed rectius est hanc vocem delere, quia verecundius : præsertim cum infra dicat Lactantius : *Non excutio tam deforme mysterium, nec Priapum denudo.* Mss. 1 Reg. et 1 Colb., *de obscœnorum magnitudine;* ms. Jun., *de obscœnorum imagine;* 1 Colb., *ob obscœnorum magnitudinem.*

Risu dignum. Francius legendum esse conjiciebat, *visu indignum.*

Quæ sit ergo. Ita restitui ex mss. ac editis Tornes., Is., Cellar., in cæteris editis, *Quæ sint ergo;* male. Vide præced. et seq. — *Quæ sit.* Ita Bon., Tax., Pen., Cauc., optime. Subaudi : *Turpitudo.* BUNEMAN.

Habet cornua. Vide Claudianum lib. I de Raptu Proserpinæ.

Placat. Ex Ovid. I Fastor., 385; Justin. lib. X.

Persis. Est Persis regio pro incolis posita; Græce Πέρσαις ἴδος..

Lindum. Vide Philostratum in Imaginibus libro II. Εὐφημία. Vel ex Lactantio apparet, hoc sacrorum verbum esse : nam non simpliciter laudem significat;

Digitized by Google

pro violatis habent, si quando inter solemnes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum. Cujus rei hæc ratio redditur, si tamen ulla esse in rebus vanissimis potest: Hercules, cum eo delatus esset, famemque pateretur, aratorem quemdam aspexit operantem, ab eoque petere cœpit, ut sibi unum bovem venderet. Enimvero ille negavit fieri posse, quia spes sua omnis colendæ terræ duobus illis juvencis niteretur. Hercules, solita violentia usus, quia unum accipere non potuit, utrumque sustulit. At ille infelix, cum boves suos mactari videret, injuriam suam maledictis ultus est. Quod homini eleganti et urbano gratissimum fuit. Nam dum comitibus suis epulas apparat, dumque alienos boves devorat, illum sibi amarissime conviciantem, cum risu et cachinnis audiebat. Sed postquam Herculi divinos honores ob admirationem virtutis deferri placuit, a civibus ei ara posita est, quam de facto βούζυγον nominavit, ad quam duo juncti boves immolarentur, sicut illi quos abstulerat aratori; eumque ipsum sibi constituit sacerdotem, ac præcepit, ut iisdem maledictis semper in celebrandis sacrificiis uteretur, quod negaret se unquam epulatum esse jucundius. Hæc jam non sacra sunt, sed sacrilegia, in quibus id sanctum dicitur, quod in aliis, si fiat, etiam severissime vindicatur. Ipsius autem Cretici Jovis sacra quid aliud quam quomodo sit aut subtractus patri, aut nutritus ostendunt? Capella est Amaltheæ nymphæ, quæ uberibus suis aluit infantem; de qua Germanicus Cæsar in Aratæo carmine sic ait:

. . . . . Illa putatur
Nutrix esse Jovis; si vere Juppiter infans
Ubera Cretææ mulsit fidissima capræ,
Sidere quæ claro gratum testatur alumnum.

Hujus capellæ corio usum esse pro scuto Jovem contra Titanas dimicantem Musæus auctor est: unde a poetis αἰγίοχος nominatur. Ita quidquid est gestum in abscondendo puero, id ipsum per imaginem geritur in sacris. Sed et matris ejus mysterium idem continet, quod Ovidius exponit in Fastis, lib. IV, v. 207):

Ardua jamdudum resonat tinnitibus Ide;
Tutus ut infanti vagiat ore puer.
Pars clypeos sudibus, galeas pars tundit inanes:
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit, priscique manent imitamina facti;
Æra deæ comites raucaque terga movent,
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant:
Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.

Hanc totam opinionem, quasi a poetis fictam, Salustius respuit, voluitque ingeniose interpretari, cur altores Jovis dicantur Curetes fuisse; et sic ait: Quia principes intelligendi divini fuerunt, vetustatem ut cætera in majus componentem, altores Jovis celebravisse. Quantum erraverit homo eruditus, jam res

VARIORUM NOTÆ.

sed enthousiasmum aliquem in se continet: sic legitur Ammon oraculo preces Lacedæmoniorum sacrificiis Græcorum prætulisse. Betuleius. Vel sunt bona verba quæ in sacris dicenda erant, juxta Ovidium Fastor. I, v. 72.

Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Εὐφημία. Ἐυφημεῖν Latinis est, *linguis favere*, quas voces docte illustrat Spanhem. in Callim. Apoll., v. 17, p. 58, sq., et in Cerer., v. 18, pag. 676. Bun.

Imprudenti... exciderit. Ven. 1471, utraque 78. Rost., *impudenti*; male. Incogitanter prolata eleganter dicuntur *excidere*:

Tantumque nefas patrio excidit ore.
(*Virgil. Æn.* II, *v.* 658).

Ubi Emmeness. ex Ovid. VII, Metamorph. 171: *Quod*, inquit, *excidit ore pro scelus?* Buneman.

Si tamen ulla esse. Mss. 1 Bon. antiq., 1 Colb., edit. Thys. et Gall. perperam addunt, *ratio*: quæ vox proxime præcessit. In mss. Regio-Put., Cauc., Jun., Lips., Ulir., Brun., est *nisi*.

Enimvero ille negavit. Manuscriptorum et editorum est. In ms. 1 Bonon. antiq. et edit. Thomas., Is., Spark., Gall., deest *Enimvero*. Recentiores mss. 1 Reg. et Cantabrig. habent, *Cui vero*.

Juvencis. Sic restitui ex veteribus editis et omnibus ferme mss. inter quos sunt antiquissimi et optimi. At 6 scripti cum 16 vulgatis habent *jumentis*. Vide supra et infra. — *Juvencis*. Martial. IV, Epigr. 55, *Fortibus excolit juvencis arva*. Buneman.

Hercules. Vide Appollod., l. II, pag. 218, et not. Gal., p. 50. Origen. contra Cels., l. VII, 368. Erasmi. Adag. Chil. 2, cent. 5, n. 19. Hadr. Junii Animad., l. IV, c. 2. Buneman.

βούζυγον. Ms. 1 Reg., βούζουγον; al. Reg., βούζηγον; edit. Ald., Paris. 1525, Fasitel., βουζιγον; mss. 3 Reg., 1 Colb. et editi multi addunt, *id est*, *bovis jugum*; quod est græcæ vocis latina interpretatio, quæ ex margine in textum irrepsit.

Juncti boves. Sic rectius cum mss. Ven. 1493, 97, Parrh., Crat., Paris., Ald., quam Sublac., Ven. 1471 et Rost., *victi*: utraque 1478, *vincti*. Buneman.

Quod negaret, se unquam epulatum... jucundius. Eleganter imitatur illa Ciceronis V Tuscul. 34: *Negavit, unquam se bibisse jucundius ... nihil ... ille pane jucundius*; c. 35, *cœnæ jucundæ*.

Dicitur. Ita 6 vet. edit. cum omnibus mss. præter tres in quibus est *ducitur*, ut in 14 edd. Buneman.

Amaltheæ. Alii Amaltheam ipsam capram faciunt; alii unam ex Melissi filiabus, quæ Jovem nutrivit lacte cujusdam Capræ, cui nomen fuit Amalthea: vide Ovid. l. V Fast.

Musæus auctor est. Clariss. *Vossius* in libro de artis poeticæ natura ac constitut. putat, nunquam Musæum extitisse, sed esse nomen ab antiqua Phœnicum lingua, qua usi Cadmus et aliquandiu posteri. Deducit Musæi nomen a Musa, sive Μῶσα. Opinatur tamen Borrichius de Poetis, pag. 8, tres Musæos fuisse juxta Suidam. Verum Musæus ille, cujus carmen habemus de amore Herus et Leandri, Grammaticus fuit, qui vixit post quintum sæculum christianum, nec ejus dictio vetustatem olet.

Αἰγιόχος. Latine, *habens scutum*. Vide Pindar. in Nem., Nicand., in Theriac., Homer. Iliad. I. — Ἀιγιόχος. Exhibet Spanhem. in Callim. Jovem, v. 49, p. 19, nummum, ubi infans Jupiter capra vehitur. Adde Montfauc. tom. I Antiq. Explic. ubi plura. Buneman.

Sallustius. Hic locus hodie non legitur apud Sallustium.

Principes intelligendi divini. Cum doctissimo Cellario sic lego bis ex omnibus mss. et edit. Rom. 1470, utrobique. In cæteris editis, *divina*. — *Principes intelligendi divini.* Ita Bon., Tax., Pen., Cauc., Palat., cum Lips., Emman., Cant., Sublac., Ven. 1471, 72, utraque 78 - 97. Rost., Paris., Parrh. At Goth. peccat in numero, *princeps intelligendi fuerit*. Significant vero *principes intelligendi divini*, ex c. 22, *colendorum deorum primi auctores*. Buneman.

In majus componentem. Ita editi et mss. codices, præter 1 Colb. et edit. sex, in quibus est *componentes*.

Altores Jovis. Edit. Thomas. et Cellar., *Jovi*. Hic

Digitized by Google

ipsa declarat. Si enim princeps est Jupiter, et deorum et religionum; si ante illum dii nulli colebantur vulgo, quia nondum nati fuerant, qui coluntur; apparet Curetes ex diverso principes fuisse divini non intelligendi, per quos error omnis inductus est, et Dei veri memoria sublata. Ex ipsis itaque mysteriis et ceremoniis intelligere debuerunt, hominibus se mortuis supplicare. Non igitur exigo, ut aliquis poetarum fictionibus credat. Qui hos mentiri putat, Pontificum ipsorum scripta consideret, et quidquid est litterarum ad sacra pertinentium revolvat: plura fortasse, quam nos afferimus, inveniet, ex quibus intelligat, inania inepta, commentitia esse omnia, quæ pro sanctis habentur. Si quis autem, percepta sapientia, deposuerit errorem, profecto ridebit ineptias hominum pene dementium; illos dico, qui vel inhonesto saltatu tripudiant, vel qui nudi, uncti, coronati, personati, aut luto obliti currunt. Quid de scutis jam vetustate putridis dicam? quæ cum portant, deos ipsos se gestare humeris suis arbitrantur. Nam Furius Bibaculus inter A præcipua pietatis exempla numeratur, qui cum prætor esset, tamen lictoribus præeuntibus, ancile portavit, cum haberet, magistratus beneficio, muneris ejus vacationem. Non ergo ille Furius, sed plane furiosus fuit, qui præturam hoc ministerio se putavit ornare. Merito igitur, cum hæc a viris non imperitis ac rudibus fiant, Lucretius exclamat:

O stultas hominum mentes, o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis
Degitur hoc ævi, quodcumque est!

Quis hæc ludibria non rideat, qui habeat aliquid sanitatis? cum videat homines velut mente captos ea serio facere, quæ si quis faciat in lusu, nimis lascivus et ineptus esse videatur.

CAPUT XXII.

B *Quid auctor prædictarum vanitatum in Italia apud Romanos fuerit, et quis apud alias gentes.*

Harum vanitatum apud Romanos auctor et constitutor Sabinus ille rex fuit, qui maxime animos ho-

VARIORUM NOTÆ.

componentem, non *componentes*, *Jovis*, non *Jovi* scribendum esse res ipsa clamat: non enim voluit Sallustius a Curetibus vetustatem, sed potius Curetum illud et inventæ et intellectæ religionis factum, ab ipsa vetustate in majus fuisse compositum; qua eadem prope loquendi ratione alibi Sallustius, eumque, ni fallor, imitatus doctus poeta Claudianus, usi, *in majus celebrare* dixerunt. Sallust. Jugurth., Claudianus Pagyr. *Ex* Isæo.

Curetes. Mss. 2 Reg., 1 Colb. et Brun., *Curetas*. *Principes fuisse divini non intelligendi*. Dicti codices iterum h. l., *divini*, id est, non dedisse intellectum, notitiamque Dei cultusque divini, sed errorem induxisse. Buneman.

Illos dico. Mss. 1 Colb., Brun. et edit. Tornes., Cellar., Soubr., Walch., *illorum dico*.

Saltatu tripudiant. Salios innuit Martis sacerdotes. Isæus in Goth., *saltu*. Buneman.

Nudi, etc. Ii sunt Luperci, juxta illud Virgilii, libro VIII:

Hinc exultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et lapsa ancilia cœlo.

Aut luto obliti. Mss. 4 rec., *obliniti*. Salios et Lupercos hic designat. Bunemam.

Quid de scutis, etc. Hæc erant Anoplia. Virgil. in fine VIII Æneid. Erant illa scuta ad formam scuti brevis, seu ancilis illius e cœlo, ut fertur, Numæ temporibus delapsi, ab eoque consecrati, efformata. D Vide Festum et Plutarchum in Numa.

Deos ipsos se gestare humeris suis arbitrantur. Sicut Judæi Arcam fœderis gestare solebant, ita Gentiles eorum sacra quæ noverant sunt imitati, atque deorum suorum insignia, arma, vel præcipua instrumenta olim ferebant in pompis et supplicationibus, eorumque simulacra humeris bajulabant, cum lustratione, quandoque cum litaniis, jejunio vel abstinentia, nonnunquam cum lotione simulacrorum in lacu, omnibus coronatis, et lauream in manu gestantibus. Horumce ethnicorum rituum, præter Lactantium, testes sunt: Ovidius Fastor. lib. IV, a v. 292 ad 355; Tit. Liv., Decad. I, lib. X, an. 458; III, lib. II, an. 537; IV, lib. X, pag. 339; Lucian., pag. 1074; Trebell. Pollio, p. 178; et Dionys. Halicarn., lib. II pag. 91, lib. VIII pag. 510, lib. IX pag. 597, 599, et lib. VII pag. 475, ubi ait: *Viri penes quos erat summa potestas, pompam duis a Capitolio per forum deducebant in Circum maximum, in qua præibant illorum filii pubertati proximi*. Et infra, pag. 478: *Extremum pompæ agmen claudebant deorum simulacra, quæ humeris bajulabantur a viris; eamque præferebant formam, qua finguntur apud Græcos, eumdem etiam habitum, eademque insignia, munera item quæ singuli invenisse atque hominibus donasse traduntur.... Peracta pompa confestim sacrificabant consules sacerdotesque*. Eustath. ad Homeri Iliad. I, v. 422. Christiani pariter, ad Hebræorum exemC plum, et supplicationes et alia sacra fecerunt. Multa in hunc modum lege in epistola 5 Vigilii, episcopi Tridentini, ad S. Joannem Chrysostomum, de Martyrio SS. Sisinni, Martyrii, et Alexandri, Anagniensium martyrum.

Numeratur. Mss. 1 Colb. et Brun., *memoratur*.

Ancile. Figuram *ancilium* vid. in Græcii Floro l. I, c. 2, p. 16, ed. Wetsten. Conf. Pitisci L. A. R. tom. I, fol. 92. Buneman.

Magistratus. Id est, præturæ; ne quis, ut nostræ ætatis mos est, de collegio senatus capiat. Buneman.

Ille Furius, sed plane furiosus. Alludere videtur ad illud Ovidii:

Cur ego non dicam: Furia, te furiam? Francius.

— De Furio Bibaculo legendus Valer. Maximus lib. I, cap. 1, exempl. 11.

Lucretius exclamat. Lib. II, v. 14. Cell.

O stultas hominum mentes! Ita cum omnibus editis cuncti ferme mss. In 1 Reg. vetustissimo, et in rec. D 1 Colb. et 1 Brun. atque apud Lucretium legitur., *O miseras*.

Qualibus in tenebris. Sic emendavimus ex omnibus pene mss. et optimis editis, ipsoque Lucretio. In 3 Colb. et editis septem est, *Quamlibet*; in editis Thys. et Gall., *Quamlibet in teneris*, corrupte.

Rideat. Manuscriptorum est et edit. Tornes. *Derideat* est editorum.

Habeat aliquid. Cicero pro Marcello, sub fin.

Nimis lascivus. Ita omnes editi ex mss. præter 1 Bonon. antiq. et edit. Is. in quibus est, *minus sanus*. Carrioni et Francio placeret, *minus lascivus*; horum enim actiones valde erant lubricæ et lascivæ. Sed rem in medio relinquo: quisque quod placuerit eligat. — *Nimis lascivus*. Ex ingenio Carrio l. II Lect. Antiq., c. 7, *mimus lascivus* restituit. Bunem.

Sabinus ille rex fuit. Numa Pompilius, de quo hic habes multa ex Livio, lib. X, IV Decad.; et Plutarcho in Numa.

Digitized by Google

minum rudes atque imperitos novis superstitionibus implicavit : quod ut faceret aliqua cum auctoritate, simulavit cum dea Egeria nocturnos se habere congressus. Erat quædam spelunca peropaca in nemore Aricino, unde rivus perenni fonte manabat ; huc, remotis arbitris, se inferre consueverat, ut mentiri posset, monitu deæ conjugis ea sacra populo se tradere quæ acceptissima diis essent : videlicet astutiam Minois voluit imitari : qui se in antrum Jovis recondebat, et ibi diu moratus, leges tamquam sibi a Jove traditas afferebat, ut homines ad parendum non modo imperio, sed etiam religione constringeret. Nec difficile sane fuit persuadere pastoribus. Itaque pontifices, flamines, salios, augures creavit, deos per familias descripsit. Sic novi populi feroces animos mitigavit, et ad studia pacis a rebus bellicis avocavit. Sed cum alios falleret, seipsum tamen non fefellit ; nam post annos plurimos, Cornelio et Bebio coss., in agro scribæ Petilii sub janiculo arcæ duæ lapideæ sunt repertæ a fossoribus, quarum in altera corpus Numæ fuit, in altera septem latini libri de jure pontificio, item græci totidem de disciplina sapientiæ scripti, quibus religiones, non eas modo, quas ipse instituerat, sed omnes præterea dissolvit. Qua re ad senatum delata, decretum est, ut hi libri abolerentur : ita eos Q. Petilius Prætor urbanus in concione populi concremavit, insipienter id quidem. Quid enim profuit, libros esse combustos? cum hoc ipsum, quod sunt ideo combusti, quia religionibus derogabant, memoriæ sit traditum ? Nemo ergo tunc in senatu non stultissimus. Potuerunt enim et libri aboleri, et res tamen in memoriam non exire. Ita dum volunt etiam posteris approbare quanta pietate defenderint religiones, auctoritatem religionum ipsarum, testando minuerunt.

Sed ut Pompilius apud Romanos institutor ineptarum religionum fuit : sic ante Pompilium Faunus in Latio, quin et Saturno avo nefaria sacra constituit, et Picum patrem inter deos honoravit, et so-

VARIORUM NOTÆ.

Cum Dea Egeria, etc. Hæc historia scribitur a Livio lib. I ; Dionys. Halicarnass., lib. II Antiq. ; Valerio Maximo, lib. I, cap. de simulata Religione; Cicerone, lib. II de Legibus ; Ovidio, lib. III Fastor.; Plutarcho, in Numa. *Egeria* dicta est ab egerendo, cui prægnantes sacrificabant, ut uterum facilius egererent, ait Festus. De hac vide Arnob. lib. V initio ; Tertull., de Præscript. Hæret., in Apol. cap. 25; August., lib. VII, cap. 35, de Civ. Dei, etc. BETULEIUS. Vide etiam Euseb., Præparat. Evangel. lib. IX. BETUL.

Aricino. Mss. 3 Reg. rec. et edit. Thomas., Thys., Gall., *Ariano*. Emendavimus *Aricino* ex 2 Reg. et 2 Bonon. quorum duo sunt omnium vetustissimi, ex 1 Colb., Marm. a prima manu, cunctisque editis ; faventibus mss. 1 Colb., Nav., Vict., Brun., in quibus est *Arocino;* Regiis quoque quatuor inter quos est Regio-Puteanus, 4 Colbertinis, 3 Lips., Goth., Em., Cantabrig., 1 Clarom., Gat., Marm., a secunda manu, in quibus est, *Ericino*. In 1 Reg. est *vicino*, male. Sed Aricia et nemus Aricinum non ignorantur.

Minois. Lege de hoc Dialog. Platonis, qui Minos inscribitur; Diod. Sicul. lib. II. Ex. Valerio et Platone constat, eum novem annis audivisse Jovem, ut sophistam. Hinc opinio, Minoa Jovis fuisse filium. De quo Homer. Odyss. λ. Horat., *Jovis armis*, Minos admissus. Hesiod. βασιλεύτατον, Lucian. *justissimum*, Cyrillus vero τυραννικότατον vocat. BETUL.

Ibi diu moratus. Scil. per novem annos, uti multi tradidere. Davisius vero *nono quoque anno* cum Valerio verius statui docet ad Cicer. II Tuse., 13, p. 127. BUN.

Salios. Id est, saltatores, quia festo Anciliorum ad tibiarum modulos choreas instituebant. Eos Numa duodecim constituit, quos cognomine *Palatinos* vocavit; Tullus Hostilius totidem adjecit, quos dixit *Collinos*. Vide Livium, lib. I; Florum, lib. I, cap. 2; Dionys. Halic., Antiquit. Rom. lib. III, pag. 45.

WALCHIUS.

Deos per familias descripsit. Ita libri : at Dukerus ad Flor. I, 1, p. 38 : *Vide*, inquit, *an apud Lactantium legendum sit : et eos per familias descripsit* relato pronomine EOS, *ad pontifices... augures*. BUN.

Cornelio et Bebio coss. Quingentis post Numæ obitum annis, scilicet anno Urbis 575. Vide Plutarchum, in Numa, qui paulo aliter hanc narrat historiam in Vita Numæ. Vide etiam Livium, lib. X, Decad. IV; Valer. Max. lib. I, cap. de neglecta Religione; Plinium, lib. XIII, cap. 13; S. Augustin., de Civitate Dei, lib. VII, cap. 34.

Sed omnes. Aliqua ex parte ad solvendam religionem pertinere existimatos esse, Valer. Max. I, cap. 1, cum Livio tradit; nimium inde dixisse Firmianum, probat Selden. de Jure Nat. et Gent., l. I, c. 2, p. 16. Plura de his libris Augustin., de Civit. Dei, lib. VII, c. 34, et Lud. Vives ad eum. BUN.

Prætor urbanus. Præter edit. Thom., Thys., Gall. et Spark., in quibus est, *Prætor urbis*, omnes mss. et editi habent, *Prætor urbanus*. Haud secus Valerius Max. lib. I, cap. 1, ex quo Lactantius id desumpsisse videtur, nisi quod Valerius eum vocat *L. Petilium*. Et forsan utrumque prænomen habuit Petilius.

In concione populi concremavit. Moris est in bene constitutis rebuspub. libros qui religionibus derogant, igne comburere. Arnob. lib. IV: *Quod si haberet vos altqua pro vestris religionibus indignatio, has potius litteras, hos exurere debuistis olim libros istos, demoliri, dissolvere theatra hæc potius, in quibus infamiæ numinum propudiosis quotidie publicantur in fabulis. Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari?* Vide Valer. Max. lib. I, cap. 1 : *Libros græcos quia aliqua ex parte ad solvendam religionem pertinere existimabantur, L. Petilius Prætor urbanus, auctoritate senatus, per victimarios igne facto in conspectu populi cremavit*. ELMENHORST.

Quod sunt. Sic scripti, editi : mallem cum Heumann. *quod sint*. BUN.

Potuerunt enim. Ven. 1471, *Potuerant*. BUN.

Res tamen in memoriam non exire. Ita omnes scripti et excusi, paulo obscurius. In Minucio, cap. 16, *in memoriam exire* notat *famam consequi*. Vult Lactantius, debuisse hos libros clam potius aboleri, non palam in concione. Ita enim res non exiisset in memoriam, sive memoriæ non fuisset tradita. Illustrat hæc Augustin., de Civit. Dei, l. VII, cap. 35. Reimm. vocem, *res*, neglexit. BUN.

Approbare. Gallice, *faire entendre*.

Faunus. Latii cultor Faunus audit, quod primus, vel cum primis Latium colere instituerit, ut traditum Aurelio Victori in Origin. Rom. eumdem Italiam variis superstitionibus implevisse : Sylvarum et jugerum præstitem, ipse se ait apud Calpurnium :

Qui juga, qui sylvas tueor, satus æthere Faunus.

Aucupio eumdem præfecit Propertius, ut notat Turneb. Advers. lib. XXVI, cap. 19. BARTHIUS.

Nefaria sacra. Quia infantes Saturno immolaban-

Digitized by Google

rorem suam Fatuam Faunam, eamdemque conjugem consecravit; quam Gabius Bassus Fatuam nominatam tradit, quod mulieribus fata canere consuevisset, ut Faunus viris. Eamdem Varro scribit tantæ pudicitiæ fuisse, ut nemo eam, quoad vixerit, præter virum suum mas viderit, nec nomen ejus audierit. Idcirco illi mulieres in operto sacrificant, et bonam deam nominant. Et Sextus Clodius in eo libro, quem græce scripsit, refert Fauni hanc uxorem fuisse, quæ quia contra morem decusque regium clam vini ollam ebiberat, et ebria facta erat, virgis myrteis a viro usque ad mortem cæsa. Postea vero cum eum facti sui pœniteret, et desiderium ejus ferre non posset, divinum illi honorem detulisse; idcirco in sacris ejus obvolutam vini amphoram poni. Reliquit ergo posteris Faunus quoque non parum erroris, quem tamen prudentes quique perspiciunt. Nam Lucilius eorum stultitiam, qui simulacra deos putant esse, deridet his versibus :

Terricolas Lamias Fauni, quas Pompiliique
Instituere Numæ, tremit has; hic omnia ponit.
Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
Vivere, et esse homines : sic isti omnia ficta
Vera putant; credunt signis cor inesse in ahenis.
Pergula pictorum; veri nihil : omnia ficta

VARIORUM NOTÆ.

tur. Quod scelus Tertullianus exprobrat Gentibus, Apologetic. cap. 9.

Fatuam Faunam. Sic legendum esse patet ex sequentibus, et nobiscum censent eruditissimi viri; et tamen aliter multifariamque legunt plerique mss. 2 Regii, 2 Colb., 1 Sorbon., *Fautam Faunam;* 1 Clarom., *Fautam Fannam;* alter Clarom., *Feuteiam Faunam;* 1 Bonon. antiq., *Fenteiam Faunam;* 2 Reg. et Marm., *Fenam Faunam;* Regii duo 900 annorum, Cauc., 3 Colb. et Gat., *Sentam Faunam;* 1 al. Reg. addit *Sentum* super *Faunam;* A 2 Reg., Pen., Brun., et edit. Rom. 1468, 1470, abest *Fautam,* et a 1 Colb., Nav., Vict., in quibus est, *Fannam.* Eam *Fatuam Faunam*, ut Lactantius, appellat Arnobius liv. I et V. Macrobius quoque scribit lib. I, cap. 12 : *Hanc eamdem Bonam deam, Faunamque, et Opem, et Fatuam Pontificum libris indigitari.* In Epitome ms. Taurinensi est *Fentam Faunam.* Vide Justin. lib. XLIII, cap. 1.

Eamdemque conjugem. Ita reposuimus ex mss. et edit. Tornes. In editis est *eamque.*

Gabius Bassus. Sic lego cum Gellio, lib. II, cap. 4, ac plerisque et optimis mss. Regiis 7, 6 Colb., Lips., Goth., 1 Sorbon., 1 Clarom., edit. Rom. 1468, 1470, et Cellar. In altero Clarom. est, *Gabius Balsus,* pro *Bassus;* in 1 Reg. vetustissimo, *Gavius Bassus,* u pro *b;* in altero Regio et Brun., *Gabinius Bassus;* non *Caius* ut in 12 editis.—*Quam Gabius Bassus.* Gabius, vel Gavius Bassus, haud dubie in libro, quem *de Diis* composuit, testante Macrobio lib. I Saturn., cap. 9. Laudatur sæpe a Gellio, ex libris *de Origine vocabulorum*, lib. II, cap. 4, et ex *Commentariis*, lib. III, c. 9, et alibi. Vossius ponit sub Augusto Cæsare. Bun.

Tantæ pudicitiæ. Refutat Tertullianus, et præterea non sororem, sed filiam Fauni dicit lib. II ad Nat., cap. 9, Conf. Arnob. I. Bun.

Nemo eam... præter virum suum mas viderit. Hinc est quod nulli viro ejus templum ingredi liceuerit. Tibull. lib. I, Eleg. 6 :

Exibit quam sæpe cave, seu visere dicat,
Sacra bonæ maribus non adeunda deæ.

Propert. lib. IV, Eleg. 10 :

Fœmineæ loca clausa deæ, fontesque piandos,
Impune et nullis sacra retecta viris.

Nec modo viri ingressus prohibiti, sed ne deorum quidem picturæ masculæ apertæ in illius templo. Juvenal. Satyr. 6:

. . . . . Velari pictura jubetur,
Quæcumque alterius sexus imitata figuram est.
DEMPSTERUS.

In operto sacrificant. Ita Bon., 2 Reg. antiquissimi, 2 Brun. et cæteri mss. optimi; non ut mendose in nonnullis editis est, *in apertos,* quod Lactantii sententiæ atque etiam historiæ repugnat. Isæus.—*In operto.* Ciceroni recte locus sacrorum dicitur *opertum Bonæ deæ,* in Parad. c. 4, et Plinio, *sacra opertanea,* lib. I, sect. 77, *De Bona dea;* Lact. I. III, cap. 20. Bun.—*In operto sacrificant.* In loco a viris omnibus remoto, quos nefas erat his sacris interesse, quæ in ædibus consulis vel prætoris (*Plutarch., Cæs., pag.* 711), vel pontificis maximi (*Liv. epit.*, 105), a primariis fœminis celebrabantur. CELL.

Sext. Clodius. Ex Arnobio lib. V, pag. 168. Vid. Voss. Hist. Gr. I. IV, part. III, p. 511; Onuphr. Panvin. Civit. Rom. cap. 37; Bosius et Græv. ad Cic. lib. IV Att., ep. 15. Bun.

Fauni... uxorem. Hanc Plutarchus ait fuisse Flavii divinatoris uxorem. Macrobius rem longe aliter narrat.

Ollam ebiberat. Meursius legendum putat *Obbam;* erat Obba poculi genus. Sed nihil mutare volui; omnes enim mss Codd. constanter legunt *Ollam,* præter 1 Clarom. *Olam.* Arnob. hanc narrans historiam, lib. V, pro *Olla* habet *seriam;* erat autem *seria* vas vinarium fictile oblongum. Isæus.—A Romulo lege cautum est ne qua mulier vinum biberet, et quæ bibisset, permissum est marito, ut eam velut adulteram puniret. Vide Dionys. Halicarn. I. II; Plin., I. XIV; Plut., in Problem.; Athenæum, lib. X; Gellium, I. X, c. 13.

Virgis myrtheis. Vide Plutarchi Problem. ubi hanc historiam ita recitat : eam Flavii divinatoris uxorem fuisse, quæ clam cum largius vinum biberet, a marito deprehensa flagris cæsa est; atque inde factum, ut myrtus in ejusdem ædem non inferretur, atque vinum quod mulieres in templo bibebant, non vinum, sed lac appellaretur. BETULEIUS.

Prudentes quique. Elegantius plerumque noster cum superlat. jungit. Iterum tamen I. VI, cap. 12, *Boni quique judices.* Similia exempla ex Justino, Suetonio, Tacito collegit Bangius Observ. Philol. I. II, pag. 831. Bun.

His versibus. Ita restitui ex veteribus edit. Romanis tribus, Is. et Cellar. ac. mss. omnibus; præter Cauc. editosque recentiores, in quibus est, *his verbis.*

Terricolas. Buneman. *Terriculas* : in hanc vocem exhibuit ille notam sequentem. — *Terriculas.* Quia *terricolas*, quod in plerisque omnibus erat, non quadrat, auctoritate ms. Reimm. et vetustissimi codicis Taurin. et Davisii consensu ex Epit. cap. 22, rescripsi, *terriculas*, ut jam olim ex conjectura *Fruterius* voluit. *Terriculas Lamias* hic quoque legit Ezech. Spanhemius in Observ. in Callim. Dian. v. 67, pag. 174, 175. Bun.

Sic isti omnia ficta. More Græco, alioqui metro deest aliquid : quandoque non elidit Lucretius.

Credunt signis cor inesse in ahenis. Sic emendavimus ex mss. 2 Regiis 900 annorum, 1 al. Reg., 2 Colb. et 2 Brun. nec aliter legitur in Epitome, cap. 22. Alter 1 Reg. habet, *inesse in eis,* corrupte; 1 Clarom., *ineste anis,* prave; alter Clarom., *inesse petrinis.* In ora ms. Bonon. antiq. est *inanis.*

Pergula. Est pars domus exporrecta et propendens earum generis quas *salientes* artifices nostri appellant.

Digitized by Google

Poeta quidem stultos homines infantibus comparavit. At ego multo imprudentiores esse dico. Illi enim simulacra homines putant esse, hi deos. Illos ætas facit putare quod non est, hos stultitia. Illi utique brevi desinunt falli, horum vanitas et durat, et semper crescit. Sacra Liberi Patris primus Orpheus induxit in Græciam, primusque celebravit in monte Bœotiæ Thebis, ubi Liber natus est, proximo, qui cum frequenter citharæ cantu personaret, Citeron appellatus est. Ea sacra etiamnunc Orphica nominantur, in quibus ipse postea dilaceratus, et carptus est, et fuit per eadem fere tempora, quibus Faunus. Sed quis ætate præcesserit, dubitari potest : siquidem per eosdem annos Latinus Priamusque regnaverunt; item patres eorum Faunus et Laomedon, quo regnante, Orpheus cum Argonautis ad Iliensium littus accessit.

Procedamus igitur ulterius, et quæramus, quis omnino colendorum deorum primus auctor extiterit. Didymus in libris ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς ait, Melissea Cretensium regem primum diis sacrificasse, ac ritus novos sacrorumque pompas introduxisse. Hujus duas fuisse filias, Amalthæam et Melissam, quæ Jovem puerum caprino lacte ac melle nutrierunt. Unde poetica illa fabula originem sumpsit, advolasse apes, atque os pueri melle complesse. Melissam vero a patre primam sacerdotem Matri magnæ constitutam, unde adhuc ejusdem Matris antistites Melissæ nuncupantur. Historia vero sacra testatur ipsum Jovem, postquam rerum potitus est, in tantam insolentiam venisse, ut ipse sibi fana multis in locis constitueret. Nam cum terras circuiret, ut in quamcumque regionem venerat, reges principesve populorum hospitio sibi et amicitia copulabat, et cum a quoque digrederetur, jubebat sibi fanum creari hospitis sui nomine, quasi ita posset amicitiæ et fœderis memoria conservari. Sic constituta sunt templa Jovi Atabyrio, Jovi Labrandio.

VARIORUM NOTÆ.

Sacra Liberi Patris. Valer. Flaccus lib. II Argonautic. elegantissime describit hæc sacra. De quibus etiam videatur Livius libro XCIV, Arnobius lib. V, S. Augustin. de Civ. Dei lib. VI, cap. 9, et lib. XVIII, cap. 13.

In monte Bœotiæ Thebis.. proximo. Ut Strabo describit lib. IX, pag. 279, mons Cithæron in occidua parte Bœotiæ est, supra Crissæum sinum. BUN.

Citheron appellatus est. Vide IV, Æneid., 303.

Orphica. Quæ mysteria Orgia dicuntur ἀπὸ τῆς ὀργῆς, de quibus Clemens Alexand. scribit. Signum Bacchicorum Orgiorum est, serpens mysteriis initiatus. Nazianz. in orat. de Luminibus, Epiph., Theodoret. lib. I, in Therap.; Macrob. l. I, in Som. Scipio. BETUL.

Carptus est. Sic mss. et editi omnes. Simplex pro composito *discerptus est;* quod usitatum est Lactantio.

Faunus et Laomedon. Ita habent mss. 2 Bonon., 4 Reg. quorum duo sunt 900 annor. Tax., Ultr., Gronov., Em., 3 Colb., Gat., et edit. Is., Spark., Cellar., Walch. in cæteris editis specialiter in Sublac., ac recentibus mss. 16 pro *Faunus* est *Picus*, prave. Faunus enim fuit pater Latini, ut Laomedon Priami. Vide Virgilium, lib. VII Æneid., v. 45 et seq.; atque ideo dubium est, quis, an Orpheus, an Faunus, præcesserat. Nam si, Pico regnante, Orpheus cum Argonautis ad littus Iliensium venit, tum minime dubium est quin Orpheus fuerit Fauno vetustior.

Quis colendorum deorum primus auctor extiterit. Initium colendorum deorum repetendum est non solum post, verum etiam multo ante diluvium tempore, uno fere aut altero post rerum primordia sæculo. Sic enim accipiendus est locus. Gen. IV, v. ult. : *Tunc profanatum est in invocando nomen Jehovæ.* Nam, *chalal* (unde in *hophal*) sæpissime profanare redditur, ut Levit. XIX, c. 12. Sic etiam locum hunc intelligit Paraphrasis Chaldaica. R. Salomon Jarchi hæc habet : *Tunc profanatum est in invocando scilicet nomina hominum, et nomina imaginum, cum nomine sancti illius, qui benedictus sit Dei, adeo ut facerent idola, et facerent ea deos.* Sic etiam Arabs Erpenianus : *Tunc incœperunt homines deficere a cultu Dei.* Quare idem est ac si Moses dixisset, sacrosanctum illud nomen, quod totius universi creatorem et Dominum designat, rebus creatis impie tributum. Joseph. lib. I, cap. 4, testatur, longo ante Noachum tempore idolorum cultum in usu fuisse usque ad septimam generationem, continuo autem vix ubi diluvium terras reliquerat, nefanda idololatria exordium suum sumpsit. *Et immolabant filios suos et filias suas dæmoniis. Immisit Deus in illos ventum procellosum; et fuit Typhon ventus. Et confregit ventus idola omnia, et diruit templa idolorum, usquedum in tumulos pulveris redacti fuerint; et tumuli illi etiamnum remanent.* Ex Seldeno et Schedio. *Extiterit*, manuscriptorum est; *extitit*, vulgatorum. At de Idololatriæ origine vide librum Sapientiæ capite XIII, etc.

Didymus in libris. Plures Didymi : Vossio hic *Chalcenterus* cognomine, uti apud Ammianum est XXII, cap. 42, quasi æneis intestinis robustus ad studia et labores. Floruisse dicitur sub Cæsare dictatore et triumviris. CELL.

Cretensium regem. Hinc Servius ait, Cretenses religionum inventores fuisse.

Amalthæam et Melissam. Lib. I, cap. 21. Docet Bochart. in Hieroz. pag. 11, cap. 51, fol. 630, ex Galeno, Callimacho, Aliis, duas has nutrices Jovi datas, quia lac caprarum non tuto sine melle bibi possit, idque fuisse apud veteres valde usitatum. BUN.

Ut in quamcumque regionem venerat. Mss. 10 et cuncti fere editi, *ut in quamque;* 1 ms. Clarom. et 4 vulgati, *veniret*, male. *Ut*, pro, *statim atque, ubi primum.* Terent. Hecyr.

Ut quisque venerat, accedebam.

Principesve. Ita mss. antiquissimi et optimi, cum multis editis. Scripti 5 rec., *principesque.*

Jovi Atabyrio. In mss. 6 Reg., 1 Bonon. antiq., et 2 Colb. scriptum est, *Ataburio*, ea videlicet prolatione, qua Latini olim græcum Υ per *u* repræsentabant; 1 Reg., 1 Colbert. et Brun., *Atavirio*, *u* pro *b*. Templum habuit in monte *Atabyrio*, a quo Atabyrius fuit dictus Jupiter. Diodor. lib. V : ἐπὶ δ' ὄρους Ἀταβύρου (sic legendum, non ut in editis vitiose Ἀταβούρου). *Ex* BOCHARTO partim — *Atabyrio.* De hoc multa doctissime Bochart. Geogr. S. l. I, cap. 7, f. m. 369. Meursii Rhod. Lib. I, cap. 8, pag. 23; Gyrald. Hist. Deor. Synt. II, ed. Lugd. Bat., fol. 98. BUN.

Jovi Labrandio. Mirum quanta sit hic loci in mss. varietas lectionum : ex his conjicio veram lectionem esse *Labrandio.* In 1 Reg. legitur *Labradio;* in 3 Reg. quorum unus est 900 annor., 3 Colb., 1 Sorb., 1 Clarom. lego, *Jovi Labrandio;* in Regio-Puteano aliisque 3 Reg., 2 Colb. Gat. Em. Cantab., et edit. Rom. 1468, 1470, *Labriando;* in 2 Bonon. et 1 Clarom., *Labiandro;* in 1 Reg., 1 Colb., Viet. et Brun., *Labrianderio;* in Marm. *Labriandrio;* in edit. Cellar. *Labrandreo;* in cunctis pene editis *Labradeo.* Vocatur *Lavrandenus* apud Strabonem, XIV, pag. 450, 453. *Labranda*, vicus Mylasiorum in Caria, Jovis *Labrandei* templo celebratus. Hujus Jovis simulacrum securim manu gestabat, quam Gyges, postquam Candau-

Digitized by Google

Atabyrius enim et Labrandius hospites ejus, atque adjutores in bello fuerunt. Item Jovi Laprio, Jovi Molioni, Jovi Casio, et quæ sunt in eumdem modum. Quod ille astutissime excogitavit, ut et sibi honorem divinum, et hospitibus suis perpetuum nomen acquireret cum religione conjunctum. Gaudebant ergo illi, et hinc imperio ejus libenter obsequebantur, et nominis sui gratia ritus annuos et festa celebrabant. Simile quiddam in Sicilia fecit Æneas (*Vid. Æneid.*, v), cum conditæ urbi Acestæ hospitis nomen imposuit, ut eam postmodum lætus ac libens Acestes diligeret, augeret, ornaret. Hoc modo religionem cultus sui per orbem terræ Jupiter seminavit, et exemplum cæteris ad imitandum dedit. Sive igitur a Melisseo, sicut Didymus tradidit, colendorum deorum ritus effluxit; sive ab ipso quoque Jove, ut Euhemerus; de tempore tamen constat quando dii coli cœperint. Melisseus quidem multum antecessit ætate, quippe qui A educaverit Jovem nepotem. Et idcirco fieri potest, vel ut ante, vel adhuc puero Jove deos colere instituerit, id est alumni sui matrem; et aviam Tellurem, quæ fuit Urani conjux, et patrem Saturnum : et ipse hoc exemplo atque instituto Jovem ad tantam superbiam provexerit, ut postea sibi divinos honores auderet assumere.

CAPUT. XXIII.

De vanarum superstitionum ætatibus, et quibus cœperint temporibus.

Nunc quoniam vanarum superstitionum originem deprehendimus, superest ut etiam tempora colligamus, per quæ fuerint illi quorum memoria colitur. Theophilus in libro de Temporibus ad Autolicum scripto ait, in historia sua Thallum dicere, quod Belus, quem Babylonii et Assyrii colunt, antiquior trojano bello fuisse invenitur trecentis viginti duobus B

VARIORUM NOTÆ.

lem occidit, in Cariam detulit, atque in manu ejus posuit. Hinc Plutarchus in Quæstion. 45, Græc. Labrandenum Jovem dictum voluit, quandoquidem Lydii λαβρίω securim appellant. *Ex* Cellario *et* Thys. — Sed tamen sic ab hospite dictum vult Lactantius. Ælianus autem alia ratione hoc nomine vocatum scribit Jovem. *Labradeus*, inquit, *Jupiter nominatus est quod permultum pluisset.* Isæus.

Jovi Laprio. Mss. 1 Bonon. antiq. et recentiores 1 Reg., 1 Colb., Nav., Lips., Brun., *Labrio : b* pro *p* sæpe a librariis positum, et e converso, apud omnes notum. De hoc Jovis nomine nulla est apud auctores mentio, præterquam apud Lactantium. C

Jovi Casio. Sic lego cum duobus vetustissimis mss. Regiis, aliisque duobus Reg. 1 Colb., Nav., Vict., Gat., Marm., Em., Christ., Brun., necnon editis Betul. ac Cellar. Et recte. Sic etiam apud Suidam et apud Stephanum *Cassius*. Apud Lucanum, lib. VIII :

Et Casio præferre Jovi.

Item apud Plinium, lib. v, cap. 12: *A Pelusio Casius mons est, et delubrum Jovis Casii.* In recentioribus 13 Lactantii mss. et totidem editis est, *Cassio.*

Eumdem modum. Mirum est quantum ad numerum creverint varia Jovis nomina. Trecentos Joves narrat Varro, cum variis epithetis et cognominibus; at quæ singulorum fuerant, uni sunt attributa. Hinc error veterum in Jovis historia recitanda. Ducenta græca illi data nomina post Lilium Gyraldum collegit Xystus Betuleius ad caput 22 hujus libri Lactantiani, et centum ac sexaginta latina nomina. Idem fuit de Hercule et de Mercurio, sicut et de Belo in historia veteri Assyriaca et Babylonica. D

Et hinc imperio ejus libenter obsequebantur. Hinc reposui, eruditorum consilio, ex mss. 2 Colb. et 2 Brun. pro *huic imperio ejus*, quod est in cæteris.

Tradidit. Hic reposuimus *tradidit* ex mss. pene omnibus, et edit. Tornes. et Walch. In 3 Reg., 1 Colb., Gat., Brun. et edit. Rom. 1470, est, *tradit.* At in cunctis fere editis legitur, *sive ab ipso quoque Jove, ut Euhemerus tradidit :* sed minus bene, quia contra fidem manuscriptorum.

Euhemerus. Ed. Sublac. addit : *tradit.*

Jovem nepotem. Scilicet Urani, qui primus orbis universi imperio præfuit. Is enim ex Tellure uxore filium suscepit Saturnum, Saturnus ex Rhea Jovem : sic Apollod. Lactantius etiam hic subdit aviam Tellurem, quæ fuit Urani conjux ; Uranus ergo avus Jovis, et Jupiter ejus nepos, ut ait etiam supra cap. 5, et in fin. cap. 2. Hæc igitur recta lectio est ob omnibus fere excusis libris agnita, non *pronepotem* ex mss. et edit. Rom., Torn., Soubron., Is., et Plantin. in marg. quæ lectio Lactantio contraria est, qui Saturnum facit Jovis patrem, et Saturnum Urani seu Cœli filium.

Tellurem. De ejus in urbe Roma æde lege Plin. XXXIV, 9; Valer. Max. VI, 3; Augustin., de Civit. Dei IV. Plura Macrob. Saturnal. I. Terram matrem etiam Persæ coluere (*Herodot in Clio*), et Scythæ (*idem in Melpomene*); et sub nomine *Herthi*, etiam Germani, teste Tacito XL, 3. Ita *Freinshemius* in Tacitum.

Theophilus. Sextus hic Antiochenæ ecclesiæ episcopus fuit, teste Hieronymo, floruitque sub imperatore Antonino Vero, proxime nimirum post apostolorum tempora. Euseb. de hoc etiam testatur lib. IV Hist. eccles. Betuleius. — Hic vix circa annum vulgaris æræ 160.

De temporibus. Inter cætera Theophili monumenta extat, non liber de Temporibus, sed opus ad Autolicum adversus gentes tribus libris. Primo libro, docet Theophilus quid sit Deus; secundo, gentium idololatriam et superstitionem refellit; tertio, agit de Temporibus deorum Gentilium; sed hodie ex veteribus monumentis elucidata sunt quadamtenus veteris historiæ tempora.

Thallum. Ita legitur in cunctis ferme mss. In rec. 2 Reg., Vict., Nav., Brun., *Thallium ;* in 4 Colb., *Thallion ;* in uno autem Clarom. est, *Thalion* ; in plerisque excusis, *Thalum.* Sed scribendum, *Thallum*, ex Tertulliano Apolog., II, Minucio, et ipsomet Lactantio supra c. 13, monente Meursio.

Quod Belus, etc. Hunc Belum arbitror Nemrodum, quia huic regni principium in terra Sennaar Babylon fuit (*Gen.*, X, c. 10) ; at conditorem Babylonis Belum vocant gentiles ; inque his Dorotheus Sidonius, poeta vetustus :

Antiqua urbs Babylon, Tyrio quæ condita Belo.

Artabanus apud Euseb., lib. IX Præpar. Evang. c. 41, ubi retulisset, ut primitus omnia aquis fuerint obruta, addit Belum siccasse loca, *ac Babylonem mœnibus cinxisse.* Servio propterea dicitur *Belus primus rex Assyriorum.* Ejus sepultura fuit Babylone; sed Xerxes eam destruxit, ut refert Strabo initio sexti decimi. De Beli hujus cultu insignis est locus Claudiani in primo de laudibus Stiliconis : sed corruptus, cum juxta certissimam Scaligeri emendationem, in VI, de emendatione temporum, pro *Belli* debeat legi *Beli.* Fuit autem Belus cum Sole cultus. Vossius.

Digitized by Google

annis : Belum autem Saturno æqualem fuisse, et utrumque uno tempore adolevisse. Quod adeo verum est, ut ratione ipsa colligi possit. Nam et Agamemnon, qui gessit bellum Troicum, Jovis abnepos fuit, et Achilles Ajaxque pronepotes, et Ulysses eodem gradu proximus fuit; Priamus quidem longa serie. Sed auctores quidam tradunt, Dardanum et Jasium Coriti filios fuisse, non Jovis. Nec enim, si ita fuisset, ad usus impudicos Ganymedem pronepotem suum habere potuisset. Itaque parentibus illorum, quos supra nominavi, si congruentes annos dividas, numerus consentiet. Ab excidio autem Trojanæ urbis colliguntur anni MCCCCLXX. Ex hac temporum ratione manifestum est, ante annos non amplius quam MDCCC natum esse Saturnum, qui et sator omnium deorum fuit. Non ergo isti glorientur sacrorum vetustate, quorum et origo, et ratio, et tempora deprehensa sunt. Restant adhuc aliqua, quæ ad arguendas religiones falsas plurimum valent. Sed jam finem facere libro decrevi, ne modum excedat. Ea enim plenius sunt exequenda, ut omnibus refutatis, quæ veritati videntur obstare, homines, qui bonorum ignorantia vagantur incerti, ad religionem veram possimus imbuere. Primus autem sapientiæ gradus est, falsa intelligere; secundus, vera cognoscere. Ergo apud quem hæc prima institutio nostra profecerit, qua falsa deteximus, excitabitur ad veri cognitionem, qua nulla est homini jucundior voluptas; et erit jam sapientia cœlestis disciplinæ dignus, qui ad cognoscenda cætera libens ac paratus accesserit.

VARIORUM NOTÆ.

Trecentis viginti duobus annis. Thalli lapsum, quem secutus est Theophilus, et deinde Lactantius, ostendit luculenter Pererius in comm. ad Daniel, *lib.* XVI, *c.* 14, *et lib.* II *Disp. de* LXX *septim.*, *part.* I, *quæst.* 2. Quamvis autem in hac supputatione mire varient chronologi, omnium tamen expensis sententiis, haud minus, quam octingentis vel nongentis circiter annis Belum Trojano excidio antiquiorem fuisse constat. Isæus. — Nil tamen de hoc certi definiri potest, propter varios Babyloniorum et Assyriorum Belos, qui his nationibus diversis imperarunt temporibus.

Itaque. Hæc vox manuscriptorum codicum est, et veterum 9 editorum. *Ita* rec. éditiones habent.

Si congruentes annos dividas. Manuscripti decem recentiores cum editis habent, *congruenter*. Chronologi vehementer variant, neque in supputationibus temporum scrupulose sategit Lactantius. Isæus.

Ante annos non amplius, etc. Falsus apparet calculus. Arnobius aliam inivit supputandi rationem, et ad duo millia annorum ab Jove, ad illa usque tempora intercessisse scribit prope finem lib. II. Isæus.

Ne modum excedat. Mss. rec. 2 Reg., Vict., Nav., 1 Colb., Gat., Brun. addunt *oratio;* sed perperam.

ANALYSIS LIBRI SECUNDI, QUI INSCRIBITUR DE ORIGINE ERRORIS.

Partes libri duæ sunt : prima de Vanitate religionis deorum; altera de Origine erroris.

Vanas esse religiones deorum probat : 1° quia contra conscientiam suscipiantur, cum etiam illi in calamitatibus ad Deum unum confugiant, qui rebus ex sententia fluentibus alacres ad deorum templa currunt.

2° Quia non sunt rationis humanæ, nam curvant cœleste animal ad veneranda terrena. Status rectus homini et vultus sublimis datus est, ut sursum aspiciat, non deorsum (*Cap.* 1).

3° Quia simulacra colunt, quæ aut sunt signa deorum mortuorum, aut absentium, aut præsentium. Si mortuorum, stulte colunt; si absentium, colendi dii non sunt, si nec vident quæ facimus, nec audiunt quæ precamur. Si præsentium, quia dii absentes esse non possunt, supervacua sunt simulacra. Præterea Dei in æternum viventis vivum et sensibile debet esse simulacrum. At illorum simulacra omni sensu carent. Homo est simulacrorum quasi parens. Itaque melior qui facit, quam illa quæ facta sunt. In simulacro non est aliquid hominis præter umbram; ergo multo minus aliquid Dei (*Cap.* 2). His subjicitur gravis dehortatio a simulacrorum cultu, usque ad finem cap. 2, et reprehensio Ciceronis, qui cum intellexerit religionum vanitatem, tamen nec alios ab ea abducere, nec ipse eam relinquere voluit (*Cap.* 3).

Rursum simulacra nullam majestatem habere asserit : Quod fuerint in homunculi potestate; quod frangi, cremari, perire possint; quod semetipsa tueri non possint; quod cum violantur, inulta sint, nisi a colentibus vindicentur; quod oculis sint subjecta, ac proinde non immortalia; itaque frustra ipsis offerri munera; merito Dionysium Siciliæ tyrannum deos tales contempsisse, spoliasse, illusisse, idque impune: C. Verrem impune tot sacrilegia commisisse (*Cap.* 4).

4° Quia præferunt Deo et parenti opera Dei, non solum barbari, sed etiam stoici philosophi, qui omnia cœlestia, quæ moventur, in deorum numero censent : quos non tantum veritate, sed etiam verbis ipsorum revincit (*Cap.* 5 et 6).

5° Quia solis, lunæ, ignis, aquæ, etc. simulacra humanum in modum formant, consecrantque iis manubias et rapinas suas, existimantes Deum amare, quidquid ipsi concupiscunt (*Cap.* 7).

OBJECTIO : *At ii ipsi dii majestatem suam sæpe ostendunt prodigiis, et somniis, et auguriis, et oraculis* (*Hic enumerantur multa miracula deorum*). — Ut causam horum miraculorum exponat, altius Lactantius narrationem orditur ab ipsa scilicet creatione rerum, de qua incipit disserere, cap. 9, in quo refutat errores philosophorum de mundo et ejus fabricatore Deo. Deinde persequitur historiam creationis, *cap.* 10, 11, 12, 13, immiscens identidem disputatiunculas cum philosophis, quæ ad creationem pertinent. Tertio diluvii historiam attingit, et originem errorum a Chami Hebræorumque defectione deducit, cap. 14. Quarto, crescente hominum malitia, Deum scribit misisse angelos ad tutelam generis humani in terram : quos cum pellexisset diabolus ad vitia, et mulierum congressibus inquinasset, fecisse eos diabolum suos satellites, qui autem ex his fuerunt prognati, eos neque angelos, neque homines fuisse; atque ita duo facta esse genera dæmonum, unum cœleste, alterum terrenum, atque hos esse immundos spiritus, malorum, quæ geruntur, auctores; qui insidiis, dolis, erroribus omnia complent, qui insinuant se corporibus

Digitized by Google

hominum (*Cap.* 15), nocere tamen nemini possunt, nisi quem habent in sua potestate (*Cap.* 16). Eorum inventa esse astrologiam, aruspicinam, auguriationem, oracula, necromantiam, artem magicam. Hos conari homines a cultura et notitia veræ majestatis avertere. Inde esse miracula, quæ cap. 7 commemorata sunt. Nam cum dispositiones Dei præsentiant, inquit porro Lactantius, quippe qui ministri ejus fuerunt, interponunt se in his rebus, ut quæcumque a Deo vel facta sunt, vel fiunt, ipsi potissimum facere aut fecisse videantur; et quoties alicui populo vel orbi secundum Dei statum boni quid impendet, illi se id facturos vel prodigiis, vel somniis, vel oraculis polliceantur, si sibi templa, si honores, si sacrificia tribuantur.

OBJECTIO : *Cur ergo Deus hoc fieri patitur? — Respons.* Ut mala cum bonis pugnent; ut vitia sint adversaria virtutibus; ut habeat alios quos puniat, alios quos honoret.

Atque hactenus hæc disputatio, quam altera parte, cap. 18, Lactantius repetit, sed generatim : cui subjungit gravem dehortationem a religionibus deorum, simulacrisque, cap. 19, et quid hactenus tractarit, quod scilicet inveteratos errores depulerit, quidque porro tractaturus sit, exponit, cap. ult. 20.

Altera libri hujus pars est de Origine erroris, quæ non conjunctim, sed sparsim hoc libro traditur. Disserit autem de origine errorum in specie primum, deinde in genere. In specie de origine errorum in religione Romanorum : quod Romulo urbem condente, et pessimos quosque in urbem suam admittente, ex iis in senatum legerit eos, qui ætate alios anteibant, et patres appellarit, et hos patres ac pellitos senes decreta tulisse de religione, quibus nunc Romani serviant. Hortatur ergo, mutent animum, quia nemo, cum viverent, affinitate illos pastores dignos, judicasset (*Cap.* 6). Deinde quia opporteat in ea re maxime, in qua vitæ ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio ac propriis sensibus niti ad investigandam ac perpendendam veritatem (*Cap.* 7).

In genere omnium errorum duas esse causas dicit : defectionem Chami et posteritatis pii Noe a Deo (*Cap.* 14), et insidias diaboli (*Cap.* 16). SCULTETUS.

LIBER SECUNDUS.

DE ORIGINE ERRORIS.

CAPUT PRIMUM.

Quod rationis oblivio faciat homines ignorantes veri Dei, qui colitur in adversis, et in prosperis contemnitur.

Quamquam primo libro religiones deorum falsas esse monstraverim; quod ii, quorum varios dissimilesque cultus per universam terram consensus hominum stulta persuasione suscepit, mortales fuerint, functique vita, divinæ necessitati morte concesserint; tamen ne qua dubitatio reliquatur, hic secundus liber fontem ipsum patefaciet errorum, causasque omnes explicabit, quibus decepti homines, et primitus deos esse crediderint, et postmodum inveterata persuasione in susceptis pravissime Religionibus perseveraverint. Gestio enim, Constantine Imperator, convictis inanibus, et hominum impia vanitate detecta, singularis Dei asserere majestatem, suscipiens utiliùs et majus officium revocandi homines a pravis itineribus, et in gratiam secum ipsos reducendi, ne se (ut quidam philosophi faciunt) tantopere despiciant, neve se infirmos, et supervacuos, et nihil, et frustra omnino natos putent. Quæ opinio plerosque ad vitia compellit. Nam dum existimant, nulli Deo nos esse curæ, aut post mortem nihil futuros, totos se libidinibus addicunt, et dum licere sibi putant,

VARIORUM NOTÆ.

Gestio enim, Constantine Imperator. Hæc duo postrema verba sunt in antiquissimo 900 annorum codice Regio, in alio item Reg., 7 Vaticanis, 2 Lipsiensibus, Balliol., Marm. et in editis Soubron., Fasitel. 1543, Gymn. 1555, Betul., Tornes., 2 Paris., Thomas., Thys., Gall, Spark., Cellar., Walch. At in Rhoanneo et Sangerm., Soubron., 2 Paris. multis, desunt. Regio Puteanus habet in titulo *ad Constantinum Imperatorem.*

Convictis inanibus. Ita reposui ex mss. 6 Reg., quorum duo sunt veterrimi, 1 Lips., Em., Gal., Marm. et Vict. in marg., edit. Rom., 1470, Gymnic., Fasit., Torn., Thom., Is., Thys., Cellar., Walch., et sic legere malo cum eruditis viris Jo. Clerico in Arte Critic. P. III, S. I. c. 4, p. 44, Celiario et Walchio. Plane enim mihi persuasi pro *in* positum fuisse *m*; quod amanuensibus sæpe contigisse notum est. Nam legendum omnino videtur *inanibus*, nempe diis, qui rectius opponuntur *singulari Deo*, quam *manes*. 1 Clarom. habet, *convictis diis inanibus;* 1 Colb. prave, *conjunctis inanibus;* in 16 aliis mss. recent. et 5 editis est *convictis manibus*. Vide infra, l. III, c. 30 *convictis philosophiæ disciplinis*, etc.

Vanitate detecta. Non male Goth. *vanitate dejecta.* BUN.

Suscipiens. Quædam editiones habent *suspicans*, quod idem est.

Quidam philosophi. Hic perstringit Lactantius Epicureos.

Et nihil, et frustra. Ita restituimus ex mss. 7 Reg. quorum duo sunt vetustissimi, 4 Colbert., Goth., Ult., Bonon. minus antiq., Em., Cantabrig., Brun., edit. Egnat., Paris. 1525, Fasit., Graph. In recentioribus, 2 Reg., 3 Lips., Cauc., Pen., Rostoch., Pal., 2 Clarom., Christ., 1 Colb., edit. Rom. 1470, Gymn., Betul., Tornes., Cellar., est, *et nihil;* quod abest a ms. 1 Bon. antiq. et editis quinque rec. In 1 Colb. *et ad nihil, et frustra.* Alicubi legitur *nihili* pro *nihil*, in quem notam habet sequentem Bunemannus. — *Et nihili.* Merito Cellarius ex Lips. tribus et Betul. recepit : habent et mss. C. C. C. Reimm., Ultr., Cauc., Pal. et Tornes. Prius confirmo ex Lact., l. I, c. 11 : *Qui sit et mortalis, et imbecillus, et nihili;* et l. VI, c. 22 : *Insipiens, et ineptus, et nihili est.* BUN.

Nulli Deo. De hoc etiam in prioribus primi libri capitibus dictum est, ac rursus dicetur in opere de Ira Dei. *Nulli* refertur ad *Curæ*.

Digitized by Google

hauriendis voluptatibus sitienter incumbunt, per quas imprudentes in laqueos mortis incurrunt; ignorant enim quæ sit hominis ratio. Quam si tenere vellent, in primis Dominum suum agnoscerent, virtutem justitiamque sequerentur, terrenis figmentis animas suas non substernerent, mortiferas libidinum suavitates non appeterent : denique seipsos magni æstimarent, atque intelligerent plus esse in homine, quam videtur, cujus vim conditionemque non aliter possent retinere, nisi cultum veri parentis sui, deposita pravitate, susceperint. Equidem, sicut oportet, de summa rerum sæpenumero cogitans, admirari soleo majestatem Dei singularis, quæ continet regitque omnia, in tantam venisse oblivionem, ut quæ sola coli debeat, sola potissimum negligatur; homines autem ipsos ad tantam cæcitatem esse deductos ut vero ac vivo Deo mortuos præferant, terrenos autem sepultosque in terra ei qui fundator ipsius terræ fuit.

Et tamen huic impietati hominum posset venia concedi, si omnino ab ignorantia divini nominis veniret hic error. Cum vero ipsos deorum cultores sæpe videamus Deum summum et confiteri et prædicare, quam sibi veniam sperare possunt impietatis suæ? qui non agnoscunt cultum ejus, quem prorsus ignorari ab homine fas non est. Nam et cum jurant, et cum optant, et cum gratias agunt, non Jovem aut deos multos, sed Deum nominant : adeo ipsa veritas, A cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit; quod quidem non faciunt in prosperis rebus. Nam tum maxime Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficiis ejus fruentes, honorem dare divinæ indulgentiæ debent. At vero si qua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur. Si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit, si sæva tempestas, si grando ingruerit, ad Deum confugitur, a Deo petitur auxilium, Deus, ut subveniat, oratur. Si quis in mari, vento sæviente, jactatur, hunc invocat. Si quis aliqua vi afflictatur, hunc potius implorat. Si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, et per ejus divinum atque unicum nomen B hominum sibi misericordiam quærit. Numquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. Postquam metus deseruit et pericula recesserunt, tum vero alacres ad deorum templa concurrunt; his libant, his sacrificant, hos coronant. Deo autem, quem in ipsa necessitate imploraverant, ne verbo quidem gratias agunt : adeo ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria vero, ut vitia omnia, sic impietas adversus Deum nascitur.

Quanam istud ex causa fieri putemus? nisi esse aliquam perversam potestatem, quæ veritatis sit semper inimica, quæ humanis erroribus gaudeat, cui unicum ac perpetuum sit opus offundere tenebras,

VARIORUM NOTÆ.

Hauriendis voluptatibus sitienter incumbunt. Ms. 1 Brun. et edit. Paris., 1525, *sitientes*. Ms. 2 Colb. et 1 Clarom. *scienter*, prave. Genuina lectio *sitienter*, id est, avide. Cicero Tuscul. 217, a. Nec *sitienter quid appetens*. Prudentius Cathemerin. IV, v. 88, *Sitienter haurire*. WALCH.

Dominum suum. Ita ms. Rohan. et Sangermann., quod est rectius, quam *Deum suum*, ut habent vulgatæ editiones.

Suavitates. Sic reposuimus ex ms. 2 Bonon. et 5 Reg., quorum duo sunt antiquissimi, Tax., 2 Lips., Goth., 1 Colb., 2 Clarom. In recentioribus mss. et in editis est *voluptates*.

Plus esse in homine. Id desumptum est ex Platonis Timæo et Cratylo. Vide et Lactant. de Opificio Dei, c. 19 et 20.

Possent retinere. Ita restituimus ex mss. 1 Bonon. antiquiore, et 1 Clarom. In cæteris est, *posse retineri* in 1 Reg., *posset*.

Susceperint. Forte, *susciperent*.

Præferant. Rostoch. et Ultr., *anteferant*.

Sepultosque in terra ei. Ms. 1 Clarom. et recentes edd. septem addunt *præponant*; perperam, cum mox præcesserit verbum *præferant*.

Nominis. Heumannus credit legendum esse *numinis*. At non mutamus lectionem mss. et editorum.

Quem prorsus ignorari ab homine fas non est. Id est, *qui ut prorsus ignoretur ab homine* fieri non potest. Affirmavit enim errorem ab ignoratione divini nominis non venisse. Ad rem pertinet Tertull. Apolog. c. 17 : *Hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare* non possunt. BUN.

Sed Deum nominant. Cypr. Idol. Van. cap. v : *Dici frequenter audimus : O Deus;* et, *Deus videt*; et, *Deo commendo;* et, *Deus mihi reddet;* et, *Quod vult Deus;* et, *Si Deus dederit. Atque hæc est summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis.* BUN.

Debent. Sic reposui ex omnibus mss. et 4 addi in 14 impressis est *deberent*; sed male.

Si qua necessitas. Sic Lucret. l. 3 :

. . . . Rebus in arctis
Acrius advertunt animos ad religionem.

Optime *Rivetus*, in notis suis mss. ad hunc auctorem compertum est, optimos esse nos dum ægri sumus; unde recte optat Plinius, *ut tales esse sani perseveremus, quales nos futuros esse profitemur ægroti.*

Confugitur. Melius cum sequentibus cohæret ex cunctis pene mss. quam *confugiunt*, quod est duorum rec. mss. Reg. et editorum.

Potius. Sic restitno ex omnibus mss. et vet. editis Rom. In 14 editis recentioribus est *protinus*. Vide præcedentia.

Nomen. Ita reposui ex cunctis mss. et vet. editis Rom. et Crat. ac Graph. in margine; et apte quidem ad verba stipem mendicantium in nomine Domini. In D omnibus fere editis est, *numen*.

Malis sunt. In rebus adversis. Lib. VI, cap. 25 : *Etiam in malis gratias agat.* Cic. pro Cluentio, cap. 61 : *Unum... in malis perfugium calamitatis.* BUN.

Hos coronant. Simulacra deorum coronari apud Gentiles moris erat. Arnob. lib. VII : *Etiamne dii sertis, coronis afficiuntur et floribus?* Vide etiam Clem. Alexand, παιδαγ. lib. II, cap. 8. Tertullian., de Cor. Mil., cap. 7 : *Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum, Jovem Diodorus post devictos Titanas. Dat et Priapo tænias idem, et Ariadnæ sertum.* Plinius, lib. XVI, cap. 4, ait, antiquitus neminem, nisi deos, coronis ornari solitum; et lib. XXI, cap. 24 : *Coronæ deorum honos erant, et Larium publicorum privatorumque.* Artemidor. lib. II, Oneirocrit., cap. 54. Sed non solum dii coronati, verum etiam illi qui sacris operabantur, imo vasa etiam ac victimæ, quarum cornua inaurabantur, etc. *Ex* HERALDO *et* ELMENH.

Offundere tenebras. Iterum, lib. II, cap. 16 : *Offundunt tenebras, veritatem caligine obducunt.* Ibid. *Error*

Digitized by Google

et hominum cæcare mentes; ne lucem videant, ne denique in cœlum aspiciant, ac naturam corporis sui servent, cujus originem suo loco narrabimus; nunc fallacias arguamus. Nam cum cæteræ animantes pronis corporibus in humum spectent, quia rationem ac sapientiam non acceperunt, nobis autem status rectus, sublimis vultus ab artifice Deo datus sit, apparet istas religiones deorum non esse rationis humanæ, quia curvant cœleste animal ad veneranda terrena. Parens enim noster ille unus et solus, et cum fingeret hominem, id est animal intelligens et rationis capax, eum vero ex humo sublevatum ad contemplationem sui artificis erexit. Quod optime ingeniosus poeta (Ovid. I *Metam.*) signavit :

Pronaque cum spectent animalia cætera terram;
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Hinc utique ἀνθρωπον Græci appellarunt, quod sursum spectet. Ipsi ergo sibi renuntiant, seque hominum nomine abdicant, qui non sursum aspiciunt, sed deorsum : nisi forte id ipsum, quod recti sumus, sine causa homini attributum putant. Spectare nos cœlum Deus voluit, utique non frustra. Nam et aves, et ex mutis pene omnia cœlum vident; sed nobis proprie datum est, cœlum rigidis ac stantibus intueri, ut religionem ibi quæramus, ut Deum, cujus sedes illa, quoniam oculis non possumus, animo contemplemur : quod profecto non facit, qui æs, aut lapidem, quæ sunt terrena, veneratur. Est autem pravissimum, cum ratio corporis recta sit, quod est temporale, ipsum vero animum, qui sit æternus, humilem fieri; cum figura et status nihil aliud significent, nisi mentem hominis eo spectare oportere, quo vultum et animum tam rectum esse debere, quam corpus, ut id, cui dominari debet, imitetur. Verum homines, et nominis sui, et rationis obliti, oculos suos ab alto dejiciunt, soloque defigunt, atque timent opera digitorum suorum, quasi vero quidquam esse possit artifice suo majus.

CAPUT II.

Quæ fuerit prima causa fingendi simulacra; de vera Dei imagine, et ejus vero cultu.

Quæ igitur amentia est, aut ea fingere quæ ipsi postmodum timeant, aut timere quæ finxerint? Non ipsa, inquiunt, timemus, sed eos, ad quorum imaginem ficta, et quorum nominibus consecrata sunt. Nempe ideo timetis, quod eos esse in cœlo arbitramini : neque enim, si dii sunt, aliter fieri potest. Cur igitur oculos in cœlum non tollitis? et advocatis eorum nominibus, in aperto sacrificia celebratis? Cur ad parietes, et ligna, et lapides potissimum, quam illo spectatis, ubi eos esse creditis? Quid sibi tem-

VARIORUM NOTÆ.

res.... offundunt, lib. VII : *Tenebræ, quibus offundetur cœlum.* De Ira, cap. 1 : *Quibus* (tenebris) *offusa est hominis cogitatio.* BUN.

Naturam corporis sui. Intelligit statum humani corporis rectum. Quod argumentum, ut hic, sic sæpe urget. In nonnullis secutus est Ciceronem, lib. I de Legg. cap. 9 : *Cum cæteras animantes* abjecisset *ad pastum, solum hominem erexit, ad cœlique, quasi cognationis domicilique pristini conspectum excitavit.* L. II, de Nat. deor., cap. 56 : *Deus homines humo excitatos celsos et erectos constituit, ut deorum cognitionem cœlum intuentes capere possent.* BUN.

Cujus originem, etc. Hæc verba extant in antiquiss. Bonon, ms. et 1 Clarom. et in editis Thom., Is. Thys., Gall., Spark. et Walch. in cæteris desunt. Ea tamen retinenda sunt, tum propter elegantiam, tum quod apte congruunt cum re de qua hic agitur.

In humum. Heumannus recte judicat delendum esse *in*, quod juxta Lactantii phrasim elegantius est.

Eum vero ex humo sublevatum, etc. Cum Thomasio, et ex mss. 9 Reg., 1 Bonon., antiq., 5 Colb., Rostoch., Pal., Cantab., Cauc., Jun., Ultr., tribus Vaticanis, et ed. Rom. 1470, Genevensi, Torn., Soubr., Is., hunc locum ita legendum esse contendo, non, ut vitiose in editis plerisque, *enimvero ex humo sublevavit* : nullus sensus erit, si hæc lectio sit retinenda; et dicendum esset ideo hominem esse animal rationis capax, quia Deus, eum sublevavit ex humo, quod absurdum esse patet in cæteris animalibus, quæ etiamsi ex humo constent, non tamen sunt rationis capacia. *Ex* GALLÆO.

Græci. Vide Platonem in Cratylo et in Timæo; tum etiam Philonem Judæum.

Nobis datum est... rigidis ac stantibus intueri. Dictum, ut illa Claud., lib. I, in Rufin. *Natura* beatis *omnibus esse* dedit; id est, natura omnibus concessit esse beatos. Horat. I, Serm., 4, 36 : *Dederim quibus esse poetis*; de Art. poet. 372 :

Mediocribus esse poetis
Non homines, non di, non concessere columnæ.

Rigidis. Id est *rectis.* Lib. II c. 17 : *Hominem rigidum figuravit.* De Opif. c. 8 : *Hunc ad cœli contemplationem erexit.* BUN.

Quoniam. Sic ex mss. prope omnibus restituimus. In 4 recentioribus et in vulgatis est *quem*. Hæc tamen lectio non est inconcinna. In 1 Clarom. *quia*. Sed amplectimur potius mss. codices.

Sit. Ita omnes mss. et vet. edd. In 12 impressis legitur *est*.

Ut id, cui dominari debet, imitetur. Ita emendavimus ex mss. codicibus Regiis, Bonon. antiq., § 6 Colb., Cauc., Jun., Ultr., Lips., Pal., Pen., Rostoch., Tornes., Betul., Clarom., Cantabrig., Em., Brun., et vet. editis 3 Romanis, Venet. 1490, Paris. 1525, Graph., Betul., Antuerp. 1539, Is., Cellar. ac Genev. ad marg. In editis rec. octo est, *ne id*, prave. Legendum esse *ut id* asserit Isæus et textus ipse convincit, videlicet ut animus erigendo se ad cœlum, imitetur statum corporis quod erectum est.

Quasi vero. Addidimus *vero* ex mss. codicibus et edit. Soubron. et Tornes. Quod tamen deest in vulgatis.

Igitur. Rohanneus codex legit *ergo*, quod idem est.

Non ipsa, inquiunt, timemus, etc. Sic etiam Eusebius, præfat. lib. IV, refert hoc Gentilibus planum fuisse, imagines non esse deos. Verba ejus sunt : Ὅτι μὲν οὖν οὐ θεοὶ ἄψυχα ξόανα, προφανὲς καὶ αὐτοῖς. Eamdem exceptionem videsis apud Arnob. lib. VI, Origen. contra Cels., lib. VII, Augustin. in Ps. CXIII. *Ex.* GALLÆO.

Eorum nominibus. Sic reposuimus ex mss. et edit. Tornes. ac Soubron. quod venustius est quam *deorum*, ut in vulgatis cum vox *dii* mox præcesserit. — *Advocatis.... nominibus.* Sic omnes libri, id est, *invocatis*. Iterum infra, *Nomina precibus advocare.* Lib. II, cap. 5 : *Quibus quamque* (stellam) *nominibus, quibus precibus advocemus.* Lexica hunc significatum non observarunt. BUN.

Digitized by Google

pla? quid aræ volunt? quid denique ipsa simulacra, quæ aut mortuorum aut absentium monimenta sunt? Nam omnino fingendarum similitudinum ratio idcirco ab hominibus inventa est, ut posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerant separati. Deos igitur in quorum numero reponemus? Si in mortuorum, quis tam stultus ut colat? Si in absentium, colendi ergo non sunt, si nec vident quæ facimus, nec audiunt quæ precamur. Si autem dii absentes esse non possunt, qui quoniam divini sunt, in quacumque mundi parte fuerint, vident et audiunt universa; supervacua ergo sunt simulacra, illis ubique præsentibus, cum satis sit audientium nomina precibus advocare. At enim præsentes non nisi ad imagines suas adsunt. Ita plane; quemadmodum vulgus existimat, mortuorum animas circa tumulos et corporum suorum reliquias oberrare. Sed tamen postquam deus ille præsto esse cœpit, jam simulacro ejus opus non est.

Quæro enim, si quis imaginem hominis peregre constituti contempletur sæpius, ut ex ea solatium capiat absentis, num idem sanus esse videatur, si, eo reverso atque præsente, in contemplanda imagine perseveret, eaque potius, quam ipsius hominis aspectu frui velit? Minime profecto. Etenim hominis imago necessaria tum videtur, cum procul abest; supervacua futura, cum præsto est: Dei autem, cujus spiritus ac numen ubique diffusum, abesse numquam potest, semper utique imago supervacua est. Sed verentur, ne omnis eorum religio inanis sit et vana, si nihil in præsenti videant quod adorent, et ideo simulacra constituunt, quæ quia mortuorum sunt imagines, similia mortuis sunt; omni enim sensu carent. Dei autem in æternum viventis vivum et sensibile debet esse simulacrum. Quod si a similitudine in nomen accepit, quomodo possunt ista simulacra Deo similia judicari, quæ nec sentiunt, nec moventur? Itaque simulacrum Dei non illud est, quod digitis hominis ex lapide, aut ære, aliave materia fabricatur; sed ipse homo, quoniam et sentit, et movetur, et multas magnasque actiones habet. Nec intelligunt homines ineptissimi, quod, si sentire simulacra et moveri possent, ultro adoratura hominem fuissent, a quo sunt expolita, quæ essent aut incultus et horridus lapis, aut materia informis ac rudis, nisi fuissent ab homine formata.

Homo igitur illorum quasi parens putandus est, per cujus manus nata sunt, per quem speciem, figuram, pulchritudinem habere cœperunt. Et ideo melior est qui fecit, quam illa quæ facta sunt. Et tamen factorem ipsum nemo suspicit, aut veretur: quæ fecit, timet, tamquam plus possit esse in opere, quam in opifice. Recte igitur Seneca in libris moralibus: Simulacra, inquit, deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant, illis per totum assident diem, aut astant, illis stipem jaciunt, victimas cæ-

VARIORUM NOTÆ.

Quid sibi templa? Non est putandum hic loci a Lactantio interdictum esse omnibus, ne quem locum cultui divino consecrarent fideles, siquidem *templorum* nomine ædes tantum significet diis gentilium sacras, cum Christiani adeo illud verbum horrerent, ut locum in quo ad res sacras peragendas convenirent, *ecclesiæ* solum, aut *conventiculi* nomine signarent. SPARK. — Ecclesias jam a primis sæculis pro christianis exstructas, constat ex Lampridio, Flavio Vopisco, Tertulliano lib. de Idololatria, item ad uxorem lib. II, cap. 9; lib. de velandis Virginibus, c. 13, et alibi sæpe. Sed et Cyprianus, qui florebat anno 250 Ecclesiæ, sub nomine *Dominici*, mentionem egit libro de Operibus et Eleemosynis; denique ex edicto Diocletiani de diruendis ecclesiis, et comburendis christianorum libris, apud Eusebium, lib. VIII Histor., cap. 2 et 3, qui eam cladem deplorat; sicut et Arnobius in fine libri IV, et ipse Lactantius infra l. V. Videsis illum, lib. V, in fine, libro de Ira Dei, c. VIII, Ex Isæo.

Quid aræ volunt? Nempe in quibus Gentiles sacrificia diis facere consuerunt. Alias enim Christianis sua fuisse *altaria* satis constat ex Sacris litteris. SPARK.

Fingendarum. De hoc vide S. Justinum in Paræneticо. Vide etiam Sapient., cap. 13 et 14.

In quorum numero reponemus. Sexto casu. Lact. l. II, cap. 5; lib. III, c. 4; de Ira, c. 22. Ita quoque Cicero, lib. III de Nat. deor., cap. 9, et cap. 19 et 20; l. I de Orat., cap. 13. BUN.

Nomina. Heumannus putat legendum esse numina, sed contra fidem mss. et editorum.

Mortuorum animas, etc. Simile aliquid legimus apud Gregorium Nyssenum, tractatu de Anima et Resurrectione circa medium.

Oberrare. Gentiles enim existimabant nondum humatorum corporum animas in terris oberrare, donec sepulcro mandarentur mortuorum reliquiæ. — *Animas circa tumulos... oberrare.* Ammianus Marcell. l. XIX, c. 12: *Si qui per monumentum transisse vespere malivolorum argueretur indiciis, ut veneficus, sepulcrorumque honores et* errantium *ibidem animarum ludibria colligens vana, pronuntiatus reus capite interibat.* Habent a Platone, ad quem provocat Origenes contra Cels. l. II, p. 97, ubi vide Spencerum, et lib. VII, p. 334. BUN.

Si quis imaginem. Senec. ep. 40, pr. *Si imagines nobis amicorum absentium jucundæ sunt, quæ memoriam renovant, et desiderium absentiæ falso atque inani solatio levant: quanto jucundiores sunt litteræ, quæ vera amici absentis vestigia, veras notas afferunt.* BUN.

Ut ex ea. Mss. 20, *et ex ea.*

Et tamen hominis imago. Mss. Angl. et Lips. cum Rom. *Et tamen:* non quod alii, *et enim.* CELL.

Diffusum. Sic et Virgilius: *Jove plena sunt omnia.*

Inanis sit et vana. Mss. C. C. C. Emman., Cant., Cauc., Junt., Sublac., Rost., Ven. 1471, 72, utraque 78, 93, 97, Pier., Parrhas., Paris., Crat., *inanis sit et vacua.* Sic variant quoque l. VII, c. 6. Nihil tamen muto. Vid. l. II, c. 1, c. 3, c. 17; lib. III, c. 4, ubi quoque *inanis et vanus* junguntur. BUN.

Sensibile. Id est, quod sensu non careat. FRANCIUS.

Quæ nec sentiunt. Ita reposuimus ex ed. Soubr., Torn. et Thys. ac omnibus mss. præter Christ. et Ald. edit. in quibus est, *quæ nihil sentiunt.*

Homo. Qui scilicet ad imaginem Dei creatus est. Genes. I, vers. 26. Sed *quanto quisque major est*, ait Cicero de Officiis, lib. I, *tanto se submissius gerat.* Vide et S. Augustin. lib. XII de Civit. Dei, cap. 23.

Adoratura hominem fuissent, a quo. Sic restituimus ex cunctis pene mss. quod sequentibus magis respondet, quam lectio 2 Reg. rec. et edit., in quibus est, *adoratura homines fuissent, a quibus.* In 2 Bonon. est, *hominem fuissent, quo;* in 1 Colb., *ex quo.*

Suspicit. Ita emendavimus ex vetustissimis et optimis mss. 2 Reg., 2 Bonon., 3 Colb., Tornes., Goth., 1 Clarom. et pluribus editis. In aliis est, *suscipit.*

Digitized by Google

dunt; et cum hæc tantopere suspiciant, fabros, qui illa A
fecere, contemnunt. Quid inter se tam contrarium,
quam statuarium despicere, statuam adorare, et eum
ne in convictum quidem admittere, qui tibi deos fa-
ciat? Quam ergo vim, quam potestatem habere pos-
sunt, cum ipse, qui fecit illa, non habeat? Sed ne
hæc quidem dare his potuit, quæ habebat, videre,
audire, loqui, moveri. Quisquamne igitur tam inep-
tus est, ut putet aliquid esse in simulacro dei, in quo
ne hominis quidem quidquam est præter umbram?
Sed hæc nemo considerat; infecti sunt enim persua-
sione, ac mentes eorum penitus fucum stultitiæ perbi-
berunt. Adorant ergo insensibilia, qui sentiunt; irra-
tionabilia, qui sapiunt; exanima, qui vivunt; terrena,
qui oriuntur e cœlo. Juvat ergo, velut in aliqua su-
blimi specula constitutum, unde universi exaudire B
possint, Persianum illud proclamare,

O curvæ in terras animæ, et cœlestium inanes!

Cœlum potius intuemini, ad cujus spectaculum vos
excitavit ille artifex vester Deus. Ille vobis sublimem
vultum dedit; vos in terram curvamini: vos altas
mentes, et ad parentem suum cum corporibus suis
erectas, ad inferiora deprimitis, tamquam vos pœni-
teat non quadrupedes esse natos. Fas non est cœ-
leste animal cum terrenis, in terramque vergentibus
coæquari. Quid vos beneficiis cœlestibus orbatis,
pronique in humum vestra sponte procumbitis? Humi
enim miseri volutamini, cum deorsum quæritis
quod in sublimi quærere debuistis. Nam ista morta-
lium digitorum ludicra et fragilia figmenta, ex quo-
libet materiæ genere formata, quid aliud sunt, nisi
terra, ex qua nata sunt? Quid ergo rebus inferiori-
bus subjacetis? quid capitibus vestris terram super-
ponitis? Cum enim vos terræ submittitis, humilio-
resque facitis, ipsi vos ultro ad inferos mergitis, ad
mortemque damnatis, quia nihil terra inferius et
humilius, nisi mors et inferi. Quæ si effugere velle-
tis, subjectam pedibus vestris terram contemneretis,
corporis statu salvo: quod idcirco rectum accepis-
tis, quo oculos atque mentem cum eo, qui fecit, con-
ferre possitis. Contemnere autem et calcare terram,
nihil aliud est quam simulacra non adorare, quia de
terra ficta sunt, item divitias non concupiscere, vo-
luptates corporis spernere, quia opes et corpus ip-
sum, cujus hospitio utimur, terra est. Vivum colite,
ut vivatis; moriatur enim necesse est, qui se suam-
que animam mortuis adjudicavit.

VARIORUM NOTÆ.

Illis stipem jaciunt. Stipes, Festo teste, est nummus signatus: cujus rei etiam indicio est, quod pecunia, quæ militibus datur, stipendium dicitur; et sponsio pecuniarum, stipulatio. HOSPINIANUS.

Fucum stultitiæ perbiberunt. Sic legunt tres vetus-
tissimi et optimi mss. Reg. Cauc., Oxonienses, 1 Col-
bert., 1 Sorbon., 1 Clarom., Gat., et edd. Ald., Fa-
sitel., Thom., Is., Spark. et Walch., necnon Bonon.
antiq. in quo, *perviderunt*; in Marm., *perhiberunt*,
vitiose *h* pro *b*. In 18 mss. recentioribus est *succum*,
sed in octo *perhiberunt*. Prima lectio retineri potest,
inquit Gallæus, ut translatio a coloribus sit petita;
panni enim fuco infici recte dicuntur, ut constat ex
versibus illis apud Gellium, lib. xx, cap. 8:

Jam sensiles tapetes ebrii fuco,
Quos concha purpura imbuens venenavit;

quæ lectio magis placebat Antonio Augustino Ilerdæ
episcopo. Magis tamen probarem aliam lectionem
succum stultitiæ; quæ lectio melius convenit cum
verbo *perbiberunt*. Verum hæc posterior probatur Mi-
chaeli Thomasio in notis ad hunc locum. — *Succum
stultitiæ perbiberunt.* Habent *succum* alter Bon., non-
nulli Vaticani., Tax., Pen., Jun., Emman., Ven. D
1493, 97, Paris., Gymn., Parrh., Crat., Betul., Torn.
et præferunt Thom., Gall., Cell., Walch., quia con-
venit cum *perbibendi* verbo. Sane sic sæpe Ovid. I. 13
Metamorph., 944: *Vix bene combiberant ignotos gut-
tura succos.* L. IV Pont. 4, *i, bibe succos.* De Arte,
XXXI, 187: *Lana tot aut plures succos bibit.* De Re-
med. 237, *Sæpe bibi succos*; v. 308, *succos bibas.*
Mss. Bonon. antiquiss., Reimm., Lips., Goth., Cauc.,
Cant., Ald. Gryph. *fucum* exhibent, quæ vox placet
Ant. *Augustino* Ilerd. episc. Is. Heumanno, *ut sit
translatio a coloribus, quibus panni inficiuntur.* Diver-
sis locis Heinsius ad Ovid. monuit, *succus et fucus* in
mss. confundi solere. BUN.

In... sublimi specula constitutum. Expressit Cy-
prian. ad Donatum, ed. Oxon. fol. 6: *O si possis in
illa sublimi specula* (male Basil. *speculo*) *constitutus
oculos tuos inserere secretis.* BUN.

Persianum. Scilicet Satyra II. Utitur Lactantius
Gentilium scriptorum testimoniis contra Gentes. Sic
et S. Augustinus, lib. IV de Civit. Dei, cap. 30, utitur
Varronis auctoritate. Vide Tertullianum in Apologe-
tico, cap. 11; et Arnobium lib. VI. Sed loco hujus C
carminis, *O curvæ*, etc., legitur in quibusdam ma-
nuscriptis et editis,

O curas hominum! o quantum est in rebus inane!

Hoc tamen in Persio nusquam legitur.

Artifex vester Deus. Sic legunt antiquiss. mss. Bon.,
Lips., Pal., Ultr., Jun., 2 Brun. et tres Vaticani.
Probo rationem Thomasii, qui sic legendum asserit,
eo quod primum locutus fuisset de Simulacris, quo-
rum artifex est homo; nunc loquens ad homines de
Deo, recte eum vestrum artificem appellat.

Ad parentem suum. Ita reposui ex vet. edit. Rom.
et omnibus prope mss. In 4 rec. et in vulgatis est,
ad patrem suum. — *Ad parentem suum.* Sic Bon.,
Tax., Pen., Angl., Rost., Ven. 1471, 72, utraque
78, et in marg. Torues. 1587, 1613, recte. Lib. II,
cap. 17: *Colamus... solius* artificis parentisque nos-
tri *unicum numen*; lib. II, cap. 18. *Quem suus parens
non humilem... sed... rectum... agnoverit.* BUNEMAN.

In terramque vergentibus coæquari. Sic lego cum
mss. veterrimis 1 Bonon., 4 Reg., Cauc., 5 Va-
tic., 11 aliis, et editis quinque. At 2 Reg., 1
Colb., 1 Clarom., *adæquari*; cæteri vulgati cum
mss. rec. octo, *versari*. Quam lectionem non ita
probo, eo quod nullus non versetur cum terrenis:
recte, dicit Thomasius, illi dicuntur cum bestiis
coæquari, qui Deum ignorant, et terrenas res tan-
tum appetunt. — *Cum terrenis... coæquari.* Confirmo
ex lib. de Ira, cap. 7: *Nec., rationale animal* cum
mutis et irrationabilibus coæquavit. Conf. lib. V, cap.
14. BUNEMAN.

Orbatis. Ita restitui ex antiquissimis mss. 1 Bo-
non. et 2 Reg. itemque ex 15 aliis et ed. Is. At 12
scripti rec. et vulgati habent, *orbati.*

Possitis. Sic reposui ex vetustioribus et potioribus
mss. Regio-Put. utroque Bononiensi, Tax. aliisque.
In 12 rec. et in vulgatis est, *posselis.*

Mortuis. Scilicet simulacris.

Digitized by Google

CAPUT III.

Quod Cicero aliique doctiores peccaverunt, non avertendo populos ab errore.

Sed quid prodest ad vulgus et ad homines imperitos hoc modo concionari? cum videamus etiam doctos et prudentes viros, cum religionum intelligant vanitatem, nihilominus tamen in iis ipsis, quæ damnant, colendis nescio qua pravitate perstare. Intelligebat Cicero falsa esse, quæ homines adorarent. Nam cum multa dixisset quæ ad eversionem religionum valerent, ait tamen non esse illa vulgo disputanda, ne susceptas publice religiones disputatio talis extinguat. Quid de eo facias, qui, cum errare se sentiat, ultro ipse in lapides impingat, ut populus omnis offendat? ipse sibi oculos eruat, ut omnes cæci sint? qui nec de aliis bene mereatur, quos patitur errare; nec de se ipso, qui alienis accedit erroribus, nec utitur tandem sapientiæ suæ bono, ut factis impleat, quod mente percepit, sed prudens et sciens pedem laqueo inserit, ut simul cum cæteris, quos liberare ut prudentior debuit, et ipse capiatur? Quin potius, si quid tibi, Cicero, virtutis est, experire populum facere sapientem : digna res est, ubi omnes eloquentiæ tuæ vires exerceas. Non enim verendum est ne te in tam bona causa deficiat oratio, qui sæpe etiam malas copiose ac fortiter defendisti. Sed nimirum Socratis carcerem times, ideoque patrocinium veritatis suscipere non audes. At mortem ut sapiens contemnere debuisti. Et erat quidem multo pulchrius, ut ob bene dicta potius, quam ob maledicta morereris. Nec plus tibi laudes Philippicæ afferre potuerunt, quam discussus error humani generis, et mentes hominum ad sanitatem tua disputatione revocatæ.

Sed concedamus timiditati, quæ in sapiente esse non debet. Quid ergo ipse in eodem versaris errore? Video te terrena et manufacta venerari : vana esse intelligis, et tamen eadem facis quæ faciunt ipsi, quos ipse stultissimos confiteris. Quid igitur profuit vidisse te veritatem, quam nec defensurus esses, nec secuturus? Si libenter errant etiam ii qui errare se sentiunt, quanto magis vulgus indoctum, quod pompis inanibus gaudet, animisque puerilibus spectat omnia? oblectatur frivolis, et specie simulacrorum capitur, nec ponderare secum unamquamque rem potest, ut intelligat nihil colendum esse quod oculis mortalibus cernitur, quia mortale sit necesse est. Nec mirandum est, si Deum non videant, cum ipsi ne hominem quidem videant, quem videre se credunt. Hoc enim quod oculis subjectum est, non

VARIORUM NOTÆ.

Cicero. Scilicet in eximiis de Natura deorum libris.

Ait tamen non esse illa. Ait in libro quodam deperdito. In Ciceronianis enim hodie non extat. CELL.

Quid de eo facias. Ita lego cum melioribus et antiquioribus mss. 6 Reg., 4 Colb., Lipsiensibus, Goth., Em., Brun. In 8 rec., et in vulgatis est, *Quid ei facies.—Quid de eo facies.* Præstat, inquit Cell. vulgato, *ei*. Est ei in Lips., Bon., Reimm., Sublac., Ven. 1471, 97, Rost., Paris., reliquis, nec contra indolem Cic. et Lactantii. Hic lib. III, cap. 18 : *Quid Ciceroni faciemus?* Cap. 20 : *Quid his facias, qui inconcessa scrutari volunt?* Lib. V, cap. 12 : *Quid iis facias, qui jus vocant carnificinas?* Cicero pro Cœcina, cap. 11, pr. *Quid huic tu homini facias?* BUNEMAN.

Ultro se ipse in lapides impingat. Recte duo Lips. illud *se*, vulgo neglectum, interponunt, quod indoles verbi *impingendi* reposcit. BUNEMAN.

Oculos eruat. De Opif. cap. 8 *Erutis et effossis oculis.* Probata locutio. Senec. cap. 7. Suas. *Eruentur oculi tui.* Filius Sen. de Provid. 5. Justin. lib. V. cap. 8. BUNEMAN.

Prudens et sciens pedem laqueo inserit. Ven. 1497. vitiose, *prudens et sciens*. Pari elegantia lib. VI, cap. 12 : *Prudens ac sciens in hos se laqueos induit.* Cic. pro Marcello 5 : *Ut prudens et sciens tamquam ad interitum voluntarium.* Ubi Abramus plura. BUNEMAN.

Vires exerceas. Goth. Reimm. cum Sublac. Rost. Ven. 1471, 72, utraque 78, et reliquis, *exeras*, id est, *exseras*, ut Arnob. lib. I, pag. 11 : *Intestinas exserant experianturque virtutes.* At præstat, *exerceas*, quod quoque expressit ed. Paris. 1513. Ita solet noster lib. III, cap. 16 : *Sapientia, quo* vim *suam* exerceat; lib. VII, cap. 4 : Vim *suæ rationis* exerceat. BUNEMAN.

Ne te in tam bona causa deficiat oratio. Locutio Ciceroniana, quæ est optimorum mss. et editorum multorum. Scripti 8. rec. et quinque impressi habent *tibi*.

Sed nimirum Socratis carcerem times. Hic Ciceronem exagitat Lactantius, quod veritatem, ne mortis periculum adiret, noluerit Romanis declarare. Val. Max., Xenophon et Diogenes Laertius referunt, quam forti animo Socrates ab Atheniensibus damnatus, potionem veneni e manu carnificis acceperit. Hanc historiam refert Plato in Phæd.

Et erat quidem multo pulchrius. Sic legendum est ex antiquo codice Bonon. cum quo 6 Reg., 6 Colb., quinque Vaticani, 2 Clarom. et Brun. concordant. Et sane nisi copula illa, et, addatur, nulla potest constare sententia. THOMASIUS. — Sic etiam habent Cauc., Lips., Pal., Jun. Sic legit Is., Thysiana editio, et antiquiss. an. 1490, ut et Betuleiana. In 12 mss. deest *quidem*.

Philippicæ. Novem in M. Antonium Cicero scripserat invectivas, quibus, ad imitationem Demosthenis, Philippicarum titulum fecit. Atque hæ orationes in causa fuerunt, cur ab Augusto Antonius mortem Ciceronis exoraverit.

Revocatæ. Sic omnino recte mss. et Parrh., Ald., Crat., Gymn., Gryph., Betul., primæ Tornesianæ, Thomasius et sequentes, ut cohæreant, *discussus.... et... revocatæ*. Eleganter vero dictum *mentes ad sanitatem revocatæ*, id est, saniora, rectiora consilia. Sic Hirtius B. Alex. cap. 24 : *Cives ad sanitatem revocare.* BUNEMAN.

Hoc enim quod oculis subjectum est, etc. Hic Platonem sequitur Lactantius : Plato siquidem, in Alcibiade hominis essentiam posuit in anima intellectiva. Attamen corpus non est tantum instrumentum; verum est de essentia ipsius hominis, qui duabus constat partibus, corpore scilicet atque anima intellectiva : sed Lactantius denominationem facit a potiori et digniori parte; anima enim est potissima pars hominis, et ex illa elucent præcipuæ hominis dignitates. Qui plura volet, consulat Isæum in notis ad Lactantium. Has addidimus ad finem hujus voluminis.

Digitized by Google

homo, sed hominis receptaculum est; cujus qualitas et figura, non ex lineamentis vasculi quo continetur, sed ex factis et moribus pervidetur. Qui ergo colunt simulacra, corpora sunt hominibus carentia, quia se corporalibus dediderunt, nec vident plus aliquid mente quam corpore; cum sit animi officium ea subtilius cernere, quæ acies corporalis non potest intueri. Quos homines idem ille philosophus ac poeta graviter accusat, tamquam humiles et abjectos, qui contra naturæ suæ rationem ad veneranda terrena se prosternant: ait enim (*Lucret., lib.* VI *de Natura rerum, v.* 51):

Et faciunt animos humiles formidine divum,
Depressosque premunt ad terram.

Aliud quidem ille, cum hæc diceret, sentiebat; nihil utique esse colendum, quia dii humana non curent.

Denique alio loco religiones deorum et cultus inane esse officium confitetur (*Idem*, lib. v, ad finem):

Nec pietas ulla est, velatum sæpe videri
Vertere se ad lapidem, atque omnes accedere ad aras,
Et procumbere humi prostratum, et pandere palmas
Ante deum delubra, nec aras sanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota.

Quæ profecto si cassa sunt, non oportet sublimes et excelsos animos avocari, atque in terram premi, sed nihil aliud quam cœlestia cogitare.

Impugnatæ sunt ergo a prudentioribus falsæ religiones, quia sentiebant esse falsas: sed non est inducta vera, quia qualis, aut ubi esset, ignorabant. Itaque sic habuerunt, tanquam nulla esset omnino, quia veram non poterant invenire. Et eo modo inciderunt in errorem multo majorem quam illi qui falsam tenebant. Nam isti fragilium cultores, quamvis sint inepti, quia cœlestia constituunt in rebus corruptibilibus atque terrenis, aliquid tamen sapientiæ retinent, et habere veniam possunt, quia summum hominis officium, etsi non reipsa, tamen proposito tenent: siquidem hominum atque mutorum, vel solum, vel certe maximum in religione discrimen est. Hi vero quanto fuerunt sapientiores, quod intellexerunt falsæ religionis errorem, tanto facti sunt stultiores, quod esse aliquam veram non putaverunt. Itaque quoniam facilius est de alienis judicare, quam de suis; dum aliorum præcipitium vident, non prospexerunt quid ante suos pedes esset. In utraque igitur parte, et summa stultitia invenitur, et odor quidam sapientiæ: ut possis dubitare, quos dicas potissimum stultiores, illosne qui falsam religionem suscipiunt,

VARIORUM NOTÆ.

Non homo. De hoc vide supra cap. 1, col. 255, nota.....

Corpora sunt hominibus carentia. Sic legendum est *hominibus* ex mss. 2 Bonon., 9 Reg., 3 Vatic., 5 Colb., Cauc., Tax., Pal., Pen., 1 Sorbon., Lips., Ultr., 1 Clarom., Em., Cantab., Brun. et ex pluribus editis; quæ vox idem sonat quod *animabus* in hac Platonicorum sententia. In 4 mss. rec. et nonnullis editis est *animabus;* sed legendum *hominibus*, quod est multo elegantius juxta Thomasium; hominis enim essentiam et rationem in anima statuit Plato.—*Corpora... hominibus carentia.* Lactantius audiatur de Opif. c. 1: *Corpus vas est... quo animus, id est* homo ipse verus *continetur.* Ibid. cap. 19: *Corpusculum...* hominis *receptaculum est*, lib. v, cap. 21: *Animus, in quo solo est homo*, etc. BUNEMAN.

Dediderunt. Ita restitui ex edit. Is. et cunctis fere mss. In 2 Colbert., Cauc., Cantab. et in vulgatis est *dederunt.*

Acies corporalis. Lib. VII, cap. 13. *Quum mentis* acies *multo clarior... quam corporis.* Aciem de oculis dici frustra quidam negant. Ipse Cicero lib. v Fin., cap. 28: *Bonum incolumis* acies, *misera cæcitas.* BUNEMAN.

Velatum. Ms. 1 Bonon. antiq., *vulgatum.* Sed vera prior lectio; qui enim deos venerabantur, velato erant capite. Vide Plutarchum, ἐν Ῥωμαικοῖς; Plaut., Amphitr.; Virgil., lib. III Æneid., v. 545.

Vertere se ad lapidem. Sic lego cum veteribus editis Rom., Torn.; Soubron., ac omnibus mss. præter rec. Em., Cantab. et edit. 14, in quibus est, *vertier ad lapidem*, ut legitur apud Lucretium.—*Vertier ad lapidem.* Sic libri Lucretiani, atque Lucretio illud *vertier*, libro I, pag. et l. 2, 926, quoque usitatum. Præferenda igitur hæc Aldi, Crat., Gymn., Griph., Botul., Rost., Paris., Parrhas., Tornes. *vertere, se.* BUN.

Et procumbere. Sic mss. et edit. Rom., Crat., et Torn. In vulgatis, *nec procumbere.*

Avocari. Ita correxi ex cunctis ferme mss. et vet. editis. In 2 mss. rec. et editis, *advocari;* in Brun., *evocari.*—*Avocari.* Confirmamus ex ipso Lactantio, l. VI, c. 6: *Ut a cœlestibus* avocatum *terrenisque demersum... interficiant;* infra: *Neque fas est* animam *cœlestibus intentam bonis... ab immortalibus suis bonis* avocari. BUNEMAN.

Et eo modo. Sic legendum esse cum *Thomasio* censeo ex Bonon., Ultr., 2 Brun., aliisque mss., ut sensus sit, refutatis falsis religionibus et nulla certa constituta, eo tamquam modo et via quadam inductos esse reprehensores religionum, ut nullam esse diceret, qui error gravior fuit quam eorum qui falsam sectabantur. *Eodem* autem *modo*, ut in 8 editis et impressis est, legi nullo modo potest; quia non eodem modo, neque eisdem rationibus aliquis efficitur contemptor religionum, vel sectator falsæ religionis, sed contrario modo, et plane repugnantibus rationibus. GALLÆUS.

Siquidem hominum atque mutorum, crimen est..... Vide infra hoc eodem libro, c. 9, lib. III, c. 10; lib. de Ira Dei, c. 7. Hæc opinio a Pythagora in sua Metempsycosi manasse creditur: quam et Plato habuit, et de qua Plutarchus scribit, v Placitor., c. 20. Subit mirari Basilium in Homil. de Paradiso dicentem, bruta omnia fuisse inter se ante Adami lapsum concorditer viventia, quæque audirent inter se, et mutuo loquerentur sensate. Sed contra disserit S. August., lib. II de Genesi ad litteram, c. 29. Denique soli homini rationem tributam esse docet Spiritus sanctus Psalm. XXXI: *Sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* et Psal. XLIV: *Comparatus est jumentis insipientibus.* Quod et ipse Lactantius asseruit libro de Ira Dei, cap. 7 et 13, et de Opificio Dei, cap. 2 et 3. Eam hæresim de brutis ratione participibus Philastrius tribuit Gnosticis et Manichæis. ISÆUS.

Facilius est de alienis. Respexit ad Terentii locum adductum a Lactantio, l. III, c. 4; Senec., ep. 109: *Homines plus in alieno negotio videre, quam in suo*: Cic., lib. III Tuscul., c. 30: *Proprium est stultitiæ aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.* BUNEMAN.

Odor quidam sapientiæ. Id est, vestigium quoddam sapientiæ.—*Odor quidam sapientiæ.* Admodum amat hanc elegantem locutionem, lib. VI, cap. 12, *Quasi* odore *quodam veritatis retenti.* Ibid. c. 22: *Quem nec* odor *quidem virtutis attigerit.* Lib. VII, cap. 1: *Philosophi veritatem ita leviter* odoratos, *ut tamen unde eos*

Digitized by Google

an eos qui nullam. Sed (ut dixi) venia concedi potest imperitis, et qui se sapientes non esse fateantur: his vero non potest qui, sapientiam professi, stultitiam potius exhibent. Non sum equidem tam iniquus, ut eos putem divinare potuisse, ut veritatem per seipsos invenirent; quod fieri ego non posse confiteor. Sed hoc ab his exigo, quod ratione ipsa præstare potuerunt. Facerent enim prudentius, si et intelligerent esse aliquam veram religionem, et falsis impugnatis, aperte pronuntiarent, eam, quæ vera esset, ab hominibus non teneri.

Sed moverit eos fortasse illud, quod si qua vera esset religio, exereret se ac vindicaret, nec pateretur esse aliud quidquam. Videre enim nullo modo poterant, quare, aut a quo, et quemadmodum Religio vera opprimeretur; quod est divini sacramenti, et cœlestis arcani. Id vero, nisi doceatur, aliquis scire nullo pacto potest. Summa rei hæc est: imperiti et insipientes falsas religiones pro veris habent, quia neque veram sciunt, neque falsam intelligunt. Prudentiores vero, quia veram nesciunt, aut in iis, quas falsas esse intelligunt, perseverant, ut aliquid tenere videantur, aut omnino nihil colunt, ne incidant in errorem, cum id ipsum maximi sit erroris vitam pecudum sub figura hominis imitari. Falsum vero intelligere, est quidem sapientiæ, sed humanæ. Ultra hunc gradum procedi ab homine non potest; itaque multi philosophorum religiones (ut docui) sustulerunt: verum autem scire divinæ est sapientiæ. Homo autem per seipsum pervenire ad hanc scientiam non potest, nisi doceatur a Deo. Ita philosophi quod summum fuit humanæ sapientiæ assecuti sunt, ut intelligerent quid non sit: illud assequi nequiverunt, ut dicerent quid sit. Nota Ciceronis vox est (*Lib.* I *de Natura deorum*): « Utinam tam facile vera invenire possem, quam falsa convincere. » Quod quia vires humanæ conditionis excedit, ejus officii facultas nobis est attributa, quibus tradidit Deus scientiam veritatis; cui explicandæ quatuor posteriores libri servient. Nunc interim falsa, ut cœpimus, detegamus.

CAPUT. IV.

De Simulacris, ornamentisque templorum, et eorum contemptu, etiam ab ipsis Gentilibus.

Quid igitur majestatis possunt habere simulacra, quæ fuerunt in homunculi potestate, vel ut aliud fierent, vel ut omnino non fierent? Idcirco apud Horatium Priapus ita loquitur:

> Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum;
> Cum faber incertus, scamnum faceretne Priapum,
> Maluit esse deum. Deus inde ego, furum aviumque
> Maxima formido.

Quis non sit tanto hoc custode securus? Fures enim tam stulti sunt, ut Priapi tentiginem timeant; cum aves ipsæ, quas terrore falcis aut inguinis abigi existimant, simulacris fabrefactis, id est, hominum plane similibus, insidant, nidificent, inquinent. Sed Flaccus, ut satyrici carminis scriptor, derisit hominum vanitatem. Verum ii qui faciunt, seriam se facere rem opinantur. Denique poeta maximus, homo in cæteris prudens, in hoc solo non poetice, sed aniliter desipuit; cum in illis emendatissimis libris etiam fieri hoc jubet:

VARIORUM NOTÆ.

odor *ille sapientiæ tam suavis, tam jucundus* afflaret, *nullo modo senserint.* BUNEMAN.

Concedi potest. Ita reposuimus ex omnibus prope mss. et nonnullis editis. Cæteri vulgati et duo mss. rec., *posset.*

Et qui se sapientes non esse fateantur. Sic legendum ex utroque Bononiensi, Regiis, Cauc., Tax., Lips., Pal. et editis Isæ., Thys., Gall., Spark., Cellar., ac negatio ponenda est ante *esse*, non immediate ante *fateantur*, sicut in nonnullis mss. et editis.

Potuisse. Ita restitui ex cunctis pene mss. et veteribus editis bene multis. In 7 scriptis totidemque editis rec., *debuisse.*

Ratione. Idem etiam docet Apostol., Epist. ad Roman., c. 1, v. 19, 20, 21, etc.

Esse aliquam veram religionem. Veram reposui ex 27 mss. veteribusque editis, tribus Romanis, Venet. 1490, Betul., Torn., Soubron., quibus deest *religionem*: quam vocem (absque *veram*) habent mss. 2 Bonon., Cauc., Rostoch., Jun., edit. Thom., Is., Thys., Gall., Spark. Utramque habent mss. Vatican. et Ultr., cum editis Ald., Fasit., Graph., Crat., Gymnic., Cellar., Walch. Et inducendam esse dictionem *veram* contendit Thomasius; quia etsi veram religionem ignorarent, tamen aliquam esse religionem intelligere potuerunt: ad hoc enim demonstrandum longa deinceps oratione utitur Lactantius.

Sacramenti. Id est mysterii. Aut intelligit sacras christianæ religionis cærimonias, aut æternæ sapientiæ mysterium, de qua Paulus I ad Corinth., cap. II, vers. 7.

Id vero, nisi doceatur, etc. Adversus Socinianos militat hæc sententia, estque Apostolo conformis I Cor., II, v. 14.

Ultra hunc gradum. Quia neque caro, neque sanguis potest Christum revelare, sed Pater qui in cœlis est.

Quid non sit... quam quid sit. Ex Cic., lib de Nat. deor., cap. 21., fin. *Quid non sit citius, quam quid sit, dixerim.* BUNEMAN.

Quid igitur majestatis possunt, etc. Vide de his disserentem in notis Isæum, et ipsummet Lactantium, lib. de Ira Dei, cap. 16, ubi ait eos, quibus persuasum est Deo placere justitiam, venerari eum precibus assiduis, et frequentibus votis, ei dona et sacrificia offerre, justis denique operibus eum demereri.

Ficulnus. Ficulnus proverbiali figura significat inutile et fragile. Ficulnus lignum omnino contemptibile et fragile. Cæterum hujusmodi figuras Priaporum in Gazophylacia sua retulerunt eruditi, quas etiam irriserunt poetæ veteres, ut videre est in antiquo libello, cui titulus est *Priapeia*, sive diversorum poetarum *in Priapum Lusus.*

Quis non sit, etc. Non est hemistichium horatianum, ut in quibusdam impressis existimatum apparet, sed prosa ipsius Lactantii ironice loquentis. Isæus.

Tentiginem. Prurigo veneris est, quo verbo et Virgilius et Horatius utuntur.

Insidant. Sic lego cum antiquioribus et potioribus mss. Reg., Bonon., 4 Colb. aliisque: in 4 Reg., 1 Colb., 1 Clarom. et omnibus fere editis, *insideant*; in aliis 3 Reg., 1 Colb., 1 Clarom., *insidiant*, prave.

In hoc solo. Ita restitui ex omnibus mss. et vet. edit. Rom. Vulgati habent *solum*; 1 Clarom., *solummodo.*

Digitized by Google

Et custos furum atque avium, cum falce saligna,
Hellespontiaci servet tutela Priapi.

Adorant ergo mortalia, ut a mortalibus facta. Frangi enim, cremari, perire possunt. Nam et tectis vetustate labentibus sæpe comminui solent, et consumpta incendio dilabuntur in cinerem, et plerumque (nisi sua illis magnitudo subvenerit, aut custodia diligens sepserit) in prædam furibus cedunt. Quæ igitur insania est, ea timere, pro quibus aut ruinæ, aut ignes, aut furta timeantur? Quæ vanitas, aliquam ab his sperare tutelam, quæ tueri semetipsa non possunt? Quæ perversitas, ad eorum præsidia decurrere, quæ ipsa, cum violantur, inulta sunt, nisi a colentibus A vindicentur? Ubi ergo veritas est? ubi nulla vis adhiberi potest Religioni; ubi nihil, quod violari possit, apparet; ubi sacrilegium fieri non potest.

Quidquid autem oculis manibusque subjectum est, id vero, quia fragile est, ab omni ratione immortalitatis est alienum. Frustra igitur homines auro, ebore, gemmis deos excolunt et exornant; quasi vero ex his rebus ullam possint capere voluptatem. Quis usus est pretiosorum munerum nihil sentientibus? an ille qui mortuis? Pari enim ratione defunctorum corpora, odoribus ac pretiosis vestibus illita et convoluta, humi condunt, qua deos honorant, qui neque cum fierent, sentiebant, neque cum coluntur, sciunt; nec

VARIORUM NOTÆ.

Et custos. Carmina sunt Virgilii in IV Georgicor.

Hellespontiaci. Priapus colebatur apud Lampsacum, quæ Straboni urbs insignis est Hellesponti; unde Priapus et Lampsacenus, et Hellespontiacus dictus est. De quo vide Ovidium lib. VI Fastorum, et Lactantium cap. 21 libri I.

Tutela. Emmenessio ad h. l. Virgilii, *tutela* est *imago*. Sed num ea vox præter insigne navale, ut Lact. lib. I, c. 11, dictum, id valeat dubito. Est igitur hic proprie *defensio*, ut ex infra hic apparet, ubi: *Quæ vanitas ab his sperare* tutelam, *quæ tueri semetipsa non possunt?* Arnob. l. II, p. 89: *Dii certi certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates*, etc. Bun.

Cremari, perire possunt. Sic cum editis Gymnic., Tornes., Soubr., Cellar., omnes mss. rotundius, quam duo rec. Reg. et cæteri editi, *cremari possunt ac perire*; in edit. Betul. est, *cremari, perire possent.*

Ea timere, pro quibus, etc. Non inconcinne notat Gallæus post Gronovium, rectius fore si deleatur vocula *pro*, et legatur, *ea timere quibus aut ruinæ, aut ignes, aut furta timeantur.* Sic apud Silium Ital. —

Extrema simul gentique urbique timebant.

Quibus ..... timeantur. Cæteri scripti et editi, *pro quibus*, uti Celsus l. III, c. 11, *pro quibus metuimus.* Bunem an.

Sperare. Ita cum Cellario et Walchio lego ex omnibus mss. et edit. Paris. 1525, Crat., Gymnic., Torn., Soubr., Cellar., Walch. In edit. Rom. 1470, Fasitel., Egnat., Thom., Is., Thys., Spark., *spectare*; nec male. *Spectare*, pro *expectare*, forsan genuina Lactantii lectio, qui frequenter verbis simplicibus utitur pro compositis, ut observo alias. — *Sperare tutelam.* Imitatur Cyprianum ad Demetrian. fol. 328: *Pudeat te, eos colere, quos ipse defendis, pudeat* tutelam *de iis* sperare, *quos tu ipse tueris.* Sæpe *sperare, spectare, expectare* in mss. confundi docui ad Epitom., cap. 64: *Ab his aliquod* sperare *præsidium.* Ad rem Conf. Lact. L. V. cap. 20. et Justin. Mart. Apol. 1 sect. 9, fin. et not. Grabii. Bun.

Quæ tueri semetipsa non possunt. Sic mss. antiquiores et meliores cum omnibus editis. Scripti recentiores 2 Regii, 4 Colbert., Em., Brun., *quæ tueri se nullo modo possunt.*

Ad ..... præsidia decurrere. Ut *succurrere*, est opem ferre, sic *decurrere ad præsidia*, est opem, auxilium implorare. L. II, c. 14, l. VI, c. 10, jungit: *ad alios decurrisse, præsidium implorasse.* Bun.

Excoluni et exornant. Unum alterum explicat. Vid. not. 6. cap. 13, ubi bis, *simulacra excolere.* Sic Cyprianus l. II, ep. 2 ad Donatum: *Quum scieris te esse* excolendum *magis, te potius ornandum.* Bun.

Pari enim ratione defunctorum corpora odoribus, etc. Uncturam mortuorum in usu fuisse etiam apud B paganos patet ex Plinio Secund. lib. V, Epist. 16: *Non possum exprimere verbis quantum animi vulnus acceperim, cum audivi Fundinum ipsum præcipientem, quod in vestes, margaritas, et gemmas fuerat irrogaturus, hoc in thura, et unguenta, et odores impenderetur,* Ex Ovid. IV Fast.:

Osculaque applicuit posito suprema feretro,
Atque ait: invito frater adempte, vale.
Arsurosque artus unxit.

et Apuleio Apol.: *Et si thus, et casiam, et myrrham, cæterosque id genus odores funeri tantum emptos arbitreris, cum et medicamento parentur et sacrificio.* Hic mos est antiquissimus, et ab Ægyptiis originem traxisse videtur. Sic enim Genes. c. ult: *Præcepit* (Joseph) *servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem.* Vide etiam versum ultimum hujusce capitis. Quomodo autem hæc fierent, narrant Herodotus lib. II, et C Diod. Sicul. Bib. Hist. lib. II, cap. 5. Apud Judæos etiam hunc morem obtinuisse constat ex Matthæi XXVI, vers. 10, etc., deinde ad Christianos pervenit. Tertull. de Idololatr.: *Etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia sepulturæ usui sunt;* item Apol. c. 42. Nec solummodo ungi, verum etiam lavari solebant corpora mortuorum: hinc Virgil. Æneid. VI:

Corpusque lavant frigentis et ungunt.

Hic abluendi ritus etiam in primitiva Ecclesia obtinuit, ut constat ex Actorum cap. IX, v. 37, ubi legitur, Tabitham vita functam confestim lotam fuisse. *Ex* Kirchmanno.—Et hic mos etiamnum perseverat, non modo in omnibus fere monachorum ac monialium cœnobiis, sed et vulgo in nonnullis provinciis ac diœcesibus, ut in Abrincensi, in Vascitania et in Benearno erga mortuos laïcos. De his plura disseruimus in Itinerario nostro liturgico, gallice edito, Parisiis D anno 1718. Ita Joannes le Brun.

Ac pretiosis vestibus. Vestibus etiam mortuorum corpora induebant pagani. Quem morem salse deridet Lucianus de *luctu*, alludens ad veterum superstitionem existimantium mortuos in inferis rigere absque vestibus, et frigore confici; sed et Herodotus Musa V. Hæc erant Græculorum deliria. Nam Romani, ut ex sequentibus patebit, aliovorsum respexerunt, vestibus involventes mortuos, quorum communem per totam adeo Italiam amictum fuisse togam, docuit nos Juvenalis Satyra 3:

Pars magna Italiæ, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit nisi mortuus.

Et Martialis, lib. IX, Epigram. 58,

Et pallens toga mortui tribulis.

Apuleius, lib. I Florid.: *Nam illic quoque viderat hominem præsidere, hominem depugnare, togam quoque parari et voto et funeri; item pallio cadavera operiri et*

Digitized by Google

enim sensum consecratione sumpserunt. Non placebat Persio, quod aurea vasa templis inferantur, supervacuum putanti esse inter religiones, quod non sanctitatis, sed avaritiæ sit instrumentum. Illa enim satius est Deo, quem recte colas, inferre pro munere.

Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.

Egregie, sapienterque sensit. Verum illud ridicule subdidit: hoc esse aurum in templis, quod sint,

Veneri donatæ a virgine pupæ:

quas ille ob minutiem fortasse contempserit. Non videbat enim, simulacra ipsa et effigies deorum, Polycleti, et Euphranoris, et Phidiæ manu ex auro atque ebore perfectas, nihil aliud esse quam grandes pupas, A non a virginibus, quarum lusibus venia dari potest, sed a barbatis hominibus consecratas. Merito igitur etiam senum stultitiam Seneca deridet. Non, inquit, bis pueri sumus (ut vulgo dicitur); sed semper. Verum hoc interest, quod majora nos ludimus. Ergo his ludicris, et ornatis, et grandibus pupis et unguenta, et thura, et odores inferunt: his opimas et pingues hostias immolant, quibus est quidem os, sed carens officio dentium: his peplos et indumenta pretiosa, quibus usus velaminis nullus est: his aurum et argentum consecrant, quæ tam non habent qui accipiunt, quam qui illa donarunt.

Nec immerito Dionysius, Siciliæ tyrannus, post victoriam Græcia potitus, deos tales contempsit, spolia-

VARIORUM NOTÆ.

philosophos. Cæterum toga illa fuit varia pro condi- B et plerisque editis. In edit. Thomas. et Thysii haud
tione eorum quibus funus fiebat. Nam in vulgo civium et tacito funere, vulgarem togam, quæ alba erat, usurpatam existimo. Et de hac capiendus Plutarchus in Problem. qui inter alias causas, cur fœminæ in luctu utantur albis vestibus, etiam hanc ponit, quod ipse mortuus sit hujuscemodi veste indutus. Hujus ritus, qui hodieque apud Græcos etiam Christianos viget, meminit quoque Homerus Iliad., de Patrocli funere. Pauperes tamen, et tenuioris fortunæ homines, non videntur elati in albis, monente Artemidoro, lib. II, cap. 3. At hos vilibus pannis fuisse involutos existimo, monitus ab Eusebio in Chronicis: *Cassius Severus, orator egregius, vigesimo quinto exilii sui anno summa inopia moritur, vix panno verenda contectus.* Nam alias cadavera in honestissima veste efferri mos erat. Valer. Maximus lib. IV, cap. 5: *Ut* C
fratrem germanum esse cognovit, multum ac diu convicio deos ob donum impiæ victoriæ insectatus, prope castra transtulit, et pretiosa veste opertum rogo imposuit. Hieronymus in Vita Paulæ: *Cur mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus?* Suetonius in Nerone: cap. L: *Funeratus est impensa ducentorum millium, stragulis albis auro intextis, quibus usus Kalend. Januarii fuerat.* Hinc qui publice magistratum gesserant, vel bello honorem sibi quæsiverant, induebantur vestibus, quæ harum rerum indices essent (*Polybius, l.* VI), etc. Testantur id ipsum Livius l. XXXIV, et Valer. Max. lib. V, cap. 1. Non autem Romæ solum, sed et Lacedæmone honestiores elatos legimus. Apud Romanos vestium discrimen, non in viris tantum fuit observatum, sed et in matronis. Quarum enim filii magistratus curules gessissent, eas in honoratiore veste elatas patet ex Propertio lib. IV, Eleg. ult.:

Et tamen emerui generosos vestis honores.

In Oriente etiamnum perseverat mos deferendi ad D
sepulcrum, inhumandique christianorum corpora pretiosioribus suis vestibus induta; in Occidente sacerdotum et monach. tantum quotidianis.

Inferantur. Ms. Brun. et Latinus, *inferrentur*, non male.

Compositum. Vide Pers. Satyr. 2, sub finem. At *compositum jus*, est jus humanum scriptum et ratum; sicut *fas* est jus sacrum et religiosum.

Incoctum. Ms. 1 Bonon. antiq., *in cœtu.* — *Incoctum.* Plura noto ad lib. de Ira cap. 13, *In humidis* incocta: male Goth., *intactum.* BUNEMAN.

Ridicule. Ita reposui ex mss. veterrimis et optimis Bonon., Reg., 5 Colbert., 1 Clarom., Brun. In 1 Colb. rec. et in editis, *ridiculum.* Utraque lectio bona. In 1 al. Clarom., *ridiculose.*

Aurum in templis. Ita legendum esse censeo ex mss. Rest., Pal., 2 Brun., Cauc., Jun., Vet. aliisque multis, et plerisque editis. In edit. Thomas. et Thysii haud bene legitur *aureum.* GALLÆUS.

Donatæ a virgine pupæ. Hoc pariter ex Persio desumptum est, Satyra 2, cujus hi sunt versus integri:

At vos
Dicite, pontifices, in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ a virgine pupæ.

Pupæ igitur a virginibus pubertatem consecutis aut nupturis Veneri solitæ dicari, ut ab ephebis bullæ: quia in omni mutatione, insignia vel instrumenta vitæ anteactæ diis consecrare moris erat. Horatius:

Vetanius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro.

Idem alibi:

Donasset jamne catenam
Ex voto Laribus quærebat.

Sic zonam virginalem suspendebant nupturæ, et multa testimonia. Pupa est. πλαγγών, unde *plangunculæ* apud Cicer. ad Atticum.

Polycleti, etc. Hi erant eximii statuarii. Polycleti mentio est apud Plinium libro XXXIV, Quintilianum et Ælianum de varia Historia. Vixit Polycletus circa Olympiadem LXXXVII. Euphranor Praxitelis æqualis, fuit et pictor et statuarius insignis, vixitque circa Olympiadem CIV; de eo fit mentio in eodem Plinii libro. Phidias vero non minus præstans, Atheniensis erat, vixitque circa Olympiad. LXXXII. De quo mentio est apud Plinium lib. XXXV. De hoc argumento vide etiam Tatianum in Oratione adversus Græcos.

Non bis pueri. Vetus proverbium est, de quo vide Erasmum.

Quidem os. Alludit ad illud Davidicum: *Os habent et non loquentur.*

His peplos et indumenta pretiosa. Dii habebant sua velamenta atque amicula, quibus vestiebantur atque ornabantur. Sueton. in Calig.: *In templo simulacrum stabat aureum iconium, amiciebaturque quotidie veste quali ipse uteretur.* Eleganter Philo in Explicat. Decalogi observat, simulacrorum artifices sæpissime omnibus miseriis conflictari, cum simulacra ab iis ficta et formata, purpura auro cæterisque pretiosis ornamentis decorentur. HERALDUS.—*His... indumenta pretiosa.. his... argentum consecrant.* Parum abest, quin recipiam lectionem Bonon., *his... indumenta pretiosa* consecrant, *his... argentum* conferunt: nam præcedentibus singulis verba sua adjunxit. Conf. Epist. c. 25. BUNEMAN.

Quæ tam non habent. Iterum et eleganter plenius Bon., *quæ tam* in usum *non habent.* BUNEMAN.

Post. victoriam Græcia potitus. Græciam Ma-

Digitized by Google

vit, illusit : siquidem sacrilegia sua jocularibus etiam dictis prosequebatur. Nam cum Jovi Olympio aureum amiculum detraxisset, laneum jussit imponi, dicens, æstate grave esse aureum, hyeme frigidum, laneum vero utrique tempori aptum. Idem auream barbam detrahens Æsculapio, incongruens et iniquum esse ait, cum Apollo pater ejus imberbis esset adhuc, ac lævis, priorem filium quam patrem barbatum videri. Item pateras, et exuvias, et parva quædam sigilla, quæ simulacrorum protentis manibus tenebantur, detrahebat : et accipere se illa, non auferre dicebat; perquam enim stultum esse et ingratum, nolle accipere ab his ultro porrigentibus, a quibus bona sibi homines precarentur. Hæc ille fecit impune, quia rex et victor fuit. Quin etiam secuta est eum solita felicitas : vixit enim usque ad senectutem, regnumque per manus filio tradidit. In eo igitur, quia homines sacrilegia vindicare non poterant, oportuit deos ipsos sui vindices esse. At si humilis quispiam tale quid commiserit, huic præsto sunt flagella, ignes, equulei, cruces, et quidquid excogitare iratis et furentibus licet. Sed cum puniunt deprehensos in sacrilegio, ipsi de deorum suorum potestate diffidunt. Cur enim illis potissimum non relinquant ulciscendi sui locum, si eos posse aliquid arbitrantur? Quin etiam putant illorum numine accidisse, ut prædones rerum sacrarum deprehensi tenerentur; et sæviunt non tam ira, quam metu, ne si deorum injuriam non vindicaverint, ipsos expetant pœnæ; incredibili scilicet vanitate, qui nocituros sibi deos putent ob aliena scelera, qui ipsis, a quibus violati spoliatique sunt, per seipsos nihil nocere potuerunt. At enim sæpe ipsi quoque in sacrilegos vindicaverunt : potest id vel casu accidisse, quod aliquando, non semper. Sed tamen paulo post, quomodo id acciderit, ostendam. Nunc interim quæro, cur illi tot et tanta sacrilegia in Dionysio non vindicaverunt, qui non furtim, sed palam deos ludibrio habuit? Cur hunc tam potentem sacrilegum a templis, a ceremoniis, ab imaginibus suis non arcuerunt? Cur etiam sacris rebus ablatis, prospere navigavit? quod joco ipse testatus est (ut solebat). Videtisne (inquit comitibus suis naufragium timentibus) quam prospera sacrilegis navigatio ab ipsis diis immortalibus tribuatur? Sed hic fortasse a Platone didicerat, deos nihil esse.

VARIORUM NOTÆ.

gnam, Italiæ partem, a Dionysio subactam fuisse, Justinus ex Trogo tradidit, lib. xx, cap. 1 et 5, nec plura Diodorus Siculus l. xiv. At Cicero, ejus sacrilegium scripturus l. iii de Nat. deor., c. 34, dicit : *Cum ad Peloponesum classem appulisset, et in fanum venisset Jovis Olympii.* Nec vero cessat dubitatio, quia etiam Syracusis in parte Acradina *Jovis Olympii* templum fuit; Cic. in Verr. l. vi, c. 53. Cui propius est, illatum illud aureum amiculum vel a Gelone Siculo, ut Cicero habet d. l. vel ab Hierone fuisse, uti est apud Val. Max. lib. i, c. 1, et, in quo uterque consentiunt, conflatum ex manubiis Carthaginiensium. Cell.

Dionysius..... Jocularibus. Hæc omnia plenius Arnob., l. vi, p. 205. Add. Perizon. ad Ælian. Hist. Var. i, c. 20. Sic Justinus de Alexandro quodam, l. xxxix, c. 2 : *Templo Jovis solidum ex auro victoriæ signum tolli jubet, facetis jocis sacrilegium circumscribens; nam* victoriam commodatam sibi ab Jove esse *dicebat.* Sic Brennus (Justin. lib. xxiv, c. 6) *scurriliter Jocatus, locupletes deos hominibus largiri oportere*, etc. Buneman.

Cum Jovi Olympio aureum amiculum detraxisset. Hoc enim ornarat ex manubiis Carthaginiensium tyrannus Gelo, ut ait Cicero. Sed de hoc joculari facto et facetis verbis, vide Valerium Maximum libro i, cap. de Neglecta religione. De hoc et aliis similibus vide Epiphanium in Anchorato, Clementem Alexandr. in Protreptico, Arnobium libro vi, ac Ciceron. lib. viii, de Nat. deor. — *Amiculum habent.* Mss. 2 Reg., Brun., edit. Rom. 1470, Paris., Ald., Crat., Graph., Is., Walch., *Amictum*; 1 Clarom., *amictulum.*

Auream barbam detrahens Æsculapio. Vide Cicer. et Valer. dd. ll.; Æsculapius autem barbatus fingebatur, senilis prudentiæ, medico necessariæ, significandæ causa. Phallicus poeta Carm. 36.

Intonsa semper Æsculapio barba est. Cell.

Imberbis... adhuc. Ita idem Apollo Horatio l. iv Carm., c. 6, dicitur *lævis.* Minuc. Felicem noster sequitur c. 21 : *Apollo tot ætatibus* lævis, *Æsculapius bene barbatus*, etc. Buneman.

Lævis. Bene restituimus ex ms. 1 Clarom. et edit. Fasit., Torn., Soubron., Thomas., Cellar., Walch., Sex alii scripti cum 4 editis habent *levis*; 5 Reg., 4 Colb., 1 Clarom., Brun. et edit. Rom. 1470, *lenis.*

Pateras, et exuvias, et parva... sigilla. Eadem Tullius l. iii de Nat. deor., cap. 34, quem consule. Ipse *Victoriolas, pateras, coronasque* vocat, *quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur.* Cell. — *Parva... sigilla.* Conf. not. ad l. vii, c. 3, *Tamquam sigilla*, etc.

Protentis manibus. Sic recte secunda 1478. Vitiose prima 78, *potentis.* Sublac., Rost., Ven. 93, 97, *portentis.* Cic. lib. iii de Natura deor. c. 34; et Val. Max. l. i, ext. 3 : *Porrectis manibus*, quod est, *protentis, a protendo.* Buneman.

Regnumque per manus... tradidit. Lib. de Mort. Persec., c. 24. Sic Livius l. i, c. 3 : *Aventino regnum per manus tradidit.* Buneman.

Non poterant. Mss. 4 Colb. et Brun., *non potuerunt.*

Oportuit. Pro *oportuisset*, ut lib. vi, cap. 24, *Potuit* (pro *potuisset*) *esse verus Dei cultor, si quis... monstrasset*, l. de Mort. Persec. cap. 27 : *In fuga oppressi facile* potuit, *si quispiam sequeretur.* Buneman.

Equulei. Figuram et descriptionem equulei Pitiscus ad Curt. l. vi, c. 10, not. 19, exhibuit. Conf. Cuper. ad l. de Mort. Persecut. cap. 23. Buneman.

Quum puniunt. Eadem lib. v, cap. 20. Quæ licet sæpius urgeant Patres, e. g. Cyprianus ad Demetr., c. 12, fol. 328; Arnob. l. i, p. 11, recte tamen monet Heraldus ad Arnob. l. i, p. 18, sq. non hæc vera esse ἁπλῶς, quia Deus vult impietatem ab hominibus etiam puniri. Buneman.

Illis potissimum non. Melius fere Goth. Reimm. et Lips. tert : *Cur enim non ipsis potissimum relinquant?* Buneman.

Ipsos expectant pœnæ. Mss. 5 Colb., Jun., Rostoch., 1 Clarom. et edit. Rom. 1470, *ipsos expectant pœnæ*; 1 Colb. et 1 Clarom. a secunda manu, *exponunt.* Scripti 1 Bon. antiq. et Cauc. habent, *in ipsos expetant pœnæ.* Quæ lectio placeret Isæo, si scriptum fuisset, *pœnas.*

Putent ob aliena scelera. Mss. 4 Colbertini et edit. Rom. 1470, *putant.*

Comitibus suis. Vide apud Cicer. in fine lib. iii de Natura deorum.

Platone. Quem diu secum habuit Dionysius, ut patet tum ex Laertio, tum ex epistolis Platonicis.

Digitized by Google

Quid Caius Verres? quem Tullius, accusator ejus, eidem Dionysio, et Phalaridi, et tyrannis, omnibus comparat. Nonne omnem Siciliam compilavit, sublatis deorum simulacris, ornamentisque fanorum? Otiosum est persequi singula. Unum libet commemorare (*Vid. Verrin.* IV) in quo accusator omnibus eloquentiæ viribus, omni denique conatu vocis et corporis deploravit, de Cerere Catinensi, vel Ennensi; quarum alterius tanta fuit religio, ut adire templi ejus secreta penetralia viris nefas esset; alterius antiquitas tanta, ut omnes historiæ loquantur ipsam deam fruges in Ennæ solo primum reperisse, filiamque ejus virginem ex eodem loco raptam. Denique Gracchanis temporibus, turbata republica et seditionibus et ostentis, cum repertum esset in carminibus Sibyllinis antiquissimam Cererem debere placari, legati sunt Ennam missi. Hæc igitur Ceres vel religiosissima, quam videre maribus ne adorandi quidem gratia licebat, vel antiquissima, quam Senatus Populusque Romanus sacrificiis donisque placaverat, ex arcanis et vetustis penetralibus, a Caio Verre, immissis latronibus servis, impune sublata est. Idem vero cum affirmaret se a Siculis, ut causam provinciæ susciperet, oratum, his verbis usus est: « Sese jam ne deos quidem in suis urbibus, ad quos confugèrent, habere; quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset: » quasi vero si Verres ex urbibus delubrisque sustulerat, de cœlo quoque sustulerat. Unde apparet istos deos nihil habere in se amplius quam materiam de qua sunt fabricati. Nec immerito ad te, Marce Tulli, hoc est, ad hominem, Siculi confugerunt; quoniam triennio sunt experti deos illos nihil valere. Essent enim stultissimi, si ad eos ob defendendas injurias hominum confugissent, qui Caio Verri nec pro seipsis irati esse potuerunt. At enim Verres ob hæc facinora damnatus est. Non ergo dii vindicaverunt, sed Ciceronis industria, qua vel defensores ejus oppressit, vel gratiæ restitit. Quid, quod apud ipsum Verrem non fuit illa damnatio, sed vacatio? ut quemadmodum Dionysio deorum spolia gestanti dii immortales bonam dederant navigationem, sic etiam Verri bonam quietem tribuisse videantur, in qua sacrilegiis suis tranquille frui posset. Nam frementibus postea civilibus bellis, sub obtentu damnationis ab omni periculo et metu remotus, aliorum graves casus et miserabiles exitus audiebat, et qui cecidisse solus universis stantibus videbatur, is vero universis cadentibus solus stetit, donec illum et opibus sacrilegio partis et vita satiatum, ac senectute confectum, proscriptio triumviralis auferret, eadem scilicet quæ Tullium violatæ deorum majestatis ultorem. Quin etiam felix in eo ipso fuit, quod ante suam mortem crudelissimum exitum sui accusatoris audivit; diis videlicet providentibus, ut sacrilegus ac prædo ille religionum suarum, non ante moreretur quam solatium de ultione cepisset.

CAPUT V.

Quod solus omnium creator Deus est colendus, non vero elementa, nec corpora cœlestia: Refelliturque Stoicorum sententia, qui stellas et astra deos putant.

Quanto igitur rectius est, omissis insensibilibus et

VARIORUM NOTÆ.

Accusator. Cic. in Verr., act. VI, in fine.

Catinensi. Ita reposui ex mss. codicibus, et vet. editis Rom. 1468, 1470. Dicitur etiam a Pomponio Mela *Catina;* a Cicerone *Catina* vel *Catine*, act. VI in Verrem in fine; et Silio lib. XIII. Multi editi habent *Catanensi. Catina* vero nunc est *Catana* ad radicem Ætnæ montis, a cujus conflagratione multum passa est his ultimis temporibus.

Ennensi. Ἔννη, Enna, urbs in mediterraneo Siciliæ, etiam Strabonis et Melæ testimoniis, Cereris cultu nobilis. Sic etiam apud Claudianum et Silium Italicum Ceres Ennea nominatur.

Alterius tanta fuit religio. Alterius, Catanensis. De religione ejus Cic. d. l. cap. 45. CELL.

Gracchanis temporibus. Cum Tiberio Graccho occiso, magnorum periculorum metus ex ostentis portenderetur. Ex Cicerone de Clar. or. c. 45. CELLAR. — De his seditionibus Ennensibus vide Livium Decad. IV.

Ceres. De Cereris cultu vide supra libro I, cap. 21.

Caio Verre. Cneio Pompeio primum et M. Crasso Coss. Caius Verres perfunctus quæstura, legatione, prætura urbana, cum eam per triennium tenuisset, atque in ea fuisset libidinose, avare, crudeliterque versatus, repetundarum reus a Siculis postulatus est. Extant 7 Ciceronis contra Verrem orationes. Sed quod ad præsens negotium attinet, sexta præ cæteris legenda est. Scribitur historia etiam a Valerio lib. I, cap. 1.

De cœlo quoque sustulerat. Sic restitui ex veteribus editis, cunctisque mss. dempto uno Colbertino, cui est *sustulerit.* In 12 impressis legitur *sustulisset.*

Ad te, Marce Tulli, hoc est, ad hominem. Sic legitur in antiquis mss. Bonon.; in editis quibusdam legebatur: *Ad te, Marce Tulli, hoc est ad te ipsum hominem*, quod minus recte est propter inutilem repetitionem, ut monet Thomasius.

Potuerunt. Ita restitui ex mss. omnibus et editis Rom. 1470. Paris., Crat., Torn., Soubron., Cellar. In Ald. 1515, est, *poterunt;* in cæteris vulgatis, *poterant.*

Damnatus est. Quadragenties enim sestertium abstulerat, teste Cicer., Plut., auctore, interprete Budæo, tricies sestertium: id est, septuaginta millia aureorum coronatorum, computante eodem Budæo.

Qua vel defensores. Ms. I Bon. antiq. et edit. Walch., *quæ:* Jun. et ed. Ald. Paris., Graph., *quia;* edit. Rom. 1468, *qua vel deprehensores.*

Qui cecidisse. De triumvirorum proscriptione lege Eutrop. lib. VII; Appianum lib. IV; Plut. in Antonio, Flor. lib. IV, cap. 5; Oros. lib. VI, cap. 18; Velleium Paterc. lib. II et alios. Nuspiam tamen, quod ego sciam, de Verre mentio fit. Forsan id legerat Lactantius in scriptis quibusdam deperditis.

Stantibus. Id est, salvis. Exprimit Ciceronem lib. VI ad Famil. ep. 6. BUNEMAN. — *Universis stantibus.* Sic lego cum edit. Torn., Soubron., Walch. cunctisque mss. præter 2 rec. Reg. et 14 edit. in quibus est, *omnibus stantibus.*

Quanto igitur rectius est. Mss. I Bonon. antiq., I Clarom. et Cotton. habent: *Quanto igitur honestius et rectius est.*

Digitized by Google

vanis, oculos eo tendere, ubi sedes, ubi habitatio est Dei veri; qui terram stabili firmitate suspendit; qui cœlum distinxit astris fulgentibus; qui solem rebus humanis clarissimum, ac singulare lumen, in argumentum suæ unicæ majestatis accendit: terris autem maria circumfudit, flumina sempiterno lapsu fluere præcepit.

Jussit et extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes.

Quæ utique omnia non Jupiter fecit, qui ante annos mille septingentos natus; sed idem:

Ille opifex rerum, mundi melioris origo,

qui vocatur Deus, cujus principium, quoniam non potest comprehendi, ne quæri quidem debet. Satis est homini ad plenam perfectamque prudentiam, si Deum esse intelligat: cujus intelligentiæ vis et summa hæc est, ut suspiciat et honorificet communem parentem generis humani, et rerum mirabilium fabricatorem. Unde quidam hebetis obtusique cordis, elementa, quæ et facta sunt et carent sensu, tamquam deos adorant. Qui cum Dei opera mirarentur, id est cœlum cum variis luminibus, terram cum campis et montibus, maria cum fluminibus et stagnis et fontibus, earum rerum admiratione obstupefacti, et ipsius artificis obliti, quem videre non poterant, ejus opera venerari et colere cœperunt; nec umquam intelligere quiverunt, quanto major quantoque mirabilior sit, qui illa fecit ex nihilo. Quæ cum videant divinis legibus obsequentia commodis atque usibus hominis perpetua necessitate famulari, tamen illa deos existimant esse; ingrati adversus beneficia divina, qui Deo et patri indulgentissimo sua sibi opera prætulerunt. Sed quid mirum, si aut barbari, aut imperiti homines errant? cum etiam philosophi Stoicæ disciplinæ in eadem sint opinione, ut omnia cœlestia, quæ moventur, in deorum numero habenda esse censeant; siquidem Lucilius Stoicus apud Ciceronem sic loquitur: « Hanc igitur in stellis constantiam, hanc tantam in tam variis cursibus in omni æternitate convenientiam temporum, non possum intelligere sine mente, ratione, consilio; quæ cum in sideribus esse videamus, non possumus ea ipsa non in deorum numero reponere. » Item paulo superius: « Restat, inquit, ut motus astrorum sit voluntarius; quæ qui videat, non indocte solum, verum etiam impie faciat, si deos esse neget. » Nos vero et quidem constanter negamus, ac vos, o philosophi, non solum indoctos et impios, verum etiam cæcos, ineptos delirosque probamus, qui ignorantiam imperitorum vanitate vicistis. Illi enim solem et lunam, vos etiam sidera deos putatis.

Tradite igitur nobis stellarum mysteria, ut aras et templa singulis erigamus; ut sciamus quo quamque ritu, quo die colamus, quibus nominibus, quibus precibus advocemus; nisi forte nullo discrimine tam innumerabiles, tam minutos deos acervatim colere debemus. Quid quod argumentum illud, quo colligunt universa cœlestia deos esse, in contrarium

VARIORUM NOTÆ.

Ubi sedes. De hac Lactantii sententia vide Plutarch. de Placitis Philosophorum lib. I, cap. 6.

Qui terram stabili. Philo Judæus libro de Mundo quærit, quæ sit basis universi; tandem colligit eam esse legem et decretum æterni Dei: huc referas psalm. CXLVIII, vers. 6.

Terram... suspendit. Lib. III, cap. 3: *Quibus fundamentis terra librata aut suspensa sit.* BUN.

In argumentum, etc. Similia leguntur apud S. Augustin. lib de Genesi ad litteram.

Maria circumfudit. Ita legunt omnes mss. et vulgati, præter 4 rec. edit. quibus est, *circumfundit.*

Jussit. Hæc ex Ovid. initio I Metamorph.

Qui ante annos mille septingentos natus. Ms. Christ. *Qui post annos mille*, etc. Utraque lectio bona, quæ idem significat. Lactantio enim familiare est, cum de tempore agitur, *ante* usurpare pro *post*, ut in lib. IV. Divin. Institutionum, cap. 10: *Ante diem decimum calendarum Aprilium Judæi Christum cruci affixerunt;* in libro autem de Mortibus persecutorum, cap. 2, initio: *Post diem decimum calendarum Aprilium*, etc. ut ibi fusius demonstrabimus, et in Dissertatione de hoc ipso libro.

Ille opifex. Ovidius ubi supra paulo post.

Usibus hominis. Mss. 3 rec. Reg. et editi habent, *usibus hominum:* at 6 Reg. quorum duo sunt antiquissimi, 2 Colbert., 2 Clarom., *hominis*, unde factum est *humanis* in rec. 2 Reg., 4 Colb., Em., Christ.

Famulari. Sublac. et Ven. prima 1478, prave, *familiari*, ubi recte mss. et Rost., Ven. 1471, et secunda 78, 93, 97, et aliæ, *famulari.* De Ira lib. XXIII, c. 21, *terrenis... famulari.* BUN.

Qui Deo et patri indulgentissimo sua sibi opera prætulerunt. Ita cum editis Rom. 1468 et 1470, Is. et sex recentioribus impressis antiquiores et potiores mss. 2 Bon., Reg., Tax., Jun., Pen., 6 Colb., Lips., Pal., Brun. et 2 Clarom., nisi quod in uno Clarom. et 1 Reg. rec. deest *et*, sicut in sex editis ms. Cauc., *qui Deo Patri indulgentissimo suo, sua sibi opera:* antiquæ enim editiones *suus* et *ille* promiscue usurpabant.

Lucilius. Hoc ex Cicerone desumptum est lib. II de Nat. deor. num. 54, ubi reprehenduntur ii qui sideribus divinitatem tribuunt. Clinias etiam apud Platonem lib. X de Legibus, soli, lunæ et sideribus animam tribuit. Ita scriptum reperio in mss. 9 Reg., 2 Bonon., Tax., Pen., 6 Colb., 2 Clarom., Em., Cantabrig., Brun. in editis Gymnic., Betul., Torn., Soubron., Is., Cellar., Walch. et apud Ciceronem ipsum. Scripti Lips., Jun., Bodl., Cotton., edit. Rom. 1470, et Crat. habent, *Lucillius*; editi 7, *Lucillus.*— *Lucilius Stoicus.* Cicero lib. I, de Nat. deor. cap. 6: *Q. Lucilius Balbus, qui tantos progressus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur.* CELL.

In tam variis. Addita præpositio *in* ex omnibus mss. et cunctis fere editis: deest in 5 vulgatis rec.

Restat. Hoc ex Cicerone, ibid. n. 44.

Verum etiam impie faciat, si deos esse neget. Plato in Cratylo. Similiter stoici, ut Posidonius apud Stobæum. S. August. l. IV de Civ. Dei, cap. 11: *Dicunt* (stoici) *omnia sidera partes Jovis esse, et omnia vivere, atque rationales animas habere; et ideo sine controversia deos esse.* VOSSIUS.

Illi enim solem et lunam. Variis gentibus mos fuit, Solem et Lunam adorare. De Persis Herodotus in Clio: *Sacrificant et Soli, et Lunæ, et Telluri, et Igni, et Aquæ, et Ventis: his enim solis ut sacrificent, antiqua obtinuit consuetudo.* Idem, de Libyæ populis, in Melpomene: *Sacrificant Soli et Lunæ solis, quibus omnes Libyæ populi solent immolare.* SCHEDIUS.

Digitized by Google

valet. Nam si deos esse idcirco opinantur, quia certos et rationabiles cursus habent, errant. Ex hoc enim apparet deos non esse, quod exorbitare illis a præstitutis itineribus non licet. Cæterum si dii essent, huc atque illuc passim sine ulla necessitate ferrentur, sicut animantes in terra, quarum quia liberæ sunt voluntates, huc atque illuc vagantur, ut libuit, et quo quamque mens duxerit, eo fertur. Non est igitur astrorum motus voluntarius, sed necessarius, quia præstitutis legibus officiisque deserviunt. Sed cum disputaret de cursibus siderum, quos ex ipsa rerum ac temporum congruentia intelligebat non esse fortuitos, existimavit voluntarios esse, tamquam non possent tam disposite, tam ordinate moveri, nisi sensus illis inesset officii sui sciens. O quam difficilis est ignorantibus veritas, et quam facilis scientibus! Si motus, inquit, astrorum fortuiti non sunt, nihil aliud restat, nisi ut voluntarii sint; immo vero, ut non esse fortuitos manifestum est, ita nec voluntarios. Quomodo igitur in conficiendis itineribus constantiam suam servant? Nimirum Deus, universi artifex, sic illa disposuit, sic machinatus est, ut per spatia cœli divina et admirabili ratione decurrerent, ad efficiendas succedentium sibi temporum varietates. An Archimedes Siculus concavo ære similitudinem mundi ac figuram potuit machinari, in quo ita solem ac lunam composuit, ut inæquales motus, et cœlestibus similes conversionibus, singulis quasi diebus efficerent, et non modo accessus solis et recessus, vel incrementa diminutionesque lunæ, verum etiam stellarum, vel inerrantium, vel vagarum, dispares cursus orbis ille, dum vertitur, exhiberet? Deus ergo illa vera non potuit machinari et efficere quæ potuit solertia hominis imitatione simulare?

Utrumne igitur stoïcus, si astrorum figuras in illo ære pictas effictasque vidisset, suo illa consilio moveri diceret, ac non potius artificis ingenio? Inest ergo sideribus ratio ad peragendos meatus suos apta: sed Dei est illa ratio, qui et fecit, et regit omnia, non ipsorum siderum, quæ moventur. Nam si solem stare voluisset, perpetuus utique dies esset. Item, si motus astra non haberent, quis dubitet sempiternam noctem fuisse futuram? Sed ut diei ac noctis vices essent, moveri ea voluit: et tam varie moveri, ut non modo lucis ac tenebrarum mutuæ vicissitudines fierent, quibus laboris et quietis alterna spatia constarent; sed etiam frigoris et caloris, ut diversorum temporum vis ac potestas, vel generandis, vel maturandis frugibus conveniret. Quam solertiam divinæ potestatis in machinandis itineribus astrorum, quia philosophi non videbant, animalia esse sidera putaverunt; tamquam pedibus, et sponte, non divina ratione procederent. Cur autem illa excogitaverit Deus, quis non intelligit? Scilicet ne solis lumine decedente, nimium cæca nox tetris atque horrentibus tenebris ingravesceret, noceretque viventibus. Itaque et cœlum simul mira varietate distinxit, et tenebras ipsas multis minutisque luminibus temperavit. Quanto igitur Naso prudentius, quam illi, qui sapientiæ studere se putant, qui sentit a Deo lumina illa, ut honorem tenebrarum depellerent, instituta! Is eum librum, quo Φαινόμενα breviter comprehendit, his tribus versibus terminavit:

Tot numero, talique Deus simulacra figura
Imposuit cœlo, perque atras sparsa tenebras
Clara pruinosæ jussit dare lumina nocti.

Quod si fieri non potest, ut stellæ dii sint; ergo nec sol quidem, nec luna dii esse possunt, quoniam luminibus astrorum, non ratione differunt, sed magnitudine. Quod si hi dii non sunt; ergo nec cœlum quidem, in quo illa omnia continentur.

VARIORUM NOTÆ.

Rationabiles. Mss. Brun. *rationales*; et sic legere malebat Francius.

Exorbitare. Cyprian. lib. 1. ep. 12. *Exorbitans et a via veritatis exerrans.* Bun.

Passim. Id est, sine ordine, sine certis legibus, ut libuit: sicut omnia verba, contextus produnt. Noto ad l. II, cap. 6, et ad l. III, cap. 9. Bun.

Ut libuit. Ita omnes editi et mss. præter sex rec. in quibus est, *ut libet.*

Eo fertur. Mss. 2 rec., *feruntur.*

Non est igitur astrorum motus voluntarius. Veteres *moveri sidera* dicebant, cum oriebantur vel occidebant,

Officii... sciens. Ut l. II, cap. 14, *Rerum scios.* Epist. cap. 5, *rerum scientes.* Bun.

An Archimedes, etc. Cic. Tuscul. I. Nam cum Archimedes, lunæ, solis, *quinque errantium motus in sphæram illigavit, effecit idem, quod ille qui in Timæo mundum ædificavit Platonis Deus, ut tarditate, celeritate dissimillimosque motus una regeret conversio: quod si in hoc mundo sine Deo fieri non potest, ne in sphæra quidem eosdem motus Archimedes sine divino ingenio potuisset imitari.* Jul. Firmic., lib. VI, cap. 3: *Hic est ille noster, cujus ingenio sphæra fabricata cœli lapsum et omnium siderum cursus exemplo divinæ imitationis ostendit.* Solinus cap. 21: *Hic domus Archimedis, qui juxta siderum disciplinam machinarius commentator fuit.* Nec tamen hac machina solum celebris fuit, sed aliis in obsidione Syracusarum ab omnibus celebratis. Item hydraulica machina quapiam, quam Tertull. laudat cap. 14, lib. de Anima: *Specta*, inquit, *portentosissimam Archimedis munificentiam, organum hydrolicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia sonorum, tot commercia modorum, tot acies*, etc. Barthius. Hujus sphæræ meminit etiam Cicero lib. II de Natura deorum, et lib. V Tusculan. Quæstionum. Vide etiam Claudianum in Epigrammate de Archimede. — *Archimedes.* Apparet Lactantium respexisse ad Cic. lib. II de Nat. deorum, c. 36: *Archimedem arbitrantur plus valuisse in imitandis sphæræ conversionibus, quam naturam in efficiendis.* Add. c. 34. Buneman.

Inæquales motus. De his vide Plinium, lib. II.

Conversionibus. Id est regressibus solis ab uno Tropico ad alium. Vide Plinium lib. XVIII.

Vel inerrantium. Hæc lectio est omnium mss. (dempto 1 Oxoniensi) et veterum 2 edit. Rom., Venet., 1490, ac Betul., Is., Spark., Cellar., Valch., id est, fixarum. Edit plures habent, *errantium*, male: idem enim est ac τὸ *vagarum*, quod sequitur, pro quo est *vagantium* in 1 Clar. et Cotton.

Solem stare. Vide Plinium lib. II, cap. 19.

Animalia esse sidera. In quo errore fuit et Origenes in libro de Principiis.

Minutisque luminibus. Quoad oculum scilicet.

Φαινόμενα. Hic Ovidii liber, sive translatio ex Arati Phænomenis, desumptus est. Hæc carmina ex Arato græce refert Plutarchus lib. II de Philosophor. Placitis, cap. 19.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quod nec mundus totus, nec elementa sint Deus, nec animata.

Simili modo si terra, quam calcamus, quam subigimus et colimus ad victum, deus non est, nec campi quidem ac montes dii erunt : sed si hi non sunt, ergo ne tellus quidem universa Deus videri potest. Item si aqua, quæ servit animantibus ad usum bibendi aut lavandi, deus non est, nec fontes quidem, ex quibus aqua profluit. Si fontes non sunt, nec flumina quidem, quæ de fontibus colliguntur. Si flumina quoque dii non sunt, ergo et mare, quod ex fluminibus constat, Deus haberi non potest. Quod si neque cœlum, neque terra, neque mare, quæ mundi partes sunt, dii esse possunt; ergo ne mundus quidem totus Deus est, quem iidem ipsi stoïci, et animantem, et sapientem esse contendunt, et propterea Deum : in quo tam inconstantes fuerunt, ut nihil dictum sit ab his quod non ab iisdem fuerit eversum. Sic enim argumentantur : Fieri non posse, ut sensu careat, quod sensibilia ex se generat. Mundus autem generat hominem, qui est sensu præditus ; ergo et ipsum sensibilem esse. Item : Sine sensu esse non posse, cujus pars habeat sensum ; igitur quia homo sensibilis est, etiam mundo, cujus pars homo est, inesse sensum. Propositiones quidem veræ sunt, et sensibile esse, quod sensu præditum gignat, et habere sensum, cujus pars sensu aucta sit : sed assumptiones falsæ, quibus argumenta concludunt, quia neque mundus generat hominem, neque homo mundi pars est. Nam hominem a principio idem Deus fecit, qui et mundum : et non est mundi pars homo, sicut corporis membrum ; potest enim mundus esse sine homine, sicut urbs, et domus. Atqui ut domus unius hominis habitaculum est, et urbs unius populi; sic et mundus domicilium totius generis humani. Et aliud est, quod incolitur, aliud quod incolit. Sed illi, dum student id, quod falso susceperant, confirmare, et sensibilem esse mundum, et Deum, argumentorum suorum consequentia non viderunt. Nam si mundi pars est homo, et sensibilis est mundus, quia homo sentit : ergo quia mortalis est homo, mortalis sit et mundus necesse est; nec tantum mortalis, sed et omnibus morbis et passionibus subjectus.

Et e contrario : Si Deus est mundus, et partes ejus utique immortales sunt; ergo et homo Deus est, quia pars est (ut dicitis) mundi. Si homo; ergo et jumenta, et pecudes, et cætera genera bestiarum, et avium, et piscium; quoniam et illa eodem modo sentiunt, et mundi partes sunt. At hoc tolerabile est : nam et hæc colunt Ægyptii. Sed res eo pervenit, ut

VARIORUM NOTÆ.

Si terra, quam calcamus, etc. Multæ nationes terram tamquam deam coluere. A Phrygibus colebatur sub nomine Rheæ, Cybeles, etc. Assyrii itidem illam pro dea habuere, teste Macrobio Sat. lib. I, cap. 23 : *Assyrii Deo, quem summum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt : subjungunt eidem deam, nomine Adargatim, omnemque potestatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, solem terramque intelligentes.* Ægyptii etiam illi divinos detulere honores sub nomine Isidis, teste Servio in VIII Æneid. : *Isis*, inquit, *lingua Ægyptiorum est terra, quam Isin esse volunt.* Item Macrob. Sat. 17, cap. 20 : *Isis juncta religione celebratur, quæ est vel terra, vel natura rerum subjacens soli.* Germani etiam hanc deam coluere, ut testatur Tacitus, qui dicit illam vocatam, *Hertham*. Vid. Voss., de Idol., cap. 55.

Quam subigimus et colimus ad victum. Ita restituimus ex veteribus editis cunctisque mss. præter I Bonon. antiq. in quo deest *et colimus*. De hoc Cato apud Ciceronem, de Senectute.

Nec campi quidem. Lego, *ne campi quidem*, ut Ven. 1493, 97. Bun.

Item si aqua. Præ cunctis gentibus præcipue aquam venerati videntur Ægyptii et Persæ. De prioribus ita Plutarch. lib. de Is. et Osir. : *Nihil in majore est Ægyptiis honore, quam Nilus.* E nostris Athanasius, qui Ægyptius ipse fuit, Orat. cont. Gentes : *Alii fluvios et fontes, et omnium maxime Ægyptii aquam præcipue venerati, deosque appellant.* Similiter Jul. Firmic. de Err. prof. Relig. Vossius.

Nec fontes quidem. Ex Goth., Lips. tert., Ven. 1471, Rost., *ne fontes quidem*, ut multi libri : *ne tellus quidem, ne flumina quidem, ne mundus quidem :* unde *ne cœlum quidem* corrigendum putavi. Conf. Grævium et alios, ad de M. Pers. cap. 4, not. 8 et not. ad Lact. lib. VI, cap. 15. Bun.

Nec flumina quidem. Pro *ne* reposui *nec* ex mss. 2 Reg., 3 Colb., Brun. et editis multis : quod præcedentia requirunt.

Quæ mundi partes sunt. Eadem mens est Ciceronis de Natura deorum, scilicet partes mundi non esse partes Dei.

Ergo ne mundus quidem totus Deus est. De hac stoïcorum sententia vide Ciceronem in IV Academicarum Quæstion. Mundus erat Stoïcis Deus ipse. Vid. Plutarch., de Phil. Plac., lib. I, cap. 3 et 7; Epiphan., Hæres. præfat. : Seneca, Quæst. nat., lib. II, cap. 45 : *Vis Deum mundum vocare? non falleris. Ipse enim est totum quod vides, totus operibus suis inditus et se sustentans vi sua.* Manil. Astron., lib. I :

> Qua pateat mundum divino numine verti,
> Atque ipsum esse Deum.

Sic et Cato apud Lucanum, lib. IX :

> Jupiter est quodcumque vides, quodcumque movetur.

Propositiones quidem veræ sunt... sed assumptiones falsæ. Ciceroniano more loquitur Lactantius, propositionemque vocat eam syllogismi partem quam scholastici *majorem* nominant, et assumptionem dicit quam scholastici *minorem* vocant. *Ex* Isæo.

Mundus domicilium. Sic Cicero, lib. III de Finibus ait: *Mundum autem censent regi numine deorum, eumque esse quasi communem urbem et civitatem hominum et deorum ; et unumquemque nostrum ejus mundi esse partem.*

Aliud quod incolit. Ita ex omnibus mss. et veteribus editis restitui. In pluribus impressis est *colit*. Vide præcedentia.

Consequentia. Reimm., Tornæs., *Consequentiam.* Idem Reimm : *Ergo et Jumenta ;* bene. Bun.

Sed et. Omnium mss. est; *sed etiam* editorum, præter Tornes. et Soubron.

Jumenta et pecudes. Quod confirmatur ex Epistola Pauli ad Roman., cap. I, v. 23.

Nam et hæc colunt Ægyptii. Absurdioribus superstitionibus maxime addicti. De superstitionibus religiosis Ægyptiorum vide Herodotum lib. II ; Cicero-

Digitized by Google

et ranæ, et culices, et formicæ dii esse videantur, quia et ipsis inest sensus, et partes mundi sunt. Ita semper argumenta ex falso petita ineptos et absurdos exitus habent. Quid, quod iidem ipsi aiunt, deorum et hominum causa mundum esse constructum, quasi communem domum : ergo nec mundus Deus est, nec animans, si constructus est ; animans enim non construitur, sed nascitur. Et si est ædificatus sic utique tamquam domus, tamquam navis : est ergo aliquis artifex mundi Deus ; et seorsum erit mundus, qui factus est, seorsum ille, qui fecit. Jam illud quam repugnans et absurdum, quod cum cœlestes ignes cæteraque mundi elementa deos affirment, item ipsum deum mundum dicunt. Quomodo potest ex deorum multorum acervo unus Deus confici ? Si astra dii sunt, mundus ergo non Deus, sed domicilium deorum est. Si vero Deus mundus est ; ergo omnia illa quæ sunt in eo dii non sunt, sed Dei membra, quæ utique sola Dei nomen accipere non possunt. Nec enim recte quis dixerit, membra hominis unius multos homines esse : sed tamen non est similis comparatio animalis et mundi. Animal enim, quia sensu præditum est, etiam membra ejus habent sensum, nec, nisi a corpore divulsa, brutescunt. Cujus igitur rei similitudinem gerit mundus ? Nimirum ipsi docent, cum factum esse non diffitentur, ut esset diis et hominibus quasi communis domus. Si ergo est constructus, ut domus, nec ipse Deus est, nec elementa, quæ sunt partes ejus ; quia neque domus habere dominium sui potest, neque illa de quibus domus constat. Non tantum igitur veritate, sed etiam verbis suis revincuntur. Sicut enim domus, in usum habitandi facta, per se nihil sentit, dominoque subjecta est, qui eam fecit, aut incolit : ita mundus, per se nihil sentiens, factori Deo subjacet, qui eum in usum sui fecit.

CAPUT VII.

De Deo, et religionibus insipientium ; de avaritia et majorum auctoritate.

Duplici ergo ratione peccatur ab insipientibus : primum, quod elementa, id est Dei opera Deo præferunt ; deinde, quod elementorum ipsorum figuras humana specie comprehensas colunt. Nam solis lunæque simulacra humanum in modum formant ; item ignis, et terræ, et maris, quæ illi Vulcanum, Vestam, Neptunum vocant ; nec elementis ipsis in aperto litant. Tanta homines imaginum cupiditas tenet, ut jam viliora ducantur illa quæ vera sunt : auro scilicet, gemmis, et ebore delectantur. Horum pulchritudo ac nitor præstringit oculos : nec ullam religionem putant ubicumque illa non fulserint. Itaque sub obtentu deorum avaritia et cupiditas colitur. Credunt enim deos amare quidquid ipsi concupiscunt ; quiquid est, propter quod furta, et latrocinia, et homicidia quotidie sæviunt ; propter quod bella per totum orbem populos urbesque subvertunt. Consecrant ergo diis manubias et rapinas suas, quos certe necesse est imbecilles esse, ac summæ virtutis expertes, si subjecti sunt cupiditatibus. Cur enim cœlestes eos putemus, si desiderant aliquid de terra ? vel beatos,

VARIORUM NOTÆ.

nem, in v Tusculan. ; Philostratum, in Vita Apollonii, lib. vi ; Lucianum, de Sacrificiis ; Solinum, cap. 45 ; et Eusebium, lib. ii de Præpar. Evang., cap. 1.

Ut et ranæ. Et restitui ex mss. ac veteribus editis Rom. In 1 Clarom. est, *ut et araneæ ;* forsan genuina lectio, quæ melius convenit culicibus et formicis quam *ranæ*.

Iidem ipsi. Scilicet stoïci. Conf. Cic. lib. ii de Nat. deor., cap. 53, et cap. 62 ; et Lact., de Ira cap. 13 et seqq. BUNEMAN.

Mundum esse constructum. Plato quoque utraque utitur loquendi ratione in Timæo. Si mundus a Deo ex nihilo factus est, quemadmodum professio Christiana credit, genitus non fuit. Nam γένεσις fit, quando materia aliam formam substantialem induit. BETULEIUS.

Navis. Est ergo. Sic rescripsi, uti omnes edd. distinguunt, ubi Cell. *navis est. Ergo.* Post *navis*, subaudi, *est ædificatus.* BUN.

Jam illud quam repugnans et absurdum. 1 Reg. *Nam.* Ms. Pen. et ed. Is., Spark., *quam absurdum.*

Affirment. Cunctorum prope mss. est et edit Rom. 1468. In 1 Colbert. et 1 Clarom. et in omnibus pene vulgatis, *affirmant.*

Si vero deus mundus est. Ordine meliori Reimm., *Si vero mundus deus est.* BUN.

Quæ utique sola Dei nomen. Sic reposuimus ex quampluribus mss. In 2 Reg. et editis est, *solius Dei ;* in 2 Reg., 2 Colb., 2 Clarom., *solidi.*

Brutescunt. Ita edit. Spark., Cellar., Walch., et cuncti mss. præter 3 Colb. et multos editos quibus est *putrescunt ;* corrupte omnino. *Brutescunt.* Lactantio est, sensum perdunt. — *Brutescunt.* L. vii, cap. 12 : *Non anima corpore deficiente, sed corpus anima decedente* brutescit, *quia* sensum *omnem trahit secum.* Utroque vero loco Lactantius agit de *sensu*, non vero de *putredine.* BUN.

Neque domus habere dominium sui potest. Sic legendum est ex utroque codice Bonon. et quinque Vaticanis. Operariorum oscitantia i omissum esse, recte censet Thomasius, et sic legendum esse textus ipse evincit : nam eo quod domus non habet dominium sui, hinc etiam mundus eo jure non gaudet. Præter codices a Thomasio laudatos reperio mss. Regios, 3 Colb., Cauc., Jun., Ultr., Em., Cant., 1 Lips., 1 Clarom., Brun., edit. Rom. 1470, 1474, Ald., Crat., Gymnic., Graph., Soubron., Is., Gal., Spark., Cellar., Walch.

Solis lunæque. Contra hanc Græcorum superstitionem disputat Eusebius l. iii Præparat. Evangel. c. 2.

In aperto litant. Ita cuncti editi et omnes pene manuscripti Jun., *sacrificant.* 1 Reg. et 1 Colb., *in operto litant,* male 1 Bonon. antiq., *in compita litant ;* alter Bonon. rec. et Tax., *in evento aperto litant.*

Nitor præstringit oculos. Pro recepta, Epitome cap. 25, *oculos fulgor præstringeret.* Cic. lib. iv Fin., cap. 14, *aciem animorum virtutis splendore præstringitis.* BUNEMAN.

Consecrant ergo diis manubias. Florus, lib. i, cap. 7, de Tarquinio Superbo : *De manubiis captarum urbium templum erexit.* Manubiæ autem proprie quid sint, et ut a prædis sive spoliis differant, docet Nonius Marcellus dum inquit : *Manubias a præda hoc distare veteres existimarunt, ut sit præda corpora ipsa rerum quæ capiuntur : Manubiæ vero pecuniæ ex præda venditæ redactæ.*

Imbecilles. Goth. Reimm., *imbecillos.* Optime, ne tot secundæ vocales concurrant. Hinc *imbecilles* proscripsi.

Digitized by Google

si aliqua re indigent? vel incorruptos, si voluptati habent ea in quibus appetendis cupiditas hominum non immerito damnatur? Veniunt igitur ad deos, non tam religionis gratia, quæ nulla potest esse in rebus male partis et corruptibilibus, quam ut aurum oculis hauriant, nitorem levigati marmoris, aut eboris aspiciant; ut insignes lapillis et coloribus vestes, vel distincta gemmis fulgentibus pocula insatiabili contemplatione contrectent. Et quanto fuerint ornatiora templa, et pulchriora simulacra, tanto plus majestatis habere creduntur : adeo religio eorum nihil aliud est, quam quod cupiditas humana miratur.

Hæ sunt religiones, quas sibi a majoribus suis traditas pertinacissime tueri ac defendere perseverant : nec considerant quales sint; sed ex hoc probatas atque veras esse confidunt, quod eas veteres tradiderunt, tantaque est auctoritas vetustatis, ut inquirere in eam scelus esse dicatur. Itaque creditur ei passim, tamquam cognitæ veritati. Denique apud Ciceronem sic dicit Cotta Lucilio : « Habes, Balbe, quid Cotta, quid pontifex sentiat. Fac nunc ego intelligam, quid tu sentias; a te enim philosopho rationem religionis accipere debeo, majoribus autem nostris, etiam nulla ratione reddita, rationis est credere. » Si credis, cur ergo rationem requiris, quæ potest efficere ne credas? Si vero rationem requiris, et quærendam putas, ergo non credis. Ideo enim quæris, ut eam sequaris, cum inveneris. Docet ecce te ratio non esse veras religiones deorum. Quid facies? majoresne potius, an rationem sequeris? quæ quidem tibi non ab alio insinuata, sed a te ipso inventa et electa est, cum omnes religiones radicitus eruisti. Si rationem mavis, discedere te necesse est ab institutis et auctoritate majorum; quoniam id solum rectum est quod ratio præscribit. Sin autem pietas majores sequi suadet, fatere igitur, et stultos illos fuisse, qui excogitatis contra rationem religionibus servierunt, et te ineptum qui id colas, quod falsum esse convinceris. Sed tamen quoniam nobis tantopere majorum nomen opponitur, videamus tandem qui fuerint majores illi, a quorum auctoritate discedi nefas ducitur.

Romulus urbem conditurus, pastores inter quos adoleverat convocavit, cumque is numerus condendæ urbi parum idoneus videretur, constituit asylum. Eo passim confugerunt ex finitimis locis pessimi quique, sine ullo conditionis discrimine. Ita conflavit ex his omnibus populum; legitque in senatum, eos qui ætate anteibant, et Patres appellavit, quorum consilio gereret omnia. De quo senatu Propertius Elegiarum scriptor hæc loquitur :

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites :
Centum illi in prato sæpe Senatus erat.

VARIORUM NOTÆ.

Nitorem levigati marmoris, etc. Vide Tertull. Apol. cap. 12, Justin. Mart. Apol. II, pro Christianis.

Adeo religio eorum. Sic restituimus ex mss. 9 Reg., 2 Bonon., plur. Vatic., 6 Colb., 2 Clarom., Em., Cantab., Christ., Cotton., Bailliol., et edit. Rom. 1470 : impressi 8, *adeo religio deorum;* Egnat. seu Ald. 1515, Paris. 1525, Graph., *an ideo religio deorum.*

Scelus esse dicatur. Sic legendum est ex utroque Bon. codice, et tribus Vaticanis; quia, inquit Thomasius, docti et sapientes cum simularent se magni facere veterum auctoritatem, *dicebant* quidem scelus esse in eam inquirere, non tamen id scelus esse *ducebant*, cum sæpe ipsi multa suorum majorum irriderent. Nec solum *dicatur* habent codices 2 Bonon., 3 Vatic., sed et 5 Colb., Jun., Lips., Tax., Ultr., Em., Cantab., Rostoch., Pen., 2 Clarom. et edit. 2 vet. Rom. ac Is., Gall., Spark., Cellar., Walch.; quasi ita dicant paganorum eruditi, etsi aliter sentiant. In scriptis 4 Reg., 1 Colb., Brun. et 8 impressis, *ducatur.*

Passim. Id est, temere, sine ulla ratione. Vid. not. sup. et l. III, c. 9. Bun.

Lucilio. Ita restitutum ex omnibus ferme mss. et editis. In 1 Reg. rec. ac 4 editis, *Lucillo;* in edit. Graph., *Lucillio.* Hæc Ciceronis verba sunt ex lib. III de Nat. deorum, non longe a principio.

Balbe. Balbus est ipse Lucilius (vid. cap. 5), et Cotta est idem pontifex. Cic. de Nat. deorum lib. I, cap. 22.

Rationis est credere. Absunt a Ciceronis libris *rationis est*; nec vero displicent Grutero. Cell.

Quæ quidem tibi non ab alio insinuata. Sic habent mss. 2 Bonon., Tax., Pen., 5 Vatic., 5 Colb., Em., Cant., Cauc., Pal., Lips., Rostoch., Ult.; 2 Clarom., Brun. et veteres edit. Rom., Paris., Is., aliique Regii quatuor et nonnullæ editiones carent illa negativa, quæ necessario est addenda, ut sensus constet.

Electa est. Mss. 14, *elata est.* Verum Thomasius putat legendum esse : *Elata est.*

Sin autem pietas majores sequi suadet. Thomasius notat huic sententiæ minoribus litteris in codice Bon. hæc verba fuisse superscripta : *Sin autem veritas major est quæ suadet.* Verum in nullo alio codice nobis quidem viso ita habetur; quare nihil mutandum censuimus. Gall. — Quam lectionem immutari non vult Thomasius propter codicis antiquitatem. Attamen minoribus litteris legitur in eodem codice : *Sin autem veritas major est, quæ suadet, fatere igitur.*

Fatere. Sic reposui ex mss. et veteribus editis Rom. In cæteris vulgatis est, *fateris.*

Servierunt. Omnium fere mss. est. In mss. Jun. et in vet. editis sex, *serviunt;* in sex aliis excusis, *servierint.* — *Servierint.* Hoc rectius, quam unius Bon. Reim. et Goth. *servierunt*, aut edd. Sublac., Rost. Ven. 1471-97, Paris., Junt., Crat., Ald., Parrh., Gymn., *serviunt.* Bun.

Quod falsum esse convinceris. Ita lego cum mss. 5 Regiis, quorum duo sunt veterrimi, 7 Vat., 4 Colbert. aliisque multis, ac 10 vet. edit. In scriptis 19, inter quos est 1 Bonon. antiq., et in 6 impressis recentioribus est, *conviceris.* Attamen putat Thomasius ex 1 Bonon. et 5 Vaticanis legendum esse, *quod falsum esse conviceris.* Et hoc, inquit, refertur ad Ciceronem dicentem : *Qui ea ob pietatem sequebatur, quæ falsa esse conviceret.*

Videamus tandem. Mss. 11 et 6 vet. edit. pro *tandem*, repetunt *tamen*, quod proxime præcessit.

Asylum. De quo vide Dionysium Halycarn., Livium., Plutarchum et Strabonem.

Passim. Perottus in Cornu copiæ, ed. Ald. f. 844 *passim* hic exponit per *undique.* Imo significat hic *indistincte*, sine ordine; quod suadent verba, *sine ullo discrimine.* Bun.

Propertius. Lib. IV, Elegia 1, in qua veterum Romanorum frugalitatem cum sui temporis luxu confert.

Buccina cogebat, etc. Hic ordo est manuscriptorum et vet. editorum : plures vulgati prius distichon posteriori ponunt loco. His versibus significat Propertius, primos senatores non usos fuisse togis præ-

Digitized by Google

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit rustica corda Patres.

Hi sunt Patres, quorum decretis eruditi ac prudentes viri devotissime serviunt, idque verum ac immutabile omnis posteritas judicet, quod centum pelliti senes statutum esse voluerunt, quos tamen, ut in primo libro dictum est, cap. 22, Pompilius illexit, ut vera crederent esse sacra quæ ipse tradebat. Est vero, cur illorum auctoritas tanti habeatur a posteris, quos nemo, cum viverent, neque summus, neque infimus affinitate dignos judicavit?

CAPUT VIII.

De rationis usu in religione; deque somniis, auguriis, oraculis, talibusque portentis.

Quare oportet, in ea re maxime in qua vitæ ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio ac propriis sensibus magis niti ad investigandam et perpendendam veritatem; quam credentem alienis erroribus decipi tamquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut et inaudita investigare possent, et audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt; quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est tamquam lux et claritas solis, quia ut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere, id est, veritatem quærere, omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, et ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia majores nominantur. Quid ergo impedit, quin ab ipsis sumamus exemplum; ut quomodo illi, quæ falsa invenerant, posteris tradiderunt, sic nos, qui verum invenimus, posteris meliora tradamus? Superest ingens quæstio, cujus disputatio non ab ingenio, sed a scientia venit, quæ pluribus explicanda erit, ne quid omnino dubium relinquatur. Nam fortasse aliquis ad illa confugiat, quæ a multis et non dubiis traduntur auctoribus; eos ipsos, quos docuimus deos non esse, majestatem suam persæpe ostendisse, et prodigiis, et somniis, et auguriis, et oraculis. Et sane multa enumerari possunt digna miraculo: in primis illud, quod Accius Navius summus Augur, cum Tarquinium Priscum commoneret, ut nihil novi facere inciperet, nisi prius esset inauguratus, eique rex artis ejus elevans fidem diceret, ut consultis avibus renuntiaret sibi, utrumne fieri posset id quod ipse animo concepisset, affirmaretque Navius posse: Cape igitur hanc, inquit, cotem, eamque novacula dissice. At ille incunctanter accepit ac secuit.

VARIORUM NOTÆ.

textatis, sed pellibus, more rusticorum, quorum vestes erant pelles. WALCH. Attamen in omnibus, quas vidi, Propertii editionibus disticon istud *Curia prætexto*, etc., præponitur huic: *Buccina cogebat*, etc., sed hæc sensum non mutant. Vide igitur Propertium libro IV, Elegia 1.

Pro virili portione. Id est æqualiter; namque portiones viriles jurisconsulti ut plurimum æquales interpretantur, quæ scilicet pro numero personarum et in capita constituantur, ut tot fiant, quot sunt et personæ. BETULEIUS.—*Pro virili portione.* Hinc Lactantius, *Sapientia*, inquit, *omnibus* æqualiter *datur*; et l. III, c. 35: *Sapientia sine ullo discrimine omnibus data est*, etc. Addas reliqua. BUN.

Occupari... non potest. Eleganter Seneca, ep. 33, fin.: *Patet omnibus veritas: nondum est* occupata; *multum ex illa, etiam futuris, relictum est.* CELL.

Illibabilis. Vox maxime rara. Mss. 1 Colb., Em., Cantabrig., *illabilis*; 1 Lips., *illibalis*; Gronov., *habilis.* —*Illibabilis.* Id est, nihil ex ea delibari aut decerpi potest. Docte Gronovius ad Senecæ ep. 83, p. 347: DELIBATUM, *quod ab alio sumitur et propagatur sine illius læsione, lumen a lumine accenditur.* Ubi plura. BUN.

Cordis humani. Id est, animæ nostræ, intellectus nostri: loquitur Lactantius more Hebræorum. WALCH.

Pecudum more. Seneca Vit. Beat., c. 1: *Ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes, non qua eundum, sed qua itur... optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt quorumque exempla nobis multa sunt, nec ad* rationem, *sed ad* similitudinem *vivimus.* Conf. L. II, c. 3.

Minores. Id est, posteri, c. 13. Sic sæpe Virgilius, ad quem Servius, Erythræus, Taubman. Cerda plura; et ad Juvenal. Sat. 1, 148. RIGALT.

Quæ falsa invenerant. Scite legitur *quæ* in mss. Regiis, in 3, Colb., Goth., 1 Clarom. ac veterib. editis. In 5 Colb., 1 Clarom. Brun. et vulgatis rec. est, *qui.*

Et auguriis. Auguria non solum apud Græcos, sed et apud barbaras quasque nationes in pretio fuere, Ælian., l. II Var. Hist., c. 31. Hanc ad Græcos scientiam manasse tradente *Telegono*, primo ejus inventore, prodidit Suidas in voce Τηλέγ. At Etrusci se auctores prædicabant, repertoremque extitisse. *Tagem* quemdam. Ovid., l. XV Metamorph.:

Indigenæ dixere Tagem, qui primus Etruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

Qui plura de auguriis vult, adeat Dempsterum, ex quo hæc hausimus. Exempla quæ sequuntur ex Ciceronе potissimum desumpta sunt ex libris de Natura deorum et de Divinatione. Vide etiam Valerium Maxim., l. I, c. 4 et sequent.

Accius Navius. Ita omnes ferme mss. et edit. 1 Bon. antiq. et 1 Colb. a secunda manu, *Nævius.* Aliquibus dicitur *Actius Navius.* In 2 Reg. est *Attus*; apud Ciceronem vulgatum, *Attius Navius.* De hac historia vide Cic., l. II de Nat. deor., et l. I de Divinatione. Extat in Livio, l. I; Floro, l. I, c. 5; Dionys. Halicarn., l. III; Valer. Maxim., l. I, c. de Auspiciis.

Facere. Hæc vox abest a ms. Cant. nec inde sensus deficit. Attamen codices quos mihi videre licuit habent, *facere inciperet*, ut legitur in hac nostra editione.

Nisi prius esset inauguratus. Inaugurare, hoc loco est, auguria consulere. Inaugurabantur etiam loca quando consecrabantur. Et quia creati magistratus munera sibi delegata sine auguriis non adibant, inaugurabantur, hoc est, ut hodie barbare loquuntur, investiebantur. Vide ad hæc Francis. Petrarch., l. IV Rer. Mem., tract. 5, c. 3. BET.

Eamque novacula dissice. Sic habent mss. omnes; atque ita legendum esse censeo cum Cl. Puteano, qui verbum hoc, *dissicio*, erudite explicat: quasi diceres *disseco.* Hæc vox sic legenda apud auctorem nostrum Lactantium, l. III, c. 17, non *disjice*, ut vitiose impressi fere omnes habent, si excipias tamen editionem Rostoch. anni 1476, quæ habet *dissice*: qua

Digitized by Google

Deinde illud, quod Castor et Pollux, bello latino, apud Lacum Juturnæ visi sunt equorum sudorem abluentes, cum ædes eorum, quæ juncta fonti erat, sua sponte patuisset : iidem bello macedonico equis albis insidentes, Publio Vatieno Romam nocte venienti se obtulisse dicuntur, nuntiantes eo die regem Persen victum atque captum, quod paucis post diebus litteræ Pauli verum fuisse docuerunt. Illud etiam mirabile, quod simulacrum Fortunæ muliebre non semel locutum esse traditur; item Junonis Monetæ, cum, captis Veiis, unus ex militibus ad eam transferendam missus, jocabundus ac ludens interrogavit, utrumne Romam migrare vellet, respondit velle. Claudia quoque proponitur in exemplum miraculi. Nam cum ex libris Sibyllinis Idæa mater esset accita, et in vado Tiberini fluminis navis qua vehebatur hæsisset, nec ulla vi commoveretur, Claudiam A ferunt, quæ semper impudica esset habita ob nimios corporis cultus, deam submissis genibus orasse, ut, si se castam judicaret, suum cingulum sequeretur, ita navim, quæ ab omni juventute non valuit commoveri, ab una muliere esse commotam. Illud æque mirum, quod lue sæviente, Æsculapius, Epidauro accitus, urbem Romam diutnrna pestilentia liberasse perhibetur.

Sacrilegi quoque numerari possunt, quorum præsentibus pœnis injuriam suam dii vindicasse creduntur. Appius Claudius Censor, cum adversus responsum ad servos publicos sacra Herculis transtulisset, luminibus orbatus est, et Potitiorum gens, quæ prodidit, intra unius anni tempus extincta est. Item Censor Fulvius, cum ex Junonis Laciniæ templo marB moreas tegulas abstulisset, quibus ædem Fortunæ

VARIORUM NOTÆ.

de re vide Pareum in suo Lexico Critico, ubi hoc verbum ex antiquis auctoribus explicat. In ms. Rohanneo legitur *deffice*, sed male; at Sangermanens. habet *dissice*, ut alii codices.

Et Pollux. Hæc historia legitur apud Plutarch. in Paulo Æmilio : meminerunt et Valer. Maxim., l. I, c. de Miraculis ; Ovid., l. I Fast. ; Cic., l. II et III, de Nat. deor.

Juturnæ. Mss. 1 Reg. rec., 1 Colb. et Brun., *Diuturnæ ;* al. 1 Reg., Tornes., 1 Colb., *Miturnæ ;* 1 Clarom., *Uniturnæ;* 1 Bonon. antiq., *Saturni.* Juturna Dauni filia, Turni Rutulorum regis soror, cujus nomine fons et lacus erat influens in Numium Fluvium in Latio non longe a Lavinio. Hujus mentio fit II Fastor. ab Ovidio. —*Apud lacum Juturnæ.* Vid. GroC nov. ad Minuc. Fel., c. 7, p. 62. Auctor quidem est Dionys. Halic., l. VI Ant.f. 351, in bello Latino simile quid accidisse : sed hanc historiam, loco cit. ad aliud tempus, ad macedonicum scil. bellum, cum Floro, l. 2, c. 12 rectius refert. Lapsus ergo est Lactantius ; quomodo enim bello Latino ædes Castorum potuit patere, quæ post id bellum demum a Posthumio dedicata, secundum Ciceronem, l. III de Nat. deor., c. 5; Liv.,l. II, c. 42, Dionys. c. l. Bun.

Ædes... erat... patuisset. Goth., *ædes, quæ junctæ fonti erant, patuissent*, plurali numero de templo ; neque male, ut contra Vallam docet Alexand. ab Alex. Dier. Gen., l. VI, c. 9, de Duobus templis. Livius, l. XL, c. 34 : *Ædes duæ dedicatæ sunt... hæ ædes dedicatæ.* L. XLV, c. 2. Ad Voss. de Analog. L. I, c. 43. Bun.

Publio Vatieno. Ita restituimus ex mss. 10 Reg., 5 Colb., 2 Clarom. ac editis Rom. 1470 et Betul., faventibus mss. 1 Colb. et Brun., quibus est *Vatreno* D pro *Vatieno ;* in multis editis, *Vatinio.* Apud Cic., l. III de Nat. deor., n. 11, leg. *Vacieno*, et in marg. *Vatieno : c* et *t* sæpe confunduntur in manuscriptis.

Eo die regem Persen victum atque captum. Ex Livii l. XLIV, fin., et l. XLV, princ. item Plutarchi Æmilio, f. 266... 269, clarum, vel quatuor aut plures victum inter et captum intercessisse dies : Lactantius vero sequitur Ciceronem. Quod Florus, l. II, c.12 : *Eodem die quo victus Perses in Macedonia, Romæ cognitum est.* Plin., l. VII, c. 23 : *Castores romani persicam victoriam ipso die, quo contigit, nuntiavere;* et Minuc.7 : *Victorium eodem die, quo fecerant, nuntiavere.* De *victo* tantum dixere ; id *de capto* etiam expresse Cicero, l. II de Nat. deor., c. 2 : *Tyndaridæ Persen victum nuntiavere. P. enim Vatienus, quum... venienti noctu duo juvenes cum equis albis dixissent, regem Persen* illo die captum, *senatui nuntiavit.* Videtur Vatinius Persen illo die *captum* ex suo ad *victum* addidisse, aut Cicero Valerium Max. et Lactantium in errorem induxisse. Conf. Freinsh. et Duker. ad Flor., c. l. pag. 405. Buneman.

Simulacrum Fortunæ muliebre. Sic reposui ex antiquioribus et potioribus mss. In recentioribus et in vulgatis est *muliebris.* Super hoc lege Dionys. Halic., l. VIII ; Plutarch. in Coriolano ; Livium, l. II ; Valer. Maxim., l. I, c. de Miracul.; S. Augustin., l. IV de Civit. Dei, c. 19.

Junonis Monetæ. Ms. 1 Bon. antiq., *Monitæ.* Juno *Moneta* a monendo cognominata. Cic., l. I de Divinatione, c. 45, et l. II, c. 32. Junonis Monetæ historia est apud Livium, l. V ; Valer. Maxim., l. I, c. de Miraculis. Plutarchus in Camillo scribit, Monetæ templum eo loco fuisse, quo Manlii Capitolini domus C fuerit.

Interrogavit. Ita mss. antiquiores et meliores. Recentiores et editi legunt, *interrogaret.*

Claudia quoque. Hæc historia est apud Livium l. IX, Decad. III ; apud Herodianum, l. I ; apud Ovid., l. IV Fastor. — *Claudia.* De hac plures auctores indicavit Savaro ad Sidon. Apollin. Carm. 24, pag. 207. Buneman.

Proponitur in exemplum. Ita edo ex Reimm., Goth. et Lip. tert. III Vet. Interpr. Lat. Nabum 3, 6, *Ponam te in exemplum.* Scite Minuc. Felic., c. 36, *aliquem* in exemplum *prædicare.* Immo ipse iterum Lactantius, l. III, c. 6. *Quod proponi solet in... exemplum.* Buneman.

Æsculapius Epidauro. Hujus historiæ meminit Livius, lib. X ; et Plutarch., in Probl.

Appius Claudius Censor. Vid. Val. Max. l. I, cap. 1 ; Livium, IX, cap. 29. Cell.

Adversus responsum. Hæc duo verba desunt in mss. 1 Bon. antiq. et 3 Reg.

Orbatus est. De Appii Claudii cæcitate lege Ciceronem in Catone majore.

Et potitiorum gens. Livius d. l. *Potitia gens, cujus ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat,* etc. Erat tum in XII familias divisa : quo mirabilius, *omnes intra annum cum stirpe extinctos.* Livius ibidem. Cell.

Censor Fulvius. De hoc lege Livium, Decad. V, lib. II, et Valer. Maxim., de Neglecta religione.

Junonis Laciniæ. Ita legendum ex potioribus mss. Reg., 5 Colb., Tornes., 1 Clarom., Tornes., Brun., et omnibus fere editis, ac Virgil. Æneid. lib. III, v. 552; Plin., lib. II, cap. 7; Arnob., lib. VI. In 1 Clarom., *Lasciniæ*, pravæ; in antiq. 1 Bon. et 1 Reg. ac edit. Jun., *Lucinæ ;* 1 Colb., *Liciniæ.* Vide Valer. Max., lib. I, cap. 1, n. 20. Juno Lacinia a Promontorio

Digitized by Google

equestris, quam Romæ fecerat, tegeret, et mente captus est, et amissis duobus filiis in Illyrico militantibus, summo animi mœrore consumptus est. Præfectus etiam M. Antonii Turullius, cum apud Coos everso Æsculapii luco classem fecisset, eodem postea loco a militibus Cæsaris est interfectus. His exemplis adjungitur Pyrrhus, qui sublata ex thesauro Proserpinæ Locrensis pecunia, naufragium fecit, ac vicinis deæ littoribus illisus est, ut nihil, præter eam pecuniam, incolume reperiretur. Ceres quoque Milesia multum sibi apud homines venerationis adjecit. Nam cum ab Alexandro capta civitas esset, ac milites ad eam spoliandam irrupissent, omnium oculos repente objectus fulgor ignis extinxit.

Reperiuntur etiam somnia, quæ vim deorum videantur ostendere. Tiberio Namque Attinio, homini plebeio, per quietem obversatus esse Jupiter dicitur, et præcepisse, ut Consulibus et Senatui nuntiaret, ludis Circensibus proximis præsultorem sibi displicuisse, quod Antonius Maximus quidam diverberatum servum sub furca medio circo ad supplicium duxerat, ideoque ludos instaurari oportere; quod cum ille neglexisset, eodem die filium perdidisse, ipse autem gravi morbo esse correptus: et cum rursus eamdem imaginem cerneret quærentem, satisne pœnarum pro neglecto imperio pependisset, lectica delatus ad Consules, et omni re in Senatu exposita, recepisse corporis firmitatem, suisque pedibus domum rediisse. Illud quoque somnium non minoris fuit admirationis, quo Cæsar Augustus dicitur esse servatus. Nam cum bello civili Brutiano, implicitus gravi morbo, abstinere prælio statuisset, medico ejus Artorio Minervæ species obversata est, monens ne propter corporis imbecillitatem castris se contineret Cæsar. Itaque in aciem lectica perlatus est, et eodem die a Bruto castra capta sunt. Multa præterea exempla similia possunt proferri: sed vereor ne, si fuero in propositione rerum contrariarum diutius immoratus, aut oblitus esse propositi videar, aut crimen loquacitatis incurram.

VARIORUM NOTÆ.

cognomine juxta Crotonem; sic Virgilius lib. III Æneid.]:

Attollit se dira Lacinia contra.

Ædem Fortunæ equestris. Quam Proconsul voverat bello Celtiberico, Livius lib. XL, c. 40, et post sex annos dedicabat Censor, seu ex Censura, idem lib. XXXXII, c. 18. Vetus inscriptio apud Grut., p. 75, n. 4:

FORTUNÆ EQ. SACRIS.

CELLARIUS.

Turullius. Sic plurimi mss. et editi. At in mss. 1 Reg. rec. est, *Curullius;* 1 Clarom., *Turallius;* 1 Colbert., *Turtullius;* 1 al. Colb., *Turculius;* 3 Colb. et Brun., *Thurillius;* Torn., *Turillus;* al. Clarom. et Em., *Tertullius.* De hoc etiam vide Valerium Maxim. capite jam citato. — *Præfectus... M. Antonii Turullius.* Fuit ex percussoribus Cæsaris, postea Antonio triumviro amicus, ut Dio l. LI, p. 448. CELL.

Loco. Ms. 1 Clarom. ac editi Ald., Paris. 1525, Graph., Is., *luco:* sed male; siquidem luco everso tantum supererat locus.

Cæsaris. Augusti scilicet.—*A militibus Cæsaris.* Cæsaris Octaviani triumviri, cui Turullius ab Antonio 44 traditus fuit; Dio ibid. CELL.

Pyrrhus. De hoc vide Valerium ibidem.

Ex thesauro Proserpinæ Locrensis. De hac spoliatione Valer. Maximus lib. I, cap. 1, extern. 1 et Livius lib. XXIX, cap. 8. Uterque etiam aliam ejusdem fani spoliationem memorant, a Pleminio Scipionis legato factam, eamdemque non impunitam. CELL.

Milesia. De qua vide Valerium.

Capta civitas. In Fabri thesauro legimus: *Lactantio est vox* (civitas) *pro urbe;* notavit quoque Walchius in Diatr., p. 60, ex Lact. l. III, cap. 21. Adde, l. IV, cap. 13; lib. VI, c. 6; lib. VII, cap. 26, cap. 24, ut omittam, Vossium statuere Cæsarem l. I. B. Civ., c. I, dixisse *civitatem*, pro urbe Roma. BUN.

Objectus fulgor ignis. Doctiss. Francius suspicabatur legendum esse, *objecti fulgor ignis.*

Somnia. Huc pertinet Val. Max. lib. I, c. 7, integrum. BUN.

Per quietem. Scite Latini insomnia *quietis* vocabulo significant. CELLAR.—De hoc vide Valerium, cap. de Insomniis; Ciceronem, lib. I de Divinat., Dionys. Halicarn., lib. VII; Plutarch., in Coriolano; vide et S. August. de Civitate Dei lib IV, cap. 26.

Præsultorem. Sic habent cuncti fere mss. et editi, et sic Valerius Max. d. l. At Cicero et Arnob. lib. IV, *præsulem;* Livius, *præsultatorem*, qui saltando initium facit ludorum.

Antonius. In edit. Buneman. legitur *Antronius*, sequensque de hoc nomine habetur nota.—*Antronius.* Sic habent mss. Lips., Goth., Rost., Ven., 1471, utraque Gryph. In Macrobii ed. Gronov. 1670, lib. I, Sat. 21, legitur, AUTRONIUS. In mea rariori Brixiensi 1485, et alia Ven. 1500, in Macrobio, ATRONIUS: In pluribus Lact. Ven. 1493, 97. Parrh., Paris. et pluribus, *Antonius.* Ex voce, *quidam*, posset videri homo obscurus. at dicitur Dionysio in Antiq. f. 473, ἀνὴρ οὐκ ἀφανής. Lipsio lib. III de Cruce, cap. 3, rectius nomen videtur, *Autronius.* Ciceroni in Bruto, cap. 68, memoratur *P. Antronius.* BUN.

Servum sub furca. Moris erat servos infidos sub furca virgis cædere; ille vero qui hoc supplicii genere fuerat affectus, Furcifer audiebat, ut refert Plutarchus in Coriolani vita. GALLÆUS.

Ipse autem gravi morbo esse correptus... lectica delatus, etc. Sic restitui ex potioribus mss. 2 Reg., 2 Colbert., 2 Clarom. Subintellige utrobique verbum *dicitur*, quod præcessit; alioquin syntaxis non constabit, sicut nec in lectione, *est correptus:* quæ est 1 Colb., Brun. et ed. Rom. 1468, 1470, Paris. 1525, neque in ea, *ipsum autem gravi morbo esse correptum... lectica delatus*, quæ est 2 Reg. et 2 Colb. ac plurimum editorum.

Illud quoque somnium, etc. Variant nonnihil scriptores; quidam enim tradunt, Augustum propter illud somnium in aciem descendisse, alii vero, propter idem somnium prælio non adfuisse. Lactantius Auctorem habuit Valerium lib. I, cap. de Somniis. Vide et Plut., in Brut., ad fin.; Suet. in Octav. cap. 13 et 9; Appian. ad fin IV de Bell. Civil.; Paterc., ibidem; et Flor. l. IV, cap. 6; Tertull. in lib. de Anima. ISÆUS.

Augustus. Cum de hoc dissentiant Scriptores, vide Suetonium, Plutarch., Paterculum, Florum.

Obversata. Rost., Ven. 1471, utraque 78, 93, 97. Paris., *observata:* at rectius et elegantius mss. et Parrh., Ald., Gymn., Gryph., Tornæs., Thom. et eum secutæ edd., *obversata.* Sic supra, *per quietem* obversatus... *Jupiter.* Confusæ quoque hæ voces in codd. Valerii Max., lib. I, cap. 7: *Atque eadem animo ejus* obversata *est* species. BUNEMAN.

Crimen... incurram. Sic libri sine præpos. In. Iterum lib. VI, cap. 25: *Ne quis tumoris et arrogantiæ* crimen *incurrat.* Scriptoribus sacris hoc solemne. Arnob., l. IV, p. 138, *stultitiæ crimen incurrat.* Cypr. exhort. ad Mart. f. 385... *incurrere æterna supplicia.* Sulp. Sev., lib. II, Dial. 9, *venantium agmen incur-*

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Diabolo, Mundo, Deo, Providentia, Homine et ejus sapientia.

Exponam igitur omnium istorum rationem, quo facilius res difficiles et obscuræ intelligantur, et has omnes simulati numinis præstigias revelabo, quibus inducti homines, a veritatis via longius recesserunt. Sed repetam longe altius; ut si quis ad legendum veri expers et ignarus accesserit, instruatur, atque intelligat, quod tandem sit

Caput horum et causa malorum;

A et, lumine accepto, suos ac totius generis humani perspiciat errores.

Cum esset Deus ad excogitandum providentis simus, ad faciendum solertissimus, antequam ordiretur hoc opus mundi (quoniam pleni et consummati boni fons in ipso erat, sicut est semper), ut ab eo bonum tamquam rivus oriretur, longeque proflueret, produxit similem sui spiritum, qui esset virtutibus Dei Patris præditus. Quomodo autem id voluerit, in quarto libro docere conabimur (*scilicet cap.* 6). Deinde fecit alterum, in quo indoles divinæ stirpis non permansit. Itaque sunpte invidia tamquam veneno infectus est, et

VARIORUM NOTÆ.

rimus. Buneman.

Et has omnes simulati numinis præstigias revelabo. Ita mss. plerique Regii et Vaticani, 6 Colb., Pen., 1 Clarom., Brun., omnesque editi præter Rom., 1468 et 1470, in quibus est, *simulatas;* in Regio-Put., *et has omnes simulationum in his præstigias revelabo;* in Bon. antiq., *et has omnes simulationum causas in his præstigiis revelabo;* in 1 Clarom., *et has omnes simulationum causas in his præstigiis simulati numinis præstigias revelabo.*

Inducti. Mss. 1 Bon. antiq. et 1 Clarom., *indocti.*

Instruatur. Ita quamplurimi mss. et ed. Cellar. In octo rec. mss. et cunctis ferme editis, *Instituatur.*

Caput. Ex Virgil. II Æneid.

Perspiciat errores. Post hæc verba in decem rec. mss. et in plurimis impressis sequentia hæc leguntur: *Sicut mater sine exemplo genuit auctarem suum, sic ineffabiliter Pater genuisse credendus est coæternum. De matre natus est, qui jam ante fuit; de Patre, qui aliquando non fuit: hoc fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare.* Sed illa non reperiuntur in antiquissimis mss., 1 Bonon., 2 Reg., Cauc., 3 item aliis Regiis, 8 Vaticanis, 1 Sorbon., 4 Oxon., Tornes., Betul., Gat., 2 Colb., 1 Clarom., edit. Is., Spark. aliisque. In 1 Clarom. cod. margine scriptum est: *Hæc non credo esse Lactantii verba.* In editionibus antiquissimis 1475 et 1490, paulo post medium legitur, *non defuit;* sicut et in mss. Rohanneo et Sangermanensi. At rectius illa sustuleris, quam si in emendandis (quod alii faciunt) operam luseris. Etenim ab Arianis addita sunt, et redolent hæresim Arianam, quæ toties de Christo pronuntiavit Ἦν ὅταν οὐκ ἦν. Ego hæc in textum propter illos maximo numero mss. non esse admittenda puto cum Gallæo. Betuleius qui hæc verba admittit in textu Lactantiano, monet tamen ea non esse in veteri codice, ac nil non movet, ut ipse sensum his tribuat Catholicum, fateturque ea sapere hæresim Arianam. Verum præstantissima editio Coloniensis anni 1544, illa non admittit nisi minutiori charactere, monetque ea non haberi in manuscriptis quibus editor usus est.

Deus ad excogitandum providentissimus. Sic habent multi antiquissimi et optim mss. quod ex infra sequentibus confirmatur: *Et maximum Filium præfecit operi universo; eoque simul et consiliatore usus est et artifice in excogitandis, ornandis perficiendisque rebus, quoniam is et providentia, et ratione et potestate perfectus est.* Et inferius: *Providentia excogitandi, et solertia potestasque faciendi.* In 8 rec. scriptis et in editis est, *prudentissimus.*

Ordiretur hoc opus mundi. Post hæc verba in mss. Marm., Goth. et in multis impressis hæc sequuntur: *Fecit in principio bonum et malum; id plane quid sit, apertius explicabo, ne quis me ita loqui arbitretur, ut poetæ solent, qui res incorporales quibusdam figuris quasi visibilibus comprehendunt, cum præsertim* (vel *præter*) *ipsum adhuc nihil esset.* Sed quia Manichæam hæresim asserunt, a qua Lactantius plane fuit alienus,

B ut patet ex sequentibus, e textu expunximus tamquam adulterina manu addita; non enim inveniuntur in antiquiss. Bon., Tax., 8 Regiis, 6 Colb., 2 Clarom., undecim Vaticanis, 2 Br., nec Oxoniensibus, nec in mss. Jun., Rohan. et Sangerm. His etiam carent optimæ editiones Rom. 1468; 1470, Veneta anni 1490, Florentina, Plantiniana, Cratandri 1524, Ald. 1515, Antuerp. Gymnici 1539, et Grach. Gallæus.

Bonum. Sic reposuimus ex antiquissimis et optimis mss. 2 Bonon., 12 Vatic., 6 Reg., quorum unus est 900 annorum, 6 Colb., Tax., Pen., 1 Clarom., ed. Tornes., Is., Cellar., mss. Cauc., 2 Reg. rec. et 12 edit., *bono.* Mss. Regio-Puteanus, Ultr., Clarom. et Brun., *bonus.* Bonæ sunt tres illæ lectiones, quæ mss. codicum auctoritate fulciuntur.

Similem sui spiritum. A S. Hieronymo Epist. ad Pammach. erroris redarguitur Lactantius, quod Dei Filium Dei *spiritum* appellaverit locutione cæteris usitata Patribus, Tertulliano Apologet., cap. 21, de Orat., c. 1, adv. Marcion., lib. I, cap. 19, lib. III, cap. C 6 et 16, lib. IV, cap. 21, adv. Prax., cap. 26; Cypriano de Vanit. idolol. num. 71, juxta Pamelium, etc. Vide S. Thom. 1 part. quæst. 36, art. 1. *Ex* Isæo. in mss. Brun. et Colb., *similem sibi.* At male Lactantius dixit, Patrem *produxisse* Filium; Filius enim non fuit *productus,* sed *genitus.*

Quomodo autem id voluerit, in quarto libro docere conabimur, etc. Sic legendum est cum 7 Reg., 12 Vatic., 2 Bon., Cauc., Tax., Pen., 6 Colb., 3 Oxon., Ultr., 2 Clarom., Em., Cant., Brun., Jun., Sic vet. edit. Rom. 1468, Venet. 1490, Ald. 1515 et aliæ 7 editiones. Nonnullæ cum mss. 3 Reg. et Balliol., *fecerit,* pro *voluerit: cum solus esset,* sed male, quia Christus non potest dici umquam solus fuisse, ut dictum est in notis ad l. I, c. 7. Isæus.—*Quomodo autem id voluerit;* hæc verba Heumannus putat esse additamentum.—Buneman habet, *Quomodo autem id fecerit, cum solus esset, in libro,* etc., duasque in hunc locum exhibet notas, quæ sequuntur. — *Quomodo autem,* etc., l. D IV, c. 6 et seq. *Deus igitur machinator... rerum, sicut in secundo libro diximus, antequam... opus mundi adoriretur, sanctum... spiritum genuit.* Hoc ibid. ex Hermete exprimit, ἐπεὶ τὸν δεύτερον ἐποίησε θεόν; item ex Sibylla, ἐποίησε. Sunt autem Lactantio, *fecit, genuit, produxit, procreavit,* synonyma. Hinc ulterius lib. IV, cap. 8, ut nostro loco quærit: *Quomodo igitur procreavit.* Idem suadet Epit. cap. 42: *filium sibi progenuit;* deinde, *secundum* fecit *deum visibilem... Quum ergo hunc fecisset primum.* Quæ commode explicat Pfaffius in Dissert. Prælimin. ad Epit., § 28, pag. 35, ex Act. II, 36 et Hebr. II, 2.—*Fecerit, quum solus esset.* Hæc putavi textui inserenda ex Gryphiana, Goth. vero legit, *fecerit, quum solus est.* In libro quarto enim, cap. 8, *Deus... quum solus adhuc esset... ad creandum* (id est generandum, gignendum) *societate alterius non indigebat.* Bun.

Invidia tamquam veneno infectus est. Quod confirmatur Sap. cap, II, v. 24: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Irenæus quoque, lib. IV adv. hær.,

Digitized by Google

ex bono ad malum transcendit; suoque arbitrio, quod a Deo illi liberum datum fuerat, contrarium sibi nomen adscivit. Unde apparet cunctorum malorum fontem esse livorem. Invidit enim illi antecessori suo, qui Deo Patri perseverando, cum probatus, tum etiam charus est. Hunc ergo ex bono per se malum effectum Græci διάβολον appelant; nos criminatorem vocamus, quod crimina, in quæ ipse illicit, ad Deum deferat. Exorsus igitur Deus fabricam mundi, illum primum et maximum Filium præfecit operi universo, eoque simul et consiliatore usus est, et artifice in excogitandis, ornandis, perficiendisque rebus, quo-

VARIORUM NOTÆ.

cap. 78, lib. v, cap. 24; et Cyprianus, lib. de Zelo et Livore, post init., etiam asseruere diabolum peccavisse superbiæ indissolubili nexu, juxta Augustinum lib. I de Genes. ad litter., c. 14, conjuncta invidia, tam in Dei Filium, quam in hominem, ex Lactantio, lib. II, c. 8 et 12. Vide Estium in lib. II Sentent., distinct. 6, § 2 et 3. — *Itaque suapte invidia.* Non primo; sentiunt enim SS. Patres, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius M. et S. Thomas, diabolum primo peccasse peccato superbiæ. Consequenter vero peccasse peccato invidiæ dicitur, affectando excellentiam quamdam singularem. Ex sacro textu dicitur: *In veritate non stetisse* (*Joan.* VIII, 44).

Quod ab Deo illi liberum datum fuerat. Poterant hæc abesse, et fere suspecta sunt mihi æque ac l. II, cap. 14, ubi eadem in optimis manuscriptis non habentur. BUN.

Livorem. Vide Sapient. c. II, 24.

Cum probatus, tum etiam charus est. Ita restitui ex mss. antiquissimis 1 Bonon., 1 Regio-Put., 1 al. Reg., 1 Colb. aliisque, faventibus 1 Reg., 1 Colb., Pal., Lips., Brun., et edit. Gymnic. in quibus est, *comprobatus*; in 1 Clarom. et ed. Ald., Paris., Crat., Graph., *tum comprobatus*; in 4 Colb., 1 Clarom. et 6 editis, *tum probatus*.

Per se malum effectum. Hæc pugnant cum doctrina Manichæorum, qui putant Deum auctorem mali fuisse. Hic e contra angelus, qui bonus esset, per se malus effectus est.

Ad Deum deferat. Post hæc verba in mss. 1 Reg. 900 annor., 1 al. Reg., rec., Marm., Balliol, et in nonnullis editis sequitur: *Cur autem justus Deus talem voluerit esse, quantum sensus nostri mediocritas poterit, explanare conabor. Fabricaturus Deus hunc mundum, qui constaret in* (vel *ex*) *rebus inter se contrariis atque discordibus, constituit ante diversa, fecitque ante omnia duos fontes rerum sibi adversantium, inter seque pugnantium, illos videlicet duos spiritus, rectum atque pravum, quorum alter est Deo tanquam dextera, alter tanquam sinistra, ut in eorum essent potestate contraria illa, quorum mixtura et temperatione mundus, et quæ in eo sunt, universa constarent. Item facturus hominem, cui virtutem ad vivendum proponeret, per quam immortalitatem assequeretur, bonum et malum fecit, ut posset esse virtus; quæ nisi malis agitetur, aut vim suam perdet, aut omnino non erit. Nam ut opulentia bonum videatur, acerbitas egestatis facit; et gratiam lucis commendat obscuritas tenebrarum; valetudinis et sanitatis voluptas ex morbo ac dolore cognoscitur: ita bonum sine malo in hac vita esse non potest. Et utrumque licet contrarium sit, tamen ita cohæret, ut alterum si tollas, utrumque sustuleris; nam neque bonum comprehendi ac percipi potest sine declinatione ac fuga mali, nec malum caveri ac vinci sine auxilio comprehensi ac percepti boni. Necesse igitur fuerat, et malum fieri, ut bonum fieret. Et quoniam fas non erat, ut a Deo proficisceretur malum* (*neque enim contra se ipse faciet*), *illum constituit malorum inventorem; quem cum faceret, dedit illi ad mala excogitanda ingenium, et astutiam, ut in eo esset et voluntas prava, et perfecta nequitia, et ab eo contraria virtutibus suis voluit oriri, eumque secum contendere, utrumne ipse plus bonorum daret, an ille plus malorum. Sed rursus quoniam Deo summo repugnari non potest, bonorum suorum potestatem illi ultori* (forte leg. *alteri*) *assignavit, quem supra bonum ac perfectum esse diximus. Ita duos ad certamen composuit et instruxit: sed eorum alterum dilexit, ut bonum filium, alterum abdicavit, ut malum. Postea autem multos genuit alios operum suorum ministros, quos Græci ἀγγέλους nominant; et illos unius, sed repugnantis naturæ, qualis duorum. Sed pars illa corruptibilis non utique statim corrupta est in ortus sui principio; sed post compositum ordinatumque, sicut mox docebimus, a substantiæ cœlestis vigore perversa voluntate descivit. Cæterum in principio pares universi æqua conditione apud Deum fuere, et idcirco Angeli omnes, quorum principes erant illi duo. Cum autem Deus ex his duobus alterum bono præposuisset, alterum malo, exorsus est fabricam mundi, omnibus his, quos creaverat, ministrantibus, et per certa officia dispositis.* Sed hanc orationem tamquam adulterinam in textum admittere noluimus; abest enim a duodecim Vaticanis, 8 Reg. 1 Bon., antiquiss. Tax., Pen., Lips., Nav., Pal., 2 Brun., 4 Oxon., Tornes., Rostoch., 6 Colb., Gat., Vict., 1 Sorbon., 2 Clarom. Abest etiam a mss. Rohanneo et Sangerman. non invenitur in antiquiss. ed. Rom., Venet., 1490, nec in Ald. 1515, Paris., 1525, Graph., Antuerp., 1539, Cratandri 1524, Is., etc. Neque etiam ullo modo admittenda, quamvis stylum Lactantii redoleat, quippe quæ multos errores continet: primo docet Manichæum errorem, nempe Deum creasse duo principia, unum boni, alterum mali. Falsum etiam est, bonum et malum ita cohærere, ut si unum, etiam alterum sustuleris; in cœlo enim hoc non obtinet. Deinde diabolum cum Dei Filio confert, quod plane impium, ac ab Ariano quopiam excogitatum. Etiam hoc ἀντίγραφον, Deum habuisse in creatione Angelos operis sui ministros; immo et Lactantio repugnans, qui hoc eodem cap. sic inquit: *Quomodo igitur ab homine divina illa vis differret, si ut homo, ita etiam Deus ope indigeat aliena?* GALLÆUS.

Illum primum et maximum Filium. Cave putes Lactantium arbitrari, angelos Dei filios natura esse, et ita vel ad Dei naturam illos extollere, vel Filium Dei ad naturam angelorum dejicere. Lactantius unum Dei Filium Jesum, et cognovit, et docuit, ut infra hoc libro, cap. 17, et lib. IV, cap. 8, ipsumque Deum de Deo confitetur eodem cap. 8 et cap. 18 ejusdem libri IV: *Quid*, inquit, *de hujus crucis indignitate dicemus, in qua Deus a cultoribus Dei suspensus est atque suffixus?* Idem habet eodem lib. IV, cap. 10, 13, 14 et 29, item de lumine lumen eodem cap. 29, Patri consubstantialem cap. eodem: *Utrique*, inquit, *una substantia est;* ejusdem cum eo potestatis hoc eodem lib. cap. 17: *Solus* inquit, *habet rerum omnium cum Filio potestatem;* et unum cum Patre toto capite eodem; et cap. 8 ejusdem libri IV, citat illud Joannis, et confitetur: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* in quo divinitas et coæternitas Filii luculenter asseritur. Omnia denique per ipsum facta fuisse confirmat hoc loco, et lib. IV, cap. 6 et cap. 8, in fine. Potius igitur ex Lactantio confoditur Arius, quam ut ei vel minimum assentiatur. Cum igitur Lactantius hic et lib. IV, cap. 6, angelos censere Dei filiorum nomine videatur, respectu quidem Verbi, id est unigeniti Filii Dei non univoce, sed æquivoce illo uti nomine putandus est.

Artifice. Id concordat cum verbis Pauli ad Colossenses, cap. I, v. 16 et 17, ubi creatio mundi Verbo tribuitur.

Ornandis. Mss. 1 Bonon. antiq. *ordinandis.* Sed et infra *instruxisse mundum pariter et ornasse.*

Digitized by Google

niam is et providentia, et ratione, et potestate perfectus est : de quo nunc parcius, quod alio loco (*scilicet lib.* IV, cap. 6 et seqq.) et virtus, et nomen ejus, et ratio enarranda nobis erit. Nemo quærat, ex quibus ista materiis tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit; omnia enim fecit ex nihilo.

Nec audiendi sunt poetæ, qui aiunt chaos in principio fuisse, id est, confusionem rerum, atque clementorum; postea vero Deum diremisse omnem illam congeriem, singulisque rebus ex confuso acervo separatis, in ordinemque descriptis, instruxisse mundum pariter et ornasse. Quibus facile est respondere potestatem Dei non intelligentibus, quem credant nihil efficere posse, nisi ex materia subjacente ac parata; in quo errore etiam philosophi fuerunt. Nam Cicero de Natura deorum disputans, sic ait : « Primum igitur non est probabile, eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse divina providentia effectam; sed habere, et habuisse vim et naturam suam. Ut igitur faber, cum quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea utitur quæ sit parata, fictorque item cera : sic isti providentiæ divinæ materiam præsto esse oportuit, non quam ipse faceret, sed quam haberet paratam. Quod si non est a Deo materia facta, ne terra quidem, et aqua, et aer, et ignis a Deo factus est. » O quam multa sunt vitia in his decem versibus! Primum, quod is, qui in aliis disputationibus, et libris fere omnibus providentiæ fuerit assertor, et qui acerrimis argumentis impugnaverit eos, qui providentiam non esse dixerunt, idem nunc quasi proditor aliquis, aut transfuga, providentiam conatus est tollere : in quo si contradicere velis, nec cogitatione opus est, nec labore; sua illi dicta recitanda sunt. Nec enim ab ullo poterit Cicero, quam a Cicerone vehementius refutari. Sed concedamus hoc mori et instituto Academicorum; ut liceat hominibus valde liberis dicere, ac sentire quæ velint. Sententias ipsas consideremus. Non est, inquit, probabile, materiam rerum a Deo factam. Quibus hoc argumentis doces? Nihil enim dixisti, quare hoc non sit probabile. Itaque mihi e contrario vel maxime probabile videtur : nec tamen temere videtur, cogitanti plus esse aliquid in Deo, quem profecto ad imbecillitatem hominis redigis; cui nihil aliud, quam opificium concedis. Quo igitur ab homine divina illa vis differet, si ut homo, sic etiam Deus ope indiget aliena? Indiget autem, si nihil moliri potest, nisi ab altero illi materia ministretur. Quod si fit, imperfectæ utique virtutis est, et erit jam potentior judicandus materiæ institutor. Quo igitur nomine appellabitur, qui potentia Deum vincit? Siquidem majus est, propria facere, quam aliena disponere. Si autem fieri non potest, ut sit potentius Deo quidquam, quem necesse est perfectæ esse virtutis, potestatis, rationis : idem igitur materiæ fictor est, qui et rerum ex materia constantium. Neque enim Deo non faciente, et invito, esse aliquid aut potuit, aut debuit. Sed probabile est, inquit, materiam rerum habere, et habuisse semper vim et naturam suam. Quam vim potuit habere, nullo dante? quam naturam, nullo generante? Si habuit vim, ab aliquo eam sumpsit. A quo autem sumere, nisi a Deo potuit? Porro si ha-

VARIORUM NOTÆ.

Quoniam is et providentia. Mss. 1 Reg. et Rostoch. ac edit. Rom. 1468 et 1470, *prudentia*, quæ parum apposite de Deo dicitur. Est enim virtus *prudentia* hominibus propria, *providentia* Deo, ut recte Thomasius observat.

Poetæ. Hesiodus scilicet et Ovid. initio I Metam. et I Fast. Vide supra l. I, c. 5. Non ideo poetas reprehendit Lactantius, quod chaos quoddam constituerint, e quo postea emerserit universi pulchritudo; sed quod illud fecerint Deo coæternum. Notum est enim ex sacris Scripturis, confusam aliquam indigestamque molem, id est chaos, ex nihilo creasse Deum.

Descriptis. Ita omnes fere mss. et impressi. At 1 Bon. antiq. et 1 Clarom. cum edit. Is., *digestis.*

Credant. Manuscriptorum est; *credunt*, editorum.

De Natura deorum. Scilicet in fragmentis libri I, de Natura deorum.—*Nam Cicero de Natura deorum disputans.* Materiam disputationis significat, non titulum libro præscriptum, quia verba hæc in tribus de Natura deorum libris, quos habemus, non reperiuntur; aut ergo ex libro sunt deperdito, aut ampliores fuere de natura qui sunt deorum.

Providentiæ divinæ. De hac vide librum Lactant. de Ira Dei.

Non quam ipse faceret. Forte legendum, *ipse fecerit.*

In his decem versibus. Latinis *versus* non tantum metrici, sed quæcumque lineæ scripturarum. Cicer.: *Non paginas tantum epistolæ, sed etiam versus syllabasque numerabo.*

Concedamus hoc mori. Ita legendum ex mss. omnibus et editis, præter Torn., Soubr., Thom., Walch., in quibus est, *huic mori;* et Rom. 1470, 2 Paris., Ald., Fasitel., ac Betul., in quibus est, *hoc more;* male. Cicero enim Academicorum more disputabat, atque illi mori concedendum aiebat Lactantius. *Ex* Isæo.

Sententias ipsas consideremus. Ex 4 vet. mss. Regiis, Goth., 1 Clarom. et edit. Cellar., approbante Francio, reposui *ipsas*, quod efficacius est, quam *ipsius* aliorum.

Doces. Omnium est mss. ac edit. Rom. 1468, 1470, Torn., Soubron. In 14 editis legitur, *probas?*

Nihil enim. Sic plurimi mss. Regii, 6 Colb., 2 Clarom., Em., Cant., Brun. et editi supra citati. In mss. 2 Bonon. sex aliis, et in nonnullis editis est, *Non enim.*

Quo igitur ab homine. Ita cum ed. Rom. 1470, Thys., Gall. et Cellar. et mss. omnibus, præter rec., 2 Colb. et Jun. et editos duodecim, in quibus est *Quomodo.*

Divina illa vis differet. Sic restitui ex veterrimis mss. 1 Regio-Put., 1 Bon., 4 Colb., 1 Clarom., Brun., et edit. Gall. 1563, faventibus 1 Reg. antiquissimo, Jun., Lips., Pal., Pen., Ultr., 1 Colb., 1 Clarom., ac editis quibus est *differet*, præter ed. Rom. 1470, in qua, sicut et in 1 Bon., 1 Reg. et 1 Colb. legitur, *differt.*

Ope indiget aliena... Indiget, omnium fere mss. et vet. editorum est; in cæteris impressis et Reg. 1 Colb. et Brun., *indigeat.*

Institutor. Variat; alias *fictor*, alias *factor.* Hæc notio in meo Fabro nondum indicata. Sic Tertullian. lib. V, adv. Marc., cap. 5 : *Patrem dominum* dicit, *et hominis, et universitatis creatorem et* institutorem.

Sumpsit. Manuscriptorum est et vet. editorum ac Cellar. In rec. vulgatis, *assumpsit.*

Digitized by Google

buit naturam, quæ utique a nascendo dicitur, nata est. A quo autem, nisi a Deo potuit procreari? Natura enim, qua dicitis orta esse omnia, si consilium non habet, efficere nihil potest. Si autem generandi et faciendi potens est, habet ergo consilium et propterea Deus sit necesse est. Nec alio nomine appellari potest ea vis, in qua inest, et providentia excogitandi, et solertia potestasque faciendi. Melius igitur Seneca omnium stoicorum acutissimus, qui vidit « nil aliud esse naturam, quam Deum. Ergo, inquit, Deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? » nec enim illam didicit ex ullo. Immo laudabimus : quamvis enim naturalis illi sit, illa sibi illam dedit; quoniam Deus ipse natura est. Cum igitur ortum rerum tribuis naturæ, ac detrahis Deo, in eodem luto hæsitas; versuram solvis, Geta. A quo enim fieri negas, ab B eodem plane fieri mutato nomine confiteris.

Sequitur ineptissima comparatio. « Ut faber, inquit, cum quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed utitur ea quæ sit parata, fictorque item cera : sic isti providentiæ divinæ materiam esse præsto oportuit, non quam ipse faceret, sed quam haberet paratam. » Immo vero non oportuit; erit enim Deus minoris potestatis, si ex parato facit, quod est hominis. Faber sine ligno nihil ædificabit, quia lignum ipsum facere non potest; non posse autem, imbecillitatis est humanæ : Deus vero facit sibi ipse materiam, quia potest. Posse enim, Dei est : nam si non potest, Deus non est. Homo facit ex eo, quod est; quia per mortalitatem imbecillis est, per imbecillitatem, definitæ ac modicæ potestatis : Deus autem facit ex eo, quod non est; quia per æternitatem fortis est, per fortitudinem, potestatis immensæ, quæ fine ac modo caret, sicut vita factoris. Quid ergo mirum, si facturus mundum Deus, prius materiam de qua faceret præparavit, et præparavit ex eo quod non erat? quia nefas est Deum aliunde aliquid mutuari, cum in ipso vel ex ipso sint omnia. Nam si est aliquid ante illum, et si factum est quidquam non ab ipso, jam et potestatem Dei, et nomen amittet. At enim materia nunquam facta est, sicut Deus, qui ex materia fecit hunc mundum. Duo igitur constituuntur æterna, et quidem inter se contraria; quod fieri sine discordia et pernicie non potest. Collidant enim necesse est ea quorum vis et ratio diversa est : sic utraque æterna esse non poterunt, si repugnant, quia superare alterum necesse est. Ergo fieri non potest, quin æterni natura sit simplex, ut inde omnia, velut ex fonte, descenderint. Itaque aut Deus ex materia ortus est, aut materia ex Deo. Quid horum sit verius, facile est intelligi. Ex his enim duobus alterum sensibile est, alterum caret sensu. Potestas faciendi aliquid non potest esse, nisi in eo quod sentit, quod sapit, quod cogitat, quod movetur. Nec incipi, aut fieri, aut consummari quid-

VARIORUM NOTÆ.

Qua dicitis. Sic restitui ex editis Rom. 1468, 1470, Betul., Tornes., Soubron. cunctisque mss. præter 1 Clarom. in quo est, *qua dicis*; in altero Clarom. multisque editis, *qua dicitur*.

Et faciendi. Ita plures editi et omnes mss. præter Cotton. in quo est *ac faciendi;* in multis impressis, *aut faciendi.*

Seneca. Vid. Senec., lib. IV de Benefic., c. 7. Adde Plinium, lib. II, cap. 7; et lib. XXVII, cap. 3. De hoc infra lib. III, cap. 18.

Nec enim. Additum est *enim* ex mss. Regiis, 3 Colb., 2 Brun. et vetustioribus ac melioribus editis : quod in 9 mss. deest.

Naturalis illi sit, illa sibi illam dedit. Ita mss. 2 Bonon., 9 Reg., 4 Colb., 2 Clarom. In scriptis Tax., Pen., Cantabrig. et Brun. editisque pluribus, *illa sit.* In 1 Reg., rec. et ed. Rom. 1470, Ald. 1515, Paris. 1525, Crat., Graph., Gymnic., Fasit. et edit. Colon. 1544, *Naturalis illa ei sit, sibi illam dedit*; quod aptius crederem. In Em., *naturalis illi sit, sibi eam dedit.* Hæ duæ posteriores lectiones mihi non displicent.

Deus ipse natura est. Sic lego cum mss. 2 Bonon., 8 Reg., quorum duo sunt vetustissimi, 3 Colb., 2 Clarom., Tax., Brun. aliisque. Sic infra Lactantius lib. III, c. 26. In 1 Reg., 3 Colb., Jun. multisque editis, *Deus ipsa natura est.*

In eodem luto hæsitas, etc. Duo hæc sunt ex Phormione Terentiano act. V. scen. 2, V, 15. Proverbium est, quo significatur aliquos implicari negotio, quo se extricare nequeunt. Vide, si lubet, Erasmi Adagia Chiliad. I ant. IV, Adag. 99. Prioris meminit idem Lactantius lib. VII, cap. 2. — *In eodem luto hæsitas.* Iterum l. VII, cap. 2 : *In eodem luto, sicut Comicus ait, hæsitaverunt.* Bun.

Versuram solvis, Geta. Mss. 1 Bon. antiq., 3 Reg., Ultr., Brun. aliique addunt *Geta.* Muretus legit, *vorsuram :* alii *vorsura* scriptum volunt a Terentio. *Versuram* autem *solvere* Budæo dicuntur, qui ut syngraphum unam dissolvant, et una cautione se liberent, C pecuniam mutuam majori fœnore iterum accipiunt, etc. Competit in eos, qui sic implicantur difficili negotio, ut se nequeant sine magno dispendio extricare. Erasm. — Translatio est a viatoribus, qui statim ut in lutum inciderint, alterum pedem educere conati, altero altius immerguntur.

Fieri negas. Ita mss. vetustissimi et optimi 1 Bonon. et 2 Reg., 6 Colb., Cant., Em., 2 Clarom., Brun., 2 vet. edit. Rom., Ald., Paris., Graph., Crat. et Gallica versio. At rec. mss. 2 Reg., 7 editi post *fieri* addunt *mundum;* sed perperam. Vide præcedentia.

Quam ipse faceret. Forte legendum, *quam ipsa fecerit.*

Ædificabit. Ita reposui ex mss. præter 1 Reg. in quo legitur *ædificavit, v* pro *b.* In editis est, *ædificat.*

Facit ex eo. Sic mss. et vet. editi. In octo impressis rec. est, *fecit.*

Præparavit, et præparavit ex eo. Sic codices Bononienses atque unus Vaticanus, teste Thomasio, qui D hanc repetitionem concinnam invenit; cum prius in editis semel tantum legeretur, *præparavit ex eo.*

Nefas est. Ita restitui ex mss. In 2 Reg. rec. et editis, *nefas esset.*

Nam si est aliquid ante illum, potestatem Dei et nomen amittet. Sic emendavimus ex mss. codicibus antiquissimis 1 Bonon., 5 Reg., 4 Colb., 1 Clarom., Em., Balliol., 2 Brun. Mire variant cæteri mss. et editi, quorum nobis videntur incongruæ lectiones. Sed lectio quam admittimus optimum efficit sensum, quod prius non erat in quibus legebatur his verbis; *Nam si est aliquid ante illum factum.*

Non poterunt. Sic lego cum omnibus prope mss. et veteribus editis. Cæteri vulgati cum 2 Colb. habent, *potuerunt.*

Itaque aut Deus. Additum *aut* ex cunctis mss. et quampluribus editis.

Nisi in eo quod sentit, quod sapit. Addidimus, *quod*

Digitized by Google

quam potest, nisi fuerit ratione provisum; et quemadmodum fiat, antequam est, et quemadmodum constet, postquam fuerit effectum. Denique is facit aliquid, qui habet voluntatem ad faciendum et manus ad id quod voluit implendum. Quod autem insensibile est, iners et torpidum semper jacet, et nihil inde oriri potest, ubi nullus est motus voluntarius. Nam si omne animal ratione constat, certe nasci ex eo non potest, quod ratione præditum non est; nec aliunde accipi potest id, quod ibi, unde petitur, non est. Nec tamen commoveat aliquem, quod animalia quædam de terra nasci videntur. Hæc enim non terra per se gignit, sed spiritus Dei, sine quo nihil gignitur. Non ergo Deus ex materia, quia sensu præditum ex insensibili, sapiens ex bruto, impatibile de patibili, expers corporis de corporali numquam potest oriri: sed materia potius ex Deo est. Quidquid enim est solido et contrectabili corpore, accipit externam vim. Quod accipit vim, dissolubile est. Quod dissolvitur, interit. Quod interit, ortum sit necesse est. Quod ortum est, habuit fontem unde oriretur, id est factorem aliquem sentientem, providum, peritumque faciendi. Is est profecto, nec ullus alius quam Deus. Qui quoniam sensu, ratione, providentia, potestate, virtute præditus est, et animantia, et inanima creare et efficere potest, quia tenet quomodo quidque sit faciendum. Materia vero semper fuisse non potest, quia mutationem non caperet, si fuisset. Quod enim semper fuit, semper esse non desinit; et unde abfuit principium, abesse hinc etiam finem necesse est. Quin etiam facilius est, ut id quod habuit initium, fine careat, quam ut habeat finem, quod initio caruit. Materia ergo si facta non est, ne fieri ex ea quidquam potest. Si fieri ex ea non potest, nec materia quidem A erit. Materia enim est, ex qua fit aliquid. Omne autem ex quo fit, quia recepit opificis manum, destruitur, et aliud esse incipit. Ergo quoniam finem habuit materia, tum cum factus est ex ea mundus, et initium quoque habuit. Nam quod destruitur, ædificatum est; quod solvitur, alligatum; quod finitur, incœptum est. Si ergo ex commutatione ac fine materia colligitur habuisse principium, a quo alio fieri nisi a Deo potuit? Solus igitur Deus, qui factus non est, et idcirco destruere alia potest, ipse destrui non potest. Permanebit semper in eo quod fuit, quia non est aliunde generatus, nec ortus, nec nativitas ejus ex aliqua alia re pendet, quæ illum mutata dissolvat. Ex seipso est, ut in primo diximus libro (*scilicet*, c. 3 et 7); et ideo talis est, qualem se esse voluit, impas- B sibilis, immutabilis, incorruptus, beatus, æternus.

Jam vero illa conclusio, qua sententiam terminavit Tullius, multo absurdior. « Quod si materia, inquit, a Deo non est facta, nec terra quidem, et aqua, et aer, et ignis a Deo factus est. » Quam callide periculum prætervolavit. Sic enim superius illud assumpsit, tanquam probatione non indigeret; cum id multo esset incertius quam illud propter quod assumptum est. Si non est, inquit, a Deo facta materia, nec mundus a Deo factus est. Ex falso maluit colligere, quod falsum est, quam ex vero, quod verum. Et cum debeant incerta de certis probari, hic probationem sumpsit ex incerto, ad evertendum quod erat certum. Nam divina Providentia effectum esse mundum (ut taceam de Trismegisto, qui hoc prædicat, taceam de carminibus Sibyllarum, quæ idem nuntiant; taceam de pro- C phetis, qui opus mundi, ac opificium Dei uno spiritu ac pari voce testantur) etiam inter philosophos pene universos convenit; id enim Pythagoræi, Stoici, Pe-

VARIORUM NOTÆ.

sentit, ex omnibus scriptis et veteribus editis. Vide ea quæ præcesserunt.

Provisum. Ita restituimus ex mss. Vaticanis, 2 Bon., 8 Reg., Tax., Pen., Lips., Pal., Brun., edit. Rom. 1468, 1470, et edit. Is. In 2 Col., 1 Clarom. et in cunctis fere editis, *prævisum*. Vide infra *ratione, providentia*.

Et quemadmodum. Bis in supradictis 29 mss. Legitur *aut* bis in 2 Reg., 1 Bon. rec., 1 Colb. et in Clarom. et in omnibus ferme editis. In Em. et Christ., *fiat antequam factum est.*

Animal ratione. Hic innuere videtur Lactantius animalia ratione esse prædita.

Contrectabili corpore. Ita emendavimus ex mss. 7 Reg., 6 Colb., 2 Clarom., Brun., aliisque, ac editis Torn., Thomas. In cæteris vulgatis tribusque Regiis rec. est *contractabili*.

Et inanima. Sic mss. 2 Bonon. et 2 Reg. vetustissimi, et complures editi. In 1 Clarom., *inanimia;* in 4 Reg., 3 Colb. et 1 Clarom., *inanimata;* in aliis 3 Reg., 3 Colb. et Brun., *inanimantia*.

Materia. Vide Plutarch. de Placitis philosophor., lib. I, cap. 9.

Quod enim semper fuit, semper esse non desinit. Ex antiquioribus et melioribus editis codicibus omnibusque mss. addidimus *semper esse*, quod deest in pluribus vulgatis et 3 scriptis Oxoniensibus.

Quæ illum mutata dissolvat. Ms. 1 Bonon. antiq., *Quæ illum mutet ac dissolvat.*

Impassibilis. Vide annotata ad libr. de Ira Dei.

Sibyllarum. Initio scilicet sermonis primi.

De prophetis. Hæc ego non de veris prophetis intelligo, sed de alienigenis; ut puta Orpheo, Zoroastre, vel de Persarum magis, Indorumve gymnosophistis, aut Gallorum Druidis vel Semnotheis. Nam sic Augustinus quoque aliquoties horum vatum mentionem facit. Lactantius siquidem hoc agit, ut gentes suorum hominum testimoniis convincat. Quid enim attinebat, Mosen et alios ex professo vero Deo mundi opificium assignantes, cum gentilibus numerari? Betuleius. — Et hoc mihi videtur de veris pro- D phetis etiam intelligi posse. Confer. Huetium, Demonstr. Evangelic., pag. 497.

Id enim. Sic emendavi ex mss. vetustissimis, 2 Bon., 2 Reg. aliisque 4 Reg., 4 Colb., Goth, 1 Lips., 2 Clarom., Brun., et ed. Tornes., Cellar., Walch.; quod aptius est quam plerorumque vulgatorum, *idem etiam*, 2 Colb. et ed. Is., *idem enim*.

Pythagoræi. Ita restitui ex mss. fere omnibus. In 3 Colb., Brun., et in vulgatis, *Pythagorici*. De quo Plutarchus in Placitis philosophor. ait Pythagoram statuisse Deum ut principium omnium.

Stoici. Hi docuerunt nos Dei cognitionem habere ex pulchritudine simul et magnitudine rerum ab ipso factarum; ut Galen. in hist. Philos. retulit, cap. 27. Apud Laertium, in Zenonis Vita, definiunt, Θεὸν εἶναι ζῶον ἀθάνατον. Miror autem quid Hieronymo venerit in mentem, qui capite nono in Ezechielem negat Stoicos providentiam Dei asserere, præsertim cum Senecæ stoici liber egregius de Providentia extet.

Digitized by Google

ripatetici, qui sunt principes omnis disciplinæ. Denique a primis illis septem sapientibus ad Socratem usque ac Platonem pro confesso et indubitato habitum est, donec unus multis post sæculis extitit delirus Epicurus, qui auderet negare id quod est evidentissimum, studio scilicet inveniendi nova, ut nomine suo constitueret disciplinam. Et quia nihil novi potuit reperire : ut tamen dissentire a cæteris videretur, vetera voluit evertere. In quo illum circumlatrantes philosophi omnes coarguerunt. Certius est igitur mundum providentia instructum, quam materia providentiam conglobatam. Quare non oportuit putare, idcirco mundum non esse divina providentia factum, quia materia ejus divina providentia facta non sit : sed quia mundus divina providentia sit effectus, et materiam esse factam divinitus. Credibilius est enim materiam potius a Deo factam, quia Deus omnia potest, quam mundum a Deo non esse factum, quia sine mente, ratione, consilio nihil fieri potest. Verum hæc non Ciceronis est culpa, sed sectæ. Cum enim suscepisset disputationem, qua deorum naturam tolleret, de qua philosophi garriebant, omnem divinitatem ignorantia veri putavit esse tollendam. Itaque deos potuit tollere, quia non erant. Cum autem providentiam divinam, quæ est in uno Deo, conaretur evertere, quia contra veritatem niti cœperat, deficientibus argumentis, in hanc foveam necessario decidit, unde se extricare non posset. Hic ergo illum teneo hærentem, teneo defixum, quo Lucilius, qui contra disserebat, obmutuit. Hic est ergo cardo rerum; hic vertuntur omnia. Explicet se Cotta, si potest, ex hac voragine; proferat argumenta, quibus doceat semper fuisse materiam, quam nulla providentia effecerit. Ostendat, quomodo quidquam ponderosum et grave, aut esse potuerit sine auctore, aut immutari valuerit, ac desierit esse, quod semper fuit, ut inciperet esse, quod numquam fuit. Quæ si docuerit, tum demum assentiar, ne mundum quidem divina providentia constitutum; et tamen sic assentiar, ut aliis illum laqueis teneam. Eodem enim, quo nolet revolvetur, ut dicat, et materiam de qua mundus est, et mundum qui de materia est, natura extitisse : cum ego ipsam naturam Deum esse contendam. Nec enim potest facere mirabilia, id est maxima ratione constantia, nisi qui habet mentem, providentiam, potestatem. Ita fiet, ut Deus fecerit omnia, nec quidquam esse possit omnino, quod non originem a Deo traxerit.

At idem quoties Epicureus est, et non vult a Deo factum esse mundum, quærere solet quibus manibus, quibus machinis, quibus vectibus, qua molitione hoc tantum opus fecerit. Videret fortasse, si eo tempore potuisset esse, quo fecit. Sed ne perspiceret

VARIORUM NOTÆ.

Quid quod Salvianus, sub initium sui operis, ubi eorumdem fere testimonia profert, stoicos nequaquam silentio præterit. BETULEIUS.

Disciplinæ, id est, sectæ. Sæpe ita cum Cicerone, Macrobio et aliis noster. Terent. Eun., act. II, sc. II. *Philosophorum habent* disciplinæ *ex ipsis vocabula.* Cicero, lib. I, de Nat. deor., c. 7 : *Tres trium disciplinarum principes convenistis;* l. V, Tuscul., c. 32 : *Omnes fere philosophi omnium disciplinarum.* Conf., Lact., lib. II, c. 5, lib. III, c. 12, 14, 15, 17, 28 et 30. BUN.

Qui sunt principes omnis disciplinæ. Hanc restitui lectionem, quæ melior visa est, quam sequentes recentiorum. 4 mss. *quæ sunt principes omnium disciplinæ;* 2 Bon., 8 Reg., quorum duo sunt antiq., 3 Colbert., Pal., Lips., Ult., 1 Clarom., Brun., ed. Rom. 1468, 1470, *quæ sunt principales omnium disciplinæ;* 2 Reg. et 3 Colb., *qui.*

Ad Socratem usque ad Platonem. Ex 2 codicibus Regiis 900 annor. alioque rec. Regio, sed bonæ notæ, sic emendavi. Et hæc est vera lectio. Alii multi scripti et impressi, *a Socrate usque ad Platonem.* Sic Thales apud Laertium dicit mundum esse opus Dei.

Multis sæculis. Hic errat Lactantius; non multis post sæculis, sed paucis post annis a Platone vixit Epicurus : hic natus est anno II, CIX Olymp.; Plato vero obiit ann. I Olymp. CVIII.

Circumlatrantes. Hic innuere videtur cynicos. — *Circumlatrantes.* Auctoritas melior, quam quæ est in Lexicis ex Avieno et Nolano. Invenio quoque in Senec. ad Marciam, c. 22 : *Circumlatrare hominem;* et Ammian. Marcell., lib. XVI : *Circumlatrabat Arbetionem invidia.* Add. Falsteri Suppl., lib. L, pag. 54. BUN.

Providentia instructum. Sic omnes. Heumann. legit : *mundum a providentia instructum.* Potest præpos. *a* abesse, ut lib. I, c. 2 : *Consilio... instructum;* lib. de Ira, c. 9 : *Mundum ipsum nec ratione ulla, nec arte, nec fabrica instructum;* et lib. de Opif., c. 2 : *Nulla providentia instructum esse ac regi mundum.* BUN.

Quam materia providentiam conglobatam. Sic habet ms. 1 Bonon. antiquior, suffragantibus 3 Vatic., 1 Lips. et Goth, in quibus est, *materiæ providentiam conglobatam.* Providentiam autem cum materia conglobatam ait ille, qui providentiam eodem tempore cum materia fuisse existimat, et putat nihil potuisse efficere providentiam, nisi ante vel simul materiam habuisset. In quo quidem multum providentiæ detrahitur. THOMASIUS.— Mss. 28 et vet. ed. Rom. habent, *materiam providentia conglobatam;* 12 editi, *materiæ providentia conglobatum.* — *Quam materiam providentia conglobatam.* In lib. de Ira, c. 9 : *Naturam rerum quibusdam minutis seminibus et insecabilibus conglobatam;* et cap. 10, *hanc atomorum coitionem et conglobationem efficere omnia.* BUN.

Quo Lucilius. Plurimi mss. et editi ita ferunt. Scripti 9 et duo impressi, *quonium Lucilius;* 1 Bonon. antiq. et edit. Rom. 1470, *quia Lucilius*; nonnulli vulgati, *Lucillius.* Hoc vide in Ciceron., lib. I de Nat. deor. Lucilius apud Ciceronem partes stoicorum defendit.

Explicet se Cotta. Sic lego cum omnibus mss. et cunctis fere editis. In nonnullis vulgatis est *Explicet C. Cotta,* prave. Cotta quidem apud Ciceronem erat Academicus. — *Teneo... teneo... explicet se.* Elegans formula, qua utuntur, quum alter in angustias se conclusit, alter de victoria gaudet. Cic. IV Acad., 48 : *Teneo te, inquam,* etc.; pro Quinctio, c. 20 : *Hic te teneo;* et lib. III, in Verr., c. 60. BUN.

Nolet. 2 Reg. rec., *nolit;* scripti 5 rec., *nollet;* Reg. Put., *non vult.*

Quibus manibus. Vide Cic. I de Natura deorum.

Quibus machinis... vectibus... molitione. Add. infra *ferramentis.* Respexit ad Cic. l. I de Nat. deor. c. 8 : *Quæ molitio? Quæ ferramenta? Qui vectes? Quæ machinæ?* BUN.

Videret fortasse, etc. Mss. 9, *Videres... potuisses.* 1, Bon. antiq. et Pal. *Videre fortasse potuisses,... potuisses.*

Quo fecit. 1, Colb. *fecerit*; plures, *quo Deus fecit,* inter quos Buneman., qui hunc locum sic annotat : — *Quo Deus fecit.* Addunt *Deus,* Lips., Goth., Emman., Bodl., Cott., Sublac., Ven. 1471, 72, 97,

Digitized by Google

homo Dei opera, noluit eum inducere in hunc mundum, nisi perfectis omnibus. Sed ne induci quidem poterat: quomodo enim subsisteret, cum fabricaretur desuper cœlum, terraque subter fundaretur; cum fortasse humida, vel nimiis rigoribus torporata concrescerent, vel igneis caloribus incocta et solidata durescerent? Aut quomodo viveret, sole nondum instituto, nec frugibus, nec animalibus natis? Itaque necesse fuit hominem postremo fieri, cum jam mundo cæterisque rebus manus summa esset imposita. Denique sanctæ litteræ docent hominem fuisse ultimum Dei opus, et sic inductum fuisse in hunc mundum, quasi in domum jam paratam et instructam: illius enim causa facta sunt omnia. Idem etiam poetæ fatentur. Ovidius (*principio Metam.*) perfecto jam mundo, et universis animalibus figuratis, hoc addidit:

> Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
> Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset;
> Natus homo est.

Adeo nefas existimandum est ea scrutari, quæ Deus voluit esse celata! Verum ille non audiendi aut discendi studio requirebat, sed refellendi; quia confidebat neminem id posse dicere. Quasi vero ex hoc putandum sit, non esse hæc divinitus facta, quia quomodo facta sint, non potest pervideri. An tu, si educatus in domo fabrefacta et ornata, nullam umquam fabricam vidisses, domum illam putasses non ab homine esse ædificatam; quia, quomodo ædificetur, ignorares? Idem profecto de domo quæreres, quod nunc de mundo requiris; quibus manibus, quibus ferramentis homo tanta esset operæ molitus; maxime si saxa ingentia, immensa cæmenta, vastas columnas, opus totum sublime et excelsum videres, nonne hæc tibi humanarum virium modum viderentur excedere, quia illa non tam viribus quam ratione atque artificio facta esse nescires?

Quod si homo, in quo nihil perfectum est, tamen plus efficit ratione, quam vires ejus exiguæ patiantur, quid est cur incredibile tibi esse videatur, cum mundus dicitur factus a Deo, in quo, quia perfectus est, nec sapientia potest habere terminum, nec fortitudo mensuram? Opera ipsius videntur oculis. Quomodo autem illa fecerit, ne mente quidem videtur: quia, ut Hermes ait, mortale immortali, temporale perpetuo, corruptibile incorrupto propinquare non potest, id est propius accedere et intelligentia subsequi. Et ideo terrenum adhuc animal rerum cœlestium perspectionem non capit, quia corpore quasi custodia septum tenetur, quominus soluto ac libero sensu cernat omnia. Sciat igitur quam inepte faciat, qui res inenarrabiles quærit. Hoc est enim modum conditionis suæ transgredi, nec intelligere, quousque homini liceat accedere. Denique cum aperiret homini veritatem Deus, ea sola scire nos voluit, quæ interfuit hominem scire ad vitam consequendam: quæ vero ad curiosam et profanam cupiditatem pertinebant, reticuit, ut arcana essent. Quid ergo quæris, quæ nec potes scire, nec si scias, beatior fias? Perfecta est in homine sapientia, si et Deum esse unum, et ab ipso esse facta universa cognoscat.

CAPUT X.

De mundo ejusque partibus, elementis et tempestatibus.

Nunc quoniam refutavimus eos qui de mundo et

VARIORUM NOTÆ.

Rost., Pier., Parrh. Crat., Ald., Gymn., Tornes. At male Thomas. et sequentes omiserunt.

Sed ne perspiceret homo opera Dei, etc. Falsa est hæc Lactantii sententia.

Nimiis rigoribus torporata. Sic omnes edd. præter vet. Rom. In cunctis ferme mss. est *corporata*, quod cum *rigoribus* minus convenit. Sed et cap. seq. post initium Lactantius scribit *frigoribus et gelu torpet*; et *torporavit* etiam Turpilius dixit apud Nonium.

Sole nondum instituto. Thomasius legit, ut in Bon. et 1 Clarom., *solo nondum instituto*, quod magis cohærere videantur sequentia de frugibus et animalibus, quæ in solo versantur. Ego lectionem cæteris omnibus mss. et impressis receptam exhibui. Cæterum de solo, sive terra, Lactantius jam dixerat, et rationem Thomasii nihil habere momenti intelliget, qui textum inspexerit. Isæus.

Hominem fuisse ultimum Dei opus. Gen. c. II. Si quis miretur, cur Deus operi præstantissimo locum postremum dederit, sufficiat illi sapientissima creatoris voluntas. Si quis tamen causas aliquas scire velit, has habeat: Indigebat homo domicilio, et quidem nec vacuo, nec deformi, quippe creatura Dei nobilissima, et semideus quidam existens. Prius igitur Deus pulcherrimum et absolutissimum, hoc est, rebus adornatum, ad usum, ad jucunditatem denique omnimodam pertinentibus refertissimum universi theatrum construxit; postea hominem in palatium augustissimum ita præparatum introduxit, atque creaturis omnibus principem præfecit: quod si homo mundum reperisset vacuum, et destitutum sole, luminaribus, herbis, fructibus, animantibus denique vivis, sese moventibus in aere, aquis et terra, utique ei solitudo fuisset permolesta, et defectus rerum necessariarum felicitatem ejus varie turbasset. Plura qui volet, legat *Philonis* Cosmopœiam, Gregorii Nysseni librum de hominis Opificio, cap. 2, Ambrosii epistol. ad Herontianum, quæ est 58. Paræus.

Quomodo ædificetur. Ita mss. ex quibus duo sunt omnium antiquissimi 1 Bon. et 1 Reg., 4 Colb., Jun., Brun. et quamplures editi. In 4 scriptis et 2 vulgatis est *ædificatur*; in 2 mss. Reg. et 1 Lips. *ædificaretur*; in 1 Clarom. ac edit. Tornes. et Soubron. *fabricatur*.

Hermes. Trismeg. apud Stob. in Collectan. serm. 80, de Diis.

Perspectionem. Quod tota hæc sectio supra requirit. Vidit etiam Borrichius in defectu lexicorum. Iterum Lact. l. de Ira c. 1: *A veri perspectione.* Inveni quoque vocem rariorem ex antiquioribus adhuc ignotam in Augustini de Civ. Dei, l. VIII, c. 4: *Contemplatio perspectionem sibi vindicat veritatis.* Bun.

Custodia septum. Sic de corpore et anima loquitur Plato in Phædone. Sic et Lactantius ipse in libro de Opificio Dei, cap. 20, ad mentem Platonicorum de homine ait: *Nam corpusculum hoc quo induti sumus, hominis receptaculum est.*

Ea sola scire... curiosam. Conf. infra, l. II, c. 11; l. III, c. 20: De Opif., c. 15. Tertull. de Anima, c. 1, fin.: *Præstat per Deum nescire, quia non revelaverit, quam per hominem scire, quia ipse præsumpserit.* Bun.

Digitized by Google

de factore ejus Deo aliter sentiunt quam veritas habet, ad divinam mundi fabricam revertamur, de qua in arcanis sanctæ religionis litteris traditur. Fecit igitur Deus primum omnium cœlum, et in sublime suspendit, quod esset sedes ipsius Dei conditoris. Deinde terram fundavit, ac cœlo subdidit, quam homo cum cæteris animalium generibus incoleret. Eam voluit humore circumflui, et contineri. Suum vero habitaculum distinxit claris luminibus, et implevit, sole scilicet, lunæque orbe fulgenti, et astrorum micantium splendentibus signis adornavit; tenebras autem, quod est his contrarium, constituit in terra: nihil enim per se continet luminis, nisi accipiat a cœlo, in quo posuit lucem perennem, et superos, et vitam perpetuam, et contra in terra tenebras, et inferos, et mortem. Tanto enim hæc ab illis superioribus distant, quantum mala a bonis, et vitia a virtutibus. Ipsius quoque terræ binas partes contrarias inter se, diversasque constituit, scilicet orientem, occidentemque: ex quibus oriens Deo accensetur; quia ipse luminis fons, et illustrator est rerum, et quod oriri nos faciat ad vitam sempiternam. Occidens autem conturbatæ illi pravæque menti adscribitur, quod lumen abscondat, quod tenebras semper inducat, et quod homines faciat occidere atque interire peccatis. Nam sicut lux orientis est, in luce autem vitæ ratio versatur; sic occidentis tenebræ sunt: in tenebris autem, et mors, et interitus continetur. Deinde alteras partes eadem ratione dimensus est, meridiem ac septentrionem: quæ partes illis duabus societate junguntur. Ea enim, quæ est solis calore flagrantior, proxima est, et cohæret orienti. At illa, quæ frigoribus et perpetuo gelu torpet, ejusdem est cujus extremus occasus. Nam sicut contrariæ sunt lumini tenebræ, ita frigus calori. Ut igitur calor lumini est proximus, sic meridies orienti: ut frigus tenebris, ita plaga est septentrionalis occasui. Quibus singulis partibus suum tempus attribuit, ver scilicet orienti, æstatem meridianæ plagæ; occidentis autumnus est, septentrionis hyems. In his quoque duabus partibus, meridiana et septentrionali, figura vitæ et mortis continetur: quia vita in calore est, mors in frigore. Sicut autem calor ex igne est, ita frigus ex aqua. Secundum harum partium dimensionem, diem quoque fecit ac noctem, quæ spatia, et orbes temporum perpetuos ac volubiles, quos vocamus annos, alterna per vices successione conficiant. Dies, quem primus oriens subministrat, Dei sit necesse est, ut omnia quæcumque meliora sunt. Nox autem, quam occidens extremus inducit, ejus scilicet, quem Dei esse æmulum diximus.

Quæ duo etiam in hoc præscius futurorum Deus fecit, ut ex iis, et veræ religionis, et falsarum superstitionum imago quædam ostenderetur. Nam sicut sol, qui oritur in diem, licet sit unus, unde solem esse appellatum Cicero vult videri (lib. II *de Nat. deorum*), quod obscuratis sideribus, solus appareat, tamen quia verum ac perfectæ plenitudinis lumen est, et calore potissimo, et fulgore clarissimo illustrat omnia: ita in Deo, licet sit unus, et majestas, et virtus, et claritudo perfecta est. Nox autem, quam pravo illi antitheo dicimus attributam, ejus ipsius multas et varias religiones per similitudinem demonstrat. Quamvis enim stellæ innumerabiles micare ac radiare videantur; tamen, quia non sunt plena ac solida lumina, nec caloris præferunt quidquam, nec tenebras multitudine sua vincunt. Duo igitur illa principalia inveniuntur, quæ diversam et contrariam

VARIORUM NOTÆ.

Et de factore ejus. Restituta præpositio *de* ex cunctis pene mss. Deest in 4 rec. et multis editis. De opere sex dierum, vide S. Ambr., S. Basilium, S. August. Confess., lib. XII; et Theodoret. de Provid., lib. I et II.

Circumflui. Pass. ut Macrob. Somn. Scip., l. II, c. 9: *Gemino Oceani ambitu terræ corpus omne* circumflui. Bun.

Suum vero habitaculum. Hic loci et lib. VII, cap. 5, ab auctore nostro cœlum accipitur pro universa cœlorum mole, quatenus etiam empyreum complectitur. Isæus.

Tenebras autem, quod est his contrarium. Nihil mutandum: *quod est* significat, *id est, hoc est,* pro more aliorum, et Lactantii, l. VI, c. 23: *Divina lex duos in matrimonium,* quod est, *in corpus unum... conjungit.* Epit. Taur. c. 13. extr. ZAN KPONOY, quod est *Jupiter Saturni.* Bun.

Oriens Deo accensetur. Sic 36 mss. et plures editi. Id est, attribuitur. In 2, Reg. rec. et nonnullis editis, *Deo similis censetur;* quod est glossema. Videtur hic Lactantius nimis allegoriis indulgere.

Pravæque menti. Hic et infra minus catholice loquitur Lactantius, quasi mala mens summum habeat imperium in Occidens.

Plaga est septentrionalis. Sic restitui ex antiquioribus et melioribus mss. 1 Bonon., Regio-Put., 2 al. Reg. bonæ notæ, Pal. et Lips. In vulgatis et in pluribus mss. est *septentrionis.*

Ver orienti. De his allegoriis, vide etiam S. Ambrosium, lib. IV Hexameron.

Occidentis autumnus est, septentrionis hyems. Ita mss. et vet. ed. Rom. casu secundo. Cæteri vulgati casu tertio *Occidenti... septentrioni.* In plerisque mss. pro *hyems,* est *hybernus.* Lectio nostra propius accedit ad ordinem linguæ latinæ.

Quæ spatia. Sic mss. 6 Reg., 3 Colb., 2 Brun. et antiquiores ac meliores editi bene multi. Quidam mss. et edd. 7, *qui.*

Conficiant. Goth. *Perficiant,* illud præfero. l. VII, c. 14: *Diebus per vicem revolutis orbes* conficiuntur *annorum;* et epit., c. 25: Ut... *cursus et certa spatia conficerent.* Bun.

Inducit. Ita omnes fere mss. et editi: et quidem recte, ut respondeat præcedentibus: *Oriens subministrat.* Ms. 1 Reg. ac ed. Thys. et Gall., *induxit.*

Etiam in hoc. Hæc restitui ex omnibus mss. et impressis, præter 5 edd. recentiores, in quibus desiderantur.

Qui oritur in diem. Sic emendavi ex cunctis mss. præter 1 Reg. rec. et editiones, in quibus est *in die.*

Perfectæ plenitudinis lumen. Heraclitus solem cœlestis luminis fontem, teste Macrobio, dicit; sive lumen suum, secundum Plin. cæteris sideribus fœneret; sive, ut Cic. voluit, aliis quidem sideribus, excepta luna, proprium sit lumen, ipse dux, princeps et moderator luminum sit. Vide Platonem in Timæo, Ciceronem de Universitate, Macrob. lib. I Som. supra cap. 20. Betuleius.

Calore potissimo. Ita omnes editi et multi meliores mss. In 1 Bonon. antiq., 3 Reg., Lips. et Pal., *potentissimo.*

Antitheo. Id est, diabolo. *Antitheus,* vox græca, significat, qui contra Deum est, vel Dei adversarius.

Præferunt. Sic quamplures editi et omnes ferme

Digitized by Google

sibi habent potestatem ; calor et humor : quæ mirabiliter Deus ad sustentanda et gignenda omnia excogitavit. Nam cum virtus Dei sit in calore et igni, nisi ardorem vimque ejus admixta humoris ac frigoris materia temperasset, nec nasci quidquam nec cohærere potuisset, quin statim conflagratione interiret quidquid esse cœpisset. Unde et philosophi quidam et poetæ discordi concordia mundum constare dixerunt : sed rationem penitus non videbant. Heraclitus ex igne nata esse omnia dixit ; Thales Milesius ex aqua. Uterque vidit aliquid : sed erravit tamen uterque, quod alterutrum si solum fuisset, neque aqua nasci ex igne potuisset, neque rursus ignis ex aqua. Sed est verius, simul ex utroque permisto cuncta generari. Ignis quidem permisceri cum aqua non potest, quia sunt utraque inimica ; et si cominus venerint, alterutrum quod superaverit, conficiat alterum necesse est : sed eorum substantiæ permisceri possunt. Substantia ignis, calor est ; aquæ, humor. Recte igitur Ovidius :

Quippe ubi temperiem sumpsere humorque calorque,
Concipiunt, et ab his oriuntur cuncta duobus :
Cumque sit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, et discors concordia fœtibus apta est.

A Alterum enim quasi masculinum elementum est, alterum quasi fœmininum ; alterum activum, alterum patibile. Ideoque a veteribus institutum est, ut sacramento ignis et aquæ nuptiarum fœdera sanciantur, quod fœtus animantium calore et humore corporentur, atque animentur ad vitam.

Cum enim constet omne animal ex anima et corpore, materia corporis in humore est, animæ in calore : quod ex avium fœtibus datur scire, quos crassi humoris plenos nisi opifex calor foverit, nec humor potest corporari, nec corpus animari. Exulibus quoque ignis et aqua interdici solebat : adhuc enim videbatur nefas, quamvis malos, tamen homines supplicio capitis afficere. Interdicto igitur usu earum rerum, quibus vita constat hominum, per-
B inde habebatur, ac si esset, qui eam sententiam exceperat, morte mulctatus. Adeo ista duo elementa prima sunt habita, ut nec ortum hominis, nec sine his vitam crediderint posse constare. Horum alterum nobis commune est cum cæteris animantibus, alterum soli homini datum. Nos enim quoniam cœleste atque immortale animal sumus, igne utimur, qui nobis in

VARIORUM NOTÆ.

mss. In rec. 1 Reg. et 1 Colb. est, *præferant ;* in 1 Lips. et 3 editis *proferunt ;* in 3 Reg. rec. ac edd. sex, *perferunt.* Buneman legit etiam *perferunt*, notamque sequentem exhibet. — *Perferunt.* De Opificio cap. 7 : *Admirabile, quod una dispositio.... innumerabiles animantium præferat varietates.* Ubi multæ edd., *perferat* subornarant. De Opif. c. 8 : *Incredibile est, quantam pulchritudinem præferat.* Bunem.

Mirabiliter. Mss. 1 Colbert. et 1 Brun. *multum utiliter.*

Philosophi. Empedocles scilicet, de quo apud Laertium et Plutarch. de Placitis Philosophor. lib. I, c. 3.

Et poetæ. Ut Ovidius verbis paulo post proferendis ; et Horat., l. I, epist. 12, v. 19, de pugna elementorum.

Quid velit et possit concordia discors.

Non videbant. Ita restituimus ex omnibus mss. et edit. Tornes., Betul., et Soubron. In cæteris impressis est, *non viderunt.*

Heraclitus ex igne. Refertur a Laertio inter ejus dogmata. Meminit Cic. in IV Academ. Quæst. Confutatur etiam a Lucretio lib. 1. Betul.

Thales. De quod dictum est libro I, cap. 8, et apud Laertium.

Substantia ignis, calor est ; aquæ, humor. Quia his subsistunt ac conservantur. Vide infra, et cap. 12.

Ovidius. Lib. I Metam., ibid. ubi de Nili fœcunditate scribit.

Ut sacramento ignis et aquæ nuptiarum fœdera sanciantur. Festus Pompeius lib. I : *Aqua dicitur a qua juvantur : aqua et ignis interdici solet, quam accipiunt nuptæ, videlicet quia hæ duæ res humanam vitam maxime continent.* Eadem Plutarch., Rom. Problem., cap. 1. Idem Festus lib. 6 : *Facem in nuptiis in honorem Cereris præferebant, aquaque aspergebatur nova nupta, sive ut casta puraque ad virum veniret, sive ut ignem et aquam cum viro communicaret.* Valerius Flaccus lib. VIII, Argonaut. :

Ignem Pollux, undamque jugalem
Prætulit, ut dextrum pariter vertantur in orbem.

Ovid. lib. II de Arte amandi :

Ista viri captent, si jam captanda probabant,
Quos faciunt justos ignis et unda viros.

In primo limine aquam exhibebant, cui titionem intingebant. M. Varro apud Turneb. lib. XXIX, c. 27 : *Contra a novo marito, cum item a foco in titione ex felici arbore, et in aquali aqua allata esset.* Dempsterus.

C Vide Brissonium, de Ritu Nuptiarum.

Corporentur, atque animentur. Junxit eodem modo Plinius l. VII Hist. Nat., sect. 13 fin. de Generatione Hominis. Hieronymus ad Pammach. f. m. 170 : *Confotum corporat, corporatum in membra distinguit.* Conf. Lact. lib. II, c. 8 et Barthii Advers. l. VII, c. 2, fol. 313. Bun.

Nec humor potest corporari, nec corpus animari. Sic legendum est ex edit. Soubron. et Tornes. ac mss. non ut male in nonullis editis, *corporare, nec corpus animare.* Ita autem legendum esse patebit cuivis, si modo scopum Lactantii perpenderit ; corpus enim non animat, sed animatur. *Ex* Isæo. — *Corporari*, pro corpore indui, et *animari*, pro animam accipere, raræ voces. Extant insuper lib. IV Institut., cap. 26.

Exulibus quoque. Interdictio illa, citra soli mutationem, in eo habebatur, *cum nemine*, sic interdicto, *communicandam aquam, et ignem, aut tectum.* Ut Appianus loquitur de Metello sic interdicto.
D Etiam lege Julia de vi privata tenebatur, *qui eum cui et aqua et igni interdictum est, receperit, celaverit, tenuerit ;* quod ait Paulus Sent. V, cap. 26. Etiam apud Græcos similis pœna in usu. Electra apud Euripidem in Oreste de se, Pylade ac Oreste, *Decretum*, inquit, *est Argis nemini fas esse nos matricidas, aut tecto, aut igne, aut alloquio excipere.* Seldenus. — Eadem pœna affectus fuisse legitur in Usuardi Martyrologio XVIII kal. januarii *S. Valerianus in Africa episcopus, qui cum esset annorum plus octoginta, in persecutione Vandalica sub Genserico rege ariano extra civitatem singularis expelli jussus est : et ita præceptum, ut nullus eum neque in domo, neque in agro dimitteret habitare ; sed in strata publica multo tempore nudus sub aere jacens, in confessione catholicæ veritatis, et defensione sanctimonii cursum beatæ vitæ complevit.* Ex Vict. Vit. Hist. Persecut. Vandal. lib. I. n. 12.

Horum alterum nobis, etc. Non agit hoc Lactantius, ut doceat hominem tantum ex igne et aqua constare. Corpus siquidem hominis, ut animantium reliquorum omnium, constat ex quatuor elementis, Aristot. et Hippocrate testibus. Sed ex analogia docet, animæ originem cœlitus esse ; corporis ex iisdem elementis, ex quibus universa constant : sed in primis ex humido, eo forte, quia et semen et sanguis humo-

Digitized by Google

argumentum immortalitatis datus est, quoniam ignis e cœlo est: cujus natura, quia mobilis est, et sursum nititur, vitæ continet rationem. Cætera vero animalia, quoniam tota sunt mortalia, tantummodo aqua utuntur, quod est elementum corporale atque terrenum. Cujus natura, quia mobilis est, ac deorsum vergens, figuram mortis ostendit. Ideo pecudes, neque in cœlum suspiciunt, neque religiones sentiunt, quoniam ab his usus ignis alienus est. Unde autem, vel quomodo Deus hæc duo principalia, ignem et aquam, vel accenderit, vel eliquaverit, solus scire potest qui fecit.

CAPUT XI.

De animantibus, homine, Prometheo, Deucalione, Parcis.

Consummato igitur mundo, animalia varii generis, dissimilibus formis, et magna et minora ut fierent, imperavit. Et facta sunt bina; id est diversi sexus singula: ex quorum fœtibus, et aer, et terra, et maria completa sunt. Deditque his omnibus generatim Deus alimenta de terra, ut usui hominibus esse possent; alia nimirum ad cibos, alia vero ad vestitum: quæ autem magnarum sunt virium, ut in excolenda terra juvarent; unde dicta sunt jumenta. Ita rebus omnibus mirabili descriptione compositis, regnum sibi æternum parare constituit, et innumerabiles animas procreare, quibus immortalitatem daret. Tum fecit ipsi sibi simulacrum sensibile, atque intelligens, id est ad imaginis suæ formam, qua nihil potest esse perfectius: hominem figuravit ex limo terræ; unde homo nuncupatus est, quod sit factus ex humo. Denique Plato humanam formam esse ait; et Sibylla, quæ dicit:

Εἰκών ἐστ' ἀνθρωπος ἐμή, λόγον ὀρθὸν ἔχουσα.

De hac hominis fictione poetæ quoque, quamvis corrupte, tamen non aliter tradiderunt: namque hominem de luto a Prometheo factum esse dixerunt. Res eos non fefellit, sed nomen artificis. Nullas enim litteras veritatis attigerant: sed quæ prophetarum vaticinio tradita, in sacrario Dei continebantur, ea de fabulis et obscura opinione collecta et depravata, ut veritas a vulgo solet variis sermonibus dissipata corrumpi, nullo non addente aliquid ad quod audierat, carminibus suis comprehenderunt; et hoc quidem inepte, quod tam mirabile tamque divinum opificium homini dederunt. Quid enim opus fuit hominem de luto fingi, cum posset eadem ratione generari qua ipse Prometheus ex Japeto natus est? qui si fuit homo, generare hominem potuit, facere non potuit. De diis autem illum non fuisse, pœna ejus in Caucaso

VARIORUM NOTÆ.

res sunt; nam Thaletis opinio ab ipso Lactantio paulo superius est explosa. Quod autem animæ ignitam tribuit naturam, suis ipsius rationibus quibus non ita pridem Heracliti dogma confutavit, repugnat. BETULEIUS.

Tota. Nota vocem *tota* pluraliter in recto casu.

Quia mobilis est, ac deorsum vergens. Præter ms. 1 Bonon. qui habet *immobilis;* a secunda manu, omnes mss. et editi legunt *mobilis:* quæ lectio, refragante licet Isæo, videtur præferenda. Cum enim experientiam testatus, aquam dicat immobilem esse et tamen deorsum vergere, qui fieri possit, rogo, ut aqua deorsum moveatur, quod fatetur, ipsa interim immobilis? Certe Lactantii mentem felicius assequemur, si ad præcedentia oculos intendamus. Quippe ubi dicit nos igne uti, cujus motus omnis est ad superna, cætera vero animalia hoc cum aqua commune habere, quæ ignei vigoris expers alio longe motu fertur, et qua potest vi deorsum vergit. SPARK.

Bina. Vide Genes. 1, et confer. cum cap. VI, vers. 20.

Ad vestitum. Sic restitui ex plerisque mss. tum veterrimis, tum optimis, Reg., Bonon. aliisque. In 8 rec. et in editis est, *ad vestimentum.* — *Ad vestitum.* Sic edo ex Bon., Pal., Ultr., Lips. 1, et loco gemino, secundum meliores libros, de Ira, c. 13: *Partim ad cibos, partim ad vestitum.* BUN.

Innumerabiles animas procreare. Ex hoc loco nonnulli arguunt, Lactantium sensisse animas omnes in principio fuisse creatas: sed hoc Platonicorum commentum de animabus ante corpora conditis irridet, et refutat ille lib. III, cap. 18. Et quidem Lactantius hic non de ipsa animarum creatione loquitur, sed de divino eas creandi decreto; quod denotat his verbis: *Constituit et excogitavit.*

Formam. Quæ sit imago, aut divinus character homini inditus a Creatore, vide non Platonem, sed Paulum, II Corinth. cap. III, Colossens. cap. III, et Ephes. cap. IV.

Θεοειδήν. Θεοειδῆ potius, vel θεοειδές, ut est apud ipsum Platonem in libro de Republica sexto. Sic Philo Judæus, animam ἀπόσπασμα θεοῦ dicit; tribuit illi quod Paulus ad Heb. 1, ipsi unigenito Dei Filio Christo. In libro de Mundo, τύποθεν σφραγῖδα θεοῦ, animam vocat, cujus characterem esse ait, æternam rationem. Pythagoras ait mortalibus θεῖον γένος esse; sicut etiam Aratus: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Quod nec Paulus quidem Athenis improbavit, Actor. XVII. Ex his, inquam, facile possumus colligere, quam prope ad verum per medias tenebras studiosa antiquitas pervenerit. Nam vere, ut Lactantius ait, ipsos non res, sed nomen artificis fefellit, optimo atque maximo Deo Jovis nomen, quod Scriptura ignorat, tribuentes. BETULEIUS.

Εἰκών, etc. Sibyllar. Carm., serm. 8. Interpretatio latina:

Imago est homo mea, rationem rectam habens.

Vide etiam sermonem primum Sibyllar. Carminum, ubi de Creatione hominis.

Prometheo. Hanc fabulam diversimode diversi narrant; de qua vide Hesiodum in Ergis, Platonem in Protagora, Ovidium initio Metamorph.; Horatium Od. 16, Carm. 1; Propertium lib. III, Elegia 3; Fulgentium in Fabulis, et Servium.

Nullo non addente aliquid ad quod audierat. Ex mss. et vet. edit., Rom. ita reposui. In impressis erat, *nullo non addente aliquid ad quod audierunt.* Lectionem textus, errorem librarii putes forsan: at ego ipsius Lactantii scitum esse censeo hellenismum; sic Terent. in Andria: *Restitue in quem me accepisti locum.* Sic Livius, lib. 1: *Et in quem primum egressi sunt locum Troja, vocatur.* Gronovius. Hanc lectionem confirmant etiam mss. Lips., Ultr., 2 Brun. In 3 Reg., rec. *ad id quod.*

Prometheus. Unus e Titanibus. Japetus namque Urani et Titææ filius erat: hæc facta sunt circa Saturni tempora, scilicet novemdecim et amplius sæculis ante vulgarem æram.

Digitized by Google

monte declarat. Sed neque patrem ipsius Japetum, patruumque Titana quisquam deos nuncupavit, quia regni sublimitas penes Saturnum solum fuit, per quam divinos honores cum omnibus suis posteris consecutus est. Multis argumentis hoc figmentum poetarum coargui potest. Factum esse diluvium ad perdendam tollendamque ex orbe terræ malitiam, constat inter omnes. Idem enim et philosophi, poetæ (*scil. Ovid.*, I, *Met.*), scriptoresque rerum antiquarum loquuntur; in eoque maxime cum prophetarum sermone consentiunt. Si ergo cataclysmus ideo factus est, ut malitia, quæ per nimiam multitudinem increverat, perderetur, quomodo fictor hominis Prometheus fuit? cujus filium Deucalionem iidem ipsi ob justitiam solum esse dicunt servatum. Quomodo unus gradus, et una progenies, orbem terræ tam celeriter potuit hominibus implere? Sed videlicet hoc quoque sic corruperunt, ut illud superius; cum ignorarent, in quo tempore cataclysmus sit factus in terra, et quis ob justitiam meruerit, genere humano pereunte, salvari, et quomodo, aut cum quibus servatus sit: quæ omnia propheticæ litteræ docent. Apparet ergo falsum esse quod de opificio Promethei narrant.

Verum quia poetas dixeram (*scil. lib.* I, *cap.* 11) non omnino mentiri solere, sed figuris involvere, et obscurare quæ dicant, non dico esse mentitos, sed primum omnium Promethea simulacrum hominis formasse de pingui et molli luto, ab eoque primo natam esse artem, et statuas, et simulacra fingendi; siquidem Jovis temporibus fuit, quibus primum templa constitui, et novi deorum cultus esse cœperunt. Sic veritas fucata mendacio est; et illud, quod a Deo factum ferebatur, homini, qui opus divinum imitatus est, etiam cœpit adscribi. Cæterum fictio veri ac vivi hominis e limo Dei est. Quod Hermes quoque tradidit: qui non tantum hominem ad imaginem Dei factum esse dixit a Deo; sed etiam illud explanare tentavit, quam subtili ratione singula quæque in corpore hominis membra formaverit, cum eorum nihil sit quod non tantumdem ad usus necessitatem, quantum ad pulchritudinem valeat. Id vero etiam stoici, cum de providentia disserunt, facere conantur; et secutus eos Tullius pluribus quidem locis. Sed tamen materiam tam copiosam et uberem strictim contingit; quam ego nunc idcirco prætereo, quia nuper proprium de ea re librum ad Demetrianum auditorem meum scripsi. Illud hoc loco præterire non possum, quod errantes philosophi quidam aiunt, homines, cæteraque animalia sine ullo artifice orta esse de terra; unde illud Virgilianum est:

Virumque
Terrea progenies duris caput extulit arvis.

VARIORUM NOTÆ.

Pœna ejus in Caucaso monte. In Caucaso ipsum esse affixum interpretatur Tzetzes. — *Pœna ejus in Caucaso monte.* De Promethei fabula pleni sunt libri. De pœna Propertius, lib. II, Eleg. 1, v. 71:

Idem caucasea solvet de rupe Promethei
Brachia, et a medio pectore pellet avem.

Et Martialis Spectac., carm. 7:

Qualiter in scythica religatus rupe Prometheus
Assiduam nimio pectore pavit avem. CELL.

Patruumque Titana. Fuit avus paternus. THYSIUS.

Penes Saturnum solum fuit. Fuit ex omnibus mss. est et ex veteribus editis; *fuerit*, in recentioribus impressis. Saturnus fuit etiam Urani et Titææ filius, ac proinde Japeti frater.

Factum esse diluvium, etc. Nonnus libro III, Dionys. tres κατακλυσμούς enumerat. Isidorus Orig., lib. XIII, cap. 22, tria diluvia recenset. MEURSIUS. — Propter peccatum factum esse diluvium, elegantissime descripsit Ovid., lib. I Metamorph. Si quis plura de hac re velit testimonia, adeat Grotium in notis ad lib. de Veritate relig. christianæ.

Si ergo cataclysmus ideo factus est. Ita cuncti pene mss. et edd. Tornes. et Soubron. At 2 vet. et mss. 2 rec. pro *ideo* habent *a Deo;* impressi multi utrumque, *a Deo ideo.* De universali diluvio apud omnes constat, qui in dubium non vocant S. Litteras. Cæteri vero, de quibus aliquid memoriæ proditum est, incerta admodum fide laborant. Quidam tamen, inter quos est Grotius, in annotationibus ad cap. 16 de Vera religione, lib. I, recentiora antiquioribus miscent, existimantque eadem esse Noachi, Ogygis et Deucalionis diluvia, quamvis inter hæc ipsa, multa intercedant tempora.

Deucalionem. De Deucalionis historia vide Justinum libro II, et Lucianum in Dialogo de Syria dea. Prometheum vero Deucalionis patrem septimo anno Moseos natum esse, narrat Cyrillus.

Quod de opificio Promethei narrant. Ita mss. omnes et editi plures vet., Edd. Betul. et Gymnic. post *opificio*, addunt *iidem;* sex al., *itidem;* 1 Clarom., *idem.*

Promethea simulacrum hominis, etc. Sic reposuimus ex vetustissimis et optimis mss. 2 Bon., 4 Regiis, 2 Colb., Sorbon., Pen., Tax., 2 Clarom. In 10 rec. et in 10 edit. est *Prometheum;* in 1 Reg. et 1. Lips., *Prometheo.*

Ab eoque primo natam esse artem. Ita cuncti ferme mss. et vet. edit. Rom. Desideratur *esse* in mss. 2 rec. et in multis editis.

Templa constitui. Infinitivo modo multi editi omnesque mss. ut ad *cœperunt*, quod sequitur, referatur. In 1 Colbert. rec. et 6 rec. vulgatis est, *constituit.*

Fictio... e limo Dei est. Hæc ita capias: *Dei est fictio... hominis e limo*, sive: *Deus est fictor hominis e limo.* Hinc comma cum Walchio post *limo*, posui. BUN.

Quod Hermes quoque tradidit. Tradidit, quod est in 6 Reg., 4 Colbert., Brun., aliisque, requirunt sequentia verba, *dixit... tentavit;* sex mss. rec. cum editis, *tradit.* Hominem ad imaginem Dei creatum esse testatur Hermes, Pimandri scilicet capite 1. Ne quis autem arbitretur, Deo summo architecto nomen τοῦ δημιουργοῦ a Platone modo et Hermete tribui, ut jam sæpius vidimus, sciat hoc reperiri etiam in litteris Apostolicis. Paul. ad Hebr. cap. II, δημιουργὸς ὁ Θεὸς, etc. Sed hoc opificium Lactantius noster singulari opere complexus est, quod ipse jam ad Demetrianum auditorem scripsisse testatur. Hermes vero secutus est Pythagoram, et Pythagoreum Jamblichum, et alios. BETULEIUS.

Factum. Mss. 9, *fictum.*

Et secutus eos Tullius. Ita restitui ex cunctis pene mss. Pro *Tullius* in 3 Reg. rec. et editis est *Cicero;* in 5 Colb. et Brun., *et secutus est eos Tullius.* — Vide Ciceron., lib. II de Natur. deor., et I de Legib.

Contingit. Sic lego cum mss. 6 Reg., 4 Colb., 2 Clarom., Brun aliisque, nec non editis Rom. 1468, 1470, Soubron., Tornes., Cellar. In 3 rec. Reg. et 2 Colbert. editisque pluribus est *contigit.*

Librum. Qui est de Opificio Dei ad Demetrianum. Hunc reperies infra tomo II, hujus nostræ editionis.

Homines cæteraque animalia. Vide Orphæum, Pacuvium, et Diodorum Siculum lib. I, ubi de Fabulis agit

Virgilianum est: — Virumque Terrea progenies, etc. Apud Virgilium, lib. II Georg., v. 341. Nonnullæ editiones *Ferrea* legunt, et in primis

Digitized by Google

Et ii maxime fuerunt in ea sententia qui esse providentiam negant. Nam stoici animantium fabricam divinæ solertiæ tribuunt. Aristoteles autem labore se ac molestia liberavit, dicens semper mundum fuisse; itaque et humanum genus, et cætera quæ in eo sunt, initium non habere, sed fuisse semper, ac semper fore. Sed cum videamus singula quæque animalia, quæ ante non fuerant, incipere esse, et esse desinere, necesse est totum genus aliquando esse cœpisse, et aliquando desiturum esse, quia cœperit.

Omnia enim tribus temporibus contineri necesse est, præterito, præsenti, futuro. Præteriti est origo, præsentis substantia, futuri dissolutio. Quæ omnia in singulis hominibus apparent, et incipimus enim, cum nascimur; et sumus, cum vivimus; et desinimus, cum interimus. Unde etiam tres Parcas esse voluerunt; unam, quæ vitam hominibus ordiatur; alteram, quæ contexat; tertiam, quæ rumpat ac finiat. In toto autem genere hominum, quia solum præsens tempus apparet, ex eo tamen et præteritum, id est, origo colligitur; et futurum, id est, dissolutio. Nam quoniam est, apparet aliquando cœpisse (esse enim nulla res sine exordio potest); et quia cœpit, apparet quandoque desiturum. Nec enim potest id totum esse immortale, quod ex mortalibus constat. Nam sicut universi per singulos interimus, fieri potest, ut aliquo casu omnes simul; vel sterilitate terrarum, quæ accidere particulatim solet; vel pestilentia ubique diffusa, quæ singulas urbes atque regiones plerumque populatur; vel incendio in orbem misso, quale jam fuisse sub Phaetonte dicitur; vel diluvio aquarum, quale sub Deucalione traditur, cum præter unum hominem genus omne deletum est. Quod diluvium si casu accidit, profecto potuit accidere, ut et unus ille, qui superfuit, interiret. Si autem divinæ providentiæ nutu, quod negari non potest, ad reparandos homines reservatus est, apparet in Dei potestate esse, vel vitam, vel interitum generis humani. Quod si potest occidere in totum, quia per partes occidit, apparet aliquando esse ortum; et ut fragilitas initium, sic declarat et terminum. Quæ si vera sunt, non poterit defendere Aristoteles, quominus habuerit et mundus ipse principium. Quod si Aristoteli Plato et Epicurus extorquent, et Platoni et Aristoteli, qui semper fore mundum putaverunt, licet sint eloquentes, ingratis tamen idem Epicurus eripiet, quia sequitur, ut habeat et finem. Sed hæc in ultimo libro pluribus. Nunc ad hominis originem recurramus.

CAPUT XII.

Quod animalia non sponte nata sint, sed dispositione divina, cujus fecisset nos conscios Deus, si scire expediret.

Aiunt certis conversionibus cœli, et astrorum mo-

VARIORUM NOTÆ.

Heinsiana; sed male : ex hoc loco versus ille corrigendus. Si *Ferrea* Lactantii tempore fuisset lectum apud Virgilium, versus hic scopo suo nullo modo quadrasset. Ut probet dictum Philosophorum, sine ullo artifice homines et terra ortos existimantium, addit. *unde illud Virgilianum*. Mss. 3 Reg. *Ferrea*.— *Virumque*. Hanc vocem, quæ ad Lactantii propositum facit, addidi ex mss. Bonon. et 2 Regiis 900 annor. ac 2 al. Reg. rec., sed bonæ notæ.

Aristoteles autem labore se, etc. Lib. 1 de Cœlo, c. 10 et l. II, c. 1. Hæc opinio non solum Aristotelem auctorem habet; verum etiam alii eam sunt secuti : sic Heraclitus Ephesius apud Clement. Alexandr. l. VI Stromat.; Plinius l. I, c. 1. Hanc opinionem refellit Lucretius l. V, v. 325 et seqq. GALLÆUS.

Tribus temporibus. Stoicorum hæc temporis est divisio, qui præteritum et futurum infinita faciunt, præsens finitum. Sunt qui præsens tempus esse negent; sed de hac disp. lege Arist., l. IV de Nat. Auscult. cap. 10 et seqq.; vel si malis August., lib. II Confess., c. 17 et 18. Sed hæc tota disputatio in hoc adhibetur, ut statuatur providentia Dei. BETULEIUS.

Præsentis substantia. Hoc est, substitit tempus præsens, quod nunc extat. Sic et infra, *præsentis temporis substantia*.

Tres Parcas. Hæc fabula trium Parcarum originem sumpsit ab Hesiodi Theogonia. Vide et Platonem libro X, de Republ. circa finem, ac præcipue Aristotelem libro de Mundo, ubi plurima unius Dei nomina enumeravit, Parcarum rationem et officia eidem uni Deo tribuens. — *Parcas*. Conf. Voss. II Idolol., c. 44 toto. Prave Lips. 3, *tres partes*. BUN.

Vitam hominibus ordiatur. Sic lego cum veterrimis mss. Bon., Regio-Put., 3 Colb., 2 Clarom. et omnibus fere editis. In 1 Reg. 900 annor. et 15 rec. scriptis ac 2 ed. Rom. est, *hominis*.

Desiturum. Ita correxi ex mss. Regio-Put., 1 Colb., Goth., Lips., 1 Clarom., pluribusque aliis. *Desiturum*, puta tempus, vel totum genus de quo supra. In uno Brun. et 1 Colbert. est, *defuturum*; in altero Brun. est, *defutura*; in 1 Colb. et 2 editis, *desitura*; in 1 Reg. 900 annor., *desituram*.

Phaetonte. Ejus fabula legatur apud Ovid. sub finem libri I Metamorph. et initio II. At Lucianus in Astrologia credit Phaetontem solis cursum observasse, ac deprehendisse, sicut Endymion lunæ.

Divinæ providentiæ nutu. Ita omnes impressi ac mss. præter 1 Bonon. antiq. et 1 Clarom. in quibus est, *divinæ providentiæ datur*.

In totum. Id est, omnino : lib. IV, c. 1; l. VII, c. 20; Epitom. cap. 61; de Ira Dei, cap. 21; de Opif., cap. 8.

Non poterit defendere Aristoteles. Hæc est lectio omnium fere mss. et 5 edit. quam præcedentia et subsequentia postulant, accedente ms. Jun. qui habet *poterat*. 1 Reg. *potest*; scripti quinque rec. et 10 editi, *potuit*.

Ingratis. Hic *ingratis* adverbium est. Ita et apud Plautum Amphytr. act. I, scen. 1, v. 10. Id est, invitis; aut juxta Sparkium, *velint, nolint*. 1 ms. Clarom. et 4 edit., *ingrate*.

Epicurus eripiet. Lege Plutarch. de Placitis philosophorum l. II, c. 4; et Galenum philosoph. histor. cap. 42.

Pluribus. Ms. 1 Clarom. et 7 edit. rec. perperam addunt *exequemur*, quod abest a cæteris tum mss. tum impress. Pro *pluribus*, in scriptis rec. 1 Reg. et 2 Colb. est, *plenius*; in 1 Colb. et Brun., *prolixius*.

Aiunt, etc. Scilicet Epicurei. Nam Censorinus de Die nat. de hac Epicuri sententia sic scribit : *Democrito vero Abderitæ ex aqua limoque primum visum esse homines procreatos. Nec longe secus Epicurus : is enim credidit, limo calefacto, uteros nescio quos radicibus terræ increvisse, et infantibus ex se editis, ingenium, lactis humorem, natura ministrante, præbuisse; quos ita educatos et adultos, genus hominum propagasse.* De

Digitized by Google

tibus maturitatem quamdam extitisse animalium serendorum; itaque terram novam, semen genitale retinentem, folliculos ex se quosdam in uterorum similitudinem protulisse, de quibus Lucretius :

Crescebant uteri terræ radicibus apti;

eosque, cum maturassent, natura cogente ruptos, animalia tenera profudisse. Deinde terram ipsam humore quodam, qui esset lacti similis, exuberasse, eoque alimento animantes esse nutritas. Quomodo igitur vim frigoris aut caloris ferre aut vitare potuerunt, aut omnino nasci, cum sol exureret, frigus astringeret? Non erant, inquiunt, in principio mundi hyems nec æstas, sed perpetua temperies, et ver æquabile. Cur ergo nihil horum fieri etiamnunc videmus? Quia semel, aiunt, fieri necessarium fuit, ut animalia nascerentur; postquam vero esse cœperunt, concessa his facultate generandi, et terra parere desiit, et temporis conditio mutata est. O quam facile est mendacia redarguere! Primum, quod nihil potest esse in hoc mundo, quod non sic permaneat, ut cœpit. Nec enim sol, et luna, et astra tunc non erant, aut cum essent, meatus non habebant, ac non divina moderatio, quæ cursus eorum temperat et gubernat, cum ipsis simul cœperit. Deinde quod si ita sit, ut dicunt, providentiam esse necesse est; et in idipsum incidunt, quod maxime fugiunt. Nondum enim natis animalibus, aliquis utique providit, ut nascerentur, ne orbis terræ desertus, atque incultus horreret. Ut autem de terra sine officio parentum nasci possent, necesse est magna ratione esse provisum; deinde ut humor ille concretus de terra in varias imagines corporum fingeretur; item ut e folliculis, quibus tegebantur, accepta vivendi, sentiendique ratione, tamquam ex alvo matrum profunderentur, mira inextricabilisque provisio est. Sed putemus id quoque casu accidisse : illa certe quæ sequuntur, fortuita esse non possunt; ut terra continuo lacte manaret, ut aeris temperies esset æqualis. Quæ si constat idcirco esse facta, ut animalia recens edita, vel haberent alimentum, vel non haberent periculum, necesse est, ut aliquis divina nescio qua ratione providerit.

Quis autem potest providere, nisi Deus? Videamus tamen an id ipsum, quod dictitant, fieri potuerit : ut homines nascerentur e terra. Si consideret aliquis quandiu, et quibus modis educetur infans, intelliget profecto non potuisse terrigenas illos pueros sine ullo educatore nutriri. Fuit enim necesse quampluribus mensibus jacere projectos, donec confirmatis nervis movere se, locumque mutare possent : quod vix intra unius anni spatium fieri potest. Jam vide utrumne infans eodem modo, et eodem loco quo est effusus, jacere per multos menses valuerit, ac non et humore illo terræ, quem alimenti gratia ministrabat, et sui corporis purgamentis in unum mixtis obrutus corruptusque moreretur. Itaque nullo modo fieri potest, quin ab aliquo fuerit educatus; nisi forte animalia omnia non tenera nata sunt, sed excreta : quod ut dicerent, numquam venit illis in mentem. Omnis ergo illa ratio impossibilis, et vana est : si tamen ratio dici potest, qua id agitur ut nulla sit ratio. Qui enim dicit omnia sua sponte esse nata, nihilque divinæ providentiæ tribuit, hic profecto rationem non asserit, sed evertit. Quod si neque quidquam fieri sine ratione, neque nasci potest, apparet divinam esse providentiam, cujus est proprium quod dicitur ratio. Deus igitur rerum omnium machinator fecit hominem. Quod Cicero, quamvis expers cœlestium litterarum, vidit tamen; qui libro de Legibus primo hoc idem tradidit, quod prophetæ, cujus verba subjeci : « Hoc animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum esse a supremo Deo; solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis et cogitationis, cum cætera sint omnia expertia. » Videsne hominem, quamvis longe a veritatis

VARIORUM NOTÆ.

qua re vide Lucr. l. v, vers. 806. BETULEIUS.— Vide Ciceron. l. I de Legibus.

Terræ radicibus apti. Haud secus habent mss. codices Lucretiani; nec Lactantiani 6 Reg., 1 Clarom. et 8 impressi. At Reg. Put., 1 al. Reg., 4 Colb., Brun., ed. Rom. 1470, habent *terra;* alii 2 Reg., 2 Colb., 1 Clarom., ed. Rom. 1468 et Paris. 1525, *terram.*

Maturassent. Buneman. legit *maturuissent*, deque hac lectione sic habet : « Sic edidi ex ms. Ultraj. etiam Munckerus hic ita legere malebat, et sic Hyginum corrigebat, fab. 136, p. 203. » BUN.

Animantes esse nutritas. Ita reposui ex mss. Editi legunt *nutritos.*

Quomodo igitur. Sic restitui ex mss. omnibus, accedentibus 5 recentioribus et edit. Betul. in quibus est *ergo*; in editis, *quomodo autem.* Lucretius eod. lib. v.

Nec. Reposui ex mss. 2 Reg. 900 annor. aliisque octo. In 2 aliis est *aut*; in cæteris, *et.*

Vivendi. Sic restitui ex vet. editis 4, cunctisque mss. dempto uno Tornes. in quo, ut in impressis 10, est *videndi.*

Ex alvo matrum profunderentur. Arnob. lib. II, *Nascimur, et ex alvis effundimur matrum.* August. Tom. X de S. Johan. Serm. 2. *Corruptibilis uteri finibus effusus est.* Quintil. decl. VI, Cicero in Pisonem.

Inextricabilis. Hæc mutatio facta ex mss. 2 Bonon., 1 Colb. antiq. Jun., Ultr., 2 Brun. ac edd. Tornes. et Soubr. In edit. Walch. est *inexpricabilis*, typographico mendo; in cæteris, *inexplicabilis.* — *Mira inexplicabilisque provisio.* Bon., Ultr., Jun., Goth., *mira inextricabilisque.* At iterum junxit de Opif. c. 8 : *Inexplicabilis est ac mira subtilitas.* BUN.

Ac non et humore. Ita restitutum ex ed. Tornes. et Cellar. omnibusque mss. præter Em., in quo desideratur *et;* Lipsiensem unum et Colb. 1, in quibus est *ac non ex humore.*

Ac non humore illo terræ. Emman. et Lips., *ac non :* alii, *annon.* De Opif., c. 16; Potest ne *aliquis comprehendere...* ac non *ex eo ipso intelligat.* BUN.

Quem. Habent tres optimi mss. Regii, 1 Colb. et 2 Brun. impressi et plerique mss. *quod.*

Excreta. Quia in Lactantio omnes scripti editique, *excreta*, servo; sic Virgil. in Georg. 397. :

Multi jam excretos prohibent a matribus hædos.

BUN.

A supremo Deo. Sic cum omnibus pene mss. edit. Tornes. Soubr. et Walch. cunctique codices Ciceroniani : 2 Reg. rec., *a superno Deo;* 3 Colb., 2 Reg. cum multis editis, *a summo Deo.*

Digitized by Google

notitia remotum, tamen, quoniam imaginem sapientiæ tuebatur, intellexisse non nisi a Deo hominem potuisse generari? Sed tamen divinis opus est testimoniis, ne minus humana sufficiant. Sibylla hominem Dei opus esse testatur :

Ὃς μόνος ἐστὶ Θεὸς κτίστης ἀκράτητος ὑπάρχων,
Αὐτὸς δὲ ἐστήριξε τύπον μορφῆς μερόπεσσι,
Αὐτὸς ἔμιξε φύσιν πάντων γενεῆς βιότοιο.

Eadem sanctæ litteræ continent. Deus ergo veri patris officio functus est. Ipse corpus effinxit; ipse animam qua spiramus infudit. Illius est totum, quidquid sumus. Quomodo id fecerit, si nos oporteret scire, docuisset, sicut docuit cætera quæ cognitionem nobis, et pristini erroris et veri luminis attulerunt.

CAPUT XIII.

Quare duo sexus in homine : quid sit mors ejus primâ, quid secunda; et de primorum parentum culpa et pœna.

Cum ergo marem ad similitudinem suam primum finxisset, tum etiam fœminam configuravit ad ipsius hominis effigiem, ut duo inter se permisti sexus propagare sobolem possent, et omnem terram multitudine opplere. In ipsius autem hominis fictione illarum duarum materiarum, quas inter se diximus esse contrarias, ignis et aquæ, conclusit perfecitque rationem. Ficto enim corpore, spiravit ei animam de vitali fonte spiritus sui, qui est perennis, ut ipsius A mundi ex contrariis constantis elementis similitudinem gereret. Constat enim ex anima et corpore, id est, quasi e cœlo et terra : quandoquidem anima, qua vivimus, velut e cœlo, oritur a Deo, corpus e terra, cujus e limo diximus esse formatum.

Empedocles, quem nescias utrumne inter poetas, an inter philosophos numeres, quia de rerum natura versibus scripsit, ut apud Romanos Lucretius et Varro, quatuor elementa constituit, id est, ignem, aerem, aquam, et terram; fortasse Trismegistum secutus, qui nostra corpora ex his quatuor elementis constituta esse dixit a Deo : habere namque in se aliquid ignis, aliquid aeris, aliquid aquæ, aliquid terræ; et neque ignem esse, neque aerem, neque aquam, neque terram : quæ quidem falsa non sunt. Nam terræ B ratio in carne est; humoris, in sanguine; aeris, in spiritu; ignis, in calore vitali. Sed neque sanguis a corpore secerni potest, sicut humor a terra; neque calor vitalis a spiritu, sicut ignis ab aere : adeo rerum omnium duo sola reperiuntur elementa, quorum omnis ratio in nostri corporis fictione conclusa est. Ex rebus igitur diversis ac repugnantibus homo factus est, sicut ipse mundus ex luce ac tenebris, ex vita et morte : quæ duo inter se pugnare in homine præcepit, ut si anima superaverit, quæ ex Deo oritur, sit immortalis, et in perpetua luce versetur; si autem corpus vicerit animam, ditionique subjecerit, sit in tenebris sempiternis, et in morte. Cujus non ea

VARIORUM NOTÆ.

Divinis. Sed tantum juxta Ethnicos. Ὃς μόνος, etc. Interpret. lat. :

Qui solus est Deus creator invictus existens,
Ipse autem firmavit figuram formæ hominumque,
Ipse miscuit naturam omnium generationis vitæ.

Hæc carmina ex Sibyllinis Oraculis, serm. 1.

Αὐτὸς ἔμιξε. Ita editi et mss. præter 1 Clarom. et edit. Rom. in quibus est, Αὐτὸς ἔλιξε. *Betuleius* restitui vult αὐγὰς μίξε. Isæus monet sic haberi in codice Sibyllino.

Sanctæ litteræ. Scilicet Genes. 1, et David in Psalmis.

Hominis. Id est, maris, viri. Iterum homo κατ' ἐξοχήν, pro *viro*, infra. Bun.

Spiravit ei animam de vitali fonte, etc. *Spiravit*, pro *inspiravit*, quod est in ms. 1 Clarom. Verbum simplex pro composito familiare Lactantio. Supra auctor noster dixit, animam esse igneum quiddam ac calorem, et hoc cap. *quod si anima ignis est, ut ostendimus.* Hic scribit esse ex Deo, ac si animæ essent particulæ divinæ essentiæ; nam præterquam quod hic dicat Deum *spirasse animam de vitali fonte*, infra hoc explicans, dicit illam *ex Deo oriri*, imo *ex Deo constare. Est ex cœlo et Deo*, addit paulo post; quæ verba ejus mentem satis exponunt. Hanc opinionem refellit Augustinus in epist. ad Hieron. 28; item Thomas Aquinas, contra Gentes lib. II, cap. 85. Sic Leo I, de hac opinione : *Nimium igitur superbi, nimiumque sunt cæci, qui, cum dicant animam humanam divinæ esse substantiæ, non intelligunt, nihil aliud se dicere, quam Deum esse mutabilem, et ipsum perpeti quidquid potest naturæ ejus inferri.* Hujus erroris occasionem sumpserunt ex loco Gen. II, v. 7, male intellecto, ubi hæc leguntur verba : *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Quæ nullo modo dicunt, inspirasse flatum vitæ ex sua substantia : sed hoc C tantum innuunt, Deum infudisse animam, qua corpus e terra factum viveret; non quod ex ipsa Dei essentia sit inspirata. Hoc tantum Spiritui Sancto peculiare, qui Patris et Filii est essentiale spiraculum; et si hoc de homine ita intelligendum esset, Deus factus fuisset. Gallæus.

Empedocles. Legitur quidem ejus Vita apud Laertium inter philosophorum aliorum Vitas : a Cicerone frequentius inter poetas numeratur; sed in primo de Oratore, negat eadem ratione dici physicos et poetas eosdem, quoniam Empedocles physicus egregium poema fecerit. Ejus carmina plurima leguntur in Collectione Henrici Stephani, cui titulus : Poesis Philosophica, edita in octava forma.

Quatuor elementa. De his vide S. Epiphanium lib. III, contra Hæreses; et Plutarch. de Placitis Philosophor., lib. I, cap. 3. Vide et Laertium in Vitis Philosophor. — *Empedocles..... Varro.* Sequitur D Quintilianum, l. I, Inst., c. 4. *Empedocles in Græcis, Varro ac Lucretius in Latinis præcepta sapientiæ versibus tradiderunt.* Aristoteles, lib. de Poetica, c. 1, Empedoclem φυσιολόγον μᾶλλον ἢ ποιητὴν appellat. Bun.

Trismegistum secutus. Est tale quid in tertio Poemandri Dialogo.

Dixit a Deo. Vide eumdem Trismegist. apud Stob. in Collect. Serm. 11 de Veritate.

Sit immortalis. Id est, in perpetuum beata. Explicat ipse : *in perpetua luce versetur*, quod notandum contra Dodwellum, de quo plura ad l. VII, c. 5; *Immortalis* et *immortalitas.* Bun.

Et in morte. Mortis nomen, quia amphibolon in quæstione sacra est, removenda gentilibus ambiguitas erat, quibus mortis nomen tale nihil significat. In sacris vero paginis, animæ a corpore discessus rarius mortis nomine, frequentius quietis aut somni voce significatur. Sic Lazarus dormire dicitur; et

Digitized by Google

vis est, ut injustas animas extinguat omnino, sed ut A et diabolo, serviat. Quod quidem non fugit hominem nequam Sallustium, qui ait : Sed omnis nostra vis in animo et corpore sita est ; animi imperio, corporis servitio magis utimur. Recte, si ita vixisset, ut locutus est. Servivit enim fœdissimis voluptatibus, suamque ipse sententiam vitæ pravitate dissolvit. Quod si anima ignis est, ut ostendimus (*supra, c.* 10), in cœlum debet eniti, sicuti ignis, ne extinguatur, hoc est ad immortalitatem, quæ in cœlo est. Et sicut ardere, ac vivere non potest ignis, nisi aliqua pingui materia teneatur, in qua habeat alimentum : sic animæ materia et cibus est sola justitia, qua tenetur ad vitam. Post hæc Deus hominem, qua exposui ratione generatum, posuit in paradiso (*Vid. Gen.* II), id est, in horto fœcundissimo, et amœnissimo : quem in B partibus Orientis omni genere ligni arborumque consevit, ut ex earum variis fructibus aleretur, expersque omnium laborum, Deo patri summa devotione serviret.

Eam pœnam secundam mortem nominamus, quæ est et ipsa perpetua, sicut et immortalitas. Primam sic definimus : Mors est naturæ animantium dissolutio; vel ita : Mors est corporis animæque seductio. Secundam vero sic : Mors est æterni doloris perpessio; vel ita : Mors est animarum pro meritis ad æterna supplicia damnatio. Hæc mutas pecudes non attingit, quarum animæ non ex Deo constantes, sed ex communi aere, morte solvuntur. In hac igitur societate cœli atque terræ, quorum effigies in homine expressa est, superiorem partem tenent ea quæ sunt Dei, anima scilicet, quæ dominium corporis habet; inferiorem autem ea quæ sunt diaboli, corpus utique: quod quia terrenum est, animæ debet esse subjectum, sicut terra cœlo. Est enim quasi vasculum, quo tamquam domicilio temporali spiritus hic cœlestis utatur. Utriusque officia sunt, ut hoc, quod est ex cœlo et Deo, imperet, illud vero, quod ex terra est

Tum dedit ei certa mandata : quæ si observasset,

VARIORUM NOTÆ.

I Thess. IV, 13 : *Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Loquendi modus Hebræorum erat, ut defunctos cum patribus obdormivisse dicerent. Pia admodum et spe plena phrasis, qua significabant mortuorum resurrectionem tam certam esse, quam est ex somno excitatio. Quamquam etiam Platonica philosophia eadem utatur voce. Quod vero Lactantius tenebras mortem vocat, propheticæ litteræ fere umbram mortis appellare solent. Mors, inquit Paulus, intravit per peccatum. BETULEIUS.

Cujus non ea vis est, ut injustas animas extinguat, etc. Hæc verba sedulo contra Socinianos sunt observanda, quippe quæ docent qualis eo tempore Patrum fuerit opinio, de impiorum statu post mortem; non enim, ut asserunt hæretici illi, annihilantur impii, sed ut loquitur Christus, Joan. cap. v, v. 29 : *Qui mala egerunt, procedent in resurrectionem judicii.* Legantur cap. Matth. XXV, et Actor. Apost. cap. XXIV, v. 15, ubi expresse Paulus δικαίων τε καὶ ἀδίκων, *justorum et iniquorum*, meminit. GALLÆUS.

Animantium dissolutio. Idem legitur in Phædone Platonis; et in I Tusculan. quæst. Ciceronis, mors est discessus animæ a corpore.

Animæque seductio. In mss. 4 Colb. et Brun. est *animæque dissolutio.* — *Seductio.* Id est, separatio, discretio, ut l. VII, c. 12. Hinc confirmo lectionem Virgilii IV Æn. 385.

Et cum frigida mors anima seduxerit artus. BUN.

Secundam. Sic emendavimus ex mss. et pluribus D editis. In sex vulgatis *secunda*, mendose. Legimus enim *primam* paulo superius.

Inferiorem autem, etc. Ne credas in hoc Lactantium Marcionis errorem fuisse secutum, quasi existimaverit a diabolo fuisse formatum hominis corpus, quod superius, cap. 12 et 13, a Deo effictum esse dixit; sed in eo quod juxta Joan., et Paulum II Cor. IV, 4, permissam fuisse diabolo terræ potestatem, et corpus nostrum esse diaboli, quia Deus reliquit ei facultatem homines ad peccatum alliciendi et impellendi, eisque nocendi. Hoc itaque physice non intelligendum, sed moraliter : scilicet corpus peccati, ut loquitur Paulus, a diabolo est, non a Deo. GALLÆUS.

Est enim quasi vasculum. Sic legendum esse censeo, non ut plerisque mss. et editis male, *est enim terra quasi vasculum*, etc., de terra enim auctor hic loci non disserit, sed de corpore e terra facto : neque etiam proprie terra dicitur vasculum spiritus nostri; sed referendum est ad corpus, quod est quasi vasculum, aut tamquam domicilium temporale, quo spiritus utitur, ut ipse continuo adjungit. Ex scopo itaque Lactantii lego, ut exhibent mss. antiquissimi ac melioris notæ, nempe 1 Bonon., 4 Reg., Cauc., Ultr., 1 Colb., Brun. et editi sex.

Spiritus hic cœlestis. Ex omnibus mss. ac edit. Rom. 1470, Tornes., Soubron., addidimus pronomen, quod cæteris impressis deest.

Et diabolo. Ex mss. et editis Roman. 1470, Gymnic., Cellar., addenda fuit particula *et*, quæ similiter extat in priori membro, *ex cœlo et Deo.* Hic vero deest in multis editis.

Sallustium. Vide in Præfat. histor. de Conjur. Catil.

Servitio. Pro servitute. Idem lib. IV, cap. 10, *gravi servitio*; et lib. VII, cap. 15, *servitium non tulisse.*

Servivit enim fœdissimis, etc. Suetonius lib. de clar. Grammat. ait a Lenæo Satyra laceratum, et appellatum lurconem, nebalonem, propinonemque, vita scriptisque monstruosum. Et A. Gellius lib. XVII, cap. 18, ex Varrone retulit, in adulterio deprehensum a Milone, loris cæsum bene; et cum dedisset pecuniam, dimissum. JURETUS.

Et sicut ardere. Ita cum editis Manuscripti omnes, præter 1 Bonon. antiq. in quo legitur, *Nam sicut;* 1 Clarom., *Nam et sicut.*

Teneatur. Id est, alatur. Cic. lib. II, de Nat. deor., c. 54, *Tribus rebus animantium vita* tenetur, *cibo, potione, spiritu.* Conf., c. 55, pr. et c. 11; *Homines bestiæque calore* tenentur. Paulo ante : *retinentur et vigent.* BUN.

In partibus Orientis. Fuit locus orientalis, respectu Judeæ, vel Ægypti, vel Arabiæ, ubi Moses scripsit; et quidem pars regionis dictæ Eden a voluptate, quia totius orbis fuit pars elegantissima et fœcundissima. PARÆUS.

Consevit. Ita lego, ut hic locus ab omnibus citatur, et habetur in mss. Bon., Tax., Pen.; sic infra cap. 14 : *Vineam sua manu sevit*, atque arborum consitiones dicuntur. ISÆUS. — 1 Colb. et edd. septem habent, *conseruit;* 1 Reg. rec., *construit*, corrupte. Sed mss. antiquissimi Regii, 2 Bonon., Cauc., aliique 13, ac editiones Rom. 1470, Venet. 1490, aliæque undecim legunt, *consevit;* nec aliter Lactantius in Epitome, cap. 27.

Expersque laborum. Hæc non ita sunt accipienda, quasi homo otiose vixisset in Paradiso, absque ullo labore : si Lactantius hoc pacto intelligit illud, *expers*

Digitized by Google

immortalis maneret, si transcendisset, morte afficeretur. Id autem præceptum fuit, ut ex arbore una, quæ erat in medio paradisi, non gustaret, in qua posuerat intelligentiam boni et mali. Tum criminator ille invidens operibus Dei, omnes fallacias et calliditates suas ad decipiendum hominem intendit, ut ei adimeret immortalitatem. Et primo mulierem dolo illexit, ut vetitum cibum sumeret; et per eam ipsi quoque homini persuasit, ut transcenderet Dei legem. Percepta igitur scientia boni et mali, pudere eum nuditatis suæ cœpit, absconditque se a facie Dei, quod antea non solebat. Tum Deus ejecit hominem de paradiso, sententia in peccatorem lata, ut victum sibi labore conquireret, ipsumque paradisum igni circumvallavit, ne homo posset accedere, donec summum judicium faciat in terra, et justos viros cultores suos in eumdem locum revocet, morte sublata; sicut sacræ voces docent, et Sibylla Erythræa (Vid. *Theophil. ad Amphiloch., lib.* II), cum dicit :

Οἱ δὲ Θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν, ἆναξ γε
Ζωὴν κληρονομοῦσι, τὴν αἰῶνος χρόνον αὐτοὶ
Οἰκοῦντες παράδεισον ὁμῶς ἐριθηλέα κῆπον.

Verum quoniam hæc extrema sunt, in extrema operis hujus parte tractabimus. Nunc ea, quæ prima sunt, explicemus. Mors itaque secuta est hominem secundum Dei sententiam; quod etiam Sibylla in carmine suo docet, dicens :

VARIORUM NOTÆ.

laborum, repugnat S. Scripturæ. quæ dicit Adamum a Deo in Paradiso collocatum, ut coleret eum; quare hoc dictum accipio de molesto labore et dolorifico, qui solus est pœna peccati. Ita GALLÆUS.

Immortalis maneret. Hæc contra Pelagium, ejusque asseclas Socinianos militant, qui contendunt Adamum natura mortalem fuisse creatum. Quod falsum esse evincunt loca Rom. VI, v. 23, et I Cor. XV, v. 53, 54 et damnatum fuisse in Concilio Milevitano, id notante Isæo.

Ut ex arbore, etc. Hoc est, *fructu arboris :* hanc arborem vulgus malum fuisse putat, deceptum ambiguo *pomi* vocabulo, quod latius patet, et ficum quoque comprehendit. Veteres non consentiunt : plerique *ficum*, alii *citrum* fuisse volunt, quorum loca Drusius affert. Sed res incertissima est. GROTIUS.

Quæ erat. Ita mss. Regio-Put. et 1 al. Reg. optimæ notiæ.

In qua posuerat, etc. Non est hæc sententia ita accipienda, ac si arbor esset rationalis, sciens bonum et malum : neque etiam vocatur arbor scientiæ boni et mali, eo quod habeat vim dandi intelligentiam boni et mali; sed ab eventu ita nominatur, quia homini hoc eveniret, ut sciret quid boni amisisset, ac mali acquisivisset, quid interesset inter obedientiæ bonum et malum inobedientiæ. Hanc intelligentiam habuit Adamus post esum fructus vetiti; statim enim cœpit eum pudere sui, et vidit se nudum esse. *Ex* Isæo. Criminator de quo hic, alius non est a diabolo.

Ad decipiendum hominem. Ita cum Bon., Witeb., Lips., Reimm. aliis mss. omnes fere editiones. Emman. et Goth. et Tornes. 1587, 1613, *Ad* dejiciendum *hominem*; certe supra captum Librariorum, ex genio Lactantii l. III, c. 29, *Si* dolo *nihil profecerit, violentia* dejicere *conatur*. L. IV, c. 27 : *Dæmones* dejiciendi *hominis causa varios... cultus... condiderunt.* Cypriau., de Unit. Eccl. princ. *Persecutio, quæ subruendis ac* dejiciendis *Dei servis..... grassatur.* BUN.

Ut transcenderet Dei legem. Recte. Vide supra : *Dedit ei certa mandata, quæ... si transcendisset, morte afficeretur.* Ms. 1 Bon. antiq. solus, *ut transgrederetur.*

Deus ejecit hominem de paradiso. Quidam putarunt paradisum fuisse locum quemdam amœnum extra hunc orbem habitabilem; et cum primos parentes nostros ex paradiso ejectos S. Scriptura tradit, illud intelligendum, ex illo loco, in mundum hunc fuisse relegatos. Quod nullo quidem nititur fundamento, ac contrarium patebit ei qui attentius inspiciet textum; ibi enim mentio fit fluminum hortum irrigantium, quæ etiamnum adhuc sunt in rerum natura. Quare dicendum est, illos in paradiso degentes, etiam in hac nostra terra habitasse, et cum ejicerentur de paradiso, illos tantum mutasse locum in hoc mundo. GALLÆUS.

Sententia in peccatorem lata. Ita restitui ex mss. veterrimis Cauc., 2 Bonon., Pal. et edit. Is. et Epitom. cap. 27, faventibus 2 Reg. et 12 editis in quibus est *in peccatores lata.* At 7 scripti Reg. ex quibus duo sunt antiquissimi, 6 Colb., Jun., Ultr., 2 Clarom. et Brun. ac edit. Tornes. et Walch. habent, *sententia in peccatores data.*

Conquireret. Sic emendo ex omnibus mss. et editis Rom. 1468, 1470, et Walch. nisi quod in 3 Colb. legitur *conquereret*; in alio item Colbertino *acquireret*: in editis decem *conquirerent*, minus benè. Deus enim solum hominem ad laborem damnavit, mulierem vero ad partus dolorem (*Genes. c.* III, *v.* 16, 17, 19.)

Igni circumvallavit. Variant super hac re doctorum sententiæ. Tertullianus Apolegetic. cap. 46. S. Thomas et alii quidam dixerunt, Mosen figuratis verbis significare voluisse, paradisum sub zona torrida situm, ideoque hominibus inaccessum esse; quoniam recepta opinione, zona torrida ob nimium æstum putata est olim inhabitabilis : quam opinionem experientia nostri sæculi satis refellit. Aliter Ambrosius. Lyranus ut Lactantius. Intelligenda videntur per illud *flamma gladii*, arma quibus Cherubim angeli hortum custodiebant; igneis cum mucronibus, quos horrendum in modum vibrabant, paradisum reddebant inaccessum. Partim *ex* PARÆO.

Donec summum judicium faciat. Cum Tertulliano, Apol. c. 46, errat Lactantius, dicendo justos in Paradisum terrestrem, post ultimum judicium, introducendos. Hanc opinionem hauserant quidam ex antiquis a Papia Hierapolitano, qui ex capite XX Apocalypseos male intellecto somniaverunt regnum mille annorum, antequam Beati in cœlestem patriam introducerentur. Qua de re vide Eusebium Histor. Ecclesiast. libro VIII, cap. 39. Si cœleste regnum intellexisset, verum dixisset; Christus enim diserte testatur, illos ingressuros regnum cœlorum, Matth. XXV, v. 34; et B. Paulus II Cor., V, v. 1 : *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.*

Sacræ voces docent. Sic reposui ex edit. Soubr., Bet., Tornes., Walch. et cunctis prope mss. In 2 Reg. rec. et impressis 12 legitur *sacræ litteræ*. At manuscriptorum lectio præferenda, qua etiam usus est Lact. lib. IV, cap. 26; et Sulpicius Severus, Histor. Sacr. lib. II, paulo post med., ad Constantini magni tempora.

Οἱ δὲ Θεὸν. Interpret. Latina :

Qui autem Deum honorant verum, sempiternam utique
Vitam hæreditario jure possident, per sæculi tempus ipsi
Habitantes paradisum æque per amœnum hortum.

Extrema sunt, in extrema. Mss. rec. et plures editi, *Extrema sunt tota in extrema.*

Sibylla. De qua vide Serm. I, sub initium, et Serm. 8, circa med.

Digitized by Google

Ἄνθρωπον πλασθέντα θεοῦ παλάμαις ὑπ' αὐταῖς
Ὃν κε πλάνητιν ὄφις δολίως, ἐπὶ μοῖραν ἀνελθεῖν
Τοῦ θανάτου, γνῶσίν τε λαβεῖν ἀγαθοῦ τε κακοῦ τε.

CAPUT XIV.

De Noe vini inventore : qui primi scientiam astrorum habuerint, ac de ortu falsarum religionum.

Sic facta hominis vita est temporaria : sed tamen longa, quæ in mille annos propagaretur. Quod divinis litteris proditum, et per omnium scientiam publicatum cum Varro non ignoraret, argumentari nisus est cur putarentur antiqui mille annos victitasse. Ait enim, apud Ægyptios pro annis menses haberi, ut non solis per XII signa circuitus faciat annum, sed luna, quæ orbem illum signiferum 30 dierum spatio lustrat : quod argumentum perspicue falsum est. Nemo enim tunc millesimum annum transgressus est. Nunc vero qui ad centesimum perveniunt, quod fit sæpissime, mille certe ac ducentis mensibus vivunt. Et auctores idonei tradunt, ad centum et viginti annos perveniri solere. Sed quia ignorabat Varro, cur aut quando vita hominis esset diminuta, ipse diminuit; cum sciret mille et quadringentis mensibus posse vivere hominem.

Deus autem postea, cum videret orbem terræ malitia et sceleribus oppletum, statuit humanum genus diluvio perdere : set tamen ad multitudinem reparandam delegit unum, quod, corruptis omnibus, singulare justitiæ superarat exemplum. Hic cum sexcentorum esset annorum, fabricavit arcam, sicut præceperat ei Deus, in qua ipse, cum conjuge, ac tribus filiis totidemque nuribus servatus est, cum aqua universos montes altissimos operuisset. Deinde orbe siccato, execratus injustitiam prioris sæculi Deus, ne rursus longitudo vitæ causa esset excogitandorum malorum, paulatim per singulas progenies diminuit hominis ætatem, atque in centum et viginti annis metam collocavit, quam transgredi non liceret. Ille

VARIORUM NOTÆ.

Ἄνθρωπον πλασθέντα. Sic restitui ex veterrimis codicibus mss. tribus Regiis, Cauc. et Sibyllino, quo usus est Isæus, quibus concordant 2 Brun. Impressis est πεπλάσται Versio lat. :

Hominem formatum Dei manibus.

Ὃν κε. Ita reposui ex mss. vet. Regiis, faventibus 3 Colbert., 1 Clarom., 1 Brun. eo quem habuit Masurus, et ed. Rom. 1468, quæ habent Ὃν καὶ. In nonnullis mss. et pluribus editis ὃν τε,

Quem quidem seduxit serpens dolose.

Non male legeretur Ὅν γε. Latine : *Ut ad fatum accederet mortis, notionemque acciperet boni et mali.*

Ἐπὶ μοῖραν. Opsopœius in suo ms. Sibyllino, μ' ἐπὶ cum addita negatione, et pro ἀνελθεῖν ἐπελθεῖν legit.

Quæ in mille annos, etc. Nemo mille annos vixit in terra : quare dicendum est in mille annos propagasse vitam, hoc est, quam proxime ad illos annos accessisse, ut Mathusala, Jared, Noe. *Ex* Isæo.

Nisus est. Ita plerique et optimi mss. et edit. Rom. et Gymnic. unde scripti recentiores 7 fecerunt *visus est.*

Pro annis menses haberi. Non fuit hoc perpetuum apud Ægyptios, licet Macrob. 1 Saturn., cap. 12 affirmet, anni certum modum apud solos Ægyptios semper fuisse ; nam verius est, Ægyptios annum variasse, et quandoque trium, sæpius quatuor mensium annum effecisse, ut supposititius habet Xenophon in l. de Æquivocis : *Annus diversus est ; etenim Ægyptii utuntur anno quandoque menstruo, sæpe bimestri, non raro trimestri, sæpe quadrimestri, nonnunquam solari.* Solin. cap. 3, Ægyptiorum annum quatuor mensium scribit fuisse ; et S. Augustin., lib. XV de Civ. Dei, cap. 12, aliquando quatuor mensium, aliquando menstruum. Plut. in Numa, Ægyptiis menstruum annum, mox quadrimestrem fuisse tradit : illum tamen plerumque mensis spatio metitos ad cursum lunæ scribit Plin. lib. VII, cap. 48, et Censorin. de die natal. De anni diversitate apud varias gentes, vid. Alex. ab Alex. dier. Gen. lib. III, cap. 24. Gyrald., de Dieb. ann. et mens. Isæus. — Et Fabricii Menologium in 4 Hamburg. 1712.

Luna, quæ orbem illum signiferum 30 dierum spatio lustrat. Sic est mss. omnibus et ed. Rom. 1470, restitui *lustrat*, pro *illustrat*, quod est in editis. Et ita hunc locum refert Ambrosius Calepinus in *Lustro*. Sed et apud Ciceronem eodem significatu accipitur, itemque apud Virgilium :

Sol lustrabat lampade terras.

Tradunt. Philo de Gigant. Joseph. lib. 1 Antiquit., cap. 5.

Mille et quadringentis mensibus, etc. Ita mss. et editi ferme omnes. 1 Reg. rec. habet, *trecentis ;* 1 Bon. antiq., *Mille et quadringentis quadraginta mensibus ;* ed. Spark. sine *quadringentis ;* ed. Walch., *mille et quadringenta mensibus*, vitiose.

Unum, quod. Sic omnes libri. Heumannus : *vehementer*, inquit, *gestio rescribere* unum, qui. Ego puto neutrum *quod* referendum ad *exemplum*. Nota exempla, ubi pronomen hoc non ad præcedens, sed sequens substantivum refertur ; e. g. Lact. l. II, c. 11 : *Animal, quem vocamus hominem*, lib. VII, c. 9 : *Ignem*, quod *est elementum ;* et lib. II, cap. 9 : Aqua *utuntur*, quod *est elementum... terrenum.* Livius, l. XXX, c. 7 : *Senatum Suffetes*, quod *velut consulare* imperium *apud eos erat, vocaverunt.* Cic. lib. I, Div. cap. 23 : *Magos dixisse*, quod *genus sapientum et doctorum habebatur in Persis.* Buneman.

Fabricavit arcam. Navigii genus absque velis et remis, arcæ in modum constructum tectumque LXX κιβωτὸν vocant ; Josephus λάρναξ : unde θήβατα in Clemente Strom. lib. V. Hujusmodi navigia, vel ex ligno fiebant, ut arca Noë, vel ex papyro, ut scirpea illa rates, quæ Mosen infantem vexit : hanc LXX θίβην appellant, haud obscuro vestigio vocabuli hebraici. Drusius.

In centum et viginti annis metam collocavit. Juxta Brasichii animadversionem, dissentiunt ab hac Lactantii opinione, quæ etiam fuit Josephi, S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis, in Genes. VI, S. Chrysostomus Homil. 20 in Genes., et plerique ferme omnes. Vide Sixtum lib. V, Bibliothec., Annot. 75, et recentiores Interpretes in VI Genes.

At quamplurimos centum et viginti annos excessisse novimus, non solum ex sacris Litteris, sed etiam ex profanis auctoribus. Itaque quæ hic refert Lactantius ex Moyse cap. VI Genes. non ad vivendum, sed ad pœnitendum intelligenda esse videntur Isæo. Quasi diceret Deus : Eum hic puniam, et aquis obruam ; quin etiam antequam puniam, dabo ei tempus pœnitudinis, eruntque dies illius ad pœnitendum centum et viginti annorum. Ergo verba Domini non severitatis sunt, sed clementiæ atque miserationis ; et ita interpretantur ea Chrysostomus Homil. 22, su-

Digitized by Google

vero, cum egressus esset ex arca, ut sanctæ litteræ docent, terram studiose coluit, atque vineam sua manu sevit. Unde arguuntur qui auctorem vini Liberum putant. Ille enim non modo Liberum, sed etiam Saturnum, atque Uranum multis antecessit ætatibus. Qua ex vinea cum primum fructum cepisset, lætus factus, bibit usque ad ebrietatem, jacuitque nudus. Quod cum vidisset unus ex filiis, cui nomen fuit Cham, non texit patris nuditatem: sed egressus, etiam fratribus indicavit. At illi sumpto pallio, intraverunt aversis vultibus, patremque texerunt. Quæ cum facta recognovisset pater, abdicavit atque expulit filium. At ille, profugus, in ejus terræ parte consedit, quæ nunc Arabia nominatur; eaque terra de nomine ejus Chanaan dicta est, et posteri ejus Chananæi. Hæc fuit prima gens, quæ Deum ignoravit; quoniam princeps ejus et conditor cultum Dei a patre non accepit, maledictus ab eo: itaque ignorantiam divinitatis minoribus suis reliquit.

Ab hac gente, proximi quique populi, multitudine increscente, fluxerunt. Ipsius autem patris posteri, Hebræi dicti, penes quos religio Dei resedit. Sed et ab his postea, multiplicato in immensum numero, cum eos angustiæ locorum suorum capere non possent, tum adolescentes vel missi a parentibus, vel sua sponte, cum rerum penuria cogeret, profugi, ad quærendas sibi novas sedes, huc atque illuc dispersi, omnes insulas, et orbem totum replerunt; et a stirpe sanctæ radicis avulsi, novos sibi mores, ac instituta pro arbitrio condiderunt. Sed omnium primi, qui Ægyptum occupaverunt, cœlestia suspicere atque adorare cœperunt. Et quia neque domiciliis tegebantur propter aeris qualitatem, nec ullis in ea regione nubibus subtexitur cœlum, cursus siderum, et

VARIORUM NOTÆ.

per Genesim; S. Hieron. in quæst. Hebraic.; S. Aug. lib. xv de Civ. Dei, cap. 24; Hug. a S. Vict. in Gen., etc. *Ex* Isæo. — *In centum et* 20 *annis metam.* Noster ex aliis repetiit. Hinc c. 12 : *Auctores idonei*, inquit, *tradunt, ad* 120 *annos perveniri solere.* Sic Arnobius lib. II, pag. 94 : *Annis vixerint vicenis atque centenis; ultra enim negatur* posse hominis vita *produci.* Iterum Lact. Epit. Taur., c. 27 : *Vita... ad annos centum viginti redacta est.* Singularis est locus Trebellii Pollionis in Divo Claudio c. 2 : *Doctissimi mathematicorum centum et viginti annos homini ad vivendum datos judicant, neque amplius cuiquam jactitant esse concessum; etiam illud addentes, Mosem solum, Dei (ut Judæorum libri loquuntur) familiarem, 127 annos vixisse : qui quum quereretur, quod juvenis interiret responsum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus esse victurum.* Buneman.

Cum egressus esset ex arca. Genes. IX. In Armenia. Loco nomen ἀποβατήριον. Epiphanius montes hos medios inter Armeniam et Cardyæos facit. Ipsum montem in quo arca substitit Lubar vocat. Hæc ex antiqua traditione petita, quam Josephus Antiquitatibus suis inseruit. *Fertur*, inquit, *navigii hujus pars quædam adhuc in Armenia, apud montem Gordyæorum superesse, et quosdam inde bitumen abrasum deportasse.*

Vineam sua manu sevit. Ita mss. et editi fere omnes. In Regio-Put., Jun., Ultr., 1 Clarom. et ed. Paris. 1525, legitur *suam*; in Bonon. antiq. et 1 Clarom., *vineam sevit;* in 1 Reg. rec., *vineas sua manu eruit.*

Multis ætatibus. Liber ille, de quo hic agitur, fuit Jovis et Semelis filius : at Jupiter in Græcia cultus decimo nono ante vulgarem æram vixit; at Noe obiit viginti et amplius, aut etiam viginti sex sæculis ante æram nostram. Hinc Tertullianus dicit Liberum non tam invenisse, quam demonstrasse vinum.

Abdicavit atque expulit filium. De hoc in Genesi nihil; apud Berosum lib. III satis : verum Berosi non sunt quæ hodie extant. Abdicandi autem verbum J. C. est, quo significant ignominiosam emancipationem. Vide ad hæc Vallam l. v, c. 102. Betuleius.

De nomine ejus. Sic cum edit. Cellar. cuncti mss. præter 1 Reg. rec. in quibus, ut in vulgatis, est *de nomine suo.* Non de nomine Cham, sed filii sui natu minimi, qui Chanaan dictus fuit, cujus progenie pulsa, populus Israeliticus terram illam in deditionem acceperat. Unde Judæa etiam Chananææ nomen retinuit, ut auctor est Josephus, lib. I, cap. 12 et 15. Betul. — At Cham penetravit etiam in Ægyptum, quæ olim dicta est Chemia ex Plutarcho, et terra Cham in prophetis, unde et apud Ægyptios Jupiter Ammon.

Prima gens. Ms. 1 Bonon. antiq. solus, *prima progenies.*

Maledictus ab eo. Accipienda hæc vox pro denuntiatione prophetica judicii divini adversus impietatem Chami, quam Spiritus Sanctus ori Noachi indidit, ut tamquam Dei minister sententiam pronuntiaret adversus hominis profani posteritatem : quæ cum fuerit apud Deum rata, suum habuit effectum eo ipso tempore quo fuit pronuntiata ex parte; cujus tamen pars maxima differebatur ex dispensatione divina in illud tempus, quo debuit posteritas Chanaan, vel plane deleri, vel in servitutem in reliquiis redigi. Non est ergo vir Sanctus insimulandus quasi ardore vindictæ, aut impatientia acceptæ injuriæ, hæc verba protulerit : sed agnoscendus est in eo justitiæ zelus, et Spiritus sancti extraordinarius motus. Alioqui vix fieri potuisset, ut vir tam benignus, nec naturali στοργῇ destitutus, tam duris verbis in nepotem intonasset; nisi Dei voluntate actus, judicis personam induens, exuisset ad tempus personam patris et avi. Rivetus.

Hebræi. Sunt nonnulli, quibus Hebræi dicti videntur a particula *eber, trans, ultra*, περά græce; quasi περῶται, quia eorum patriarcha Abraham transeuphratensis fuit. Ita senserunt e veteribus African. Orig., Diodor., Tarsens., Chrysost., Theodoret.; et e recentioribus Scaliger et alii. Tunc Hebræi nomen Abrahamo fuisset peculiare, non commune cum posteris, quia solus fuit transeuphratensis. Denique Hebræorum gens etiam vocatur *Eber*, Num. XXIV, 24; et *filii Eber*, Gen. X, 21, ut ab Ebere tam deduci scias nomen Ebræorum, quam Judæorum a Juda. Frustra objicit Theodoretus, Ebræos dici in Scriptura solos Judæos, non omnes filios *Eber;* Jectanæos puta, Ismaelitas, Idumæos, Amalecitas, Moabitas, Ammonitas, Madianitas, etc. qui Ebræi nusquam vocantur, quamvis *Eberem* patrem agnoscant. Nam ratio in promptu est : non vocantur Ebræi, quia Ebraica lingua neglecta, populorum inter quos degebant, sermonem æmulabantur. Sic Laban in Mesopotamia syro sermoni assueverat; Ismaelitæ in Arabia, arabico. Bochartus.

Nec ullis in ea regione nubibus subtexitur cœlum. In mss. 4 Vatic. et 11 impressis legitur, *nec enim ullius*, etc. Sed particula *enim* abest a cæteris mss. et ab editis 2 vet. Rom., Betull. et Cellar., ideoque eam ut inutilem expunxi. Non sunt autem in illis regionibus imbres, quia Nili inundatione Deus illis providit, inquit Thomasius. Pro *subtexitur*, in 1 Lipsiensi est *abtexitur;* in quibusdam aliis *subtegitur.* Vide Tibull., lib. I, Eleg. 7; et Lucan., lib. VIII, vers. 846. Cæterum quod in ea regione cœlum non

Digitized by Google

defectus notaverunt, dum ea sæpe venerantes, curiosius atque liberius intuerentur. Postea deinde potentificas animalium figuras, quas colerent, commenti sunt, quibusdam prodigiis inducti : quorum mox auctores aperiemus. Cæteri autem, qui per terram dispersi fuerunt, admirantes elementa mundi, cœlum, solem, terram, male, sine ullis imaginibus ac templis venerabantur, et his sacrificia in aperto celebrabant; donec processu temporum, potentissimis regibus templa et simulacra fecerunt ; eaque victimis et odoribus colere instituerunt ; sic aberrantes a notitia dei gentes esse cœperunt. Errant igitur, qui deorum cultus ab exordio rerum fuisse contendunt, et priorem esse gentilitatem, quam Dei religionem : quam putant posterius inventam, quia fontem atque originem veritatis ignorant. Nunc ad principium mundi revertamur.

CAPUT XV.

De inquinatione angelorum, et duobus generibus dæmonum.

Cum ergo numerus hominum cœpisset increscere, providens Deus ne fraudibus suis diabolus, cui ab initio terræ dederat potestatem, vel corrumperet homines, vel disperderet, quod in exordio fecerat, misit angelos ad tutelam cultumque generis humani : quibus quia liberum arbitrium erat datum, præcepit, ante omnia, ne, terræ contagione maculati, substantiæ cœlestis amitterent dignitatem. Scilicet id eos facere prohibuit, quod sciebat esse facturos, ut veniam sperare non possent. Itaque illos cum hominibus commorantes dominator ille terræ fallacissimus consuetudine ipsa paulatim ad vitia pellexit, et mulierum congressibus inquinavit. Tum in cœlum ob peccata, quibus

VARIORUM NOTÆ.

tegatur nubibus, testatur etiam Mela, lib. I : *Ægyptus*, inquit, *expers imbrium, mire tamen fertilis*, etc. Plinius, lib. II, c. 1, nubes ibi fieri scribit, quamvis raras et tenues. Et Democritus, referente Plutarcho, Placit. lib. IV, cap. 1, ob id Nili incrementum fieri tradebat, quod nive in partibus ad Septentrionem sitis sub solstitium æstivum resoluta atque diffusa, densentur ex vaporibus nubes, quæ compulsæ versus meridiem, et ad Ægyptum ab Etesiis ventis, in magnos ac vehementes dissolvantur imbres, quibus cum paludes, tum Nilus impleantur. Diodor. quoque lib. I, c. 2, pluvias ibi, sed raras fieri testatur. Verum ex Philone scriptores conciliare possumus, qui lib. I de Vita Mosis, parvas ibi, rarasque pluvias fieri scribit, in locis quidem maritimis : at supra Memphim nullus omnino ; ubi et cur hyems Ægypto sit supervacanea, pulcherrime disserit. Isæus. —*Nubibus subtexitur cœlum.* Sic libri, non *subtegitur.* Sic quoque veteres poetæ. Lucretius, lib. V, vers. 467 :

Corpore concreto subtexunt nubila cœlum.

Et Virgilius, Æneid. III, vers. 582 :

. . . . Cœlum subtexere fumo.

Defectus. Mss. 6 rec., *effectus.*

Venerantes. Edit. Betul. *venantes ;* et sic Jo. Cauc. putat legendum : quæ conjectura haud inconcinna videtur ; venari enim, pro diligentissime quærere accipi, omnibus notum : et sic hoc loco accipienda esset illius vocis significatio, si lectio hæc retinenda esset. Bonon. legit hoc modo : *Dum ea sæpe venerantur curiosius atque liberius intuentes.* Gallæus.

Portentificas. Rarissima vox, quæ exstat quoque Divinar. Institut. libro IV, c. 15, et quam nullibi forsan reperies, nisi apud Ovidium.

Processu temporum. De Phrasi, lib. III, c. 6; de Ira, c. 13. Arnob. II, p. 55 : *Artes cum processu temporis paulatim meditatione conflatæ.* Bun.

Cum ergo numerus hominum cœpisset increscere, etc. Circumspecte legendum est hoc caput 15, nam nonnullos errores Lactantius implicat. Primus est, Deum ab initio tribuisse diabolo terræ potestatem. Secundus, angelos non missos ad hominum tutelam, nisi postquam genus humanum cœpisset increscere. Tertius, præcepisse Deum bonis angelis, ne terræ contagione macularentur, ne substantiæ cœlestis amitterent dignitatem. Quartus, diabolum paulatim pellexisse bonos angelos ad vitia, et eos mulierum congressibus inquinasse. Quintus, hoc esse peccatum ob quod angeli e cœlo ceciderunt. Sextus e congressu illo angelorum cum fœminis natum esse tertium genus eorum, qui neque angeli cœlestes, neque homines, neque dæmones inferni fuere; sed sobolem quamdam terrestrium dæmonum, qui sunt hominum tentatores, deceptores, magicarum artium et humanarum calamitatum ac malorum auctores. Sunt omnia ista dogmata absurda, erronea, et a sincera theologorum doctrina prorsus aliena. Consule Sixtum, l. V Biblioth., annot. 77, et alios interpretes cap. VI Geneseos. Brasichell. — In eo falsus est Lactantius, quod ait, non ante ad custodiam datos angelos, quam hominum numerus cœpisset increscere ; nam a primis usque parentibus unaquæque anima ab initio suæ creationis angelum habet ad sui custodiam deputatum ; nec eo primi ipsi parentes, nec ulli omnino homines caruerunt. Origen in lib. Numer.; Hieronym. in Matth. : XVIII *Angelicorum*, etc.; S. Bernard. Serm. de Angelis, et in Psal. VIII : *Quid est homo, quod memor es ejus*, etc.; Magist. et omnes theologi in secundo, dist. 11; S. Thom. pag. 1, quæst. 113, art. 4. Isæus.

Diabolus. Bonon. *Zabulus*, ut de Mort. Persec. c. 16, *Zabulum... debellasti*; et infra, *Zabulus victus.* Bun.

Disperderet. Sic emendo ex mss. vet. Regiis, 2 Bon. Cauc., 5 Vatic., 6 Colb. et 15 aliis, ac ed. Rom. 1470, Betul., Is., Sparck., Cellar. Hic sequimur ms. Rohan. In 1 Reg. rec., 2 Vat., Jun. et 10 ed. est, *dispergeret.*

Quod. Restitutum ex mss. 10 Reg., 2 Bonon., 5 Vat., 6 Colb., et 10 al. et ed. Rom. 1468, 1470, et Is. In 2 Vatic., Cauc., Jun. et excusis 11 legitur *quos.*

In exordio. Mss. 2 Bon., 5 Vatic., Tax., Pen., 1 Clarom. et impressi 5 rec. properam addunt, *rerum*, quod a triginta aliis scriptis abest, et decem vetustioribus editis.

Cultumque generis humani. Id est, culturam sive curam generis humani. — *Ad tutelam cultumque.* Hæc ipse exponit in Epit. c. 27 : *Angelos misit, ut vitam hominum excolerent, eosque ab omni malo tuerentur.* Bun.

Quia liberum arbitrium erat datum. Hæc absunt a mss. 10 Reg., 6 Colb., Cauc., Tornes., Lips., Goth., Jun., Ultr., Em., Cant., 1 Sorbon., Nav., Vict., Gat., Marm., 1 Clarom., 2 Brun., Rohan., et ab edit. 2 vet. Rom., Ald., Paris. 1525, Graph., Crat., Betul. (An glossema?) Sunt in nonnullis aliis, et saltem subaudienda. Sic enim eodem libro II, c. 8, Lactantius scripsit de angeli creatione : *Suo arbitrio, quod a Deo illi liberum datum fuerat, contrarium sibi nomen adscivit.*

Ad vitia pellexit, et mulierum congressibus inquinavit. Locus VI Geneseos, vs. 11, male a Lactantio, Sulpicio Severo, Hist. Sacr. libro I, et nonnullis aliis intellectus, occasionem dedit fabulis istis, quæ subinde sequuntur, quibus dicuntur angeli se cum mulieribus miscuisse ; quem errorem plures ex antiquis secuti sunt. Nihil hic aliud intelligi videtur, quam Sethi, ut Caini, progeniem in summam impietatem

Digitized by Google

se immerserant, non recepti, ceciderunt in terram. Sic eos diabolus ex angelis Dei suos fecit satellites, ac ministros. Qui autem sunt ex his procreati, quia neque angeli, neque homines fuerunt, sed mediam quamdam naturam gerentes (*Vid. S. Aug. de Civit. Dei, lib.* VIII, *cap.* 14), non sunt ad inferos recepti, sicut in cœlum parentes eorum. Ita duo genera dæmonum facta sunt, unum cœleste, alterum terrenum. Hi sunt immundi spiritus, malorum, quæ geruntur, auctores, quorum idem diabolus est princeps. Unde Trismegistus illum δαιμονιάρχεν vocat. Dæmonas autem grammatici dictos aiunt, quasi δαήμονας, id est, peritos, ac rerum scios, hos enim putant deos esse. Sciunt illi quidem futura multa (*Vid. S. Aug. de Civitate Dei, lib.* IX, *cap.* 20), sed non omnia, quippe quibus penitus consilium Dei scire non liceat: et ideo solent responsa in ambiguos exitus temperare. Eos poetæ et sciunt esse dæmonas, et loquuntur. Hesiodus ita tradit:

A Οἱ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς,
Ἐσθλοὶ, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Quod idcirco dictum est, quoniam custodes eos humano generi Deus miserat: sed ipsi, cum sint perditores hominum, custodes tamen se videri volunt, ut ipsi colantur, et Deus non colatur. Philosophi quoque de his disserunt. Nam Plato etiam naturas eorum in Symposio exprimere conatus est. Et Socrates esse circa se assiduum dæmona loquebatur, qui sibi puero adhæsisset, cujus arbitrio et nutu sua vita regeretur. Magorum quoque ars omnis ac potentia horum aspirationibus constat, a quibus invocati, visus hominum præstigiis obcæcantibus fallunt; ut non videant ea quæ sunt, et videre se putent illa quæ non sunt. Hi, ut dico, spiritus contaminati
B ac perditi per omnem terram vagantur, et solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent; adhærent enim singulis hominibus, et omnes

VARIORUM NOTÆ.

degenerasse, vel saltem cum Caini posteris se miscuisse fœdo concubitu: siquidem nonnulli, referente Aben Ezra, per filios Dei filios Sethi intelligunt, et per filios hominum Caini posteros. SPARK. — Hæc sane expositio genuina videtur. Vide Augustinum de Civ. Dei, lib. XV, cap. 23, et Estium in lib. II Sententiarum, distinct. 6, § 12.— *Mulierum congressibus.* Idem Tertul. Idol. c. 9; Cult. Fœm. l. I, c. 2; Virg. Veland. c. 7; Cyprian. de Hab. Virg. f. m. 109; Commodian. Commonitor. p. 4, et plures tradunt. Vid. Kortholt. ad Justin. Martyr. f. 19, et Suicer. Thesaur. Eccl.
C t. I, fol. 37-40. BUN.

Neque angeli, neque homines fuerunt. In pluribus editis deerant priores duæ voces, quas restitui ex omnibus mss. et 12 vet. impressis; et postulant sequentia, *mediam quamdam naturam gerentes*, scilicet inter angelos et homines.

Ita duo genera dæmonum, etc. Fabulæ sunt, ortæ ex loco, quem supra explicuimus, male intellecto.

Dæmonas autem grammatici, etc. Placet hoc etymon Platoni in Cratylo, ex sententia Hesiodi. Ait etiam viros probos magnis honoribus affectos, dæmones fieri, juxta hoc prudentiæ et sapientiæ nomen, post mortem; eique sententiæ libenter se assentiri, ut optimus quisque, sive sit vivus, sive defunctus, recte vocetur dæmon. Possidonius, texte Macrob. Saturn. II, ἀπὸ τοῦ δαίειν, id est, *urendo*, deducebat; quod constent ex substantia ætherea. Euseb. utrumque etymon rejiciens, vult dictos ἀπὸ τοῦ δειμαίνω, quod est *exterreo, pavefacio*, ut dæmones solent.

Cunctorum mss. est; *Hos autem*, editorum.
D

Scire non liceat. Ita restitui ex omnibus mss. ac edit. Rom. 1470 et Gymn.

Responsa in ambiguos. De quibus lege Eusebium de Præpar. Evang. l. V, c. 10.

Οἱ μὲν δαίμονες..... Latine:

Ii quidem dæmones sunt Jovis magni propter voluntatem,
Boni, terrestres, custodes mortalium hominum.

Hesiodus in operibus et diebus, ubi de aureo sæculo, De quo loco vide Platonem de Republ., liv. V, ac in Cratylo; et Eusebium, de Præparat. evan., l. V, c. 4.

Et Deus non colatur. Desunt hæc verba in ms. 1 Bonon. antiq., Tax., Lips. Extant in cæteris scriptis et in vulgatis.

De his disserunt. Sic ferunt mss. 6 Reg., inter quos sunt duo veterrimi, 1 Colb., 2 Clarom., 2 Brun. ac edit. Gymnic. et Spark. Cæteri, *dixerunt*. Utraque lectio bona.

Et Socrates esse circa se assiduum dæmona, etc. Hujus Socratis dæmonis sæpe fit mentio apud Platonem, ut in Eutyphrone, in Apologia, in Theæteto, in Phædro, in Theage, in Euthydemo; apud Xenophontem, de Reb. memorab. Socratis; apud Ciceron., lib. I de Nat. deorum; apud Maximum Tyrium; apud Plutarchum in Symposiacis lib IX, cap. pene ultimo. Sic Apuleius de hac re scripsit libellum de deo Socratis, ibique exponit cujus generis numen Socrates sibi habebat adjunctum, et amicitia conciliatum, a quo perhibetur solitus admoneri, ut desisteret ab agendo, quando id quod agere volebat, prospere non fuerat eventurum. Vide et S. Augustin., lib. VIII de Civit. Dei, cap. 14; et Diog. Laertium. Hunc Socratis genium quidam sternutationem cum ipsius, tum aliorum, esse dixerunt. Socratem vero, si quid agere inciperet, ac aliquem sternutantem audiret a dextra, illud pro signo habuisse, in actu pergendum esse; sin vero a sinistra, plane desistendum a proposito: sic testatur Plutarch. in lib. de Socrat. Gen. quod postea ipse refellit. Sternutatio inter omina olim fuit habita. Matutinam infaustam, meridianam autem bonam esse tradit Aristot., Problem sect. 33, § 11, præcipue si a dextra fieret, teste Plutarcho in Themistocle: hinc sternutantibus bene precabantur. Apuleius, lib. IX: *Crebras ei sternutationes commovebat, et quod, cum putaret ab ea profectum, solito sermone salutem ei fuerat imprecatus.* Hic quoque Hebræis mos erat. Rabbini volunt plures in sternutatione obiisse mortem, atque hinc natum, ut sternutantem salvare juberent. Cæterum hunc Socraticum dæmonem plane fabulosum esse existimo, vel ab ipso Socrate fictum, vel ab amicis ejus falso divulgatum, hoc fine, ut auctoritatem apud imperitum vulgus sibi conciliaret. GALLÆUS.

Puero. Buneman, legit, *a Puero*, et notam habet sequentem. — *Sibi a puero.* Edidi, uti Betuleius habet, suadente Epitome cap. 28, *A prima pueritia.* Secutus videtur Tertull. de Anima, cap. 1: *Socrati aiunt dæmonium a puero adhæsisse.* BUNEMAN.

Magorum... adspirationibus. Vid. Tertull. Apolog. cap. 22 et 23, maxime Minuc. cap. 26: *Magi, quidquid miraculi ludunt, per dæmonas faciunt; illis adspirantibus et infundentibus præstigias edunt, vel quæ non sunt, videri, vel quæ sunt, non videri.* BUN.

Putent. Hanc correctionem, quæ omnium fere mss. et editorum est, probant præcedentia. In 3 mss. rec. totidemque editis est *putant*.

Adhærent enim singulis hominibus, etc. Idem sensit

Digitized by Google

ostiatim domos occupant, ad sibi geniorum nomen assumunt : sic enim latino sermone dæmonas interpretantur. Hos in suis penetralibus consecrant : his quotidie merum profundunt; et scientes, dæmonas venerantur, quasi terrestre deos, et quasi depulsores malorum, quæ ipsi faciunt et irrogant. Qui quoniam sunt spiritus tenues, et incomprehensibiles, insinuant se corporibus hominum, et occulte in visceribus operati, valetudinem vitiant, morbos citant, somniis animos terrent, mentes furoribus quatiunt, ut homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.

CAPUT XVI.

Dæmones nihil posse in eos qui in fide solidati sunt.

Quarum omnium fallaciarum ratio expertibus veritatis obscura est. Prodesse enim eos putant, cum nocere desinunt, qui nihil aliud possunt quam nocere. Dicat fortasse aliquis, colendos esse ergo, ne noceant, siquidem possunt nocere. Nocent illi quidem, sed iis, a quibus timentur, quos manus Dei potens et excelsa non protegit, qui profani sunt a sacramento veritatis. Justos autem, id est cultores Dei, metuunt, cujus nomine adjurati de corporibus excedunt : quorum verbis, tanquam flagris verberati, non modo dæmonas se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt, illa, quæ in templis adorantur,

VARIORUM NOTÆ.

Empedocles apud Plutarch. *περὶ εὐθυμίας*. Et Menander, cujus versus extant apud Clem. Alex. Strom. v; Stob. in eclog. Phys. lib. I, cap. 9; Ammian. Marcell., lib. XXI, Scholiast.; Theocrit., Eidyll. 1. Vide in hanc rem Acta Apost. cap. 12, v. 15; Tertull. de Anima, cap. 37, et ibid. Pamel. cap. 39; Just. Mart. *Ἀπόκρις. πρὸς ὀρθοδ.* quæst. 30; Orig., super Numer., Homil. 20, et lib. III, *περὶ Ἀρχ.*, cap. 2, Hieron., in Matth. c. XVIII, et in Esai. c. LXVI; Augustin. Soliloq., cap. 27; Joh. Cassian., collat. XIII, cap. 12; Burchard. Wormat. Episc. lib. XX, Decret., cap. 46 et 47; Servium in illud Virgil. *Quisque suos patimur manes*. Quem autem Menand. *μυσταγωγὸν*, hunc Plato, teste Clem. Alex. Strom. v, *φύλακα*, uti et Hesiod. Oper. et Dier. et Apuleius lib. de deo Socrat., Arrian. lib. I, dissert. 25, *ἐπίτροπον*; Senec. epist. CX, *Pædagogum*; Censorinus, *assiduum observatorem*; Martian. Capell. lib. II, Philol., *Præstitem et tutelatorem fidissimumque Germanum* appellat. LINDENBROGIUS. — Ut animas nascentibus, ita populis fatales genios dividi ait Symmachus, cujus opinionem recitat Prudentius, his versibus :

Sicut variæ nascentibus, inquit,
Contingunt pueris animæ : sic urbibus affert
Hora diesque suum, cum primum mœnia surgunt,
Aut fatum, aut genium, cujus moderamine regnent.

Regni quoque genium Claudian. dixit :

Quid nos perficeret scribentis voce serenæ.
Vel genius regni, vel pietatis amor.

Et Romæ quamdam ædem genio populi dicatam fuisse docet Dio. lib L Hist. ubi de simia loquitur. Alexandriæ quoque genii templum fuisse colligimus ex Ammian. Marcellino, lib. XXII Rer. gest., in quibus etiam genii publici meminit l. XX et XXV. PETRUS FAB.

Geniorum nomen. Vide Censorinum de Die Natali cap. 2 : *Genius*, inquit, *est deus cujus in tutela, ut quisque natus est, vixit... certe a gignendo genius appellatur*.

His quotidie merum profundunt. Sic omnes fere antiquæ editiones. Hæc lectio ex Plinio lib. XIV, cap. 19, auctoritatem habet, ubi Geniis et Laribus ab antiquis merum profundi solitum erat. Attamen hanc vocem *merum*, omittunt mss. fere omnes. Sed hæc sententia (ut cuivis patet) supplenda est aliqua dictione. Sive itaque cum Betulei *sanguinem profundunt*, vel cum multis editis *merum profundunt*, legas, perinde est; sanguinem enim, ut et merum, gentiles idolis suis profudisse, constat : de sanguine, testatur auctor noster, supra lib. I, cap. 21, ubi notas vide. Verum si quis conjecturæ locus, ausim affirmare, *merum profundunt*, legendum esse, quod modo probavi : hæc mea est ratio, quia Lactantius ex professo de geniis loquitur; geniis autem merum profundi solitum, notum est ex Horat. lib. III, Od. 17 :

. . . . Cras Genium mero
Placabis et porco bimestri.

Persius sat. 6 :

Funde merum Genio.

GALLÆUS.

Cæterum, *profundere*, est profusam et nimiam liberalitatem habere, ut apud Terentium Adelph. act. I, scen. 2, v. 54 :

Profundat, pereat, perdat.

Quasi depulsores malorum... faciunt. Tertull. Apol. cap. 22 : *Lædunt primo, dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, sive contraria. Post quæ desinunt lædere, et curasse creduntur*. Minuc. cap. 27; Cypr., Idol. Van. cap. 4. Mox *irrogant* omnes, recte. Ven. 1471, *irrigant*, prave. BUNEMAN.

Quoniam sunt spiritus tenues. Veteres eo inclinabant ut solum Deum *ἀσώματον* dicerent; angelos vero habere corpus aliquod, non hominum corporibus simile, sed tenue aliquod et subtile : hinc eos Lactantius spiritus tenues dicit. Tertull. lib. de Carne Christi cap. 6 : *Constat angelos carnem propriam non gestasse : ut puta naturæ spiritalis, et si corporis alicujus, sui tamen generis; in carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus, ut videri et congredi cum hominibus possint*. Cassianus, collat. 7, cap. 13, ait *angelos habere corpus, licet tenuius quam nos*; et Macarius Homil. 4. Vossius. — Sed hanc sententiam esse erroneam, cuivis sacram Scripturam legenti patet.

Operati. Sic præferunt omnes pene mss. et quidam editi. In 1 Bon. antiq. est *operantur;* in 2 Reg. rec. ac pluribus impressis *operti*, mendose; supervacaneum enim esset illud *occulte*.

Morbos citant. Id est, concitant vel excitant : simplex pro composito; ut *spiravit* pro *inspiravit*, lib. II Divin. Instit. cap. 12, *plagas tendunt*, pro intendunt, eodem lib. II, cap. 17, etc.

Fallaciarum. De his dæmonum fallaciis vide S. Augustin. de Civit. Dei, lib. IX, cap. 18.

Cum nocere desinunt. Hinc veteres Romani Febrem, Pavorem et Pallorem coluerunt, et Babylonii draconem, ne eis nocerent.

Justos... metuunt. Vide in Actis Apostolorum, c. XVI et XIX, et notum est illud Evangelii, cum dæmones Christo Jesu dicunt : *Quid venisti ante tempus torquere nos?*

Cujus nomine adjurati, de corporibus excedunt. Observa antiquissimum exorcismorum usum in Ecclesia, et potestatem fidelium in dæmonas. Ita l. IV, c. 27. Adde Justin. Dialog. cum Triphone de Veritate christianæ relig., et in Orat. ad Gent.; Tertullian., de Corona militis, cap. 11; de Idololatria, cap. 11, in fine; ad Scap., cap. 2, et in Apologet. cap. 23; Cyprian. ad Demetrianum et ad Donat, epist. II, et de Vanitate Idolorum; Minut., in Octav.; Epiphan., Hæres. 30; Prudent. in Apotheos. contra Judæos. Sed et in Synagoga exorcistas fuisse colligitur ex Actis

Digitized by Google

et quod plerumque coram cultoribus suis faciunt; non utique in opprobrium religionis et honoris sui, quia nec Deo per quem adjurantur, nec justis, quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itaque maximis, sæpe ululatibus editis, verberari se et ardere, et jam jamque exire proclamant: tantum habet Dei cognitio ac justitia potestatis! Cui ergo nocere possunt, nisi iis, quos habent in sua potestate? Denique affirmat eos Hermes, qui cognoverint Deum, non tantum ab incursibus dæmonum tutos esse, verum etiam ne fato quidem teneri. Μία, inquit, φυλακὴ εὐσέβεια· εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπου οὐ δαίμων κακὸς, οὔτε εἱμαρμένη κρατεῖ. Θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν ἐυσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ· τὸ γὰρ ἓν καὶ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἐστὶν ἀγαθὸν εὐσέβεια. Quid sit autem εὐσέβεια, alio loco his verbis testatur, dicens: A ἡ γὰρ εὐσέβεια γνῶσίς ἐστι τοῦ Θεοῦ. Asclepius quoque auditor ejus, eamdem sententiam latius explicavit in illo sermone perfecto, quem scripsit ad regem. Uterque vero dæmonas esse affirmat inimicos et vexatores hominum; quos ideo Trismegistus ἀγγέλους πονηρούς appellat: adeo non ignoravit ex cœlestibus depravatos, terrenos esse cœpisse.

CAPUT XVII.

Astrologiam, aruspicinam et similes artes esse dæmonum inventa.

Eorum inventa sunt astrologia, et aruspicina, et auguratio, et ipsa quæ dicuntur oracula, et necromantia, et ars magica, et quiquid præterea malorum exercent homines, vel palam, vel occulte. Quæ

VARIORUM NOTÆ.

Apostolorum cap. XIX; et testatur Josephus, qui mira quædam refert, Judæar. Antiquit. lib. VIII, cap. 2, et Epiphan. Hæres. 30. Isæus. — Justin. Dial. cum Tryphone: Τὴν τοῦ ὀνόματος Χριστοῦ ἰσχὺν καὶ τὰ δαιμόνια τρέμει, καὶ σήμερον ἐξορκιζόμενα κατὰ τὸ ὄνομα Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ὑποτάσσεται. *Christi nominis potentiam dæmones tremunt et reformidant, et hodie quoque illi per nomen Jesu Christi crucifixi adjurati, nobis parent.* Item: Ἡμεῖς οἱ πιστεύοντες ἐπὶ τὸν σταυρωθέντα Ἰησοῦν Κύριον ἡμῶν, τὰ δαιμόνια πάντα καὶ πνεύματα πονηρὰ ἐξορκίζοντες. *Nos qui in crucifixum Jesum Dominum credimus, dæmonia cuncta spiritusque malignos adjurantes expellimus.* Hoc donum ejiciendi dæmonia aliaque faciendi miracula, Deus concesserat apostolicis viris, ut veritatem Evangelii tanto magis confirmarent. Etiam Gentiles et Judæi exorcistas suos habebant. Justin. loco laudato: Οἱ ἐκ Ἰουδαίων ἐξορκισταὶ τῇ τέχνῃ ἧπερ καὶ τὰ ἔθνη χρώμενοι ἐξορκίζουσι, καὶ θυμιάμασι, καὶ καταδεσμοῖς χρῶνται. *Judæorum exorcistæ, seu adjuratores vestri, jam arte quadam veluti Gentes in adjurationibus utuntur, et thymiamata et vincula adhibent.* Gentiles suos habuisse exorcistas constat ex Luciano in Philopseude, quem adi; multa ad hanc rem invenies. Plutarch. Sympos. lib. VII, quæst. 5, testatur, dæmonibus obsessos, jubentibus magis, Ephesias debuisse recitare litteras.

Quod plerumque coram suis cultoribus faciunt. Hunc locum, qui mihi valde corruptus videtur, ita ex Cypriano et Minucio, a quibus hæc fere omnia desumpsit Firmianus, restituendum arbitror: *Quod etiam plerumque coram cultoribus suis faciunt; non utique in opprobrium religionis et honoris sui, quia nec Deo, per quem adjurantur, nec justis, quorum voce torquentur, mentiri possunt.* Cyprian. de Idol. Vanit.: *Unde veniant et quando discedant, ipsis etiam, qui se colunt, audientibus confiteri.* Minuc.: *quod sunt, eloquuntur, nec utique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum assistentibus, mentiuntur.* Isæus. — *Quod plerumque.* Ediderant recentiores, *et quod.* Ejeci copulam auctoritate Lips. tert., Reimm., Ven., 1471, 72, utriusque 78, 93, 97, Rost., Paris., Tornes., ut oratio melius fluat, idem Heumannus sentit. Bun.

Non utique in opprobrium Religionis et honoris sui, quia nec Deo, etc. Hic locus qui est Cypriani de Idolorum vanitate, sic ex vetustissimis mss. 1 Bonon. et 2 Reg. aliisque duobus bonæ notæ Regiis, et Isæo est profecto restituendus: in his deest *sed*, ut et in nonnullis editis. At in multis mss. et editis sic habetur: *Non utique in opprobrium religionis, sed honoris sui, quia nec Deo*; male. Vide infra, *non quo ullum honorem desiderent. Quis enim perditis honor est?* C. 17, circa medium. Pro *quia*, est *qui* in 1 Bonon. antiq. — *Non utique in opprobrium religionis, sed honoris sui.* B Ita constanter et recte libri omnes. Male igitur Isæus et Spark. sine libris in notis corrigunt: *Non utique in opprobrium religionis et honoris sui.* Vult igitur dæmonas adjuratos confiteri se dæmonas, non deos, esse, et nomina edere, non in opprobrium religionis christianæ, sed in opprobrium honoris sui dæmonacii, sive in *suum dedecus, suam turpitudinem.* Heumannus ex ingenio legit: *Non opprobrium religionis, sed honorem.* Bun.

Incursibus. Ita restitui ex editis Rom. 1470 et Cellar. cunctisque mss. dempto 1 Colb., in quo, sicut et in vulgatis multis, est *incursionibus.*

Μία, etc. Latine: *Una*, inquit, *custodia pietas: pios enim homines nec dæmon malus, nec fatum tenet. Nam Deus liberat pium ab omni malo: quod enim unum et solum in hominibus bonum, est pietas.*

Εἱμαρμένη. Hermes in Asclepio, εἱμαρμένην, Necessitatem et Ordinationem Dei nutu factas esse docet, qui mundum gubernat sua lege, et ratione divina. C Augustinus variis locis varie Fati vocem usurpat, quandoque etiam pro astrorum dictamine, quod theologi rejiciunt prorsus; cujus observationem Chrysostomus, in tertio de Fato et Providentia sermone, tam manifeste contra legem Dei dicit, quam est vel sabbati neglectus, vel homicidium, vel adulterium. Fidem autem (hanc enim veram εὐσέβειαν esse dico) Fati leges rumpere, docet Ezechiæ exemplum, cui vitæ curriculum quindecim annis protractum fuit; docet Lazarus redivivus; docent plurima alia: quæ Paulus ad Hebræos capite undecimo enumerat; Epiphanius ubi de Pharisæorum erroribus loquitur, tollit fatum, judicii oppositu; hæc duo siquidem ait simul consistere non posse. Betul.

Ἡ γὰρ εὐσέβεια. Latine: *pietas enim cognitio est Dei;* idem Trismegist. in Pimandro, cap. 9. Quod congruit cum eo, quod Christus dixit Joannis c. XVII, 3 et III, 13. Sapientiam autem cum pietate idem esse, docet Augustinus in Euchiridio.

Explicavit. Mss. 9 rec. *explanavit*, non inepte. D

Ἀγγέλους πονηρούς. Latine *angelos malos.* Ita sæpe in Scripturis sacris dæmones appellantur, sive *angeli diaboli*, ut Matth. XXV, sive *angeli Satan*, ut II Corinth., XII.

Astrologia. Judiciaria videlicet, quæ per siderum aspectus vaticinari futura contendit. De qua Tertull. Apol. cap. 35, et lib. de Idololat. damnat has omnes artes, de quibus hic sermo. Etiam Cicero I de Nat. deor. easque demolitur egregio volumine Joan. Francis. Picus, cui tit., de rerum Prænotione. Isæus.

Ars magica. Vide S. Augustinum, libro VII de Civitate Dei, cap. ultimo, ubi testatur has artes, etiam ante Christum natum 9 legibus Gentilium fuisse prohibitas. Vide etiam Ciceron. in I Tuscul. quæstionum.

Digitized by Google

omnia per se falsa sunt, ut Sibylla Erythræa testatur:

. . . . . Ἐπεὶ πλάνα πάντα τάδ' ἐστίν,
Ἅπερ ἄφρονες ἄνδρες ἐφαντάσθησαν κατ' ἦμαρ.

Sed iidem ipsi auctores præsentia sua faciunt, ut vera esse credantur. Ita hominum credulitatem mentita divinitate deludunt, quod illis verum aperire non expedit. Hi sunt qui imagines, et simulacra fingere docuerunt; qui, ut hominum mentes a cultu veri Dei averterent, et fictos mortuorum regum vultus, et ornatos exquisita pulchritudine statui consecrarique fecerunt, et illorum sibi nomina, quasi personas aliquas, induerunt. Sed eos magi, et ii quos vere maleficos vulgus appellat, cum artes suas execrabiles exercent, veris suis nominibus cient, illis cœlestibus, quæ in litteris sanctis leguntur. Hi porro incesti ac vagi spiritus, ut turbent omnia, et errores humanis pectoribus offundant, serunt ac miscent falsa cum veris. Ipsi enim cœlestes multos esse finxerunt, unumque omnium regem Jovem; eo quod multi sunt spiritus angelorum in cœlo, et unus parens ac dominus omnium Deus: sed veritatem mentitis nominibus involutam ex oculis abstulerunt.

Nam Deus, ut principio docui (*Scil. lib.* I, *cap.* 6), neque nomine, cum solus sit, eget; neque angeli, cum sint immortales, dici se deos aut patiuntur, aut volunt: quorum unum solumque officium est, servire nutibus Dei, nec omnino quidquam nisi jussu facere. Sic enim mundum regi a Deo dicimus, ut a rectore provinciam: cujus apparitores nemo socios esse in regenda provincia dixerit, quamvis illorum ministerio res geratur. Et hi tamen possunt aliquid præter jussa rectoris, per ipsius ignorantiam, quæ est conditionis humanæ. Ille autem præses mundi, et rector universi, qui scit omnia, cujus divinis oculis nihil septum est, solus habet rerum omnium cum filio potestatem; nec est in angelis quidquam, nisi parendi necessitas. Itaque nullum sibi honorem tribui volunt, quorum omnis honor in Deo est. Illi autem, qui desciverunt a Dei ministerio, quia sunt veritatis inimici, et prævaricatores Dei, nomen sibi et cultum deorum vindicare conantur; non quo ullum honorem desiderent (quis enim perditis honor est?), nec ut Deo noceant, cui noceri non potest: sed ut hominibus, quos nituntur a cultu et notitia veræ majestatis avertere, ne immortalitatem adipisci possint, quam ipsi sua nequitia perdiderunt. Offundunt itaque tenebras, et veritatem caligine obducunt, ne dominum, ne patrem suum norint; et ut illiciant facile, in templis se occulunt, et sacrificiis omnibus præsto adsunt, eduntque sæpe prodigia, quibus obstupefacti homines, fidem commodent simulacris divinitatis ac

VARIORUM NOTÆ.

Ἐπεὶ πλάνα. Sic restitui ex ms. antiquissimo 1 Regio 900 annorum, non abludentibus veterrimis Regio-Put. et Canc. quibus est ἐπίπλανα. Etiamque erud. Francius legendum esse censebat πλάνα. In multis mss. græcum deest: in 4 Reg. et in vulgatis est πλαγή. Interpretatio latina:

Quoniam erronea omnia hæc sunt,
Quæ stulti homines scrutantur quotidie.

Hæc desumpta sunt ex Carminib. Sibyllinis, serm. 3, vers. 166.

Et fictos. Legitur *effictos* apud Buneman., qui in hunc locum notam sequentem exhibet.—*Effictos mortuorum regum vultus.* Mss. Emman., Goth., Lips. *effictos;* perperam vulgatum *et fictos.* CELL.

Personas aliquas induerunt. Ita cum editis manuscripti, præter 1 Bonon. antiq. et Coton. in quibus legitur *induxerunt.* Sed retinenda videtur lectio vulgata, quæ est Ciceronis et Titi Livii. Vide Isæum in notis. Et personæ indui proprie dicuntur.

Quos. . . maleficos, etc. Titul. est in Codice l. IX, decimus octavus, in quo constitutio est Constantini Cæsaris, vel potius Constantii, anno 357 lata: *Nemo,* inquit, *aruspicem consulat aut mathematicum, nemo ariolum. Augurum et vatum prava confessio conticescat. Chaldæi, ac magi, et cæteri quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuo divinandi curiositas: etenim supplicium capitis feret gladio ultore prostratus, quicumque nostris jussis obsequium denegaverit.* BETULEIUS.

Veris suis nominibus cient. Arnob. lib. v, initio, *modum eliciendi Jovem Numa edoctus.* Livius, l. I, de eodem Numa. Modum evocandi deos tutelares ex urbibus, quas Romani expugnatum ibant; invenies apud Macrobium lib. Saturnal. III, cap. 9.

Incesti. Hic sunt mali spiritus, qui ad sordes inclinant homines: sic *os incestum* apud Ciceronem.

Vagi. Quia sunt aerii, ut ex Apuleio S. Augustinus, et Apuleius ex Platone.

Errores humanis pectoribus offundant. Ita restituo ex vetustissimis et optimis mss. 1 Bonon., 2 Reg. aliisque sex, necnon editis Rom. 1470, ac Betul. Et sic Lactantius infra, *offundunt tenebras,* et supra, eodem lib. II, cap. 1, circa med., *offundere tenebras.* In 2 Reg., 1 Lips., 3 Colb. et ed. Cellar. est *pectoribus offundunt;* in 3 al. Reg., 3 Colb., 2 Clarom. Brun., *effundant;* In 11 vulgatis, *infundant.*

Nisi jussu facere. Ita plurimi mss., Regio-Put., 12 alii, et sex typis excusi. In 1 Bonon. antiq., 1 Reg., 2 Colb., ed. Tornes., legitur, *jussum;* in 5 al. scriptis, *jussa;* pro quo *justa* in 1 Reg. et ed. Rom. 1468, 1470; in Pal. *jussi;* in 1 Reg., Marm. et 7 impressis, *jussu ejus.*

Res geratur. Mss. 8 et ed. Cellar., *res gerantur.* Cæteri ut in textu.

Cum filio. Ita cum omnibus editis mss. 30, inter quos est Regio-Put. Hæ duæ voces absunt a 13 manu exaratis.

Nec est in angelis. Ex mss. et veteribus editis restitui *est,* quod in pluribus rec. impressis deerat.

Non quo. Ita restitui ex omnibus mss. et editione Roman. 1468. Cæteri vulgati habent *quod.* At *quo,* pro *quod,* legitur apud Ciceronem: *Non quo alicunde audiveris,* lib. X, ad Attic. ep. I, et alibi.

Non quo ullum honorem desiderent, etc. Aliud sentit S. August. l. IX de Civ. Dei, cap. 20. *Est,* inquit, *in dæmonibus scientia sine charitate; et ideo tam inflati, id est tam superbi sunt, ut honores divinos, et religionis servitutem, quam vero Deo deberi sciunt, sibi sategerint exhiberi, et quantum possunt, adhuc agunt.* Quin et D. Thomas asserit, spiritus malos in eodem peccato permanere quo prius peccaverant, quantum ad appetitum, licet non quantum ad hoc quod obtinere se posse putent. SPARK.

A cultu et notitia veræ majestatis avertere. Sic reposui ex mss. 8 Reg. in quibus sunt duo veterrimi, 6 Colbert., 2 Oxon. et octo aliis, atque sex vulgatis. Mss. 2 Reg. rec. et 3 Oxon. ac 9 excusi habent, *a cultura.*

Digitized by Google

numinis. Inde est, quod ab augure lapis novacula incisus est; quod Juno Veiensis migrare se Romam velle respondit; quod Fortuna muliebris periculum denuntiavit; quod Claudiæ manum navis secuta est; quod in sacrilegos et Juno nudata, et Locrensis Proserpina, et Ceres Milesia vindicavit; et Hercules de Appio, et Jupiter de Atinio, et Minerva de Cæsare. Hinc, quod serpens urbem Romam pestilentia liberavit Epidauro accersitus. Nam illuc δαιμονιάρχης ipse in figura sua sine ulla dissimulatione perlatus est; siquidem legati ad eam rem missi, draconem secum miræ magnitudinis advexerunt.

In oraculis autem vel maxime fallunt, quorum præstigias profani a veritate intelligere non possunt: ideoque ab illis attribui putant, et imperia, et victorias, et opes, et eventus prosperos rerum; deniqne ipsorum nutu sæpe rempublicam periculis imminentibus liberatam: quæ pericula, et responsis denuntiaverunt, et sacrificiis placati averterunt. Sed omnia ista fallaciæ sunt. Nam cum dispositiones Dei præsentiant, quippe qui ministri ejus fuerunt, interpe- A nunt se in his rebus, ut quæcumque a Deo vel facta sunt, vel fiunt, ipsi potissimum facere, aut fecisse videantur. Et quoties alicui populo vel urbi, secundum Dei statutum boni quid impendet, illi se id facturos vel prodigiis, vel somniis, vel oraculis pollicentur, si sibi templa, si honores, si sacrificia tribuantur: quibus datis, cum illud acciderit, quod necesse est, summam sibi pariunt venerationem. Hinc templa devoventur, et novæ imagines consecrantur, mactantur greges hostiarum. Sed cum hæc facta sunt, nihilominus tamen et vita, et salus eorum qui hæc fecerint, immolantur. Quoties autem pericula impendent, ob aliquam ineptam et levem causam se profitentur iratos: sicut Juno Varroni, quod formosum puerum intensa Jovis ad excuvias tenendas B collocarat; et ob hanc causam Romanum nomen apud Cannas pene deletum est. Quod si Juno alterum Ganymedem verebatur, cur juventus Romana luit pœnas? Vel si dii tantummodo duces curant, cæteram multitudinem negligunt, cur Varro solus evasit, qui

VARIORUM NOTÆ.

Augure. Vide supra, c. 8 hujusce libri, post initium.

Juno Veiensis. Hanc *Monetam* vocavit capite 8 hujusce libri.

Fortuna. Vide S. Augustinum, de Civit. Dei lib. IV, cap. 19.

Claudiæ. Vide supra, cap. 8.

Juno nudata, etc. Est Juno Lacinia, cujus templum Censor Fulvius tegulis marmoreis nudavit; *Locrensis Proserpina*, quam Pyrrhus spoliavit: *Ceres* C *Milesia*, quæ Alexandri milites sacrilegos excitate multavit: *Hercules de Appio*, quem cum sacra Herculis ad servos transtulisset, Deus luminibus orbavit; *Atinio*, qui senatui Jovis jussa renuntiaverat; *Minerva*, cujus species Arturio Augusti medico apparuerat, serpens, Æsculapius. De his supra cap. 8.

Δαιμονιάρχης. Hæc vox desideratur in mss. 2 Reg. vetustissimis.

In figura sua. Scilicet forma serpentis.

Perlatus est. Ita restitui ex quamplurimis mss. antiquioribus. In 3 manu exaratis, et omnibus excusis legitur, *perductus est.*

Advexerunt. Emman. et Goth. eleganter, *advexerunt.* Recte vidit Torrenius in Valer. Maxim. l. I, c. 8, n. 2, una voce legendum, *urbi se nostræ* advehendum *restituit.* Ubi hæc fabula uberius exponitur. Bun.

Profani. Id est, a fide alieni.

Fuerunt. Mss. sex recentiores *fuerint.*

Dei statutum. Sic emendavi ex mss. et veteribus D editis. In scriptis 2 rec. et editis septem legitur *statum.*

Quod formosum puerum in tensa Jovis ad exuvias tenendas collocarat. Ed. Sublac. habet *in templo*, pro, *in tensa.* In omnibus impressis et multis mss. locus hic vitiosissime legitur. Nonnulli habent, *in templo Jovis ad excubias tenendas;* alii *in templo jovis ad exuvias tenendas:* sic habent mss. Bonon., Jun., Tax., Pen., 3 Reg., 1 Sorb., 12 Vatic. et editiones 2 Bonon., Veneta, Florent., Junt., Gymnic., Cratand., Aldin., Graph., Tornes. et antiq. 38, aliæque. In 6 rec. scriptis, *eximias;* 6 ed., *excubias.* Emendo secundum meliores codices, pro *templo*, *tensa*, et pro *excubias*, *exuvias* legens. Sic legunt mss. Pal. et 5 Reg. antiq. In Is. *itemtesa;* in Cauc. legitur in *tentæsa;* in Em. *tentesea.* Jo. Cauci putat librarium vitiose ita scripsisse, pro *in tensa*, cui conjecturæ subscribo. Mss. 2 et Ultr. habent *in centesa:* sed itidem vitiose per oscitantiam librarii sic scriptum Menda hoc modo in textum irrepsisse puto; nempe librarios ignorantes quid esset *tensa* (vox enim obsoleta est) existimasse legendum esse *templo*, præsertim cum statim sequatur *Jovis*, et principium vocis *tensa* haud dissimile sit vocabulo *templo;* hinc putarunt mentionem fieri templi Jovis. Τὸ *excubias*, pro *exuvias*, eo modo irrepsisse autumo, quo Isæus, nempe pro *exuvias;* in manuscriptorum antiquis fuisse *exubias*, vel *exsubias.* Pro *v* enim veteres *b* scribere solebant, et vice versa, ut ostendimus in notis ad Epitomen; *s* quoque post *x* addebant, ut patet in *exsequor*, *exsul*, etc.: hinc pro eo quod nunc dicimus *exuvias*, illi scribebant *exsubias*, cujus vocis significationem librarii haud assequentes, *excubias* vitiose substituerunt. Cæterum quid sit *tensa*, notum ex Sisinnio Capitone apud Festum; nempe vehiculum, quo exuviæ deorum ludis Circensibus in circum et pulvinar vehebantur. Hoc vehiculum trahebatur non a jumentis, sed ab hominibus: hinc Suet. in Octav. August., c. 43: *Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine lectica cubans tensas deduceret.* Illi autem qui deducebant tensas, *adtensatores* dicebantur. Erant hi plurimum bini, qui vehendi onus subibant. *Ex* Isæo. — Apud Tertullianum, lib. de Spectaculis, cap. 7, in ludis Circensibus mentio fit de curribus, de *tensis*, de sedibus, de coronis, de *exuviis.* Inde patet, legi debere *in tensa Jovis ad exuvias tenendas.* Pro *formosum*, mallet Gallæus legere *famosum.* Sed legendum esse *formosum* constat, tum ex omnibus Lactantii mss. et editis codicibus, tum ex Valerio Maximo, a quo hæc desumpsit Lactantius Hist. lib. I, cap. 2, ubi legitur, *eximia facie puerum*, etc. Item apud Arnobium in fine libri IV, hæc referentem. — *In tensa Jovis.* Tertull. de Spectat., c. 7, fin.: *Si unam tensam trahunt Jovis... plaustrum est.* Egregie nostrum Lact. locum illustrat Cuperus in Harpocrat. ed. in-4°, p. 134 et sq. — *In tensa Jovis ad exuvias tenendas.* Tensæ autem, sive thensæ, sunt vehicula deorum, quibus in Circum deducebantur. Suetonius Aug. 43: *Accidit votivis Circensibus, ut, correptus valetudine, lectica cubans, tensas deduceret.* Bun.

Cur Varro. Historia est apud Livium, lib. II, secundi belli Punici. Vide Valer. Maxim. lib. I, cap. de neglecta Religione. — *Cur Varro solus evasit.* Terentius Varro, consul, evasit ex Cannensi prælio. Bun.

Digitized by Google

hoc fecit, et Paulus, qui nihil meruit, occisus est? Videlicet nil tunc Romanis accidit

. . . . . Fatis Junonis iniquæ,

cum Annibal duos exercitus populi Romani, et astu, et virtute confecit. Nam Juno audere non poterat, aut Carthaginem defendere, ubi arma ejus et currus fuit, aut Romanis nocere, quia

. . . . . Progeniem Trojano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.

Sed illorum sunt isti lusus, qui sub nominibus mortuorum delitescentes, viventibus plagas tendunt. Itaque sive illud periculum, quod imminet vitari potest, videri volunt id placati avertisse; sive non potest, id agunt, ut propter illorum contemptum accidisse videatur. Ita sibi apud homines, qui eos nesciunt, auctoritatem, ac timorem pariunt. Hac versutia, et his artibus, notitiam veri ac singularis Dei apud omnes gentes inveteraverunt. Suis enim vitiis perditi, sæviunt, et grassantur, ut perdant. Idcirco etiam humanas hostias excogitaverunt ipsi hostes humani generis, ut quam multas devorarent animas.

CAPUT XVIII.

De Dei patientia et ultione, dæmonum cultu, et falsis religionibus.

Dicet aliquis: Cur Ergo Deus hæc fieri patitur, nec tam malis succurrit erroribus? Ut mala cum bonis pugnent; ut vitia sint adversa virtutibus; ut habeat alios, quos puniat; alios, quos honoret. Ultimis enim temporibus statuit de vivis ac mortuis judicare: de quo judicio mihi erit in ultimo libro disputatio. Differt ergo, donec veniat temporum finis, quo effundat iram suam in potestate ac virtute cœlesti, sicut

. . . . . Vatum prædicta piorum
Terribili monitu horrificant.

Nunc autem patitur homines errare, et adversum se quoque impios esse, ipse justus, et mitis, et patiens. Nec enim fieri potest, ut non is, in quo perfecta sit virtus, sit etiam perfecta patientia. Unde quidam putant, ne irasci quidem Deum omnino, quod affectibus, qui sunt perturbationes animi, subjectus non sit; quia fragile est omne animal quod afficitur et commovetur. Quæ persuasio veritatem, atque religionem funditus tollit. Sed seponatur interim locus hic nobis de ira Dei disserendi, quod et uberior est materia, et opere proprio *(Scil lib. de Ira Dei)* latius exequenda. Illos ergo nequissimos spiritus quisquis veneratus fuerit, et secutus, neque cœlo, neque luce potietur, quæ sunt Dei: sed in illa decidet, quæ in distributione rerum attributa esse ipsi malorum principii disputavimus; in tenebras scilicet, et inferos, et suplicium sempiternum.

Docui religiones deorum triplici modo vanas esse: uno, quod simulacra ista, quæ coluntur, effigies sint hominum mortuorum; esse autem perversum et incongruens, ut simulacrum hominis a simulacro Dei colatur: colit enim quod est deterius et imbecillius; tum inexpiabile facinus esse, deserere viventem, ut defunctorum monimentis servias, qui nec vitam, nec lucem dare cuiquam possunt, qua ipsi carent; nec esse alium quemquam Deum, præter unum, cujus judicio

VARIORUM NOTÆ.

Paulus. Qui pullos edaces habuit, et tamen apud Cannas cecidit, ut illi Cyprianus illudit.

Qui nihil meruit. Id est nihil fecit pœna dignum. Iterum Lactantius l. VII, cap. 10: *Boni nihil tale crediutur mereri, quale sæpe patiuntur.* BUN.

Iniquæ. Virg. VIII Æneid., vs. 667. Vide Silium Italic. lib. X.

Astu. Lact. de Opific., cap 2: *Astu se protegant.*

Audere non poterat. Heumannus recte exponit *non audebat.* Singularis tamen dictio, licet *audere* pro *posse*, et *posse* pro *audere*, interdum ponant veteres. Vid. Broukhus. ad Propert. l. I, el. 15, vs. 37, p. 64, sq. BUN.

Progeniem. Virg., initio I Æn. Vide et Valerium loco citato.

Sub nominibus mortuorum delitescentes. Sequitur Tertull., Apol. c. 21: *Contraria divinitas delitescens sub nominibus et imaginibus mortuorum, quibusdam signis et miraculis et oraculis fidem divinitatis operatur.* Et de Spect., c. 10. BUN.

Viventibus. Mss. 4 Colbert., 1 Clarom. et Brun. addunt *hominibus.* Ibidem Lactantius, *plagas tendunt*, pro *intendunt*, simplex pro composito, ut mihi videtur, pro *insidiantur.*

Apud omnes gentes. Extrema vox *gentes*, addita ex cunctis mss. et editis, præter Thys. Gall. Spark.

Inveteraverunt. Conf. l II, c. 1, *inveterata persuasione.* Ibid., c. 19, *inveteratos errores* dixit. BUN.

Differt ergo. Quia nec gravior Dei ira, nec pœna major nobis imminere potest, quam cum Deus peccata punit peccatis. Μακρόθυμος quidem Deus est, nec mortem vult peccatoris, sed ut convertatur et vivat, Ezechielis III. « Magna Dei ira est, ut Hieronymus ad Castrutium Ezechielis auctoritate scribit, quando peccata non corrigit, sed cæcitatem cæcitate punit. Nam ob hoc ipsum mittit Deus efficaciam illusionis, ut Paulus ad Thessal. scribit, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati. Indigni, inquam, sunt fonte vivo, qui cisternas sibi fodiunt. » Hier. 2. BETUL.

In potestate. Id est, per potestatem. Modus loquendi Scripturæ.

Vatum prædicta piorum. Ita restitui ex mss. 2 vetustissimis Reg., 2 al. Reg., Cauc., 4 Colb., Em., et ex mss. Virgil. In sex scrip. rec. et in vulgatis est, *priorum.* Virg. IV Æn. — *Vatum prædicta piorum.* Sic edo ex mss. Cauci et Emman. diversis typis. Est hoc receptum epitheton. Sic Virg. VI Æn. vs. 662, *Quique pii vates.* Silius Ital., l. VI, vs. 288, *Nec tacuere pii vates.* BUN.

Quidam. Epicurei. Vide de Ira Dei, cap. 4.

Ne irasci quidem Deum omnino, quod affectibus, etc. Ita, ut et aliæ passiones, Deo conveniunt non *affective*, sed *effective*, ut habet regula. Hoc est, ira non turbat, non afficit Deum dolore, ut homines: sed Deus cum irasci dicitur, facit hoc quod irati solent, nempe punit, affligit; ira itaque in Deo non est affectus, sed voluntas puniendi. GALLÆUS.— Vide S. Thom. part. I, quæst. 21, art. 3.

Triplici modo. Sic lego cum editis Rom. 1470, Betul., Tornes., Soubr., Cellar. cunctisque mss. præter Em. in quo legitur *tribus modis*; in vulgatis 11, *triplici ratione.*

Uno. Ex mss. est, inter quos quinque addunt *modo*; 1 Colb. *imo.*

Ista. Omnium mss. est, præter quatuor et editos, in quibus est, *ipsa.*

Esse autem perversum. Sic reposui ex omnibus mss. et sequentia postulant. In excusis legitur, *est.*

Digitized by Google

ac potestati omnis anima subjecta sit. Altero, quod ipsæ imagines sacræ, quibus inanissimi homines serviunt, omni sensu carent, quoniam terra sint. Quis autem non intelligat, nefas esse rectum animal curvari, ut adoret terram? quæ idcirco pèdibus nostris subjecta est, ut calcanda nobis, non adoranda sit, qui sumus ideo excitati ex ea, statumque sublimem præter cæteras animantes accepimus, ut non revolvamur deorsum, nec hunc cœlestem vultum projiciamus ad terram; sed oculos eo dirigamus, quo illos naturæ suæ conditio dixerit, nihilque aliud adoremus, nihil colamus, nisi solius artificis parentisque nostri unicum numen : qui propterea hominem rigidum figuravit, ut sciamus, nos ad superna et cœlestia provocari. Tertio, quod spiritus, qui præsunt ipsis religionibus, condemnati et abjecti a Deo, per terram volutentur : qui non tantum nihil præstare cultoribus suis possint, quoniam rerum potestas penes unum est, verum etiam mortiferis eos illecebris et erroribus perdant; quoniam hoc illis quotidianum sit opus, tenebras hominibus obducere, ne quæratur ab illis verus Deus. Non igitur colendi sunt, quia sententiæ Dei subjacent. Est enim piaculum maximum, addicere se potestati eorum, quibus, si justitiam sequare, potentior esse possis, et eos adjuratione divini nominis expellere, ac fugare. Quod si apparet, religiones istas tot modis esse vanas, quibus docui, manifestum est eos qui vel mortuis supplicant, vel terram venerantur, vel spiritibus impuris animas suas mancipant, rationem hominum non tenere, eosque impietatis ac sceleris sui supplicia pensuros, qui rebelles adversus parentem generis humani Deum, susceptis inexpiabilibus sacris fas omne violaverint.

CAPUT XIX.

De simulacrum et terrenarum rerum cultu.

Quicumque igitur sacramentum hominis tueri, rationemque naturæ suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitet, et erecta mente oculos suos tendat in cœlum : non sub pedibus quærat Deum, nec a vestigiis suis eruat quod adoret (quia quidquid homini subjacet, infra hominem sit necesse est) ; sed quærat in sublimi, quærat in summo ; quia nihil potest homine majus esse, nisi quod fuerit supra hominem ; Deus autem major est homine ; supra ergo, non infra est, nec in ima potius, sed in summa regione quærendus est. Quare non est dubium quin religio nulla sit, ubicumque simulacrum est. Nam si religio ex divinis rebus est, divini autem nihil est, nisi in cœlestibus rebus ; carent ergo religione simulacra, quia nihil potest esse cœleste in ea re, quæ fit ex terra. Quod quidem de nomine ipso apparere sapienti potest. Quidquid enim simulatur, id falsum sit necesse est ; nec potest unquam veri nomen ac-

VARIORUM NOTÆ.

Altero. Hæc lectio 5 editorum et omnium mss. est, quorum quinque perperam addunt vocabulum *modo*, quod jam præcessit. Cæteri impressi habent *altera*, et infra *tertia*, pro *tertio*, quod cunct. mss. est.

Inanissimi. Non aliter legitur in mss. fere omnibus et in decem editis. 1 Colb. habet *inmanissimi*, corrupte; et 1 Colb. cum sex impressis, *vanissimi*.

Qui sumus ideo excitati ex ea. Ita codex antiquus Bononiensis et tres Vaticani; quod sensum efficit rationi magis consentaneum, ait Thomasius.

Ex ea, statumque sublimem. Ita emendo, et sic præferunt veterrimi mss., 1 Bonon., 3 Reg., 3 Vatic., 5 Colb., Ultr., Tax., Lips., Em., Brun., et ed. Torn., Sonbron. In 1 Clarom. et impressis Florent., Spark., Walch., *et ex ea statum sublimem;* in edit. Is., *ex eaque statum sublimem*, mendose omnino : nec melius legas in mss. 2 al. Reg. rec., Cauc., Jun. et in edit. Rom. 1470 et aliis quinque. In 1 Clarom., *ut ex eo*, male; ad quid enim refertur *ex eo?* neque ex terra excitati, *ex ea statum sublimem* accepimus. — *Excitati ex ea, statumque.* Attamen ut hic *excitatum ex ea* (terra), sic l. II, cap. 1, *Ex humo sublevatum ;* l. VII, c. 9, *Ab humo excitatum;* ibid. c. 6, *Allevatum ex humo... excitasse* dixit. Bun.

Præter... animantes. Id est, præ cæteris animantibus. Vid. l. I, cap. 7. Huc pertinet de Ira cap. 14. Bun.

Nec hunc cœlestem. Sequor veteres editiones et omnes fere mss. At legitur *ne*, in 4 scriptis rec. et 12 vulgatis.

Nisi solius artificis. Ms. Cauc. et 10 impressis, *solum*, corrupte; quid enim sibi vult *solum unicum numen?*

Unicum numen. Mss. 26 et ed. Rom. 1470 habent *nomen.*

Rigidum. Id est, erectum. Vide cap. seq. circa finem.

Quotidianum sit opus. mss. est, præter unum recentiorem ; *est*, typis vulgat.

Tenebras hominibus obducere. Hinc Taur. Epit., c. 28, *obduxerunt humano generi tenebras.* Cicero, l. IV Acad. 6, *obducere tenebras rebus clarissimis.* Bun.

Addicere se. Usurpat verbum jure consultorum, sicut paulo inferius verbum mancipandi. Nam addicti dicebantur obærati et nexi, qui ob æs alienum creditoribus in temporariam servitutem tradebantur. Nam qui peccat, servus est peccati, juxta Paulum. Observa, quod religionis nomen pro eo usurpat, quod Græcis est δεισιδαιμονία, in malam nimirum partem : sed id fere in plurali numero duntaxat. Betulgius.

Justitiam. Id est, veram religionem.

Violaverint. Sic reperimus in vetustioribus et melioribus manuscriptis, faventibus sex aliis, et ed. Rom. 1468 et 1470, in quibus est *violaverunt;* in 1 Colb. rec. et 12 impressis, *violaverunt.*

Sacramentum. Hæc vox in Lactantio sæpe ita occurrit, ut significet mysterium, ac reconditionem alicujus rei significationem.

Ipse se ab humo suscitet. Illud *se* in nonnullis imp. deest : sed exprimitur in melioris notæ mss. et edit.

Nec in ima potius, sed in summa regione quærendus est. Sic emendavimus ex omnibus pene mss. et impressis : male autem in 3 Reg. et totidem rec. ed. leg., *religione.* Num rectius legeretur, ut placuit Cellario, *Nec in ima, sed potius in summa*, etc. — Heumannus : Probo, inquit, codicis a Cellario laudati (scil. Emman.) scripturam, *ima, sed potius.* Probarem et ipse, nisi cogitarem, Lactantium sæpe illud *potius* contra receptum morem illi *sed* præmittere. Unde tutius tot mss. in his Reimm., Lips. et Goth., et editiones omnes sequi. Vide quæ noto ad infra, *non... potissimum... sed* ; l. VI, c. 12, *verum hoc ille non potius incaute... sed ignorantia veri.* Ibid., c. 16, *nec... potissimum... sed.* Bun.

In ea re. In 1 Clarom. *quod*, mendose ; in altero Clarom. 3 Reg. rec., 2 Colb., 1 Tornes., 1 Sorbon., Lips. et edit. Rom. 1468, *in ære quod.*

Quod quidem de nomine ipso apparere sapienti potest. Hæc quæ desunt in ms. Bononiensi antiquo, extant in omnibus mss. et editis, Thysiano, Thomasiano, et Cantabrigiensi exceptis, in quibus male omissa sunt, quia res et sensus postulant.

Quidquid... simulatur. Apte Juvenalis, sat. VI, 324 :

Digitized by Google

cipere, quod veritatem fuco et imitatione mentitur. Si autem omnis imitatio, non res potissimum seria, sed quasi ludus ac jocus est, non religio in simulacris, sed mimus religionis est. Præferendum est igitur verum omnibus falsis : calcanda terrena, ut cœlestia consequamur. Ita enim res se habet, ut quisquis animam suam, cujus origo de cœlo est, ad inferna et ima prostraverit, eo cadat quo se ipse dejecerit. Ideoque oportet rationis, ac status sui memorem, non nisi ad superna niti semper, ac tendere. Quod qui fecerit, hic plane sapiens, hic justus, hic homo, hic denique cœlo dignus judicabitur : quem suus parens non humilem, nec ad terram more quadrupedum abjectum, sed stantem potius, ac rectum, sicut eum fecit, agnoverit.

CAPUT XX.

De philosophis, deque veritate.

Peracta est igitur (ni fallor) magna et difficilis A suscepti operis portio; et majestate cœlesti suggerente nobis dicendi facultatem, inveteratos depulimus errores. Nunc vero major nobis, ac difficilior cum philosophis proposita luctatio est : quorum summa doctrina et eloquentia, quasi moles aliqua mihi opponitur. Nam ut illic (*id est, in* secundo libro) multitudine, ac prope consensu omnium gentium premebamur ; ita hic auctoritate præstantium omni genere laudis virorum. Quis autem nesciat, plus esse momenti in paucioribus doctis, quam in pluribus imperitis ? Sed non est desperandum, istos quoque de sententia, Deo ac veritate ducibus, posse depelli : nec tam pertinaces fore arbitror, ut clarissimum solem sanis ac patentibus oculis videre se negent. Modo illud verum sit, quod ipsi solent profiteri, studio investigandæ veritatis se teneri, efficiam B profecto, ut quæsitam veritatem diu, et aliquando inventam esse credant, et humanis ingeniis inveniri non potuisse fateantur.

VARIORUM NOTÆ.

Nil ibi per ludum simulabitur, omnia fient
Ad verum.

Sic Cic., de Amicitia, c. 25, *Fucata et simulata sinceris atque veris* opponit.

Ac jocus est. Id ex Terent. in Eunuch.

Mimus religionis est. Hanc lectionem exhibent mss. tres veterrimi Reg., Cauc., Jun., 2 Colb., Goth., Lips., Ultr., Pal., Em., Cantabr., 1 Clarom., Brun., 5 vet. typis excusi, ac 3 rec. Et apud Senecam reperitur, l. v, epist. XXVI. In 2 Reg. et 2 Colb. est *munus*, quod per librariorum oscitantiam contigisse quis non videat, mutatione trium elementorum, *mim* in *mun*, ex litterarum apicibus ducta similitudine. Mss. sex, edit. Rom. 1468, et 12 rec. editi legunt *minus*, sed sensu alieno. Cæterum *mimus religionis* recte dicitur gentilium religio, quia mimi instar religionem tantum imitatur, veritatem non habet. *Partim ex* GALLÆO.

Hic denique cœlo dignus. Sic reposui ex mss. 7 Reg., inter quos sunt duo veterrimi, 2 Bonon., Cauc., 3 Vatic., 6 Colb., 2 Clarom., 2 Lips., 1 Sorbon., Pal., Tax., Pen., Ultr., Em., Brun., edit. Graph. Is. in alio Lips. pro *denique*, est *utique* ; in pluribus Vaticanis et edit. Thys., Gall., Spark., *hic Deo cœloque dignus ;* in scriptis 2 Reg., Jun., Cantabrig., et vet. excusis quinque, *hic cœlo Deoque dignus. Deoque* hic inutilis videtur juxta Thomasium.

Peracta. Hoc caput est veluti transitus ad librum tertium.

Major nobis... cum philosophis... luctatio. Lact. IV, c. 25 : *Una nobis et magna et præcipua cum carne luctatio est.* Cic., de Fato, c. 6 : *Chrysippe, tibi cum Diodoro magna luctatio est.* BUN.

Quasi moles. Difficultas. Virgil. :

Tantæ molis erat Romanam condere gentem!

— *Quasi moles... mihi opponitur.* Observatus est ei Cicero in Verrem, l. v, orat. 10, c. 1 : *Quasi murus quidam boni nomen... opponitur.* BUN.

Ac prope consensu omnium gentium premebantur. Ita restitui ex omnibus pene mss., 8 Reg., Cauc., 5 Colb., Lipsiensibus, 2 Sorbon., Nav., Vict., Gat., C Marm., Jun., Pal, Em., Cantabrig., Brun. et vetustioribus ac præstantioribus editis, 3 Rom., Florent., Ald., Paris., 1525, Crat., Graph., Cellar., et Torn. in quo deest *gentium*. In ms. Tornes. *ac pene consensu omnium premebamur ;* in Regio-Put. et 1 Colb. et 1 Clarom., *premebatur*, mendose ; in 8 impressis rec. *veritas premebatur ;* in scriptis 1 Reg. et 1 Clarom. *veritas premeretur.*

De sententia... depelli. Supra dixit de luctatione ; eleganter igitur de re gladiatoria hic transfert., l. III, c. 16, *de sententia pulsus est.* Conf. c. 17 ; l. v, c. 13. Nullis terroribus de sententiæ proposito posse depelli. BUN.

Deo ac veritate ducibus. Corrigit vulgatum illud : *Duce virtute, comite Fortuna.* Docet, sicut christianum decet, non propriis viribus, non Fortunæ, sed Deo Opt. Max. omnium bonorum auctori, optima quæque esse tribuenda. BETUL.

ANALYSIS LIBRI TERTII

LACTANTII.

VANITAS PHILOSOPHIÆ ET PHILOSOPHORUM.

Partes hujus libri tres sunt : *Prima* de philosophia, *secunda* de philosophorum vanitate, *tertia* rursum philosophiam non esse sapientiam demonstrat.

In exordio optat sibi Tullianam eloquentiam ad demonstrandam philosophiæ vanitatem, quam philosophiam inanem et falsam esse, his argumentis ostendit. — I. Philosophia est studium sapientiæ ; ergo non est sapientia.—II. Illo studio ad sapientiam non pervenitur, ergo ne quidem sapientiæ studiosi sunt philosophi (*Cap.* 2). — III. In philosophia, neque scientia est, neque opinatio ; ergo non est sapientia : non illa, quia Socrates et Academici eam sustulerunt ; non hæc, quia Zenon et Stoici eam repudiarunt (*Cap.* 4). — IV. Philosophia seipsam conficit. Nam singulæ sectæ multarum sectarum judicio stultitiæ convincuntur ; omnes igitur vanæ sunt et inanes (*Cap.* 4). —V. Aut est naturæ scientia, aut non est, ut vult Arcesilas. Non illud, quia nulla potest esse in homin

Digitized by Google

interna et propria scientia, ob fragilitatem conditionis humanæ ; non hoc, quia multa sunt, quæ natura ipsa nos scire, et usus frequens et vitæ necessitas cogit. Ergo utrumque philosophiæ genus corruit : vetus, quod sibi scientiam vendicat, et novum, quod eam distrahit (*Cap.* 5). — Hoc loco corrigit philosophos in physicis. « Academici, inquit, ex rebus paucis obscuris argumentati sunt, nullam esse scientiam : Physicis ex quibusdam apertis et claris omnia sciri posse. Recte quidem coarguit arrogantiam philosophorum Arcesilas ; sed addere exceptionem debuit, et dicere : causas rationesque duntaxat rerum naturalium, quia sunt abditæ, nesciri posse, quia nullus doceat ; nec quæri oportere, quia inveniri non possunt » (*Cap.* 6). — VI. In ethicis de summo bono dissentiunt philosophi. Hic recitat sententias varias philosophorum de summo bono (*Cap.* 7), quas refutat (*Cap.* 8 *et* 9) ; ipse summum bonum in sola religione ponit (*Cap.* 10), ostendens potuisse philosophos summum bonum deductione reperire, quod non sit voluptas, divitiæ, regnum, virtus, sed immortalitas ; unde concludit philosophiam ethicam esse vanam (*Cap.* 11 *et* 12). — VII. Logicam et physicam non pertinere ad recte vivendum ; ergo sic totam philosophiam esse inanem. Qua occasione refellit commendationem philosophiæ Ciceronis (*Cap.* 13 *et* 14), et definitionem philosophiæ Senecæ, qui dixit, philosophiam esse rationem recte vivendi (*Cap.* 15). — VIII. E philosophia non utilitas quæritur, sed oblectatio ; ergo abjicienda est. — IX. Philosophiæ principium et origo apparet ; ergo non est sapientia (*Cap.* 16).

Parte secunda, philosophos ipsos in magna vanitate versari ait, idque probat : — a placitis Epicuri ; quod nulla sit providentia, quod animæ sint mortales, etc. (*Cap.* 17) ; — a placitis Stoicorum et Pythagoræ, de migratione animarum de corpore in alia corpora, de mortis bono, de vitæ malo ; in primisque gratiarum actione Platonis, qui se gratias naturæ dixerit agere, et quod homo natus esset, potius quam mutum animal, et quod masculus potius quam fœmina, quod Græcus, quam barbarus, quod Atheniensis et quod temporibus Socratis (*Cap.* 18) ; quam gratiarum actionem mirifice exagitat Lactantius (*Cap.* 19, 20, 21) ; — a minorum philosophorum factis et dictis variis : quod Democritus agros suos pascua publica fieri sit passus ; quod Zenon peccata paria faciat, misericordiam inter vitia ponat ; quod Xenophanes credidit dicentibus orbem lunæ 22 partibus majorem essequam terram (*Cap.* 22) ; — ab iis, qui antipodes inducunt, id est, homines, quorum vestigia sint superiora, quam capita (*Cap.* 23).

Parte tertia rursum probat, philosophiam non esse sapientiam, quia : — ab aliquibus tantum ad philosophos restringitur ; — et Stoici et Epicurei omnes admiserunt ; tamen non potuerunt efficere quod voluerunt (*Cap.* 24) ; — non potest efficere, quod efficit vera religio, ex iracundo placidum, ex avaro liberalem, ex crudeli clementem ; — sapientia philosophorum, ut plurimum efficiat, non exscindit vitia, sed abscondit. Pauca vero Dei præcepta sic totum hominem immutant et exploso vetere novum reddunt, ut non cognoscas eumdem esse (*Cap.* 25, 26) ; — philosophi ipsi fatentur se esse insipientes : Empedocles, Anaxagoras, Democritus, Socrates (*Cap.* 27) ; — ex mera insipientia et ignoratione veri Dei, nomen Naturæ et Fortunæ invenerunt (*Cap.* 27) ; cum tamen fortuna per se nihil sit, sed tantum accidentium rerum subitus ac inopinatus eventus (*Cap.* 28).

Sequitur conclusio libri. Una est igitur spes hominis, una salus in hac doctrina, quam nos defendimus, posita. Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat et colat.

LIBER TERTIUS.

DE FALSA SAPIENTIA PHILOSOPHORUM.

CAPUT PRIMUM.

Veritatis collatio cum eloquentia ; cur eam non sunt assecuti philosophi : de stylo simplici Scripturarum.

Vellem mihi, quando veritas in obscuro latere adhuc existimatur, vel errore atque imperitia vulgi, variis et ineptis superstitionibus servientis, vel philosophis pravitate ingeniorum turbantibus eam potius quam illustrantibus, etsi non qualis in Marco Tullio fuit, quia præcipua et admirabilis fuit, aliquam tamen proximam eloquentiæ contingere facultatem ; ut quantum veritas vi sua propria valet, tantum ingenii quoque viribus nixa, exereret se aliquando, et discussis convictisque tam publicis, quam eorum, qui sapientes putantur erroribus, humano generi clarissimum lumen inferret. Quod quidem duabus ex causis fieri vellem : vel quod magis possent credere homines ornatæ veritati, qui etiam mendacio credunt, capti orationis ornatu, lenocinioque verborum ; vel certe, ut ipsi philosophi suis armis potissimum, quibus placere sibi et confidere solent, opprimerentur a nobis.

VARIORUM NOTÆ.

Philosophorum. Hanc vocem addidi ex mss. 1 Regio, Rostochiensi et Marm. necnon ex ipsomet Lactantio, lib. III, cap. 1 et 30.

Vellem mihi. Ms. Reg. vetust. n. 3736, addit, *Constantine Imperator.* Plures mss. habent *quoniam*, pro *quando. Vellem mihi*, etc. id est, Nisi veritas per se ipsa valeret, vellem eloquentiam, si non eamdem, ac Marcus Tullius, saltem proximam habere, ut vires veritatis exererem.

Philosophis. De his hocce libro tertio agitur.

Quia præcipua. Ita editi, cum omnibus mss. præter 1 Clarom., in quo est *quæ ;* et sic legere amabat Francius.

Veritas vi sua propria valet. Ne credas Lactantii institutum esse, ut eloquentiam, quam unam Cicero de summis virtutibus esse dicit, damnare velit, quam agnoscit donum esse Dei : sed discernit inter veram eloquentiam (quæ fucos et lenocinia nescit), ac inter

Digitized by Google

Sed quoniam Deus hanc voluit rei esse naturam, ut simplex et nuda veritas esset luculentior, quia satis ornata per se est, ideoque ornamentis extrinsecus additis fucata corrumpitur, mendacium vero specie placeret aliena, quia per se corruptum vanescit ac diffluit, nisi ornatu aliunde quæsito circumlitum fuerit ac politum : æquo animo fero, ingenium mihi mediocre fuisse concessum. Verum ego non eloquentiæ, sed veritatis fiducia suscepi hoc opus, fortasse majus quam ut possit meis viribus sustineri : quod tamen, etiamsi ego defecerim, Deo (cujus est hoc munus) adjuvante, veritas ipsa complebit. Etenim cum sciam maximos quoque oratores a causidicis mediocribus sæpe victos, quod tanta est potentia veritatis, ut seipsam, quamvis in rebus exiguis, sua claritate defendat : cur hanc ego in maxima causa, ab ingeniosis quidem illis ac disertis viris, sed tamen falsa dicentibus, oppressum iri putem? ac non illa, si minus oratione nostra, quæ de tenui fonte admodum exilis emanat, lumine tamen suo clara et illustris appareat? Nec si philosophi doctrina litterarum mirabiles extiterunt, ego etiam illis scientiam veri cognitionemque concesserim, quam nemo cogitando, aut disputando assequi potest. Neque ego nunc reprehendo eorum studium, qui veritatem scire voluerunt, quia naturam hominis Deus veri adipiscendi cupientissimam fecit : sed id arguo, id revinco, quod honestam illorum et optimam voluntatem non sit secutus effectus; quia neque quid esset verum ipsum sciebant, neque quomodo, aut ubi, aut qua mente quærendum. Ita dum succurrere humanis erroribus cupiunt, ipsi se in plagas, et errores maximos induxerunt. Ad hoc igitur me opus coarguendi philosophiam, susceptæ materiæ ordo ipse deduxit.

Nam cum error omnis, aut ex religione falsa oriatur, aut ex sapientia, in eo convincendo necesse est utrumque subvertere. Cum enim sit nobis divinis litteris traditum, cogitationes philosophorum stultas esse, id ipsum re et argumentis docendum est : ne quis honesto sapientiæ nomine inductus, aut inanis eloquentiæ splendore deceptus, humanis malit quam divinis credere; quæ quidem tradita sunt breviter ac nude. Nec enim decebat aliter, ut cum Deus ad hominem loqueretur, argumentis assereret suas voces, tanquam fides ei non haberetur : sed, ut oportuit, est locutus, quasi rerum omnium maximus judex, cujus est non argumentari, sed pronuntiare. Verum ipse, ut Deus. Nos autem, cum ad res singu-

VARIORUM NOTÆ.

eam quæ est justitiæ adulatrix; ut in Gorgia Plato, et Quintilianus lib. II, cap. 16, ut prudenter, ita vere docuerunt. BETULEIUS.

Ut simplex, etc. Hinc gentiles occasionem ridendi S. Scripturam sumpsere, et non solum S. Scripturam, verum et christianorum scripta, tanquam minus ornata et simplicia spernebant. Arnob. lib. I : *Barbarismis et solœcismis obsitæ*, inquit, *sunt res vestræ*. Item Isidorus Pelusiota, lib. IV, epist. 27. HERALD. — De ratione simplici veritatis enucleandæ, vide Platonem in Cratylo. — *Simplex et nuda veritas*, etc. Minuc. Fel., cap. 16 : *Quo imperitior sermo, hoc illustrior ratio est : quoniam non fucatur pompa facundiæ et gratiæ, sed ut est, recti regula sustinetur.* Cyprian, l. II, ep. 2, ad Donatum : *Cum de Domino et de Deo vox est, vocis pura sinceritas non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus. Denique accipe non diserta, sed fortia, nec..... culto sermone fucata, sed... rudi veritate simplicia.* Adde aurea verba Origenis contra Celsum l. III, ed. Cantab., pag. 135. Egregie Euripides in Phœniss., vers 472, seqq. BUNEMAN.

Placeret. Restitui ex mss. 1 Bonon. antiq., 2 Reg. Lips., Pal., 1 Colb. et 1 Brun., quod præcedentia exigunt, *ut simplex et nuda veritas esset luculentior... mendacium vero specie placeret aliena*. Alter Brun. habet *placere*, mendose; mss. 14 cum ed., *placet*.

Vanescit. Mss 5 rec. *inanescit*.

Diffluit. Sic reposui ex 24 mss. ac vulgatis Is. et Cellar. *Defluit* est in 8 rec. scriptis, et in omnibus fere impressis.

Nisi ornatu aliunde quæsito circumlitum fuerit ac politum. Hæc a nonnullis novis editoribus neglecta restitui Lactantio ex omnibus prope vulgatis, et 46 mss. nisi quod, pro *circumlitum*, 1 Reg. habet *circumventum*; Christ, *excultum*.

Etiamsi ego defecerim. De Opif., cap. 20 : *Ego vero libentius sub hoc onere defecerim*. Imitatur Quintilianum l. XII, procem. : *Licet major moles premat, tamen... constitutum est, vel deficere potius, quam desperare*. BUN.

Maximos quoque. Ita ferunt cuncti ferme editi, et antiquiores ac potiores mss. Vulgati tres et 18 rec. mss., *maximos quosque*.

Potentia veritatis, ut seipsam... defendat. Apparet Cicero, Orat. pro Cœlio, cap. 26 : *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias facile se per seipsam defendat*. BUN.

Cur hanc ego. Sic emendavi ex optimis et antiquissimis mss. ac omnibus pene editis. Scripti sex et 3 rec. impressi ferunt, *cur hanc ergo*.

Neque ego. Mss. 15 rec. et plerique vulgati, *neque enim*.

Naturam hominis Deus veri adipiscendi cupientissimam fecit. Rectius Deo tribuit, quam Cicero *natura*, l. II Fin. 14 : *Natura cupiditatem ingenuit homini veri inveniendi*. BUN.

Induxerunt. Legitur *Induerunt* apud Buneman., qui in hunc locum exhibet notam sequentem. — *Induerunt*. Ausus sum contra omnes, quos vidi, libros, qui *induxerunt* habent, hic recipere *induerunt*; præcessit enim. *ipsi se*. *Inducere* alii alios possunt, *induimus nos ipsi*. Pari modo hic legendum censuit *Davisius*. ad Cic. II Divinat. cap. 17 : *Cur vos induitis in eas captiones?* Idem censet Heumannus. Iterum Lact. l. VI, cap. 12 : *Prudens ac sciens in hos se laqueos induit*.

Ex sapientia. Repete, *falsa*.

Cogitationes philosophorum. Ms. 1 Reg. cum edit. Rom. 1470, addit *hominum*; 1 alter Reg. cum 8 editis, *omnium* : quæ vox saltem est subaudienda, ut conjicitur ex Lactantii loco infra posito, cap. 16 : *Abjicienda est omnis philosophia*, Gentilium scilicet; Scriptura enim damnat non omnem, sed tantum vanam philosophiam, ut constat ex cap. II, vers. 8, ad Colossenses.

Nec enim decebat aliter, ut. Vult omitti *aliter* Bunem. « Proscripsi, inquit, vocem hic ineptam *aliter* : ubi reliqui omnes, *nec enim decebat aliter, ut*. Delet quoque Heumannus; nam hic sensum turbat plane. Rescripsi ex omnibus Tornesianis ab an. 1548-1613 : *Nec enim decebat, ut, cum*. Illud *aliter* priori loco motum postea commodius eædem reddunt cum Betul. legendo, *tanquam aliter fides ei non haberetur*, quas sum secutus. »

Pronuntiare. Verum ipse, ut Deus. Hæc interpunctio est mss. 6, Reg., quorum duo antiquissimi sunt, 4

Digitized by Google

las testimonia divinæ vocis habeamus, profecto monstrabimus, quanto certioribus argumentis possint vera defendi, cum etiam falso sic defendantur, ut vera soleant videri. Quare non est, quod philosophis tantum honoris habeamus, aut eorum eloquentiam pertimescamus. Loqui enim bene potuerunt, ut homines eruditi, vere autem loqui, nullo modo, quia veritatem non didicerant ab eo, qui ejus potens esset. Nec sane magnum aliquid efficiemus, quod illos ignorantiæ redarguemus, quam ipsi sæpissime confitentur in eo solo, quoniam his non creditur, in quo solo credi debuit; conabor ostendere, nunquam illos tam veridicos fuisse, quam cum sententiam de sua ignoratione dixerunt.

CAPUT II.

De philosophia, et quam inanis fuerit ejus in exponenda veritate occupatio.

Nunc quoniam duobus prioribus libris religionum falsitas demonstrata est, nec non origo ipsa totius erroris exposita: hujus libri munus est philosophiam quoque ostendere, quam inanis et falsa sit; ut, omni errore sublato, veritas patefacta clarescat. Ordiamur itaque a communi philosophiæ nomine, ut ipso capite destructo, facilior nobis aditus pateat ad excidendum omne corpus: si tamen potest corpus vocari, cujus partes ac membra discordent, nec ulla compage inter se cohæreant, sed quasi disjecta et dissipata, palpitare potius, quam vivere videantur. Philosophia est (ut nomen indicat, ipsique definiunt) studium sapientiæ. Unde igitur probem magis philosophiam non esse sapientiam, quam ex ipsius nominis significatione? Qui enim sapientiæ studet, utique nondum sapit, sed ut sapere possit studet. In cæteris artibus, studium quid efficiat, et quo tendat, apparet. Quas cum discendo aliquis assecutus est, jam non studiosus artificii, sed artifex nominatur. At enim verecundiæ causa studiosos se sapientiæ, non sapientes vocaverunt. Immo vero Pythagoras, qui hoc primus nomen invenit, cum paulo plus saperet, quam illi priores, qui se sapientes putaverunt, intellexit nullo humano studio posse ad sapientiam perveniri, et ideo non oportere, incomprehensæ atque imperfectæ rei perfectum nomen imponi. Itaque cum ab eo quæreretur, quemnam se profiteretur, respondit: philosophum, id est, quæsitorem sapientiæ. Si ergo philosophia sapientiam quærit, nec ipsa sapientia est; quia necesse est aliud esse, quod quærit; aliud,

VARIORUM NOTÆ.

Colb., Lips., Tornes., Betul., Em., Brun. ac vet. ed. 2, Rom. et Venet. 1490. In pluribus mss. nulla est ad hæc verba interpunctio: quatuor ultima a ms. Mertoniensi absunt: unde ea esse glossema fere suspicor cum Walchio et Heumanno.

Monstrabimus. Sic emendavi ex cunctis mss. codicibus, et editis Rom. 1470, Betul., et versione Gallica, an 1563.

Tantum honoris habeamus, aut. Bunem., *ut.* «Sic edo, inquit, ex Sublac., Rost., Ven., 1471, 72, utraque 78, 93, 97, Paris., Parrh., Junt., Ald., Crat., Gymn., et Heumannus sic legendum credit. Recte. Sic lego l. VII, c. 5: *Si tantum honoris homini habuit, ut ipsius causa mundum fabricaret.* Ib., c. 4: *Tantum illi honoris habuit, ut eum præficeret universis.* Recentiores sine ulla mss. mentione, nisi quod Cauci, *aut... etiam eorum* hic variant. Gryph., 1541, et hunc secuti Thomas. Isæus, Gall., Cant., Spark., Cell.. *tantum honoris habeamus, aut eorum*; Tornæs., 1548 et Betul. *tantum honoris debeamus, aut*; Tornes., 1587-1613, et Walch., *tantum honorem habeamus, aut.* Si *ut* pro *aut* legas, postrema lectio bona. Sic Cyprian., epist. ad Magnum, ed. Pamel., ep. 76. *Nisi si justum... ut... tantus honor habeatur hæreticis, ut non interrogentur*, etc.»

Redarguemus. Ita omnes ferme mss. et multi impressi, 2 Reg., *arguemus;* 2 al. Reg., *redarguimus;* 5 edd., *redarguamus.*— *Illos ignorantiæ redarguemus.* Idem quoque iterum dixit in Epit., cap. 29, *eosque stultitiæ redarguit.* Ejus generis sunt l. III, c. 4, *aliquem stultitiæ convincere*; ibidem sup. *stultitiæ accusare*; Epit., c. 32, *stultitiæ condemnare.* Bun.

Quoniam his non creditur. Hæc verba absunt a mss. Oxoniensibus, Bold. et Cott. sed reperiuntur in aliis codicibus ac impressis, ac optimum sensum efficiunt. Hæc porro lectio nostra multo distinctior editione Romana, quæ sic habet: *Nec sane magnum aliquid efficiemus, quod illos ignorantiæ arguemus, quam sæpissime confitentur. In eo solo, quoniam eis non creditur, in quo solo credi debuit; conabor ostendere*, etc.

Sententiam. Post hanc dictionem, ms. 1 Bon. antiq. et rec. edit. Thom., Thys., Gall. inserunt, *in se.*

Prioribus. Ita reposui ex manuscriptis, præter 2 Reg. et editos, in quibus est *superioribus*, quæ vox deest in uno Colbertino.

Ad excidendum. Sic restitui ex quamplurimis mss. editisque, Rom. 1470, Gymnic., Crat., Betul. Et sic legendum esse censebat doct. Francius. In 12, vulgatis et recentissimis 2 scriptis est *ad excindendum*; in septem *ad incidendum.*

Disjecta et dissipata. Ex omnibus ferme mss. et excusis ita reposui. Tres impressi ferunt *dissecta*, nec male; tres scripti cum edit. Tornes. et Soubron. *disjuncta.*

Ipsique definiunt. Vide Cic. II Officior. in principio.

Studiosos sapientiæ, φιλοσόφους.

Sapientes, σοφούς.

Immo vero Pythagoras. Videndi Augustinus lib. XIV de Trinitate, cap. 1, et lib. VIII, cap. 2, de Civitate Dei; et Cicero lib. V Tusculan. quæst. Deus ergo ipse summa sapientia: cultus autem Dei est sapientia hominis, de qua nunc loquimur. Nam sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Secundum hanc itaque sapientiam, quæ Dei cultus est, ait sancta Scriptura (Sapient. VI, 26): *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.* Sed si de sapientia sapientium disputare est, imitandum est exemplum Pythagoræ, qui cum ausus non fuisset se sapientem profiteri, philosophum potius, id est amatorem sapientiæ, se esse respondit? A quo id nomen exortum, ita deinceps posteris placuit, ut quantalibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque, vel sibi vel aliis videretur excellere, nonnisi philosophus vocaretur. Vide præter S. Augustin. ubi supra; Ciceron., præfat. l. I Tuscul., et Laert. initio.

Imperfectæ rei perfectum. Laertius c. l. ex Heraclide Pontico refert Pythagoræ verba: μηδένα εἶναι σοφὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἢ θεόν. Seneca, ep. 89: *Dicam inter sapientiam et philosophiam quid intersit: sapientia perfectum bonum est mentis humanæ; philosophia sapientiæ amor est et affectatio.* Bun.

Digitized by Google

quod quæritur: nec quæsitio ipsa recta est, quia nihil potest invenire.

Ego vero ne studiosos quidem sapientiæ philosophos esse concesserim, quia illo studio ad sapientiam non pervenitur. Nam si facultas inveniendæ veritatis huic studio subjaceret, et si esset id studium tamquam iter ad sapientiam, aliquando esset inventa. Cum vero tot temporibus, tot ingeniis in ejus inquisitione contritis non sit comprehensa, apparet nullam esse ibi sapientiam. Non ergo sapientiæ student, qui philosophantur: sed ipsi studere se putant; quia illud quod quærunt, ubi, aut quale sit nesciunt. Sive ergo sapientiæ student, sive non student, sapientes non sunt; quia nunquam reperiri potest, quod aut non recte quæritur, aut omnino non quæritur. Videamus tamen id ipsum, possit ne hoc studio reperiri aliquid, an nihil.

CAPUT III.

Philosophia quibus rebus constet; et quis fuerit Academicæ sectæ auctor primarius.

Duabus rebus videtur philosophia constare, scientia et opinatione, nec ulla alia re. Scientia ab ingenio venire non potest, ne cogitatione comprehendi; quia in seipso habere propriam scientiam, non hominis, sed Dei est. Mortalis autem natura non capit scientiam, nisi quæ veniat extrinsecus. Idcirco enim oculos, et aures, et cæteros sensus patefecit in corpore divina solertia, ut per eos aditus scientia permanaret ad mentem. Nam causas naturalium rerum disquirere, aut scire velle: sol utrumne tantus, quantus videtur, an multis partibus major sit, quam omnis hæc terra; item, luna globosa sit, an concava; et stellæ utrumne adhæreant cœlo, an per aerem libero

VARIORUM NOTÆ.

Nec quæsitio ipsa recta est. Sic lego cum 4 excusis, et 16 mss. quorum duo sunt vetustissimi. Sex alii legunt *quæstio;* mss. Pen. et plures Vaticani ac 7 editi, *nec quæsitio sapientiæ recta est.* Expunxi *tamen,* quo carent mss.

Opinatione. Opinatio est opinio quæ scientiæ opponitur, et a recentioribus philosophis dicitur probabilitas. *Ex Walchio.*

Scientia ab ingenio. Id est, ab animo. Nam infra cap. 6, dicit scientiam ab anima esse, ignorationem a corpore. Vide cap. 1 de ira Dei. Metaphysicum illud lumen divinitus in mentibus nostris accensum, alii sapientiam, alii scientiam (huc hic noster) appellant, cum scientia proprie sit rerum in natura mutabili perpetuarum et constantium: quod lumen est ab ipsa natura mentibus mortalium inditum; quod licet corporali caligine obnubiletur, plus tamen lucis in aliis, in aliis minus est, et ob id etiam plus in aliis, in aliis minus scientiæ est. Quod quidem mirum non est, cum divinæ sapientiæ doctor Augustinus neget, cuiquam sanctorum cœlestem sapientiam totam contigisse. Cujus asseverationis ipsum Paulum auctorem habet αὐθεντικώτατον. BETULEIUS.

Idcirco enim oculos et aures, etc. Socrates quidem in Theæteto, in secunda definitione, τὴν ἐπιστήμην definit αἴσθησιν. Quomodo vero inter se differant, docet Aristot. in III de Anima, cap. 8. BETULEIUS.

Permanaret. Sic restitui ex mss. 2 Bonon., Lips., Pal., Tax., ad hoc enim conspirant antiquiores et potiores mss. Regio-Put. qui habet, *permaneret;* Cauc., 3 Reg., Ultr., 1 Brun. *permanet* pro *permanaret;* 1 Colb., *permearet.* In rec. 5 al. Reg., 5 Colb., 2 Clarom. et in excusis est *perveniret;* in 1 Reg. et 1 Brun., *perveniat.*—*Permanaret.* Scite, ut Cicero, *permanare ad animum, ad sensus, ad aures.* In omnibus edd. *perveniret,* quod et ipsum elegans. BUN.

Sol utrumne, etc. Lucretius de sideribus in Universum lib. v:

> Quidquid id est, nihilo fertur majore figura,
> Quam nostris oculis, quod cernimus, esse videtur.

Epicuri dogma hoc est. Vide super hac re Plutarchi verba ex philosophorum Placitis lib. II, cap. 11, ubi solem septies et vicies terra majorem dixit. Consentit Galenus, περὶ φιλοσοφ. Ἱστορίας cap. 58. Sed apud Cic. in Acad quæst. amplius duodeviginti partibus mathematicis terra major creditur: id quod præcedenti capite apud Plut. eidem Anaximandro tribuitur. Sed in ejus Vita apud Laert. legitur asseruisse, τὸν ἥλιον οὐκ ἐλάττονα τῆς γῆς, καὶ καθαρότατον πῦρ. Plato in eadem fere sententia fuit in Epinomide. Macrob. in I de Som. Scip., cap, 20, Erathosteni tribuit, quod Plut. et alii Anaximandro adscripserunt, sic referens: *Eratosthenes in libris Dimensionum sic ait: « Mensura terræ, septies et vicies multiplicata, mensuram solis efficiet. »* Macrob. autem ipse colligit solem octies terra majorem esse. Franciscus vero Philelphus in I Convivalium lib. ex Ptolemæo colligit, solem quam terra majorem esse centies sexagies sexies, additis octavis tribus. Lege præterea de solis magnitudine Cleomedem lib. II, Plin. lib. II, cap. 11. BETULEIUS.—Vide si lubet Cartesium.

Luna globosa. Vide Plutarchum in Placitis lib. II, cap. 27. Cleomedes priscos tres tantum in luna figuras protulisse refert: surgentem in cornua, dividuam, plenam; indeque Dianam Triviam fuisse dictam. Testatur tamen a junioribus adjectum esse, utrinque turgidam; sic enim ἀμφίκυρτον Valla reddidisse videtur, quod Budæus utrinque convexum. Cujus quidem Plin. lib. II, cap. 9, et Theon in Arato, hæc memorantes, nullam faciunt mentionem. Sed meminit Martianus l. VIII, meminit Macrob. lib. I, cap. 6, Somn., et ipsa Luna apud Lucianum in Icaromenippo. Adjiciemus his, quæ refert Cicero in Academ. quæst lib. IV de Xenophane, qui lunam habitabilem dixit, eamque esse terram multarum urbium. Physici certe lunam ætheream terram dixerunt, teste Macrobio. Vide de his omnibus Philelphi Convivales sermones. Aristoteles l. II de Cœlo, c. 11, sidera omnia σφαιροειδῆ facit: sicut etiam Cicero in Scipionis Somnio, ubi Macrobius stellarum corpora sphæras appellat. Sed inventi sunt qui secus putarunt, Cleantes, Anaximenes, et alii. BETULEIUS.

Et stellæ utrumne cœlo adhæreant, etc. Ita reposui ex editis Tornes. Soubron. et omnibus manu exaratis, præter 2 Reg. rec. et impressos, in quibus est, *et stellæ utrumne cohæreant cœlo.* Notat Xenocratis, sive, ut Galenus habet, Xenophanis dogma: de his vide Plutarchum. Hodie certe nec ille stellarum situs agnoscitur, nec dubiantur quin fixæ stellæ cum tota universitate circumagantur. Cur autem Lactantius dicitet per aerem ferri sidera, ratione caret, nisi aera pro æthere dixerit. Est enim omnino ἄκυρον, vel ex vulgi opinione sumptum: quæ, ut in Phædone Plato docet, ex imbecillitate et tarditate visus nostri nascitur; vel quod superioribus idem æther est, quod nobis aer, ut idem Plato ibidem refert. BETULEIUS.

Utrum quietum sit et immobile. Sic habent mss. Jun., Cantabrig., duo Reg. et alii cum plur. editis; 3 al. Reg., *aut mobile;* mss. Cauc., *immortale.* Emendo ex optimis et veterrimis 4 Reg., 1 Bon., antiq., Ultr., Goth., Em., 4 Colb., 2 Brun. et ed. Graph., Gymnic, Tornes., Soubron., Paris., Cellar., Valch., *et immobile;* nec aliter hunc locum ad verbum refert Isidorus

Digitized by Google

cursu ferantur ; cœlum ipsum qua magnitudine, qua materia constet, utrum quietum sit et immobile, an incredibili celeritate volvatur ; quanta sit terræ crassitudo, aut quibus fundamentis librata et suspensa sit. Hæc, inquam, disputando, et conjecturis velle comprehendere, tale est profecto, quale si disserere velimus, qualem esse arbitremur cujuspiam remotissimæ gentis urbem, quam nunquam vidimus, cujusque nihil aliud quam nomen audivimus. Si nobis in ea re scientiam vindicemus, quæ non potest sciri, nonne insanire videamur, qui id affirmare audeamus, in quo revinci possimus ? Quanto magis, qui naturalia, quæ sciri ab homine non possunt, scire se putant, furiosi dementesque sunt judicandi. Recte ergo Socrates, et eum secuti Academici scientiam sustulerunt, quæ non disputantis, sed divinantis est. Superest, ut opinatio in philosophia sola sit. Nam unde abest scientia, id totum possidet opinatio. Id enim opinatur quisque, quod nescit. Illi autem, qui de rebus naturalibus disputant, opinantur ita esse, ut disputant. Nesciunt igitur veritatem ; quoniam scientia, certi est, opinatio, incerti.

Redeamus ad illud superius exemplum. Age, opinemur de statu et qualitate urbis illius, quæ nobis rebus omnibus præter nomen ignota est. Verisimile est, in plano sitam, lapideis mœnibus, ædificiis sublimibus, viis pluribus, magnificis ornatisque delubris. Describamus, si placet, mores habitumque civium. Sed cum hæc dixerimus, alius contraria disputabit ; et cum hic quoque peroraverit, surget et tertius, et alii deinceps, et opiniabuntur multo disparia, quam nos sumus opinati. Quid ergo erit ex omnibus verius? fortasse nihil. At omnia sunt dicta, quæ in rerum naturam cadunt ; ut necesse sit aliquid eorum esse verum. At nescietur, quis verum dixerit. Potest fieri, ut omnes ex parte aliqua erraverint, ex parte attigerint veritatem. Stulti ergo sumus, si hoc disputatione quæramus ; potest enim supervenire aliquis, qui opiniones nostras derideat, nosque pro insanis habeat, qui velimus id, quod nescimus, quale sit, opinari. Verum non opus est longe posita conquirere, unde nemo fortasse veniat, qui nos redarguat. Age, opinemur, quid nunc in foro geratur, quid in curia ; longum est id quoque : dicamus, interposito uno pariete quid fiat ; nemo potest id scire, nisi qui audiverit, aut viderit. Nullus igitur audet id dicere, quia statim non verbis, sed re ipsa præsenti refutabitur. Atqui hoc idem faciunt philosophi, qui disputant in cœlo quid agatur : sed eo se id impune facere arbitrantur, quia nullus existit, qui errores eorum coarguat. Quod si existimarent descensurum esse aliquem, qui eos delirare ac mentiri doceret, nunquam quidquam de iis rebus, quas scire non possunt, disputarent. Nec tamen ideo felicior putanda est eorum impudentia et audacia, quia non redarguuntur : redarguit enim Deus, cui soli veritas nota est, licet connivere videatur, eamque hominum sapientiam pro summa stultitia computat.

VARIORUM NOTÆ.

lib. II Origin., cap. 24, et præterea istic sequitur, *an incredibili celeritate volvatur*. Vide Copernicum, cardinalem de Cusa, Cartesium, aliosque auctores infra laudatos; nempe Macrobium lib. I de Somnio Scipionis, cap. 17; Plinium lib. II, cap. 3; Aristotelem, in libro de Cœlo secundo, de Mundo, et alibi. Cicero de Universitate II. 17 sic : *Maxima itaque una conversione atque eadem ipse circum se torquetur et vertitur.* (*Vide* col. 355, lin. 2).

Quanta sit terræ crassitudo. Macrob. lib. I de Somnio Scipionis, c. 20, colligit, ut ipse prædicat, evidentissimis et indubitabilibus dimensionibus universæ terræ ambitum, quæ ubicumque vel incolitur, vel inhabitabilis jacet, habere stadiorum millia ducenta quinquaginta duo, diametron vero octoginta millia stadiorum, vel non multo amplius habere. Idque ex ratione Eratosthenis, quam sequitur etiam Cleomedes libro I. Lege ad hæc magnam Ptolomæi Constructionem lib. V, cap. 16, et ibidem Theonis Hypomnemata, et Martianum in sua Geometria. Cæterum de terræ magnitudine indeterminate disputat Plato in Phædone. Bet.

Quibus fundamentis librata, etc. Vide Simmiam apud Platonem in Phædonæ ad finem; Ciceronem in Acad. Ptolemæum lib. III, cap. 7. Almagesti.

Disputando. Mss. 1 Bon. antiq., *disputare.*

Arbitremur. Sic restitui ex 13 optimis ac vetustissimis mss. et 4 editis Torn., Soubr., Cellar. et Walch. Scripti 7 rec. et 16 excusi ferunt, *arbitramur.*

Qui naturalia. Non illam calumniatur physicen, quæ medicinæ fundamentum est, ut infra cap. 5 et 6 patebit; sed eam, cujus proprium, ut Laertius inquit, est, disputare de mundo, deque rebus in mundo existentibus.

Recte ergo Socrates, etc. Vel ex ipso Laertio patet, Academiam ex Socratis fluxisse doctrina. Plato siquidem Socratis auditor, Academiam constituit. Academici licet docendi genus optimum quibusdam secuti videntur, quia vero illorum professio in opinionibus duntaxat sita est, vera nobis Carneadis Stoici de ipsis censura videtur, qui opinaturum sapientem, erraturum dixit; qui enim opinatur, nihil scit. Scientia igitur e medio ab ipsis tollitur. Contra Academicorum heresim disserit Augustinus libris tribus, ex re ipsa inscriptis; Epiphanius lib. I. Betul.

Opinatur... quod nescit. L. III, c. 4. Exprimit hic Ciceronem l. IV Tus., c. 11 : *Opinatio est, judicare se scire, quod nesciat.* Bun.

Verius. Ita reposui ex cunctis prope mss. Duo recentissimi cum impressis ferunt *certius ;* tres *veri certius.* Agitur hic de vero. Vide seqq.

In rerum naturam cadunt. Sic restitui in quarto casu ex omnibus ferme mss. et veteribus editis 2 Romanis, Tornes. ac Soubron. Vulgati quamplures cum scriptis 4, *natura.*

Nullus igitur. Hanc lectionem admisi ex cunctis mss. et edit. Cellar. et Walch. In 14 excusis est, *nullus enim.*

Descensurum. Sc. de cœlo. Reimm., *dissensurum*, non male. Pro recepta Livius lib. VI, cap. 18 : *Nunquam propter me de cœlo descendant.* Conf. Lact. l. III, c. 20. Bun.

Licet connivere videatur. At, teste Thomasio, in uno Vaticano codice legitur, *licet conticere videatur*, quod ipsi maxime probatur; aitque *connivere* nil significare, quod ad rem pertinet.

Summa stultitia. De hac vide Paulum, I Cor., cap. III, 19.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Scientiam a Socrate, opinationem a Zenone esse sublatam.

Recte igitur Zeno ac Stoici opinationem repudiarunt. Opinari enim te scire, quod nescias, non est sapientis, sed temerarii potius, ac stulti. Ergo si neque sciri quidquam potest, ut Socrates docuit, nec opinari oportet ut Zeno, tota philosophia sublata est. Quid, quod non tantum ab his duobus evertitur, qui philosophiæ principes fuerunt, sed ab omnibus; ut jam videatur, jampridem suis armis esse confecta. In multas sectas philosophia divisa est; et omnes varia sentiunt. In qua ponimus veritatem? in omnibus certe non potest. Designemus quamlibet: nempe in cæteris omnibus sapientia non erit. Transeamus ad singulas: eodem modo, quidquid uni dabimus, cæteris auferemus. Unaquæque enim secta omnes alias evertit, ut se suaque confirmet; nec ulli alteri sapere concedit, ne se desipere fateatur: sed sicut alias tollit, sic ipsa quoque ab aliis tollitur omnibus. Nihilominus enim philosophi sunt, qui eam stultitiæ accusant. Quamcumque laudaveris, veramque dixeris, a philosophis vituperatur, ut falsa. Credemusne igitur uni sese suamque doctrinam laudanti, an multis unius alterius ignorantiam culpantibus? Rectius sit necesse est, quod plurimi sentiunt, quam quod unus. Nemo enim potest de se recte judicare, quod nobilis poeta testatur. Ita enim comparatam esse hominum naturam omnium, aliena ut melius videant, et dijudicent quam sua. Cum igitur omnia incerta sint, aut omnibus credendum est, aut nemini: si nemini, sapientes ergo non sunt, quia singuli diversa affirmantes, sapientes esse se putant: si omnibus, æque non sunt sapientes, quia singuli ab omnibus esse negantur sapientes. Pereunt igitur universi hoc modo, et tanquam sparti illi poetarum, sic se invicem jugulant, ut nemo ex omnibus restet: quod eo fit, quia gladium habent, scutum non habent.

Si ergo singulæ sectæ multarum sectarum judicio stultitiæ convincuntur, omnes igitur vanæ, atque inanes reperiuntur: ita seipsam philosophia consumit, et conficit. Quod cum intelligeret Arcesilas Academiæ conditor, reprehensiones omnium inter se collegit, confessionemque ignorantiæ clarorum philosophorum, armavitque se adversus omnes. Ita constituit novam non philosophandi philosophiam. Eo igitur auctore, duo philosophiæ genera esse cœperunt: unum, illud vetus, quod scientiam sibi vendicat; alterum, novum repugnans, quod eam detrahit. In his duobus generibus video dissidium, et quasi civile bellum. Sapientiam, quæ detrahi non potest, in qua parte ponemus? Si natura rerum sciri potest, hæc tironum caterva interibit; si non potest, veterani conficientur: si pares fuerint, nihilominus peribit dux omnium philosophia, quia detracta est; nihil enim potest sine interitu sibi esse contrarium. Si autem, ut docui, nulla potest esse in homine interna et propria scientia, ob fragilitatem conditionis humanæ, Arcesilæ manus vincit. Sed ne ipsa quidem stabit, quia non potest omnino nihil sciri.

VARIORUM NOTÆ.

Opinari... te scire. Illud *scire* non debet abesse: hic necessarium, et habent omnes editiones recte. Requirit locus Ciceronis a me ad c. 3 citatus, et Epit. cap. 31: *Opinari autem scire, quod ignores, temeritas ac stultitia est.* BUN.

Scire. Abest *scire* ab Emmanuel. et Gothano mss.

Qui philosophiæ principes fuerunt. Academici et Stoici principes erant philosophorum. Academicæ sectæ fundamentum quasi posuit Socrates; Stoicæ auctor est Zeno.

Comparatam. De quo vide Terent. Heauton. act. III, scen. 1, vs. 97. Hinc nata est sententia, *Neminem in re sua idoneum judicem esse.*

Sparti illi poetarum. Sic legendum censeo cum Jo. Cauci, et Isæo: sic impressum est in Florent., Junt., Aldina 1515 et 1535, Veneta 1509 et 1521, Parrhas., Parisiensi 1525, Antuerp., Graph. 1532, Cratandri ac Gymnici editionibus. *Sparti illi poetarum* sunt homines illi e dentibus serpentis a Cadmo satis orti: fabula notior est, quam ut referri debeat. Hoc saltem addam, spartos illos vocari a Græco nomine σπείρω; hinc σπάρτοι sati, seminati. Hoc verbum Lactant. Latino more scripsit: sic etiam Vulgatus interpres Joan. v, 2, et Plinius Græcum nomen tanquam Latinum scripsere *probata* dicendo pro *ovibus*. Lib. VII, cap. 2, sic Virgil. alicubi, *acta*, quod est ἀκτή, *littus*, dixit. Etiam in hoc Isæo assentior, mendum irrepsisse, eo quod scribæ significationem hujus dictionis non percipientes, et mendum suspicati, pro *sparti*, *spartiatæ* substituerunt. GALLÆUS. — Hanc vocem natam suspicor ex *sparti*, *sati*; quæ ultima dictio per interpretationem in quibusdam veteribus codicibus fuerit addita, et in textum intrusa, ac demum corrupta in τὸ *spartiati*, vel *spartiatæ*, quod est in 28 mss. et 9 editis. Vide et Euripid. in Poenis, et Ovid. l. III Metamorph.

Arcesilas. Novæ seu mediæ Academiæ conditor. Cic., in Acad. quæst., veterem Academiam, Platonicam illam vocat: novam, quæ usque ad Carneadem perducta est, qui quartus ab Arcesila fuit, in eademque Arcesilæ ratione permansit. Cic. lib. III de Orat.: *Arcesilas primum, qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris, sermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus aut animo percipi possit.* BETULEIUS.

Novam non philosophandi philosophiam. Ut Fabius Maximus novum genus pugnandi, non pugnare. Flor. II, 6. FRANCIUS.

Detrahit. Omnium manuscriptorum et vet. edit. Rom. est; *distrahit* editorum rec.

Quasi civile bellum, etc. Cicero in eo lib. qui *Lucullus* inscribitur, affirmat Arcesilam, philosophiam bene constitutam eo evertisse modo, quo Gracchus Tiberius Remp. et in eorum delituisse auctoritate, qui negarent quidquam sciri aut percipi posse: quorum e numero eximit, et Socratem, et Platonem. BET.

Tironum caterva. Intelligit Arcesilæ sectatores, et novos Academicos.

Veterani. Scilicet Platonici.

Sine interitu suo sibi. Addidi *suo* ex Bon., Tax., Pen., Canc., Junt., Cant., Sublac., Rost. Ven., 1471, utraque 78, 93, 97, Pier., Junt., Ald., Parrh., Crat., Gymn., Gryph., Tornes. Non video, quare Thomas. ejusque asseclæ illud *suo* ejecerint. BUN.

Vincit. Sic ex mss. reposui. In editis et 1 Reg. rec. est, *vicit*. Utrumque tamen potest dici.

Digitized by Google

CAPUT V.

Multarum rerum scientiam esse necessariam.

Sunt enim multa, quæ natura ipsa nos scire, et usus frequens, et vitæ necessitas cogit. Itaque pereundum est, nisi scias, quæ ad vitam sunt utilia, ut appetas, quæ periculosa, ut fugias et vites. Præterea multa sunt, quæ usus invenit. Nam solis ac lunæ varii cursus, et meatus siderum, et ratio temporum deprehensa est, et natura corporum a medicis, herbarumque vires, et ab agricolis natura terrarum, nec non imbrium futurorum, ac tempestatum signa collecta sunt. Nulla denique ars est, quæ non scientia constet. Debuit ergo Arcesilas, si quid saperet, distinguere, quæ sciri possent, quæve nesciri. Sed si id fecisset, ipse se in populum redegisset. Nam vulgus interdum plus sapit; quia tantum, tantum opus est sapit. A quo si quæras, utrum sciat aliquid, an nihil, dicet se scire, quæ sciat, fatebitur se nescire, quæ nesciat. Recte ergo aliorum sustulit disciplinas, sed non recte fundavit suam. Ignoratio enim rerum omnium non potest esse sapientia, cujus est scire proprium. Ita cum philosophos expugnaverit, ac docuerit eos nihil scire, ipse quoque nomen philosophi perdidit; quia doctrina ejus est nihil scire. Nam qui alios reprehendit, quod nesciant, ipse debet sciens esse. Cum autem nihil sciat, quæ perversitas, quæve insolentia est, ob id ipsum se philosophum constituere, propter quod cæteros tollat? Possunt enim sic respondere : Si nihil nos scire convincis, et ideo non esse sapientes, quia nihil sciamus; ergone tu quidem es sapiens, quia te quoque confiteris nihil scire? Quid ergo promovit Arcesilas, nisi quod confectis omnibus philosophis, seipsum quoque eodem mucrone transfixit?

CAPUT VI.

De sapientia, et Academicis et Physicis.

Nusquam ne igitur sapientia est? Immo vero inter ipsos fuit : sed nemo vidit. Alii putaverunt, sciri posse omnia; hi sapientes utique non fuerunt; alii nihil, ne hi quidem sapientes fuerunt; illi, quia plus homini dederunt; hi, quia minus : utrisque in utramque partem modus defuit. Ubi ergo sapientia est? Ut neque te omnia scire putes, quod Dei est, neque omnia nescire, quod pecudis. Est enim aliquod medium, quod sit hominis, id est scientia cum ignoratione conjuncta et temperata. Scientia in nobis ab animo est, qui oritur e cœlo; ignoratio a corpore, quod est e terra : unde nobis et cum Deo, et cum animalibus est aliqua communitas. Ita quoniam ex his duobus constamus elementis, quorum alterum luce præditum est, alterum tenebris; pars nobis data est scientiæ, pars ignorantiæ. Per hunc quasi pontem transire sine cadendi periculo licet; nam illi omnes, qui se in alteram partem inclinaverunt, aut dextro, aut sinistro versus ceciderunt. Utraque autem pars quomodo erraverit, dicam. Academici contra Physicos ex rebus obscuris argumentati sunt, nullam esse scientiam, et exemplis paucarum rerum incomprehensibilium contenti, amplexi sunt ignorantiam; tanquam scientiam totam sustulissent, quia in parte sustulerant. Physici contra ex iis, quæ aperta sunt, argumentum trahebant, omnia sciri posse, contentique perspicuis, retinebant scientiam; tanquam totam defendissent, quia ex parte defenderant. Itaque neque hi clara, neque illi obscura viderunt : sed utrique, dum solam scientiam consertis manibus vel retinent, vel eripiunt, non viderunt, in medio constitutam fore, quæ illos ad sapientiam transmitteret.

VARIORUM NOTÆ.

Herbarum vires. Herbariæ medicinæ inventionem Galenus assignat Cheironi Centauro, Macer Artemisiæ. BETULEIUS.

Nec non imbrium. Id ipse Christus concedit Matth. XVI, Lucæ XI. De his Aratus potissimum, et Virgil. in Georg. BETUL.

Debuit ergo Arcesilas. Arcesilas, teste Mela, nihil affirmantis Academiæ antistes, ita omnem rerum scientiam ex hominibus sustulit, ut eam soli Deo reliquerit; ut Epiphanius de eo scribit tom. II, lib. III, de Hæresibus. BETULEIUS.

Se in populum redegisset. In populum redigere dixit, pro eo quod est in ordinem redigere. De quo loquendi modo vide Budæum in L. D. Marcus. ff. de Off. præsidis. — *Se in populum redegisset.* Id est, se vulgo philosophorum annumerasset. Prius *in ordinem redigere*, auctore Prisciano et Raph. Reg. *inter viles et abjectos connumerari* dixit Quintil. I Instit. c. 4. BUN.

Convincis. Manuscriptorum ac 3 vet. edit. Rom., Tornes. et Soubron. est hæc lectio; *conviceris*, cæterorum editorum.

Arcesilas. Mss. pene omnes et vet. edit. Rom. ferunt *Archesilas.* At 1 Reg. vetustissimus et vulgati, *Arcesilas*, cum Diogene Laertio de Vitis Philosophorum.

Confectis. Artis Gladiatoriæ verbum, quod de gladiatore multis vulneribus confosso dicitur. Cicero Catil. II : c. 11 : *Gladiatori illi confecto et saucio.* CELLAR.

Inter ipsos. Sic restitui ex 29 potioribus et antiquioribus mss. Pro *ipsos*, editi et sex rec. scripti reposuerunt *philosophos* ob novi capitis initium; alii 4 et edit. Is. post *ipsos* addiderunt *philosophos*, scilicet glossema ex ora libri admissum in textum.

Ab animo est qui. Masculino genere omnes fere scripti et quinque excusi. In editis 14 est, *ab anima quæ.* Supra, cap. 3, dixit scientiam ab ingenio esse.

Sinistro versus. Sinistrorsus Cæsaris VI. Gall. in meis Lexicis desidero. BUN.

Paucarum rerum. Cum ms. 1 Bonon. Thysius et Gallæus addunt *et.*

Quia. Hic et infra *quam* legendum esse censebat Francius.

Consertis manibus. Proverbium, pro summa contentione : metaphora sumpta a luctantibus. Vel est allusio ad antiquum illum fori morem, quo ex jure manu consertum vocabant. De quo præter Bud. et Erasm. vide Gell. lib. XX, cap. 9. BETUL. — *Consertis manibus.* Sparkius interpretatur, *summo conatu* : significat, *pugnantes*, ut l. V, c. 6 : *Tum inter se* manus conserere *cœperunt.* BUN.

In medio constitutam fore, quæ. Sic fere omnes. Subaudio *scientiam, quæ.* BUN.

Digitized by Google

Verum Arcesilas ignorantiæ magister, cum Zenoni obtrectaret principi Stoicorum, ut totam philosophiam everteret, auctore Socrate, suscepit hanc sententiam, ut affirmaret nihil sciri posse. Itaque coarguit existimationem philosophorum, qui putassent ingeniis suis erutam esse, atque inventam veritatem : videlicet, quia mortalis fuerat illa sapientia, paucisque ante temporibus instituta, ad summum jam incrementum pervenerat, ut jam necessario consenesceret, ac periret, repente extitit Academia, tanquam senectus philosophiæ, quæ illam conficeret jam deflorescentem. Recteque vidit Arcesilas, arrogantes, vel potius stultos esse, qui putent, scientiam veritatis conjectura posse comprehendi. Sed tamen falsa dicentem redarguere non potest, nisi qui scierit ante, quid sit verum : quod Arcesilas veritate non cognita facere conatus, introduxit genus philosophiæ ἀσύστατον quod latine instabile, sive inconstans possumus dicere. Ut enim nihil sciendum sit, aliquid sciri necesse est. Nam si omnino nihil scias, id ipsum, nihil sciri posse, tolletur. Itaque qui velut sententiæ loco pronuntiat, nihil sciri, tanquam præceptum profitetur et cognitum, ergo aliquid sciri potest.

Illuic simile est illud, quod in scholis proponi solet in asystati generis exemplum; somniasse quemdam, ne somniis crederet. Si enim crediderit, tum sequitur ut credendum non sit. Si autem non crediderit, tunc sequitur ut credendum sit. Ita si nihil sciri potest, necesse est, id ipsum sciri, quod nihil sciatur. Si autem scitur, posse nihil sciri, falsum est ergo, quod dicitur, nihil posse sciri. Sic inducitur dogma sibi ipsi repugnans, seque dissolvens. Sed homo versutus, cæteris philosophis voluit scientiam eripere, ut eam domi absconderet. Nam sibi illam profecto non adimit, qui aliquid affirmat, ut cæteris adimat : sed nihil agit; apparet enim, ac furem suum prodit. Quanto faceret sapientius ac verius, si exceptione facta, diceret, causas rationesque duntaxat rerum cœlestium, seu naturalium, quia sunt abditæ, nec sciri posse, quia nullus doceat, nec quæri oportere, quia inveniri quærendo non possunt. Qua exceptione interposita, et physicos admonuisset, ne quærerent ea quæ modum excederent cogitationis humanæ; et seipsum calumniæ invidia liberasset; et nobis certe dedisset aliquid, quod sequeremur. Nunc autem cum ab illis sequendis nos retraxerit, ne velimus plus scire, quam possumus, non minus a se quoque ipso retraxit. Quis enim velit laborare, ne quidquam sciat? aut ejusmodi suscipere doctrinam, ut etiam communem scientiam perdat? Quæ si doctrina est, scientia constet necesse est; si non est, quis tam stultus est, ut discendum id putet, in quo aut nihil discitur aut etiam dediscitur? Quare si neque omnia sciri possunt, quod physici putaverunt, neque nihil, quod Academici, philosophia omnis extincta est.

CAPUT VII.

De philosophia ethica et summo bono.

Transeamus nunc ad alteram philosophiæ partem, quam ipsi moralem vocant, in qua totius philosophiæ ratio continetur; si quidem in illa physica sola oblectatio est, in hac etiam utilitas. Et quoniam in disponendo vitæ statu, formandisque moribus, periculo majori peccatur, majorem diligentiam necesse est adhiberi, ut sciamus quomodo nos oporteat vivere. Illic enim potest venia concedi; quia sive aliquid

VARIORUM NOTÆ.

Socrate. De qua Socratis doctrina copiose et eleganter disserit Xenophon, de Dictis et Factis Socratis non longe ab initio.

Suscepit hanc sententiam, etc. De qua Cic. de Orat. l. III : *Arcesilas primum qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris, sermonibusque Socraticis, hoc maxime arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus, aut animo percipi possit.* Arnob., lib. II : *Qui nihil ab homine comprehendi, atque omnia cæcis obscuritatibus involuta, non Arcesilæ, Carneadæ credit?* Lucretius hanc sententiam refellit lib. IV :

> Denique nil sciri si quis putat, id quoque nescit
> An sciri possit, quum se nil scire fatetur, etc.
>
> GALLÆUS.

Existimationem. Sic restitui ex manuscriptis. Editi habent *æstimationem.*

Mortalis. Ed. Sublac. habet *immortalis.*

Repente extitit Academia. Intellige, nova. De triplici Academia, vetere, media, nova, doctissime disserentem lege Georg. Horn. lib. III, cap. 20 Histor. philosoph.

Ἀσύστατον. Nam apud dialecticos Græci. ἀσύστατον, Latini *insolubile* vocant, fallaciarum genus, ut, Nihil scio. Igitur hoc scis, quod nihil scis.

Ut enim nihil sciendum. Ita omnes mss. præter recentissimos 1 Reg. et 1 Clarom. qui post *nihil* inserunt *sciri posse*, ut et editi quatuor. De hoc Socratis dicto vide Lærtium in Socrate et Platonem in Alcib. II. — *Ut enim nihil scire posse sciendum sit.* Jun., Lips. alter, Gothan., Sublac., Rost., Ven. 1471, utraque 78, 93, 97, Pier., Parr., Paris., Crat., Ald., Gymn.. *Ut enim nihil sciendum sit.* BUN.

Nihil agit. Nihil agere proverbialiter dicuntur ii, qui sumunt inanem operam; unde verbum, satius est otiari quam nihil agere. — *Nihil agit.* Elegans formula; id est, *nihil promovet.* Lact. l. v, cap. 14 : *Sed nihil fortasse apud ipsos agamus.* De Ira cap. 22 : *Ne nihil apud istos agamus.* Cic. pro Rosc. Amerino, cap. 45 : *Quæ omnia si . . . in patronum voluerit conferre*, nihil egerit. BUN.

Furem suum prodit. Hanc restitui lectionem, quæ cunctorum ferme mss. est et vet. edit. Rom. 1470. Cæteri editi cum 1 Reg. rec. a secunda manu habent *furtum.* 1 Reg. veterrimus, *furorem.* Et illi philosophi dicuntur *furiosi litigatores*, infra capitis 8 initio.

Exceptione facta. Exceptio apud Jureconsultos est actionis exclusio.

Nec sciri posse. Ita lectio quæ est 3 Reg. veter. et 1 Clarom. verior et melior nobis visa est, quam aliorum *nesciri posse.* Vide seq.

Non possunt, legitur *non possint*, apud Buneman. qui hujus vocis sic rationem reddit.—Edo in conjunctivo ex Goth. et Lips. secundo, *non possint*; præcessit enim *quia doceat.* Idem Heumann. vidit. BUN.

Ab aliis. Sic lego cum omnibus pene mss. et ed. Tornes. ac Soubron. In 5 rec. scriptis et editis est, *ab his.*

Quam possumus. Ita omnes fere mss. et ed. Paris. 1525. Cæteræ editiones cum 6 scriptis rec., *possimus.*

Aut etiam dediscitur. Etiam in mss. est; *aut omnino dediscitur* in editis.

Digitized by Google

dicunt, nihil prosunt, sive delirant, nihil nocent. Hic vero nullus dissidio, nullus errori est locus. Unum sentire omnes oportet, ipsamque philosophiam uno quasi ore præcipere; quia si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. In illa priori parte ut periculi minus, ita plus difficultatis est; quod obscura rerum ratio cogit diversa et varia sentire. Hic ut periculi plus, ita minus dificultatis; quod ipse usus rerum et quotidiana experimenta possunt docere, quid sit verius, et melius. Videamus ergo, utrumne consentiant, aut quid nobis afferant, quo rectius vita degatur. Non necesse est omnia circuire. unum eligamus, ac potissimum, quod est summum ac principale, in quo totius sapentiæ cardo versatur. Epicurus summum bonum in voluptate animi esse censet; Aristippus in voluptate corporis; Callipho et Dinomachus honestatem cum voluptate junxerunt; Diodorus cum privatione doloris. Summum bonum posuit Hieronymus in non dolendo; peripatetici autem in bonis animi, et corporis, et fortunæ. Herilli summum bonum est scientia; Zenonis, cum natura congruenter vivere: quorumdam stoicorum, virtutem sequi; Aristoteles in honestate ac virtute summum bonum collocavit. Hæ sunt fere omnium sententiæ. In tanta diversitate, quem sequimur? cui credimus? Par est in omnibus auctoritas. Si eligere pos-

VARIORUM NOTÆ.

Quod est summum. Quæ philosophorum fuerint de finibus, vel summo bono dogmata, vide apud Ciceronem in II Academicarum quæstionum. Item et lib. II de Finibus. Adeas et S. Augustinum, lib. XVIII de Civitate Dei.

Cardo versatur. Sic Reimm. et omnes. *Puto*, inquit Heumannus, *scribendum esse*, vertitur. At confirmat receptam *versatur*, ipse Lactantius lib. de Ira, cap. 6: *In eo summa omnis et* cardo *religionis pietatisque* versatur. BUNEMAN.

Epicurus summum bonum in voluptate animi esse censet. Est optima sententia, quam deinde ii, qui inepte illum sequebantur, sinistre sunt interpretati. Præter Gassendum, consulatur hic Stanleius Histor. Phil., pag. 1052. WALCHIUS — Lactantius, sibi parum constans, infra cap. 17, illum voluptatis corporis assertorem, et cap. 27, voluptarium hominem nominat; ex. Cicer. secunda Tuscul., Senecam quidem maximum stoicorum, quorum dogmata vehementer a corporis voluptatibus abhorreni, Epicuri studiosissimum fuisse ex ejus epistolis constat, quas ferme omnes aliquo Epicuri præcepto concinsas voluit, ejusque de illo sententiam habes cap. 12 et 13, de Vita beata. Quodnam autem summum bonum, et quam voluptatem finem esse dicat Epicurus, suam ipsemet sententiam enuntiat in epistola ad Menæceum apud Laertium in Epicur. claris disertisque verbis, cujus sententiæ meminit quoque Cicero in primo de Finibus. Petrus Victor., Variar. Lect. lib. XXVII, c. 14, persimilem eum Socrati fuisse contendit; et Laertius testatur, plerosque asseruisse illum continentissimum, adeo ut aqua tantum et cibario pane contentus fuerit. ISÆUS. — In sequenti capite videbimus, quatenus animi voluptas Epicuro sit finis bonorum.

Aristippus. A Lactantio infra depingitur tanquam omnium Scenarum homo, qui quæ id unicum sibi propositum habuerit, cujusvis ingenio mentem suam ac mores accommodaret. Extat hujus Vita apud Laertium lib. II. Multa de hujus asotia lege apud Athenæum, lib. XII δειπνοσοφιστικῶν. Ex Ecclesiasticis porro hujus dogma notat Epiphanius tom. II. lib. III, contra Hæreses. Contra eos qui voluptatem bonorum finem constituunt, disputat etiam Arist. in X Moralium. BETUL.

Callipho. Cicero lib. II de Finib., cap. 6: *Callipho adjunxit ad honestatem voluptatem;* et lib. IV Acad., c. 45, fin. BUN.

Callipho et Dinomachus. Multi mss. et editi addunt, sed perperam, *Cyrenaici*, quam vocem respuunt tres mss. Reg quorum duo sunt omnium antiquissimi. Et quidem eos a Cyrenaicis distinguunt Cicero, l. III de Officiis sub finem, et Lactantius hic et infra cap. 8, necnon lib. VII, cap. 7. Et merito; bi enim ambo philosophi, qui in summo bono statuendo honestatem cum voluptate jungebant, alieni profecto erant ab Aristippi sententia, qui summum bonum in solis corporeis voluptatibus statuebat: discrepant immane quantum. Sane quidem Cyrenaicorum principem fuisse Aristippum, eamque philosophorum sectam ab eo fluxisse, testes sunt Cicero ad fin Lucull., et III Offic., Strabo, in fine XVII, Laert., in Aristip.; Suidas, litter. K: quin et Lactant. ipse hoc eodem libro cap. 15. *Partim ex* ISEO. — Hinc ait Cicero de Aristippo loquens, *unde Cyrenaici*, et a Cyrenenaicis distinguit Calliphonem. De Calliphone et Dinomacho vide apud Ciceronem lib. V, de Finibus, unde hæc Lactantius desumpsit. — *Callipho et Dinomachus honestatem.* In Epit. cap. 33. *Dinomachus et Callipho honestam voluptatem probaverunt.* BUNEMAN.

Diodorus cum privatione doloris. Summum bonum posuit Hieronymus in non dolendo. Sic nonnulli mss. inter quos 2 Reg. et 1 Colb. ac 3 vet. edd. et Epitom cap. 56, et sic omnino legendum et interpungendum esse hunc locum, ut olim Ciacconius animadvertit, et ratio ipsa, et Cicero, ex quo ferme omnia hæc mutuatus est Lactantius, pervincunt. Nam si legas: *Diodorus in privatione doloris summum bonum posuit: Hieronymus in non dolendo*, ut vulgo legitur, quæ erit differentia inter opinionem Diodori, et Hieronymi? At constat ex Cicerone, hoc interesse, quod Diodorus non simpliciter in non dolendo summum bonum ponebat, sed cum vacuitate doloris honestatem jungebat. Hieronymus vero id simpliciter, nullo adjecto, in non dolendo statuebat. Vide Ciceron. l. II de Fin., paulo post initium. ISÆUS. — Diodori multi fuere philosophiæ addicti; sed is de quo hic est sermo, Socratis fuit discipulus: Hieronymus ille Rhodius fuit philosophus. Alius est profecto a S. Hieronymo.

Peripatetici. Quid stoici a peripateticis differant, et quæ tria sint peripateticorum genera, lege apud Cic. in IV de Finibus; apud ipsum peripateticorum principem, lib. Moralium I, cap. 8. BETULEIUS.

Herilli. Hic fuit Chalcedonius, vel potius Carthaginensis, ὁ Καρχηδόνιος, ait Laertius. Zenonis discipulus erat; ac de eo vide Ciceronem in IV Academicar. quæstion. et lib. II de Finibus. Herillus porro ad scientiam omnia revocans, unum quoddam bonum vidit. Sed nec optimum, nec quo vita gubernari possit. Itaque hic ipse jampridem est rejectus.

Zenonis Hæc Cicero antiquis peripateticis tribuit. Sed ille idem Cicero refert, Zenoni summum bonum esse id quod ducitur a conciliatione naturæ. Memineris interim, Zenonem προηγμένα dicere, quæ alii bona vocant: quæ Latinorum alii præentia, alii producta interpretantur, de quibus forte alibi plura. BETULEIUS.

Stoicorum. Extat sub S. Augustini nomine inscriptus liber de stoicis et Epicureis, in quo ait: *Epicuro finis bonorum est voluptas corporis, stoico virtus animi, christiano donum Dei.*

In omnibus. Heumannus delet *in*, juxta sex veteres editiones.

Digitized by Google

sumus quod est melius, jam non est philosophia nobis necessaria, quia sapientes jam sumus, qui de sapientium sententiis judicemus. Cum vero discendæ sapientiæ causa veniamus, qui possumus judicare, qui nondum sapere coeperimus? maxime cum præsto adsit academicus, qui nos pallio retrahat, ac vetet cuiquam credere, nec tamen afferat ipse quod sequamur.

CAPUT VIII.

De summo bono, et animi corporisque voluptatibus et virtute.

Quid ergo superest, nisi ut, omissis litigatoribus furiosis ac pertinacibus, veniamus ad judicem illum, scilicet daterem simplicis et quietæ sapientiæ? Quæ non tantum formare nos, ac inducere in viam possit, verum etiam de controversiis istorum ferre sententiam. Hæc nos docet, quid sit hominis verum ac summum bonum: de quo priusquam dicere incipio, illæ omnes sententiæ sunt refellendæ, ut appareat neminem illorum fuisse sapientem. Cum de officio hominis agatur, oportet summum summi animalis bonum in eo constitui, quod commune cum cæteris animalibus esse non possit. Sed ut feris dentes, armentis cornua, volucribus pennæ, propria sunt: sic homini aliquid suum debet adscribi, sine quo rationem suæ conditionis amittat. Nam quod vivendi aut generandi causa datum est omnibus, est quidem bonum naturale; summum tamen non est, nisi quod est unicuique generi proprium. Sapiens ergo non fuit qui summum bonum credidit animi voluptatem, quoniam illa sive securitas, sive gaudium est, communis est omnibus. Aristippo ne respondendum quidem duco, quem semper in corporis voluptates ruentem, nihilque aliud quam ventri et Veneri servientem, nemini dubium est hominem non fuisse; sic enim vixit, ut nihil inter eum pecudemque distaret, nisi unum, quod loquebatur. Quod si asino, aut cani, aut sui facultas loquendi tribuatur, quærasque ab his, quid sibi velint, cum feminas tam rabide consectantur, ut vix divelli queant, cibos etiam, potumque negligant? cur aut alios mares violenter abigant, aut ne victi quidem absistant, sed a fortioribus sæpe contriti, eo magis insectentur? cur nec imbres, nec frigora pertimescant, laborem suscipiant, periculum non recusent? Quid aliud respondebunt, nisi summum bonum esse corporis voluptatem? eam se appetere, ut afficiantur suavissimis sensibus; eosque esse tanti, ut assequendorum causa, nec laborem sibi ullum, nec vulnera, nec mortem ipsam recusandam putent. Ab hisne igitur præcepta vivendi petemus, qui hoc idem sentiunt, quod animæ rationis expertes?

Aiunt Cyrenaici virtutem ipsam ex eo esse laudandam, quod sit efficiens voluptatis. Verum, inquit obscœnus canis, aut sus ille lutulentus. Nam ideo cum adversario summa virium contentione depugno, ut virtus mea pariat mihi voluptatem, cujus expers sim necesse est, si victus abcessero. Ab his ergo sapere discemus, quos a pecudibus ac belluis, non sententia, sed lingua discernit? Privationem doloris

VARIORUM NOTÆ.

Veniamus. Ex mss. et multis editis restitui; in nonnullis est *venimus.*

Qui. Addidi ex potioribus et vetustis mss. Reg. aliisque, et editis decem: in nonnullis omissum, in pluribus est *quid.*

Nos pallio retrahat. Isidorus dictum putat *Pallium a pellibus, quia prius super indumenta pellicea veteres induebantur, quasi pellea, sive a palla, per derivationem.* Philosophorum propria hæc vestis fuit, ut apparet ex dicto Herodis Attici apud Gellium lib. IX: *Video,* inquit, *barbam et pallium, philosophum non video.* Apud Græcos etiam in usu præcipue fuit. Hinc palliati sumuntur pro Græcis, sicut pro Romanis togati. Dictæ propterea fabulæ palliatæ, in quibus inducebantur Græci, sicut togatæ in quibus Romani. Communem utrique sexui fuisse vestem, colligi potest ex Ulpiano, Tacito, qui *promiscua* appellat *pallia.* Martialis:

Hanc velo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur.

Scripsit quoque Lampridius, *Matronas regias contentas esse debere unico pallio, auro sparso.* Etiam in lecto usos fuisse veteres, significare videtur Ovid. lib. I Amor., Eleg. 2:

Nec in lecto pallia nostra sedent.

Omissis litigatoribus furiosis. Ita cum cunctis prope editis manuscripti omnes, præter 3 scriptos et 4 excusos, in quibus est *litigationibus.* At *litigatoribus,* adjuncta *furiosis ac pertinacibus* flagitant. Hunc locum sic exhibet antiquissimus 1 Bonon. codex: *Quid ergo superest, nisi ut obvias his litigatoribus furiosis et pertinacibus manus demus ad judicem?* Non igitur legendum est *litigationibus*; quia, ut recte ait Thomasius, non de contentionibus et litigationibus hic agitur, sed de hominibus contentiosis et litigatoribus.

Sapientiæ? quæ. Sic reposui ex mss. 6 Reg., 2 Bonon., Cauc., et 11 aliis ac vulgatis Tornes. et Walch. In 4 scriptis rec., et 10 excusis, *qui.*

Hæc nos. Idem mss. qui supra. In 1 Reg. rec. et in vulgatis, *Hic nos.*

Summi animalis. Id est hominis; atque in eo explicando summo bono totum hoc caput occupatur.

Non fuit. Is est Epicurus.

Communis est. Ita ferunt omnes editi et mss. præter 1 Bonon. antiq., 1 Reg. rec. et 1 Colb., in quibus est, *commune.*

Quem semper in corporis voluptates ruentem. Legit Buneman.: *Quem corporis semper voluptatem tuentem* atque in hunc locum notam sequentem exhibet.— Ita edo (inquit); nam plures scripti e editi in singulari, *voluptatem,* rectius. Est quidem et altera lectio, *in corporis voluptates ruentem,* elegans. quam Lips., Sublac., Ven. 1471, Rost., Gryph., Tornes., Thom. et recentiores habent, ut Lact. l. VI, cap. 23: Ut *in hos affectus avidissime ruerent.* BUN.

Cum fœminas tam rabide consectantur. Virgilius de equis, seu equabus:

Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem
Ascanium. in Georgic., v. 270. FRANCIUS.

Tam rabide consectantur. Ut Cicero V Tuscul., 6: *Quem libidinibus inflammatum et furentem videmus omnia* rabide *appetentem cum inexplicabili cupiditate.* BUN.

Cyrenaici. Vide apud Cicer. in fin. II, de Offic.

Virtutem ex eo esse laudandam. Ita cum 5 editis omnes fere mss. At in uno Colbertino et Cauc. ac editis 11 est *ex eo ipso*; in 1 Colb., *ex eo solo.*

Sus et canis. Duo quasi symbola quædam gulæ et

Digitized by Google

summum bonum putare, non plane peripateticorum ac stoicorum, sed clinicorum philosophorum est. Quis enim non intelligat ab ægrotis et in aliquo dolore positis esse hoc disputatum? Quid tam ridiculum, quam id habere pro summo bono, quod medicus possit dare? Dolendum est ergo, ut fruamur bono, et quidem graviter ac sæpe, ut sit postea, non dolere, jucundius. Miserrimus est igitur, qui nunquam doluit; quia bono caret: quem nos felicissimum putabamus, quia malo caruit. Ab hac vanitate non longe abfuit, qui, omnino nihil dolere, summum bonum dixit. Nam præter quod omne animal doloris est fugiens, quis potest sibi hoc bonum præstare, quod nobis ut eveniat, nihil aliud possumus quam optare? Summum autem bonum non potest efficere quemquam beatum, nisi semper fuerit in ipsius potestate: hoc autem non virtus homini, non doctrina, non labor, sed natura ipsa cunctis animantibus præstat. Qui voluptatem cum honestate junxerunt, communionem hanc effugere voluerunt, sed effecerunt repugnans bonum; quoniam qui voluptati deditus est, honestate careat necesse est, qui honestati studet, voluptate.

Peripateticorum bonum nimium multiplex, et exceptis animi bonis, quæ ipsa quæ sint, magna contentio est, commune cum belluis potest videri. Nam corporis bona, id est, incolumitas, indolentia, valetudo, non minus sunt mutis, quam homini necessaria; ac nescio an etiam magis, quia homo et medelis, et ministeriis sublevari potest, muta non possunt. Item, quæ appellant fortunæ bona; nam sicut homini opibus ad vitam tuendam, ita illis præda et pabulis opus est. Ita inducendo bonum, quod non sit in hominis potestate, totum hominem alienæ ditioni subjugarunt. Audiamus etiam Zenonem; nam is interdum virtutem somniat. Summum, inquit, est bonum, cum natura consentanee vivere. Belluarum igitur nobis more vivendum est. Nam quæ abesse debent ab homine, in iis omnia deprehenduntur: voluptates appetunt, metuunt, fallunt, insidiantur, occidunt; et, quod ad rem maxime attinet, Deum nesciunt. Quid ergo me docet, ut vivam secundum naturam, quæ ipsa in deterius prona est, et quibusdam blandimentis lenioribus in vitia præcipitat? Vel si aliam mutorum, aliam hominis dicit esse naturam, quod homo ad virtutem sit genitus, nonnihil dicit: sed tamen non erit definitio summi boni; quia nullum est animal, quod non secundum naturam suam vivat.

Qui scientiam summum bonum fecit, aliquid homini proprium dedit: sed scientiam alterius rei gratia homines appetunt, non propter ipsam. Quis enim scire contentus est, non expetens aliquem fructum scientiæ? Artes ideo discuntur, ut exerceantur: exercentur autem, vel ad subsidia vitæ, vel ad voluptatem, vel ad gloriam. Non est igitur summum bonum, quod non propter se expetitur. Quid ergo interest utrum scientiam summum bonum putemus, an illa ipsa, quæ scientia ex se parit, id est, victum, gloriam, voluptatem? quæ non sunt homini propria, et ideo ne summa quidem bona. Nam voluptatis et victus appetentia non homini solum, sed etiam mutis inest. Quid cupiditas gloriæ? nonne in equis deprehenditur, cum victores exultant, victi dolent?

VARIORUM NOTÆ.

libidinis. Sic eos conjungit Petrus II Epist., cap. II, 22, ac Virgilius canem obscœnum vocat; et juxta Horatium, *amica luto sus.*

Non plane peripateticorum. Janus Guillielmi, in quæst. ad Plaut. Menæch., cap. 4, putat legendum, *plano peripateticorum;* ut nova compositione verbi, inconstantiam disserendi, et simul erraticam ambulationem Aristotelicorum Lactantius exagitarit: errones enim planos dici notum est. Isæus.

Sed clinicorum. Ms. *Clynicorum.* Nihil enim certius, quam reliquisse Lactant. *Clinicorum philosophorum.* Clinicos philosophos ridicule dicit, ægrotos lectis affixos, et de valentium vita beata disputantes, ea quæ præsens ægritudo dictat: alludens ad clinicos medicos, qui ex Hippocratis secta lectos ægrotorum ambiunt, et curationes præscribunt. Janus Guilielmi. — Hanc emendationem et nos probamus, ac præter supra laudatum codicem, ita haberi scito in 3 Regiis quorum duo sunt vetustissimi, in 2 Colb., Canc., Vict., Lips., Pal., Em., Ultr., Brun., itemque in aliis 1 Reg., 1 Colb. et 1, Clarom.; in his 3 postremis videtur fuisse a prima manu, *Clinicorum.* Mss. Navar. et 1 Clarom. a secunda manu *Ethnicorum;* ms. Marm., *Chinicorum,* mendose, pro *Clinicorum,* quæ est genuina lectio. Quippe Lactantius subjungit: *Quis enim non intelligat, ab ægrotis et in aliquo dolore positis esse hoc disputatum.* Sic apud Cyprianum epist. 69, ad Magnum: *Non interrogentur utrumne clinici sint, an peripatetici; id est utrum disputantes ambulent ut peripatetici, aut stoici qui in porticu solebant disserere; an decumbant in lectis gravissimo morbo laborantes, ut clinici.* Clinicus enim vocabatur, qui sine ulla salutis spe de lecto surgere non poterat. Quædam tamen editiones, atque inter eas Colon. 1544, Betul. 1563, Torn. 1567, legunt *Cynicorum* loco voculæ istius *Clinicorum.*

Præter quod. Heumannus legit, *præterquam quod,* juxta editionem 1497.

Quis. Reposui ex mss. et 4 vet. editis; in cæteris vulgatis est, *qui.*

Et exceptis. Ex multis antiquioribus et potioribus mss. addidi voculam *et,* quæ recentioribus quatuor vulgatis deest.

Indolentia. Vox Ciceronis ævo non recepta, ab ipso tamen Tullio usurpata, lib. II de Fin., cap. 4, et de Officiis l. III, c. 3.

Sicut... sic. Reddidi *sicut... sic* ex Bon., Tax., Pen., Ultr., Lips. 2, 3. Quia hæc particularum consecutio rarior, pro *Sic,* notius *ita* editi substituerant. Lactantius l. II, cap. 9: *Sicut lux Orientis... sic Occidentis tenebræ;* l. III, cap. 4: *Sicut tollit... sic... tollitur.* Buneman.

Zenonem. De quo vide apud Cic. lib. IV de Finib., Laert. in Zenon. Cittiæo.

In iis omnia deprehenduntur. Ita restitui ex mss. antiquissimis 2 Reg., 1 Bon., 2 al. Reg., Lips., Pal., ed. Tornes. ac Soubron. In 9 rec. scriptis et in excusis est, *in his omnibus.*

Quæ ipsa in deterius prona est. Correxi *quæ,* ex cunctis mss. præter 3 Jun., Tax., Pen. et edit. in quibus est, *quia.*

Vel. Reposui ex omnibus mss. et veteribus editis Rom., Tornes. ac Soubron. Cæteri vulgati habent, *sed.*

Sed scientiam, etc. Removet Herilli dogma per causam finalem. Nam si ad studium aliquod honcs-

Digitized by Google

Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ.

Nec immerito summus poeta experiendum esse ait,

Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.

Quod si ea, quæ parit scientia, communia sunt cum aliis animalibus, non est ergo summum bonum scientia. Præterea non mediocre hujus definitionis est vitium quod scientia nuda ponitur. Incipient enim beati omnes videri, qui artem aliquam scierint, immo vero qui et res malas scierint; ut tam beatus sit, qui venena didicerit temperare, quam qui mederi. Quæro igitur, ad quam rem scientia referenda sit? Si ad causas rerum naturalium, quæ beatitudo erit mihi proposita, si sciero unde Nilus oriatur, vel quidquid de cœlo physici delirant? Quid, quod earum rerum non est scientia, sed opinatio, quæ pro ingeniis varia est. Restat ut scientia bonorum ac malorum summum bonum sit. Cur ergo scientiam maluit, quam ipsam sapientiam summum bonum dicere, cum sit utriusque significatio et vis eadem? Nemo tamen usque adhuc summum bonum dixit esse sapientiam, quod melius dici potuit. Nam scientia parum est ad bonum suscipiendum, malumque fugiendum nisi accedat et virtus. Multi enim philosophorum, cum de bonis, malisque dissererent, aliter tamen, quam loquebantur, natura cogente, vixerunt, quia virtute caruerunt. Virtus autem cum scientia conjuncta est sapientia.

Superest ut eos etiam refellamus qui virtutem ipsam summum bonum putaverunt, in qua opinione etiam M. Tullius fuit; in quo multum inconsiderati fuerunt. Non enim virtus ipsa est summum bonum, sed effectrix et mater est summi boni; quoniam perveniri ad illud sine virtute non potest. Utrumque intellectu est facile. Quæro enim, utrumne ad præclarum illud bonum facile perveniri putent, an cum difficultate ac labore? Expediant acumen suum, erroremque defendant. Si facile ad illud, ac sine labore perveniri potest, summum bonum non est. Quid enim nos cruciemus, quid conficiamus, enitendo diebus et noctibus? quandoquidem tam in promptu id quod quærimus jacet, ut illud quilibet sine ulla contentione animi comprehendat. Sed si commune quoque ac mediocre quodlibet bonum non nisi labore assequimur quoniam bonorum natura in arduo posita est, malorum in præcipiti, summo igitur labore summum bonum assequi necesse est. Quod si verissimum est, ergo altera virtute opus est, ut perveniamus ad eam virtutem quæ dicitur summum bonum: quod est incongruens, et absurdum, ut virtus per seipsam perveniat ad seipsam. Si non potest ad ullum bonum nisi per laborem perveniri, apparet virtutem esse, per quam perveniatur; quoniam in suscipiendis perferendisque laboribus, vis officiumque virtutis est.

Ergo summum bonum non potest esse id, per quod necesse est ad aliud perveniri. Sed illi, cum ignorarent quid efficeret virtus, aut quo tenderet, honestius autem nihil reperirent, substiterunt in ipsius virtutis nomine, quam nullo proposito emolumento, appetendam esse dixerunt, et bonum sibi constituerunt, quod bono indigeret. Aristoteles ab iis non longe recessit, qui virtutem cum honestate summum bonum putavit: quasi possit ulla esse virtus nisi honesta, ac non, si quid habuerit turpitudinis, virtus esse desinat. Sed vidit fieri posse, ut de virtute pravo judicio male sentiatur; et ideo existimatione hominum serviendum putavit, quod qui facit, a recto bonoque discedit, quia non est in nostra potestate ut virtus pro suis meritis honestetur. Nam quid est honestas, nisi honor perpetuus ad aliquem secundo populi rumore delatus?

VARIORUM NOTÆ.

tum applicamus animum, vel opum, vel honoris acquirendi causa, illi incumbimus. Acquisita jam per industriam illius rei scientia, non amplius finalis, sed effectrix illius rei causa erit, quam instituimus. BERTULEIUS.

Tantus. Carmen est Virgilii ex libro III Georgic., v. 112, ac sequens legitur v. 102, ubi poeta equorum generosorum naturas describit; qua de re extat etiam Xenophontis libellus.

Tantæ est. In mss. 1 Reg. veterrimo et 1 Clarom. desideratur *est;* in Regio-Put. et 7 aliis scriptis legitur, *tanta est.*

Definitionis. Restitui ex antiquissimis mss. 2 Reg., 2 Bonon., 16 aliis et 8 editis, accedentibus 8 scriptis in quibus est, *diffinitionis;* in ms. Tornesiano et 9 impressis est *disputationis.* At recte emendatum est, *definitionis*; nam ut recte monet Thomas non agitur eo loci de disputatione, sed definitione, vel potius sententia eorum, qui putabant summum bonum esse scientiam.

Scientia nuda. 1 Colb. et 1 Brun., *nude.*

Beati omnes. Sic restitui ex antiquissimis mss. 1 Reg., Cauc., et 1 Bonon., 3 al. Reg., Betul., Ultr., aliisque multis et editis Tornes. ac Soubron. melius quam *beatiores* cæterorum: hic enim, ut recte ait Thomasius, auctor noster non loquitur de majori beatitudine; sed simpliciter docet necessario sequi ex illius sententia, qui scientiam summum bonum putabat, ut omnes qui aliquam artem licet turpem sciverint, beati sint appellati.

Opinatio. Sic reposui ex omnibus pene mss. et edit. Rom. 1470. Sic et alibi passim Lactantius: mss. 2 rec. et 12 edit. habent *opinio.*

Usque adhuc. Plin. l. v, ep. 6. extr.: *Usque adhuc certe neminem... amisit. Lib.* x, ep. 30: *Quod usque adhuc factum.* BUNEMAN.

Qui virtutem ipsam. Addidi *ipsam* ex ms. et editis tribus. Cæteris vulgatis deest, delendumque putat Heumannus.

M. Tullius. Quam vide Cic. VII Tuscul. et IV et V de Finib. ac I de Legib.

Comprehendat. Aptius ex mss. et editis, quam *deprehendat,* in vulgatis. Quia comprehendere magis refertur ad intelligentiam, de qua hic tractatur.

Per quod necesse est ad aliud perveniri. Ita rectius legas ex omnibus mss., et sex editis codicibus, quam *propter quod,* vitiose in cæteris impressis. Lactantius enim loquitur de medio *per quod* pervenitur; et supra dixerat, *per laborem, per virtutem,* etc. In scriptis quinque rec. est *ad illud* pro *ad aliud* cæterorum. *Ex* ISÆO.

Indigeret. Sic plerique mss. cum edit. Gymnic., Tornes., et antiqua Versione Gallica, *et se sont constitués en un bien qui en avait besoin d'un autre.* In nonnullis mss., et plerisque impressis est *indigerent.*

Aristoteles. Peripatetici, inquit Theodoretus, laudant virtutem, reipsa voluntati student.

Digitized by Google

Quid ergo flet, si errore ac pravitate hominum, mala existimatio subsequatur? abjiciemusne virtutem, quia flagitiosa et turpis ab insipientibus judicetur? Quæ quoniam invidia premi, ac vexari potest, ut sit ipsa proprium ac perpetuum bonum, nullo extrinsecus adjumento indigere debet, quin suis per se viribus nitatur, et constet. Itaque nec ullum ei ab homine bonum sperandum est, nec ullum malum recusandum.

CAPUT IX.

De summo bono, et de cultu veri Dei; atque Anaxagoræ refutatio.

Venio nunc ad veræ sapientiæ summum bonum, cujus natura hoc modo determinanda est. Primum, ut solius hominis sit, nec cadat in ullum aliud animal; deinde, ut solius animi, nec communicari possit cum corpore; postremo, ut non possit cuiquam sine scientia et virtute contingere. Quæ circumscriptio illas omnes sententias excludit, ac solvit; eorum enim quæ dixerunt, nihil tale est. Dicam nunc, quid sit; ut doceam (quod institui) philosophos omnes cæcos atque insipientes fuisse qui, quod esset homini summum bonum constitutum, nec videre, nec intelligere, nec suspicari aliquando potuerunt. Anaxagoras, cum ab eo quæreretur cujus rei causa natus esset, respondit, cœli ac solis videndi. Hanc vocem admirantur omnes ac philosopho dignam judicant. At ego hunc puto non invenientem quid responderet, effudisse hoc passim, ne taceret. Quod quidem secum, si sapiens fuisset, commentatum et meditatum habere debuit: quia si quis rationem sui nesciat, nec homo sit quidem. Sed putemus non ex tempore dictum illud effusum. Videamus, in tribus verbis quot et quanta peccaverit. Primum, quod omne hominis officium in solis oculis posuit, nihil ad mentem referens, sed ad corpus omnia. Quid si cæcus fuerit, officiumne hominis amittet, quod fieri sine occasu animæ non potest? Quid cæteræ corporis partes? num carebunt suis quæque muneribus? Quid, quod plus est in auribus, quam in oculis situm; quoniam et doctrina, et sapientia percipi auribus solis potest, oculis solis non potest. Cœli ac solis videndi causa natus es? Quis te in hoc spectaculum induxit? aut quid cœlo rerumque naturæ visio tua confert? Nimirum, ut hoc immensum et admirabile opus laudes. Confitere ergo rerum omnium esse constitutorem Deum, qui te in hunc mundum, quasi testem laudatoremque tanti sui operis induxit. Magnum esse credis videre cœlum ac solem: cur ergo gratias non agis ei, qui hujus beneficii auctor est? cur non ipsius virtutem, providentiam, potestatem metiris animo, cujus opera miraris? Etenim necesse est, ut multo mirabilior sit qui mirabilia perfecit. Si te quispiam vocasset ad cœnam, in eaque optime acceptus esses, num sanus viderere si pluris faceres ipsam voluptatem, quam voluptatis auctorem? Adeo philosophi ad corpus omnia referunt, nihil prorsus ad mentem; nec vident amplius quam quod sub oculos venit. Atqui, remotis omnibus officiis corporis, in sola mente ponenda est hominis ratio. Non ergo ideo nascimur, ut ea, quæ sunt facta, videamus, sed ut ipsum factorem rerum

VARIORUM NOTÆ.

Ipsa. Scilicet virtus, de qua supra. Ita correxi ex quamplurimis mss. veterrimis et optimis et edit. Cellar. In cæteris vulgatis ac 10 mss. rec. est *ipsum*.

Proprium ac perpetuum bonum. Scilicet voces junxit, ut Cic. pro l. Manilia, c. 16: *Quod ut illi proprium ac perpetuum sit. Proprius* enim sæpe idem quod *perpetuus*. Bun.

Ut solius animi. Expunxi *sit*, quod perperam additum in 4 mss. et 9 editis, a cæteris abest, quippe quod mox præcessit.

Contingere. Docet S. Augustin. lib. XIX de Civit. Dei, cap. 4, quot sint differentiæ inter christianorum et gentilium de summo bono dogmata.

Quæ dixerunt. Ita legendum ex 8 antiquioribus et melioribus vulgatis, ac omnibus mss. præter 2 Colb. rec. et 7 edit. in quibus est, *qui*, mendose. Is enim Lactantii sensus est, ut dicat nullum eorum, quæ ipsi philosophi dixerunt esse summum bonum, tale quid esse. *Ita* Thomasius.

Esset homini. Reposui ex mss. præter unum rec. qui cum editis habet, *est*. In 1 vet. Reg. *hominis;* in al. rec., *hominum*.

Anaxagoras. Hæc verba vide apud Laert. in Anaxagora.

Passim. Interpretor *passim, sine deliberatione, sine ratione, sine consilio, inconsiderate, temere.* Sic Lact. l. VII, cap. 7, *Incursant passim sine delectu omnia.* Bun.

Commentatum et meditatum. Hæc duo verba passive ponit Lactantius noster, ut et Cicero, Epist. ad diversos, XVI, XXVI, et I de Legib. et Philip. II, cap. 34, et de Officiis l. I. Habes etiam *meditata oratio* apud Tacit. XIV, 55, 1, Hist. l. LXVIII, 9. *Ex* Walchio.

Nec homo sit quidem. Nec reposui ex vetustissimis mss. 2 Reg. 1 Colbert. aliisque. In plerisque est *ne;* in quibusdam, *non*.

Quid si cæcus fuerit, officiumne hominis amittet? Ita restitui ex omnibus mss. codicibus, nisi quod in 2 Colb. est, *amitteret*. In vulgatis erat, *fuisset... amitteret*.

Num carebunt suis quæque muneribus? Sic lego cum mss. vetustissimis 7 Reg. 2 Bonon., Cauc., 2 Colbert. et 4 aliis, nisi quod in 1 Reg. est, *quæcumque;* in alio Reg., *quoque*: in 1 Bonon., *nominibus;* in 2 al. Reg., 4 Colbert., Em. et Brun., *carebuntne suis quæque muneribus?* In Ultr. et in vulgatis decem, *anne carebunt suis quoque muneribus?*

In hoc spectaculum induxit. Id est, in hunc mundum. *Spectaculum* enim hic sumitur pro loco ex quo spectatur, ut ex sequentibus patet: *Qui te in hunc mundum, quasi testem laudatoremque tanti sui operis induxit.*

Magnum esse credis, etc. Sic. Naso Metamorph. lib. I:

> Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
> Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
> Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Qui mirabilia perfecit. Ita vetustiores et meliores mss. ac decem editi. At mss. 12 rec. et excusi tres habent, *qui mirabilia fecit;* sic habent editi 1476 et 1497. Elegantius legeretur, *qui tam mirabilia fecit.*

Num sanus viderere? Sic restitui ex omnibus prope mss. et editis Rom. 1470, Torn. ac Soubron., accedentibus aliis 3 scriptis rec. in quibus est, *num sanus videre?* duobus aliis Reg. rec., *numquid sanus videre;* in editis 4 rec. *non sanus viderere;* in 8 aliis, *non insanus viderere*.

Digitized by Google

omnium contemplemur, id est, mente cernamus. Quare si quis hominem, qui vere sapiat, interroget, cujus rei gratia natus sit, respondebit intrepidus ac paratus, colendi se Dei gratia natum, qui nos ideo generavit, ut ei serviamus. Servire autem Deo, nihil aliud est, quam bonis operibus tueri et conservare justitiam. Sed ille, ut homo divinarum rerum imperitus, rem maximam redegit ad minimum, duo sola deligendo, quæ sibi diceret intuenda. Quod si natum se esse dixisset, ut mundum intueretur, quanquam omnia comprehenderet, ac majori uteretur sono, tamen non implesset hominis officium : quia quanto pluris est anima quam corpus, tanto pluris est Deus, quam mundus, quia mundum Deus fecit et regit. Non ergo mundus oculis, quia utrumque est corpus, sed Deus animo contemplandus est : quia Deus, ut est ipse immortalis, sic animum voluit esse sempiternum. Dei autem contemplatio est, venerari et colere communem parentem generis humani. Quod si a philosophis abfuit, projectique in terram fuerunt divina ignorando, existimandus est Anaxagoras, ad quæ videnda natum se esse dixit, nec cœlum vidisse, nec solem. Expedita est igitur hominis ratio, si sapiat : cujus propria est humanitas. Nam ipsa humanitas quid est, nisi justitia? quid est justitia, nisi pietas? pietas autem nihil aliud est, quam Dei parentis agnitio.

CAPUT X.

Proprium hominis est Deum cognoscere et colere.

Summum igitur hominis bonum in sola religione est; nam cætera, etiam quæ putantur esse homini propria, in cæteris quoque animalibus reperiuntur. Cum enim suas voces propriis inter se notis discernunt atque dignoscunt, colloqui videntur; ridendi quoque ratio apparet in his aliqua, cum demulsis auribus, contractoque rictu, et oculis in lasciviam resolutis, aut homini alludunt, aut suis quisque conjugibus ac fœtibus propriis. Nonne aliquid amori mutuo et indulgentiæ simile impartiunt? Jam illa quæ sibi prospiciunt in futurum, et cibos reponunt, habent utique providentiam. Rationis quoque signa in multis deprehenduntur. Nam quando utilia sibi appetunt, mala cavent, pericula vitant, latibula sibi parant in plures exitus dispatentia, profecto aliquid intelligunt. Potest aliquis negare illis inesse rationem, cum hominem ipsum sæpe deludant? Nam quibus generandi mellis officium est, cum assignatas incolunt sedes, castra muniunt, domicilia inenarrabili arte componunt, regi suo serviunt; nescio an non in his perfecta sit prudentia. Incertum est igitur, utrumne illa, quæ homini tribuuntur, communia sint cum aliis viventibus : religionis certe sunt expertia. Equidem sic arbitror, universis animalibus datam esse rationem, sed mutis tantummodo ad vitam tuendam, ho-

VARIORUM NOTÆ.

Qui vere sapiat. Ita restitui ex mss. et ed. Betul. Vulgatis fere cunctis est, *sapit*. Ed Tornes. et Walch., *sapiet*.

Deligendo. Sic restitui ex edit. Rom. 1470 et 10 manuscriptis, accedentibus aliis decem, in quibus est, *diligendo;* in sex et in edit. Betul. *eligendo;* in 2 rec., *diligenda;* in 12 excusis *deligens;* in 1 Bonon. antiq., *adfigendo;* in 1 Reg., rec., *figendo;* in 1 al. Reg., *fingendo*. Vide infra circa finem capitis 10, *in religione deligenda*, in omnibus mss. et editis.

Quia quanto pluris est anima. Sano sensu accipienda est hæc sententia, ne ulla Dei cum mundo proportio inducatur, quæ nulla esse potest infiniti cum finito. RIVETUS.

Utrumque. Scilicet, mundus et oculus.

Deus animo contemplandus est. Ita restitui ex edit. Gymnic., Betul., Tornes. ac Soubron. et ex cunctis pene mss. In cæteris vulgatis, sicut in 1 Colb. rec. est, *anima*: sed et *animum* infra legimus in omnibus tum mss. tum editis.

Anaxagoras, ad quæ videnda. Secutus sum manuscriptos 1 Reg., Emmanuel. ac 2 Brun. et edit. Torn. Soubron. et Walch. In 2 Clarom., 7 Reg. et editis 4 est, *ad ea quæ videnda*, male. Gymnic. *Anaxagoras ea ad quæ videnda ;* in editionibus Thysii et Gallæi, *ad ea ad quæ videnda*.

Pietas. Hoc vide in Pimandro, c. 9.

In sola religione est. Lege Eusebium libro undecimo de Præparat. Evangelica, cap. 2. Sed Lactantius ita est intelligendus, ut religio sit ratio et modus quibus perveniatur ad summum bonum, quod est æterna optimi atque maximi Dei fruitio.

Ridendi quoque. Sic reposui ex ms. et editis Torn., Soubron. et Walch. Cæteri vulgati habent, *ridendique*.

Alludunt. Alludere est adblandiri, blanditiis captare, προσπαίζειν. De Ira, c. 7 : *Ad lusum gestiunt*, Terent. Eunuch. III, 1 : *Cœpit ad id scortum alludere*. BUN.

Reponunt. Scilicet formicæ, de quibus dicit Scriptura : *Vade, piger, ad formicam.*

Providentiam. Sic recte legit Heumannus ex antiquis multis edit. De providentia et instinctu belluarum legas, si placet, libros a variis editos, scilicet a Pardiæo societ. Jesu, et anonymos tum Lugduni, tum Amstelodami, tum etiam Parisiis editos. — *Providentiam.* Ita persuadet locus geminus de Ira, cap. 7 : *Quid tam homini proprium, quam... providentia futuri?* BUN.

Rationis, etc. Instar commentarii in h. l. esse potest Hier. Rorarii elegans scriptum, quod animalia bruta sæpe ratione utantur melius homine, quod recensuit et doctis annotationibus auxit G. H. Ribovius, Helmst. 1728, 8. BUN.

Dispatentia. Hoc verbum, licet inusitatum, restitui ex veteribus editis tribus Romanis ac Venet. et 24 manuscriptis, accedentibus aliis tribus, in quibus est, *disputantia*. In 8 rec. scriptis et 12 editis est, *disparentia*. At *dispatentia* aptius est huc argumento. Hic loquitur de cuniculis, quorum latibula plures habent exitus. — *In plures exitus dispatentia.* Huc iterum faciunt, de Ira, cap. 7 : *Sunt animalia, quæ latibulis suis diversos et* plures exitus pandant, *ut... fuga pateat obsessis.* BUN.

Nam quibus generandi mellis, etc. In apum ingenio describendo ingenii vires triverunt ingeniosissimi homines, Maro et Plinius : hic libro undecimo Naturalis historiæ, ille Georgic. quarto; ut interim Aristotelem, Columellam, Palladium, et alios recentiores taceamus, qui et ipsi egregia de his memoriæ prodiderunt. GALLÆUS.

An non in his perfecta sit prudentia Sic lego, approbante doctissimo Francio ex 2 Reg. optimæ notæ, et 1 Clarom. in quo fuit, *non*, a prima manu, postea erasum.

Rationem. Imperfectam scilicet.

Ad vitam tuendam. Nolim a constanti Lactantii phrasi abire, l. III, c. 8 : *Sicut homini opibus ad vitam tuendam; ita illis præda et pabulo opus.* L. VI,

Digitized by Google

mini etiam ad propagandam. Et quia in homine ipsa ratio perfecta est, sapientia nominatur : quæ in hoc eximium facit hominem, quod soli datum est intelligere divina. Qua de re Ciceronis vera est sententia. « Ex tot, inquit, generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei; ipsisque in hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum haberi deceat, tamen habendum sciat. » Ex quo efficitur, ut is agnoscat Deum, qui, unde ortus sit, quasi recordetur. Qui ergo philosophi volunt animos omni metu liberare, tollunt etiam religionem, et orbant hominem suo proprio ac singulari bono, quod est a recte vivendo, atque ab omni humanitate disjunctum : quia Deus, ut cuncta viventia subjecit homini, sic ipsum hominem sibi. Nam quid est, cur iidem ipsi disputent, eo dirigendam esse mentem, quo vultus erectus est? Si enim nobis in cœlum spectandum est, ad nihil aliud utique quam ob religionem. Si religio tollitur, nulla nobis ratio cum cœlo est. Itaque aut eo est spectandum, aut in terram procumbendum. In terram procumbere ne si velimus quidem possumus, quorum status rectus est. In cœlum igitur spectandum est, quo natura corporis provocat. Quod si constat esse faciendum, aut ideo est faciendum, ut religioni serviamus, aut ideo, ut rationem rerum cœlestium cognoscamus. Sed rationem rerum cœlestium cognoscere nullo modo possumus : quia nihil ejusmodi potest cogitando inveniri, sicut supra docui. Religioni ergo serviendum est quam qui non suscipit, ipse se prosternit in terram, et vitam pecudum secutus, humanitate se abdicat. Sapientiores ergo imperiti, qui etiam si errant in religione deligenda, tamen naturæ suæ conditionisque meminerunt.

CAPUT XI.

De religione, sapientia, ac summo bono.

Constat igitur, totius humani generis consensu, religionem suscipi oportere : sed quomodo in ea erretur explicandum est. Naturam hominis hanc Deus esse voluit, ut duarum rerum cupidus et appetens esset, religionis et sapientiæ. Sed homines ideo falluntur, quod aut religionem suscipiunt, omissa sapientia, aut sapientiæ soli student, omissa religione, cum alterum sine altero esse non possit verum. Cadunt ergo ad multiplices religiones, sed ideo falsas, quia sapientiam reliquerunt, quæ illos docere poterat deos multos esse non posse : aut student sapientiæ, sed ideo falsæ, quia religionem summi Dei omiserunt, qui eos ad veri scientiam potuit erudire. Sic homines, qui alterutrum suscipiunt, viam deviam, maximisque erroribus plenam sequuntur, quoniam in his duobus inseparabiliter connexis, et officium hominis, et veritas omnis inclusa est. Miror itaque nullum omnino philosophorum extitisse, qui sedem,

VARIORUM NOTÆ.

c. 20 : *Ut appetant, quibus opus est ad vitam tuendam.* Sic Ovidius, l. IV Pont. el. 5, v. 37.

Addita præterea vitæ quoque multa tuendæ
Munera, ne proprias attenuaret opes. BUN.

Homini etiam ad propagandam. Ex mss. quamplurimis et edit. Tornes., Soubron., Cellar., Walch., reposui *etiam*; quod conciunius est, quam *autem* vulgatorum et 4 scriptorum. Non enim negatur homini vitam esse tuendam, sed aliud adjungitur. CELLAR.— *Ad propagandam.* Inscite quidam Lactantium putant loqui de propagatione per generationem, quum propagare hic sit producere, ut ostendi ad Lact. l. II, c. 12 : *Quæ* (vita) *in mille annos propagaretur.* Hic *de vita beata* intelligendus. BUN.

Nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera. Sic habent omnes fere excusi, et multi ms. et Cicero ipse, tum. I de Leg. unde hæc sententia deprompta est, tum. I Tuscul., unde hæc altera consimilis : *Quod nulla*, inquit, *gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio.* Uterque tamen codex Bonon., Tax., Em., 10 Reg., Brun. et (his adde etiam Ultr.) tres Vatic. habent, *neque tam mansueta*, etc. Quæ lectio magis placet Thomasio. Ego ab ipsius Cicer. lectione discedere nolui. ISÆUS. — Picus Mirandulanus, sui sæculi decus, 1 cap. de Providentia Dei, non modo ex theologis quosdam hoc asseruisse testatur, ut puta Damascenum, Augustinum, et Thomam Aquinatem : sed etiam ex densissimis tenebris id vidisse Epicurum, ex crepusculo quodam Platonicum Jamblychum. Damasceni locus est capite tertio libri de Ineffabili divinitate : *Quod*, inquit, *profecto sit Deus, iis qui sacras admittunt Scripturas, haudquaquam in controversiam venit; neque plurimis quidem Græcorum. Nam cognitio quod Deus sit, nobis natura insita est, atque ingenita.* Augustinus, lib. I, contra Cresconium Grammaticum, cap. 29, ex ignoti Dei ara quæ Athenis fuit, id ostendit. Jamblichus de Mysteriis, statim ab initio, interprete Marsilio, sic scribit : *Ante omnem rationis usum, inest naturaliter insita deorum notio; imo tactus quidam divinitatis melior, quam notitia, ex quo incitatur naturalis appetitus boni, et ratiocinatio atque judicium*, etc. Quid quod Cicero alio loco ait, nullam gentem esse tam efferam aut barbaram, quæ non sit imbuta aliqua opinione deorum? Augustinus Steuchus in sua Perenni Philosophia hoc unum agit, ut ostendat gentiles quam proxime accessisse ad veram religionem. BETULEIUS. — Vide Huetii Concordiam rationis et fidei.

Sibi. Scilicet, Deo.

Iidem ipsi. Ita passim Lactantius, lib. V, cap. 2; lib. VI, cap. 10 et cap. 12.

Ne si velimus quidem possumus. Hæc est lectio vetustiorum et meliorum codicum mss. Bonon., Reg., Put., 2 al. Reg., Lip., Goth. In antiquissimo Reg. est *nec.* Hæc vocula abest ab octo mss. rec. Duo alii mss. recentiores et quinque impressi habent, *nisi.* Sed *ne, si velimus*, legendum esse existimant Jo. Cauci, et Thomasius, quibus etiam adstipulor; hoc enim probare intendit auctor noster, nos non posse, etiamsi vellemus, pecudum more in terram procumbere.

Se abdicat. Abdicare se magistratu frequens est apud Livium et Ciceronem.

Naturam hominis, etc. Utrumque Cicero in I de Legibus probat. Quod vero religio a sapientia divelli nequeat, potest philosophicis demonstrari rationibus. Nam Cicero in lib. Offic., sapientiam cum justitia (sicut virtutes inter se omnes) insolubili vinculo copulat. Justitiæ vero forma vel pars est religio. Sed Hebræorum Sapiens fundamentum sapientiæ posuit religionem quum ait : *Initium sapientiæ timor Domini.* BETULEIUS.

Viam deviam. Ita mss. 4 Reg., et Cant. et editi vet. quam lectionem confirmant quæ de erroribus adduntur. Sic etiam ait Cicero *devium iter.*

Digitized by Google

ac domicilium summi boni reperiret. Potuerunt enim sic quærere. Quodcumque est summum bonum, necesse est omnibus esse propositum. Voluptas est, quæ appetitur a cunctis : sed hæc et communis est cum belluis, et honesti vim non habet, et satietatem affert, et nimia nocet, et processu minuitur ætatis, et multis non contingit ; nam qui opibus carent, quorum major est numerus, etiam voluptate careant necesse est. Non est igitur summum bonum, sed ne bonum quidem voluptas. Quid divitiæ ? Multo magis. Nam et paucioribus, et plerumque casu, et inertibus sæpe, et nonnumquam scelere contingunt, et optantur ab iis qui eas jam tenent. Quid regnum ipsum ? Ne id quidem. Non enim cuncti homines regnare possunt ; et necesse est universos summi boni capaces esse.

Quæramus igitur aliquid, quod propositum sit omnibus. Num virtus ? Negari non potest, quin et bonum sit, et omnium certe bonum. Sed si beata esse non potest, quia vis et natura ejus in malorum perferentia posita est, non est profecto summum bonum. Quæramus aliud. At nihil virtute pulchrius, nihil sapiente dignius inveniri potest. Si enim vitia ob turpitudinem fugienda sunt, virtus igitur appetenda est ob decorem. Quid ergo ? Potestne fieri, ut quod bonum, quod honestum esse constat, mercede ac præmio careat, sitque tam sterile, ut nihil ex se commodi pariat ? Labor ille magnus, et difficultas, et eluctatio adversus mala, quibus hæc vita plena est, aliquid magni boni pariat necesse est. Id vero quid esse dicemus ? Num voluptatem ? at nihil turpe ex honesto nasci potest. Num divitias ? num potestates ? at ea quidem fragilia sunt, et caduca. Num gloriam ? num honorem ? num memoriam nominis ? at hæc omnia non sunt in ipsa virtute, sed in aliorum existimatione atque arbitrio posita. Nam sæpe virtus et invisa est, et malo afficitur. Debet autem id bonum, quod ex ea nascitur, ita cohærere, ut divelli atque abstrahi nequeat ; nec aliter summum bonum videri potest, quam si et proprium sit virtutis, et tale, ut neque adjici quidquam, nec detrahi possit. Quid, quod in his omnibus contemnendis virtutis officia consistunt. Nam voluptates, opes, potentias, honores, eaque omnia, quæ pro bonis habentur, non concupiscere, non appetere, non amare, quod cæteri faciunt victi cupiditate, id est profecto virtutis. Aliud ergo sublimius atque præclarius efficit ; nec frustra his præsentibus bonis reluctatur, nisi quod majora, et veriora desiderat : non desperemus inveniri posse, modo verset se cogitatio in omnia. Neque enim levia aut ludicra petuntur præmia.

CAPUT XII.

De duplici pugna corporis et animæ ; atque de appetenda virtute propter vitam æternam.

Sed quæritur quid sit, propter quod nascimur ; quid efficiat virtus, possumus sic investigare. Duo sunt, ex quibus homo constat, animus et corpus.

VARIORUM NOTÆ.

Cum belluis, etc. Hic afferam verba Auli Gellii, etiamsi Gentilis, lib. XIX Noct. Attic., cap. 2 : *Quinque*, inquit, *sunt hominum sensus, per quos voluptas animo aut corpori quæri videtur : gustus, tactus, odoratus, visus, auditus. Ex his omnibus quæ immodice voluptas capitur, ea turpis atque improba existimatur. Sed enim quæ nimia ex gustu atque tactu est, ea voluptas, sicuti sapientes viri censuerunt, omnium rerum fœdissima est.*

Processu ætatis. Quæstio est apud Ciceronem in Catone majore, utrum senectus voluptate careat.

Non est... summum bonum, sed ne bonum quidem. Sequitur Senecam de Vita Beata, cap. 10, fin. : *Tu illam* (voluptatem) *summum bonum putas ? Ego ne bonum.* BUN.

Multo magis. Ita mss. et impressi. Mallem, *multo minus.*

Et optantur. Recte sensit Isæus. non addendam hic negationem, ut in Bonon., 1 Colbert. et Brun. mss. reperitur ; probat enim divitias non esse summum bonum, siquidem illi qui illas possident, plures appetunt et optant : summum vero bonum talis debet esse naturæ, ut desiderium expleat, Mss. 9 Reg., 5 Colbert., 2 Clarom., Jun. carent hac negatione : Jo. Cauci etiam delendam censet ; abest quoque ab impressis tredecim. *Ex* GALL.

Et necesse est. Heumannus scribit, *at necesse est.* Quia *et* est in omnibus libris, interpretor, *et tamen.* Particula *tamen* sæpe in Cicerone et Lactantio sic subauditur. Lact., lib. IV, cap. 2 : *Nusquam... sapientiam comprehenderunt, et alicubi esse illam* necesse est. BUN.

Sed si beata. Abest *si* a ms. Em. In rec. 3 Colbert. et 1 Clarom. est, *Sed si bona.*

In malorum perferentia. Betul., *præferentia ;* prave. Lib. III, cap. 12 : *In perferendis malis tota vis ejus* (virtutis) *est ;* et lib. VII, cap. 1 : *Tolerantia malorum* latinius dicitur.

Nihil sapiente dignius. Ita duo mss. Reg. veterrimi et Goth. In 1 Colb. est *sapientiæ*, mendose. In 16 mss. totidemque editis est, *sapientia dignius.*

Et eluctatio adversus mala. Mss. rec., 2 Reg. et 1 Colb., *et luctatio ;* Em., *et obluctatio*, quod cum sequentibus, *adversus mala*, convenire magis videtur Cellario quam aliorum, *eluctatio.*

Ex ea. Scilicet virtute. Sic emendo ex mss. et editis Rom. 1468, Gymnic, Cellar. In 11 vulgatis est, *ex eo*, mendose.

Abstrahi. Ita reposui ex edit. Rom. 1470, Tornes., Soubron., et ex omnibus mss. præter 4 rec. et edit. 11, in quibus est *distrahi.*

Quam si et proprium sit virtutis. Ex mss. ac veteribus excusis est, et elegantius, quam *et si* duorum mss. rec. et quorumdam editorum.

Eaque omnia. Ex mss. et editis Rom. 1470, Torn. et Soubron. restitui. In cæteris vulgatis est, *atque omnia.*

Id est profecto virtutis. Sic reposui ex vet. edit. Rom. et omnibus mss. præter 5 Colb., in quibus, sicut in 15 vulgatis, legitur, *id est profecto virtutis.* In edit. Tornes. et Soubron, *id est perfectæ virtutis. Profecto virtus*, etiam legit Heumannus ex edit. 1472, 1476, 1478 et 1497, ac etiam ex uno e mss. Thomasianis.

Duo sunt. Juxta B. Paulum tribus homo partibus constat : corpore, anima, et spiritu. Sed animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei. Constituamus igitur in spirituali homine sinceram religionem, qua homines perfectam (quam Cicero somniavit) rationem habentes, multis gradibus a communi illa psychicorum, plurimis a belluina natura distant. Potest videri, Lactantium idem credidisse animum, quod in

Digitized by Google

Multa sunt propria animi, multa propria corporis, multa utrique communia, sicut est ipsa virtus : quæ quoties ad corpus refertur, discernendi gratia fortitudo nominatur. Quoniam igitur utrique subjacet fortitudo, utrique proposita dimicatio est, et utrique ex dimicatione victoria : corpus, quia solidum est et comprehensibile, cum solidis et comprehensibilibus confligat necesse est; animus autem, quia tenuis, et invisibilis est, cum iis congreditur hostibus, qui videri tangique non possunt. Qui sunt autem hostes animi, nisi cupiditates, vitia, peccata? quæ si vicerit virtus, ac fugaverit, immaculatus erit animus, ac purus. Unde ergo colligi potest, quid efficiat animi fortitudo? Nimirum ex conjuncto, et pari, hoc est ex corporis fortitudine, quod cum in aliquam congressionem certamenque venerit, quid aliud ex victoria quam vitam petit? Sive enim cum homine, sive cum bestia dimices, pro salute certatur. Ergo ut corpus vincendo id assequitur, ut non intereat : sic etiam animus, ut permaneat; et sicut corpus ab hostibus suis victum, morte mulctatur : ita superatus a vitiis animus moriatur necesse est. Quid ergo intererit inter animi corporisque dimicationem, nisi quod corpus temporalem vitam expetit, animus sempiternam? Si ergo virtus per seipsam beata non est, quoniam in perferendis (ut dixi) malis tota vis ejus est; si omnia, quæ pro bonis concupiscuntur, negligit; si summus ejus gradus ad mortem patet, quandoquidem vitam, quæ optatur a cæteris, sæpe respuit, mortemque, quam cæteri timent, fortiter suscipit; si necesse est ut aliquid ex se magni boni pariat, quia sustentati et superati usque ad mortem labores sine præmio esse non possunt; si nullum præmium, quod ea dignum sit, in terra reperitur, quandoquidem cuncta, quæ fragilia sunt et caduca, spernit, quid aliud restat, nisi ut cœleste aliquid efficiat, quia terrena universa contemnit, et ad altiora nitatur, quia humilia despicit? Id vero nihil aliud potest esse, quam immortalitas.

Merito ergo philosophorum non obscurus Euclides, qui fuit conditor Megaricorum disciplinæ, dissentiens a cæteris, id esse summum bonum dixit, quod simile sit, et idem semper. Intellexit profecto quæ sit natura summi boni, licet id non explicaverit quid sit : id est autem immortalitas, nec aliud omnino quidquam; quia sola nec imminui, nec augeri, nec immutari potest. Seneca quoque imprudens incidit, ut fateretur, nullum esse aliud virtutis præmium, quam immortalitatem. Laudans enim virtutem in eo libro quem de immatura morte conscripsit : « Una, inquit, res est virtus, quæ nos immortalitate donare possit, et pares diis facere. » Sed et stoici, quos secutus est, negant sine virtute effici quemquam beatum posse. Ergo virtutis præmium beata vita est, si virtus (ut recte dictum est) beatam vitam facit. Non est igitur, ut aiunt, propter seipsam virtus expetenda, sed propter vitam beatam, quæ virtutem necessario sequitur. Quod argumentum docere eos potuit, quod esset summum bonum. Hæc autem vita præsens et corporalis beata esse non potest, quia malis est subjecta per corpus. Epicurus Deum beatum et incorruptum vocat, quia sempiternus est. Beatitudo enim perfecta esse debet, ut nihil sit, quod eam vexare, ac imminuere, aut immutare possit. Nec aliter quidquam existimari beatum potest, nisi fuerit incorruptum. Incorruptum autem nihil est, nisi quod est immortale. Sola ergo immortalitas beata est, quia corrumpi ac dissolvi non potest. Quod si cadit in hominem virtus, quod negare nullus potest, cadit et beatitudo. Non potest enim fieri, ut sit miser, qui virtute est

VARIORUM NOTÆ.

in sacris Litteris tertia pars est spiritus; nempe apud quem spiritus nomen rarissimum est. Quid autem animus et anima differant, docet idem Lactantius de Opificio Dei, capite 18. BETULEIUS.

Ipsa virtus. Genus probat ex specie. Robur enim corporis, animi fortitudo esse alias observatur. Vide Erasmum in Enchiridio militis christiani.

Ut aliquid. Ex mss. et 4 excusis reposui voculam *ut*, quæ cæteris vu gatis deest.

Necesse est, ut... pariat. Lib. II, c. 11; lib. III, c. 9 : *Necesse est, ut... si.* At mox, c. 13 : *Necesse est, ipsa .. faciat.* L. IV. c. 14 : *Necesse est, habeat.* Lib. VI, c. 19 : *Necesse est naturam depravent.* L. VII, c. 1 : *Necesse est, revertatur.* L. I, c. 21 : *Necesse est... ficta sint.* BUN.

Sustentati. Restitui ex 9 editis et omnibus prope mss. In sex scriptis et 7 editis est *suscepti.*

Euclides. Is fuit Socratis discipulus.

Conditor Megaricorum. Orditur jam novam disputationem contra eos, qui imprudentes, et quasi per nebulam summum bonum viderunt. Et est talis argumentatio, qualis Pauli adversus Athenienses, de ara ignoti Dei. Videntur hæc ex quarto Academicarum Quæst. Ciceronis desumpta esse. Locum hunc integrum referam : *Et quam non multum a Platone Megarici discesserunt, quorum fuit nobilis disciplina, ut scriptum video, princeps Xenophanes, deinde eum secuti Parmenides et Zeno. Itaque ab his Eretriaci philosophici nominabantur. Post Euclides, Socratis discipulus, Megarœus, a quo iidem illi Megarici dicuntur, qui id bonum solum esse dicebant quod esset unum, simile, et idem semper. Hi quoque multa a Platone : a Menedemo autem, quod is Eretrias fuit, Eretriaci appellati. Quorum omne bonum in mente positum, et mentis acie, qua verum cerneretur.* Ex quibus verbis patet, Lactantianam lectionem integram non esse. Nam ad descriptionem summi boni pertinebat etiam, ut unum esset. Galenus ad Stilponem Megarœum, Euclidis auditorem, disciplinæ hujus originem refert in Historia philosophica. Sed ratione ipsa, deinde etiam auctoritate Laertii probabiliora sunt quæ retulit Cicero. BETULEIUS.

Quod simile sit. Simile, non πρός τι intelligendum est, sed quod sibi sit simile. Sustulit enim, ut Laertius scribit, de comparatione disputationem. BETULEIUS.

Seneca, etc. Nullus hodie Senecæ liber sub hoc extat titulo. Extat quidem de Vita beata ad Gallionem liber nobilis. Quin immo omnia Senecæ scripta hac sunt doctrina conspersa : præsertim tamen epist. 86, quæ est lib. XII. BETULEIUS.

Negant, etc. De quo vide apud Cicer. v. Tuscul.

Quod. Pro *quodnam.*

Epicurus Deum beatum, etc. In epistola ad quemdam Menœcæum, quæ extat in Epicuri vita apud Laertium l. x. Sic etiam veteres XV sæculi editiones.

Non potest... ut sit miser. Infra Seneca, de Provid. c. 3 : *Bonus vir potest miser dici, non potest miser esse.* Cicero, Paradox. II, fin. : *Ut improbo, et stulto,*

Digitized by Google

præditus. Si cadit beatitudo, ergo et immortalitas cadit in hominem, quæ beata est.

Summum igitur bonum sola immortalitas invenitur, quæ nec aliud animal, nec corpus attingit, nec potest cuiquam sine scientiæ virtute, id est, sine Dei cognitione ac justitia provenire. Cujus appetitio quam vera, quam recta sit, ipsa vitæ hujusce cupiditas indicat : quæ licet sit temporalis, et labore plenissima, expetitur tamen ab omnibus, et optatur; hanc enim tam senes quam pueri, tam reges quam infimi, tam denique sapientes quam stulti cupiunt. Tanti est (ut Anaxagoræ visum est) contemplatio cœli ac lucis ipsius, ut quascumque miserias libeat sustinere. Cum igitur laboriosa hæc et brevis vita, non tantum hominum, sed etiam cæterorum animantium consensu, magnum bonum esse ducatur : manifestum est eamdem summum ac perfectum fieri bonum, si et fine careat et omni malo. Denique nemo unquam extitisset, qui hanc ipsam brevem contemneret, aut subiret mortem, nisi spe vitæ longioris. Nam illi, qui pro salute civium voluntariæ se neci obtulerunt, sicut Thebis Menœceus, Athenis Codrus, Romæ Curtius et Mures duo, numquam mortem vitæ commodis prætulissent, nisi se immortalitatem opinione civium consequi putavissent : qui tametsi nescierunt immortalitatis vitam, res tamen eos non fefellit. Si enim virtus divitias et opes ideo contemnit, quia fragiles sunt, voluptates ideo, quia breves; ergo et vitam fragilem brevemque ideo contemnit, ut solidam et perpetuam consequatur. Ipsa ergo cogitatio per ordinem gradiens, et universa considerans, perducit nos ad eximium illud et singulare, cujus causa nascimur bonum. Quod si fecissent philosophi; si non, quod semel apprehenderant, tueri pertinaciter maluissent : profecto pervenissent ad verum hoc, ut ostendi modo. Quod si non fuit eorum, qui cœlestes animas una cum corporibus extinguunt, illi tamen, qui de immortalitate disputant animi, intelligere debuerunt; ideo propositam nobis esse virtutem, ut, perdomitis libidinibus, rerumque terrestrium cupiditate superata, puræ ac victrices animæ ad Deum, id est ad originem suam revertantur. Idcirco enim soli animantium ad aspectum cœli erecti sumus ut summum bonum nostrum in summo esse credamus. Ideo religionem soli capimus, ut ex hoc sciamus, humanum spiritum non esse mortalem, quod Deum, qui est immortalis, et desiderat, et agnoscit.

Igitur ex omnibus philosophis, qui aut pro summo bono scientiam, aut virtutem sunt amplexi, tenuerunt quidem viam veritatis, sed non pervenerunt ad summum. Hæc enim duo sunt, quæ simul efficiant illud, quod quæritur. Scientia id præstat, ut quomodo, et quo perveniendum sit, noverimus; virtus, ut perveniamus. Alterum sine altero nihil valet, ex scientia enim virtus, ex virtute summum bonum nascitur. Beata igitur vita, quam philosophi quæsierunt semper, et quærunt, sive in cultu deorum, sive in philosophia nulla est; et ideo ab his non potuit repe-

VARIORUM NOTÆ.

et inerti nemini bene esse potest : sic bonus vir, et fortis, et sapiens miser esse non potest. His verius Minuc. Fel., cap. 37 : Christianus *miser videri, non potest inveniri.* Bun.

Quæ. Puta, immortalitas. Recte restituitur *quæ*, ex quampluribus et potioribus mss. et editis. In 6 scriptis ac 9 excusis est *quia;* in 1 Colb., *quod.*

Nec corpus attingit. Videtur Lactantius cum Platonicis facere, qui corpus tamquam animæ ergastulum habuerunt; quippe qui in ejusdem felicitatis consortium non admittat. Quæ sententia pugnat contra istum fidei articulum, quo futuram credimus carnis resurrectionem. Quo nomine ab Epiphanio hæreseos insimulatur Hierax Ægyptius. Quin et multos in eodem errore antiquitus versatos fuisse, colligi potest ex Alphonso de Castro lib. de Hæresibus, cap. de Ressurrectione. Spark. — *Nec corpus attingit.* At clare docuit Lactantius carnis resurrectionem, l. vii, c. 20 : *Resurgent mortui.* Ibid. *cap.* 21 : *Rursus carne induentur.* Add. cap. 22. Sensus verborum, *Nec corpus attingit*, est : Immortalitas *non pertinet ad hanc vitam temporalem*, ut patet ex lib. iii. cap. 12. Bun.

Provenire. Sic reposui ex cunctis mss. præter 5 rec. in quibus est *pervenire*; et 1 Betul. et Walch. edit. *obvenire.*

Pro salute. Editorum est vet. 2 Rom., Tornes., Soubron., Is. et omnium mss. præter Canc. in quo, sicut et in editis decem, est, *propter salutem.*

Menœceus. Eteocles Polynicen fratrem parte regni exclusérat : hunc quum socer Adrastus restituere vellet, accidit ut Tyresias vates vaticinaretur, victoriam penes Thebanos futuram, si Menœceus, Creontis filius, sacrificium Marti fieret. Patris autem exilium potius suadentis consilium filius repudians, se pro salute patriæ interfecit. Est hæc historia tragica apud Euripidem in Phœnissis, apud Statium in x Thebaid.; apud Philostratum, n. 4. Meminit Plut. in Pelopida; Juvenalis, satira 14 :

> Quantus erat patriæ Deciorum in pectore : quantum
> Dilexit Thebas, si Græcia vera, Menœceus.

Menœcei et Codri, meminit Cicero in primo Tusc. quæst. Codri, Curtii et Deciorum præterea Valerius Maxim. lib. v, cap. de Amore patriæ. Betul.

Athenis Codrus. Vide historiam de Codro apud Tzetzen chil. 1, hist. 4; Servium, ad eclogam 4; Cic., Tusc. 1; Val. Max., lib. v, cap. 6.

Et Mures duo. Lectionem mss. 5 Reg. bonæ notæ, 11 Vatic., Em. et 2 Br. expressi. Puto quia *Mures* non satis nota vox erat, quasi mendum hanc fuisse rejectam, unde sit scriptum, *et Decii duo, numquam*, etc. sicut in 1 Vatic., 2 Reg., 3 Colb., Pen., 1 Clarom., vel τὸ *Decii*, quod ad oram, quasi glossema illorum verborum *et Mures duo*, positum erat, demum in textum irrepsisse, et ita factum, *et Mures duo Decii, numquam*, etc. Sicut habent ms. Cantabrig., 2 Reg. et editi multi. Bon. et Tax. habent *Mutius :* sed *Mures* cognomine dictos *Decios* intelligimus ex Livio initio viii Dec. 1, qui de patre Decio creato consule inquit, *creavere Coss. Titum Manlium Torquatum, P. Decium Murem.* Quomodo vero sese ambo pro republica devoverint, vide Liv. ibid. et lib. x, Dec. 1, Valer., v; Senecam, epist. 68, *ut a communibus*, etc. Præter. mss. ab Isæo laudatos reperio ita etiam haberi in Canc. Ultr., Em., Jun. Sic etiam legendum censuit Th. Canterus, ut liquet ex illo verbo *Decii* deleto in edit. Betul. quibus adstipulor. *Ex* Isæo.

Animi. Hæc vox abest, a 6 scriptis rec. et edit. Rom. 1470.

Quæsierunt. Semel et iterum, hæc adduntur in mss. et pluribus editis; in cæteris, *quæsiverunt.*

Digitized by Google

riri, quia summum bonum non in summo quæsierunt, sed in imo. Summum autem quid est, nisi cœlum, et Deus, unde animus oritur? Imum quid est, nisi terra, unde corpus est? Itaque licet quidam philosophi summum bonum non corpori, sed animo dederint, tamen, quoniam illud ad hanc vitam retulerunt, quæ cum corpore terminatur, ad corpus revoluti sunt, cujus est hoc omne tempus, quod transigitur in terra. Quare non immerito summum bonum non comprehenderunt; quia quidquid ad corpus spectat, et immortalitatis est expers, imum sit necesse est. Non cadit ergo in hominem beatitudo illo modo, quo philosophi putaverunt: sed ita cadit, non ut tunc beatus sit cum vivit in corpore, quod utique, ut dissolvatur, necesse est corrumpi; sed tunc, cum anima societate corporis liberata, in solo spiritu vivit. Hoc uno beati esse in hac vita possumus, si minime beati esse videamur; si fugientes illecebras voluptatum, solique virtuti servientes, in omnibus laboribus miseriisque vivamus, quæ sunt exercitia, et corroboramenta virtutis; si denique asperam illam viam difficilemque teneamus, quæ nobis ad beatitudinem patefacta est. Summum igitur bonum, quod beatos facit, non potest esse, nisi in ea religione, atque doctrina, cui spes immortalitatis adjuncta est.

CAPUT. XIII.

De animæ immortalitate, deque sapientia, philosophia et eloquentia.

Res exigere videtur hoc loco, ut quoniam docuimus immortalitatem esse summum bonum, id ipsum immortalem esse animam comprobemus. Qua de re ingens inter philosophos disceptatio est, nec quidquam tamen explicare, aut probare potuerunt ii, qui verum de anima sentiebant; expertes enim hujus divinæ eruditionis, nec argumenta vera, quibus vincerent, attulerunt, nec testimonia, quibus probarent. Sed oportunius hanc quæstionem tractabimus in ultimo libro, cum de vita beata nobis erit disserendum. Superest pars illa philosophiæ tertia, quam vocant λογικήν, in qua tota dialectica, et omnis loquendi ratio continetur. Hanc divina eruditio non desiderat: quia non in lingua, sed in corde sapientia est; nec interest, quali utare sermone: res enim, non verba quæruntur. Et nos non de grammatico, aut oratore, quorum sciéntia est, quomodo loqui deceat, sed de sapiente disserimus, cujus doctrina est, quomodo vivere oporteat. Quod si neque physica illa ratio necessaria est, neque hæc logica, quia beatum facere non possunt: restat ut in sola ethica totius philosophiæ vis contineatur, ad quam se, abjectis omnibus, Socrates contulisse dicitur. In qua etiam parte quoniam philosophos errasse docui, qui summum bonum, cujus capiendi gratia generati sumus, non comprehenderunt; apparet falsam et inanem esse omnem philosophiam, quia nec instruit ad justitiæ munera, nec officium hominis rationemque confirmat. Sciant igitur errare se, qui philosophiam putant esse sapientiam: non trahantur auctoritate cujusquam; sed veritati potius faveant, et accedant. Nullus hic temeri-

VARIORUM NOTÆ.

Quoniam illud ad hanc vitam retulerunt. Ita correximus ex mss. vet., 1 Bonon., 4 Reg. optimæ notæ, 1 Colbert., Pen., Brun., et editis Thomas., Is., Gall., Spark. Multi mss. rec. et excusi legunt, *quoniam ad illud hanc*, etc. alii editi, *ad illum in hanc vitam.*

Spectat. Omnium Mss. et editorum est, præter 1 Lips. cui est *pertinet.* — *Ad corpus spectat.* Ediderat Cellarius, *ad corpus pertinet*, ex uno solo Lips. 1. At quum omnes reliqui mss. etiam Lips., 2 Goth., Guelf., Witterb., Reimm. omnesque editi constanter *spectat* exhibeant, restitui. Lact. l. IV, cap. 26: *Quid ad crucem spectat.* Ibid. cap. 4: *Sapientia spectat ad filios.* De Opif. c. 20: *Quæ ad vitæ beatæ statum spectent.* Instit. l. III, cap. 17: *Ad utilitatem spectat alienam.* De Mort. Perfec. cap. 7: *Quæ ad exhibendos milites spectant.* De Ira, cap. 1: *Error... ad evertendum vitæ humanæ statum spectat.* Bun.

Imum. In manu exaratis pene omnibus est, *imum*, quod *summo* opponitur. In 4 Reg. et 5 Colbert. legitur *unum*; quod tot constat tractibus quot *imum*; in 1 Colb. et Brun. *et mortale et perituram sit.*; in 2 Reg. rec. *esse*, pro *sit*; in excusis *vanum.* Vide præced.

Corroboramenta. Nova vox, solius Lactantii auctoritate innixa.

Beatos. Sic reposui ex omnibus mss. et octo editis; in 7 vulg. est, *beatum.*

Id ipsum. Hanc dictionem non ausus sum contra fidem omnium ferme manuscriptorum et editorum codicum immutare. In septem mss. rec. et edit. Tornes. est. *eo ipso.* Abest ab excusis quatuor.

Hujus divinæ eruditionis. Hæc lectio est omnium fere editorum et 18 mss. codicum vetustiorum ac meliorum. In rec. scriptis 7 et excusis 2 est, *traditionis*, in 1 Colbert, *monitionis.* Sed et infra legitur, *hanc divina eruditio non desiderat*, ex iisdem mss. ut supra.

Quibus vincerent. Sic omnes. *Vincere.* idem quod *probare, comprobare.* Conf. lib. VII. cap. 8 et 9. More Ciceronis, pro Cluent. cap. 23: *Si doceo* non *ab Avito*, vinco *ab Oppianico. Si ostendo ab Oppianico, purgo Avitum.* Bun.

Utare. Restitui ex omnibus pene mss. et 4 editis. In 1 Reg. antiq. est *utar*; in 1 al. Reg. *utaris*, in 4 scriptis rec. et 12 vulgatis est, *utatur.*

Res enim, non verba, etc. Historia memoratu digna scribitur in historiis ecclesiasticis, de quodam arguto disputatore, cujus sophismata cum nemo æqualium eludere valeret, intererat christianus aliquis, nullo alio quam simplicitatis nomine insignis. Hic arroganter disputantis os sua simplicitate ita obstruxit, ut obmutesceret, non sine omnium admiratione. Interrogatus de tam repentino silentio, respondit: alios verba verbis commutasse, hunc vero virtute pugnare. Extant Sozomenis verba lib. I, cap. 18. Betul.— Simile quid legitur in historia concilii Nicæni, cum sanctus quidam episcopus verbosum quemdam Arrianum sola dogmatis catholici expositione ad silentium adegit.

Abjectis omnibus. Scil. Philosophiæ partibus, e. g. Physica. Vid. l. I, cap. 1, not., et l. III, cap. 21. Bun.

Generati sumus. Sic restitui ex mss. vetustissimis et optimis 1 Bon., 4 Reg., Goth. aliisque. Ad id enim nos omnes *generati sumus*, non soli philosophi. In decem scriptis rec. et 15 excusis legitur *generati sunt*; in Em., *nati sunt.*

Inanem esse omnem philosophiam. Interposui *omnem*, ex vet. edit. Rom., Tornes., ac Soubron. et omnibus mss. præter 1 Reg. rec. cui deest, et 11 excusis.

Trahantur auctoritate. Plin. l. VIII, ep. 15, *Qui auctoritate ejus trahebantur.* Bun.

Digitized by Google

tati locus est : in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit. Homo autem, qualiscumque est, si sibi credit, hoc est si homini credit (ut non dicam stultus, qui suum non videat errorem) certe arrogans est, qui sibi audeat vendicare, quod humana conditio non recipit.

Ille ipse romanæ linguæ summus auctor quantum fallatur, licet ex illa sententia pervidere : qui cum in libris officiorum philosophiam nihil aliud esse dixisset, quam studium sapientiæ, ipsam autem sapientiam, rerum divinarum et humanarum scientiam, tum adjecit: « Cujus studium qui vituperat, haud sane intelligo quidnam sit, quod laudandum putet. Nam si oblectatio quæritur animi, requiesque curarum, quæ conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid inquirunt, quod spectet, et valeat ad bene beateque vivendum? Sive ratio constantiæ virtutisque ducitur, aut hæc ars est, aut nulla omnino, per quam eas assequamur. Nullam dicere maximarum rerum artem esse, cum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium, atque in maximis rebus errantium. Si autem est aliqua disciplina virtutis, ubi ea quæretur, cum ab isto genere discendi discesseris. » Equidem tametsi operam dederim, ut quantulamcumque discendi assequerer facultatem propter studium docendi, tamen eloquens nunquam fui ; quippe qui forum ne attigerim quidem : sed necesse est, ipsa me faciat causæ bonitas eloquentem; ad quam diserte copioseque defendendam scientia divinitatis, et ipsa veritas sufficit. Vellem igitur Ciceronem paulisper ab inferis surgere, ut vir eloquentissimus ab homunculo non diserto doceretur, primum, quidnam sit, quod laudandum putet, qui vituperat id studium, quod vocatur philosophia; deinde, neque illam esse artem, qua virtus et justitia discatur, nec aliam ullam, sicut putavit; postremo, quoniam est virtutis disciplina, ubi quærenda sit, cum ab illo discendi genere discesseris : quod ille non audiendi discendique gratia quærebat. A quo enim posset audire, cum sciret id nemo? Sed ut in causis facere solebat, interrogatione voluit urgere, ad confessionemque perducere; tanquam confideret responderi prorsus nihil posse, quominus philosophia esset magistra virtutis. Quod quidem in Tusculanis disputationibus aperte professus est, ad eam ipsam conversa oratione, tamquam se declamatorio dicendi genere jactaret. « O vitæ philosophia dux, inquit, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum : quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu inventrix legum, tu magistra morum ac disciplinæ fuisti. » Quasi vero aliquid per se ipsa sentiret, ac non potius ille laudandus esset, qui eam tribuit. Potuit eodem modo gratias agere cibo et potui, quia sine his rebus vita constare non possit ; in quibus ut sensus, ita beneficii nihil est. Atqui ut illa corporis alimenta sunt, sic animæ, sapientia.

CAPUT XIV.

Quod Lucretius et alii erraverunt, ac ipse Cicero, in statuenda sapientiæ origine.

Rectius itaque Lucretius, cum eum laudat, qui sapientiam primus invenit : sed hoc inepte, quod ab homine inventam putavit. Quasi vero illam alicubi jacentem homo ille, quem laudabat, invenerit, tanquam tibias ad fontem, ut poetæ aiunt. Quod si

VARIORUM NOTÆ.

Homo autem, etc. Respicit ad illud Terentii : *Censen' me hominem esse?* Quo loco poeta proprium hominis esse dicit, errare.

Romanæ linguæ summus auctor. Cicero sic dictus ob latinæ linguæ facundiam. Locus est in præfatione libri II de Officiis, quam vide, quia in aliquibus differt a textu Lactantii.

Cum eorum studiis potest. Ita correxi ex mss. 25, edit. 2 et ex ipso Ciceronе. In 5 scriptis et impressis 15 legitur *possunt*, et pro *inquirunt*, in vulgatis Ciceronis libris, *acquirunt*.

Ratio... ducitur. L. II, in Verr. cap. 52 : *Qui non tam cœli rationem, quam cælati argenti duceret.* Ibid. cap. 63. Bun.

Tamen eloquens. Vides porro hic discrimen aliquod inter eloquentem et disertum, de quo Quintilianus in proœmio libri octavi, disertis satis putat dicere quæ oporteat : ornate autem proprie esse dicere eloquentissimi. Antonius in primo de Oratore apud Ciceronem, disertos dicit se vidisse nonnullos, eloquentem adhuc neminem. *Quod enim*, inquit, *statuebam disertum, qui posset satis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere : eloquentem vero, qui mirabilius et magnificentius augere posset, atque ornare quæ vellet, omnesque omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret.* Betul.

Perducere. Sic restitui ex editis sex et omnibus mss. præter 2 Reg. rec. et 10 vulg. in quibus est, *deducere*.

Tusculanis. Ciceronem vide in Præfat. v Tuscul. quem etiam consulas velim, ut Lactantii mentem propius intuearis.

Sic animæ. Repete, *alimentum est.* Ad lib. v, c. 1: *Veritas est animæ pabulum*, excitavi similem locum ex Cicerone. Bun.

Tanquam tibias ad fontem. Decem mss. Vat. quibus adde 9 alios, habent *tanquam tibi vas ad fontem*, ut testatur Isæus, qui et illorum lectionem est secutus; nos vero nihil mutare voluimus, simplicem lectionem secuti, et ab omnibus impressis et plerisque optimæ notæ mss. et 6 Reg., 4 Colb., 2 Vatic., Em., Brun., exhibitam. Gallæus.—*Tanquam tibias.* Proverb. casus fortuiti, natum ex fabula Marsyæ Phrygis. Sed sic eam ex Hygino referre duco. Minerva tibias dicitur prima ex osse cervino fecisse, et ad epulum deorum cantatum venisse. Juno et Venus cum eam irriderent, quod et cæsia erat, et buccas inflaret, fœda visa, et in cantu irrisa, in Idam sylvam ad fontem venit, ibique cantans in aqua se aspexit, et vidit se merito irrisam. Unde tibias ibi abjecit, et imprecata est, ut quisque eas sustulisset, gravi afficeretur supplicio; quas Marsyas, Œagri filius, pastor, unus ex Satyris, invenit, quibus assidue commeletando, sonum suaviorem in dies faciebat, adeo ut Apollinem ad citharæ cantum in certamen provocaret. Quo ut Apollo venit, Musas judices sumpserunt; et cum jam Marsyas inde victor discederet, Apollo citharam versabat, idemque sonus erat : quod Marsyas tibiis facere non potuit. Itaque Apollo victum Marsyam ad arborem religatum Scythæ tradidit, e cujus sanguine flumen Marsyan est appellatum. Mythologiam vide apud

Digitized by Google

repertorem sapientiæ, ut deum, laudavit; ita enim dicit :

» Nemo (ut opinor) erit mortali corpore cretus.
Nam si, ut ipsa petit majestas cognita rerum,
Dicendum est, Deus ille fuit, Deus, inclyte Memmi :

tamen non erat sic laudandus Deus, quod sapientiam invenerit, sed quod hominem fecerit, qui posset capere sapientiam. Minuit enim laudem, qui partem laudat ex toto. Sed ille, ut hominem, laudavit, qui tamen ob id ipsum deberet pro Deo haberi, quod sapere invenerit. Nam sic ait :

Nonne decebit,
Hunc hominem numero divum dignarier esse?

Unde apparet, aut Pythagoram voluisse laudare, qui se primus, ut dixi (supra cap. 2), philosophum nominavit; aut Milesium Thalem, qui de rerum natura primus traditur disputasse. Ita dum hominem quærit extollere, rem ipsam depressit. Non est enim magna, si ab homine potuit inveniri. Verum potest, ut poetæ, dari venia. At ille idem perfectus orator, idem summus philosophus, et Græcos reprehendit, quorum levitatem semper accusat, et tamen sequitur; ipsam sapientiam, quam alias donum, alias inventum deorum vocat, poetice figuratam laudat in faciem. Graviter etiam queritur extitisse aliquos, qui eam vituperarent. « Quisquamne, inquit, vituperare vitæ » parentem, et hoc parricidio se inquinare audeat, » et tam impie ingratus esse? »

Nos ergo, Marce Tulli, parricidæ sumus, et insuendi te judice in culeum, qui philosophiam negamus parentem esse vitæ? An tu, qui adversus Deum tam impie ingratus es (non hunc cujus effigiem veneraris in Capitolio sedentem, sed illum qui mundum fecit, hominemque generavit, qui sapientiam quo-

VARIORUM NOTÆ.

Fulgentium libro III. Plato et Ovidius satyrum fuisse scribunt. Qui plura volet, videat Plutarchum in Musica, et Apuleium lib. I Floral. Cæterum de illius certamine cum Apolline, deque Marsyæ excoriatione, lege Ovidium lib. VI Metam., Diodorum Siculum lib. IV Antiquit. BETULEIUS.

Quod si repertorem. Ita reposui ex omnibus mss. et vet. edit. Rom. 1470, Tornes., Soubron. In 12 vulgatis est, *quod sic.*

Nemo. Hæc ex initio lib. V de natura rerum a Lucretio.

Nam, si ut ipsa. Sic Lucretius cum mss. a Lambino collatus; nec secus ferunt mss. nostri Lactantiani vetustissimi et optimi, ac duodecim excusi. Scripti 9 rec. et duo impressi, *Nam sicut ipsa*, contra metri legem. 2 Colb. rec., *Nam sic ipsa.* Vera lectio, *Nam si ut*, dactylus apud Lucretium, sine elisione, ut recte observat Lambinus ad hunc locum.

Non erat. Ita restitui ex quampluribus et potioribus mss. et editis Gymnic., Tornes., Soubron. Legitur *non erit* in quinque scriptis rec. et 11 vulgatis.

Nonne. Idem Lucretius lib. V, paulo infra.

Aut Pythagoram... aut Milesium Thalem. Erravit Lactantius : *Epicurum* voluit laudare. Vide Tan. Fabrum ad Lucret. l. V, v. 8. BUN.

Thalem. Is fuit auctor philosophiæ Ionicæ, de quo supra lib. I, cap. 5, et infra cap. 15. Vide etiam Laertium in Vitis philosophor. et Cic. Tuscul.

Ita dum hominem. Sic reposui ex vetustissimis et optimis mss. I Bonon., 4 Regiis, aliisque tribus. In 5 aliis et 10 vulgatis est, *sed dum hominem;* in duobus aliis, *sed dum is hominem.*

Idem perfectus orator, idem summus. Sic Bon., Tax., Pen., Lips., Reimm. et Thomasium secuti; at reliqui, *idem perfectus orator, summusque.* Idque Heum. probat. BUN.

Quærit. Id est, studet, l. III, c. 20, *Profunare impiis disputationibus* quærunt. BUN.

Et Græcos reprehendit. Ita juxta Thomasium codex antiquus Bononiensis, quia revera sæpe Græcos Cicero reprehendit. Si vero cum vulgatis legas, *ne Græcos reprehendam*, non videtur ad quem referri possit. Hanc tamen ultimam lectionem habent omnes editi, ac pene mss. omnes. Ita quippe Thomasius.

Levitatem. Hæc de Cicerone præcipue in oratione pro L. Flacco.

Inventum deorum vocat, poetice figuratam laudat. Sic reposui ex omnibus mss. et plurimis editis. Vide Ciceron. in I Tusculan. cujus hæc sunt verba : *Philosophia vero omnium mater artium, quid est aliud, nisi ut Plato ait, donum, at ego inventum deorum.* Platonis locum vide in Timæo.

Laudat in faciem. Scite, ut Horatius l. I, Serm. 5 : *In faciem permulta jocatus.* Idem est Terentii Adelph. II, 4, *Coram in os laudare.* BUN.

Quisquamne. Cum mss. et omnibus fere editis sic lego. In impressis Graph., Thys., Gall., est, *Quisnamne.*—Sic edo ex Emman., Cant., Reimm. et omnibus antiquis edd. ab anno 1465-1513. Lact. l. V, c. 10 : *Quisquamne putet?* Cic. II Phil. 32 : *Quisquamne divinare potest?* I. 5. Tuscul. 2 : *Vituperare quisquam audet?* BUN.

Insuendi, te judice, in culeum. Hæc olim pœna fuit parricidarum, qui patrem matremve interemissent. Isidor. Hispal. in glossis : *Culeus, tunica ex spartho in modum crumenæ facta, quæ linebatur a publico pice et bitumine, in qua includebantur parricidæ cum simia, serpente et gallo, insuta mittebatur in mare, et contendentibus inter se animantibus, homo majoribus pœnis afficiebatur.* Hæc sententia sane intelligenda; nam a principio nihil in culeo cum parricida insuebatur. Valer. Max., lib. I, c. 1; Plautus, de Mari, in Vidularia quæ periit, sed citat Priscianus :

Jube hunc insui culeo,
Atque in altum deportari, si vis bonam
Annonam.

Accessit, crescente in dies parricidarum numero, gravitas supplicii. Ante igitur virgis sanguineis cædebantur, ut prodidit Modestin., lib. IX, ff. ad L. Pompeiam, de parricid. caput item obvolvebantur, teste Festo in voce *obvolvere :* cum vero culeo insuerentur, cum noxio serpentes includere cœpere, ut de C. Villio scriptum reliquit Plutarch. L. Sen., lib. V, controv. 4; Livius, V Decad., lib. VIII; Val. Max., lib. I, c. 1. Postea addiderunt simiam (*Juvenal., sat.* 13). Denique etiam insuebant culeo canem et gallum, teste Isidoro loco supra citato : quod a Constantino primum adjectum videtur L. un. C. de his qui par. vel lib. Occid. *Dempsterus.* — Mss. 8 Reg. inter quos sunt duo veterrimi, 3 Colbert., 2 Brun., Ultr., Lips., 1 Clarom. ac edit. Rom. 1468, 1470, habent *culleum;* et sic antiqui pronuntiabant. Huic insuti parricidæ lege romana projiciebantur in fluenta vel mare. Cicero pro S. Roscio, c. 11; Senec., de Clem., lib. XXIII; Sueton., August., 33. Hoc ita, si mare proximum sit; alioqui bestiis subjicientur, secundum divi Hadriani constitutionem.

Hominemque generavit. Sic legunt mss. 1 Bonon. antiq., 7 Reg. quorum duo sunt veterrimi, Cauc., Pen., Pal., Jun., Ultr., Goth., 5 Oxon., 6 Colbert., Sorbon., 3 Lips., Tornes., 2 Clarom., Brun., et 5 editi, *generare*, pro *creare*, hic et alibi passim apud Lactantium. Mss. rec. 2 Reg. et Cant. ac 12 vulgati habent, *figuravit*, quæ vox est quoque Lactantio familiaris, Divin. Institut., l. IV, c. 4 l. VII, c. 14, Epitom. c. 65, etc.

Digitized by Google

que ipsam inter cœlestia sua beneficia largitus est) magistram tu virtutis, aut parentem vitæ vocas, ad quam si quis accesserit, multo sit incertior necesse est, quam prius fuerit? Cujus enim virtutis? quæ ipsa, ubi sita sit, adhuc philosophi non expediunt. Cujus vitæ? cum ipsi doctores ante fuerint senectute ac morte confecti, quam constituerint quomodo vivi deceat. Cujus veritatis indagatricem profiteri potes? qui sæpe testaris, cum tanta multitudo fueri philosophorum, sapientem tamen extitisse adhuc neminem. Quid ergo te magistra illa vitæ docuit? An ut potentissimum consulem maledictis incesseres, eumque hostem patriæ venenatis orationibus faceres? Sed omittamus illa, quæ possunt excusari fortunæ nomine. Studuisti nempe philosophiæ, et quidem sic, ut nullus umquam diligentius; quippe qui omnes cognoveris disciplinas, sicut ipse gloriari soles, eamque ipsam latinis litteris illustraveris, imitatoremque te Platonis ostenderis. Cedo igitur quid didiceris, aut in qua secta veritatem deprehenderis. In academia scilicet, quam secutus es, quam probasti. At hæc nihil docet, nisi ut scias te nihil scire. Tui ergo te libri arguunt, quam nihil a philosophia disci possit ad vitam. Hæc tua verba sunt : « Mihi autem non modo ad sapientiam cæci videmur, sed ad ea ipsa, quæ aliqua ex parte cerni videantur, hebetes et obtusi. » Si ergo philosophia est magistra vitæ, cur tibi ipse cæcus, et hebes, et obtusus videbare, quem oportuit, illa docente, et sentire, et sapere, et in clarissima luce versari? At quam confessus fueris philosophiæ veritatem, docent ad filium composita præcepta, quibus mones philosophiæ quidem præcepta noscenda, vivendum autem esse civiliter.

Quid tam repugnans dici potest? Si noscenda sunt præcepta philosophiæ, ideo utique noscenda sunt ut recte sapienterque vivamus. Vel, si civiliter vivendum est, non est igitur philosophia sapientia; siquidem melius est civiliter, quam philosophice vivere. Nam si sapientia est, quæ dicitur philosophia, stulte profecto vivit, qui non secundum philosophiam vivit. Si autem non stulte vivit, qui civiliter vivit, sequitur ut stulte vivat, qui philosophice vivit. Tuo itaque judicio philosophia stultitiæ, inanitatisque damnata est. Idem in Consolatione, id est, in opere non joculari, hanc de philosophia sententiam tulisti : « Sed nescio quis nos teneat error, aut miserabilis ignoratio veri. » Ubi est ergo philosophiæ magisterium? aut quid te docuit illa vitæ parens, si verum miserabiliter ignoras? Quod si hæc erroris ignorationisque confessio pene invito tibi ab intimo pectore expressa est, cur non tibi verum fateris aliquando, philosophiam, quam tu nihil docentem in cœlum laudibus extulisti, magistram virtutis esse non posse?

CAPUT XV.

Senecæ error in philosophia; et quomodo philosophorum oratio cum eorum vita pugnet.

Eodem ductus errore Seneca (quis enim veram viam teneret, errante Cicerone? « Philosophia, inquit, nihil aliud est quam recta ratio vivendi, vel

VARIORUM NOTÆ.

Frequens etiam loquendi modus apud Ciceronem, ut Deus dicatur *hominem generare*, id est creare. Verum eam vocabuli vim non intelligentes editores quidam, posuerunt *figuravit*.

Inter cœlestia sua beneficia. Ita mss. omnes cum vet. edit. Rom. et Paris. Cæteri editi, *inter cætera cœlestia beneficia.*

Profiteri potes. Sic emendavi ex 9 editis et 19 manu exaratis codicibus. Vide seqq. In 2 aliis Reg. et editis quatuor legitur *profiteri potest.*

Adhuc. Id est hactenus.

Potentissimum consulem. Marcum Antonium, qui cum C. Cæsare eo anno consulatum gessit, quo Cæsar fuit interfectus, ab U. C. 710, in quem novem scripsit orationes invectivas, quas, teste Fabio, ad Demosthenis imitationem Philippicas nominavit. Betuleius.

Illustraveris. Vide Cic. in Præfat., lib. I Tusculan.

Cedo. Est verbum antiquum imperativum, et significat *dic* : quo sensu sæpissime apud Terentium occurrit. Ponitur quoque pro *da, porrige.* Phædr. fab. 2 lib. v, *Cedo (inquit), illum.* Vide Vide Paræi Lexicon Criticum, p. 185.

Te nihil scire. De hac sententia, vide Cicer. in I Academic. quæstion. de Socrate.

Mihi autem. Locus ille Ciceronis desideratur integer : est tantum in fragmentis Academicar. quæstion. id tantum legitur lib. I Officiorum, sub finem : *Omne officium*, inquit, *quod ad conjunctionem hominum et ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio, quod cognitione et scientia continetur.*

Illa docente. Hæc lectio manuscriptorum est, ac edit. Is. in marg. Cellar. Walch., *illa docentem*, cæter. edit.

At quam confessus fueris philosophiæ veritatem. Sic legunt mss. 19 et omnes editi. Thomasius mavult legere *confisus... veritate*, prout in I Bonon. antiq. et 3 Reg. legitur, vel *confisus... veritati*, ut in altero Bonon. rec., Balliol., Cauc., Pal., Lips. Nihil ego mutandum censui, et aliorum mss. lectionem retinui, eo quod vox *confessus* satis sit apta, et in omnibus excusis expressa.

Ad filium, etc. In officiis quidem negat extra consociationem justitiæ officia conservari posse, et ob id otiosam et inertem philosophorum vitam damnat, ut infra, c. 16, ipse Lactantius indicabit. Sed hæc verba in Cicerone nuspiam invenio. Betuleius.—Sunt tantum inter fragmenta.

Stultitiæ inanitatisque. Emman. et Lips., *vanitatisque*, quod congruentius rei et materiæ, non autem oratorio numero. Bun.

Stultitiæ inanitatisque. Ita plures mss. Sparkii, Goth., Reimm., Bon., Rom., Sublac., Rost., Ven. 1471, 97, immo omnes editi, ut lib. III, c. 13 : *Apparet inanem esse omnem philosophiam.* Lib. VII, c. 26 : *Qui inanem philosophiam tuentur.* Bun.

Verum fateris. Ita reposui ex antiquiss. mss. 2 Bonon., Cauc., 3 Reg., Tax. et Pen. In 15 mss. rec. et ed. 2 vet. Rom. et 13 excusis, *fatebaris.*

Seneca. Sententiam sparsim quidem invenimus venimus in ejus libris, non autem integra verba; aut ex deperdito libro depromta sunt. Cell.

Philosophia nihil aliud est. Doctrina quidem Senecæ hujusmodi notionibus conspersa est passim. Quæ vero hic citantur, perierunt cum aliis plerisque. Philosophiam vitæ legem esse, disputat epist. 90 et 95. Betul.

Recta ratio vivendi. Sic edit. Cellarii et Walch. cum mss. omnibus, præter 2 Reg. rec. et Jun., in quibus est *recte*, sicut et in excusis.

Digitized by Google

honeste vivendi scientia, vel ars rectæ vitæ agendæ. Non errabimus, si dixerimus philosophiam esse legem bene honesteque vivendi. Et qui dixerit illam regulam vitæ, suum illi reddidit. » Hic plane non respexit ad commune philosophiæ nomen, quæ cum sit in plures sectas disciplinasque diffusa, nihilque habeat certi, nihil denique, de quo universi una mente ac voce consentiant, quid potest esse tam falsum, quam regulam vitæ philosophiam nominari, in qua diversitas præceptorum rectum iter impediat, et turbet? aut legem bene vivendi, cujus capita longe dissonant? aut scientiam vitæ agendæ, in qua nihil aliud efficitur, contraria sæpe dicendo, quam ut nemo quidquam sciat? Quæro enim, utrumne academiam philosophiam putet esse, an non? Negaturum non arbitror: quod si est, nihil ergo illorum cadit in philosophiam, quæ omnia reddit incerta, legem abrogat, artem nullam putat, rationem subvertit, regulam depravat, scientiam funditus tollit. Falsa igitur illa omnia, quia in rem semper incertam et adhuc nihil explicantem cadere non possunt. Nulla itaque ratio, vel scientia, vel lex bene vivendi, nisi in hac unica, et vera, et cœlesti sapientia constituta est, quæ philosophis fuerat ignota. Nam illa terrena, quoniam falsa est, fit varia, et multiplex, sibique tota contraria est. Et sicut unus est hujus mundi constitutor et rector Deus, una veritas: ita unam esse ac simplicem sapientiam necesse est, quia quidquid est verum, ac bonum, id perfectum esse non potest, nisi fuerit singulare. Quod si philosophia vitam posset instruere, nulli alii nisi philosophi essent boni, et qui eam non didicissent, essent omnes semper mali. Cum vero innumerabiles existant, et semper exstiterint, qui sint, aut fuerint sine ulla doctrina boni, ex philosophis autem perraro fuerit, qui aliquid in vita fecerit laude dignum, quis est tandem, qui non videat, eos homines virtutis, qua ipsi egent, non esse doctores? Nam si quis in mores eorum diligenter inquirat, inveniet iracundos, cupidos, libidinosos, arrogantes, protervos, et sub obtentu sapientiæ sua vitia celantes, domi facientes ea quæ in scholis arguissent.

Fortasse mentior accusandi gratia. Nonne id ipsum Tullius et fatetur, et queritur? « Quotus quisque, inquit, philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo et vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam veram, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet? qui obtemperet ipse sibi, et decretis pareat suis? Videre licet alios tanta levitate et jactatione, ut his fuerit non didicisse melius: alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ; multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. » Nepos quoque Cornelius ad eumdem Ciceronem ita scribit: « Tantum abest, ut ego magistram esse putem vitæ philosophiam, beatæque vitæ perfectricem, ut nullis magis existimem opus esse magistris vivendi, quam plerisque, qui in ea disputanda versan-

VARIORUM NOTÆ.

Ars rectæ vitæ agendæ. Francius malebat legere *recte*, cum mss. 4 Reg., 2 Clarom. et Brun.

Et qui dixerit. Ita reposui ex vulgatis 5 et omnibus mss. præter Cauc., Em., ac editis 7 in quibus est, *dixit.*

Quia dixerit illam regulam vitæ, suum illi nomen reddidit. Inclusum *nomen* volui, quod deest mss. anglis et lipsiensibus, et quo dempto satis compta ornataque est oratio. CELL.

Suum illi reddidit. Expunxi *nomen*, quod abest ab omnibus prope mss. et ab edit. Rom. 1470, Ald. 1515, et quod perperam addiderunt script. 4 et vulgati 12. Mox enim sequitur *nomen*. Heumannus tamen putat *nomen* hic esse legendum.

Ad commune philosophiæ nomen. Ita philosophorum plerique se quisque non ad alias, sed ad suam potissimum sectam respexit. Sed miror cur Lactantius hic Senecam academicum faciat, quum ex professo stoicus fuerit? quod eum non ignorasse, ex aliis locis manifestum est. *Ex* BETULEIO.

Nominari. Ita restitui ex ed. Torn., Cellar., Walch cunctisque mss. præter 2 Reg. rec. et 13 vulgatos, in quibus, est *vocari*; in edit. Florent. *vocare.*

Quæ omnia reddit incerta. Sic Regio Put. aliique multi mss. Alii cum editis, *quæ ut omnia reddat incerta.*

Fuerat. Omnium fere mss. est. In recentioribus 1 Reg., 3 Colbert. et Brun. et edit. Rom. 1470, legitur *fuerit*; in 1 al. Reg. rec. et 12 vulgatis, *fuit.*

Quoniam falsa est, fit varia et multiplex. In mss. 1 Reg., Em. et ed. Rom. 1470, Ald., Paris. 1525, Graph., Grat., est *fallax*, pro *falsa.* Ex mss. *fit* restitutum, et ex impressis Torn., Soubr., Cellar., Walch.

Vitam... instruere. Lips. alter et Rost., *vitam instituere.* Recepta recta. L. III, c. 30: *Vitam non instruunt, sed turbant.* Hinc l. III, c. 13: *Nec instruit* (Philosophia) *ad justitiæ munera.* BUN.

Sine doctrina boni. Cic. pro Archia, c. 7: *Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina... et moderatos, et graves extitisse fateor*, etc. BUN.

Cum vero innumerabiles existant... laude dignum, quis est tandem. Ita omnes prope mss. tali interpunctione. At Cauc., Jun. et 8 editi ferunt, *cum innumerabiles existant... laude dignum. Quis est tandem.*

Si quis in mores eorum diligenter inquirat. Melius mss. Regio-Put., 2 al. Reg., 2 Colb., 2 Clarom., Cotton. et Mertoniensis, quam cæteri qui præpositionem non habent.

Domi facientes ea. Mss. 9 præponunt *tum.* Alii 4 *cum domi faciant ea.*

Fatetur. Locus est apud Cic. II Tusc. sub initium.

Qui disciplinam veram, non ostentationem scientiæ. Sic codices antiqui, juxta Thomasium: alii vero omittunt *veram*, et scribunt *suæ scientiæ*; sed Thomasiana lectio commodior et aptior videtur.

Videre licet. Sic mss. et editi fere omnes. In 3 scriptis totidemque excusis est, *videre liceat*; in mss. Cauc. et 4 edd., *videre autem liceat.*

Ut cum eorum vita. Ita mss. et cuncti prope typis excusi. In Regio-Put. est, *ut cum eorum vitiis*; in Jun., Cauc., 1 Clarom. et 3 vet. editis Rom., Paris., Gymnic., *ut cum eorum vita et vitiis*; in 4 Colb. desideratur *et.* Ed. Sublac. habet: *Eorum vita et vitiis.* In hanc additionem vide quoque Bunem. qui notam sequentem exhibet. — *Vita et vitiis.* Addo, *et vitiis*, ex mss. Cant., Guelp. 2, Subl., Rost., Ven. 1471, 72, utraque 78, 93, 97, Paris., Parrhas., Junt., Ald., Gymn., Torn. 1548, Gryph., Betul., Isæo.

Nepos quoque Cornelius. Plenius exhibent mss. et 4 editi, quam 2 Reg. rec. et 11 vulgati, *Neposque Cornelius.* Id in fragmentis Cornelii Nepotis legitur, non in ipso Cornelio.

Digitized by Google

tur. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore et continentia præcipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere. Item Seneca in Exhortationibus : « Plerique, inquit, philosophorum tales sunt, diserti in convitium suum, quos si audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, indicium sui professos putes, adeo redundant ad ipsos maledicta in publicum missa ; quos non aliter intueri decet, quam medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena. Quosdam vero nec pudor vitiorum tenet : sed patrocinia turpitudini suæ fingunt, ut etiam honeste peccare videantur. Faciet sapiens, inquit idem Seneca, etiam quæ non probabit, ut etiam ad majora transitum inveniat : nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit ; et quibus alii utuntur in gloriam, aut voluptatem, utetur agendæ rei causa. » Deinde paulo post : « Omnia quæ luxuriosi faciunt, quæque imperiti, faciet et sapiens, sed non eodem modo, eodemque proposito. Atqui nihil interest quo animo facias, quod fecisse vitiosum est : quia facta cernuntur, animus non videtur. »

Aristippo Cyrenaicorum magistro cum Laide nobili scorto fuit consuetudo, quod flagitium gravis ille philosophiæ doctor sic defendebat, ut diceret, multum inter se et cæteros Laidis amatores interesse, quod ipse haberet Laidem, alii vero a Laide haberentur. O præclara et imitanda bonis sapientia ! Huic vero liberos in disciplinam dares, ut discerent habere meretricem ? Aliquid inter se ac perditos interesse dicebat ; scilicet quod illi bona sua perderent, ipse gratis luxuriaretur. In quo plane sapientior meretrix fuit, quæ philosophum habuit pro lenone, ut ad se omnis juventus, doctoris exemplo et auctoritate corrupta, sine ullo pudore concurreret. Quid ergo interfuit, quo animo philosophus ad meretricem famosissimam commearet, cum eum populus et rivales sui viderent omnibus perditis nequiorem ? Nec satis fuit ita vivere : sed docere etiam libidines cœpit, ac mores suos de lupanari ad scholam transtulit, disserens voluptatem corporis esse summum bonum. Quæ doctrina execrabilis et pudenda, non in corde philosophi, sed in sinu meretricis est nata.

Nam quid ego de Cynicis loquar ? quibus in propatulo coire cum conjugibus mos fuit. Quid mirum, si a canibus, quorum vitam imitantur, etiam vocabulum nomenque traxerunt ? Nullum igitur in hac disciplina magisterium virtutis est, cum etiam illi, qui honestiora præcipiunt, aut non faciant ipsi quæ suadent, aut si faciunt (quod raro accidit) non disciplina eos ad rectum, sed natura perducat, quæ sæpius etiam indoctos impellit ad laudem.

VARIORUM NOTÆ.

Exhortationibus. Hic liber infra l. VI, c. ultimo citabitur, et jamdiu est ex quo periit, sicut et alii ejusdem philosophi.

Diserti in convitium suum. Minuc., c. 38, philosophos dicit, *Adversus sua vitia facundos.* Hieronymus ad Rusticum Mon. f. m. 47 : *Accusamus sæpe quod facimus, et contra nosmetipsos* diserti, *in nostra vitia invehimur.* Bun.

Indicium sui professos putes. Sic emendavi ex veterrimis et optimis mss. 3 Reg., 1 Bonon., Cauc., Jun., 1 Colb. et vulgatis Ald., Paris. 1525, Gymnic., Junt., Craph., Torn. 1553. At in duobus deest *sui ;* in 3 editis est *in judicium sui ;* in mss. septem rec. et ed. Rom. 1468 est, *judicium suum professos putes ;* in decem scriptis præcedit præpositio *in.* In 1 Reg. rec., *proferre in se judicium.* Genuina lectio, *indicium sui professos ;* id est perorando, vel disserendo nihil aliud efficere videntur, quam sese ultro sicuti eorumdem vitiorum reos, ita eadem vituperatione ac pœna dignos fateri ; nec alios tantum, sed et una semetipsos apud populum accusare atque deferre. Hoc autem est, *judicium profiteri.* Ex Isæo, quem consule si lubet.

Pyxides. Vasa sunt vel ferrea, vel cornea, vel lignea, aut etiam terrea, quibus Pharmacopolæ utuntur.

Patrocinia turpitudini. Idem Seneca, de Vita beata, c. 12 : *Quærentes libidinibus suis patrocinium aliquod ac velamentum.* Cf. Lact., l. IV, c. 24. Bun.

Probabit. Hæc lectio est omnium pene mss. et editorum, cui respondent sequentia... *relinquit... aptabit... utetur.* In 2 Bonon., 2 Reg. et Tax. est tamen *probavit.*

Et quibus... utetur. Ita reposui ex vetustissimis mss. 1 Bonon., 4 Reg., 3 Colb. et Brun. In 10 rec. et in editis est *ut quibus.. utatur.*

Cum Laide. Lais, famosissima meretrix, dicitur *Corinthia,* eo quod ex Sicilia in Peloponesum inter alios captivos puellula abducta, Corinthi habitaverit. Ovid., l. I Amor., eleg. 5, v. 13,

Et multis Lais amata viris.

Ex Walchio.

Haberet Laidem. Paulo aliter hæc verba Laertius habet in Aristippo : « Possideo quidem Laidem, sed ipsa me non possidet. » Vide etiam Cic., Epist., l. IX, ep. ultima ; Athenæum, l. XII. Deipnosophist. ; Theodoretum, l. II de Vita activa ; et de Laidis amatoribus lege Athenæum, l. XIII, ac Gellium, l. I, c. 8, et Pausaniam in Corinthiacis.

Plane sapientior meretrix fuit. Reposui *plane* ex mss. veterrimis 1 Bonon., 1 Regio-Put., alio item Regio bonæ notæ, 1 Colbert., 2 Brun, et quibusdam editis. In 1 al. Reg. bonæ notæ est *plano* pro *plane ;* in 1 al. Reg. et 9 excusis, *sane ;* deest in 1 Reg. antiquissimo ; in Cauc. et 18 scriptis rec. et 8 vulgatis, *tamen.*

Quæ philosophum habuit pro lenone. Ita mss. 2 Bonon., 2 Reg. antiquissimi, aliique 3 Reg. et plures editi. Recentiores scripti 20 ac 9 editi habent, *quæ sic philosophum habuit,* etc.

Ad meretricem famosissimam. Isæus et Gallæus in variis dicunt, alias habere, *formosissimam ;* sed nullas indicarunt. *Famosus,* est vox media. Veteres in malam partem, recentiores in utramque, bonam et malam adhibebant. — *Ad meretricem... commearet.* Terent. Heautont. III, 1, dixit, filium *commeare ad mulierem.* Bun.

Disserens voluptatem, etc. Quamobrem Xenophon, infesto in ipsum animo, contra voluptatem librum composuit, ut tradit Laert. in Aristippo. Isæus.

Quid ego de Cynicis loquar ? Sic etiam Augustinus multis in locis a canina inverecundia Cynicos dictos putat : ob quam etiam ipsos a decori disputatione in Off. Cicero excludere videtur. Alii tamen ab allatratu et mordacitate canina ipsos dictos putant. Laertius quidem ἀπὸ τῶν σκομμάτων hanc nominationem ortam esse testatur : Galen. δι' ἔνστασιν. Apud Lucian. vero in Auctione vitarum notantur, quasi ὑλακτοῦντες καὶ δάκνοντες. Betul. — Cynicorum princeps fuit Antisthenes, Socratis discipulus, ac præceptor Diogenis ; homo acutus magis, quam eruditus.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Quod recte docentes philosophi male vivant, teste Cicerone; unde non tam philosophiæ, quam sapientiæ studendum est.

Verum cum se perpetuæ desidiæ tradant, nullamque virtutem capessant, et omnem suam vitam nihil aliud quam in eloquendo peragant, quid aliud quam inertes putari debent? Sapientia enim, nisi in aliquo actu fuerit quo vim suam exerceat, inanis et falsa est; recteque Tullius civiles viros, qui rempublicam gubernent, qui urbes aut novas constituant, aut constitutas æquitate tueantur, qui salutem libertatemque civium vel bonis legibus, vel salubribus consiliis, vel judiciis gravibus conservent, philosophiæ doctoribus præfert. Bonos enim facere oportet potius quam inclusos in angulis faciendæ præcipere, quæ ne ipsi quidem faciunt, qui loquuntur; et quoniam se a veris actibus removerunt, apparet eos exercendæ linguæ causa, vel advocandi gratia, artem ipsam philosophiæ reperisse. Qui autem docent tantum, nec faciunt, ipsi præceptis suis detrahunt pondus; quis enim obtemperet, cum ipsi præceptores doceant non obtemperare? Bonum est autem recta et honesta præcipere: sed nisi et facias, mendacium est; et est incongruens atque ineptum, non in pectore, sed in labris habere bonitatem.

Non ergo utilitatem ex philosophia, sed oblectationem petunt. Quod quidem Cicero testatus est: « Profecto, inquit, omnis istorum disputatio, quanquam uberrimos fontes virtutis et scientiæ contineat, tamen collata cum horum actis perfectisque rebus, vereor ne non tantum videatur attulisse negotiis hominum utilitatis, quantam oblectationem otiis. » Vereri quidem non debuit, cum verum diceret: sed A quasi timeret, ne proditi mysterii reus a philosophis citaretur, non est ausus confidenter pronuntiare, quod fuit verum, illos non ideo disputare, ut doceant, sed ut se oblectent in otio: qui quoniam auctores sunt rerum gerendarum, nec ipsi quidquam gerunt, pro loquacibus sunt habendi. Sed profecto, quia nihil boni ad vitam afferebant, nec ipsi decretis suis obtemperaverunt, nec quisquam per tot sæcula inventus est, qui eorum legibus viveret. Abjicienda est igitur omnis philosophia, quia non studendum est sapientiæ, quod fine ac modo caret: sed sapiendum est, et quidem mature. Non enim nobis altera via conceditur, ut, cum in hac sapientiam quæramus, in illa sapere possimus: in hac utrumque fieri necesse est. Cito inveniri debet, ut cito suscipi possit, ne B quid pereat ex vita cujus finis incertus est. Ciceronis Hortensius contra philosophiam disserens, circumvenitur arguta conclusione; quod cum diceret philosophandum non esse, nihilominus philosophari videbatur, quoniam philosophi est, quid in vita faciendum, vel non faciendum sit, disputare. Nos ab hac calumnia immunes ac liberi sumus, qui philosophiam tollimus, quia humanæ cogitationis inventio est; sophiam defendimus, quia divina traditio est, eamque ab omnibus suscipi oportere testamur. Ille, cum philosophiam tolleret, nec melius aliquid afferret, sapientiam tollere putabatur, eoque facilius de sententia pulsus est: quia constat hominem non ad stultitiam, sed ad sapientiam nasci.

Præterea illud quoque argumentum contra philosophiam valet plurimum, quo idem est usus Hortensius; ex eo posse intelligi, philosophiam non esse sapientiam, quod principium et origo ejus appareat. Quando, inquit, philosophi esse cœperunt? Thales C

VARIORUM NOTÆ.

Verum cum. Sic optima coloniensis edito anno 1544, aliæ vero atque mss. plures habent, *verum enim cum*; ac tandem, sed pauciores, legunt *verum enim vero*: at meliorem amplectimur lectionem.

Vitam nihil aliud, quam in eloquendo peragant. Heumannus dicit *dictionem lactantianam*. Ego hoc amplius (salva tamen modestia) pronuntio, esse dictionem optimorum quorumque Scriptorum, atque exemplis a Gronovio ex Livio, et a Burmanno ex Cicerone aliisque excitatis. Bun.

Sapientia enim. Ex mss. reposui *enim*, quod rectius est, quam *autem* editorum. *Sapientia.* Nam si virtutis laus in actione consistit, certe etiam sapientiæ. Docet hoc Cic. in primo Offic., cap. de Prudentia. Unde etiam Aristoteles in magnis Moralibus ait, quod sapientia quæ in actionem cadit, virtutis nomen meretur, non vero alia.

Recteque Tullius. Desideratur hic locus in Cicerone: attamen libro 1 de Officiis, c. de Prudentia, damnat ignaram philosophiam.

Vel advocandi. Hic ponit Lactantius vocem *advocandi*, pro causam agendi. In 3 mss. est *avocandi*; in 8 rec. *vacandi*. — *Vel advocandi gratia.* Ego putavi subaudiendum: vel auditores, concionem, populum, *advocandi gratia*. Agit enim de Philosophis ib. et seq. ut de Epicuro, c. 17, ait: *Ut ad se multitudinem* contrahat. Ibidem inf. *Circulum colligit*; atque integra phrasis occurrit de Mort. persec., c. 23, *Advocavit populum*. Bun.

In labris habere bonitatem. Ita reposui ex editis Cellar. et Walch. et omnibus mss. præter duos rec. ac cæteros vulgatos quibus est *labiis*. In rec. 1 Colb. et Brun. pro *bonitatem*, est *voluntatem*; in Tornes. et Cotton. *veritatem*.

Profecto, inquit, omnis istorum disputatio, etc. Excidisse hic locus putatur ex Hortensio Cic. seu de Philosophia, in quo legendum est, *istorum*, ut reperitur in 8 vetustioribus editis, et in omnibus mss. præter 2 Reg. rec. in quibus est *ipsorum*; in 5 excusis *justorum*, inepte; in uno Colb. est *philosophorum*. D

Vereor ne... otiis. Sic emendavi ex vetustissimis et optimis mss. 1 Bun., 2 Reg., 4 al. Reg., 1 Colb. Et vox *negotiis* postulare videtur *otiis*. Et ex his optimis mss. forsan restituendus hic Ciceronis locus. In 22 scriptis rec. vet. editis est *ne non.... quamdam oblectationem otii*. Pleriisque aliis editionibus, etiamque Ciceronianæ Gothofredi, deest *non*.

Abjicienda est igitur omnis philosophia. Errat Lactantius, si intelligat de vera et genuina philosophia; sin autem philosophiæ nomine insigniat philosophantium nugas et errores, verum est, omnem illam philosophiam tollendam esse. Apostolus Paulus non vult exterminari omnem philosophiam, sed tantum vanam et fallacem, ut videre est Coloss. cap. II, vers. 8. Hæc igitur sententia cum grano salis accipienda. *Ex* Davenantio.

Caret. Manuscriptorum est ac vet. 2 edit. Rom., Tornes., Soubron. et Walch., *careat*, cæterorum vulgatorum.

Digitized by Google

(ut opinor) primus, recens hæc quidem ætas; ubi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigandæ veritatis? Item Lucretius ait :

Denique natura hæc rerum, ratioque reperta est
Nuper; et hanc primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum, in patrias qui possum vertere voces.

Et Seneca : « Nondum sunt, inquit, mille anni, ex quo initia sapientiæ mota sunt. » Multis ergo sæculis humanum genus sine ratione vixit. Quod irridens Persius :

Postquam (inquit) sapere urbi
Cum pipere et palmis venit;

tanquam sapientia cum saporis mercibus fuerit invecta : quæ si secundum hominis naturam est, cum homine ipso cœperit necesse est; si vero non est, nec capere quidem illam posset humana natura. Sed quia recepit, igitur a principio fuisse sapientiam necesse est; ergo philosophia, quia non a principio fuit, non est eadem vera sapientia. Sed videlicet Græci, quia sacras veritatis litteras non attigerant, quemadmodum depravata esset sapientia, nesciverunt. Et ideo cum vacare sapientia humanam vitam putarent, philosophiam commenti sunt; id est, latentem atque ignotam sibi veritatem disserendo eruere voluerunt, quod studium, per ignorantiam veri, sapientiam putaverunt.

CAPUT XVII.

A Philosophia ad philosophos transit, initio ab Epicuro sumpto; et quomodo Leucippum et Democritum habuerit auctores erroris.

Dixi de philosophia ipsa quam breviter potui : nunc ad philosophos veniamus; non ut cum his decertemus, qui stare non possunt, sed ut eos fugientes atque dejectos nostro campo insequamur. Epicuri disciplina multo celebrior semper fuit, quam cæterorum; non quia veri aliquid afferat, sed quia multos populare nomen voluptatis invitat. Nemo enim non in vitia pronus est. Præterea, ut ad se multitudinem contrahat, apposita singulis quibusque moribus loquitur. Desidiosum vetat litteras discere, avarum populari largitione liberat, ignavum prohibet accedere ad rempublicam, pigrum exerceri, timidum militare. Irreligiosus audit deos nihil curare; inhumanus, et suis commodis serviens jubetur nihil cuiquam tribuere; omnia enim sua causa facere sapientem. Fugienti turbam solitudo laudatur. Qui nimium parcus est, discit aqua et polenta vitam posse tolerari. Qui

VARIORUM NOTÆ.

' *Recens.... ætas.* Natus siquidem est Thales anno 2, Olympiad. XXXV, denatus autem an. 1 Olymp. LVIII.

Item Lucretius ait. Ita reposui ex mss. vet. Regio-Put. per emendationem, 1 al. Reg., 4 Colb., 2 Brun., ed. Betul. Et recte. In 13 scriptis totidemque impressis est, *Idem Lucretius ait*, male; nihil enim de Lucretio exstat in hoc capite, neque in præcedenti. Locus Lucretii est libri V initio.

Primus cum primis. Sic restitui ex mss. Jun., Lips., Pal., et edit. 12 ac Lucretio ipso ad 5 mss. codices emendato a Lambino. Alii *primum cum primis*, vel *primum cum primus*.

Mille anni. Hæc ad Thaletem referri non possunt, qui ante Senecam annis ne septingentis quidem vixit : sed hæc vel ad Homerum sunt referenda, vel ad barbaricam, ut vocant, philosophiam.

Mota sunt. Ita correxi ex cunctis ferme mss. ac vet. edit. 2 Rom., Venet. 1490, Cellar. In cæteris excusis et 1 Colb. rec. legitur *nota sunt*, in 2 Reg. *nata sunt*, in 1 Colb., *orta sunt*. Puto cum Cellario et Walchio *initia moveri*, esse fundamentum jaci, seu cœptum esse primum de re disputari. Hic locus hodie non exstat in Senecæ Operibus.—*Initia... mota.* Retineo, *mota*, quia *movere* valet *incipere*. Virgil. l. VII Æn., v. 45 : *Majus opus moveo.* Conf. v. 40 : *Exordia*; v. 44 : *Nascitur.* Unde Ciofanus ad Ovidii lib. III, Fast. 6,

Quod mea quærebam musa moveret opus,

recte exponit *movendi* verbum per *exordiri*. BUN.

Quod irridens Persius, etc. Hunc Persii locum Lactantius in Urbem advectam fuisse cum *saporis*, id est saporatis et sapidis mercibus, quæ ex Asia deferri non multo ante cœperant, cujusmodi est piper atque alia ejus generis aromata; interimque allusisse ad sapientiæ nomen, quod a *sapore*, quasi per contemptum vult deduci, quem illa traxerit a mercibus illis, quibuscum ad nos delata fuit; atque adeo censet Titius, illud, *saporis*, esse ablativum plurale ab adjectivo *saporus, ra, rum*, nove quidem a Lactantio formatum, imitatione tamen et exemplo aliarum dictionum consimilium, ut ab *odore, odorus, ra, rum*; a *vapore, vaporus*; a *canore, canorus*; ab *honore, honorus*. Isæ.

Quia. Ita reposui ex omnibus mss. præter rec. 1 Reg., 1 Colb. et editos, in quibus est *qui*.

Nesciverunt. Alii *nescierunt*.

Per ignorantiam veri. Ms. quo usus est Colonicensis editor anni 1544, habet *præ ignorantia veri*, quod non est injucundum.

Cum his decertemus. Sic lego cum multis mss. et 8 impressis. Scripti 16 et editi tres *cum iisdem certemus*; 4 excusi cum 1 Clarom. *eisdem*. In Regio-Put., est *veniam .. decertem.* In al. mss. 3, *veniam... certem.*

Multos populare nomen voluptatis invitat. Ita omnes prope mss. et septem editi. In 1 Reg. rec. et excusis septem est *ad populare nomen*. Vetus versio Gallica sic habet, *parce qu'elle invite et appelle plusieurs à ce nom de volupté, tant aimé et désiré par le peuple*. In ed. Sublac. legitur *multos ad populare*.

Præterea. Sic ferunt omnes ferme mss. et editi. In Cauc., 1 Reg. rec. et 6 rec. editis est *Propterea*.

Vetat litteras discere. Reprehenditur ipse Epicurus, quod non ea addidicerit, quæ hominem vere eruditum faciunt. Hic philosophus scribens ad Philoclem, ait omnem doctrinam esse fugiendam.

Pigrum exerceri. Ita restitui ex mss. et editis Rom. 1470, Torn., Soubr., Walch. Cæteris vulgatis est *exercere*, mendose.

Nihil curare. De hoc vide librum de Ira Dei, c. 27.

Vitam posse tolerari. Sic reposui ex antiquissimo ms. Reg. et 4 al. Reg., 5 Colb., 2 Clarom. aliisque, nec non ex editis 2 vet. Rom., Torn., Soubr. Walch.,

Digitized by Google

odit uxorem, huic enumerantur cœlibatus bona : habenti malos liberos orbitas prædicatur; adversus impios parentes nullum esse vinculum naturæ. Impatienti ac delicato dolorem esse omnium malorum maximum dicitur : forti, etiam in tormentis beatum esse sapientem. Qui claritati ac potentiæ studet, huic præcipitur reges colere : qui molestiam ferre non potest, huic regiam fugere. Ita homo astutus ex variis diversisque moribus circulum cogit, et dum studet placere omnibus, majore discordia secum ipse pugnavit, quam inter se universi. Unde autem disciplina ejus tota descendat, quam originem habeat, explicandum est.

Videbat Epicurus bonis adversa semper accidere, paupertatem, labores, exilia, charorum amissiones; malos contra beatos esse, augeri potentia, honoribus affici : videbat innocentiam minus tutam, scelera impune committi : videbat, sine delectu morum, sine ordine ac discrimine annorum sævire mortem : sed alios ad senectutem pervenire, alios infantes rapi, alios jam robustos interire, alios in primo adolescentiæ flore immaturis funeribus extingui, in bellis potius meliores, et vinci, et perire. Maxime autem commovebat, homines in primis religiosos gravioribus malis affici : iis autem, qui aut deos omnino negligerent, aut non pie colerent, vel minora incommoda evenire vel nulla : ipsa etiam sæpe templa fulminibus conflagrare. Quod Lucretius queritur (*lib.* II, *de Natura rerum*), cum dicit de Deo :

> Tum fulmina mittat, et ædes
> Ipse suas disturbet; et in deserta recedens,
> Sæviat exercens telum, quod sæpe nocentes
> Præterit, exanimatque indignos, inque merentes.

Quod si vel exiguam veritatis auram colligere potuisset, numquam diceret, ædes illum suas disturbare; cum ideo disturbet, quod non sunt suæ. Capitolium, quod est Romanæ urbis et religionis caput summum, non semel, sed sæpius fulmine ictum conflagravit. Homines autem ingeniosi quid de hoc existimaverint, ex dicto Ciceronis apparet, qui ait, divinitus extitisse illam flammam, non quæ terrestre illud domicilium Jovis deleret, sed quæ sublimius magnificentiusque deposceret. Qua de re etiam in libris Consulatus sui eadem dixit quæ Lucretius :

VARIORUM NOTÆ.

In 6 rec., 1 Colb. et 12 excusis est *tolerare*. Tantæ autem erat frugalitatis, ut solo pane et aqua vesceretur; nec ulli deditus erat voluptati, ut ait S. Hieronymus lib. II, adversus Jovinianum : additur tamen, quod eam solum respuebat propter incommoda, quæ inde sequebantur. Qua de re vide Stobæum.—*Vitam... tolerari*. Tenuitatem et parcimoniam verbo *tolerare* indicari, auctor est Taubmann. ad Virgil. VIII, Æn. v. 409. BUN.

Qui odit uxorem. De quo vide S. Hieronym. sub finem lib. I, ad Jovinianum.

Adversus parentes impios. Hoc ordine Goth. unde una dempta littera fingo, *adversus parentes* impio, sc. *dicitur*, ut statim sequitur paulo ante : *Habenti malos liberos*; nunc *impio* filio adversus parentes blanditur. BUNEMAN.

Reges colere. De hoc vide Plutarch. De Tranquillitate animi, et Stobæum sermone 27.

Moribus. Ita restitui ex 31 mss. et 7 editis., 1 Reg. rec. habet *motibus*, corrupte; 2 Reg. rec., Torn., 1 Colbert. et 10 edit. *modis*.

Cogit. Vetustissimorum et optimorum codicum est, 2 Bon., 9 Reg., 4 Colb., Tornes., 2 Clarom., Cantabrig. nec non edit. vet. Rom. et 8 al. In rec. 1 Reg., 2 Colb., Goth., Em., Brun. et 5 edit., *colligit*.—*Circulum cogit*. Exactum a Cellario et Walchio, et jam ante a Tornesio 1587 verbum *cogit*, recocavi. Habent enim vetustissimi plurimique libri scripti, editi, *Cogere circulum*, eleganter : idem est quod *cœtum colligere, congregare*, sive, ut hoc capite sup., *Ad se multitudinem contrahere*. De circulo pro *cœtu, corona*, Apul. Metam. lib. II, pag. 120 : *Quum frequentis populi circulo conseptus coronæ circumstantium fata enodaret*. BU.

Videbat Epicurus bonis adversa semper accidere, etc. Hinc concludebat nullam esse providentiam, ac Deum nullam hominum curam gerere : sed omnia fortuito casu evenire. Hinc non solum Epicurus, verum et alii, Seneca in Hippol. act. III; Lucanus lib. 7 :

> Sunt nobis nulla profecto
> Numina : cum cæco rapiantur singula casu,
> Mentimur regnare Jovem.

Ovid. lib. III Amor., eleg. 8 :

> Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
> Sollicitor nullos esse putare deos.

GALLÆUS. — Ita falso opinabantur ii, qui rerum post mortem futurarum nil certi habebant.

Infantes rapi. More veterum. Sueton. C. Cæs. Caligul. cap. 7 : *Infantes adhuc rapti*. Plin. VI, ep. 6 : *Doleo, illum immatura morte indignissime raptum*. Justin. lib. VII, cap. 2 : *Immatura morte raptus*. BUN.

Ipse suas. Lucretius in editis habet : *Sæpe suas*.

Capitolium. De Capitolii incendiis, ex antiquioribus nemo copiosius quam Plutarchus, in Vita Publicolæ, et Cornelius Tacitus, lib XIX Annalium. Tarquinius Priscus, Demarati filius, Sabino bello templum Jovi, in monte Tarpeio, qui ante Saturnius dictus fuerat, ædificare cœpit. Dum opifices fundamenta aperirent, caput hominis est repertum. Quod omen Augures significare dicebant, arcem hanc caput orbis futurum, et ob id monti nomen est inditum Capitolini. Sed morte interceptus ille Priscus inchoatam structuram reliquit. Quam post Tarquin. Superbus, illius nepos, ex spoliis captæ Pomeriæ absolvit : qui priusquam dedicationem obiret, propter tyrannidem expulsus fuit. Et hæc quidem dedicatio post Tarquinium facta fuit, anno ab U. C. 247. Capitolium saxo quadrato substructum, opus vel postera magnificentia conspiciendum, incendio absumptum est bellis Marianis L. Scip. Asiat. et C. Norbano Balbo Coss., hoc est, anno U. C. 671, a dedicatione annis 424, non 415, ut asserit Tacitus, cujus errorem postea secutus est et Alexander Neapolitanus. Restituit hoc Sylla. Consecravit restauratum Qu. Catulus, cujus Plinius etiam meminit lib. XIX, cap. 1. Duravit hoc ad bellum usque Vitellianum, quo secundo a militibus incensum. Restituit Vespasianus; eoque adhuc vivente, tertio igne absumptum, cumque ipso Capitolio Vespasianus quoque mortem obiit. Domitianus deinde magnificentius illud fecit, quam antea unquam fuisset. Verba autem Lucretii referenda sunt ad incendium Marianum. At non video quando Jovis fulmine conflagrarit. BETUL. — *Capitolium..... fulmine ictum*. Vid. Arnob., l. VI, pag. 245, ed. in 8 Elmenh. *Quum Capitolium toties edax ignis absumeret, Jovemque ipsum capitolinum cum uxore corripuisset ac filia, ubinam fulminator tempore illo fuit... vindicaret*. BUNEMAN.

Consulatus sui. Hunc librum non habemus : sed vide lib. II de Div., cap. 20, ubi iidem versus leguntur.

Digitized by Google

Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo,
Ipse suas arces, atque inclyta templa petivit,
Et Capitolinis injecit sedibus ignes.

Pertinaci ergo stultitia non modo vim majestatemque veri Dei non intellexerunt : sed etiam impietatem sui erroris auxerunt, qui templum cœlesti judicio sæpe damnatum restituere contra fas omne contenderint.

Cum hæc igitur cogitaret Epicurus, earum rerum velut iniquitate inductus (sic enim causam rationemque ignoranti videbatur) existimavit nullam esse providentiam. Quod cum sibi persuasisset, suscepit etiam defendendum : sic in errores inextricabiles se ipse conclusit. Si enim providentia nulla est, quomodo tam ordinate, tam disposite mundus effectus est ? Nulla, inquit, dispositio est; multa enim facta sunt aliter, quam fieri debuerunt. Et invenit homo divinus, quæ reprehenderet. Quæ singula si vacaret refellere, facile ostenderem, nec sapientem hunc fuisse, nec sanum. Item si nulla providentia est, quomodo animalium corpora tam providenter ordinata sunt, ut singula quæque membra mirabili ratione disposita sua officia conservent? Nihil, inquit, in procreandis animalibus providentiæ ratio molita est; nam neque oculi facti sunt ad videndum, neque aures ad audiendum, neque lingua ad loquendum, neque pedes sd ambulandum : quoniam prius hæc nata sunt quam esset loqui, audire, videre, ambulare. Itaque non hæc ad usum nata sunt : sed usus ex illis natus est. Si nulla providentia est, cur imbres cadunt, fruges oriuntur, arbusta frondescunt? Non, inquit, semper causa animantium ista fiunt, quoniam providentiæ nihil prosunt : sed omnia sua sponte fieri necesse est. Unde ergo nascuntur (*Vide Lucret., lib.* II) aut quomodo fiunt omnia quæ geruntur? Non est, A inquit, providentiæ opus; sunt enim semina per inane volitantia, quibus inter se temere conglobatis, universa gignuntur atque concrescunt. Cur igitur illa non sentimus aut cernimus? Quia nec colorem habent, inquit, nec calorem ullum, nec odorem; saporis quoque et humoris expertia sunt, et tam minuta, ut secari ac dividi nequeant.

Sic eum, quia in principio falsum susceperat, consequentium rerum necessitas ad deliramenta perduxit. Ubi enim sunt, aut unde ista corpuscula? Cur illa nemo præter unum Leucippum somniavit? a quo Democritus eruditus hæreditatem stultitiæ reliquit Epicuro. Quæ si sunt corpuscula, et quidem solida, ut dicunt, sub oculos certe venire possunt. Si eadem est natura omnium, quomodo res varias efficiunt? B Vario, inquit, ordine ac positione conveniunt : sicut litteræ, quæ cum sint paucæ, varie tamen collocatæ, innumerabilia verba conficiunt. At litteræ varias formas habent. Ita, inquit, et hæc ipsa primordia; nam sunt aspera, sunt hamata, sunt lævia. Secari ergo et dividi possunt, si aliquid inest illis quod emineat. Si autem lævia sunt et hamis indigent, cohærere non possunt. Hamata igitur esse oportet, ut possint invicem concatenari. Cum vero tam minuta esse dicantur, ut nulla ferri acie dissici valeant, quomodo hamos, aut angulos habent? Quos, quia extant, necesse est posse divelli. Deinde quo fœdere inter se, qua mente conveniunt, ut ex his aliquid construatur? Si sensu carent, nec coire tam disposite possunt; quia non potest quidquam rationale perficere, nisi ratio. C Quam multis coargui hæc vanitas potest ! sed properat oratio. Hic est ille,

Qui genus humanum ingenio superavit, et omnes
Præstinxit stellas, exortus uti ætherius sol.

VARIORUM NOTÆ.

Ipse, etc. Hic secundus versus hoc modo legitur apud Cicer., lib. II de Divin. :

Ipse suos quondam tumulos, ac templa petivit.

Se ipse conclusit. Sic restitui ex optimo et veterr. ms. Regio Put. et 1 al. recentiori, 3 Colb., 1 Lips., Em., Brun., suffragantibus 16 aliis in quibus est *inclusit*, ut in 10 vet. impressis. Hic *concludere* Terentianum est hac significatione, pro *se immittere, implicare se*, Gallice *s'engager*, *s'embarrasser*, 3 Reg. et 6 editi ferunt, *se ipse conjecit*. D

Nulla dispositio est. Vide Lucret. II et V, sub initium. Vide etiam Ciceron. de Natura deorum, lib. I.

Et invenit homo divinus, quæ reprehenderet. Perperam hæc verba in multis edd. ita impressa, ac si essent Epicuri verba, quum sunt verba ironica Lactantii. Hinc typis ordinariis impressa volui. BUNEMAN.

Providenter. Goth. *prudenter.* Conf. l. VI, c. 15. De Ira, cap. 10. Legitur quoque in Plini Panegyric., cap. 1 : *Quod nihil rite nihilque* providenter *homines sine deorum immortalium consilio honore auspicarentur.* BUNEMAN.

Sunt enim semina. Reservabimus hanc de atomis disputationem in caput 10 libri de Ira Dei. Vide interea S. Basilium super hac re homilia εἰς τὸ ἑξαήμερον prima, et caput tertium libri primi Placitorum apud Plut. BETULEIUS.

Præter unum Leucippum. De illo Galenus in Historia philosophica. Sed de his in libro de Ira Dei.

Si sunt. Manuscriptum est; *si sint*, editornm.

Vario ordine. De quo vide Lucret. II lib.

Si autem lævia sunt et hamis indigent. Sic legit Bonon. ex quo locus hic corrigendus est, etiamsi enim in aliis mss. ac cunctis editis legatur, *et humoris indigent*, vitiosa tamen est lectio; quod constat hac ratione, quam solide allegat Thomasius, quia nempe humor additus lævitati, non solum nullam cohæsionem, sed lapsum potius efficiet. GALLÆUS.

Ut..... dissici valeant. Hic rursum habes verbum antiquum *dissicio*, cujus explicationem supra vide, lib. II, cap. 8. Nota, male in rec. 2 Reg., 1 Colb. et in editis haberi *disjici*. GALL.

Construatur. In 1 Bonon. antiq. *conseratur.* In 12 mss. rec. et 10 editis *constituatur*.

Hic est ille. Scilicet Epicurus, ad quem hæc carmina respiciunt ex Lucretii lib. III, in fine.

Præstinxit stellas. Mss. 4 Reg., Cauc., Lips., Pal., Jun., Cant. et 4 editi ferunt *restinxit;* 6 typis excusi *restrinxit;* 6 Reg., 6 Colbert., 1 Sorbon., 1 Clarom., Brun., et 2 vet. edit. Rom., *Extinxit.* At Lucretius a Lambino emendatus legit *Præstinxit*, eodemque verbo utitur lib. II et IV. *Præstinguere* autem (ut docet Nonius) valet obtenebrare vel obscurare, quemadmodum sol exoriens stellarum fulgorem obscurat. Dubitari non potest quin legendum sit *præstinxit*, non *restinxit*, aut *extinxit;* non enim sol exoriens stellarum splendorem extinguit, sed dumtaxat *præstinguit. Restinguit* autem multo minus : nam *Res-*

Digitized by Google

Quos equidem versus numquam sine risu legere possum. Non enim de Socrate, aut Platone hoc saltem dicebat, qui velut reges habentur philosophorum: sed de homine, quo sano et vigente, nullus æger ineptius deliravit. Itaque poeta inanissimus leonis laudibus murem non ornavit, sed obruit et obtrivit. At idem nos metu liberat mortis, de qua hæc ipsius verba sunt expressa: « Quando nos sumus, mors non est: quando mors est, nos non sumus; mors ergo nihil ad nos. » Quam argute nos fefellit! quasi vero transacta mors timeatur, qua jam sensus ereptus est, ac non ipsum mori, quo sensus eripitur. Est enim tempus aliquod, quo nos etiamnum sumus, et mors tamen nondum est; idque ipsum videtur miserum esse, cum et mors esse incipit, et nos esse desinimus.

Nec frustra dictum est: Mors misera non est. Aditus ad mortem est miser: hoc est, morbo tabescere, ictum perpeti, ferrum corpore excipere, ardere igni, dentibus bestiarum laniari. Hæc sunt quæ timentur, non quia mortem afferunt, sed quia dolorem magnum. Quin potius effice ne dolor malum sit. Omnium, inquit, malorum maximum est. Qui ergo non possum non timere, si id, quod mortem antecedit, aut efficit, malum est? Quid, quod totum illud argumentum falsum est? quia non intereunt animæ. Animæ vero, inquit, intereunt. Nam quod cum corpore nascitur, cum corpore intereat necesse est. Jam superius dixi, differre me hunc locum melius, et operi ultimo reservare, ut hanc Epicuri persuasionem, sive illa Democriti, sive Dicæarchi fuit, et argumentis, et divinis testimoniis redarguam. Verum ille fortasse impunitatem vitiis suis spopondit; fuit enim turpissimæ voluptatis assertor, cujus capiendæ causa, nasci hominem putavit. Quis, cum hoc affirmari audiat, vitiis et sceleribus abstineat? Nam si perituræ sunt animæ, appetamus divitias, ut omnes suavitates capere possimus: quæ si nobis desunt, ab iis qui habent, auferamus clam, dolo, vi; eo magis, si humanas res Deus nullus curat, quandocunque spes impunitatis arriserit, rapiamus, necemus. Sapientis est enim malefacere, si et utile sit, et tutum; quoniam si quis in cœlo Deus est, non irascitur cuiquam. Æque stulti est et benefacere; quia sicut ira non commovetur, ita nec gratia tangitur. Voluptatibus igitur, quoquo modo possumus, serviamus. Brevi enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere nobis sine voluptate patiamur: ne, quia ipsi quandoque perituri sumus, id ipsum quod viximus pereat.

Hoc ille tametsi non dicit verbo, re tamen ipsa docet. Nam cum disputat, omnia sapientem sua causa facere, ad utilitatem suam refert omnia quæ agit. Ita qui audit hæc flagitia, nec boni quidquam faciendum putabit, quoniam benefacere ad utilitatem spectat alienam, nec a scelere abstinendum, quia maleficio præda conjuncta est. Archipyrata quisquam, vel latronum ductor, si suos ad grassandum cohortetur; quo alio sermone uti potest, quam ut eadem dicat, quæ dicit Epicurus? Deos nihil curare; non ira, non gratia tangi; inferorum pœnas non esse metuendas, quod animæ post mortem occidant, nec ulli omnino sint inferi; voluptatem esse maximum bonum; nul-

VARIORUM NOTÆ.

tinguere de ardore aut calore dicitur, non de lumine aut fulgore. *Ex* LAMBINO.

Quando mors est, nos non sumus. Hanc esse genuinam lectionem constat ex Bonon., Tax., Pen., 2 Brun., 6 Colb., 2 Clarom. et omnibus Vatic. et ex Epicuro ipso in epist. ad Mœneceum apud Laert. non quæ vulgo habetur, *quando nos non sumus, mors est.* ISÆUS. Hæc Isæi correctio confirmatur a mss. Lips., Pal., Ult., Jun., editis Plantin., Gymn., Genev., Ald., Gratand., Is. et Thysii. Locus Epicuri ad Mœnec. sic habet: Ὅταν δὲ ὁ θάνατος ἄπρη, τότ' ἡμεῖς οὐκ ἐσμέν. GALLÆUS: De hac ratiocinatione vide Lucretium, lib. III; Laërtium, in Epicuro; Aul. Gellium, lib. II, cap. 8; Plutarch. de Tranquillitate Vitæ, et Stobæum Sermone 15.

Qua jam sensus ereptus est. Ita reposui ex vet. edit. Rom. ac Venet. nec non Tornes., Cellar. et cunctis mss. præter 1 Reg. et 17 edit. in quibus est *quia.* Vide infra, *quo sensus eripitur.*

Quo nos etiamnum sumus. Placet Isæi ad hunc locum observatio, qui pro eo quod in impressis habetur, *quo et nos jam non sumus*, legendum putat eo modo quo excudi curavimus. Ratio ejus solidissima est; si enim tempus est aliquod, quo et nos jam non sumus, et mors nondum est, recte dictum est ab Epicuro, quod eo tempore mors nihil ad nos. Lactantius vero contrarium intendit, ut patet ex scopo, si textus attente expendatur. Et sane, lapsus facilis fuit *non* pro *num* substituendi. Edit. Graphei et Gymnici et ms. Jun. nostram hanc emendationem confirmant; carent enim illa negatione quæ in reliquis, tum mss. cum editis invenitur. GALLÆUS.

Cum et mors esse incipit. Mss. 17 et edit. 5, *quod et mors.* 1 Bonon. antiq. et Brun., *quo et mors.*

Afferunt. Ex mss. et 9 veteribus editis est; in recentioribus excusis est *afferant.*

Quin potius effice ne dolor malum sit. Sic restitui ex 10 editis, ac vetustissimis mss. 2 Reg. et 21 aliis, nisi quod in duobus est *effici*, in sex *efficit*; in 1 al. Reg. *ut dolor malum non sit.* Sed et nostram lectionem secutus est gallicus interpres: *O Epicure, fais plutôt que douleur ne soit point mal.* In sex editis legitur, *Quæ res potius efficit, ut dolor malum sit.*

Quia non intereunt animæ. Animæ vero intereunt. Ita emendavi ex ms. Reg. 400 annor. optimæ notæ, succurrentibus 2 veterrimis Regiis, alioque Reg. rec. et ed. Betul. in quibus semel est *animæ*; et in 15 scriptis et 11 vulgatis, *vere, inquit*; in tribus, *verum.*

Necesse est. Id post Epicurum somniat Lucretius lib. III.

Operi ultimo. Hoc exequitur Lactantius lib. VII, capitib. 7, 8, etc.; et Epitome, cap. 10.

Democriti, etc. Ille fuit Abderites, qui atomos excogitaverit: quinto sæculo vixit ante vulgarem æram, obiitque annos natus 109, Olympiad. LXXIV. Dicæarchus vero Messenius fuit philosophus, qui opinatus genus humanum semper fuisse, atque omnia in homine simul interire.

Turpissimæ voluptatis. Hic sui fuit oblitus auctor noster; supra enim dixerat, Epicurum collocasse summum bonum in voluptate animi.

Impunitatis. Sic Cicero pro Milone ait: *Impunitatis spes maxima est illecebra peccandi.*

Malefacere. At e contra Cicero, de Officiis, docet, bonum virum numquam peccaturum, etiamsi impunitas sit proposita. Nihil enim utile, quod non sit honestum.

Ita qui audit hæc flagitia. Sic reposui ex mss. In vulgatis est, *Itaque qui audit*, etc.

Digitized by Google

lam esse humanam societatem; sibi quemque consulere; neminem esse qui alterum diligat, nisi sua causa; mortem non esse metuendam forti viro, nec ullum dolorem, qui etiamsi torqueatur, si uratur, nihil curare se dicat. Est plane, cur quisquam putet, hanc vocem viri esse sapientis, quæ potest latronibus aptissime commodari?

CAPUT XVIII.

Pythagorici et Stoici, animarum immortalitatem statuentes, voluntariam mortem inaniter persuadent.

Alii autem contraria his disserunt, superesse animas post mortem; et hi sunt maxime Pythagorici ac Stoici: quibus etsi ignoscendum est, quia verum sentiunt, non possum tamen non reprehendere eos, quia non sententia, sed casu inciderunt in veritatem. Itaque in eo ipso quod recte sentiebant aliquid erra- A runt. Nam cum timerent argumentum illud, quo colligitur necesse esse, ut occidant animæ cum corporibus, quia cum corporibus nascuntur, dixerunt non nasci animas, sed insinuari potius in corpora, et de aliis in alia migrare. Non putaverunt aliter fieri posse, ut supersint animæ post corpora, nisi videantur fuisse ante corpora. Par igitur, ac prope similis error est partis utriusque. Sed hæc in præterito falsa est, illa in futuro. Nemo enim vidit, quod est verissimum, et nasci animas, et non occidere; quia, cur id fieret, aut quæ ratio esset hominis, nescierunt. Multi ergo ex iis, quia æternas esse animas suspicabantur, tamquam in cœlum migraturi essent, sibi ipsis manus intulerunt: ut Cleanthes, ut Chrysippus; ut Zeno, ut Empedocles, qui se in ardentis Ætnæ specum intempesta nocte dejecit, ut, cum repente non apparuisset, abiisse ad deos crederetur; et ex Romanis Cato, qui fuit in omni sua vita Socraticæ vanitatis imitator. B

VARIORUM NOTÆ.

Nisi sua causa. Atqui Cicero in Lælio damnat quæstuosam amicitiam, nec alium amicitiæ finem quam honestatis admittit: atque Plato ipse docet, hominem non tam sibi natum quam proximo cuique.

Qui etiamsi torqueatur. *Qui* ex plurimis mss. restitui, quod congruentius est quam *quin* aliorum.

Non nasci animas. Antonin. lib. IV, § 21, vult animas *solvi, immutari, refundi, redaccendi*, ut aliis succedentibus et subeuntibus quotidie locum faciant, prout de corporibus dixerat in terram resolutis. Atque hoc est fortasse quod Epiphanius voluit, ubi de Stoicis dixit, II, Hær., 5: Μεταγγισμούς τε ψυχῶν καὶ μετεμσωματώσεις; et ex Epiphanio Joan. Damasc. in lib. de Hæres.: *Stoici animam de corpore in corpus migrare volunt.* Quo nomine Pythagoreis adjungit Stoicos Lactant. hoc loco. Servius ait, ad Æneid. lib. III: *Stoicos mediam viam secutos, cum Plato animam perpetuam dixerit, et ad diversa corpora transitum facere statim pro meritis vitæ prioris: Pythagoras vero, non* μετεμψύχωστν, *sed* παλιγγενεσίαν *esse dicat, hoc est, redire, sed post tempus.* Gatakerus. Vide Augustinum, lib. X de Civit. Dei, cap. 30. C

Et de aliis in alia migrare. Hanc de animarum μετεμψύχωσει opinionem primi tradidere Ægyptii. Ab illis autem hausit illam Pythagoras, teste Herodoto in Euterpe. Hoc idem sensere Galli. Lib. VI de Bello Gallico: *In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios.* Sed hæc inter Gallorum et Pythagoræ opinionem differentia est, quod Galli putarint, animas tantum transire ad homines alios, Pythagoras vero etiam ad alia animantia. Huic etiam opinioni fidem habuere Pharisæi, teste Josepho lib. XVIII, cap. 2 Antiq. Etiam modernis Judæis hæc arridet. Gallæus. D

Et nasci animas. Videtur hoc loco Lactantius a seipso dissentire. Tradit enim supra libro II, cap. 12, circa finem, quod *Deus animam qua spiramus infundit* in corpus: hic vero docet animas nasci. Sed ea de re videndus est S. Hieronymus lib. II Apologiæ adversus Rufinum, cujus hæc verba sunt: *Legi*, inquit Hieronymus, *quosdam dicentes, quod pariter cum corpore, per humani corporis traducem etiam animæ diffundantur; et hæc quibus poterant assertionibus confirmabant. Quod puto inter Latinos Tertullianum sensisse et Lactantium, fortassis, et nonnullos alios. Alii asserunt, quod formatis in utero corporibus, Deus quotidie faciat animas et infundat. Alii factas jam olim, id est, tunc cum omnia creavit Deus ex nihilo, nunc eas judicio suo nasci dispenset in corpore... Ego vero cum hæc singula legerim (Deo teste dico) quia usque ad præsens certi et definiti aliquid de hac quæstione non teneo; sed Deo relinquo scire quid sit in utero, et si cui ipse revelare dignabitur.* De hoc etiam videas Eusebium Præparat. Evang. lib. XIII, c. 10; et Cassiodorum, de Anima, cap. 9.

Quæ ratio esset hominis, nescierunt. Sic est legendum ex mss. vet. 1 Bonon., 2 Reg. ut judicat Thomasius; non *homines*, ut vulgo est in impressis ac aliis mss. non enim de hominibus in genere quid illi noverint, sed de Pythagoricis ac Stoicis, quos dicit hominis rationem ignorasse. Gallæus. — Ita fere lib. VII, cap. 3 et cap. 5 Divin. Institut.

Ut Cleanthes. Philosophus Stoïcus, qui φρεάντλης dictus, quod noctu in hortis hauriret aquas, unde se alere posset, ut interdiu philosopharl liceret: is sponte inedia vitam finivit, ut Laertius libro septimo in ejus Vita refert. Meminit Lucianus in Macrobiis. Betuleius.

Ut Chrysippus. Zenonis discipulus, et post Cleanthem sectæ Stoïcorum princeps fuit. Duæ sunt de hujus obitu apud Laertium sententiæ: una, quod largiore dulcis meri haustu, altera, quod risu nimio emortuus sit. Seneca epist. 57 memorat, quod assidua salutatio ipsum perduxerit ad mortem. Betul.

Ut Zeno. Citticus, sectæ Stoïcæ princeps. De hujus interitu Laert. sic scribit: *Cum abiret a schola, offendit, digitumque perfregit. Manu vero terram feriens, dixit illud ex Niobe:* Ἔρχομαι, τί μ' ἀύεις; *Venio, quid me clamas?* In ed. Laertii Parisiensi an. 1585 legitur Ἔρχομαι, τί με καλεῖς; *Venio, quid me vocas?* continuoque se strangulans interiit. Betuleius.

Ut Empedocles. Philosophus et poeta. Variæ de hujus obitu referuntur a Laertio opiniones: hæc tamen constantior fama obtinuit, quæ a Strabone quoque refertur lib. VI. Apud Lucianum, in dialogo Menippi et Æaci, quærit ex ipso Menippus causas præcipitationis; respondet Empedocles: Μελαγχολία τις, ὦ Μένιππε. Menippus factum in fastum, atque in inanis gloriæ affectationem transfert. Notatur etiam in Icaromenippo. Tertullianus, in libro ad Martyres, pro exemplo contemnendæ mortis adducit. Meminit etiam Tatianus adversus Gentes, et Greg. Nazianzenus in egregio ad Nemessum carmine.

Ἐμπεδόκλεις, etc., quæ sic latine reddas:

> Empedocles, fastu tumidum te valde superbo
> Ætnæi monstrant crateres morte caducum.
> Sandalia en jactant amentis numinis æstus
> Ærea. Ridendum mortalibus illa dederunt,
> Quem grave in exitium te Gloria pellit inanis.

Socraticæ vanitatis imitator. Sic restituo ex omnibus mss. et editis, præter Betul., Spark. et Gall., qui contra cunctorum mss. fidem reposuerant *Stoicæ*, quia revera Stoïcus erat Cato. At nihil obstat quin

Digitized by Google

Nam Democritus in alia fuit persuasione. Sed tamen A manæ sapientiæ princeps Cato, qui antequam se occideret, perlegisse Platonis librum dicitur, qui est scriptus de æternitate animarum, et ad summum nefas philosophi auctoritate compulsus est; et hic tamen aliquam moriendi causam videtur habuisse, odium servitutis. Quid Ambraciotes ille, qui, cum eumdum librum perlegisset præcipitem se dedit, nullam aliam ob causam, nisi quod Platoni credidit? Execrabilis prorsus ac fugienda doctrina, si abigit homines a vita. Quod si scisset Plato, atque docuisset, a quo, et quomodo, et quibus, et quæ ob facta, et quo tempore immortalitas tribuatur, nec Cleombrotum impegisset in mortem voluntariam, nec Catonem, sed eos ad vitam et justitiam potius erudisset. Nam Cato videtur mihi causam quæsisse moriendi, non tam ut Cæsarem B fugeret, quam ut Stoicorum decretis obtemperaret, quos sectabatur, nomenque suum grandi aliquo faci-

> Sponte sua letho caput obvius obtulit ipse,

quo nihil sceleratius fieri potest. Nam si homicida nefarius est, quia hominis extinctor est, eidem scelerí obstrictus est, qui se necat, quia hominem necat. Imo vero majus esse id facinus existimandum est, cujus ultio Deo soli subjacet. Nam sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habituros, donec jubeat emitti; et si vis aliqua inferatur, æqua mente id patiendum est, cum extincta innocentis anima inulta esse non possit, habeamusque judicem magnum, cui soli vindicta in integro semper est.

Homicidæ igitur illi omnes philosophi, et ipse ro-

VARIORUM NOTÆ.

Cato, etsi Stoicus, a Lactantio potuerit dici *Socraticæ vanitatis imitator*, quandoquidem ille Socratem imitatus, non sine magno fastu mortem aspernatus est; et cum se occideret, librum perlegerit Platonis de animarum Æternitate, ubi scilicet Socratis mors describitur. Nonne autem id sufficit, ut *Socraticæ vanitatis imitator* diceretur? Nourry. De Catonis morte vide Plutarchum, tom. II; et Augustinum, lib. I de Civit. Dei, cap. 23. — *Stoicæ vanitatis imitator.* Reclamantibus licet mss. et edd. ab 1465 ad 1650 editis, recepi *Stoicæ*, pro *Socraticæ*, adductus maxime his: *Cato, ut* Stoicorum *decretis obtemperaret, quos* sectatur. Conf. Plutarch. in Catone Minori, fol. 792, sqq. *Devenit* (Cato) *ad Stoicorum paradoxa.* Bun.

Nam Democritus. Lætitiam hic optimum dixit, tristitiam pessimum, alienissimus a Stoica severitate. Lucretii locum, unde hic versus desumptus est, integrum adscribemus:

> Denique Democritum postquam natura, vetustas
> Admonuit, memores motus languescere mentis,
> Sponte sua letho caput obvius obtulit ultro.

Sed apud Laertium diversum legitur; nempe quod panes calidos naribus admovendo, tribus diebus fata impleverit. Sed intelligendum est ipsum antehac mori per inediam decrevisse. Itaque de mortis ejus genere variant auctores: quippe quod Lucianus eum interiisse affirmet τῆς τροφῆς ἀποσχόμενον, quod etiam tradit Laertius; Athenæus, melle tantisper vitam sustentasse, dum præterierint θεσμοφορίων festa, ne privato luctu publica interpellarentur gaudia. Ab omnibus diversus Antoninus pediculis consumptum refert. *Ex* Betuleio (lib. III, § 3.)

Sponte sua. Apud Lucretium, lib. III de Natura rerum, in fine. Variant tamen auctores de mortis genere, ut dixi: vel per cibi abstinentiam, vel ex vermibus aut pediculis consumptum referunt antiquiores.

Sicut in hanc vitam, etc. Sequitur Ciceronem in Catone Maj., c. 20; et in Somnio Scipion. apud Macrobium, lib. I, cap. 23. Bun.

Ita rursus ex hoc domicilio corporis. Cicero in Catone majore hæc ad Pythagoram refert: *Vetat*, inquit, *Pythagoras injussu imperatoris, id est Dei, de præsidio et statione vitæ decedere.* Et in fragmento de Repub. Scipio Nepoti loquens sic ait: *Quare et tibi, Pub. et piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis; nec injussu ejus a quo ille est nobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamini.* Apparent ex Platone desumpta esse. Betuleius. — Qua de re vide Platonem in Phædone.

Patiendum. Sic restitui ex vet. sex editis et omnibus mss., præter Marm. in quo a prima manu scriptum est, ut in plerisque vulgatis.

Extincta innocentis anima. Id est, vita, f. extinctus innocens inultus. Noto ad lib. VI, c. 11, 20; lib. VII, c. 11. Terent. in Adelp. III, 2: *Seni animam extinguerem.* Bun.

Judicem magnum. Ita reposui ex cunctis mss. et edit. vet. rom. ac Cellar. quidquid dicat Walchius; quasi vindicta ad *Judicem magnum* non pertineat. In 13 impressis legitur *vindicem magnum.*

Vindicta in integro semper est. Sic cum tribus editis omnes pene mss. Et sic Lactantius *in totum, in integro;* et nos Galli etiam dicimus, *en tout, en son entier.* C Sex mss. rec. et 10 typis excusi habent *vindicta integra.* — *In integro.* Sic solet noster, ut, lib. I, c. 11: *Illud in vero est;* ibid., cap. 17: *Quid sit in vero*, l. V, c. 1: *Cujus rei causa in aperto est.* Sic in Cicerone lib. III Orat., cap. 4: *Sed quoniam hæc jam neque in integro nobis esse possunt*, quidam *integra* subornarant. Bun.

Et ipse Romanæ sapientiæ princeps, etc. Ut cujus consilium oraculum sit habitum, teste Plutarcho, qui in ejus Vita easdem causas spontaneæ necis assignat. Cicero, Officiorum I, de decoro personarum loquens, dicit hoc Catonis gravitatem decuisse maxime: cæteros, qui in eadem causa fuerunt, minime. Nos Augustinum rectius audiemus, qui voluntariæ necis jus omne hominibus aufert. Is lib. I de Civit. Dei, c. 23, hoc exemplum examinans, causas non Platonis lectionem credit, sed quod turpe duxerit, in Cæsaris victoris manus venire, atque hoc facinus imbecillioris, quam fortioris animi factum esse. In hoc etiam Josephus D invehitur, libro Excidii Hierosolymitani III, cap. 21. Jure civili non lugebantur, nec cognati eos in pollinctura nominabant, qui manus sibi mala conscientia injecerant. l. Liberorum, § Non solent. ff. de iis qui infam. not. Sed stulte, quod non etiam illos qui tædio vitæ. Betul.

Platonis. Liber iste est *Phædon.*

Philosophi auctoritate compulsus est. Plato hoc non docuit; ex initio Phædonis contrarium patet: non itaque philosophi auctoritate, sed suimet insania, philosophi mentem non percipiens, ad illud facinus fuit compulsus. Isæus.

Ambraciotes. Is est Cleombrotus adolescens, Ambraciæ urbe Græca in Epiro natus, qui se præcipitem dedit in mare. — *Quid Ambraciotes ille.* Cleombrotus est, quem supra nominavit. De eo Cicero Tusc. I, c. 34: *Callimachi epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est, quem ait, quum nihil ei accidisset adversi, e muro se in mare abjecisse, lecto Platonis libro.*

Digitized by Google

nore clarificaret : cui quid mali accidere potuerit, si viveret, non invenio. Caius enim Cæsar, ut clemens erat, nihil aliud efficere volebat, etiam in ipso belli civilis ardore, quam ut bene mereri de Republica videretur, duobus optimis civibus Cicerone et Catone servatis. Sed redeamus ad eos qui mortem pro bono laudant. De vita quereris, quasi vixeris, aut umquam tibi ratio constiterit, cur omnino sis natus. Nonne igitur tibi verus ille et communis omnium pater Terentianum illud (*Vid. Ter.* Heautontimor., *act.* v, *sc.* 2) jure increpaverit :

Prius disce, quid sit vivere;
Si displicebit vita, tum isthoc utitor.

Indigaris te malis esse subjectum : quasi quidquam merearis boni, qui patrem, qui dominum, qui regem tuum nescis; qui quamvis clarissimam lucem intuearis oculis, mente tamen cæcus es, et in profundis ignorantiæ tenebris jaces. Quæ ignorantia effecit, ut quosdam dicere non puderet, idcirco nos esse natos, ut scelerum pœnas lueremus : quo quid delirius dici possit, non video. Ubi enim, vel quæ scelera potuimus admittere, qui omnino non fuimus? Nisi forte credemus inepto illi seni, qui se in priori vita Euphorbum fuisse mentitus est. Hic, credo, quod erat ignobili genere natus, familiam sibi ex Homeri carminibus adoptavit. O miram et singularem Pythagoræ memoriam ! O miseram oblivionem nostrum omnium, qui nesciamus, qui ante fuerimus ! Sed fortasse, vel errore aliquo, vel gratia sit effectum, ut ille solus lethæum gurgitem non attigerit, nec oblivionis aquam gustaverit : videlicet senex vanus (sicut otiosæ aniculæ solent) fabulas tam quam infantibus credulis finxit. Quod si bene sensisset de iis, quibus hæc locutus est, si homines eos existimasset, nunquam sibi tam petulanter mentiendi licentiam vindicasset. Sed deridenda est hominis levissimi vanitas. Quid Ciceroni faciemus ? qui cum in principio Consolationis suæ dixisset, luendorum scelerum causa nasci homines, iteravit id ipsum postea, quasi objurgans eum, qui vitam non esse pœnam putet. Recte ergo præfatus est, errore, ac miserabili veritatis ignorantia se teneri.

CAPUT XIX.

Cicero et alii sapientissimi animarum immortalitatem, sed infideliter docent; et quod bona vel mala mors ex ante acta vita sit ponderanda.

At illi, qui de mortis bono disputant quia nihil veri sciunt, sic argumentantur : Si nihil est post mortem, non est malum mors; aufert enim sensum mali. Si autem supersunt animæ, est etiam bonum, quia immortalitas sequitur. Quam sententiam Cicero de Legibus sic explicavit : « Gratulemurque nobis, quoniam mors aut meliorem, quam qui est in vita, aut certe non deteriorem allatura est statum. Nam sine corpore animo vigente, divina vita est; sensu carente, nihil profecto est mali. » Argute, ut sibi videbatur, quasi nihil esse aliud possit. Atqui utrumque hoc falsum est. Docent enim divinæ Litteræ, non extingui animas : sed aut pro justitia præmio affici, aut pœna pro sceleribus sempiterna. Nec enim fas aut eum qui sceleratus in vita feliciter fuerit, effugere quod meretur; aut eum, qui ob justitiam miserrimus fuerit, sua mercede fraudari. Quod adeo verum est,

VARIORUM NOTÆ.

Epigramma est 24, edit. Th. Grævii, 28 Annæ Tanaquilli. CELL.

Clarificaret. Ecclesiastica vox, qua usi sunt Auctor Vulgatæ Versionis passim in novo Testamento, Sedulius, aliique.

Clemens erat. De Cæsaris clementia lege Plutarchum, Suetonium, Paterculum et alios historicos; sed præcipue Ciceronem in orationibus pro Marcello et pro Ligario.

Video. Sic repono ex edit. Tornes., Soubr., Walch. cunctisque mss. præter 2 Reg. rec. in quibus est, ut et in editis, *invenio*.

Inepto illi seni. Pythagoræ scilicet, de quo Laertius, Philostrat. lib. VIII de Vita Apollon.; Gell. quarto, cap. 11. Atque hic observa, quomodo irrideat dogma de animabus ante corpora conditis, quod ipsi Lactantio quidam affinxerunt. ISÆUS.—Euphorbus igitur ille, quem se fuisse olim mentiebatur Pythagoras, fuit nobilis Trojanus a Menelao in Trojano bello occisus.

Qui se in priori vita, etc. Altera pars hujus confutationis continet παλιγγενεσίαν, sive μετεμψύχωσιν Pythagoricam : de qua ex Gentilibus nemo copiosius Ovidio lib. XV. Metamorph. Post Laertium vero lege Gellium lib. IV cap. 11; Philostratum lib. VIII de Vita Apollonii. Exploditur dignis modis a Luciano, cum alibi, tum etiam in Gallo. Ex ecclesiasticis scriptoribus notant Tertull. in Apolog. cap. 46, Tatianus adversus Gentes; Orig. lib. I contra Celsum, atque rursus noster Lactantius lib. VII, cap. 23; Hieronymus lib. II adversus Jovin. et in Apologia adversus Ruffinum; Augustinus de Trinitate lib. XII. Chrysost. homilia quadam in XII caput Joannis; Cyrillus contra Julianum, lib. VII. BETULEIUS.

Euphorbum fuisse. Euphorbus Trojanus a Menelao interfectus. CELL.

Singularem Pythagoræ memoriam. Ipse de se apud Ovidium, Metam. XV, v. 160 :

Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli.
Panthoides Euphorbus eram; cui pectore quondam
Sedit in adverso gravis hasta minoris Atridæ.
CELL.

Qui vitam non esse pœnam putet. Hæc lectio permultorum mss. est, editorum quatuor. Scripti 7 addunt *malis;* quinque exhibent *malis plenam*, ut et vulgati sex.

Præfatus est. Ita veterrimi mss. 1 Bonon., 3 Reg., Lips., Pal., 1 Colbert. a secunda manu. In 15 rec. et in excusis legitur *profatus;* in 4 scriptis rec. *professus est. Præfatus est*, id est, supra dixit.

Gratulemur, etc. Hæc non leguntur apud Ciceronem in libris de Legibus; leguntur equidem, sed non iisdem verbis, in I Tusculanar. quæstion. sub initium.

Sensu carente. Mss. 1 Bonon. antiq. et Corbon. habent *sensu pereunte.* Apud Ciceronem et in 5 editis, necnon et 1 Reg. rec. est *sensu carenti.*

Ut sibi videbatur. Refertur ad Ciceronem qui præcessit, et mox sequitur. Mss. tres addunt, *locutus est.* In 7 mss. et in totidem editis est *videtur;* in 8 scriptis, *videntur.*

Litteræ. Scilicet. Daniel. XII, Matth. III, XIII, XXV, Joan. XII, L.

Ut idem Tullius. Hanc ultimam vocem addidi ex 13 excusis, et ex omnibus mss. præter 1 Reg. rec. cui est *Cicero :* abest autem a tribus rec (*Vide infra*).

Digitized by Google

ut idem Tullius in Consolatione non easdem sedes incolere justos atque impios prædicaverit. Nec enim omnibus, inquit, iidem illi sapientes arbitrati sunt, eumdem cursum in cœlum patere : nam vitiis et sceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno jacere docuerunt; castos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atque artibus expolitos, levi quodam et facili lapsu ad deos, id est, ad naturam sui similem pervolare. Quæ sententia superiori illi argumento repugnat. Illud enim sic assumptum est, tamquam necesse sit, omnem hominem natum immortalitate donari. Quod igitur erit discrimen virtutis, ac sceleris, si nihil interest, utrumne Aristides sit aliquis, an Phalaris ? utrum Cato, an Catilina ? Sed hanc repugnantiam rerum sententiarumque non cernit, nisi qui tenet veritatem. Si quis igitur nos roget, utrumne bonum sit mors, an malum ? respondebimus, qualitatem ejus ex vitæ ratione pendere. Nam sicut vita ipsa bonum est, si cum virtute vivatur, malum, si cum scelere : sic et mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda est. Ita fit, ut si vita in Dei religione transacta sit, mors malum non sit; quia translatio est ad immortalitatem. Sin autem, malum sit necesse est; quoniam ad æterna (ut dixi) supplicia transmittit.

Quid ergo dicemus, nisi errare illos, qui aut mortem appetunt, tamquam bonum, aut vitam fugiunt, tamquam malum? nisi quod sunt iniquissimi, qui pauciora mala non pensant bonis pluribus. Nam cum omnem vitam per exquisitas et varias traducant voluptates, mori cupiunt, si quid forte his amaritudinis supervenit; et sic habent, tamquam illis nunquam fuerit bene, si aliquando fuerit male. Damnant igitur vitam omnem, plenamque nihil aliud, quam malis opinantur. Hinc nata est inepta illa sententia, hanc esse mortem, quam nos vitam putemus; illam vitam, quam nos pro morte timeamus : ita primum bonum esse, non nasci, secundum citius mori. Quæ, ut majoris sit auctoritatis, Sileno attribuitur. Cicero, in Consolatione : « Non nasci, inquit, longe optimum, nec in hos scopulos incidere vitæ; Proximum autem, si natus sis, quamprimum mori, tamquam ex incendio effugere violentiam fortunæ. » Credidisse illum vanissimo dicto exinde apparet, quod adjecit aliquid de suo, ut ornaret. Quæro igitur, cui esse optimum putet non nasci, cum sit nullus omnino, qui sentiat : nam ut bonum sit aliquid, aut malum, sensus efficit. Deinde, cur omnem vitam nihil aliud esse, quam scopulos, et incendium putaverit; quasi aut in nostra fuerit potestate, ne nasceremur, aut vitam nobis fortuna tribuat, non Deus, aut vivendi ratio quidquam simile incendio habere videatur.

Non dissimile Platonis illud est, quod aiebat, se gratias agere naturæ : primum, quod homo natus esset potius, quam mutum animal; deinde, quod

VARIORUM NOTÆ.

Easdem sedes. Homeri et Virgilii poemata hoc idem docent.—*Non easdem sedes.* Intercidit quidem hic Ciceronis locus : sed superest huic plane geminus l. I, Tuscul. c. 30 dignissimus lectu. Conf. Lact. l. VII, c. 7 et Pfanner. Theolog. Gentil. c. 21. BUNEMAN.

Castos autem animos, etc. Euripides in Supplicibus, ait animum e corpore egredientem in cœlum, unde lapsus erat, avolare : corpus autem terræ, unde ortum erat, reddi. HERALD.

Facili lapsu ad deos... pervolare. Cicero c. l. *Iis ad illos* (deos) *a quibus essent profecti, reditum facilem patere.* BUN.

Hominem natum. Elegantia vocibus his junctis subest. lib. VI, c. 3 : *Immortalitatem nulli homini nato negat.* Lib. VII, c. 5 : *Siquidem omnis homo natus immortalis fieret.* Seneca, de Const. Sap. c. 6 : *Non est, quod dubites, an tollere se homo natus supra humana possit.* BUN.

Aristides. Hic sumitur pro quovis justo, sicut Phalaris pro tyranno, atque Cato pro bono cive, sic et Catilina pro nefario homine; horum historiæ sunt notissimæ.

An Phalaris. Is est famosus Agrigentinorum in Sicilia tyrannus cum tauro suo æneo. De eo vide Ciceronem in Verrem VI, n. 33.

Non cernit. Sic habent antiquiores et meliores mss. et 13 typis excusi. At 15 scripti rec. cum 2 edit. vet. Rom. habent, *non sentit.*

Ex vitæ ratione pendere. Juxta illud verbum, finem vitæ expectandum esse. Hinc Plinius lib. VII, cap. 40. Ita est profecto, inquit; alius de alio judicat dies, et tamen supremus de omnibus.

Sin autem. Ita reposui ex duobus optimis et antiquissimis 1 Bonon. et Regio-Put. In cæteris est *sin aliter*; vel *si aliter.*

Non pensant. In editione Sublac. legitur *compensant.*

Inepta illa sententia. Vide Eurip. apud Plat. in Geor. et apud Stob. Serm. 121; Aristoph. in Ran.; Cicer. in Somn. Scip. et Tusc. I. Hanc tamen sententiam, quam ineptam dicit Lactantius, non veretur probare Cicero, Epist. lib. XVI, epist. 8. — *Inepta sententia*, etc. Euripidem notat, cujus versus servavit Origenes contra Celsum, lib. VII, pag. 366.

Τις οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μὲν ἐστι κατθάνειν
Τὸ κατθάνειν δὲ ζῆν.

Add. Spencer. h. l. p. 89. His gemini sunt Euripid. versus, Troad., v. 631, 632, et incert. Trag. v 331. BUN.

Sileno attribuitur. Cicero, I Tusculan., 48 : *Affertur de Sileno fabella quædam : qui cum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur, docuisse regem, non nasci homini longe* optimum *esse*, proximum *autem, quamprimum mori.* De Sileno conf. Perizon. ad Ælian., Var. Hist. l. III, c. 18. BUN.

Non nasci. Est et hic locus in I Tuscul. quæst., non longe a fine. Sic et Plinius in præfatione lib. VII. ait : *Itaque multi extitere, qui non nasci optimum censerent, aut quam ocissime aboleri.*

Quamprimum mori, tamquam ex incendio effugere violentiam fortunæ. Verbum *mori* quod 25 mss. rec. et 6 editis deest, restitui ex mss. 3 Reg., 6 Vatic., Cauc., Jun., 1 Clarom. vet., edit. Rom. ac 9 aliis, et ex Cicerone ipso unde desumptus est hic locus : sed ibi desideratur vox *violentiam*, quam nobis exhibent 37 mss. codices ac 14 impressi, quam et sensus postulat. — *Quamprimum mori, et tamquam.* Addidi *mori et* ex sex Vaticanis edd. ab anno 1465, ad ann. 1559, tum omnibus Tornæs. 1548, 1614. BUN.

Effugere violentiam fortunæ. Verba, *violentiam fortunæ* habent decem Vaticani, quinque Sparkii, Emman., Cantabr., tres Lips. (nisi quod in tertio, *violentiaque fortunæ*). Hoc amplius Heumannus pronuntiat, verba, *violentiam fortunæ*, proscribendo. Videntur mihi retinenda; quia in refutatione, infra, *fortunæ* facit mentionem. BUN.

Non dissimile Platonis. De quo Platonis dicto vide Plutarch. ad fin. Marii.

Digitized by Google

mas potius, quam fœmina; quod Græcus, quam Barbarus; postremo, quod Atheniensis, et quod temporibus Socratis. Dici non potest, quantam mentibus cæcitatem, quantosque pariat errores ignoratio veritatis. Ego plane contenderim, numquam quidquam dictum esse in rebus humanis delirius. Quasi vero si aut Barbarus, aut mulier, aut asinus denique natus esset, idem ipse Plato esset, ac non ipsum illud, quod natum fuisset. Sed videlicet Pyhagoræ credidit, qui ut vetaret homines animalibus vesci, dixit, animas de corporibus in aliorum animalium corpora commeare: quod et vanum et impossibile est. Vanum, quia necesse non fuit veteres animas in nova corpora inducere, cum idem artifex, qui primas aliquando fecerat, potuerit semper novas facere. Impossibile, quia rectæ rationis anima tam immutare naturam status sui non potest, quam ignis aut deorsum niti, aut in transversum, fluminis modo, flammam suam fundere. Existimavit igitur homo sapiens, potuisse fieri, ut anima, quæ tunc erat in Platone, in aliquod mutum animal includeretur, esseique humano sensu prædita, ut intelligeret ac doleret incongruenti se corpore oneratam. Quanto sanius faceret, si gratias agere se diceret, quod ingeniosus, quod docilis natus esset, quod in iis opibus, ut liberaliter erudiretur. Nam quod Athenis natus est, quid in eo beneficii fuit? An non plurimi extiterunt in aliis civitatibus excellenti ingenio atque doctrina viri, qui meliores singuli, quam omnes Athenienses fuerunt? Quanta hominum millia fuisse credamus, qui et Athenis nati, et temporibus Socratis, indocti tamen, ac stulti fuerunt? Non enim aut parietes, aut locus in quo quisque est effusus ex utero conciliat homini sapientiam. Quid vero attinuit Socratis se temporibus natum gratulari? Num Socrates ingenia discentibus potuit commodare? Non venit in mentem Platoni Alcibiadem quoque et Critiam ejusdem Socratis assiduos auditores fuisse; quorum alter hostis patriæ acerrimus fuit, alter crudelissimus omnium tyrannorum.

CAPUT XX.

Socrates aliis prudentior fuit in philosophia, quamvis in multis desipuerit.

Videamus nunc, quid in Socrate ipso tam magnum fuerit, ut homo sapiens merito gratias ageret, illius se temporibus esse natum. Non inficior fuisse illum paulo cordatiorem, quam cæteros, qui naturam rerum putaverunt ingenio posse comprehendi. In quo illos non excordes tantum fuisse arbitror, sed etiam impios; quod in secreta cœlestis illius providentiæ curiosos oculos voluerint immittere. Romæ, et in plerisque urbibus scimus esse quædam sacra, quæ

VARIORUM NOTÆ.

Quod mas. Sic reposui ex vet. editis 3 Rom., Venet. 1490, et aliis octo, necnon ex omnibus mss. præter quinque, quibus est, ut 7 vulgatis, *quod masculus.*

Quam fœmina. Ita Judæorum magistri in Pesachim f. 65, et alibi: *Bene illi, cujus liberi sunt masculi; væ illi, cujus liberi sunt fœminæ.* Bun.

Quod Atheniensis. Ms. Cantabrig. et editi 7 addunt, *non Thebanus*, quod glossema videtur. Idem a Laertio, lib. I, tribuitur Socrati. Sublac. addit. *non Thebanus.*

Numquam quidquam dictum esse delirius. Non reticendum quod Judæi habent in preculis suis virorum peculiaribus: *Benedictus esto, o Domine Deus, quod me virum creasti, non mulierem; quod Israelitam, non alienigenam.* Gataker.

Quod natum fuisset. Legitur *natus fuisset* apud Buneman., qui hujus mutationis sic rationem reddit.— Restituo *natus* ex Lips. tert., Reimm., Rost, Venet. 1471, 72, utraque 78, 93, Parrh., Paris., Junt, Gymn., Ald., Isæo, Grat. Bun.

Sed videlicet Pythagoræ, etc. Platonem Pythagoræ doctrinam secutum fuisse, testatur etiam August. de doct. Christiana. Atque idem August. contra Julianum, lib. II, ex Ambrosii libro contra Plat. hæc recitat verba: *Miror tantum philosophum, quomodo animam, cui potestatem conferendæ mortalitatis attribuit, in noctuis includat, et ramulis, feritate quoque induat bestiarum: cum in Timæo eam Dei opus esse memoraverit, inter immortalia a Deo facta; corpus autem non videri opus summi Dei asserit; quia natura carnis humanæ nihil a natura corporis bestialis differat.* Emit autem Plato Philolai Pythagorici libros a mulierculis pauperibus: unde quidquid de immortalitate animæ scripsit, furatus est. Tzetz. Chil. II, Varlæ hist. Betuleius.

Commeare. Exprimit Minuc. Fel. cap. 37: *Animas... in alia nova corpora sæpius commeare.* Bun.

Quod et vanum, et impossibile est. Videtur Lactantius aliter sensisse de animis impiorum; ut in quos potestatem habeat spiritus malignus, unde in arte magica verti possint in lupos. Cujusmodi conversionem non solum agnoscunt Maro Eglog. IX et poetarum alii; sed Plinius quoque lib VIII, cap. 22. Sed parum ad rem facit, plane, an impii sint, quorum animæ in bestias transeant. Omnino enim, ut ex perfecto animali aliud fiat animal perfectum, longe exsuperat vim creatam; quodque Deus creaturis omnibus negavit, id non absque impietate illis adscribitur, etc. Vossius.

Fluminis modo. mss. 8 rec., *fulminis.*

Includeretur. mss. 6 rec., *induceretur.*

Gratulari. Ex omnibus mss. ita reposui, præter 2 Reg. rec. in quibus, ut et in excusis, est *gloriari.* Sic infra, *cujus temporibus natum esse se homo sapiens gratulatur;* et prius, *gratias agere naturæ:* nullibi tamen legitur *gloriari.*

Commodare. Scripti 11, *dare.*

Alcibiadem quoque et Critiam. Isocrates Alcibiadem Socratis discipulum fuisse negat in Busiride, Polycratem id asserentem redarguens. Et in Gorgia Platonis ipse Socrates ipsum ἑταῖρον suum dicit. Cæterum de rebus Alcibiadis lege Justin. lib. V; Thucyd. lib. VI; Plutarchum in Nicia, et alibi, de triginta tyrannis; lege Xenophontem, lib. II rerum Græcarum, Justin. lib. V. Betul. — *Alcibiadem... Socratis auditores.* Nepos in Alcib., cap. 2; pr. *eruditus a Socrate;* nec aliter Xenophon. lib. I Memorab. f. m. 713, sqq. quem præ cæteris hic sequitur, Alcibiadem patriæ hostem vocans. Nepos quidem contrarium affirmat: at Cicero, lib. I de Orat. c. 34: *Quid Critias? Quid Alcibiades? Civitatibus quidem suis non boni, sed certe docti atque eloquentes, nonne Socraticis disputationibus erant eruditi?* Conf. Maxim. Tyr. Diss. VIII, p. 90. Bun.

Illius se temporibus esse natum. Reimm.: *illis temporibus esse se natum.* Sed non minus eleganter pronomina, *illius se*, conjuncta.

Curiosos oculos. Si hic simul legas quæ inf., intelliges nostrum hic imitari Ciceronem de Haruspicum Responsis, c. 17, ubi de sacris Bonæ Deæ: *Quod* (sacrificium) *non solum* curiosos oculos *excludit*, etc. Bun.

Immittere. De his vide S. Augustinum de Civit. Dei, lib. VIII, cap. 5.

Digitized by Google

aspici a viris nefas habeatur. Abstinent igitur aspectu, quibus contaminare illa non licet: et si forte, vel errore, vel casu quopiam vir aspexerit, primo pœna ejus, deinde instauratione sacrificii, scelus expiatur. Quid his facias, qui inconcessa scrutari volunt? Nimirum multo sceleratiores, qui arcana mundi, et hoc cœleste templum profanare impiis disputationibus quærunt, quam qui ædem Vestæ, aut Bonæ Deæ, aut Cereris intraverint. Quæ penetralia quamvis adire viris non liceat, tamen a viris fabricata sunt. Hi vero non tantum impietatis crimen effugiunt : sed, quod est multo indignius, eloquentiæ famam, et ingenii gloriam consequuntur. Quid, si aliquid investigare possent? Sunt enim tam stulti in asseverando. quam improbi in quærendo ; cum neque invenire quidquam possint, nec defendere, etiamsi invenerint. Nam si verum vel fortuito viderint, quod sæpius contingit, committunt, ut ab aliis id pro falso refellatur. Non enim descendit aliquis de cœlo, qui sententiam de singulorum opinionibus ferat : quapropter nemo dubitaverit, eos, qui ista conquirant, stultos, ineptos, insanos esse.

¶ Aliquid ergo Socrates habuit cordis humani, qui cum intelligeret hæc non posse inveniri, ab ejusmodi quæstionibus se removit; vereorque ne in eo solo. Multa enim sunt ejus non modo laude indigna, sed etiam reprehensione dignissima, in quibus fuit suorum simillimus. Ex his unum eligam, quod ab omnibus sit probatum. Celebre hoc proverbium Socrates habuit : « Quod supra nos, nihil ad nos. » Procumbamus igitur in terram, et manus nobis ad præclara opera datas convertamus in pedes. Nihil ad nos cœlum, ad cujus contemplationem sumus excitati ; nihil denique lux ipsa pertineat : certe victus nostri causa de cœlo est. Quod si hoc sensit, non esse de rebus cœlestibus disputandum, ne illorum quidem rationem poterat comprehendere, quæ sub pedibus habebat. Quid ergo? num erravit in verbis? Verisimile non est : sed nimirum id sensit, quod locutus est, religioni minime serviendum : quod si aperte diceret, nemo pateretur.

Quis enim non sentiat, hunc mundum tam mirabili ratione perfectum, aliqua providentia gubernari? quandoquidem nihil est, quod possit sine ullo moderatore consistere. Sic domus ab habitatore deserta dilabitur ; navis sine gubernatore abit pessum ; et corpus, relictum ab anima, diffluit : nedum putemus, tantam illam molem aut construi sine artifice, aut stare tamdiu sine rectore potuisse. Quod si publicas illas religiones voluit evertere, non improbo, quin etiam laudabo, si ipse quod est melius invenerit. Verum idem per canem et anserem dejerabat. O hominem scurram (ut ait Zeno epicureus) ineptum, perditum, desperatum, si cavillari voluit religionem; de-

VARIORUM NOTÆ.

Nefas habeatur. Comparatio est a minori ad majus, juxta Gentilium tamen opinionem.

Vel casu quopiam. Sic restitui ex veteribus editis octo, et omnibus mss. præter 3 Reg. et 2 Lips. in quibus, ut in 7 excusis, legitur *quispiam*, in 1 Colb. *quoquam*. Nota obiter *quopiam* in sexto casu, ut apud Arnobium, lib. VI, ante finem, et lib. VII, post initium.

Hoc cœleste templum, etc. Sic Scipio in Somnio apud Cic. appellavit mundum. Quo loco Macrob. *Bene autem, inquit, universus mundus Dei templum vocatur, propter illos qui existimant nihil aliud esse Deum, nisi cœlum ipsum, et cœlestia ista quæ cernimus. Ideo ut summi potentiam Dei ostenderet posse vix intelligi, nunquam videri ; quidquid humano subjicitur aspectui, templum ejus vocavit, qui sola mente concipitur; ut qui hæc veneratur ut templa, cultum tamen maximum debeat conditori, sciatque quisquis in usum templi hujus inducitur, ritu sibi vivendum sacerdotis*, etc. BETUL.

¶ *Bonæ deæ*, etc. De qua mox Lactantius, et supra l. I, c. 22; Propert. l. IV, Eleg. 9, de sacris Bonæ deæ.

Fœmineæ loca clausa deæ, fontesque piandos,
Impune et nullis sacra retecta viris.

Et non solum viris templum Bonæ deæ ingredi nefas erat; sed et picturæ masculæ in templo velatæ, ut testantur Juvenal. Satyr. 6, et Senec. epist. 97. De his Bonæ deæ aut Vestæ Mysteriis vide Dionys. Halycarn. lib. II ; Ciceronem, oratione pro Domo sua, et Macrob., lib. I Saturnal., c. 11 et 12, atque Servium in IV lib. Æneidos.

Cordis. Hic *cor* ponitur pro animo, prudentia, sapientia. — *Aliquid..... habuit cordis.* Id est, ut sup., *fuit paulo cordatior.* Lactantius cum aliis sapientiam *in corde* ponebat : hinc, l. III, cap. 13 : *In corde sapientia est.* De Opif., cap. 10 : *Cor sapientiæ domicilium.* Cap. 12 : *Primum cor hominis effingi, quod in eo sit vita omnis et sapientia.* BUN.

Quod supra nos, nihil ad nos. Meminit etiam Hieronymus in Apologia adversus Rufinum. At videtur Lactantius Socrati paulo iniquior, et sibi contraria dicit, cum aliis in locis multum Socratem laudaverit. Verumtamen non eo veniendum est, ut dicamus, velut Erasmus Rotterod., qui sæpe vix abstinere se posse aiebat, quin diceret : *Sancte Socrates, ora pro nobis.*

Procumbamus..... in terram. Æquius interpretatur Minuc. Felix, c. 8. Tertullianus, l. II ad Nationes, c. 4, dictum hoc Epicuro tribuit. Jure vero, qui de Socrate scripserunt, Lactantium ob hanc sinistram interpretationem castigarunt. BUN.

Diffluit. Ita antiquiores ac potiores mss. undecim et nonnulli editi ; in cæteris *defluit*, minus bene.

Verum idem per canem, etc. Meminit hujus juramenti Athenæus, lib. IX. Deipnos. Excusat hunc Appollonius apud Philost., lib. VI, quod juraverit per ea, non tamquam per deos, sed ne per deos juraret. Quid dicam de Theologis? Tertul., cap. 14 Apolog. *Taceo*, inquit, *de philosophis, Socrate contentus, qui in contumeliam deorum, Quercum, et Hircum, et Canem dejerabat. Sed propterea damnatus est Socrates, quia deos destruebat.* Augustinus, item cap. 2 libri de Vera religione, clementius hoc interpretatur. Interea non negabimus, canem apud Ægyptios deum fuisse ; quod non modo Euseb. in Præparat. Evangelica testatur, sed ipse etiam Plato in Gorgia. BETUL. — Socrates dictus *scurra Atticus*, quia ridibundus pleraque docebat. Præter Ciceronem, libro I de Natura deorum, cap. 34, et lib. V de Finibus, vide Minucium in Octavio, paulo ante finem.

O hominem scurram... . Zeno Epicureus. Sequitur Ciceronem, lib. I de Nat. deor., cap. 34 : *Zeno non eos solum qui tum erant, Appollodorum, Syllum, cæteros figebat maledictis ; sed Socratem ipsum, parentem philosophiæ, latino verbo utens, scurram Atticum fuisse dicebat.* BUN.

Ut ait Zeno Epicureus. Ideo distinguendus a Zenone Cittio, sive stoico, etiam ab Eleate. Inter octo Zenones Laertius Epicureum hunc octavum ponit, Sidoniium genere. BUN.

Digitized by Google

mentem, si hoc serio fecit, ut animal turpissimum pro Deo haberet! Quis jam superstitiones Ægyptiorum audeat reprehendere, quas Socrates Athenis auctoritate confirmavit sua? Illud vero nonne summæ vanitatis, quod ante mortem familiares suos rogavit, ut Æsculapio gallum, quem voverat, pro se sacrarent? Timuit videlicet, ne apud Rhadamanthum reciperatorem voti reus fieret ab Æsculapio. Dementissimum hominem putarem, si morbo affectus periisset. Cum vero hoc sanus fecerit, est ipse insanus, qui eum putat fuisse sapientem. En, cujus temporibus natum esse se homo sapiens gratulatur.

CAPUT XXI.

De Platonis doctrina, quæ respublicas destrueret.

Videamus tamen, quid illum Socrates docuerit, qui cum totam Physicam repudiasset, eo se contulit, ut de virtute atque officio quæreret. Itaque non dubito, quin auditores suos justitiæ præceptis erudierit. Docente igitur Socrate, non fugit Platonem, justitiæ vim in æquitate consistere; siquidem omnes pari conditione nascuntur. Ergo nihil (inquit) privati ac proprii habeant: sed ut pares esse possint, quod justitiæ ratio desiderat, omnia in commune possideant. Ferri hoc potest, quamdiu de pecunia dici videtur. Quod ipsum quam impossibile sit, et quam injustum, poteram multis rebus ostendere. Concedamus tamen, ut possit fieri. Omnes enim sapientes erunt, et pecuniam contemnent. Quo ergo illum communitas ista perduxit? Matrimonia quoque inquit, communia esse debebunt: scilicet ut ad eamdem mulierem multi viri, tamquam canes confluant; et is utique obtineat, qui viribus vicerit: aut si patientes sunt, ut philosophi, expectent, ut vicibus, tamquam lupanar obeant. O miram Platonis æquitatem! Ubi est igitur virtus castitatis? ubi fides conjugalis? quæ si tollas, omnis justitia sublata est. At idem dixit, beatas civitates futuras fuisse, si aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur. Huic vero tam justo, tam æquo viro regnum dares, qui aliis abstulisset sua, aliis condonasset aliena; prostituisset pudicitiam fœminarum: quæ nullus unquam non modo rex, sed ne tyrannus quidem fecit.

Quam vero intulit rationem turpissimi hujus consilii? Sic inquit: Civitas concors erit, et amoris mutui constricta vinculis, si omnes omnium fuerint

VARIORUM NOTÆ.

Æsculapio gallum. Qua de re vide Tertullianum de Corona militis.

Pro se sacrarent. Sic ferunt omnes editi cunctique fere mss. inter quos sunt 4, veterrimi. Duo Reg. vet. habent, ut et in Epitom., cap. 37, *prosecrarent*, quod verbum non admittit lingua latina. Recentiores duo, *prosecant*; alii, *procurarent*; 3, *consecrarent*.— At Legitur *prosecrarent* apud Buneman, qui hujus vocis sic rationem reddit:— In tanta librorum variatione tutius putavi antiquissimorum codicum scripturam exhibere. Stephanus Baluzius ad libr. de Mort. Persec., c. 33: Melius, inquit, ut arbitror, codex regius 3735, *prosecrarent*. Bun.

Rhadamanthum. Inferorum judicem. Virgil. Æneid. VI, v. 566.

Reciperatorem. Ita reposui ex antiquissimo 900 annor. ms. codice Regio; et sic legendum esse censebant eruditi viri Th. Canterus, Jo. Cauci, et Gallæus. *Recuperator* enim et *recupero* sunt ab antiquo verbo *reciperare*, ut recte annotavit Paulus Francius Bescoviensis in suo Thesauro eruditionis scholasticæ, in-folio, Francofurti, 1622. Huic lectioni nostræ favent mss. Marm. cui est *receperatorem*; ms. 29 et edit. 9, per compendium, *receptorem*; 1 Reg. rec. et 9 edit. rec., *recuperatorem*; ms. Ultr. *imperatorem*, corrupte. *Reciperatores* autem, vel si mavis, *recuperatores* dicti sunt, qui de rebus privatis *recipiendis* reddendisque suo domino dolo ac fraude subductis cognoscebant. Gell. XX, 1; Livius, XXVI, 48.

Putat. Ex 18 mss. est, inter quos sunt vetustissimi Regii. Cæteri cum editis habent, *putet*.

Fuisse. Haud secus legi debet ex mss. antiquissimis., 1 Bonon., 2 Reg. aliisque tribus; melius quam *esse* in cæteris.

Justitiæ, etc. Mallem cum Thysio legere *æqualitate*, ob ea quæ sequuntur, *pari conditione... ut pares esse possint*. Sed et *æquitas* pro *æqualitate* usurpatur a Seneca. *Justitiæ vim in æquitate.* Æqualitatem ego malim, non quod æquitas, quæ Græcis ἐπιεικὲς dicitur, fundamentum justitiæ non sit, ut ipse Plato, Arist. et post hos Cic. quoque docet abunde: sed Lactantium τὸ ἴσον, sive τὴν ἰσότητα, quam Cic. solet æqualitatem interpretari, intelligere, ipsa communio de qua quæstio est, evincit. Quamquam non desint, qui ἰσότητα etiam *æquitatem* transferunt, eam intelligentes, quæ Varroni est *parilitas*. Plato de Legibus quinto et sexto, necnon Aristoteles in quinto Ethicor. Betul.

In æquitate. Legitur vero *in aqualitate* apud Buneman, qui notam sequentem exhibet. — *In æqualitate.* Sic l. v, cap. 14, sq.: *Æquitatem dico... se cum cæteris* coæquandi, *quam Cicero æquabilitatem vocat... omnes* æquos, id est, *pares esse..... omnibus æquitatem... largitur... æquo jure.*

Possideant. Ms. 1 Bonon. antiq., *possidebunt*.

Ferri hoc potest. Mss. 2 rec. cum 5 editis, *fieri*; 1 Reg. rec., *Fieri hoc non potest.*— *Ferri hoc potest, quamdiu.* Pro recepta, est Epitom. cap. 38: *De patrimoniis tolerabile est... potest aliquo modo ferri.* Bun.

Matrimonia quoque, etc. Cum alibi, tum. in 5 de Rep. Disputat contra hanc Aristoteles in II de Rep. item ex Ecclesiasticis Scriptoribus Eusebius lib. XIII de Præparat. Evang., cap. 12. Notatur ab Epiphanio tom. II, lib. III, a Chrysostomo, homilia 1 in Matth. et Actis capite II. Atque idem Epiph. t. II, l. I. Bet.

Si patientes sunt. In scriptis 10 et vulgatis 4 legitur, *patientes*. Ald., *sapientes*.

Ut vicibus. Sic reposui ex melioribus cunctis ferme mss. et 9 vetustioribus editis. In 7 scriptis et 8 rec. vulgatis est, *et vicibus*.

Beatas civitates futuras. Hæc Socratis sententia est in V de Rep. Vide Cic. ad Quintum fratrem epist. 1, cujus hæc sunt verba: *Atque ille quidem princeps ingenii et doctrina Plato, tum denique fore beatas Respublicas putavit, si aut docti, aut sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent.* Extat de eodem argumento libellus Plutarchi. Non id vero agit Lactantius, ut velit hoc dictum improbare: sed ut appareat, nec Socratem, nec Platonem inter sapientes esse numerandos, idque ex eventu; et ut ait S. Ambrosius, quod non veram, sed fictam et adumbratam dumtaxat Rempublicam descripserint. Betul.

Qui. Hanc vocem restitui ex mss. 6 Reg., 6 Colb. aliisque septem, editis octo vet. et 3 rec. Deest in 3 Regiis totidemque excusis.

Quam vero intulit rationem turpissimi hujus consilii. Editi octo rec. *Cum vero.* Reposui *Quam* interroga-

Digitized by Google

et mariti, et patres, et uxores, et liberi. Quæ ista confusio generis humani est! Quomodo servari potest caritas, ubi nihil est certum quod ametur? Quis aut vir mulierem, aut mulier virum diliget, nisi habitaverint semper una, nisi devota mens, et servata invicem fides individuam fecerit charitatem? quæ virtus in illa promiscua voluptate locum non habet. Item si omnes omnium liberi sint, quis amare liberos tamquam suos poterit, cum suos esse aut ignoret, aut dubitet? quis honorem tamquam patri deferet, cum unde natus sit nesciat? Ex quo fit, ut non tantum alienum pro patre habeat, sed etiam patrem pro alieno. Quid, quod uxor potest esse communis, filius non potest, quem concipi non nisi ex uno necesse est. Perit ergo illi uni communitas, ipsa reclamante natura. Superest, ut tantummodo concordiæ causa uxores velit esse communes. At nulla vehementior discordiarum causa est, quam unius fœminæ a multis maribus appetitio. In quo Plato, si ratione non potuit, exemplis certe potuit admoneri, et mutorum animalium, quæ ob hoc vel acerrime pugnant, et hominum, qui semper ob eam rem gravissima inter se bella gesserunt.

CAPUT XXII

De Platonis præceptis, iisdemque reprehensis.

Restat ut communio ista nihil aliud habeat, præter adulteria, et libidines; propter quas funditus eruendas, virtus est vel maxime necessaria. Itaque non invenit concordiam, quam quærebat; quia non videbat, unde oriatur. Nam justitia in extrapositis nihil momenti habet, ne in corpore quidem: sed tota in hominis mente versatur. Qui ergo vult homines adæquare, non matrimonia, non opes subtrahere debet; sed arrogantiam, superbiam, tumorem, ut illi potentes et elati pares esse se etiam mendicissimis sciant. Detracta enim divitibus insolentia et iniquitate, nihil interierit utrumne alii divites, alii pauperes sint, cum animi pares fuerint; quod efficere nulla res alia præter religionem Dei potest. Putavit igitur se invenisse justitiam, cum eam prorsus everterit; quia non rerum fragilium, sed mentium debet esset communitas. Nam si Justitia virtutum omnium mater est, cum illæ singulæ tolluntur, ipsa subvertitur. Tulit autem Plato ante omnia frugalitatem: quæ utique nulla est, ubi proprii nihil habeatur. Tulit abstinentiam: siquidem nihil fuerit, quod abstineatur, alienum. Tulit temperantiam, tulit castitatem; quæ virtutes in utroque sexu maximæ sunt. Tulit verecundiam, pudorem, modestiam, si honesta et legitima esse incipiunt, quæ solent flagitiosa et turpia judicari. Sic virtutem dum vult omnibus dare, omnibus adimit. Nam rerum proprietas, et vitiorum, et virtutum materiam continet: communitas autem nihil aliud, quam vitiorum licentiam. Nam viri, qui multas mulieres habent, nihil aliud dici possunt, quam luxuriosi ac nepotes. Item mulieres, quæ a multis habentur, non utique adulteræ, quia certum matrimonium nullum est, sed prostitutæ ac meretrices sint necesse est.

Redegit ergo humanam vitam ad similitudinem, non dicam mutorum, sed pecudum ac belluarum. Nam volucres pene omnes faciunt matrimonia, et

VARIORUM NOTÆ.

tionis sensu ex veteribus impressis et omnibus mss. nisi quod 15 pro *vero* legunt *tamen*.

Devota mens. Thysio devota mens explicatur *votis adstricta;* sed majorem vim *devotus* in se habet, et subst. *devotio.* Perpende, l. v, cap. 7: *Devota Deo suo fides.* L. II, cap. 12: *Devotione summa servire.* De Opif., cap. XIX: *Non fidem devotionemque prodere.* BUN.

Individuam...charitatem. Stylo Cypriani, l. II, ep. 4, ed. Erasm., *Honori nos vestro* charitas individua *connectit.* BUN.

Perit ergo illi uni communitas. Reposuit *illi uni*, scilicet filio. Quæ lectio maxime omnium probatur ex 19 mss. et edit. vet. Rom., Egnat., Fasit., Betul. Legitur in 3 Reg. et 5 vulgatis recentioribus, *illi una;* in Goth. *illa una*; quorum vice est *matrimonii* in impressis quinque.

Velit. Sic reposui ex antiquissimo codice Regio aliisque sex, referendo ad Platonem; et illud requirunt ea quæ præcedunt, et quæ sequuntur. Mss. septem cum editis, *velint.*

Qui semper. Mss. 7 rec., *Qui sæpe.*

In extrapositis. Stoici non modo res fortuitas, sed etiam corpora ipsa extra nos esse credunt, ut ex Epicteti Enchiridio manifestum est. Non male cum ipsius Christi doctrina congruit, qui rapinas, adulteria, hoc est ὀρέξεις, quæ e nobis egrediantur, hominem duntaxat inquinare affirmavit. BETULEIUS.

Cum animi pares fuerint. Par animi Lactantius dicit per Græcismum. *Fuerint* reposui ex mss. et editis Betul., Tornes., Walch., Soubron. *Sint* cæterorum vulgatorum est.

Nam si justitia, etc. Justitia namque virtutes in se complectitur omnes, ut Aristoteles in V Moralium dicit. Matrem aliarum virtutum vocat, quod reliquas veluti filias in suo quasi sinu et gremio fovet. De quo vide etiam Joannem Stobeum.

Tulit. Tulit haud raro ponitur pro *sustulit, abstulit.* Iterum ipse Lactantius in Epit. c. 29, ex Gellio: Si tuleris unum, abstuleris utrumque. Ambros. l. I, Off., cap. 32: Tolle ex usu hominum benevolentiam, tamquam solem e mundo tuleris, ita erit. L. III. Off., cap. 5: Solum lanceam... et lenticulam tulit aquæ. BUN.

Siquidem nihil fuerit, quod abstineatur, alienum. Hanc lectionem retineut quamplurimi mss. et excusi: et optima est, quidquid dicat Thomasius, nam rectissime dicimus, rem aliquam abstineri, quasi procul teneri ac prohiberi. Lact. lib. VII, cap. 17: abstinebat imbres, etc. Livius: Romano bello, Fortuna Alexandrum magnum abstinuit. Mss. 16, rec. et editi octo legunt, siquidem nihil fuerit, quo abstineatur; Bon. siquidem nullus fuerit, qui abstineat alieno. Ex. Isæo.

Ac nepotes. Id est, consumptores. Horat. Epod. 1, ἄσωτοι, intemperantes, et patrimonii dissipatores. In mss. 1 Reg., 1 Colbert., Pal. et Brun. legitur, *ac perditi*, quod est interpretatio vocis *nepotes.* — *Luxuriosi ac nepotes.* Cicero pro Quintio cap. 12: « Quis tam perditus ac profusus nepos non adesa jam, sed abundanti etiam pecunia sic dissolutus fuisset, ut fuit S. Nævius. » BUN.

Dicam. Ita mss. At editi, *dico.*

Digitized by Google

paria junguntur, et nidos suos tamquam geniales toros concordi mente defendunt; et fœtus suos, quia certi sunt, amant; et si alienos objeceris, abigunt. At homo sapiens contra morem hominum, contraque naturam, stultiora sibi, quæ imitaretur, elegit. Et quoniam videbat in cæteris animalibus officia marium fœminarumque non esse divisa, existimavit oportere etiam mulieres militare, et consiliis publicis interesse, et magistratus gerere, et imperia suscipere. Itaque his arma et equos assignavit: consequens est, ut lanam et telam viris, et infantium gestationes. Nec vidit impossibilia esse, quæ diceret; ex eo quod adhuc in orbe terræ, neque tam stulta, neque tam vana ulla gens extiterit, quæ hoc modo viveret.

CAPUT XXIII.

De erroribus quorumdam philosophorum, deque sole et luna.

Cum igitur in tanta vanitate ipsi philosophorum principes deprehendantur, quid illos minores putabimus, qui numquam sibi tam sapientes videri solent, quam cum pecuniæ contemptu gloriantur? Fortis animus. Sed expecto quid faciant, et quo ille contemptus evadat. Tradita sibi a parentibus patrimonia tamquam malum fugiunt, ac deserunt. Et ne in tempestate naufragium faciant, in tranquillo se ultro præcipitant, non virtute, sed perverso metu fortes; sicut illi, qui, cum timent ne ab hoste jugulentur, ipsi se jugulant, ut mortem morte devitent. Sic isti, unde possent gloriam liberalitatis acquirere, sine honore, sine gratia perdunt. Laudatur Democritus, quod agros suos reliquerit, eosque pascua publica fieri passus sit. Probarem, si donasset. Nihil autem sapienter fit, quod si ab omnibus fiat, inutile est ac malum. Sed hæc negligentia tolerabilis. Quid ille, qui patrimonium in nummos redactum effudit in mare? Ego dubito utrumne sanus, an demens fuerit. Abite, inquit, in profundum, malæ cupiditates; ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis. Si tantus pecuniæ contemptus est, fac illam beneficium, fac humanitatem, largire pauperibus: potest hoc, quod perditurus es, multis succurrere, ne fame, aut siti, aut nuditate moriantur. Imitare insaniam saltem furoremque

VARIORUM NOTÆ.

Paria junguntur. Ita mss. 3 Reg., 2 Bonon., Cauc., Jun., Cant., Colb., 1 Colb., etc., edit. vet. Rom., Ald., Paris., Florent., et 7 alii, 1 Reg. et 2 Lips. habent *conjunguntur;* quamplures mss. *jungunt;* tres rec. et plures edd. *conjungunt.* Columbarum genus hoc maxime nomine celebratur ab Aristotele, lib. IX Histor. Animalium. cap. 7; et a Plinio, libro X, cap. 34.

Geniales toros. Optima lectio, quæ est quamplurimorum mss. et edit. Is., Spark., Walch. In cæteris vulgatis et decem scriptis est, *genitales.* At *lectus genialis* est apud Horat. lib. I, epist. 1, Pers. Satyr. 2, v. 3.

Et quoniam videbat. Omnia omnium maris ac fœminæ miscet officia Plato, lib. VII de Legibus, et in exemplum affert Amazonas, Laconicas virgines, atque mulieres Sarmatas et Ponticas. Quidni etiam lib. V de Republica docet, mulieres æque ut viros ad munia subeunda idoneas, nisi quod sint aliquanto imbecilliores? Sed hoc institutum reprehendit Aristoteles, cap. 4, lib. II de Republica. Taxantur hæc eadem ab Eusebio, lib. III de Præparat. Evangelica, cap. 12. In christiana republica mulieribus Ecclesiæ muneribus interdictum est. BETULEIUS.

Ut lanam et telam viris, etc. S. Epiphanius, episcopus Constantiæ Cypri, contra hæreses varias scribens, in tertio libro variarum gentium mores recenset, taleque quiddam de Seris refert.

Neque tam vana. Sic reposui ex omnibus prope mss. et 10 vet. excusis. In 1 Colb. et in edit. Ald. legitur *varia* pro *vana;* in scriptis 3 Reg. et Marm. ac 7 impressis rec. *neque tam sapiens.*

In tanta vanitate. Editi 5 cum 1 Reg., *varietate.*

Minores. Id est, famæ inferioris philosophos, de quibus mox sermo habebitur.

In tranquillo. Goth., Lips. tert. et Reimm: *in tranquillum,* sc. *mare.* Præfero receptam ex aliis mss. et vett. edd. omnibus. Tranquillum opponitur tempestati: in tranquillo, id est, *cum* tranquillum est. Seneca in Agamemn. III, 682: *Tranquillo male confisæ credunt iterum pelago audaces.* Livius l. XXVI: *Non tranquillo navigamus: sed jam aliquot procellis submersi pene sumus.* L. XXVI: *Milites tranquillo in altum provecti.* BUN.

Unde possent. Sic restitui ex omnibus mss. et edd. præter 2 Reg. rec. et edd. 5, in quibus est, *unde putant.*

Democritus. Aliter Valer. Max. lib. VIII, cap. 7: *At Democritus,* inquit, *cum divitiis censeri posset, quæ tantæ fuerunt, ut pater ejus Xerxis exercitui epulum dare facile potuerit, quo magis vacuo animo studiis litterarum esset operatus, parva admodum summa retenta, patrimonium suum patriæ donavit.* Laert. scribit, ipsum suam portionem inter fratres divisisse, sibique aliquantum pecuniæ in viaticum peregrinationis reservasse. Seneca in libro de Providentia: *Democritus,* inquit, *divitias projecit, onus illas bonæ mentis existimans.* Cic. de Finib. V ad Lactantium propius accedit: *Cur hæc eadem Democritus, qui (vere falsone quæreremus) dicitur oculis se privasse? Certe ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit, agros deseruit incultos: quid quærens aliud, nisi beatam vitam?* Tert. cap. 46, Apol. aliter spontaneam excæcationem interpretatur. BETULEIUS. — *Laudatur Democritus.* Meretur legi de hac re Philo de Vita contemplat., fol. 891, ed. Lips. et Hieronymus ad Pammachium f. 164. sqq.; ad Lucinium f. 193; ep. ad Julianum f. 207 et l. II, adv. Jovian. f. 76; Clem. Alex. de Salute Divitis ed. Ilt. cap. 11, pag. 24. BUN.

Quid ille? Crates nimirum Thebanus, philosophus Cynicus, Diogenis discipulus: ejus memini Hieron. ad Paulinum de Institutione monach. et lib. II adversus Jovinianum, refert ejus apophthegma: *Abite,* inquiebat, *pessum, malæ cupiditates; ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis.* Et hic quidem theologus hoc laudi adscribit, nihil aliud quam pecuniarum contemptum spectans. Sed Apollonius, ut Philost. refert, ipsum eodem reprehendit argumento, quo Lactantius, ut qui nec brutis, nec hominibus utilis fuerit. Verum hujus submersionis nec Laertius, nec Plutarchus meminerunt. BETEL.

Quid ille, qui patrimonium in nummos redactum. Crates Thebanus est. Hieronymus epist. 13 ad Paulinum, de Institutione monachi: *Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit, nec putavit se simul posse et virtutes et divitias possidere.* BUNEMAN.

Effudit. Proprie h. l. noster: Cicero translate l. II, Off. cap. 15: « Multi patrimonia effuderunt inconsulte

Digitized by Google

Tuditani; sparge populo diripienda. Potes et pecuniam effugere, et tamen bene collocare; quia salvum est quidquid pluribus profuit.

Zenonis autem paria peccata quis probat? Sed omittamus id, quod est ab omnibus semper irrisum. Illud satis est ad coarguendum furiosi hominis errorem, quod inter vitia et morbos misericordiam ponit. Adimit nobis affectum, quo ratio humanæ vitæ pene omnis continetur. Cum enim natura hominis imbecillior sit quam cæterorum animalium, quæ vel ad perferendam vim temporum, vel ad incursiones a suis corporibus arcendas, naturalibus munimentis providentia cœlestis armavit: homini autem quia nihil istorum datum est, accepit pro istis omnibus mi- A serationis affectum, qui plane vocatur humanitas, qua nosmet invicem tueremur. Nam si homo ad conspectum alterius hominis efferaretur, quod facere videmus animantes quarum natura solivaga est, nulla esset hominum societas, nulla urbium condendarum vel cura, vel ratio. Sic neque vita quidem satis tuta, cum et cæteris animalibus exposita esset imbecillitas hominum, et ipsi inter semetipsos belluarum more sævirent. Non minor in aliis dementia.

Quid enim dici potest de illo, qui nigram dixit esse nivem? quam consequens erat, ut etiam picem albam esse diceret! Hic est ille, qui se idcirco natum esse dicebat, ut cœlum ac solem videret, qui in terra nihil videbat sole lucente. Xenophanes dicentibus Ma- B

VARIORUM NOTÆ.

largiendo. De Cratere plures tradunt, ipsum bona populo Thebano esse largitum. Vid. Menag. ad Laert. l. VI, f. 87; et Perizon. ad Ælian. Var. Hist. l. III, cap. 6. Bun.

Tuditani. De eo Val. Max. lib. VII, cap. 8. Cicero quoque Philip. III, 6: *Tuditanus nempe ille, ille qui cum palla et cothurnis nummos populo de rostris spargere solebat.*

Zenonis autem paria, etc. Hieronymus notat hac labe Jovinianum. Nam Theologi recte statuunt peccatorum discrimina. Vide Cicer. in Paradoxis. Apud Stoicos vero Paradoxon est, ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα. Stoicorum dogmata compendioso fasciculo complectitur Cicero Oratione pro Muræna: *Fuit enim*, inquit, *quidam summo ingenio vir Zeno, cujus inventorum æmuli Stoici nominantur. Hujus sententiæ sunt etiam præcepta ejusmodi: Sapientem gratia numquam moveri, numquam cujusquam delicto ignoscere. Neminem misericordem esse, nisi stultum et levem. Viri non esse, neque exorari, neque placari. Solos sapientes esse; si distortissimi sint, formosos; si mendicissimi, divites; si servitutem serviant, reges.* Betul.

Ad coarguendum furiosi hominis errorem. Emman., Cant. et Reimm. cum Sublac., Rost., Ven. 1471, 97, usque ad Gymn. *ad coercendum.* Aptum visum verbum, quia sequitur *furiosi*, qui magis coercendi, quam *coarguendi.* Bun.

Quod inter vitia et morbos misericordiam ponit. Dogma stoicum statuit, *misericordiam esse ægritudinem, sive perturbationem contractionemque animi, a ratione alienam.* Itaque *Sapientes non esse misericordes.* Laert. lib. VII, in *Zenone*; Cic. *Orat. pro Muræn.* et IV Tusculanar. quæst., cap. 18: cum Plato et Aristoteles contra docuerint, *viri boni esse misereri.* Quin et Euripides contra prorsus quam Stoici, in *Antiopa* apud *Stob. tom.* II, *tit.* 3:

> Non imperiti motus est miserescere,
> Sed viri sapientis; noxæque imminet,
> Cum sapere sese qui putant, sapiunt nimis.

Verum Stoicorum dogma istud Seneca clarissime explicat *de Clement.* lib. II, cap. 4, 5: *Misericordiam plerique ut virtutem laudant, et bonum hominem vocant misericordem: hæc autem vitium animi est. Est enim vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succidentis.* Et mox: *Misericordia ægritudo est ob alienarum miseriarum speciem: ægritudo autem in sapientem virum non cadit.* Denique cap. 6: *Misericordia vitium est animorum nimis miseriæ faventium: quam si quis a sapiente exigit, prope est ut lamentationem exigat; et in alienis superbus gemitus.* Porro ista quia durius asperiusque dicta videri poterant, mitigare conatur idem ibidem, ubi subjicit, cap. 5 et 6: *Sapiens ergo non misereatur, quia et sine miseria animi non sit: cæterum omnia quæ, qui miserentur, dolentes facerent, hic libens et alacri vultu faciet. Succurret alienis lacrymis, non accedet: dabit manum naufrago, exuli hospitium, egenti stipem: donabit lacrymis maternis filium, et catenas solvi jubebit, et ludo eximet, et cadaver etiam noxium sepeliet. Ac faciet ista tranquilla mente, vultu suo. Ergo non miserebitur sapiens: sed succurret, sed proderit, in commune auxilium natus ac publicum bonum*, etc. Quin et Augustinus ipse *de Moribus Eccles. Cathol.* lib. I, cap. 27: *Quare illa omnia, quibus hujuscemodi malis incommodisve resistitur, qui officiose atque humaniter præbent, misericordes vocantur, etiamsi sapientes usque adeo sint, ut jam nullo animi dolore turbentur. Nam quis ignoret, ex eo appellatam esse misericordiam, quod miserum cor faciat, condolentis alieno malo?* Quamquam revera *misericordia* potius dicta, *quod cordi sit aliena miseria.* Verum pergit Aug.: *Et quis non concedat, ab omni miseria liberum esse debere sapientem, cum subvenit inopi, cum oppressum liberat, cum denique humanitatem suam usque ad sepulturam porrigit mortuorum? Etiamsi id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus officio bonitatis, misericors tamen vocandus est; huic enim nihil obest nomen, cum absit miseria. Stoici, quis sapiens sit, aut fuerit*, inquit Cicero (*Academ. lib.* IV), *nec ipsi solent* dicere; quique *sapientem*, vel sapientis ideam potius, *talem nobis delineant, qualem nemo mortalis est umquam consecutus.* C

Ad conspectum alterius hominis efferaretur. Optime judicavit Isæus, pro eo quod in 1 Reg. rec., Bon., Tax., *auferretur*, legendum esse *efferaretur.* Efferantur enim hominum animi miseratione sublata. Sic legunt triginta mss. ac plurimi editi. *Ex* Gallæo. —*Ad conspectum... efferaretur.* Hinc. de Opific. c. 4: Homo *quoque, si... haberet ad propulsanda pericula suppetens robur, nec ullius alterius auxilio indigeret; quæ* societas *esset?... aut quid esset* tetrius *homine? Quid* efferatius? *Quid* immanius? Bun. D

Solivaga. Quæ solitarie amat vivere; iisque opponitur quæ gregatim vivunt, ut apes, formicæ aliaque multa. — *Quarum natura solivaga.* Tuscul. lib. V, cap. 13: *Bestiæ solivagæ* opponuntur *congregatis...* Et Offic. l. I, cap. penult.: *Solivaga conditio* communioni adversatur. Bun.

Qui nigram dixit esse nivem. Anaxagoras, ut refert Galenus, lib. de Simplicibus medicamentis. Non minus contra communem sensum pugnavit ille, de quo in eodem opere Gal. lib. IX scribit, cap. 1, quod dixerit, nihil prohibere, quominus diceretur nix eamdem cum igne habere tum qualitatem, tum facultatem. Betuleius.

Ut cœlum. Vide supra cap. 9, et infra lib. XI, cap. 1.

Xenophanes. Cic. in Acad. Habitari ait Xenophanes in luna, eamque esse terram, in qua multarum urbium et montium portenta videntur. De hoc lege Lucianum in Icaro Menippo. Betuleius.

Digitized by Google

thematicis orbem lunæ duodeviginti partibus majorem esse, quam terram, stultissime credidit; et quod huic levitati fuit consentaneum, dixit, intra concavum lunæ sinum esse aliam terram, et ibi aliud genus hominum simili modo vivere, quo nos in hac terra vivimus. Habent igitur illi lunatici homines alteram lunam, quæ illis nocturnum lumen exhibeat, sicut hæc exhibet nobis. Et fortasse noster hic orbis alterius inferioris terræ luna sit. Fuisse Seneca inter Stoicos ait, qui deliberaret utrumne Soli quoque suos populos daret: inepte scilicet, qui dubitaverit. Quid enim perderet, si dedisset? Sed, credo, calor deterrebat, ne tantam multitudinem periculo committeret; ne si æstu nimio periissent, ipsius culpa evenisse tanta calamitas diceretur.

CAPUT XXIV.

De antipodibus, de cœlo ac sideribus.

Quid illi, qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant, num aliquid loquuntur? aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sint superiora, quam capita? aut ibi, quæ apud nos jacent, inversa pendere? fruges et arbores deorsum versus crescere? pluvias, et nives, et grandinem sursum versus cadere in terram? Et miratur A aliquis, hortos pensiles inter septem mira narrari, cum philosophi et agros, et maria, et urbes, et montes pensiles faciant? Hujus quoque erroris aperienda nobis origo est. Nam semper eodem modo falluntur. Cum enim falsum aliquid in principio sumpserint, veri similitudine inducti, necesse est eos in ea, quæ consequuntur, incurrere. Sic incidunt in multa ridicula; quia necesse est falsa esse, quæ rebus falsis congruunt. Cum autem primis habuerint fidem, qualia sint ea, quæ sequuntur, non circumspiciunt, sed defendunt omni modo; cum debeant prima illa, utrumne vera sint, an falsa, ex consequentibus judicare.

Quæ igitur illos ad Antipodas ratio perduxit? Videbant siderum cursus in occasum meantium; solem B atque lunam in eamdem partem semper occidere, atque oriri semper ab eadem. Cum autem non perspicerent, quæ machinatio cursus eorum temperaret, nec quomodo ab occasu ad orientem remearent, cœlum autem ipsum in omnes partes putarent esse devexum, quod sic videri, propter immensam latitudinem necesse est: existimaverunt, rotundum esse mundum sicut pilam, et ex motu siderum opinati sunt cœlum volvi, sic astra solemque, cum occiderint, volubilitate ipsa mundi ad ortum referri. Itaque et æreos or-

VARIORUM NOTÆ.

Dicentibus Mathematicis, etc. Nescio an Anaximandrum intelligat, cujus auditor fuisse creditur. Dixit C autem Anaximander, circulum lunæ decem et novem partibus terra majorem esse, ut Plut. in Placitis refert; vel ut Galenus, sex decuplum terræ circulum esse lunæ. Sed apud Plut. Xenophanis sententia est, σελήνην εἶναι νέφος πεπιλημένον, id est, nubem constipatam vel conglobatam: apud Galen. vero, νέφος πεπυρωμένον, id est, inflammatam nubem. Sed hæc nihil aliud sunt, quam somnia.

Duodeviginti. Elegantiæ servantissimus est: sequitur paucis mutatis Ciceronem lib. IV Acad. cap. 26, et cap. 41.

Intra concavum lunæ sinum. Cicero lib. IV Acad. Quæst. cap. 39: *Habitari ait Xenophanes in luna, eamque esse terram multarum urbium et montium.* Cell.

Seneca ait. Nil de hoc hodie apud Senecam.

Quid illi, qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant? De quibus Cicero in Lucull. Lactantius quidem multa hoc capite asserit paradoxa, quo nomine a nonnullis exsibilatur. Ego licet illum a vero deflexisse fatear, cum tamen gravissimos homines ac D sapientissimos habuerit, ut nunc ostendam, suarum opinionum vel auctores, vel sectatores, næ illos magis exsibilandos putem, qui virum insignem tam temere exsibilandum putarent. Principio nullos esse censet Antipodas, id quod asseruere etiam Eratosthenes, Polyb., Strabo, Tzetzes in Chiliad., Lucret. libro primo, ad fin. Asseritur et hæc positio apud Plutarch. in Dial. de fac. in or. Lun. Ex nostratibus idem putaverunt S. Augustinus lib. XVI de Civit. Dei, cap. 9, sed aliis adductus rationibus; verebatur enim si Antipodas dari concederet, ne alius nobis esset humani generis auctor præter Adamum. Negat etiam Antipodas Nicolaus de Lira super Genes. in principio; et deinde quicumque sphæricam terram esse pernegarunt. Veram tamen sententiam de Antipodibus huic adversam probant Macrob. lib. I, in somn. Scip. ubi Lactantii rationes evertit cap. 5; Plin. II Hist. c. 65; Cleomed. in I Meteor. cap. 2; S. Aug. sibi contrarius II in Genes. ad litt. cap. 9, etc. Nec amplius ulla hisce quidem temporibus ea de re haberi dubitatio potest, quibus præclarissimi illius Herois Liguris Christophori Columbi ingenio ac virtute alterius hemisphærii quondam incognitæ gentes compertæ jam sunt, ac penitus exploratæ. Isæus.

Hortos pensiles. Intelligit hortos pensiles Semiramidis, de quibus Diodor. lib. II, cap. 10; Strab. 16, pag. 508, et Plinius lib. XXXVI, cap. 14.

Quæ igitur illos ad Antipodas ratio perduxit? Addidi præpositionem *ad* ex 20 mss. et 10 editis, utpote necessariam. In 2 Colb. est *Antipedas*.

Rotundum esse mundum. Ratio desumitur ex ejus diurno motu; is enim manifestat mundum, ac præcipue cœlum, moveri sphærice, seu ad modum sphæræ, circa proprium axem ac polos. Planetæ enim ac sidera omnia, imo ei elementa ipsa, in gyrum ab ortu in occasum, non secus ac in sphæra contingit, revolvuntur: quæ omnia argumento sunt, supremam cœli partem esse sphæricam, seu globosam, ac proinde mundum figura sphærica esse præditum.

Et ex motu siderum opinati sunt cœlum volvi. Cœlum volvi negat non modo Lactantius, sed et cum eo philosophi plures, ac sanctorum Patrum et doctorum plurimi. Justinus Martyr respondens ad quæst. 93 Orthodox.; Joan. Chrysost., Homil. 6 et 13, in Genes. et 12 ad pop. Antioch.; Cæsarius, in fine I Dialog.; Elias Cretensis, ad Orationem VII Greg. Nazianz.; Isidor., Etymolog. lib. III, cap. 49; Severianus item, et Acacius qui mundum semisphæricum, cœlumque immotum extensum sicut tabernaculum, et fornicem seu cameram putaverunt; Junilius in Hexaemeron, Richardus secundo Exception.; Diodor. et Procop. in Commentar. ad Genes. Philastrius hanc opinionem sacris Scripturis consonam, contrariam autem absonam, et paganæ potius vanitati, quam christianæ veritati consentientem scribit in libro de Hæresibus; et S. Augustinus secundo de Genesi ad litt. cap. 10, defendi eam posse putat. Reprobata tamen est a plerisque tum philosophis, tum mathematicis, præsertim apud Aristotelem secundo, Cœl. tex. 45 et seqq.

Isæus.

Digitized by Google

bes fabricati sunt, quasi ad figuram mundi, eosque cælarunt portentosis quibusdam simulacris, quæ astra esse dicerent. Hanc igitur cœli rotunditatem illud sequebatur, ut terra in medio sinu ejus esset inclusa. Quod si ita esset, etiam ipsam terram globo similem; neque enim fieri posset, ut non esset rotundum, quod rotundo conclusum teneretur. Si autem rotunda etiam terra esset, necesse esse, ut in omnes cœli partes eamdem faciem gerat, id est montes erigat, campos tendat, maria consternat. Quod si esset, etiam sequebatur illud extremum, ut nulla sit pars terræ, quæ non ab hominibus cæterisque animalibus incolatur. Sic pendulos istos Antipodas cœli rotunditas adinvenit.

Quod si quæras ab iis, qui hæc portenta defendunt, quomodo non cadunt omnia in inferiorem illam cœli partem; respondent, hanc rerum esse naturam, ut pondera in medium ferantur, et ad medium connexa sint omnia, sicut radios videmus in rota; quæ autem levia sunt, ut nebula, fumus, ignis, a medio deferantur, ut cœlum petant. Quid dicam de iis nescio, qui, cum semel aberraverint, constanter in stultitia perseverant, et vanis vana defendunt; nisi quod eos interdum puto, aut joci causa philosophari, aut prudentes et scios mendacia defendenda suscipere, quasi ut ingenia sua in malis rebus exerceant, vel ostendant. At ego multis argumentis probare possem, nullo modo fieri posse, ut cœlum terra sit inferius, nisi et liber jam concludendus esset, et adhuc aliqua restarent, quæ magis sunt præsenti operi necessaria. Et quoniam singulorum errores percurrere non est unius libri opus, satis sit pauca enumerasse, ex quibus possit qualia sint cætera intelligi.

CAPUT XXV.

De addiscenda philosophia; et quanta ad ejus studium sint necessaria.

Nunc pauca nobis de philosophia in commune dicenda sunt, ut confirmata causa peroremus. Summus ille noster Platonis imitator existimavit philosophiam non esse vulgarem, quod eam non nisi docti homines assequi possint. « Est, inquit Cicero (*lib.* II *Tusc.*, n° 1), philosophia paucis contenta judicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens. » Non est ergo sapientia, si ab hominum cœtu abhorret: quoniam si sapientia homini data est, sine ullo discrimine omnibus data est, ut nemo sit prorsus,

VARIORUM NOTÆ.

Hanc igitur cœli rotunditatem. Cœlum rotundum esse negavit non solum Lactantius, sed etiam Justinus Martyr respondens ad quæstionem 59 et 130 Orthodox; Basil. Homil. 1 in Genes.; Chrysost., Homil. 14 et 27 in Ep. Pauli ad Hebr., et Homil. 2 de incomprehensib. Dei natura; Ambros., lib. 1 in Hexaemer.; Theophylact. et Theodoret., in cap. VIII Epist. ad Hebr.; Cæsarius et Procop. ubi supra; Haimo, Severianus et Acacius; item Primasius in Epist. ad Hebr. Eutymius in Psalm. 103; Elias Cretensis ubi supra. Contraria tamen opinio vera est, ab omnibus philosophis atque astronomis probata, cœlum videlicet esse rotundum; idque demonstrat Ptolemæus novem rationibus 3 cap. lib. 1 edit. magnæ; Aristot. II, Cœl. tex. 22 et seqq. Sancti Patres idem asseruere: Nazianz., Orat. 4, adversus Julian., in Orat. 2, de Theolog., in Orat. in sanctum Baptisma; Chrysost. Homil. in Psal. CIII; Ambros. Serm. 12 in Psal. CXVIII; S. Augustinus in Genes. ad litter. lib. I, cap. 10 et lib. II, cap. 9; Beda, de sex dier., Orat. et quæst. in Genes. Magis quoque consonum sacris Literis videtur. Initio Ecclesiast. *Oritur sol*, etc., quo de loco videndus est S. Hieronymus; item XXIV Eccli. *Gyrum cœli*, etc. Job. IX, *sub quo curvantur qui portant orbem*; Proverb. VIII. Ad Psal. CIII, et Isai. XL, ubi dicitur cœlum a Deo, sicut tabernaculum, vel cameram, vel pellem extensum, respondet S. Augustinus cap. 9, lib. II, in Genes. ad litter. Isæus.

Inclusa. Mss. 2 Reg. et editi 7 *conclusa*.

Ipsam terram globo similem. Est terra rotunda ac sphærica, non quidem geometrice, sed rudi quodam modo, cum ejus superficiem valles ac montes asperam reddant. Cujus primum sit argumentum, quod sol, stellæ, eclypses circa terram omnibus habitatoribus ita successive apparent, perinde ac si circa sphæram rotundissimam moverentur, hoc est, regulariter et uniformiter, ita ut locis, v. g. per 15 gradus magis orientalibus una hora prius appareant; atque hoc accidit ubique terrarum secundum terræ gyrum ab oriente in occasum productum, quod patet ex eclypsium prædictione infallibili, secundum quam non omnibus eadem hora, sed diversis appariturae prænuntiantur: quæ certa prædictio supponit terram esse rotundam. Accedit etiam experientia nautarum, qui dum totum terræ ambitum circumnavigant, eamdem stellarum uniformem ac regularem apparitionem ubique observant. Jos. Blancanus.

Quomodo non cadunt omnia. Ms. 1 Regio-Put., *cadant*. Mss. 10, et vet. 2 edit., *Quomodo ergo*. 1 Colb., *igitur*.

A medio deferantur. Ita restitui ex decem editis et omnibus mss. præter 3 Reg. quibus est *differantur*, ut et 3 vulgatis rec.

Ostendant. Reposui ex mss. et vet. editis 2 Rom. In cæteris vulgatis legitur, *ostentent*.

Multis argumentis. Imo nullis.

Possit. Mss. 7 et totidem editi, *possint*.

Nunc pauca nobis de philosophia. Caute lege hoc caput; nam si Lactantius omnem antiquorum Gentilium philosophiam reprehendit, non satis consulte facit, cum multa et vera, et recta contineret illa philosophia, quæ usui et utilitati humanæ vitæ essent. Si vero philosophiam in universum damnat, nullo pacto ferendus est, et repugnat communi Patrum et Ecclesiæ sensui. Vide Alphonsum Castrum lib. XIII adversus Hæreses, verbo *Scientia* Brasichelli.

In commune. Omnium mss. est, præter 4 recentiores, quibus est, ut impressis, *in communi*. — *In commune.* Restituo ex Bon., Tax., Cauc., Ultr., Goth. Illustravi uberius ad l. III, cap. 21. Hic addo ex Tertull. de Patient.: *Patientiæ in commune memores*. Buneman.

Summus ille noster. Διαβολή, per ironiam. Locus est in Præfatione secundæ Tusc. Quæst. Ms. 1 Bonon. antiq. habet, *Cicero summus ille noster*. Ita enim se habet ille locus: *Plato quidem in politicis delectum facit, νόθους* (id est spurios) *excludens a sapientiæ studio, γνησίους* (id est legitimos) *admittens*. Sed Plato in Euthydemo hæc *ait, cum sit finis hominibus in universum omnibus propositus felicitas, felicitas autem in sapientia consistat, relinqui ut omnes sapientiæ studio se dedant*.

Possint. Ita multi optimi et veterrimi mss. In rec. 2 est *possunt*; in 3 rec. et in excusis, *possent*.

Quoniam si sapientia. Lips. tert. et Reimm. hoc ordine, *quoniam sapientia si*. Satis bene; et sic Su-

Digitized by Google

qui eam capere non possit. At illi virtutem humano generi datam sic amplexantur, ut soli omnium publico bono frui velle videantur, tam invidi, quam si velint deligare oculos aut effodere cæteris, ne solem videant. Nam quid est aliud hominibus negare sapientiam, quam mentibus eorum verum ac divinum lumen auferre? Quod si natura hominis sapientiæ capax est, oportuit et opifices, et rusticos, et mulieres, et omnes denique, qui humanam formam gerunt, doceri, ut sapiant; populumque ex omni lingua, et conditione, et sexu, et ætate conflari. Maximum itaque argumentum est, philosophiam neque ad sapientiam tendere, neque ipsam esse sapientiam, quod mysterium ejus barba tantum celebratur et pallio. Senserunt hoc adeo Stoici, qui et servis, et mulieribus philosophandum esse dixerunt; Epicurus quoque, qui rudes omnium litterarum ad philosophiam invitat; item Plato, qui civitatem de sapientibus voluit componere.

Conati quidem illi sunt facere, quod veritas exigebat: sed non potuit ultra verba procedi. Primum, quia multis artibus opus est, ut ad philosophiam possit accedi. Discendæ istæ communes litteræ propter usum legendi, quia in tanta rerum varietate, nec disci audiendo possunt omnia, nec memoria contineri. Grammaticis quoque non parum operæ

A dandum est, ut rectam loquendi rationem scias. Id multos annos auferat necesse est. Nec oratoria quidem ignoranda est; ut ea, quæ didiceris, proferre atque eloqui possis. Geometria quoque, ac musica, et astrologia necessaria est, quod hæ artes cum philosophia habent aliquam societatem: quæ universa perdiscere neque fœminæ possunt, quibus intra puberes annos officia mox usibus domesticis profutura discenda sunt neque servi, quibus per eos annos vel maxime serviendum est, quibus possunt discere; neque pauperes, aut opifices, aut rustici, quibus in diem victus labore est quærendus. Ob eam causam Tullius ait abhorrere a multitudine philosophiam. At enim rudes Epicurus accipiet. Quomodo ergo illa, quæ de principiis rerum dicuntur, intel-

B ligunt, quæ perplexa et involuta vix etiam politi homines assequuntur?

In rebus igitur obscuritate implicitis, et ingeniorum varietate confusis, et eloquentium virorum exquisito sermone fucatis, quis imperito ac rudi locus est? Denique nullas unquam mulieres philosophari docuerunt, præter unam ex omni memoria Themisten; neque servos, præter unum Phædonem, quem male servientem redemisse ac docuisse Cebetem tradunt. Enumerant etiam Platonem, ac Diogenem;

C qui tamen servi non fuerunt: sed his servitus evc-

VARIORUM NOTÆ.

blac., Rost., Ven. 1471, utraque 78; *quoniam sapientia si.*

Tam invidi, quam si velint deligare oculos. Quintil. lib. II Inst. cap. 17: *deligare vulnus*, pro aliorum *obligare, adligare*; sic et *deligare oculos* rectum. Conf. not. ad Lact. l. v, cap. 1. Bun.

Lumen. Quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Oportuit et opifices. Ex mss. addidi *et* quam vocalam sequentia postulare videntur.

Populum... conflari. Verbo Ciceronis eleganti, quo jam usus, l. II, c. 6.

Mysterium ejus barba tantum, etc. Philosophi enim promissam barbam habebant, ac pallio amicicbantur: de quo supra. Is Vide etiam infra lib. v, cap. 2. Recte itaque Herodes Atticus apud Gell., lib. IX, cap. 2, mendico, qui habitu philosophiam profitebatur, respondit: *Barbam et pallium video, philosophum non video.* Vide proverbium, Tragica Simia: item aliud, Barba tenus Sapientes. — *Barba tantum celebratur et pallio.* Habitu philosophorum, D præsertim Græcorum. Infra, l. v, cap. 2, de falso philosopho: *Vitia sua capillis et pallio prætegebat.* Et Gellius lib. XII, cap. 8, de ejusdem generis hominibus: *Operti barba et pallio, mores et emolumenta philosophiæ in lingua verborumque artes convertunt.* Gell.

Stoici. De hoc vide Senecam, Epistol. ad Martiam.

Item Plato. Ms. 1 Reg. vetustissimus, *idem*; Cotton., *Ita non Plato.*

Discendæ istæ communes litteræ. Mss. Clarom. et Brun., *Discendæ sunt communes litteræ.* — *Communes litteræ.* Cic. lib. II de Orat. cap. 17: *Communium litterarum et politioris humanitatis.* Sic dixit Lactantius, l. III, cap. 6: *communem scientiam.* Bun.

Tullius. Vide Ciceron. ubi supra not. ad lin. 2.

Themisten. Putat fortasse Leontii conjugem, ad quam Epicurus scripsisse legitur. Quid dicemus de Themistoclea, Pythagoræ sorore? quid de aliis pluribus, quarum bene longum catalogum Textor recenset? Betuleius. — Vide Histor. ad mulierum philosopharum Ægidii Menagii, Lugduni, 1682, in 12. Ili tamen auctores non omnes enumerant. — *Unam ex omni memoria Themistem.* Nulli forsan sæculo, nec antiquitati, doctæ feminæ defuerunt. Laudatur Themistoclea, soror Pythagoræ; laudantur aliæ. Bun.

Phædonem. Mss. 28 corrupte, *Pythagoram.* Apud Laert. dubium est, Critone an Alcibiades eum ex Socratis admonitione redemerit. Gellius tamen cum Lactantio facit, qui lib. II, cap. 18, de Phædone sic scribit: *Phædon Elidensis ex cohorte illa Socratica fuit Socratique, et Platoni perquam fuit familiaris.* Ejus nomini Plato illum librum divinum de Immortalitate animæ dedit. Is Phædo servus fuit, forma atque ingenio liberali, et ut quidam scripserunt, a lenone domino puer ad merendum coactus. Eum Cebes Socraticus, hortante Socrate, emisse dicitur, habuisseque in philosophiæ disciplinis; atque is postea philosophus illustris fuit, sermonesque ejus de Socrate admodum elegantes leguntur. Lege post hunc Macrob. lib. I, Sat. 2. Betul. — Pro *Phædonem*, in mss. 28, et 2 vet. edit. Rom., videtur fuisse intrusum Pythagoræ nomen: sed male; nusquam enim legimus Pythagoram servum fuisse, et a Cebete emptum ac philosophicis imbutum.

Cebetem tradunt. Abest *Cebetem* a mss. et 2 vet. edit. Rom. In m·s. 14 est, *traduntur.*

Platonem. De Platonis servitute a Dionysio Juniori tyranno, vide Laertium.

Ac Diogenem. Gellius et Macrob. iisdem locis: *Diogenes etiam Cynicus servitutem servivit: sed is ex libertate in servitutem venum ierat. Quem cum emere vellet Xeniades Corinthius, et quid artificii novisset, percunctatus foret: « Novi, inquit Diogenes, hominibus liberis imperare. » Tum Xeniades responsum ejus miratus emit, et manumisit; filiosque suos ei tradens: « Accipe, inquit, liberos meos, quibus imperes. »* Conferc cum his etiam Laert. Betul.

Digitized by Google

nerat; sunt enim capti. Platonem quidem redemisse Anniceris quidam traditur sestertiis octo. Itaque insectatus est conviciis hunc ipsum redemptorem Seneca, quod parvo Platonem æstimaverit. Furiosus, ut mihi videtur, qui homini fuerit iratus, quod non multam pecuniam perdidit : scilicet aurum appendere debuit, tamquam pro mortuo Hectore, aut tantum ingerere nummorum, quantum venditor non poposcit. Ex Barbaris vero nullum, præter unum Anacharsim Scytham, qui philosophiam ne somniasset quidem, nisi et linguam, et litteras ante didicisset.

CAPUT XXVI.

Sapientiam sola doctrina cœlestis largitur; et quam sit efficax lex Dei.

Quod ergo illi poscente natura faciendum esse senserunt, sed tamen neque ipsi facere potuerunt, neque a philosophis fieri posse viderunt, sola hæc efficit doctrina cœlestis; quia sola sapientia est. Illi scilicet persuadere cuiquam poterunt, qui nihil persuadent etiam sibi? aut cujusquam cupiditates oppriment, iram temperabunt, libidinem coercebunt, cum ipsi et cedant vitiis, et fateantur, plus valere naturam? Dei autem præcepta, quia et simplicia, et vera sunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus : paucissimis Dei verbis :

Tam placidum, quam ovem, reddam.

Da cupidum, avarum, tenacem : jam tibi eum liberalem dabo, et pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis : jam cruces, et ignes, et taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem : jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem et sanguinis appetentem : jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injustum, insipientem, peccatorem : continuo et æquus, et prudens, et innocens erit. Uno enim lavacro malitia omnis abolebitur. Tanta divinæ sapientiæ vis est, ut in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam uno semel impetu expellat : ad quod efficiendum, non mercede, non libris, non lucubrationibus opus est. Gratis ista fiunt, facile, cito;

VARIORUM NOTÆ.

Platonem... redemisse Anniceris quidam. Plato, cum Dionysio, Siciliæ tyranno, acerbius de tyrannide respondisset, ab eo abducendus vendendusque traditus est Polidi, Lacedæmoniorum legato, qui Æginæ venalem exposuit. Redemptus vero 20 minis ab Anniceri Cyrenaico, et Athenas remissus ad amicos. CELL.

Sestertiis octo. Hæc summam faciunt ducentorum aureorum coronatorum.

Furiosus. Heumannus credit, Lactantium scripsisse, *furiosius.* Ego vix crediderim. Habent omnes libri, in his Reimm., *Furiosus*, et recte; et ex indole Lactantii, l. VI, cap. 15 : *Stoici ergo furiosi, qui.* BUN.

Ut mihi videtur. Delevi *quidem*, quod ab omnibus mss. et nonnullis editis abest.

Multam pecuniam. Sic reposui ex omnibus mss. ac veteribus editis 2 Rom. Tornes. et Soubron. In 12 vulgatis est, *multum pecuniæ.*

Mortuo Hectore. Historia est apud Homer. Iliad. ; Dictyn. Cretensem, lib. III; et Virgil., lib. I Æneid. Cicero, actione VII, Verri hoc crimen objicit, quod cum multos in Sicilia occidisset, cadavera non nisi accepto pretio patribus et cognatis ad sepulturam redderet.

Anacharsim Scytham. Is fuit Scytharum regis frater, matre Græca : ex patria Athenas profectus. Vita ejus est libro primo apud Laert. Insignis Luciani Dialogus hujus nomine inscriptus est, in quo de juventutis exercitiis cum Solone disputat. De Anacharsi vide Plutarchum in Vita Solonis. BETUL.

Et litteras. Expunxi *Græcas*, quod a cunctis mss. ac veteribus editis 2 Rom. et Betul. abest. Buneman. habet : — *Et* (*Græcas*) *litteras.* Parenthesi inclusi (*Græcas*), quam vocem non habent Bon., Tax., Pen., Cauc., Pal., Ultr., Jun., Goth., Lips. 1, 3, Reimm., Emman., Cant., nec ullæ edd. vett. Sublac., Rost., Ven. 1471-97, Paris. 1515. At receperunt Aldus et seqq. BUNEM.

Poscente natura. Dictante lege naturæ, non corrupta illa, sed primogenita. Nam sub finem hujus capitis, naturæ vocabulum usurpat pro vitiata illa, adeoque pro ingenio sive, ut cum Apostolo loquar, lege carnis. BETUL.

Dei autem præcepta, etc. Non per se, sed per concomitantem S. Spiritus efficaciam.

Tam placidum. Id ex Terentii Adelphis act. IV, scen. 1, ac docet Lactantius quod christianum nil magis deceat, quam simplicitas.

Plenis manibus largientem. Optima lectio vetustiorum mss. et plurium editorum. Scripti 13 et vulgati sex, *propriis.*

Plenis manibus. Hoc est ampliter, copiose, prolixe, minimeque maligne. Hæc Eras. in Chil. Jacobus in sua Epistola cap. III, confert mundanam sapientiam cum cœlesti, vers. 13, et seqq.— *Plenis manibus.* Cic. l. II Att., Ep. XXV : *Hortatus quam plena manu*, etc. Ubi Corradus notat, *plena manu* esse proverbium ut *pleno modio.* Sæpe utitur Seneca ad Polyb. cap. 28 : *Munera plena manu congerentem reliquit.* Sen. Ep. XXXIII : *Si tamen exegeris, non tam mendice tecum agam : sed plena manu fiet ;* et Epist. CXX : *Vidimus, ubi tribuendum esset, plena manu dantem.* BUN.

Cruces. Vers. Gall. perperam hic vertit, *afflictions;* significat. h. l. *patibula.* BUN.

Cruces, et ignes, et taurum contemnet. Hæc eruditis viris et nobis verior visa est lectio, quam intrusum *et pericula* 23 manuscriptorum et 7 editorum, pro quo est *et Perilli*, in 1 Cauc. *et Phalaridis*, in 3 scriptis et 4 impressis : quæ omnia nobis videntur esse glossemata.— *Cruces, et ignes, et Phalaridis taurum contemnet.* Bon., *cruces, et ignes, periculum omne et taurum.* Singularis ms. Cauci, *cruces et ignes et* Perilli *taurum contemnet.* Perillus enim erat inventor illius ænei tauri, de quo docte et pluribus Salvagninus ad Ovid. Ibid., 459 :

Ære Perillæo veros imitere juvencos ;

et lib. V Trist. 1 :

Ipse Perillæo Phalaris permisit in ære
Edere mugitus, et bovis ore queri. BUN.

Ganeonem. Tabernis et conviviis turpioribus dantem operam. Vide Cortium ad Sall. Catil. c. 13, p. 90 et c. 14, p. 94. BUN.

Uno enim lavacro, etc. Baptismatis scilicet sacro fonte.

Stultitiam uno semel impetu expellat. Hoc est, hominis malitiam universaque peccata depellit baptismus.

Digitized by Google

modo pateant aures, et pectus sapientiam sitiat. Nemo vereatur : nos aquam non vendimus, nec solem mercede præstamus. Dei fons uberrimus atque plenissimus patet cunctis : et hoc cœleste lumen universis oritur (*Vid. Joan. cap.* I *et* VI), quicumque oculos habent. Num quis hæc philosopborum aut unquam præstitit, aut præstare, si velit, potest ? Qui cum ætates suas in studio philosophiæ conterant, neque alium quemquam, neque seipsos (si natura paululum obstitit) possunt facere meliores. Itaque sapientia eorum, ut plurimum efficiat, non excidit vitia, sed abscondit. Pauca vero Dei præcepta sic totum hominem immutant, et exposito vetere novum reddunt, ut non cognoscas eumdem esse.

CAPUT XXVII.

Quam parum philosophorum præcepta conferant ad veram sapientiam, quam in sola religione invenies.

Quid ergo? nihilne illi simile præcipiunt? Imo permulta ; et ad verum frequenter accedunt. Sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, et auctoritate majori, id est divina illa, carent. Nemo igitur credit ; quia tam se hominem putat esse, qui audit, quam est ille, qui præcipit. Præterea nihil apud eos certi est, nihil quod a scientia veniat. Sed cum omnia conjecturis agantur, multa etiam diversa et varia proferantur, stultissimi est hominis, præceptis eorum velle parere, quæ utrum vera sint, an falsa, dubitatur ; et ideo nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare. Virtutem esse Stoici aiunt, quæ sola efficiat vitam beatam. Nihil potest verius dici. Sed quid, si cruciabitur aut dolore afficietur ? Poteritne quisquam inter carnifices beatus esse ? Imo vero illatus corpori dolor materia virtutis est : itaque ne in tormentis quidem miser est. Epicurus multo fortius. Sapiens, inquit, semper beatus est ; et vel inclusus in Phalaridis tauro hanc vocem emittet : « Suave est, et nihil curo. » Quis eum non irriserit ? Maxime, quod homo voluptarius personam sibi viri fortis imposuit, et quidem supra modum, non enim fieri potest, ut quisquam cruciatus corporis pro voluptatibus ducat, cum satis sit, ad officium virtutis implendum, perferre ac sustinere. Quid dicitis Stoici ? Quid tu Epicure ? Beatus est sapiens, etiam cum torquetur. Si propter gloriam patientiæ ; non fruetur ; in tormentis enim fortasse morietur. Si propter memoriam ; aut non sentiet, si occidunt animæ, aut si sentiet, nihil ex ea consequetur.

VARIORUM NOTÆ.

Pectus... sitiat. Rost. *pectus... sciat*, prave. Imitatur Cyprianum, l. II, ep. 2, ed. Erasmi : *Nostrum tantum sitiat pectus et pateat.* BUN.

Nemo vereatur : nos aquam non vendimus. Tali interpunctione hæc distinguunt mss. 9 Reg., 3 Colbert. sexque alii, et edit. Rom. 1470. In 3 Colbert. nulla distinctio ; in 2 scriptis rec. et 17, excusis legitur : *Nemo vereatur nos, aquam non vendimus. — Aquam non vendimus.* Materiam Baptismatis, ut vides. Id est, gratis illud sacramentum omnibus conferimus. Et quidem secutis temporibus a variis diversorum regnorum conciliis prohibitum est, ne quid pro baptismi collatione exigeretur. Inter hæc sunt Concilia Eliberit. can. 48, Brachar. can. 7, Emerit. an 666, Tribur. an 895, Lemovic. an 1034, Bituric. 1438, Mediolanense sub S. Carolo Borromæo, Gelasius papa epist. ad universos Lucaniæ episcopos cap. 7, Constitutiones Gallonis S. R. E. cardinalis circa annum 1208, cap. 2, Ritualia omnia. — *Nemo vereatur : nos aquam.* Integer hic locus egregie illustratur ex Cypriani lib. II, ep. 2, ed. Basil. et Gryph. in ep. ad Donatum : *Nec ad hoc* pretiis *aut ambitu, aut manu opus est... sed* gratuitum *de Deo* munus *religiosa mente concipitur, et* facile *est ; et ut sponte* sol *radiat, dies illuminat,* fons *rigat, imber irrorat : ita se spiritus cœlestis infundit.* Ipse Lact. l. VII, cap. 27 : *Et quis est, qui hoc bona* parare *ac* acquirere *velit ?... Veniant, qui* sitiunt *ut* aquam *salutarem de perenni cœlestique* fonte *plenissimis faucibus trahant ;* et l. I, cap. 1. BUN.

Excidit vitia. Sic omnes fere mss. In 3 Reg. ex Marm. et editis 6, *exscindit ;* in 10 impressis *excindit.*

Vetere. Vide Paulum ad Ephes. IV, et Colossenses III, *Exposito vetere,* scilicet *homine,* id est ejecto. Canterus atque alii, loco vocis *exposito,* legendum putant *expuncto,* quæ conjectura non est contemnenda ; utinam manuscriptis esset roborata ! — *Exposito vetere.* Hic est stylus Lactantii et scriptorum veterum S. et ecclesiasticorum. Iterum Lact. l. VII, cap. 5 : *Homo cœlesti lavacro purificatus expouit infantium cum omni labe vitæ prioris* ; ubi frustra Heumannus tentat, *deponit.* Sæpe ita Cyprianus ; e. g. contra Demetrianum ed. Basil. fol. 103, Oxon. fol. 195 : *Exposita nativitate terrena, spiritu recreati et renati sumus.* Idem, epist. XI ed Oxon., fol. 26 : *Conversationem veteris hominis* exponunt. Lib. II, ep. III, in Oxon. ed., ep. LXIII, fol. 153 : *Tristitia omnis exponitur... exponatur memoria veteris hominis.* Idem de Habitu Virginis prope finem : *Hominem veterem illic gratia lavacri spiritualis exponunt.* Idem certius probat versus Paulini Nolani Poem. XXIII, 609, 610 :

> Ne maneam terrenus Adam, sed virgine terra
> Nascar, et, exposito veteri, nova former imago. BUN.

Quod a scientia veniat. Ita mss. 2 veterrimi Reg. aliique plures, cum cunctis ferme editis. In 1 Bonon. et 10, scriptis rec. est, *quod ad scientiam veniat.*

Virtutem esse Stoici aiunt. Laertius Zenonem et Chrysippum hujus assertionis auctores citat. Disputant super hac quæstione Cicero in V Tusc. quæst., Seneca epist. 92. Lactantius probat gentilium sententiam, quam tamen aliter atque ipsi, intelligit : ita nimirum, quod virtus, quæ ex fide christiana nascitur, ad æternam felicitatem consequendam sufficiat : quum Gentilium sensus sit, virtutem sibi sufficere, neque indigere cujusquam laude, vel gloria, neque præsidio fortunæ parere, perficereque beatitudinem. Hinc definivit etiam Cic. in I de Legibus virtutem, perfectam in se ad summum perductam naturam. BETULEIUS.

Sapiens, inquit, semper beatus est. Apud Ciceronem in II, Tusc. quæst. sub initium de hac Epicuri constantia sic legimus : *Epicurus affirmat, si uratur sapiens, si crucietur, expectas fortasse dum dicat, patietur, perferet, non succumbet. Magna mehercule laus, et eo ipso per quem juravi, Hercule digna. Sed Epicuro, homini aspero et duro, non est hoc satis. In Phalaridis tauro si erit, dicet :« Quam suave est hoc, quam hoc non curo. » Suave etiam ? an parum est, si non est amarum ?* etc. De Perillo notior est historia, quam quæ referri debeat. Vide, si voles, Plin. lib. XXXIV, cap. 8. Prov. apud Erasm. Phalaridis imperium. BUTELEIUS.

Si propter gloriam patientiæ ; non fruetur. Sic legunt 6 Reg., 1 Colbert., Bon., 2 Brun., Em., Cauc., Ultr., atque ita legendum esse contendo ; ut enim recte affirmat Thomasius, si, ut est in aliis 4, mss. et editis legatur *patientia fruetur,* nullum habebimus sensum : hoc autem intendit Lactantius, ho-

Digitized by Google

Quis ergo alius fructus est in virtute? quæ beatitudo vitæ? ut æquo animo moriatur? Bonum mihi affertis unius horæ, aut fortasse momenti, propter quod non expediat in tota vita miseriis et laboribus confici. Quantum autem temporis mors occupat? quæ cum veniat utrum æquo an iniquo animo eam subieris, jam nihil refert. Ita fit, ut nihil aliud ex virtute capteur, nisi gloria. Sed hæc aut supervacua et brevis est, aut pravis hominum judiciis non sequetur. Nullus igitur ex virtute fructus est, ubi virtus mortalis est et caduca. Ita qui hæc locuti sunt, umbram quamdam virtutis videbant, ipsam virtutem non videbant. Defixi enim fuerunt in terram, nec vultus suos in altum erigebant, ut eam possent intueri,

Quæ sese a cœli regionibus ostentabat.

Hæc causa est, cur præceptis eorum nullus obtemperet: quoniam aut ad vitia erudiunt, si voluptatem defendunt; aut si virtutem asserunt, neque peccato pœnam minantur, nisi solius turpitudinis, neque virtuti ullum præmium pollicentur, nisi solius honestatis et laudis, cum dicant, non propter seipsam expetendam esse virtutem.

Beatus est igitur sapiens in tormentis: sed cum torquetur pro fide, pro justitia, pro Deo, illa patientia doloris beatissimum faciet. Est enim Deus, qui solus potest honorare virtutem; cujus merces immortalitas sola est: quam qui non appetunt, nec religionem tenent, cui æterna subjacet vita, profecto neque virtutis vim sciunt, cujus præmium ignorant; neque in cœlum spectant, quod ipsi se facere putant, cum res non vestigabiles quærunt, quia ratio in cœlum spectandi nulla alia est, nisi aut religionem suscipere, aut animam suam immortalem esse credere. Quisquis enim aut Deum colendum esse intelligit, aut immortalitatis spem sibi propositam habet, mens ejus in cœlo est; et licet id non aspiciat oculis, animæ tamen lumine aspicit. Qui autem religionem non suscipiunt, terreni sunt; qui religio de cœlo est, et qui animam putant cum corpore interire, æque in terram spectant, quia ultra corpus quod est terra, nihil amplius vident, quod sit immortale. Nihil igitur prodest hominem ita esse fictum, ut recte corpore spectet in cœlum; nisi erecta mente Deum cernat, et cogitatio ejus in spe vitæ perpetuæ tota versetur.

CAPUT XXVIII.

De vera religione, deque natura; fortuna num sit dea; et de philosophia.

Quapropter nihil aliud est in vita, quo ratio, quo conditio nostra nitatur, nisi Dei, qui nos genuit, agnitio et religiosus ac pius cultus: unde quoniam philosophi aberraverunt, sapientes utique non fuerunt. Quæsierunt illi quidem sapientiam: sed quia non rite quærebant, prolapsi sunt longius; et in tantos errores inciderunt, ut etiam communem sapientiam non tenerent. Non enim tantum religionem asserere noluerunt: verum etiam sustulerunt; dum specie falsæ virtutis inducti, conantur animos omni metu liberare: quæ religionis eversio naturæ nomen invenit. Illi

VARIORUM NOTÆ.

mines non ita felices futuros inter calamitates, ut clamat Epicurus. Si enim propter gloriam patientiæ patiatur, non poterit frui illa gloria statim moriturus. Mss. 1 Reg., Pal., et ed. Rom. 1468, pro *fruetur*, habent *fruatur*.

Veniat. Recte. At aliis *venit*.

Utrum æquo an iniquo animo eam subieris. Omissas in antiquo Bononiensi et in 5 excusis duas voces, *an iniquo*, restitui ex cæteris editis et 27 mss. nisi quod in 2 Colb. et 1 Clarom. est *aut iniquo*.

Non sequetur. Scilicet *gloria*. 1 Bon. rec. et ed. Is. *non sequitur*. Ms. Jun. et 9 editi ferunt *non sequenda*, quod non cohæret. Hanc lectionem nostram ita Thomasius interpretatur, ut dicat Lactantius, prava hominum judicia effectura esse, ut nulla inde, id est ex virtute, gloria oriatur, ubi fuerit vera et solida gloria, vel vita digna hac gloria.

Ita qui hæc locuti sunt. Sic veterrimi et optimi mss. Bonon. et Reg. aliique cum editis quinque. In scriptis 15 rec. et 11 impressis, *Itaque qui hæc locuti sunt;* in rect. 1 Reg. et 1 Colb., *Itaque qui hoc*.

Videbant. Utrobique ex mss. repositum. Editi habent bis, *viderunt*.

Defixi. Mss. 8 rec et edd. 5, *Deflexi*. Cæteri ut in textu.

Ostentabat. Manuscriptorum est; ostendebat editorum, et Lucretii vulgati. Versus ille Lucretii est libro 1, initio.

Virtuti. Emendavi ex mss. et melioribus editis. Sex impressi habent *virtute*.

Cum res non vestigabiles quærunt. Ita vetusti codices mss. Vitiose recentiores et impressi, *cum res non investigabiles*. Quasi dicat Lactantius eos, qui nullam religionem habent, et animam putant esse mortalem nihil causæ habere, cur in cœlum spectent, quia si ibi mortalitatem animarum et impietatem quærunt, res quærunt non vestigabiles, hoc est quæ inveniri non possunt. Si vero legas *non investigabiles*, contrarius erit sensus, et plane nullus. Hæc ex Thomasio. Attamen Cellarius et Heumannus auctoritate antiquarum editionum freti, putant legendum esse *non investigabiles*. Videant igitur eruditi quam lectionem sibi amplectendam esse existiment.

Aut religionem suscipere. Doctiss. Rivetus in Notis suis mss. legit *suspicere*: sed in nullo, quod sciam, ms. sic legitur. Gallæus. — Infra, *religionem non suscipiunt*.

In cœlo est. Nam cogitatio nostra in cœlis esse debet, ait Paulus.

Specie falsæ virtutis. Mss. 1 Colbert. et Brun., *falsa*.

Naturæ nomen invenit. De natura, testante Galeno, scripserunt Plato, Hippocrates, Empedocles, Parmenides, Melissus, Alcmæon, Heraclitus, Epicurus. Vocabulum naturæ varie usurpatur a Latinis. Nam quandoque pro indole, ingenio, habitu accipitur, quandoque pro mente, sæpius pro substantia, præsertim apud Ciceronem: communior tamen hujus usus est, ut pro nascendi conditione rationeque accipiatur. Lactantius autem, dum significationes istas confundit, sese magis involvit, quam explicat: alioqui non immerito damnans eos, qui Deum rerum conditorem sua gloria fraudantes, Naturam quamdam creatricem, et administratricem rerum constituunt; cum Natura (φύσις) nihil aliud sit, quam lex et voluntas æterna Dei creantis et administrantis per ipsam omnia. Nam verbalia Græcorum ις, sæpissime actionem agendique facultatem significant. Mirari quis posset, cur *Naturæ* vocem suspectam reddere nitatur,

Digitized by Google

enim, cum aut ignorarent, a quo esset effectus mundus, aut persuadere vellent, nihil esse divina mente perfectum, naturam esse dixerunt rerum omnium matrem, quasi dicerent, omnia sua sponte esse nata: quo verbo plane imprudentiam suam confitentur. Natura enim, remota providentia et potestate divina, prorsus nihil est. Quod si Deum naturam vocent, quæ perversitas est, naturam potius quam Deum nominare? Si autem natura ratio est, vel necessitas, vel conditio nascendi, non est per seipsam sensibilis: sed necesse est mentem esse divinam, quæ sua providentia nascendi principium rebus omnibus præbeat. Aut si natura est cœlum atque terra, et omne, quod natum est, non est Deus natura, sed Dei opus.

Non dissimili errore credunt esse fortunam, quasi deam quamdam res humanas variis casibus illudentem; quia nesciunt, unde sibi bona, et mala eveniant. Cum hac se compositos ad prælandum putant; nec ullam tamen rationem reddunt, a quo et quam ob causam: sed tantum cum fortuna se digladiari momentis omnibus gloriantur. Jam quicumque aliquos consolati sunt ob interitum amissionemque charorum, fortunæ nomen acerrimis accusationibus proscinderunt; nec omnino ulla eorum disputatio de virtute est, in qua non fortuna vexetur. M. Tullius in sua Consolatione pugnasse se semper contra fortunam loquitur, eamque a se esse superatam, cum fortiter inimicorum impetus retudisset; ne tum quidem se ab ea fractum, cum domo pulsus patria caruit: tum autem, cum amiserit charissimam filiam, victum se a fortuna turpiter confitetur. Cedo, inquit, et manum tollo. Quid hoc homine miserius, qui sic jaceat? Insipienter, inquit: sed qui profitetur se esse sapientem. Quid ergo sibi vult assumptio nominis? Quid contemptus ille rerum, qui magnificis verbis prætenditur? Quid dispar cæteris habitus? Aut cur omnino præcepta sapientiæ datis, si nemo, qui sapiat, adhuc inventus est? Et quisquam nobis invidiam facit, quia philosophos negamus esse sapientes? cum ipsi nec scire se quidquam, nec sapere fateantur. Nam si quando ita defecerint, ut ne affingere quidem quidquam possint, quod faciunt in rebus cæteris: tum vero ignorantiæ admonentur, et quasi furibundi exiliunt, et exclamant se cæcos esse et excordes. Anaxagoras pronuntiat circumfusa esse tenebris omnia. Empedocles angustas esse sensuum semitas queritur,

VARIORUM NOTÆ.

cum ea non modo in utriusque Testamenti voluminibus crebro occurrat legentibus, sed etiam apud scriptores ecclesiasticos antiquissimos. Neque enim ex sese vel est quidquam, vel movetur, quæ nihil aliud quam Dei nutus est, et ut dixi, voluntas æterna. Deus autem Natura quidem esse potest, si non φύσιν, sed οὐσίαν intelligas. Nam sic non Cicero modo, sed etiam ipse Augustinus, creaturam οὐσίαν transtulerunt, non de Deo modo, sed etiam de aliis substantiis. Nam in II de Moribus Manichæorum libro, cap. 1, dicit, verbo substantivo (nihil refert sive εἰμί, unde οὐσία deducitur; sive sum, unde Essentia, intelligas) subesse manentis in se, atque incommutabiliter sese habentis naturæ significationem. Hanc nihil aliud quam Deum possumus dicere. Idem Augustinus I. II de Anima. Quare Lactantius hoc quoque, quod sano cum intellectu et legi et intelligi poterat, præter meritum videtur acerbius reprehendere. Quam quidem quæstionem cap. 10, de Ira Dei refricat. BETULEIUS.

Si Deum naturam vocent. Quæ Senecæ sententia fuit. Vide supra lib. I, cap. 9.

Sed. Ex mss. reposui; in editis est *quia*.

Non dissimili errore. In hunc Gentilium errorem invehitur S. Augustinus lib. IV de Civit. Dei, cap. 18 et 19.

Cum hac se compositos. Verbum gladiatorum, ubi *paria* componebantur, quod et *committere, comparare* dicebant. Hic Firmianus respexit ad Senec. de Provid. cap. 2: *Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna* compositus. BUNEMAN.

Amissionemque carorum. Conf. infra, *amiserit carissimam. Interitus* et *amissio* non raro pro *obitu* ponuntur. Sic sacri et profani scriptores. Tertull. de Patient. cap. 14: *amissio carissimorum.* Conf. cap. 9, pr. Cyprianus de Bono Patient. n. 9: *Multiplex tentationum qualitas irrogatur, de jacturis facultatum... de cruciatibus vulnerum, de* amissione carorum. Arnobius lib. II, n. 98: *Amissio pignorum.* Seneca ad Marciam cap. 7: *Ex discessu, non solum* amissione carissimorum *necessarius morsus est.* Ipse Cicero lib. III Off. cap. 5: Amissio *liberorum, propinquorum, amicorum;* et lib. III, Tusc. c. 30. pr. In Lips. altero legitur, *ab interitu amissioneque carorum.* BUNEMAN.

Præstur. Omnium pene mss. et editorum est scripti 1 Bon. antiq., 1 Colb. et 3 editi legunt, *versetur;* 1 Reg. rec., *veretur.*

Eamque a se esse superatam. Mss. 3 Reg., Lips, Goth. et edit. Cellar. post *a se* addunt *semper*, quod cæteri mss. editi respuunt, neque necessarium videtur, cum mox præcesserit. Vide et Tusculan. quæstiones Ciceron. lib. V: *Occupavi te,* inquit, *fortuna, atque cepi, omnesque aditus tuos exclusi, ut ad me aspirare non posses.* — *Eamque a se semper esse superatam.* Lips. et Goth. *semper* interserunt, quam alii negligunt, forsan quod repetitam ex superioribus crediderunt. Nec vero ingrata repetitio, aut a genio auctoris aliena. BUNEMAN.

Inquit. Idem Cicero in fragmentis de Consolatione.

Et manum tollo. Ita legendum est ex mss. et ex ipso Cicerone. Theod. Canterus ita correxit. Ita habent edit. antiquiss. Rom. 1470, et Veneta 1490, editi legunt, *en manum tollo.* Qui superabantur ac victos se agnoscebant, manum dabant: hinc Virgil. lib. XII Æneid. *tendere palmas* dixit. Cicero in Lælio, *ad extremum det manus, vincique se patiatur.* Item Theocrit. Eidyllio 23.

Qui sic jaceat? Id est, sic abjectus, afflictus, fractus sit. Unde Ciceroni sæpe *afflictus et jacens, abjectus et jacens,* junguntur. Conf. Lact. de Mort. Pers. cap. 1. BUNEMAN.

Inquit. Sic omnes mss. et veteres edd. Rom. et Paris. vulgati 12 *inquis.*

Datis. Secutus sum librorum mss. pene omnium et optimorum auctoritatem. Quinque recentissimi habent *dat;* 1 Lips. *data sunt;* 2 Reg. recent. et 1 Colb. cum editis *dantur.* Non male.

Qui sapiat. Reposui ex omnibus mss. et plerisque editis. Cæteris vulgatis est, *sapit.*

Facit. In quibusdam editionibus, *faciat.*

Affingere. Omnium fere mss. est et edition. Vulgat. accedentibus 3 Colb. in quibus est *affigere;* ms. Tornes. *attingere.* Vulgati legunt *effingere.*

Anaxagoras, etc. Hæc videntur ex primo Academicorum Ciceronis desumpta esse, ubi de Academicorum ἀκαταληψία scribit. Verba Ciceronis sunt: *Tum ego, cum Zenone inquam, ut accepimus, Arcesilas sibi omne certamen instituit, non pertinacia aut studio vincendi (ut mihi quidem videtur) sed earum rerum obscu-*

Digitized by Google

tamquam illi ad cogitandum rheda et quadrigis opus esset. Democritus quasi in puteo (*Vid. Cic. Acad.* cap. 12) quodam sic alto, ut fundus sit nullus, veritatem jacere demersam; nimirum stulte, ut cætera. Non enim tamquam in puteo demersa veritas est, quo vel descendere, vel etiam cadere illi licebat, sed tamquam in summo montis excelsi vertice, vel potius in cœlo, quod est verissimum. Quid enim est, cur eam potius in imum depressam diceret, quam in summum levatam? nisi forte mentem quoque in pedibus, aut in imis calcibus constituere malebat potius, quam in pectore, aut in capite.

Adeo remotissimi fuerunt ab ipsa veritate, ut eos ne status quidem sui corporis admoneret, veritatem in summo illis esse quærendam. Ex hac desperatione confessio illa Socratis nata est, qua se nihil scire dixit, nisi hoc unum, quod nihil sciat. Hinc Academiæ disciplina manavit; si tamen disciplina dici potest, in qua ignoratio et discitur et docetur. Sed ne illi quidem, qui scientiam sibi assumpserunt, id ipsum, quod se scire putabant, constanter defendere potuerunt. Qui, quoniam ratio illis non quadrabat, per ignorantiam rerum divinarum tam varii, tam incerti fuerunt, sibique sæpe contraria disserentes, ut quid sentirent, quid vellent, statuere ac dijudicare non possis. Quid igitur pugnes adversus eos homines, qui suo sibi gladio pereunt? Quid labores, ut eos destruas, quos sua ipsos destruit atque afflicit oratio? Aristoteles, inquit Cicero (III *Tusc.*), veteres philosophos accusans, ait eos aut stultissimos, aut gloriosissimos fuisse, qui existimassent philosophiam suis ingeniis perfectam: sed se videre, quod paucis annis magna accessio facta esset, brevi tempore philosophiam plane absolutam fore. Quod igitur fuit illud tempus? quo more? quando est aut a quibus absoluta? Nam quod ait stultissimos fuisse, qui putassent ingeniis suis perfectam esse sapientiam, verum est: sed ne ipse quidem satis prudenter, qui aut a veteribus cœptam, aut a novis auctam, aut mox a posterioribus perfectum iri putavit. Nunquam enim potest investigari, quod non per viam suam quæritur.

CAPUT XXIX.

De fortuna iterum et virtute.

Sed repetamus id quod omisimus. Fortuna ergo per se nihil est; nec sic habendum est, tamquam sit in aliquo sensu. Siquidem fortuna est accidentium rerum subitus atque inopinatus eventus. Verum philosophi, ne aliquando non errent, in re stulta volunt esse sapientes; qui fortunæ sexum mutant, eamque non deam, sicut vulgus, sed deum esse dicunt.

VARIORUM NOTÆ.

ritate, quæ ad confessionem ignorationis adduxerunt Socratem, et veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes pene veteres, qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt; angustos sensus, imbecillos animos, brevia circula vitæ, et (ut Democritus) in profundo veritatem esse demersam. Hoc posterius legitur etiam in altero, quod extat, Academicarum Quæst. fragmento: *Naturam accusa, quæ in profundo veritatem, ut ait Democritus, penitus abstruserit.* Betul.

In puteo demersa veritas. Ita cum vet. 8 excusis ferunt cuncti mss. præter duos Reg. rec. qui habent *in puteum.* Sed et apud Ciceronem I Academic. Quæst., cap. 12, effertur sexto casu: *Democritus dixit, in profundo veritatem esse demersam.*

In summo illis. Veteres editiones legunt *illis in summo.*

Nisi hoc unum. Istud vide apud Plat. in Apolog. Phædon. Criton. et apud Cicer. I Acad. quæst. sub. init.

Sæpe. Mss. 6 rec. *semper.*

Quid sentirent, quid vellent. Mss. 10 rec. cum edit. Betul., *quid sentiant, quid velint.* Mss. Cotton., *quid sentire vellent.*

Statuere. Sic antiquissimi codices Bonon., 3 Reg., Cauc., 3 Oxon. cum editis octo. Recentiores scripti 23 cum vet. impressis 8 ferunt *satis statuere.*

Suo sibi gladio pereunt. Ms. 1 Clarom. a secunda manu, *suo sese gladio peremerunt.* Proverbium est: vide Terent. in Adelphis.

Quos sua ipsos destruit. Ita cuncti fere mss. cum omnibus pene editis. In tribus editis est *ipsa suos;* in scriptis rec. 1 Colb. et Brun. *ipsa sua;* in 1 Reg. rec., *sua ipsa.*

Afficit. Sic restitui ex optimo et veterrimo ms. Regio-Put., 5 al. Reg., 6 Colb. septemque aliis, necnon ex vet. edit. Rom. 1470. Scripti tres et editi 14 ferunt *affligit;* 1 Reg. rec. *infligit:* sed et *afficere* simpliciter Ciceroni et Columellæ idem est, ac *vexare, affligere:* quam vocem substituerunt ignari amanuenses.

Aut stultissimos, aut gloriosissimos fuisse. Hæc lectio sit omnium ferme et optimorum mss. codicum in 7 rec. et 5 vulgatis est *aut gloriosos.*

Tempus? quo more? quando est. Usus rarior probari potest ex Cic. lib. I Invent., c. 25, pr.: *In victu considerare oportet, apud quos et quo more, et cujus arbitratu sit educatus.*

Tamquam sit in aliquo sensu. Lege, *tamquam sit illis aliquis sensus.* Heuman. —*Tamquam sit in aliquo sensu.* Sine præpositione Cicero I. II de Nat. deor., cap. 15: *Id animal et sensu acerrimo, et mobilitate celerrima esse.* Sed notum est, veteres sæpe *in* addere. Bun.

Sed deum esse dicunt. Quod philosophi hoc fecerint, nondum legi. Nisi fortassis Plutum intelligas, qui apud Aristoph. et ipse cæcus inducitur. Sed Romani Fortunam masculam, et Fortunam muliebrem coluerunt, ut a Plutarcho scriptum est in lib. de Fortuna Romanorum. Augustinus utriusque meminit loco supra citato. Masculæ Fortunæ templum ab Anco Martio, quarto Romanorum rege, extructum, quod pusculam sibi fortunam ad indipiscendam victoriam affuisse, quam fortitudinem crediderat. Fuit etiam alia masculæ Fortunæ ædicula ad Veneris fanum, auctore eodem Plutarcho, qui variarum Fortunarum et nomina et delubra recenset. Sed hic locus majorem acquiret lucem, si Ciceronis verba quæ hic citantur, ex Academicarum Quæst. primo adscripsero integra; ibi enim perfectio illa rerum multis nominatur et variis nominibus. Verba Ciceronis, ubi de naturali philosophia loquitur, sic habent: *Partes autem esse mundi, omnia quæ insint in eo, quæ Natura sentiente teneantur, in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna. Nihil enim valentius, a quo intereat. Quam vim Animum dicunt esse mundi, eamdemque esse mentem sapientiamque perfectam, quam Deum appellant, omniumque rerum, quæ sunt ei subjectæ, quasi prudentiam quamdam procurantem, cœlestia maxime. Deinde in terris ea quæ pertinent ad homines, quam interdum eamdem necessitatem appellant, quia nihil aliter possit, atque ab ea constitutum sit inter quasi fatalem et immutabilem continuationem ordinis sempiterni. Nonnunquam quidem eamdem Fortunam, quod*

Digitized by Google

Eumdem tamen interdum naturam, interdum fortunam vocant; « quod multa, inquit idem Cicero, efficiat inopinata nobis, propter obscuritatem ignorationemque causarum. » Cum igitur causas ignorent, propter quas fiat aliquid, et ipsum qui faciat ignorent, necesse est. Idem in opere valde serio, in quo præcepta vitæ deprompta ex philosophia filio dabat: « Magnam, inquit, esse fortunæ vim in utramque partem, quis nesciat? Nam et, cum prospero flatu ejus utimur, ad exitus pervenimus optatos; et, cum reflaverit, affligimur. » Primum, qui negat sciri posse quidquam, sic hoc dixit, tamquam et ipse, et omnes sciant. Deinde, qui, etiam quæ clara sunt, dubia conatur efficere, hoc putavit esse clarum, quod illi esse debuit vel maxime dubium; nam sapienti omnino falsum est. Quis, inquit, nescit? Ego vero nescio. Doceat me, si potest, quæ sit illa vis, qui flatus iste, et qui reflatus.

Turpe igitur est, hominem ingeniosum dicere id, quod, si neges, probare non possit. Postremo, quod is, qui dicit assensus esse retinendos, quod stulti sit hominis, rebus incognitis temere assentiri, is plane A vulgi et imperitorum opinionibus credidit, qui fortunam putant esse, quæ hominibus tribuat bona et mala. Nam simulacrum ejus cum copia et gubernaculo fingunt, tamquam hæc et opes tribuat, et humanarum rerum regimen obtineat. Cui opinioni et Virgilius assentit, qui fortunam omnipotentem vocat; et historicus, qui ait: Sed profecto fortuna in omni re dominatur. Quid ergo cæteris diis loci superest? Cur non aut ipsa regnare dicitur, si plus potest; aut sola colitur, si omnia? Vel, si tantum mala immittit, aliquid causæ proferant, cur, si dea sit, hominibus invideat, eosque perditos cupiat, cum ab his religiose colatur: cur æquior sit malis, iniquior autem bonis: cur insidietur, affligat, decipiat et exterminet: quis illam generi hominum vexatricem perpetuam constituerit: B cur denique tam malam sortita sit potestatem, ut res cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebret, obscuretque? Hæc, inquam, philosophos inquirere oportuit potius, quam temere innocentem accusare fortunam: quæ etiamsi sit aliqua, nihil tamen afferri ab his potest, cur hominibus tam inimica sit, quam putatur. Itaque illæ omnes orationes, quibus iniquitatem

VARIORUM NOTÆ.

efficiat multa improvisa hæc, nec opinata nobis propter obscuritatem ignorationemque caussarum. Sed apud Cicer. in II de Divinatione; disputatur, utrum divinatio rerum fortuitarum esse possit. Et contradicitur: si fortuna sit, fatum tolli; sin autem omnia ex C æternitate fataliterque fiant, tolli fortunam. Addidit Lact. eumdem Deum interdum naturam, interdum fortunam esse. Plut. vero in Problem. hanc ponit differentiam, quod fortuna sit rerum omnium principium, natura vero casu consistat. Sed de his lege Joan. Damascenum lib. II Orthodoxæ fidei, cap. 15.

Interdum naturam. Hæ duæ voces absunt a 12 mss. et ab edit. Thomas.

Efficiat inopinata nobis. Ita editi et mss. omnes, præter 2 recentissimos Em. et Cant. in quibus est, *Efficiat improvisa nec opinata nobis.* Vide Ciceronem in I Academicar. quæstionum circa finem.

Valde serio. Hac voce indicatur liber. II de Offic. cap. 2 ad finem, quibusdam tamen immutatis.

Pervenimus. Legitur *pervehimur* apud Buneman, qui hujus mutationis sic rationem reddit. — Hanc lectionem cum Cicerone convenientem recepi ex Reimm., mss. et Tornes. 1587, ubi ante editum, *pervenimus.* Bun.

Cum reflaverit. Sic legitur in excusis et mss. codicibus, præter octo qui ferunt *cum respiraverit*; et 1 Reg. *cum respiravit.* At *reflaverit*, quod est ex Ciceronis loco, optime respondet *τῷ prospero flatu*, quod mox præcessit. Sic et infra, *qui flatus iste: et qui reflatus.* — *Reflaverit.* Emman. et Goth. *respiraverit.* Receptam Ciceronis codices habent, et ipse Lact. infra, *qui flatus... et qui reflatus.* Buneman.

Assensus esse retinendos. Sed vide potius Ciceronem ipsum in librorum de Officiis præfatione, ubi huic objectioni occurrit: *occurritur autem nobis*, etc. quam responsionem videas.

Nam simulacrum ejus, etc. Cum copiæ cornu Bupalus (ut ex Pausania Volaterr. citat) apud Smyrnæos statuam fortunæ fecit, cum polo supra caput, et altera manu cornu copiæ. Sed Galeni quoque Fortuna gubernaculum in manibus habet. Cæterum quod cæca, et globo volubili insistens pingatur, præter Galenum, vide Cebetis tabulam, et Pacuvii versus in Rhetorica ad Heren., lib. II, cap. de Vitiosa argumentatione. Heum.

Et humanarum, etc. Plin., lib. II: *Toto quippe mundo et locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus fortuna sola laudatur, sola arguitur, et cum conviciis colitur; volubilis, a plerisque vero et cæca etiam existimata, et in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit.* Sic et Minucius Felix: *Soluta legibus fortuna dominatur.*

Virgilius. Cujus hæc verba sunt lib. VIII Æneid., vers. 334. Æneas loquitur:

> Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem,
> Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
> His posuere locis, etc.

Atque ibi Servius ait poetam secundum Stoicos locutum esse, qui nasci et mori fatis dant, media omnia fortunæ, eo quod vitæ humanæ incerta sunt omnia.

Et historicus, etc. Sallustius: locutus est in prologo Catilinariæ historiæ. Possunt plurima in hanc sententiam testimonia ex Græcis Latinisque scriptoribus colligi. Sed hoc instituti nostri non est. Ita et Plato in IV de Legibus.

Vel, si tantum. Alii duas fortunas faciunt, bonam, malamque. At diversas fortunas esse posse, validis D argumentis refellit Augustinus, lib. IV Civit. Dei, c. 18.

Illam generi hominum vexatricem constituerit. Sic reposui ex optimis et omnibus fere mss. In scriptis Em. et 1 Clarom. est, *generi humano;* in 1 Reg. rec. et cunctis editis, *generis hominum.* At infra idem Lactantius simili utitur locutione, c. 30: *Una spes homini.... posita est;* et mox, *hominibus tam inimica.* — *Generis hominum vexatricem.* Goth., Reimm.: *Generi hominum*, respectu verbi, *constituerit;* genitivus pendet a *vexatricem.* Ut lib. II, c. 15, fin.: *vexatores hominum.* Bun.

Obscuretque. Lege *obscuretve.*

Hominibus inimica... et mox, *inimicus bonis. Inimicus* cum tertio casu etiam lib. VI, c. 20, Epitom., c. 71, lib. de Ira Dei, c. 19.

Iniquitatem fortunæ lacerant. Cic. XI Philipp. 2: *Cum verborum contumeliis optimum virum lacerasset.* Val. Max., lib. IV, c. 4, extr.: *Quid..... fortunam, quasi præcipuum generis humani malum diuturnis conviciis laceramus?* Bun.

Digitized by Google

fortunæ lacerant, se suasque virtutes contra fortunam superbissime jactant, nihil aliud sunt, quam deliramenta inconsideratæ levitatis.

Quare non invideant nobis quibus aperuit veritatem Deus : qui sicut scimus, nihil esse fortunam ; ita scimus esse pravum ac subdolum spiritum, qui sit inimicus bonis, hostisque justitiæ; qui contraria faciat, quam Deus, cujus invidiæ causam in secundo libro (*Cap.* 13) explicavimus. Hic ergo insidiatur universis ; sed eos, qui nesciunt Deum, errore impedit, stultitia obruit, tenebris circumfundit, ne quis possit ad divini nominis pervenire notitiam, in quo uno et sapientia continetur, et vita perpetua. Eos autem, qui Deum sciunt, dolis et astu aggreditur, ut cupiditate ac libidine irretiat, ac peccatis blandientibus depravatos impellat ad mortem ; vel, si dolo nihil profecerit, vi et violentia dejicere conatur. Idcirco enim in primordiis transgressionis non statim ad pœnam detrusus a Deo est, ut hominem malitia sua exerceat ad virtutem : quæ nisi agitetur, ni assidua vexatione roboretur, non potest esse perfecta; siquidem virtus est perferendorum malorum fortis ac invicta patientia. Ex quo fit, ut virtus nulla sit, si adversarius desit. Hujus itaque perversæ potestatis cum vim sentirent virtuti repugnantem, nomenque ignorarent, fortunæ vocabulum sibi inane finxerunt. Quod quam longe a sapientia sit remotum, declarat Juvenalis his versibus :

> Nullum numen abest, si sit prudentia : sed nos
> Te facimus, Fortuna, deam, cœloque locamus.

Stultitia igitur, et error, et cæcitas, et, ut Cicero ait, ignoratio rerum atque causarum, Naturæ ac Fortunæ nomina induxit. Sed ut adversarium suum nesciunt : sic nec virtutem quidem sciunt, cujus scientia ab adversarii notione descendit. Quæ si conjuncta est cum sapientia, vel, ut ipsi dicunt, eadem ipsa sapientia est, ignorent necesse est in quibus rebus sita sit. Nemo enim potest veris armis instrui, si hostem contra quem fuerit armandus, ignorat; nec adversarium vincere, qui in dimicando non hostem verum, sed umbram petit. Prosternetur enim, qui alio intentus, venientem vitalibus suis ictum nec præviderit ante, nec caverit.

CAPUT XXX.

Epilogus ante dictorum; et qua ratione sit transeundum a vanitate philosophorum ad sapientiam veram et veri Dei cognitionem, in quo solo virtus est et beatitudo.

Docui, quantum mea mediocritas tulit, longe devium philosophos iter a veritate tenuisse. Sentio tamen, quam multa prætermerim, quia non erat mihi propria contra philosophos disputatio. Sed huc necessario divertendum fuit, ut ostenderem, tot et tanta ingenia in rebus falsis esse consumpta ; ne quis forte a pravis religionibus exclusus, ad eos se conferre vellet, tamquam certi aliquid reperturus. Una igitur spes homini, una salus in hac doctrina, quam defendimus, posita est. Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat et colat : hoc nostrum dogma, hæc sententia est. Quanta itaque voce possum, testificor, proclamo, denuntio. Hic, hic est illud,

VARIORUM NOTÆ.

Se suasque virtutes, etc. Ita scribo cum mss. Regio-Put., 2 Colbert., 2 Clarom., Cant. et editis sex. Alii tres vulgati habent, *et se suasque virtutes*. In 8 scriptis totidemque impressis deest *et se*.

Contraria faciat, quam Deus. Ego tale exemplum deprehendi sine ulla mss. variatione in Augustini de Civit. Dei, lib. VIII, c. 24 : *Qui* (Deus) *hæc* contrariis *caussis*, quam *instituta sunt*, *abstulit*. Melius tamen noster Firmianus de Ira, c. 3 : *Qui contraria Deo faciat*. Bun.

Hic ergo insidiatur universis. Sic omnes mss. et plerique editi; in vulgatis nonnullis est *His*.

Circumfundit. Ita repositum ex mss. et quatuor editis; in cæteris est *circumfudit*, male. Vide præcedentia.

Dolis et astu. Restitui ex 16 mss. veterrimis et optimis ac edit. Is. In 12 scriptis rec. et impressis est *dolis et astutia*.

Ac peccatis blandientibus. Sic reposui ex editis 3 vet. Romanis, Is. et Cellar. nec non ex omnibus mss. præter Cauc. et 1 Reg. rec. in quibus, ut et in vulgatis undecim est *peccati blandamentis*.

Vi et violentia. Voces *vi* et absunt a 15 mss. rec. et 8 editis.

Non statim ad pœnam. In eadem sententia fuere nonnulli antiquiores Patres, nixi videlicet his testimoniis Matthæi, c. VIII, v. 29 et 31, ac epist. II Petr., c. II, v. 4, S. Justinus Apolog. I pro christianis; S. Irenæus, lib. V advers. Hæres.; Tertullianus in Apolog., c. 27; Origenes in cap. XXII Numer. Homil. 13; S. Augustinus, lib II de Genesi contra Manichæos, c. 17, citat illud Christi Matth., c. XXV ; *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*. Clarius adhuc testimonium vide in II Petri Epistol., c. II, v. 4, *Parcit ex*. Betuleio. Vide Isæum si lubet.

Ex quo fit, etc. Falsa hæc Lactantii est sententia. Virtus quidem est : sed sine adversario, vires suas non exerit.

Nullum numen abest. Sic profecto legendum ex mss. Bonon. 4 Reg. aliisque octo, ac 12 editis, ut Juvenalis respondeat scopo. In 19 manu exaratis et 2 impressis *habes*, male. Hi duo versus in Juvenalis Sat. 10 circa finem. — *Nullum numen habes*. Mss., Cauc., Palat., Jun., Lips. 1, Reimm., Rost., Ven. altera 478, Paris.: *nullum numen habes*. Ultraj.: *nullum nomen habes*, cum Veneta prima 478. Variant quoque Juvenalis libri ; at menti Lactantii *habes* hic convenientius, quam aliorum, *abest*. Bun.

Cicero. Quem vide in I Acad. quæst. ubi supra.

Armis. Iis scilicet, de quibus Paulus ad Ephes., c. VI, v. 11 et 13.

Vitalibus. Hic est pro intestinis et visceribus. — *Venientem vitalibus..... ictum*. Vitalia sunt viscera interna. Seneca ep. 99 : *Quam multis vitalia eruuntur*. Ammian. Marcellin., lib. XVI, c. 12 : *Tela eorum vitalibus immergebat*. Bun.

Scitio. Ita restitui ex vetustissimis duobus Regiis, 2 Bonon. aliisque 32 mss. (absque 12 Vaticanis) ac 3 vet. Romanis aliisque 8 editis. In scriptis Cauc., 1 Reg. rec., Marm., 1 Lips. et 7 vulgatis est *Scio*.

A pravis religionibus. Sic Paulus ad Colossens. II, vocat susceptas religiones, sapientia carentes. Observa *religionis* nomen in plurali a Lactantio semper in malam usurpari partem. Betuleius.

Spes homini. Ita cum omnibus fere excusis manuscripti, præter 2 Reg. rec. et Goth. nonnullosque typis expressos, quibus est *hominis*.

Hic, hic est illud, etc. Sic restitui ex omnium mss.

Digitized by Google

quod philosophi omnes in tota sua vita quæsierunt, nec unquam tamen investigare, comprehendere, tenere valuerunt, qui religionem aut pravam retinuerunt, aut totam penitus sustulerunt. Facessant igitur illi omnes, qui humanam vitam non instruunt, sed turbant. Quid enim docent? aut quem instruunt qui se ipsos nondum instruxerunt? Quem sanare ægroti, quem regere cæci possunt? Huc ergo nos omnes, quibus est cura sapientiæ, conferamus. An expectabimus donec Socrates aliquid sciat? aut Anaxagoras in tenebris lumen inveniat? aut Democritus veritatem de puteo extrahat? aut Empedocles dilatet animi sui semitas? aut Arcesilas et Carneades videant, sentiant, percipiant?

Ecce vox de cœlo veritatem docens, et nobis sole ipso clarius lumen ostendens. Quid nobis iniqui sumus? et sapientiam suscipere cunctamur, quam docti homines, contritis in quærendo ætatibus suis, nunquam reperire potuerunt? Qui vult sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat justitiam, sacramentum nativitatis suæ norit; humana contemnat, divina suscipiat, ut summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci. Dissolutis religionibus universis, et omnibus, quæcumque in earum defensionem dici vel solebant, vel poterant, refutatis, deinde convictis philosophiæ disciplinis, ad veram nobis religionem sapientiamque veniendum est, quoniam est, ut docebo, utrumque conjunctum; ut eam vel argumentis, vel exemplis, vel idoneis testibus asseramus, et stultitiam, quam nobis isti deorum cultores objectare non desinunt, ut nullam penes nos, sic totam penes ipsos esse doceamus. Et quamquam prioribus libris, cum falsas arguerem religiones, et hoc, cum falsam sapientiam tollerem, ubi veritas sit, ostenderim; planius tamen, quæ religio, et quæ sapientia vera sit, liber proximus indicabit.

VARIORUM NOTÆ.

vetustissimis et optimis 1 Bon., 1 Reg. 900 annor. et Regio-Put. necnon Em. et edit. Is. ut scribitur *HIC* in contractuum margine e regione loci, in quo constitit summa rei unde judicandum est: quod Gallice dicimus *le Hic de la pièce*, vel *voilà le Hic:* hæc tamen nonnisi populari dicuntur sermone, non eleganti eloquio. Nostræ lectioni favent mss. 3 Reg. alii, 1 Colbert., Gat., Brun., quibus est, *Hic est illud*, sine repetitione; Jun. 1 Colb. *Hoc, hoc est illud;* in Canc. et 11 aliis rec. scriptis cunctisque fere impressis, *Hoc est illud.*

Retinuerunt. Ita reposui ex editis Tornes., Soubron., Walch. et omnibus mss. præter 2 Reg. rec. et 14 impressos, in quibus est *tenuerunt.*

Sacramentum. Id est mysterium, voce a Lactantio sæpe usurpata. Id est *a quo natus sit et creatus.* Sic Lactantius, lib. II, c. 18, dicit *Sacramentum hominis. — Sacramentum nativitatis suæ norit.* Nostro loco proxima illa ex lib. VII, c. 5: Quare *hominem fecerit;* supra, *si sacramentum hominis cognovissent* supra, *quod solus ita formatus, ut oculi ejus ad cœlum directi... excitasse.* Bun.

Utrumque conjunctum. Dicit utrumque, id est, *religionem sapientiamque* conjunctam. Idem, lib. IV, c. 2, fin. dicit: *Sapientiam cum religione sic cohærere, ut divelli utrumque non possit.* Ibid., c. 3: *Sapientia cum religione inseparabili nexu cohæret;* ibid., c. 4: *Apparet, quam inter se conjuncta sint sapientia et religio;* ibid., c. 5: *Sapientiam et religionem non posse diduci.* Bun.

Et hoc. Scilicet tertio libro: quod bene cohæret *prioribus libris.* Itaque restitui *hoc* cum Cellario ex mss. præter 6 Reg. in quibus legitur *et hic*, ut in cunctis fere vulgatis.

ANALYSIS LIBRI QUARTI

QUI INSCRIBITUR DE VERA SAPIENTIA ET RELIGIONE.

Partes libri hujus quatuor sunt: *Proœmium*, c. 1, 2, 3, 4; *Institutio de Christo*, a cap. 5 usque ad 29; *Explicatio quæstionis, quomodo duæ personæ, Pater et Filius, sint unus Deus*, cap. 29; *Admonitio de causis hæresium* (*cap.* 30).

Proœmium tria continet: querelam de introducto deorum cultu, quem omnis injustitia et impietas est consecuta; causas cur sapientia a philosophis non sit inventa, quia nimirum extra fines suos eam quæsierint, nec ad Judæos accesserint, divina haud dubie providentia derelicti, nec inde scire potuerunt veritatem; denique disputationem de sapientiæ et religionis vinculo, ubi docetur apud solos christianos sapientiam cum religione esse conjunctam, a quibus unus Deus colatur; non apud ethnicos, quorum religio vana sit, et a philosophia discreta, quorum item cultus divinus contra omnem sit rationem.

Institutio de Christo complectitur doctrinam de Christi cognitione, persona, nomine, nativitate, duabus naturis, miraculis, passione, cruce.

Cognitionem Christi hauriendam monet ex prophetis, qui omnibus ethnicorum scriptoribus antiquiores sint (*cap.* 5).

Personam subsistentem ante mundum conditum, a Deoque generatum fuisse Christum demonstrat testimonio Trismegisti, Sibyllarum, et Salomonis Proverb. (*cap.* 6).

Nomen Christi proprium soli Deo Patri scribit notum esse, nec ante id publicatum iri, quam dispositio fuerit dei impleta. Jesum tamen inter homines nominari: Christum autem non proprium ejus nomen esse, sed nuncupationem potestatis et regni (*cap.* 7).

Nativitas Christi duplex asseritur; una in spiritu, altera in carne. Illa non ex connubio ac permixtione feminæ alicujus, neque ex Deo qui mas sit et femina, sicut Orpheus et Hermes putarunt, sed incomprehensibiliter cum voce ac sono ex Dei ore processisse dicitur, sicut verbum; unde merito sermo et verbum Dei nuncupetur, rectius tamen λόγος apud Græcos (*cap.* 8 *et* 9). Hac de virgine natus manifestatur, cujus nativitatis exponitur a Lactantio necessitas, forma, locus, finis. Necessitas, quia enim Judæi magnis a Deo beneficiis affecti a divina lege desciverant, filium suum primogenitum delabi jussit e cœlo Deus, ut religionem sanctam transferret ad gentes (*cap.* 19 *et* 11). Forma externa despecta fuit et humilis, ut ingratus in Deum populus in errorem maximum inducerctur (*cap.* 11). Forma interna est, quod virginem elegit, cujus utero se insinuavit; quod minime incredibile videri debet, cum

Digitized by Google

animalia quædam vento et aura concipere soleant, et hujusmodi Christi nativitas a prophetis fuerit prædicta. Locus nativitatis Judæa nominatur, in qua ideo nasci voluit, et quidem ex semine Judæorum, ne, si fuisset alienigena, justam possent excusationem de lege prætendere, quod eum non suscepissent. Fines nativitatis Lactantius recenset varios, ut universis gentibus, quæ sub cœlo sunt, Dei singularis et veri sanctum mysterium revelaret (*cap.* 12). Item ut per omnia summo Patri similis existeret, essetque et ipse ut Pater, ἀπάτωρ et ἀμήτωρ (*cap.* 13).

Duas quoque in Christo naturas, divinam et humanam, auctor affirmat. Divinam quia illa ex operibus quæ fecit, apparuerit, et quia Deum Esaias, Hieremias et David Christum prædicaverint. Humanam, quia hæc ex passione, quam pertulit, apparuerit; quia item Hieremias, Esaias, Moses, Nathan hominis filium Christum futurum prædixerint (*cap.* 14). Et Zacharias propheta sacerdotium et personam ipsam sacerdotalem determinarit.

Miracula Christi recensentur varia, eaque tum a prophetis, tum a sibyllis prædicta, ac proinde minime magica fuisse capite 15 ostenditur.

Passionis Christi docentur causæ procreantes et impulsivæ, forma, consequentia et adjuncta. Causæ procreantes fuerunt pharisæi et sacerdotes. Impulsivæ doctrina Christi et scandalum ab humilitate ejus sumptum, itemque ex eo quod Mosis legem solveret, sabbatis non vacando : quod circumcisionem vacue faceret : quod abstinentiam suillæ carnis auferret, quæ tamen omnia docet antea fuisse a prophetis prædicta (*cap.* 16 *et* 17). Forma passionis historica recensione captivitatis et crucifixionis Christi declaratur; cui subjicitur detestatio facti, et testimoniorum enarratio, quibus passio illa fuit prænuntiata (*cap.* 18). Consequentia passionis sex enumerantur, miracula, custodia sepulchri, resurrectio, explicatio Scripturæ de Christi œconomia a Christo ipso ad discipulos facta, adscensio in cœlum, plena Evangelii revelatio per apostolos (*cap.* 19, 20, 21). Adjuncta dignitas passionis contra ethnicos defenditur, qui humilitate et passione Christi offendebantur (*cap.* 22).

Lactantius affirmat oportuisse Christum non Deum tantum, sed et hominem esse et pati, hoc argumento : « Quicumque hominibus præcepta dat, ac vitam moresque aliorum fingit, hunc oportet facere præcepta, ut videant alii possibilia esse quæ præcipit, nec contemnant doctorem : oportet item ut e cœlo veniat, cum in homine interna et propria doctrina esse nullo modo possit, et cœlestis doctor in docendo perfectus et consummatus sit : denique necesse est, ut corpus assumat humanum : eo quod mortales oculi claritatem Dei non conspicere, nec Deus expers corporis homines docere possit; quod item excusationem carnis delictis suis obtendentes redarguere non possit, nisi et ipse carne fuerit indutus, ut ostendat carnem etiam posse capere virtutem (*cap.* 23 *et* 24). Atqui Christus talis a Deo Patre doctor nobis datus est, qui præceptis justitiæ suæ erudire homines debuit; igitur et Deum illum esse oportuit, ut doctrinam perfectam proferret, et auctoritate cœlesti necessitatem parendi hominibus imponeret : et hominem, ut exempla virtutis homini præbere posset, et desideriis carnis edomitis doceret, non necessitatis esse peccare, sed propositi ac voluntatis (*cap.* 25). »

Corporatus igitur est, inquit porro auctor, ut homini virtutis et exempla et incitamenta præberet : passus est, ut quemadmodum aliis miraculis mystich quædam adumbravit, ita iis quæ passus est, significaret, odio futuram sapientiam, bonosque pressuras ac labores varios experturos. Passus item est, ut patientiam, mortisque contemptum traderet homini.

De cruce tandem agens, primum causas reddit, cur Christus hoc infami supplicii genere affici voluerit; nimirum ne quis esset omnino, qui eum non posset imitari. Deinde, ut integrum corpus ejus conservaretur, quod die tertio resurgere ab inferis oportebat; præterea quod exaltari eum in cruce necesse fuit, ut omnibus gentibus passio Dei innotesceret : quemadmodum expansione manum in cruce congregationem gentium ex omnibus locis ad Ecclesiam præsignificavit (*cap.* 26). Hinc disserit de vi signi crucis, quod fugat dæmones et confundat aruspices; ex quibus effectis religionis christianæ veritatem demonstrat (*cap.* 27). Infertque inde, abjiciendas esse vanitates, et verum Deum cognoscendum colendumque (*cap.* 29).

Tertia libri parte expeditur quæstio, quomodo, cum Deum nos unum colere dicamus, duos tamen esse asseveremus, Deum Patrem et Deum Filium. Respondet Lactantius, unam utrique mentem, unum spiritum, unam esse substantiam; ut fontis et rivi, ut solis et radii, ut manus et corporis, et ut civili jure domus una et unus Dominus nominatur, quando Pater nomen Domini et potestatem Filio concedit. Denique unum Deum esse tam Patrem, quam Filium ab Esaia quoque et Osea prophetis ostendit (*cap.* 29).

Ultima parte disserit de causis hæresium, quas dicit esse avaritiam et superbiam, ignorationem Scripturæ, falsorum prophetarum admirationem (*cap.* 30).

LIBER QUARTUS.

DE VERA SAPIENTIA ET RELIGIONE.

CAPUT PRIMUM.

De priore hominum religione, et quomodo error transfusus sit in omnem ætatem, ac de septem Græciæ sapientibus.

Cogitanti mihi, Constantine imperator, et cum

VARIORUM NOTÆ.

De vera sapientia et religione. Recte, ut colligitur, tum ex mss. et editis codicibus, tum ex ipsomet Lactantio Div. Inst., l. IV, c. 3, et l. VII, c. 1. In mss. 1 Lips. legitur, *de vera Philosophia.* Hoc præcipue libro indicat causas Lactantius, cur et quomodo ignorantiæ caligo mundum invaserit.—*De vera Sapientia.* Editio prima Sublacensis : *De vera Sapientia et Religione.* In Epit., c. 41 : *Ad veram Religionem Sapientiamque veniamus, et quidem conjuncte, quia cohærent, de utraque dicendum est.* BUN.

Cogitanti mihi. Ita omnes editi et cuncti prope mss. Sic huncce librum incohavit Lactantius ad imitationem Minucii Felicis in Octavio, qui sic incipit : *Cogitanti mihi, et cum animo meo Octavii boni et fidelissimi contubernalis memoriam recensenti.* Lactantiani mss. 1 Bon. antiq., 3 Reg., Lips., Pal., Marm. pro *cogitanti* habent *consideranti.*

Constantine imperator. Has voces admittunt mss. 2 Regii, quorum unus est omnium antiquissimus; alter bonæ notæ, Lips., Goth., Marm. multique alii scripti

Digitized by Google

animo meo sæpe reputanti priorem illum generis humani statum, et mirum pariter, et indignum videri solet, quod unius sæculi stultitia religiones varias suscipientis, deosque multos esse credentis, in tantam subito ignorationem sui ventum est, ut ablata ex oculis veritate, neque religio Dei veri neque humanitatis ratio teneretur, hominibus non in cœlo summum bonum quærentibus, sed in terra. Quam ob causam profecto sæculorum veterum mutata felicitas est. Cœperunt enim, relicto parente et constitutore omnium Deo, insensibilia digitorum suorum figmenta venerari. Quæ pravitas quid effecerit, aut quid malorum attulerit, res ipsa declarat. Aversi namque a summo bono, quod ideo beatum ac sempiternum est, quia videri, tangi, comprehendi non potest, et a virtutibus ei bono congruentibus, quæ sunt æque immortales, ad hos corruptos et fragiles deos lapsi, et studentes iis rebus, quibus solum corpus ornatur, alitur, delectatur, mortem sibi perpetuam cum diis et cum bonis corporalibus quæsierunt; quia morti corpus omne subjectum est. Insecuta est igitur hujusmodi religiones injustitia et impietas, sicuti fuerat necesse. Desierunt enim vultus suos in cœlum tollere: sed deorsum mentes hominum depressæ, terrenis ut religionibus, sic etiam bonis inhærebant. Secutum est dissidium generis humani, et fraus, et nefas omne; quia spretis æternis atque incorruptis bonis, quæ sola debent ab homine concupisci, temporalia et brevia maluerunt, majorque hominibus ad malum fides fuit, qui pravum recto, quia præsentius fuerat prætulerunt.

Sic humanam vitam prioribus sæculis in clarissima luce versatam caligo ac tenebræ comprehenderunt; et quod huic pravitati congruens erat, postquam sublata sapientia est, tum demum sibi homines sapientum nomen vendicare cœperunt. Tum autem nemo sapiens vocabatur, cum omnes erant. Utinamque nomen illud aliquando publicum, quamvis ad paucos redactum, tamen vim suam retineret. Possent enim fortasse pauci illi vel ingenio, vel auctoritate, vel assiduis hortamentis liberare populum vitiis et erroribus. Sed adeo in totum sapientia occiderat, ut ex ipsa nominis arrogantia nullum eorum, qui vocarentur, appareat fuisse sapientem. Et tamen prius, quam hæc philosophia, quæ dicitur esse, inveniretur, septem fuisse traduntur, qui primi omnium, quia de rebus naturalibus quærere ac disputare sunt ausi, sapientes haberi appellarique meruerunt.

O miserum calamitosumque sæculum, quo per orbem totum septem soli fuerunt, qui hominum vocabulo cierentur; nemo enim potest jure dici homo, nisi qui sapiens est. Sed si cæteri omnes, præter ipsos, stulti fuerunt, ne illi quidem sapientes, quia nemo sapiens esse vere judicio stultorum potest. Adeo ab his abfuit sapientia, ut ne postea quidem increscente doctrina, et multis magnisque ingeniis in id ipsum semper intentis, potuerit perspici veritas et comprehendi. Nam post illorum septem sapientum gloriam, incredibile est, quanto studio inquirendæ veritatis Græcia omnis exarserit. Ac primum, nomen ipsum sapientiæ arrogans putaverunt, seque non sapientes, sed studiosos sapientiæ vocaverunt. Quo facto, et illos, qui temere sapientum sibi nomen asciverant, erroris stultitiæque damnaverunt, et se

VARIORUM NOTÆ.

et editi, teste Gallæo, ex quibus sunt Fasitel., Betul., Tornes., Thys., Gall., Cellar., Walch., Soubr. Absunt a 32 scriptis et nonnullis impressis, et præsertim in ed. Sublac.

Et cum animo meo sæpe reputanti. Præpositio *cum* in 5 mss. Oxoniensibus et in editione Florentina desideratur; extat autem in cæteris tum mss. tum editis, et apud Minutium Felicem, quem hic imitatus est Lactantius, ut supra admonui.

Et mirum pariter, etc. Lact., l. I, c. 11: *Id et doctis* pariter et *indoctis persuasum est.* De Opif., c. 8: *Ministeriis et instruxit pariter* et *ornavit.* Elegantissimus Plinius, l. VII, ep. 19: *Meque* et *novo pariter* et *rescisso vulnere adficiet;* et l. X, ep. 44 (36): *et suscepimus pariter* et *solvimus.* Solus Cyprianus vel centies *et pariter et* posuit. In versibus Ovidius, pro *et pariter et*, sæpe adhibet *et pariterque*, l. XIII Metamorph., vs. 422.

Et vitam pariter regnumque reliquit. Bun.

Cœperunt. De hac defectione et hominum insipientia, vide Paulum ad Romanos, c. I, 21, 23, 24.

Effecerit. Sequor lectionem omnium fere mss. et 9 typis vulgatorum. In Reg. rec. est *effecit;* in 5 scriptis rec. et totidem editis, *fecerit.*

Quia videri, tangi, etc. Sic Paulus I ad Corinth., c. 2, de Sapientia Dei ait quod *oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit.*

Inhærebant. Mss. Tornes. *adhærebant;* 1 Bon. antiq., Jun., Ultr., ed. Js., *Inhæserunt.*

Sapientia occiderat. Sic lego cum edit. 2 vet. Rom. 1468. 1470, Venet. 1490, Tornes. 1579, Soubr., Genev. 1713, Cellar., et Walch. et omnibus mss. præter 1 Clarom. et 12 edit., quibus est *sapientia ceciderat.* — *Sapientia occiderat.* Hæc vera scriptura valde in libris depravata. Sic I.v, c. 4, extr.: *Occasuram esse omnem philosophiam;* I. II, c. 10: *Occidere in totum*, ut hic dixit. Cicero in Catone, c. 20, extr.: *Ut superiorum ætatum studia* occidunt, *sic* occidunt *etiam senectutis;* l. I de Legib., c. 12: *Jam amicitiæ nomen* occiderit. Bun.

Appareat. Reposui ex editis 4 et cunctis prope mss. In Jun. et 10 excusis est *apparuerit;* in 3 scriptis rec. *apparuit;* in 1 Clarom. *appareret.*

Esse inveniretur. Vera lectio, quam non intelligentes librarii 12 scripserunt *esset inventa;* 3 rec. *esse inventa*, corrupte.

Septem fuisse traduntur, etc. Sic lego cum omnibus fere mss. et vulgatis sex. In 4 scriptis rec. et 8 editis est: *Septem fuisse traduntur primi omnium, qui quia de rebus*, etc. Septem autem illi primi sapientes sunt Thales, Pittacus Mitylenæus, Bias Prienensis, Solon, Cleobulus Lindius, Chilo Lacedæmonius, Periander. His addunt aliqui Anacharsim Scytham. De quibus Laertius, libro I.

Cierentur. Ms. Jun. legit *crederentur.* Nihil mutandum censui. *Cierentur* est *vocarentur.* Sic Lucret., l. V:

Dissimiles soleant voces variasque ciere.

Livius, *ciere patres.* Virg. VI, Æneid.:

. . . . . Quo non præstantior alter
Ære ciere viros.

Putaverunt. Pythagoras scilicet, de quo vide supra libro III, c. 2 et 14.

Digitized by Google

quoque ipsos ignorantiæ, quam quidem non diffitebantur. Nam ubicumque rerum natura ingeniis eorum quasi manus opposuerat, ne rationem possent aliquam reddere, testificari solebant, nihil scire se, nihil cernere. Unde multo sapientiores inveniuntur, qui se aliqua ex parte viderunt, quam illi qui se sapere crediderant.

CAPUT II.

Ubi quærenda sit sapientia; quare Pythagoras et Plato non accesserunt ad Judæos.

Quare, si neque illi fuere sapientes, qui sunt appellati, neque posteriores, qui non dubitaverunt insipientiam confiteri : quid superest, nisi ut alibi sit quærenda sapientia, quando non est, ubi quærebatur, inventa ? Quid autem putemus fuisse causæ, cur tot ingeniis totque temporibus summo studio et labore quæsita non reperiretur ; nisi quod eam philosophi extra fines suos quæsierunt ? Qui quoniam peragratis et exploratis omnibus, nusquam ullam sapientiam comprehenderunt, et alicubi esse illam necesse est; A apparet, illic potissimum esse quærendam, ubi stultitiæ titulus apparet ; cujus velamento Deus, ne arcanum sui divini operis in propatulo esset, thesaurum sapientiæ ac veritatis abscondit. Unde equidem soleo mirari, quod cum Pythagoras et postea Plato, amore indagandæ veritatis accensi, ad Ægyptios, et Magos, et Persas usque penetrassent, ut carum gentium ritus et sacra cognoscerent (suspicabantur enim, sapientiam in religione versari) ad Judæos tamen non accesserint, penes quos tunc solos erat, et quo facilius ire potuissent. Sed aversos esse arbitror divina providentia, ne scire possent veritatem; quia nondum fas erat alienigenis hominibus religionem Dei veri justitiamque notescere. Statuerat enim Deus, appropinquante ultimo tempore, ducem B magnum cœlitus mittere, qui eam perfido (*Vid. Matth.* XXI) ingratoque populo ablatam, exteris gentibus revelaret. Qua de re in hoc libro aggrediar disputare, si prius ostendero, sapientiam cum religione sic cohærere, ut divelli utrumque non possit.

VARIORUM NOTÆ.

Manus opposuerat. Goth. *apposuerat.* Lips. pejus, *adposuerant.* Sen., l. II de Ira, c. 4 : *Tunc maxime illi opponendæ manus sunt.* Senec., Trag. in Herc. Œt. 4, 1245 : *Has ego opposui manus.* Variabant quoque libri in Ovid., l. IV Fast., 178 : *Opposuitque manum.*

Viderunt. Quidam legunt *videre.*

Crediderant. Ex quamplurimis et antiquissimis mss. ac 5 veteribus editis est; in cæteris, *crediderunt.* C

Nusquam ullam sapientiam. Ita scribo cum omnibus ferme mss. et vulgatis. In edit. Ald., Thomas., Thys., Gall., *nullam*, mendose; in 1 mss. Reg. rec. *illam.*

Illic. Mss. 10 rec., *ibi.*

Stultitiæ titulus. Vide Paulum in priore ad Corinth. c. I, v. 20, 22, 24, etc. Vide etiam S. Hilarium, l. IV de Trinitate, circa finem.

Arcanum sui divini operis. Post *arcanum* ms. 1 Bonon. antiq. et 4 edit. rec. addunt *summi*, quod abest a cæteris, et ut glossema expunxi.

Quod cum Pythagoras, etc. Contra Hermippus Pythagoræus ; multa et Aristobolus Pythagoram ex Mosis lege didicisse non diffitetur. Clemens, l. I Strom. ; Eusebius, l. IX Προπ., c. 3, et Joseph., l. I contra Appion. ; ex recentioribus Seldenus non alia tantum, sed et Trinitatis nomen tetragrammaton Jehova et cognovisse, et τετρακτύν vocasse probabiliter asserit, Synt. II, de Diis Syr., c. 1. Certæ filiæ suæ nomen Judaicum imposuit. Duas habebat, Saram et Myiam, ut est apud Photium Cod. CCLIX. Horn. —*Quod cum Pythagoras.* De his Valerius, l. VIII, de Studio et industria. Ecclesiasticorum de his suffragia colligemus. Lege primam Hieronymi ex tom. IV, epistolam ad Paulinum scriptam, quæ mirifice cum hoc capite convenit. Augustinus, l. VIII C. Vit., c. 4 : *Plato*, inquit, *cum esset Atheniensis honesto apud suos loco natus, et ingenio mirabili longe suos condiscipulos anteiret, parum tamen putans perficiendæ philosophiæ sufficere seipsum, ac Socraticam disciplinam, quam longe lateque potuit, peregrinatus est, quaquaversum eum alicujus nobilitate scientiæ percipiendæ fama rapiebat. Itaque et in Ægypto didicit quæcumque illic magna habebantur ac docebantur*, etc. Meminit ejusdem contra Academ., l. III, c. 25. Ambrosius quoque, serm. 18, in psal. CXVIII, testatur Platonem eruditionis gratia, ut Mosaicæ legis oracula et prophetarum dicta cognosceret, in Ægyptum esse profectum. Scito Platonicam et Pythagoricam disciplinam bona ex parte ex doctrina fluxisse mosaica : id quod de Platone Euseb. per totum undecimum de Præparatione evangel. librum multis et evidentibus exemplis docet. Et Cyrillus contra Julianum liquidis testimoniis hoc idem dicit. Origenes, contra Celsum l. VI, testatur, Platonem ea, quæ in Phædro scripsit, ab Hebræis transcripsisse. Ambrosius ad quemdam Irenæum scribens, ep. VI, l. I, testatur, Pythagoram ex populo Judæorum genus duxisse, et Mosen legisse, indeque sua accepisse symbola. Mirum itaque est, cur Lactantius dicat, ipsos ad Judæos non pervenisse. Betul.

Ad Judæos... non accesserint. At alii patres eos non tantum conversatos esse cum Judæis, sed etiam ideo Ægyptum adiisse tradunt, ut Mosis doctrinam cognoscerent. Malchus in Vita Pythagoræ confirmat, hunc non modo Arabas et Ægyptios, sed et Hebræos et Chaldæos adiisse. Bun.

Aversos... ne scire possent. Nullam, immo falsam esse hanc rationem, observavit Vockerodt in diss. de Notitia Divin. litterarum inter Gentes, p. 276. Bun.

Notescere. Ita restitui ex veterrimis mss. 5 Reg., 2 Bonon., Cauc., et 5 aliis recentioribus. In 3 rec. est *noscere* ; in 10 rec. et in vulgatis est *cognoscere.*

Ultimo tempore. Per ultimum tempus intelligit Lactantius tempus novi fœderis, quod in sacro codice D poni pro tempore novi testamenti Kimchi non male pluribus observavit. Walch.

Ducem magnum, etc. Jesum Christum Magnum dicit, comparatione Moseos vel Josuæ. Prophetæ Christum quandoque principem appellarunt, ut Esaiæ LV cap., ad quem locum hic respexisse videtur. *Ecce*, inquit sub persona Patris, *testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus. Ecce gentem quam nesciebas vocabis*, etc.

Exteris gentibus. Recte, id est, paganis, quos Judæis opponit auctor noster sed et infra, cap. 11, dicit, *ad exteras converteret nationes.* Betulei editio habet, *cæteris gentibus*, sed minus bene ; aliæ editiones legunt *cæteris nationibus.* Recte Heumannus ex antiquis editis legit *exteris gentibus.* — *Exteris gentibus.* Hanc quam Cellarius ejecerat, lectionem habent Sublac., Rost., Roman., etc., ep. cap. XLIII : *Ut alium sibi plebem fideliorem de exteris gentibus congregaret.* Bun.

Digitized by Google

CAPUT III.

Sapientia et religio divelli non possunt; necessarium est ut naturæ Dominus sit uniuscujusque pater.

Deorum cultus, ut in priore libro docui, non habet sapientiam, non modo quia divinum animal hominem terrenis fragilibusque substernit, sed quia nihil ibi disseritur, quod proficiat ad mores excolendos vitamque formandam : nec habet inquisitionem aliquam veritatis, sed tantummodo ritum colendi, qui non officio mentis, sed ministerio corporis constat. Et ideo non est illa religio vera judicanda; quia nullis justitiæ virtutisque præceptis erudit efficitque meliores. Ita philosophia, quia veram religionem, id est summam pietatem non habet, non est vera sapientia. Nam si divinitas, quæ gubernat hunc mundum, incredibili beneficentia genus hominum sustentat, et quasi paterna indulgentia fovet, vult profecto gratiam sibi referri, et honorem dari : nec constare homini ratio pietatis potest, si cœlestibus beneficiis extiterit ingratus; quod non est utique sapientis. Quoniam igitur, ut dixi, philosophia et religio deorum disjuncta sunt, longeque discreta, si quidem alii sunt professores sapientiæ, per quos utique ad deos non aditur, alii religionis antistites, per quos sapere non discitur; apparet, nec illam esse veram sapientiam, nec hanc religionem. Idcirco nec philosophia potuit veritatem comprehendere, nec religio deorum rationem sui, qua caret, reddere. Ubi autem sapientia cum religione inseparabili nexu cohæret, utrumque verum esse necesse est; quia et in colendo sapere debemus, id est scire, quid nobis et quomodo sit colendum, et in sapiendo colere, id est re et actu, quod scierimus, implere.

Ubi ergo sapientia cum religione conjungitur? Ibi scilicet, ubi Deus colitur unus; ubi vita et actus omnis ad unum caput et ad unam summam refertur; denique iidem sunt doctores sapientiæ, qui et Dei sacerdotes. Nec tamen moveat quemquam, quia sæpe factum est, et fieri potest, ut philosophus aliquis deorum suscipiat sacerdotium : quod cum fit, non tamen conjungitur philosophia cum religione; sed et philosophia inter sacra cessabit, et religio, quando philosophia tractabitur. Illa enim religio muta est, non tantum, quia mutorum est, sed quia ritus ejus in manu et digitis est, non in corde, aut lingua, sicut nostra quæ vera est. Idcirco et in sapientia religio, et in religione sapientia est. Ergo non potest segregari; quia sapere nihil aliud est, nisi Deum verum justis ac piis cultibus honorare. Multorum autem deorum cultus non esse secundum naturam, etiam hoc argumento colligi potest et comprehendi : Omnem Deum, qui ab homine colitur, necesse est inter solemnes ritus et precationes patrem nuncupari, non tantum honoris gratia, verum etiam rationis; quod et antiquior est homine, et quod vitam, salutem, victum præstat, ut pater. Itaque et Jupiter a precantibus pater vocatur, et Saturnus, et Janus, et Liber, et cæteri delinceps; quod Lucilius in deorum concilio irridet :

> Ut nemo sit nostrum, quin pater optimu' divum;
> Ut Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
> Janu', Quirinu' pater, nomen dicatur ad unum.

Quod si natura non patitur, ut sint unius hominis multi patres (ex uno enim procreatur) ergo deos etiam multos colere contra naturam est, contraque pietatem.

Unus igitur colendus est, qui potest vere pater nominari. Idem etiam dominus sit necesse est; quia sicut potest indulgere, ita etiam coercere. Pater ideo appellandus est, quia nobis multa et magna largitur : dominus ideo, quia castigandi ac puniendi habet maximam potestatem. Dominum vero eumdem esse, qui sit pater, etiam juris civilis ratio demonstrat.

VARIORUM NOTÆ.

Officio mentis. Ideo lex jubet, ut Dominum ex toto corde amemus.

Ita. Sic vet. edit. Rom. et omnes ms. præter recentissimos 1 Reg. et 2 Colb., in quibus, ut in editis, est *Itaque.*

Hanc religionem. Subaudivi *veram.*

Qua caret. Ita reposui ex ms. et 12 vet. editis. *Quia* recentiorum editorum est.

Utrumque verum esse. Francius legendum conjiciebat, *utramque veram esse.*

Ubi autem sapientia cum religione inseparabili... implere. Integra hæc sectio neglecta est in primis edd. Subl., Rost., Ven. 1471, et præsertim in ed. Sublac. Bun.

Conjungitur? Ibi scilicet. Ex ms. et plerisque impressis addidi *Ibi*, quod 4 scriptis et 2 editis rec. deest.

Vita et actus. Sæpe nostro actus, ut Minucio et aliis, est actio. Vid. l. III, c. 19; l. IV, c. 3; l. V, c. 9, de Ira c. 12, c. 17. Bun.

Doctores sapientiæ. Id in christiana religione factum est, quia apostoli sunt doctores et sacerdotes : prædicant doctrinam Evangelii, et sacris præsunt mysteriis.

Ut Pater. Spoliat deos Gentium patris epitheto auctoritate juris et naturalis et civilis : quod certe in ipsos non competit. Quia patris nomen non modo soli Deo, sed etiam semper convenit. Illi autem, quia aliquando patres, et esse, et nominari cœperunt, dii esse non possunt. Nam Deus ἄχρονος est pater, qui genuit etiam filium ἄχρονον. Est enim ὁμήλικος γενετήρ, ut Nonnus eum compellat. Ipsi autem in tempore nati sunt, si volumus Hesiodo fidem habere. Non opus est hic allegare auctoritatem Christi, qui apud Matth. cap. XXIII, unum esse dicit Patrem, eum nempe, qui in cœlis est. Betuleius.

Pater, nomen dicatur ad unum. Fr. Douza et Seldenus legunt, *omnes dicamus ad unum.* Vide Seldenum de Diis Syris Syntag. II; sic edidit etiam Cl. Vossius de Idololatria lib. II, cap. 16. Gallæus. — Hi tres versus ex Lucilii Satyris desumpti sunt.

Multi patres. Lego *multi* cum mss. et Cellario. Vulgati habent, *plures.*

Juris civilis ratio demonstrat. Patribus olim summa in liberos erat potestas, adeo ut jus vitæ ac necis habuerint, quemadmodum domini in servos (l. 11, *D. de suis et leg. hær. l. fin., c. de Patr. potest., l. I, Cod. Theod., de Caus. liber.*). Sopater in Hermogen. et Simplicius in Epict. Hæc patris in liberos majestas ab Attica lege migravit Romam (sub Consulib.);

Digitized by Google

Quis enim poterit filios educare, nisi habeat in eos domini potestatem? Nec immerito paterfamilias dicitur, licet tantum filios habeat : videlicet nomen patris complectitur etiam servos, quia familias sequitur, et nomen familiæ complectitur etiam filios, quia pater antecedit : unde apparet eumdem ipsum, et patrem esse servorum, et dominum filiorum. Denique et filius manumittitur tamquam servus, et servus liberatus patroni nomen accipit, tamquam filius. Quod si propterea paterfamilias nominatur, ut appareat eum duplici potestate præditum, quia et indulgere debet, quia pater est, et coercere, quia dominus ; ergo idem servus est, qui et filius ; idem dominus, qui et pater. Sicut igitur naturæ necessitate non potest esse nisi unus pater, ita nec dominus nisi unus ; quid enim faciat servus, si multi domini diversa imperaverint? Ergo contra rationem contraque naturam sunt religiones multorum deorum ; siquidem nec patres multi possunt esse, nec domini : deos autem et patres, et dominos nuncupari necesse est.

Teneri ergo veritas non potest, ubi homo idem multis patribus dominisque subjectus est, ubi animus in multa dispersus, huc atque illuc divagatur. Nec habere ullam firmitatem religio potest, quando certo et stabili domicilio caret. Cultus igitur deorum veri esse non possunt, eodem modo, quo matrimonium dici non potest, ubi mulier una multos viros habet sed hæc aut meretrix, aut adultera nominabitur ; a qua enim pudor, castitas, fides abest, virtute careat necesse est. Sic et religio deorum impudica est incesta, quia fide caret, quia honos ille instabilis et incertus, caput atque originem non habet.

CAPUT IV.

De sapientia itidem et religione, atque de jure patris et domini.

Quibus rebus apparet, quam inter se conjuncta sint sapientia et religio : sapientia spectat ad filios, quæ exigit amorem ; religio ad servos quæ exigit timorem. Nam sicut illi patrem diligere debent et honorare, sic hi dominum colere ac vereri. Deus autem, qui unus est, quoniam utramque personam sustinet, et patris, et domini ; et amare eum debemus, quia filii sumus, et timere quia servi. Non potest igitur nec religio a sapientia separari, nec sapientia a religioni secerni ; quia idem Deus est, qui et intelligi debet, quod est sapientiæ, et honorari, quod

VARIORUM NOTÆ.

Athenis enim Solon legem tulit *περὶ τῶν ἀκρίτων*, qua filium necare parenti permissum, ut auctor est Sext. Empiric. libro III, Pyrrhon. Hypoth.

Nisi habeat in eos domini potestatem. Hæc lectio est multorum mss. inter quos sunt duo vetustissimi Regii, et 5 edit. Sic et Lactantius, lib. v, cap. 6, scribit *jure dominorum*. In 6 scriptis et decem impressis legitur *dominii*, quæ vox deest in 2 mss. Reg. rec. et 2 vet. edit. Rom.

Paterfamilias, etc. Quemadmodum paterfamilias dicitur is, qui in domo dominium habet, quamvis filium non habeat : sic servientium quoque solemus appellare familiam, auctore Ulpiano, leg. Pronuntiatio, § Famil. appel., ff. de verb. sig. Et ob id (teste Macrobio) majores omnem dominis invidiam, omnem servis contumeliam detrahentes, dominum patremfamilias, servos familiares appellarunt. BETULEIUS.

Et filius manumittitur. *Καταχρηστικῶς* id quidem. Nam proprie liberi emancipantur, servi manumittuntur. Hoc claret ex tit. 5 Instit. qui est de Libertinis. Illud ex tit. 12, qui docet quibus modis jus patriæ potestatis solvatur. Utrumque quidem a manu, id est imperio dictum. Cæterum emancipandi verbum etiam ad alias res pertinet, de quo videndus est Budæus in Annotation. prioribus. BETUL.

Patroni nomen accipit. Servis, quibus domini summum libertatis pretium persolvebant, nomen ex se vel alterum, vel etiam tertium dabant. Prænonem Marci Damas Persianus a patrono accepit. Tertii meminit etiam Juvenalis,

Tanquam habeas tria nomina.

Id est : per manumissionem, ultra servile nomen, prænomen et nomen a patrono acquisiveris. Eodem id modo fiebat, quo hæredes testamento in nomen familiamque adoptabantur. Qui vero a dominis manumittebantur, alii cives Romani fiebant, alii dediticii, alii Latini. De quo post Theophilum Institutionum paraphrastem, vide Politianum cap. 34 ; Miscel. Alciatum, cap. 14 libri I Parerg. ; Alexandrum ab Alexandro libro IV, cap. 10, Genial. dierum. BETUL.

Quia et indulgere. Ita cum cunctis editis omnes mss. excepto uno Reg. in quo erat a prima manu *qui* ; et sic legere mallem. Vide seq.

Quia pater est. Additum *est* ex omnibus fere mss. et plerisque editis.

Si multi. Quare Terentianus ille Servus scire volebat quotnam sibi essent domini. Hinc Philo Judæus post Homerum Iliad. VI, ait *bonam non esse multorum dominationem* ; *unus igitur sit dominus, sit unus rex.*

Et incesta. Mss. 4 rec. et 8 impressi *incerta* : sed minus bene.

Incertus. Ita omnes scripti, dempto 1 Reg. recentiore, et omnes editi præter 4 quibus est *incestus*. Recte Thomasius defendit lectionem *incertus*.

Deus. Constructio phrasis vitiosa ; dicere debuisset : *Deum... et amare debemus.*

Utramque personam sustinet. Sic de Ira c. 23 : *Utraque persona in eo venerabilis. Persona*, id est, *munus, conditio*. Sæpe Cicero, *personam tenere, sustinere* ; e. g. l. II de Oratore cap. 24 : *Tres personas unus sustineo... meam, adversarii, judicis.* BUN.

Et timere, quia servi. Timor apud Prophetas fere reverentiam majestatis divinæ, adeoque religionem significat : cum Apostolus timorem cum Philosophis mali opinionem dicat, quam odium comitatur, juxta tragicum illud tyrannicumque : *Oderint, dum metuant.* Hoc modo Dominum timent, qui non bonitatem ejus inestimabilem, sed justitiam inevitabilem considerant : non ut salvatorem amant, sed ut judicem et quasi Vejovem quemdam extimescunt. Timorem autem idem cum religione apud Prophetam et Sapientem esse, testatur Græca translatio : *εὐσέβειαν*, id est, religionem (sic enim Tertull. interpretatur) idem quod est sapientia, dicit. Pari modo exponunt etiam oraculum Propheticum, *πνεῦμα γνώσεως καὶ εὐσεβείας ἐμπλήσει αὐτὸν*. Ex his facile colligere est, qua significatione utrinque timoris vox accipienda sit ; nec sine Scripturæ exemplo Lactantium timorem, hoc est, religionem cum sapientia tam arcto vinculo copulasse. Videtur autem Lactantius alludere ad illud Malach. I : *Filius honorat Patrem et servus dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Quo loco procul dubio timoris nomen pro veneratione accipiendum est, et sollicitudine, ne is offendatur per nos, quem summo studio colimus et amamus ; et id ipsius, non nostri causa. BETULEIUS.

Digitized by Google

est religionis. Sed sapientia præcedit, religio sequitur: quia prius est, Deum scire, consequens, colere. Ita in duobus nominibus una vis est, quamvis diversa esse videatur. Alterum enim positum est in sensu, alterum in actu. Sed tamen similia sunt duobus rivis ex uno fonte manantibus. Fons autem sapientiæ et religionis, Deus est: a quo hi duo rivi si aberraverint, arescant necesse est; quem qui nesciunt, nec sapientes esse possunt, nec religiosi.

Sic fit, ut philosophi, et qui deos colunt, similes sint aut filiis abdicatis, aut servis fugitivis; quia neque illi patrem quærunt, neque hi dominum: et sicut abdicati hæreditatem patris non assequuntur, et fugitivi impunitatem: ita neque philosophi immortalitatem accipient, quæ est regni cœlestis hæreditas, id est summum bonum, quod illi maxime quærunt, neque cultores deorum pœnam sempiternæ mortis effugient, quæ est animadversio veri domini adversus fugitivos suæ majestatis ac nominis. Deum vero esse patrem, eumdemque dominum, utrique ignoraverunt, tam cultores deorum, quam ipsi sapientiæ professores: quia aut nihil omnino colendum putaverunt, aut religiones falsas approbaverunt, aut, etiamsi vim potestatemque summi Dei intellexerunt, ut Plato, qui ait unum esse fabricatorem mundi Deum, et M. Tullius, qui fatetur hominem præclara quadam conditione a summo Deo esse generatum; tamen ei debitum cultum tamquam summo patri non reddiderunt, quod erat consequens ac necessarium. Deos autem neque patres, neque dominos esse posse, non tantum multitudo, ut supra ostendi (*scil. cap. præced.*), sed etiam ratio declarat: quia neque fictum esse a diis hominem traditur, neque deos ipsos antecedere originem hominis invenitur; siquidem fuisse in terra homines, antequam Vulcanus, et Liber, et Apollo, et ipse Jupiter nascerentur, apparet. Sed neque Saturno fictio hominis, neque Cœlo patri ejus assignari solet. Quod si nullus eorum, qui coluntur, formasse a principio atque instituisse hominem traditur; nullus igitur ex his pater hominis nuncupari potest, ita ne Deus quidem. Ergo fas non est venerari eos a quibus non sit homo generatus; quia neque a multis generari potest. Unus igitur ac solus coli debet, qui Jovem, qui Saturnum, qui Cœlum ipsum, terramque antecessit. Is enim necesse est hominem figuraverit, qui ante hominem cœlum terramque perfecit. Solus pater vocandus est, qui creavit; solus dominus nuncupandus, qui regit, qui habet vitæ ac necis veram et perpetuam potestatem; quem qui non adorat, et insipiens servus est, qui dominum suum aut fugiat, aut nesciat, et impius filius, qui suum verum patrem, vel oderit, vel ignoret.

CAPUT V.

Oracula prophetarum sunt inspicienda; et de temporibus eorum, atque judicum et regum.

Nunc, quoniam docui sapientiam et religionem non posse diduci, superest ut de ipsa religione ac sapientia disseramus. Sentio quidem, quam sit difficilis de rebus cœlestibus disputatio: sed tamen audendum est, ut illustrata veritas pateat, multique ab errore atque interitu liberentur, qui eam sub velamine stultitiæ latentem aspernantur ac respuunt. Sed prius quam incipiam de Deo et operibus ejus dicere, mihi pauca de prophetis ante dicenda sunt, quorum testimoniis nunc uti necesse est; quod in prioribus libris ne facerem, temperavi. Ante omnia, qui veritatem studet comprehendere, non modo intelligendis prophetarum vocibus animum debet intendere, sed etiam tempora, per quæ quisque illorum fuerit, diligentissime inquirere; ut sciat et quæ futura prædixerint, et post quos annos prædicta completa sint. Nec difficultas in his colligendis inest ulla; testati sunt enim sub quo quisque rege divini Spiritus fuerit passus

VARIORUM NOTÆ.

Quamvis diversa esse videatur Ita potiores mss. et quamplures editi. Scripti recentiores cum 5 vulgatis *videantur*.

Filiis abdicatis, aut servis fugitivis. Mos erat Græcorum, ut liberi qui voluntati paternæ ac honestis moribus tenaciter repugnarent, a parentibus abdicarentur, probata apud judicem abdicationis causa. Apud Lucianum et Quintilianum in Declamationibus leguntur abdicationis causæ. Abdicatus autem carebat alimentis et omni ope a patre in vita, et post mortem successione in bonis. De abdicatione mentio apud Aristotelem in fine octavi Ethicor. Senec. lib. III Controvers. Hic mos non est permissus ad Romanos transire, ut in leg. *Abdicatio* Cod. de patern. potestate, quam declarat et restituit Alciatus secundo, dispunctione cap. 28. Isæus. — Fugitivorum servorum pœna fuit pugna cum bestiis. Cujus rei exemplum est Androdus servus apud Gellium lib. v, cap. 14. Quamquam stigmatibus notatos legimus a dominis eos clementiore pœna. Betuleius.

Accipient. Sic reposui ex cunctis fere mss. et edit. Cellar. et in altero membro sequitur, *effugient*. In 4 Reg. et Jun., est *accipiunt*.

Plato.... et M. Tullius. Ille præcipue in Tim., hic vero in I de Legib. Vide et Eusebium de Præparat. Evangel. lib. II, cap. 15. — *M. Tullius, qui fatetur hominem præclara.* Cicero de Legibus lib. I, cap. 7. *Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum est a supremo Deo.* Cell.

Qui creavit. Id est, genuit, generavit, ut infra c. 8. Sic Phædrus, lib. I, fab. 6, fin., *Si crearit liberos.* Bun.

Fictum esse a diis hominem. Mss. 7 rec. *ab iis*; Regio-Put. et 8 impressi *ab his*.

Qui habet vitæ ac necis, etc. Alludit ad antiquam dominorum in servos potestatem, quibus vitæ necisque potestas fuit: quæ postea Imp. Antonini constitutione prohibita fuit, ne sine causa legibus cognita in servos suos supra modum sævirent; ut est in Instit. de his qui sunt sui vel alieni juris. lib. I. Cod. de emend. serv. At Deus non modo necis potestatem habet, sed etiam post necem, ut est apud Lucam capite XII, conjiciendi in gehennam. Betuleius.

Diduci. Ita noster de Opif., c. 9: *Quum acies oculi utriusque* diducitur. Seneca ep. 113: *Separati esse debent. Ita alter ab altero debet esse* diductus, *ut duo sint.* Idem de Vita Beata, cap. 6: *Negant voluptatem a virtute posse* diduci. Bun.

Sub velamine stultitiæ. Isæus, *sub velamine justitiæ*,

Digitized by Google

instinctum. Multique scriptos libros de temporibus ediderunt, initium facientes a propheta Moyse, qui trojanum bellum septingentis fere annis antecessit. Is autem, cum per annos quadraginta populum rexisset, successorem habuit Jesum, qui septem et viginti annis tenuit principatum.

Exinde sub Judicibus fuerunt per annos trecentos septuaginta. Tum mutato statu, reges habere cœperunt : quibus imperium tenentibus per annos quadringentos quinquaginta usque ad Sedechiæ regnum, oppugnati a rege Babylonio, captique Judæi, diuturnum servitium pertulerunt; donec septuagesimo post anno eos Cyrus major terris ac sedibus suis redderet, qui per idem tempus in Persas suscepit imperium, quo Romæ Tarquinius Superbus. Quare cum omnis temporum series, et ex Judaicis, et ex Græcis Romanisque historiis colligatur, etiam singulorum prophetarum tempora colligi possunt; quorum sane ultimus Zacharias fuit, quem constat sub Dario rege, secundo anno regni ejus, octavo mense cecinisse. Adeo antiquiores etiam Græcis scriptoribus prophetæ reperiuntur. Quæ omnia eo profero, ut errorem suum sentiant, qui Scripturam sacram coarguere nituntur, tanquam novam et recens fictam, ignorantes ex quo fonte sanctæ religionis origo manaverit. Quod si quis collectis perspectisque temporibus, fundamentum doctrinæ salubriter jecerit, et veritatem penitus comprehendet, et errorem cognita veritate deponet.

VARIORUM NOTÆ.

vitiose. Vid. not. cap. 2. *Cujus* (stultitiæ) *velamento*. Plures edd. antiquæ etiam hic, *sub velamento*.

Multique scriptos libros, etc. Ita scripto cum vet. excusis 8, et omnibus mss. præter 1 Reg. rec. et 5 edit. qui ferunt, *scriptores*. Ex iis qui ante Lactantii tempora de Judaicis rebus scripserunt, nihil quod ego sciam, extat, præter Josephi scripta, et quæ Philonis titulo circumferuntur, et Egesippi quinque libros cum anacephalæosi. Justus quidam ex Tyberiade Galilæus ad imitationem Josephi scripsit : qui tamen ab ipso Josepho notatus fuit mendacii, ut Hieronymus in Catologo Scriptorum Ecclesiasticorum refert. Περὶ τῆς ἀρχαιγονίας Moseos et Judaicæ gentis scripserunt Aristobulus, Demetrius, et Eupolemus, quæ et ipsa Hieronymi etiam temporibus interierunt. De vitis Prophetarum interiit Melitonis Asiani liber. Extat Epiphanii, Constantiæ Cypri episcopi, de vitis Prophetarum liber. Habemus Synopsin Theodori et Dorothei; et Chronicus est etiam tertius Theophili sermo. Betuleius.

Septingentis fere annis. Sic restitui ex edit. 2 vet. Rom. et Is. aliisque multis in marg. necnon ex 30 et amplius mss. quorum duo sunt veterrimi : quod ad veriorem (ut plerique existimant) chronologiam propius accedit, quam *nongentis* vel *nongentos* recentiorum 4 Reg., 5 Vatic., 1 Sorbon., 1 Clarom. et Marm. a prima manu atque 11 excusorum. At puto utramque hanc supputationem mendosam esse : Bucholceri probabiliorem judico, qui putat Moysen trojanum bellum 415 vel circiter antecessisse. Eutropius 410 annos intercessisse existimat. Gallæus. — *Nongentis fere annis*. Eadem fere Porphyrii impii ratio annorum fuit, qui teste Eusebio 800 pene et quinquaginta annis Trojano bello Mosen seniorem fecit. Cæterum ipse Eusebius in Chronicis, Porphyrii errorem castigans, 328 annos inter Mosis ducatum et Trojanum excidium ponit : sed in ipsa Eusebii Chronologia invenio annos 347. Atque idem Eusebius de Præparat. Evang., libro x, capite 3. Inde, inquit, a captivitate Trojana, si quadringentos ascendendo annos auferas, ad Mosen et terrigenam Cecropem devenies. Cyrillus, lib. 1 contra Julianum refert, Trojam expugnatam post Mosen 410 annis, judicante apud Hebræos Esebone (vel Abesam). Sed ex Phrygionis Chronico, inter Mosis ducatum et Trojanum excidium non plures quam 522 annos intercessisse invenio. Nam Mosen ponit anno ab orbe condito 2454, Trojanum vero excidium 2775. Ex Beda Anglosaxone colligo annos 308. Labdonem judicem Hebræorum, cujus anno tertio Trojam captam scribit, anno 2708. Augustinus præterea, libro xviii Civit. Dei, cap. 8, quædam de Mosis ætate scribit. Betuleius. — Sed tota hæc tempora supputandi ratio non est adeo facilis, propter differentias in examinandis judicum temporibus. Verum hæc ad chronologiæ studiosos non Theologos spectant. Quidquid enim dicas, Moyses ad minus trecentis et amplius annis Bello Trojano prior est. Quidam tamen, ut Pezeronius atque Vossius his ultimis sæculis septuaginta Interpretes secuti, opinantur Mosem excidio Trojano septingentis circiter vetustiorem fuisse. Sed hæc ad alios mittimus.

Jesum. Sic lego cum 2 vet. Rom. editis et omnibus mss. præter 2 rec. in quibus est *Josue;* 1 alii *Josua;* 1 alteri *Josuam;* editis 9, *Josuem*.

Septem et viginti. In ea supputatione ducatus Josuæ non concordant inter se Chronologi. Sed hæc ad alios.

Sub judicibus fuerunt per annos trecentos septuaginta. Ms. Pal. cccLxxx. At Scriptura Act. xiii, 20, dicit, *Quadringentos et quinquaginta annos*.

Per annos quadringentos quinquaginta. Sic restitui Lactantio ex mss. 7 Vatic., 6 Reg. quorum duo sunt antiquissimi, Cauc., Jun., 4 Colbert., Nav., Vict., Gat., Torn., Ultr., Em., 1 Clarom., Brun. Multum hic variant mss. In 2 Bon. est *quadringentos quadraginta;* in 5 Vatic., 4 Reg., Pen. et in 15 excusis, *quadringentos sexaginta;* in 1 Colbert. et ed. Spark. *quadringenta* LXX., mendose; in 1 Reg., 1 Clarom., 1 Sorbon. est solummodo *per annos quadringentos*. Sed quamlibet lectionem sequaris, cum chronologis non conveniunt hi calculi. Vide, si lubet, Concordiam Regum et Paralipomenon Joan. Bapt. le Brun, Parisiis editam anno 1631, vel saltem Tabulam Chronologicam ei præfixam.

Capti Judæi. De hoc vide IV Reg. cap. 25; Jerem., XXXIX et LII.

Septuagesimo post anno eos, etc. Id quod a Jeremia prædictum fuerat : *Post anno eos Cyrus major terris ac sedibus*. Edit. Sublac. habet, *post annos Cyrus major captivos Judæos terris ac sedibus*. Et vero pro *eos* 31 mss. et 6 editi habent *captivos Judæos*, quod a Lactantio scriptum fuisse nusquam in animum induxerim; siquidem mox præcessit *captique Judæi*. — Cyrus in Persas cœpit imperium Olympiade LXI, anno ante vulgarem æram 536.

Romæ Tarquinius Superbus. Vide Orosium lib. II, cap. 6. Consentiunt Eusebius et Beda. Sed constat Zorobabelem Judæorum ducem Jehosua pontifice fuisse, anno Servii Tullii trigesimo secundo, qui fuit annus ab Urbe cond. 207, Orbis conditi 3417, Olympiade LVIII. Cæterum Tarquinii tempore a Cambyse templi ædificatio interdicta fuit, et a Dario rursus concessa. Betul.

Cecinisse. Id est, *prophetavisse*.

Adeo antiquiores, etc. Prophetas Græcis scriptoribus antiquiores esse, docent Theophilus ad Autolycum Serm. 3, Justinus Martyr ad Gentes. Josephus contra Appionem, Eusebius libro x de Præparat. Evang. cap. 3, Augustinus libro xviii de Civitate Dei, capite 37. Pythagoras, qui cum postremis prophetarum floruit, inter primos et antiquissimos Græcorum fuit.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Deus omnipotentem genuit Filium; atque de eo testimonia Sibyllarum et Trismegisti.

Deus igitur machinator constitutorque rerum, sicuti in secundo libro (*scilicet*, cap. 9) diximus, antequam præclarum hoc opus mundi adoriretur, sanctum et incorruptibilem spiritum genuit, quem Filium nuncuparet. Et quamvis alios postea innumerabiles per ipsum creavisset, quos angelos dicimus, hunc tamen solum primogenitum divini nominis appellatione dignatus est, patria scilicet virtute ac majestate pollentem. Esse autem summi Dei Filium, qui sit potestate maxima præditus, non tantum congruentes in unum voces Prophetarum, sed etiam Trismegisti prædicatio, et Sibyllarum vaticinia demonstrant. Hermes in eo libro, qui ὁ λόγος τέλειος inscribitur, his usus est verbis : ὁ Κύριος καὶ τῶν πάντων ποιητής, ὃν Θεὸν καλεῖν νενομίκαμεν, ἐπεὶ τὸν δεύτερον ἐποίησε θεὸν ὁρατὸν καὶ αἰσθητόν· αἰσθητὸν δέ φημι οὐ διὰ τὸ αἰσθέσθαι αὐτὸν, περὶ γὰρ τούτου οὐκ ἔστι πότερον αὐτὸς αἴσθοιτο, ἀλλ' ὅτι εἰς αἴσθησιν ὑποπέμπει καὶ εἰς νοῦν. Ἐπεὶ τοῦτον ἐποίησε πρῶτον, καὶ μόνον, καὶ ἕνα, καλὸς δὲ αὐτῷ ἐφάνη, καὶ πληρέστατος πάντων τῶν ἀγαθῶν, ἠγίασέ τε καὶ πάνυ ἐφίλησεν ὡς ἴδιον τόκον. Sibylla Erythræa in carminis sui principio, quod a summo Deo exorsa est, filium Dei Ducem et Imperatorem omnium his versibus prædicat :

Παντοτρόφον κτίστην, ὅστις γλυκὺ πνεῦμ' ἐν ἅπασι
Κάττετο, χ' ἡγητῆρα θεὸν πάντων ἐποίησε.

Et rursus in fine ejusdem carminis :

Ἀλλ' ὃν ἔδωκε θεὸς πιστοῖς ἀνδράσσι γεραίρειν.

Et alia Sibylla præcipit hunc oportere cognosci :

Αὐτὸν σὸν γνώσεαι θεὸν θεοῦ υἱὸν ἐόντα.

Videlicet ipse est Dei Filius, qui per Salomonem sapientissimum regem divino spiritu plenum locutus est ea quæ subjecimus : « Deus condidit me in initio viarum suarum, in opera sua ante secula. Fundavit me in principio, antequam terram faceret, et antequam abyssos constitueret; priusquam prodirent fontes aquarum : ante omnes colles genuit me Dominus; fecit regiones, et fines inhabitabiles sub cœlo. Cum pararet cœlum, aderam illi; et cum secerneret suam sedem, cum super ventos faceret validas nubes, et cum confirmatos poneret montes sub cœlo : quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram penes illum disponens. Ego eram, cui adgaudebat; quotidie

VARIORUM NOTÆ.

Adoriretur. Legere mallem cum mss. Jun. et 1 Clarom., *adordiretur.* GALL.

Sanctum et incorruptibilem. Mss. Jun. Pen. et 1 Colbert. in marg. edit. Paris. 1525, Ald., Graph., Is., addunt *et incomprehensibilem*; unde edit. Rom. 1470, *inreprehensibilem*; mss. 4 Reg. rec., 4 Colb., Cauc., octo alii et 8 excusi *irreprehensibilem.* Hæc autem dictio abest ab antiquioribus et potioribus mss. 2 Bonon., 2 Reg., 3 al. Reg. rec., Tax., 1 Sorbon., 1 Clarom. et edit. Thys. et Gall. Quod hic dicit Lactantius, *Sanctum et incorruptibilem spiritum genuit, quem filium nuncuparet*, cave ne intelligas Spiritum sanctum esse Filium, sed sicut dicitur, quod *Deus spiritus est.*

Per ipsum creavisset. Duas illas dictiones *per ipsum*, addendas censeo, ut dicatur, Deum per filium suum fecisse mundum, ut etiam docent SS. Scriptores Johannes et Paulus. Hæ duæ dictiones *per ipsum* leguntur in mss. 2 Bonon., Cauc., 7 Reg. et 20 aliis, necnon in editis 2 vet. Rom. et sex aliis. Nonnulli scripti et excusi habent, *per se ipsum* : absunt autem a 3 Reg., 1 Clarom. et editis Gymn. et Fasitel.

Divini nominis appellatione, etc. Imo hoc a natura habet, non ex eo quod dignatus sit illum divini nominis appellatione. GALLÆUS.

Trismegisti. Τρισμέγιστος, ter maximus. Hæc in Asclep. cap. 4. De Hermetis Trismegisti auctoritate multa scribit Augustinus Steuchus lib. VII Perennis philosophiæ. BETULEIUS.

Ὁ λόγος τέλειος. Lat. *Verbum perfectum.*

Ὁ Κύριος, etc. Latine : *Dominus atque omnium creator, quem Deum vocare censemus, quia secundum Deum fecit visibilem et sensibilem. Sensibilem autem assero, non ideo quia ipse sentit (hoc enim non est, utrum ipse sentiat), sed quia ipse in sensum mittit et mentem. Quoniam ergo hunc fecit primum, et solum, et unum, pulcher autem ei visus est, et plenissimus omnium bonorum, sanctificavitque et unavit valde quasi proprium filium.*

Principio. Hæc vide apud Theophil. lib. II, ad Autolyc.

Παντοτρόφον. De Sibyllinis carminib. vide supra lib. I, cap. 6, pag. 28, ubi quid de iis sit sentiendum legitur. Latine :

Omnium nutritorem creatoremque, qui dulcem spiritum (omnibus
Apposuit, ac principem omnium Deum fecit.

Θεὸν. Sic restitui ex 2 vetustissimis mss. Regiis, 1 Sorbon., 3 Colbert., Brun. et edit. Rom. 1468, ac Gymnic. Et malo legere Θεὸν cum Opsopœio, eo quod Lactantius filium Dei Ducem et Imperatorem dicat omnium, quam Θεῶν *deorum* ex recentioribus mss. et impressis. *Sibyllar. serm.* 3.

Ἀλλ' ὃν. Ita reposui ex mss. 4 Regiis, quorum duo sunt antiquissimi, 2 Colbert., 1 Clarom., 1 Brun. aliisque. Et sic Opsopœius legebat. In codice Sibylline mutilus est hic versus.

Sed quem dedit Deus fidelibus viris honorare.

Sibyllar. sermone 8.

Αὐτὸν σὸν. Sic iidem mss. et editi. In 1 Clarom. et edit. Rom. 1468 est σου. Lat.

Ipsum tuum cognosce Deum, qui Dei Filius est.

Videlicet ipse est Dei filius. Ita mss. antiquissimi 2 Bonon., 2 Reg., 2 al. Regii, Tax., Pen. et editi quinque. In Cauc. Jun. et 18 scriptis rec. atque octo excusis additur *et.*

Deus condidit me, etc. Locus ex cap. VIII Proverbior., v. 22 usque ad 31. Et satis sit semel meneri lectorem, quod Lactantius quæ promit loca sacræ Scripturæ, ea fere ut cæteri antiqui Patres, ex versione Septuaginta Interpretum promit. ISÆUS. — *Condidit*, juxta textum Hebræum lege, *possidebat me ab initio*, etc. quod doctrinam catholicam de Verbi æternitate confirmat. Sed hæc omnia ad primævum textum sunt referenda.

Et fines inhabitabiles. Sic restitui ex omnibus mss. codicibus, cum in excusis habeatur, *et terras inhabitabiles.*

Cum confirmatos poneret montes. Librorum omnium editorum est hæc lectio, eamque requirunt præcedentia. *Ponebat* manuscriptorum est. Apud Septuaginta, Tertullianum et Cyprianum legitur, *ponebat fontes*; in 1 Colbert. rec. *ponebat ventos.*

Penes illum disponens. Ms. Brun., *Penes illum cuncta disponens*; 1 Colb., *contra*, pro, *cuncta.*

Digitized by Google

autem jucundabar ante faciem ejus, cum lætaretur A orbe perfecto. » Idirco autem Trismegistus δημιουργὸν τοῦ Θεοῦ dixit, et Sibylla σύμβουλον appellat, quod tanta sapientia et virtute sit instructus a Deo Patre, ut et consilio ejus, et manibus uteretur in fabricatione mundi.

CAPUT VII.

De nomine Filii; atque unde Jesus et Christus appellatur.

Fortasse quærat aliquis hoc loco, quis sit iste tam potens, tam Deo carus, et quod nomen habeat, cujus prima nativitas non modo antecesserit mundum, verum etiam prudentia disposuerit, virtute construxerit. Primum scire nos convenit, nomen ejus ne Angelis quidem notum esse, qui morantur in cœlo, sed ipsi soli, ac Deo Patri; nec ante id publicabitur, B ut est sanctis litteris traditum, quam dispositio Dei fuerit impleta. Deinde nec enuntiari posse hominis ore; sicut Hermes docet, hæc dicens :

Αἰτία δὲ τούτου τοῦ αἰτίου ἡ τοῦ θείου ἀγαθοῦ βούλησις, ἣ θεὸν προήνεγκεν, οὗ τὸ ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ στόματι λαληθῆναι.

Et paulo post ad filium :

Ἔστι τις, ὦ τέκνον, ἀπόῤῥητος λόγος σοφίας, ὅσιος περὶ τοῦ μόνου κυρίου πάντων, καὶ προεννοουμένου Θεοῦ, ὃν εἰπεῖν ὑπὲρ ἄνθρωπόν ἐστι. Sed quamvis nomen ejus, quod ei a principio pater summus imposuit, nullus alius præter ipsum sciat, habet tamen et inter Angelos aliud vocabulum, et inter homines aliud. Jesus quippe inter homines nominatur : nam Christus non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis et regni; sic enim Judæi reges suos appellabant. Sed exponenda hujus nominis ratio est propter ignorantium errorem, qui eum immutata littera Chrestum solent dicere. Erat Judæis ante præceptum, ut sacrum conficerent unguentum, quo perungi possent ii, qui vocabantur ad sacerdotium, vel ad regnum. Et sicut nunc Romanis indumentum purpuræ insigne est re

VARIORUM NOTÆ.

Δημιουργὸν τοῦ θεοῦ. Latine, *Opificem Dei*. Trismegistus in Pimandro c. 1. Demiurgon etiam Irenæus loco jam citato vocat, et alibi sæpe Valentinianorum animalem demiurgum confutans, et Apostolus cap. II ad Hebr. BETULEIUS.

Σύμβουλον. Latine, *Consiliatorem*, ex mss. 1 Colb., 1 Lips., Brun. Qua voce usus est Lactantius infra lib. IV, cap. 11.

Quod tanta sapientia et virtute sit instructus. Ita reposui ex omnibus mss. præterquam in 1 Colbert. cui est *quot;* corrupte, pro *quod*.

Fortasse quærat aliquis. Parrh., Junt., Ald., Crat., Gymn., in futuro, *fortasse quæret aliquis*, et probat Heumannus, quia et alibi ita loquatur. Recte quidem; sed alterum, *fortasse quærat*, æque rectum, et hic nititur auctoritate mss. Lips., Goth., Gryph., Torn., Betul., Thomas. et reliquorum. Lact. l. I, c. 3 et l. IV, c. 26 : *Dicat fortasse aliquis.* Ibid. 29 : *Fortasse quærat aliquis.* De Ira c. 15 : *Hic fortasse quærat aliquis.* Plura noto ad Epitom. c. 29. BUN.

Virtute construxerit. Ita mss. et editi. Francius, forte *virtus*.

Scire nos convenit, nomen ejus ne Angelis quidem notum esse. Quæ lectio majorem auctoritatem habet ex mss. 10 Reg. quorum duo sunt veterrimi, 6 Colb. sexque aliis et edit. 2 vet. Rom. et Betul. In 2 Reg. pro *ne* est *nec*. In Cauc., Jun., Lips., Pal. et 4 edit., *neque;* in 4 excusis Ald., Paris. 1525, Crat. Graph. *scire nomen ejus non convenit hominibus, neque Angelis quidem notum est.*

Ne Angelis quidem. Quia, ut ait Paulus ad Philipp. D cap. 2, *dedit illi nomen quod est super omne nomen.*

Αἰτία. Latine : *Causa autem hujus causæ est divini boni voluntas, quæ Deum protulit, cujus nomen non potest humano ore dici.*

Θείου ἀγαθοῦ. In paucis admodum Θεοῦ. Ed. Tornes. in marg. *Dei*, ex ms.

Ἔστι, etc. Latine : *Est, o fili, secretus quidam sermo sapientiæ, sanctus circa solum Dominum omnium, et Domini ante mente percipientis* (percepti) *quem dicere supra hominem est.*

Ὅσιος περὶ τοῦ μόνου κυρίου πάντων. Hæc verba, quæ in aliquibus scriptis desunt, restituta sunt Lactantio, vel potius Hermeti, ex mss. Bonon., Cauc., Regiis, Tax., Em., Cant., Brun., 2 Colbert. In 1 Reg., 1 Sorbon. et in quibusdam editis desideratur καὶ προεννοουμένου Θεοῦ.

Θεοῦ. Ita restitui ex antiquissimis mss. 2 Bonon., Cauc., 1 Reg. 900 annor. aliis item 2 Regiis, 2 Colb., 2 Brun., edit. Rom. 1470, atque etiam anni 1497, et Isiana Romæ 1650. Sed in mss. 2 et 7 excusis est κυρίου. In plerisque mss. deest utrumque.

Jesus. Latine *servator*.

Chrestum. Suetonius refert, *impulsore Chresto* Judæos assidue fuisse tumultuatos : de Christo ipso, licet falso et impie, intellexit; veteres enim gentiles veri nominis ignoratione, Chrestum et Chrestianos, non Christum et Christianos dixere. Id me et hic Tertulliani locus in Apolog. docuit. *Si nominis* (inquit) *odium est, quis* C *nominis reatus? quæ accusatio vocabulorum? nisi si aut Barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum. Sed et cum perperam Chrestianos* (sic ex sequentibus scribendum arbitror, ut et apud Tacitum lib. XV) *pronuntiatur a vobis* (*nam nec nominis certa est notitia penes vos*), *de suavitate, vel benignitate compositum est : oditur itaque in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.* Hactenus Tertull. verba, ex quibus sane quod proposui confectum credo Χρῆστος suavem, facilem et benignum significat. Vide Sueton. in Claudio c. 25, Tertullianum Apologetic. cap. 3.

Ad sacerdotium, vel ad regnum, etc. Utrumque in Christo locum habet, qui et rex est, cujus regni non erit finis, ut Angelus Beatiss. Virgini promisit, et sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedek. Unde Petrus Ecclesiam, id est, regnum Christi, recte regale sacerdotium appellavit. De unctione regis lege primum Samuelis librum, de sacerdotali vero chrismate, Levit. c. VIII. De sacerdotio Christi, D adeoque ipsius unctione, nemo doctius aut plenius quam Paulus in Epist. ad Hebræos. BETULEIUS.

Vel ad regnum. Mos tamen iste ad alias quoque gentes postea dimanavit.

Indumentum purpuræ insigne est regiæ dignitatis. Ornamentum est regium, hoc rubicundo colore insinuans sanguinis imperium, et necis inferendæ potestatem. Quo sensu forte llorat. Tyrannos appellat Purpureos, 1 Od., 35.

> Purpurei metuunt tyranni,
> Injurioso ne pede proruas
> Stantem columnam.

Et ob hanc majestatem Deus haud dubie sacerdotis vestem fieri jussit purpuream (Exod. 39), et unicus salutis nostræ instaurator Christus cum a profligatis militibus Rex salutaretur, purpura indutus fuisse legitur. SALMUTH.

Αὐτούς. (*Vide infra.*) Latine :

Eos autem famulæ laverunt, et unxeruut oleo.

Digitized by Google

giæ dignitatis assumptæ : sic illis unctio sacri unguenti nomen ac potestatem regiam conferebat. Verum, quoniam Græci veteres χρίεσθαι dicebant ungi, quod nunc ἀλείφεσθαι, sicut indicat Homericus versus ille :

Αὐτοὺς δὲ δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἔλαίῳ ;

ob hanc rationem nos eum Christum nuncupamus, id est, unctum, qui hebraice Messias dicitur. Unde in quibusdam græcis scripturis, quæ male de Hebraicis interpretatæ sunt, ἠλειμμένος scriptum invenitur, ἀπὸ τοῦ ἀλείφεσθαι. Sed tamen utrolibet nomine rex significatur : non quod ille regnum hoc terrenum fuerit adeptus, cujus capiendi nondum tempus advenit ; sed quod cœleste ac sempiternum, de quo disseremus in ultimo libro. Nunc vero de prima ejus nativitate dicamus.

CAPUT VIII.

De ortu Jesu in spiritu et in carne ; de spiritibus et testimoniis Prophetarum.

In primis enim testificamur, illum bis esse natum ; primum in spiritu, postea in carne. Unde apud Hieremiam ita dicitur : Priusquam te formarem in utero, novi te. Et item apud ipsum : Beatus qui erat, antequam nasceretur ; quod nulli alii contigit, præter Christum. Qui cum esset a principio Filius Dei, regeneratus est denuo secundum carnem : quæ duplex nativitas ejus magnum intulit humanis pectoribus errorem, circumfuditque tenebras etiam iis, qui veræ Religionis sacramenta retinebant. Sed nos id plane dilucideque monstrabimus, ut amatores sapientiæ facilius ac diligentius instruantur. Qui audit Dei Filium dici, non debet tantum nefas mente concipere, ut existimet, ex connubio ac permistione fœminæ alicujus Deum procreasse, quod non facit nisi animal corporale, mortique subjectum. Deus autem, cum solus sit, cui permiscere se potuit ? aut cum esset tantæ potestatis, ut quidquid vellet, efficeret, utique ad creandum societate alterius non indigebat : nisi forte existimabimus, Deum, sicut Orpheus putavit, et marem esse et fœminam, quod aliter generare nequiverit, nisi haberet vim sexus utriusque ; quasi aut ipse secum coierit, aut sine coitu non potuerit procreare.

Sed et Hermes in eadem fuit opinione, cum dicit αὐτοπάτορα, καὶ αὐτομήτορα. Quod si ita esset, ut a Prophetis pater dicitur, sic etiam mater dicere-

VARIORUM NOTÆ.

Interpretatæ sunt. Sic emendavi ex mss. et pluribus editis. Alii, *interpretata sunt*, mendose. Francius legendum esse censebat *interpretati sunt*. At *interpretatæ sunt* genuina Lactantii lectio est, a quo hic istud verbum passive usurpatur, ut a Cicerone lib. I de Divinat., n. 53, ab Hieronymo et Augustino passim, sed et a Paulo Jurisconsulto. *In testamentis*, inquit, *voluntates testantium interpretantur*, etc. Et quidem Gellius lib. XV, cap. 13, illud verbum dicit esse commune, utriusque scilicet vocis activæ et passivæ. — *Interpretatæ sunt.* Passivo sensu, ut Tertullian. adv. Hermog. c. 19 : *Quod in materiam interpretari possit.* De carne Chr. c. 8 : *Capitulis interpretatis* ; l. V adv. Marcionem : *Invenimus interpretatum.* Imo ipse Cicero L. II de Legib. c. 12. Nos prope idem *Græcum interpretatum nomen tenemus.* L. I Divin. c. 52 : *Male conjecta maleque interpretata falsa sunt.* Conf. Voss. I. 3 ; Analog. c. 6 ; Gronov. ad Gell. lib. XV, c. 14, pag. 683. Duker. de Latin. Vet. Ict. p. 334 sq. BUN.

ἠλειμμένος. Latine, *ungendo curatus.* Hæc quatuor verba, quæ sunt Græci vocabuli interpretatio, ex ora libri in textum intrusa, cum non reperiantur nisi in 4 recentissimis mss. et pluribus editis, e textu eliminavi.

Ἀπὸ τοῦ ἀλείφεσθαι. Latine, *ab ungendo.*

Rex significatur. Ita omnes fere mss. et editi. In quibusdam est *res.*

Cujus capiendi, etc. Errat Lactantius ; nunquam enim tempus adveniet, quo regnum terrenum sit accepturus, siquidem ipsius regnum non est terrenum ; sed totum quantum spirituale. Lactantius autem sic loquitur, eo quod putet Christum mille annis regnaturum in hoc mundo, antequam in cœlum nos deducet ; quam opinionem suo loco refutabimus. GALLÆUS.

Hieremiam. Sed hæc prior prophetia nonnisi secundario et sublimiore sensu de Christo Jesu intelligitur ; nam sensu primario ad ipsum Jeremiam spectare contextus satis indicat. Vide Jerem. cap. I.

Et item apud ipsum. 1 Reg. veterrimus, *Et item apud eumdem.* Hæc desunt in 5 mss. rec.

Beatus qui erat. Non extat hic locus apud Jeremiam, imo ne quidem in totis Bibliis. Unde autem hunc locum deprompserit auctor, mihi non constat. Fortasse alicunde ex Versione LXX, seu quavis alia. Nonnumquam SS. Patres loca tamquam e Scripturis petita allegant, quæ tamen frustra in illis quæras. GALLÆUS.—Et sunt forsan deperdita. Fuit hoc, ut non satis divinæ majestati conveniens, in Nicena synodo explosum, et anathemate interdictum. Vide ea de re Eusebii verba, quæ extant apud Theodoretum libro Ecclesiasticæ historiæ primo, cap. 12 : καὶ τὸν ἀναθηματισμὸν δὲ τὸν μετὰ τὴν πίστιν πρὸς αὐτὸν τεθέντα, δεκτὸν εἶναι ἡγησάμεθα, etc. Hunc locum paulo altius repetimus, quod supra libro II, cap. 9, duo superiora dicta, nempe *de nihilo*, item illud, *Fuit aliquando cum non esset*, a Lactantio citata fuerunt. BETULEIUS.

Regeneratus est. Id est, iterum natus. FRANCIUS.

Circumfudit. Bene, non *circumfundit.*

Instruantur. Restitui ex omnibus mss. et 2 vet. edit. Rom. In cæteris excusis est *instituantur* : quod idem est.

Cum solus sit. Ita antiquissimi mss. 2 Bonon. Regio Put. et 1 al. Reg., 2 Colb., Tornes., Tax., 2 Clarom. et 5 edit. In plerisque, *cum solus adhuc esset.*

Orpheus. De Orphei Theologia vide S. Cyrillum lib. I, contra Julianum.

Sed et Hermes. Addidi particulam *et* ex mss. ac edit. Tornes., Soubron. et Walch. Abest a cæteris impressis et a 3 mss. rec.

Αὐτοπάτορα, καὶ αὐτομήτορα. Latine, *Ipsum patrem sui, et ipsum matrem sui.* Post hæc verba, mss. rec. 1 Reg., Gat., Nav., Vict. et Brun. sequentia interserunt : *Et æternum est quod ait Deus, Fiat lux, quia Verbum Dei, Deus apud Deum, Filius unicus Deo Patri coæternus est. Cum enim verba sint temporis ; cum dicimus, quando et aliquando, æternum tamen est in verbo Dei, quando aliquid fieri debeat, et tunc fit quando fieri debuisset, in illo verbo est in quo non est quando et aliquando, quoniam totum illud Verbum æternum est. Quomodo autem per creaturam, quam fecit ante tempora, dici potuit temporaliter, Fiat lux, invenire difficile est. Sono enim vocis non* (al. *nos*) *intel*

Digitized by Google

tur. Quomodo igitur procreavit? Primum nec sciri a quoquam possunt, nec enarrari opera divina : sed tamen sanctæ Litteræ (*Sap.* XVIII), docent, in quibus cautum est, illum Dei Filium, Dei esse sermonem, sive etiam rationem; itemque cæteros angelos Dei spiritus esse. Nam sermo est spiritus cum voce aliquid significante prolatus. Sed tamen quoniam spiritus et sermo diversis partibus proferuntur, siquidem spiritus naribus, ore sermo procedit, magna inter hunc Dei Filium, et cæteros angelos differentia est. Illi enim ex Deo taciti spiritus exierunt; quia non ad doctrinam Dei tradendam, sed ad ministerium creabantur. Ille vero cum sit et ipse spiritus, tamen cum voce ac sono ex Dei ore processit, sicut verbum, ea scilicet ratione, quia voce ejus ad populum fuerat usurus; id est, quod ille magister futurus esset doctrinæ Dei et cœlestis arcani ad hominem proferendi : quod ipsum primo locutus est, ut per eum ad nos loqueretur, et ille vocem Dei ac voluntatem nobis revelaret.

Merito igitur sermo et verbum Dei dicitur; quia Deus procedentem de ore suo vocalem spiritum, quem non utero, sed mente conceperat, inexcogitabili quadam majestatis suæ virtute ac potentia in effigiem, quæ proprio sensu ac sapientia vigeat, comprehendit, et alios item spiritus suos in angelos figuravit. Nostri spiritus dissolubiles sunt, quia mortales sumus. Dei autem spiritus et vivunt, et manent, et sentiunt; quia ipse immortalis est et sensus, et vitæ dator. Nostræ voces, licet auræ misceantur, atque evanescant, tamen plerumque permanent litteris comprehensæ : quanto magis Dei vocem credendum est, et manere in æternum, et sensu ac virtute comitari, quam de Deo patre, tamquam rivus de fonte traduxerit. Quod si quis miratur, ex Deo Deum prolatione vocis ac spiritus potuisse generari, si sacras voces Prophetarum cognoverit, desinet profecto mirari. Salomonem patremque ejus David potentissimos reges fuisse, et eosdem prophetas, etiam iis fortasse sit notum, qui divinas litteras non attigerunt; quorum alterum, qui posterius regnavit, trojanæ urbis excidium centum et quadraginta annis antecessit. Hujus pater divinorum scriptor hymnorum, in Psalmo XXXII, sic ait: *Verbo Dei cœli solidati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Item rursus in Psalmo quadragesimo quarto : *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.* Contestans videlicet, nulli alii opera Dei esse nota, nisi Filio soli, qui est Verbum Dei, et quem regnare in perpetuum necesse est. Item Salomon ipsum verbum Dei esse demonstrat, cujus manibus opera ista mundi fabricata sint. *Ego*, inquit, *ex ore Altissimi prodivi ante*

VARIORUM NOTÆ.

tigimus dictum. Sed hæc aliena sunt a stylo Lactantiano.

Enarrari. Ita in 3 Reg., 4 Colb., Goth., Brun. et in sola edit. Cellar. juxta illud Prophetæ : *Generationem ejus quis enarrabit?* Cæteri habent *narrari.*

Sermonem, sive etiam rationem. Hæ tres ultimæ voces, quæ sunt in ms. 1 Bonon. antiq. edit. Is. et nonnullis aliis, absunt a mss. 10 Reg., 6 Colbert. et omnibus fere scriptis et excusis.

Nam sermo est spiritus, etc. Definitio est minime sufficiens ad confirmandam Sermonis deitatem. Sermo humanus proferentis substantiam in se non continet; Sermonem autem qui filius Dei est, qui caro factus est, ejusdem cum patre essentiæ esse, et catholica docet fides, et Tertullianus tam adversus Praxeam, quam alibi indicat. BETULEIUS.

Ad hominem proferendi. Sic restitui ex mss. 2 Bonon., 2 Reg., Jun., Goth., Lipsiensibus et 5 editis. In multis legitur *perferendi;* in 1 Clarom. *præferendi.*

Quod ipsum. Subaudi *verbum;* ita ut sit : *quod ipsum verbum primo ita locutus est Deus.*

Ut per eum ad nos loqueretur. Hæc lectio omnium prope mss. et editorum est, expuncto *ipse* quod interponunt editi. 1 Reg. rec. Em. et Lipsienses habent *nobis.*

Verbum Dei. De quo dicetur capite sequenti.

Vocalem. Deest. in ms. 1 Colb. In Em. est *vitalem.*

Alios item spiritus suos in angelos. Addidi pronomen *suos* ex cunctis ferme mss. et edit. Betul., Cellar., Walch. Deest in cæteris editis et in 4 Reg. rec., Colb.

Nostri spiritus dissolubiles sunt. Hic per spiritum putarim flatum intelligi; nam de sermone et locutione dicere pergit : de animis quidem nostris illud asserere non est censendus, qui ubique doceat illos esse immortales. ISÆUS.

Sensu ac virtute comitari. Comitari hic sumitur passive, ut apud Virgilium. — *Uno comitatus Achate;* apud Justinum XXX, 2, *jam salutantur, jam comitantur;* et apud Ciceronem ad Attic. IX, 2.

Quorum alterum... Trojanæ urbis excidium 140 annis antecessit. Sic habent mss. 1 Vatic. et 3 Colb. Et certa videtur lectio. At vulgati habent *alter;* male : siquidem Salomon regnum exorsus est anno 1019, ante vulgarem æram, Troja vero capta est aut anno 1209 aut 1184 ante eamdem æram; spatium igitur est ad minus annorum centum et sexaginta quinque : sed in rebus chronologicis tam remotis vix attenditur ad errorem paucorum annorum. In hac temporum supputatione chronologi non consentiunt; Euseb. enim annis 170; Glareanus 147, quod ad Lactantii calculum proxime accedit. Si vulgata lectio admitteretur, erraret Lactantius. Trojana eversio duodecim sæculis æram vulgarem antecessit : at Salomon decimo tantum sæculo fuit ante vulgarem æram. Salomon ergo Trojanum excidium non præcessit : sed potius Rex iste Israel secundo sæculo vixit post Trojanam stragem. Troja enim excisa est juxta marmora Oxoniensia an. 1209 ante vulgarem æram. Salomon cœpit templum ædificare an. 1015, ante æram nostram. Trojanum igitur excidium multo antiquius est Salomone, non Salomon antiquior excidio Trojano.

Verbo Dei cœli solidati sunt. Apud Cyprianum Testimonior. adversus Judæos lib. II, cap. 3, *firmati sunt.* Sed et utraque lectio extat apud Augustinum Enarrat. 3 in Psalmum XXXII. In Hebræo sic sonat, et Psal. XXXIII, v. 5, *Verbo Jehovæ facti sunt cœli, et spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.*

Et spiritu oris ejus. Ita cum veteribus 9 editis et 2 rec. omnes mss. Septuaginta, Vulgata, Cyprianus et Augustinus supra laudati. In 7 impressis legitur *in spiritu.*

Item Salomon. Imo filius Syrach Ecclesiastici cap. XXIV, v. 3 et deinceps. Hæc verba catenus fuerunt Salomoni tributa, quia creditum est Jesum, qui Siracidi cognomen erat, ex abundantia Salomonis suas hausisse sententias. CELLAR. — *Item Solomon.* Tribuunt Solomoni Siracidis librum multi patres, quo

Digitized by Google

omnem creaturam; ego in cœlis feci ut oriretur lumen indeficiens, et nebula texi omnem terram. Ego in altis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Joannes quoque ita tradidit (*cap.* 1) : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc fuit in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.*

CAPUT IX.

De Verbo Dei.

Sed melius Græci λόγον dicunt, quam nos verbum, sive sermonem ; λόγος enim et sermonem significat, et rationem, quia ille est, et vox, et sapientia Dei. Hunc sermonem divinum ne philosophi quidem ignoraverunt. Siquidem Zeno rerum naturæ dispositorem atque opificem universitatis λόγον prædicat, quem et fatum, et necessitatem rerum, et Deum, et animum Jovis nuncupat : ea scilicet consuetudine, qua solent Jovem pro Deo accipere. Sed nihil obstant verba, cum sententia congruat veritati. Est enim spiritus Dei, quem ille animum Jovis nominavit. Nam Trismegistus (*Trismeg. Pimand. cap. Ascl.* 4), qui veritatem pene universam nescio qnomodo investigavit, virtutem majestatemque verbi sæpe descripsit, sicut declarat superius illud exemplum, quo fatetur esse ineffabilem quemdam sanctumque sermonem, cujus enarratio modum hominis excedat. Dixi de nativitate prima breviter, ut potui. Nunc de secunda, quoniam controversia est in ea maxima, latius disserendum est; ut veritatem scire cupientibus lumen intelligentiæ præferamus.

CAPUT X.

De Jesu adventu; de Judæorum casibus ac eorum regimine usque ad Passionem Dominicam.

In primis igitur scire homines oportet, sic a principio processisse dispositionem summi Dei, ut esset necesse, appropinquante sæculi termino, Dei Filium descendere in terram, ut constitueret Deo templum, doceretque justitiam : verumtamen non in virtute Angeli, aut potestate cœlesti, sed in figura hominis, et conditione mortali, ut cum magisterio functus fuisset, traderetur in manus impiorum, mortemque susciperet, ut ea quoque per virtutem domita, resurgeret, et homini, quem induerat, quem gerebat, et spem vincendæ mortis afferret, et ad præmia immortalitatis admitteret. Hanc ergo dispositionem ne quis ignoret, docebimus prædicta esse omnia, quæ in Christo videmus esse completa. Nemo asseverationi nostræ fidem commodet; nisi ostendero, Prophetas ante multam temporum seriem prædicasse, fore aliquando ut filius Dei naceretur sicut homo, et mirabilia faceret, et cultum Dei per totam terram seminaret, et postremo patibulo figeretur, et tertia die resurgeret. Quæ omnia cum probavero eorum ipsorum litteris, qui Deum suum mortali corpore utentem violaverunt, quid aliud obstabit, quominus veram sapientiam clarum sit in hac sola Religione versari? Nunc a principio totius sacramenti origo narranda est.

Majores nostri, qui erant principes Hebræorum, cum sterilitate atque inopia laborarent, transierunt in Ægyptum rei frumentariæ gratia, ibique diutius commorantes, intolerabili servitutis jugo premebantur. Tum misertus eorum Deus eduxit eos, ac liberavit de manu regis Ægyptiorum post annos quadringentos et triginta, duce Moyse, per quem postea illis lex a Deo data est : in qua eductione ostendit virtutem suæ majestatis Deus. Trajecit enim populum medio Mari Rubro, præcedente angelo, et

VARIORUM NOTÆ.

rum loca operose collegit Pamelius ad Cyprian. l. II, ad Quirin. ineunte, ut probaret ad libros Chronicos pertinere, notatus inde ab Goulartio. Veterum loca Ecclesiasticum Salomoni tribuentium colligit quoque Serarius ad S. Bonifacii Epist. I. BUN.

Tradidit. Mss. 8 et 4 ed., *tradit.*

Zeno. Hæc fere apud Laertium et apud Ciceronem in libro I de Natura deorum traduntur.

Quem et fatum. Item Laert. ait, Ἕν τε εἶναι θεὸν, καὶ νοῦν, καὶ εἱμαρμένην, καὶ Δία ; aliisque multis appellari nuncupationibus : Ζῆνα, nempe, Ἀθηνᾶν, Ἥραν, Ἥφαιστον, Ποσειδῶνα, Δήμητραν. Sed Aristoteles in libro de Mundo, circa finem fere, plura ex Orphicis enumerat ejusdem Dei nomina. BETUL.

Quo fatetur. Editi 7, *in quo.* Præpositionem expunxi, quæ abest a cæteris editis omnibusque mss.

A principio processisse. Mss. 6 rec. et edit. 7, *præcessisse.*

Ut cum magisterio. Idem infra cap. 16, *quo magisterio ac Dei legatione perfunctus.*

Et homini, quem induerat. Familiaris Patribus locutio, ut dicant Verbum divinum assumpsisse, vel induisse hominem. Sic Cyprianus in fine libri de Idolorum vanitate ; Augustinus in lib. de Fide contra Manich. initio cap. 26; Hilar., x de Trinitate, circa med.; quod ita intelligendum est, ut dicamus hominem assumptum, quia ejus natura est assumpta, et quia assumptio terminata est ad hoc, ut Filius Dei sit homo. Vide S. Thomam in III p. quæst. IV, art. 3. ISÆUS. — *Homini, quem induerat.* Homini, id est, *humanæ naturæ, quam induerat;* concretum pro abstracto. Sæpe ita Cyprianus, e. g. de Idol. Vanit. fine : *Qui mediator duorum hominem induit. .. ut hominem, quem dilexit, quem induit . . . ad patrem victor imponeret.* Arnobius I. I, p. 38 : *Homo, quem induerat, et secum ipse portabat.* Ita quoque in Græcis Irenæus, Origenes et Athanasius ; in Latinis Hilarius, Ambrosius, Augustinus. BUNEMAN.

Temporum. 1 Bonon. antiq. et 1 Colb., *annorum.*

Patibulo. Solemne Lactantio, Hieronymo, aliis, *crucem* vocare *patibulum.* Conf. Epit. c. 47, c. 51. Prudent. Peri Stephan. H. 10, p. 641 : *crux illa nostra est, nos* patibulum *adscendimus.* BUNEMAN.

Majores nostri. Patriarchæ scilicet. — *Majores nostri. Quia nos ab Christo convocati ex gentibus in illorum* (Judæorum) *locum successimus,* secundum l. IV, cap. 11, unde, l. V, c. 22 : *Quorum nos successores et posteri sumus ;* et epit. c. 48. BUNEMAN.

In Ægyptum. Vide Genes. XLII. Homerus Iliad. VI, Ægyptum terram feracem vocat; hæc Strabonis tempore vocabatur publicum orbis horreum.

Misertus. Exod. I et III, Esdr. II et IX.

Post annos quadringentos et triginta. Ita ferunt mss. codices optimi 2 Bon., 2 Reg. veterrimi, itemque 5 alii Reg., 9 Vaticani, Tax., Pen., 6 Col-

Digitized by Google

scindente aquam, ut populus per siccum gradi posset, quem verius (ut ait poeta)

Curvata in montis faciem circumstetit unda.

Qua re audita, tyrannus Ægyptiorum cum magna suorum manu insecutus, et mare adhuc patens temere ingressus, coeuntibus aquis cum omni exercitu deletus est. Hebræi vero ingressi in solitudinem multa mirabilia viderunt. Nam cum sitim paterentur, ictu virgæ rupe percussa, prosiliit fons aquæ, populumque recreavit. Quo rursus esuriente, cœlestis alimenti pluvia descendit. Quin etiam coturnices in castra eorum ventus invexit, ut non modo pane cœlesti, sed etiam instructioribus epulis saturaren- A tur. Pro his tamen divinis beneficiis honorem Deo non reddiderunt, sed depulsa jam servitute, jam siti fameque deposita, in luxuriam prolapsi, ad profanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt. Cum enim Moyses dux eorum ascendisset in montem (*Exod.* XXXII), atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant Apin, quod eos in signo præcederet, figurarunt. Quo peccato ac scelere offensus Deus, impium et ingratum populum pro merito pœnis gravibus affecit, et legi, quam per Moysen dederat, subjugavit.

Postea vero cum in deserta quadam parte Syriæ B consedissent, amiserunt vetus nomen Hebræi: et

VARIORUM NOTÆ.

bert., Lipsienses, Navar., Sorbon., Vict., Gat., Marm., Pal., Jun., Ultr., Em., Goth., 2 Clarom., Tornes., Brun. et 5 excusi. Cæteri cum sex scriptis rec. *trecentos triginta*, vitiose. Theoph. in libro de Temporibus habet ut in textu, computando scilicet Hebræorum mansionem in terra Chanaan, juxta editionem Septuaginta; quem etiam locum refert S. Augustinus Quæst. 47.

Duce Moyse. (*Vid. supra col.* 470.) Exod. XII, Galat. XXX, Exod. XIX et XXXIV, Deut. IX, Mach. XL. Ed. Sulbac. habet *trecentos.* — *Mari rubro.* Hoc mare non dicitur rubrum, vel Erythræum, a colore, sed ab Erythra Rege, qui Hebræis est Edom.

BOCHART.

Præcedente angelo, et scindente aquam. Gallæus in Notis contrarium ex Mose concludit, eo quod dicatur Exod. c. XIV, v. 18: *Tollensque se angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, et cum eo* C *pariter columna nubis.* Sed hæc contra Lactantium nihil faciunt: siquidem licet angelus a tergo esset, lux tamen usque præcesserit, ut non immerito de angelo lucem præferente idem dici possit, quod de luce, quam prætulit, sacræ Litteræ affirmant. Nec majoris forsan momenti est, quod Lactantium arguat perperam scripsisse, aquam fuisse ab angelo scissam. Textus quem profert Gallæus ex ejusdem capitis v. 21, sic habet: *Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus* (*mare*) *flante vento vehementi*, etc. Factum est hoc quidem a Deo: sed non inde excludi putaverim angeli ministerium, angeli (inquam) fœderis, qui populo Hebræo toties se exhibuit, cujusque ductum jam tum secuti sunt Israelitæ. SPARK.

Curvata. Virgil. IV Georg., 361, ubi Aristæi pastoris fabulam narrat.

Cum magna suorum manu insecutus. Vide Josephum, II, 6; sed pedites nulli interfuere, ut ex Mose patet. Meminit enim equitum tantum et curruum, ac D qui de iis pugnabant. Quorum præfecti LXX, τριστάται, quasi triarios dicas; quia in quovis curru novem ut *Cajetano* videtur, terni ad singula trium laterum. *Aliis*, in quolibet curru tres fuisse, aurigam et duos propugnatores.

Cum omni exercitu deletus est. Justinus, XXVI: *Ægyptii domum redire tempestatibus compulsi sunt.* Orosius libro I, cap. 12: *Extant etiamnunc certissima horum monumenta gestorum. Nam tractus curruum atque rotarum orbitæ, non solum in littore, sed etiam in profundo, quousque visus admittitur, pervidentur.* DRUSIUS. —Verum hæc Orosii observatio parum certa videtur. Vide Josephum. Periit ipse Pharao, sed ultimus, ut spectato prius suorum interitu gravius cruciaretur. Sic tradunt *Rabbini*, et *Alphonsus Tostatus.*

Ingressi in solitudinem multa mirabilia viderunt. Ita emendavi ex perantiquo et optimo ms. codice Regio-Put., accedentibus I Clarom., in quo *ingressi in solitudine*, etc. I al. Clarom., *ingressi in solitudine, multa*, etc. littera *m* absorpta ob sequentem *m* in voce *multa*; et I Reg. antiquissimo et I, al. Reg., 7 rec., sed bonæ notæ, 4 Colb., I Sorbon., Em., Brun., quibus est, *egressi in solitudinem, multa mirabilia viderunt. In solitudinem*, id est, in desertum. Cæteri cum editis, *egressi in solitudine multa mirabilia viderunt.*

Ictu virgæ rupe percussa, etc. Exod. XV, Gentiles finxerunt, asini ductu repertam aquam. Et hinc fabula illa fluxit, Judæos asinum coluisse. Tacitus V. Hist. Plutarc., IV, συμπ. Hæc aquæ scaturigo non unius diei beneficium fuit: sed ea in desertis illis postea quoque usi sunt; hodieque perdurat. Sic *Cosmographi et Tostatus Abulens.*

Cœlestis alimenti. Scilicet manna. Exod. XV.

Coturnices in castra eorum, etc. Πλῆθος ὀρτύγων, *Josephus*; hoc est, magna vis aut multitudo coturnicum. Locus est lib. III, cap. 1: *Nec ita multo post magna vis coturnicum, quod genus præ cæteris Arabicus sinus alit, superato interjacente mari longo volatu fessarum, qui alioquin etiam non est sublimis, in Hebræos defertur.* Vide Diodorum lib. I de incolis Rhinocoluræ, Plin. lib. X, cap. 23: *Aura vehi volunt* (coturnices migrantes) *propter pondus corporum viresque parvas; aquilone ergo maxime volant, ortygometra duce.* Vide Arist. Histor. anim. lib. VIII. cap. 12. DRUSIUS.

Ventus invexit. Sic restitui ex 3 antiquissimis mss. 1 Bonon., 2 Reg., 2 item Reg. rec., sed optimæ notæ, 1 Colb., Goth., Lipsiensibus, et Brun. In 12 scriptis rec. et in impressis est, *induxit*; in 1 Clarom. *perduxit.*

Pro his tamen divinis beneficiis. Mss. Regio-Put., 2 al. Reg. rec. et Jun. cum sex editis, *tam.*

Aureum caput bovis. Vituli caput tantummodo, non vitulum integrum effictum putant cum Lactantio nostro aliqui Patres, Tertullianus ad Jud. I, XX, 3; Clemens Recognit. lib. I, 13; Cyprianus, de bono Patientiæ, sub finem; S. Ambrosius, Epist. 62; Hieronymus, in Jerem. cap. VII, Amos cap. V, Osee cap. IV; et S. Augustinus in Psalm. LXXIII.

Apin. Fuit vitulus *Apis*, Ægyptius bos, alio nomine dictus *Serapis*, vitulus electus, de quo Jeremias cap. 46. Bos erat qui ab Ægyptiis alebatur et adorabatur, ex Theodoreto Commentar. in hunc Jeremiæ locum.

Quod eos in signo præcederet. Ita emendavi ex edit. Gymnic. et mss. 2 Reg. veterrimis, aliisque 15. Sed scripti decem et editi novem carent præpositione *in*. A mss. 1 Reg. et Cantabrig. et editis 2 vet. Rom. abest *in signo*. Scripti 11 et vulgati tres habent *in signum*; Clarom., *quod eos signum præcedens*; ms. a Barthio visus, *quod Deus signo præcederet.* Sed vocem illam *Deus* insertam alibi non reperio.

Legi. Recte monent interpretes, Moysem montem ascendisse, legis accipiendæ gratia, prinsquam vituli simulacrum efficerent Judæi; lex ergo de qua hic, non Decalogus, sed præcepta cæremonialia, etc.

Amiserunt vetus nomen, etc. Hebræi dicti fuerunt

Digitized by Google

quoniam princeps examinis eorum Judas erat, Judæi sunt appellati, et terra, quam incoluere, Judæa. Et primo quidem non dominio regum subjecti fuerunt : sed populo ac legi civiles Judices præsidebant; non tamen in annum constituti sunt, sicut romani consules, sed perpetua jurisdictione, subnixi. Tum sublato Judicum nomine, potestas regalis inducta est. Verum Judicibus regimen eorum tenentibus, pravas religiones sæpe susceperant; atque offensus ab his Deus, toties eos alienigenis subjugabat, donec rursus pœnitentia populi mitigatus liberaret eos servitute. Item sub regibus finitimorum bellis ob delicta vexati, postremo capti, abductique Babylonem, pœnas impietatis suæ gravi servitio pependerunt; donec Cyrus veniret in regnum, qui statim Judæos restituit edicto. Exinde Tetrarchas habuerunt usque ad Herodem, qui fuit sub imperio Tiberii Cæsaris; cujus anno quinto decimo, id est, duobus Geminis Consulibus, ante diem decimam calendarum aprilium Judæi Christum cruci affixerunt.

VARIORUM NOTÆ.

ab Heber, qui pronepos fuit Noæ, per Sem : is filius Selæ, et nepos Arphaxadi, de quo lege Genes. x; Josephum lib. I, cap. 14, Antiquit.; Hieronymum in quæstionibus Hebraicis in Genes.; Augustin. lib. XVI, cap. 11. Quem vero Judam ducem post Mosis tempora Lactantius hic somniet, non video : nisi is sit, qui, ut est in capite primo Jud., jussu Domini a populo dux declaratus fuit adversus Chananæum, quo cæso, Hierusalem incendio absumpsit. Hic, inquam, Judas a quibusdam veluti interrex inter duces et judices habitus fuit. Atqui communis non modo Bibliorum, sed etiam scriptorum ecclesiasticorum consensus habet, Judæam et tribum Juda, ex Juda Israelis filio, familiæque Judaicæ Patriarcha et progenitore dictas esse, qui patri suo Jacobo ex ancilla Lia in Mesopotamia natus, constantiorque Josephi adversus iniquitatem fratrum defensor fuit : ex cujus linea et prolis serie regnum Israelitarum diutius floruit, et verus Judæorum rex, Christus scilicet, natus est. At *Judæorum* nomen non habuerunt Hebræi nisi post Salomonem, ante quem ii vocabantur *Israelitæ*, vel *filii Israel*. — *Hebræi*. Quod nomen deducitur vel ab Heber pronepote Noæ, vel potius ab Abrahamo quem dixerunt Hebræum, id est trans flumen habitantem, quia Abraham ex orientali Euphratis ripa in occidentalem sese contulerat jussu supremi Numinis. Ex priori mansione sua nomen Hebræi habuit sanctus Patriarcha.

Examinis. Nihil muto; *examen* hic ponitur pro exercitu, grege. Horat. I Epist. 19. *Dux regit examen*. Clare hic imitatur Tertull. Apolog. c. 39 : *Nondum Judæum ab Ægypto* Examen *Palæstina susceperat*.

Judæi sunt appellati. Josephus a tempore reditus e captivitate Babylonica illos Judæos vocatos fuisse testatur lib. XI, 5. BETULEIUS. — Primis enim temporibus, vel Hebræi, vel Israelitæ, vel populus Israel, ut jam diximus, cognominabantur.

In annum. Ita omnes mss. et cuncti fere impressi. Nonnullis editis est *in annuum*.

Potestas regalis. Non continuo; nam hierarchia intercessit 80 annorum. Heli enim Sacerdos, et Samuel ejus successor, uterque 40 annis Israeliticæ gentis imperium tenuit. Historiam Samuelis nos liber prior docet. Cæterum de horum annis Scriptores inter se differunt.

Susceperant. Ms. 1 Bonon. antiquior, *susceperunt*.

Subjugabat. Per servitutes. Judic., III, IV, VI, X, XIII.

Exinde Tetrarchas habuerunt, etc. Post reditum, imo in ipso reditu, res Judæorum ad hierarchiam redacta fuit, Zorobabele auctore, deinde aliis sequentibus, de quibus vide Euseb. et Bedam. Tetrarchiæ cœperunt, postquam res Judaicæ in Romanorum potestatem venerunt : non quidem statim ab initio; nam Hircani hierarchia degeneravit in nescio quod regnum Herodis. Cujus minuendi causa quatuor Herodis filii Tetrarchæ constituti fuerunt : Herodes nimirum, Antipater, Lysias et Philippus. Et id beneficio Augusti Cæsaris. BETULEIUS.

Cujus anno quinto decimo, etc. Nascuntur hic duæ novæ quæstiones. Nempe quo anno Christus sit passus, et quo die. Utrinque allegatur Lactantii auctoritas. Paulus de Middelburgo in altera suæ Paulinæ parte, quæ est de passione Dominica, cap. 10. Ejus namque Paulina, quæ prodiit anno 1513, forte nixa erat quadam minus sincera Lactantii editione; ibi Paulus iste docet, Lactantium in hoc Tertulliani secutum esse auctoritatem, Julique Africani, Ecclesiæ doctoris celeberrimi; et cum his consentire Orosium historicum. Eusebius, Beda et quidam alii passionem Domini in decimum octavum Tyberii annum rejiciunt : sed illi auctoritate Lucæ nixi, veriora tradere videntur. Nam cap. III, apud Lucam legimus temporum rationem diligentissime observatam : *Anno*, scribit, *decimo quinto imperii Tyberii Cæsaris, Pontio Pilato præside Judææ, Tetrarcha vero Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abylenes Tetrarcha, sub Pontificibus Anna et Caipha, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium*, etc. Constat autem, tribus annis et aliquot mensibus amplius Christum post baptismum esse passum. In VIII Calendarum Aprilium passionis diem retulerunt Tertullianus, Chrysostomus, Hieronymus, Cyrillus, Augustinus, et Beda.

Duobus Geminis Coss. Tertullianus lib. advers. Judæos, cap. 8 : *Passio hujus exterminii intra tempora septuaginta hebdomadum perfecta, sub Tiberio Cæsare, Coss. Rubellio Gemino, et Fusio Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ, die* VIII *Kal. April.*

Ante diem..... Cruci affixerunt. Sic quidem habent mss. optimi et vetustiores, 9 Reg., 8 Vatic., Bonon., Gat., Marm., Tax., Pen., Cauc., Nav., Vict., Jun., Ultr., Tornes., 2 Brun., Cantabrig., Em. a secunda et quidem eadem manu, 6 Colbert., 1 Sorbon., 2 Clarom., edd. Rom. 1468, 1470, Crat. in marg., Betul., Isæi. Nonnulli mss. et editi legunt *Ante diem septimum Kal. April*. Hunc Lactantii locum longa et pulcherrima disputatione enarravit Marcellus Francolinus in Tractat. de Temp. Horar. Canonicar. cap. 73 et 74, quem compendio referemus. Per illa, *Ante diem decimam Kalendarum*, Lactantius intelligit non diem undecimum Kalendarum, ut Paul. Middelburg. quinto Paulin. pag. 2, cap. 4, et Thomasius in Notis ad hunc auctorem putaverunt, sed diem ipsam *decimam ante Kalendas Aprilis*, in qua locutione computati intelliguntur utrique dies extremi, id est dies qui describitur, et ipse Kalendarum dies, ut recte cum Alciato ipse Marcell. notat d. cap. 73, num. 18, refutata objectione de § *Ante diem* in leg. *Anniculus amittitur*. D. de verb. signif. et eodem § egregie explicato. His igitur verbis Lactantius putavit, Christum Dominum passum fuisse die vigesima tertia mensis Martii. Idem sensit Theophilus Cæsariensis vicinus Apostolorum temporibus in Epist. Synodic. de Paschate, quæ impressa legitur inter Opera Bedæ tom. II, in fine. Idem quoque sensit Eusebius Cæsariensis in omnimod. Historia Canon. Chronicorum, cujus extat fragmentum apud Anastasium Antioch.

Digitized by Google

Hic rerum textus, hic ordo in arcanis sanctarum Litterarum continetur. Sed prius ostendam, qua de causa in terram venerit Christus, ut fundamentum divinæ Religionis et ratio clarescat.

CAPUT XI.

De causa Incarnationis Christi.

Cum sæpe Judæi præceptis salutaribus repugnarent, atque a divina lege desciscerent, aberrantes ad impios cultus deorum, tum Deus justos et electos viros Spiritu sancto implebat, prophetas in media plebe constituens, per quos peccata ingrati populi verbis minacibus increparet, et nihilominus hortaretur ad pœnitentiam sceleris agendam, quam nisi egissent, atque abjectis vanitatibus ad Deum suum rediissent, fore, ut testamentum suum mutaret, id est, hæreditatem vitæ immortalis ad exteras converteret nationes, aliumque sibi populum fideliorem ex alienigenis congregaret. Illi autem a prophetis increpati, non modo verba eorum respuerunt, sed quod sibi peccata exprobrarentur offensi, eos ipsos exquisitis cruciatibus necaverunt : quæ omnia divinæ litteræ signata conservant. Dicit enim propheta Jeremias : *Misi ad vos servos meos prophetas : ante lucem mittebam, et non audiebatis me, neque intendebatis auribus vestris, cum dicerem vobis : « Convertatur unusquisque a via sua mala, et a nequissimis affectionibus vestris, et habitabitis in terra ista, quam dedi vobis et patribus vestris a sæculo usque in sæculum. Nolite ambulare post deos alienos ut serviatis eis, et ne incitetis me in operibus manuum vestrarum, ad disperdendos vos. »* Esdras etiam propheta, qui fuit ejusdem Cyri temporibus, a quo Judæi sunt restituti, sic loquitur : *Desciverunt a te, et abjecerunt legem tuam post corpus suum, et prophetas tuos interfecerunt, qui obtestabantur eos ut revertorentur ad te.*

Item Helias in libro Βασιλεῶν tertio (*cap.* XIX) : *Æmulando æmulatus sum Domino Deo omnipotenti, quia dereliquerunt te filii Israel, et altaria tua demolierunt, et prophetas tuos interfecerunt gladio, et remansi ego solitarius, et quærunt animam meam auferre a me.* Propter has illorum impietates abdicavit eos in perpetuum : itaque desiit prophetas mittere ad eos. Sed illum filium suum primogenitum, illum opificem rerum, et consiliatorem suum delabi jussit e cœlo, ut religionem sanctam Dei transferret ad gentes, id est, ad eos, qui Deum ignorabant ; doceretque justitiam, quam perfidus populus abjecerat ; quod jampridem denuntiaverat se esse facturum, sicut Malachias propheta indicat, dicens : *Non est mihi voluntas circa vos, dicit Dominus, et sacrificium acceptum non habebo ex manibus vestris ; quoniam a solis ortu usque ad oc-*

VARIORUM NOTÆ.

lib. variar. quæst. Idem et S. Augustinus Serm. 22, de Temp., qui est de Nativit. Domini 18 ; Beda, de Ratione temp. cap. 65, in Chronico ; Ado Vienn. in Breviar. Chronicor. ætate prima in principio ; Anselmus II, de Imag. mundi, cap. 17 ; Nicetas ac Græci fere omnes, et alii. *Ex* Francolino *et* Isæo. — Vide nostram Dissert. ad lib. de Mortibus Persecutorum, atque Epistolam eruditissimi et clarissimi viri Stephani Baluzii ad Henricum de Noris ad lib. de Mortibus Persecutorum editam infra tomo II hujusce Lactantianæ editionis.

Rerum textus. Ut hic *textus et ordo ;* sic *textus et series* junguntur ab Arnobio, l. v. Ammian. Marcellin. l. XX, cap. 8 : *Gestorum hic textus est.* De voce conf. Borrich. Vindic. Lat. p. 229, sqq. Ed. Sublac. habet *exitus.* Bun.

Eos ipsos. Addidi *ipsos* ex mss. et cunctis pene editis.

Propheta Jeremias. Hoc testimonium maxima ex parte est Hierem. XLIV. Addita sunt quædam ex c. VII, XIII, XVI, et fortasse aliis, non observata personarum mutatione, quæ apud Græcos vel Hebræos est creberrima. Betuleius.

A nequissimis affectionibus vestris. Ita reposui ex omnibus pene mss. et plerisque editis. In 4 Reg. rec., 1 Colb., 1 Sorb. et 13 excusis ; etiam in Gallæana et Cellariana legitur *affectationibus.*

Esdras etiam propheta. Nehemiæ c. IX, hic locus invenitur, qui quidem liber apud Græcos est secundo Esdræ libro insertus ; et hic sermo Esdræ, non Nehemiæ attribuitur. Est autem locus, ut dixi, Nehemiæ c. IX. Utrum autem Esdras propheta sit disputat Augustinus, lib. XVIII de Civit. Dei, c. 36.

Post corpus suum. Sic restitui ex editis Is., Cellar., Walch., et omnibus mss. præter 2 Reg. rec. quibus, sicut et 12 impressis, est *post cor suum ;* in Bonon. antiq., *post dorsum.* At cum nostra textus lectione consentit Græcus Nehemiæ liber, quem Lactantius expressit, aut ejus versionem ὀπίσω σώματος αὐτῶν. *Ex* Cellario.

Æmulando æmulatus sum. Ita vet. edit. Rom. cum omnibus mss. præter 1 Reg. recentissimum et omnes fere edit. in quibus legitur : *Æmulans æmulatus sum.*

Abdicavit. Abdicant patres liberos degeneres, id est, excludunt, alienantque, ἀποκηρύττουσι. Nam ἀποκήρυξις abdicatio est, apud Justin. C. de patr. pot. Alciat., lib. II, c. 28. Betuleius.

Consiliatorem. Ed. Sublac. habet *consolatorem.*

Delabi jussit e cœlo. Ita meliores et antiquiores mss. et quamplurimi editi. In scriptis rec. et nonnullis editis est *labi. — Delabi... e cœlo.* Eleganter *labi* et *delabi*, pro *descendere*, uti variat in Epitom., c. 43. Tertull. Apol., c. 21 de Christo, *delapsus in virginem.* Bun.

Denuntiaverat se esse facturum. Sic lego cum antiquioribus et potioribus mss. et 6 editis. In 1 Bonon. antiq. et Lips. est, *denuntiaverat sese facturum ;* in 6 mss. et 4 excusis, *annuntiaverat ;* in Pen., *annuntiaverunt.*

Malachias propheta indicat. In 2 antiquissimis mss. Reg. aliisque 2 item Regiis legitur *Malachiel.* Abest *propheta* a 7 veteribus excusis. Pro *indicat*, scriptum est *annuntiat* in 1 Regio ; in Lips. *annuntiavit.* In Gothano est simpliciter *Malachias propheta dicit*, scil., c. 1.

Sacrificium acceptum non habebo. Sic restitui ex mss. 2 veterrimis Reg., 4 Colbert. et recte. Nec aliter legitur apud Cyprianum, lib. I Testimonior. adversus Judæos, c. 16. Apud Septuaginta, et in Vulgata, *non suscipiam ;* in 2 al. Colbert. et 2 Clarom. *Sacrificia non accipiam ;* quod in idem recidit. In recentioribus 2 Reg. et Brun. ac in excusis est, *acceptum non habeo.* Legitur *acceptum non habebo* apud Buneman., qui in hanc variantem notam sequentem exhibet. — Omnium optime Betuleius et solus edidit, *acceptum non habeo ;* ita enim codex Taurin. Epit., c. 48, clare, æque ac Cyprian., c. 16, quem maxime sequitur, præferunt. Et est in hebr. et gr. futurum. Isæus quoque vidit. Bun.

Digitized by Google

casum clarificabitur nomen meum apud gentes. Item David in psalmo XVII : *Constitues me in caput gentium : populus, quem non cognovi, serviet mihi.* Esaias quoque sic loquitur (*scil. ult. cap.*) : *Venio colligere omnes gentes, et linguas, et venient, et videbunt claritatem meam, et dimittam super eos signum, et mittam ex his conservatos in gentes quæ longe sunt, quæ non audierunt gloriam meam, et nuntiabunt claritatem meam in gentes.* Volens igitur Deus metatorem templi sui mittere in terram (*Ezech.* XLI, *Apoc.* XI), noluit eum in potestate et claritate cœlesti mittere, ut ingratus in Deum populus in errorem maximum induceretur, ac pœnas pro facinoribus suis lueret, qui dominum ac Deum suum non recepisset ; quod olim prophetæ cecinerant, sic esse facturum. Esaias enim, quem ipsi Judæi serra confectum crudelissime necaverunt, ita dicit (*cap.* 1) : *Audi cœlum, et percipe auribus terra, quoniam Dominus locutus est : Filios genui, et exaltavi ; ipsi autem spreverunt me. Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepium domini sui ; Israel autem me non cognovit, et populus meus me non intellexit.*

Hieremias quoque similiter ait (*cap.* 8) : *Cognovit tempus suum turtur et hirundo, et ruris passeres custodierunt tempora introitus sui : populus autem meus non cognovit judicium Domini. Quomodo dicitis, sapientes sumus, et lex Domini nobiscum est ? Incassum facta est metatura ; falsi scribæ, et confusi sunt ; sapientes trepidaverunt, et capti sunt, quoniam verbum Domini reprobaverunt.* Ergo (ut cœperam dicere) cum statuisset Deus doctorem virtutis mittere ad homines, renasci eum denuo in carne præcepit, et ipsi homini similem fieri, cui dux, et comes, et magister esset futurus. Sed tamen quoniam clemens est et pius erga suos Deus, ad eos ipsos eum misit, quos oderat, ne illis in perpetuum salutis viam clauderet ; sed daret his liberam facultatem sequendi Deum, ut et præmium vitæ adipiscerentur, si secuti fuissent, quod plurimi eorum faciunt, atque fecerunt, et culpa sua in pœnam mortis incurrerent, si regem suum repudiassent. Apud illos igitur, et ex eorum semine regenerari eum jussit, ne, si fuisset alienigena, justam possent excusationem de lege prætendere, quod eum non suscepissent ; simul, ut nulla omnino gens esset in terra, cui spes immortalitatis negaretur.

CAPUT XII.

De Jesu ortu ex Virgine, de ejus Vita, Morte, et Resurrectione ; atque de iis rebus testimonia Prophetarum.

Descendens itaque de cœlo sanctus ille Spiritus Dei sanctam Virginem, cujus utero se insinuaret, elegit. At illa divino Spiritu hausto repleta concepit, et sine ullo attactu viri repente virginalis uterus intumuit. Quod si animalia quædam vento et aura concipere solere omnibus notum est, cur quisquam mi

VARIORUM NOTÆ.

Clarificabitur. Græce *clarificatum est ;* et ita legitur apud Tertullianum, et apud Cyprianum adversus Judæos.

Quæ longe sunt. Tertull., v adv. Marc. : *Qui eratis longe, facti estis prope.* Cypr. I ad Quirin., c. 21 : *Extollet signum in gentes, quæ longe sunt ;* et paulo ante in hoc ipso loco, *quæ longe sunt ;* et c. 22. Bun.

Sic esse facturum. Mss. 9 rec. *sic esse futurum.*

Serra consectum, etc. Atque hoc est unum de exquisitis suppliciis, quæ supra Lactant. dixit, quibus prophetæ sunt excarnificati. Sic Jehu ab Ela occiditur (III Reg., XVI) ; Esaias serra lignea in duas partes scinditur sub Manasse, qui plurimos interfecit prophetas ; Hieremias in Ægypto a plebe lapidibus adobrutus interiit, vel (ut plurimi volunt) in lacum mersus ; Ezechiel a duce populi in Babylone fuit interfectus ; Naboth lapidibus obrutus interiit (III Reg., XXI) ; Amos ab Amasiæ sacerdotis filio clavo occisus ; Michæas a Joram filio regis Achab præcipitatus ; Zacharias inter aram et templum occisus a rege Joa (*Luc*, XI, 2 ; *Par.*, XXIV). De Esaiæ supplicio neque in sacris Bibliorum monumentis quidquam est, neque apud Josephum, qui lib. IV, c. 10, de Manassis tyrannide scripsit : in Bibliis vero de hoc legimus IV Reg., XXI, 2 ; Paral., XXXIII. Et licet hæc inter apocrypha Esaiæ sint, Origenes tamen fidem censet esse habendam Paulo, qui Heb. II ait : *Lapidati sunt, dissecti sunt ;* hoc posterius de Esaia intelligendum esse. Meminit hujus sectionis uterque Talmud, et inter scriptores ecclesiasticos Justinus Martyr Dial. cum Tryphone ; Origen. Homil. I de Psal. XXXVII, item Hom. I in Esaiam ; Tertul., in lib. de Patientia ; Chrysost., in c. Matth. XIX, Homil. 33. Meminit item Hieronym. in c. LVII Esaiæ, Ambros. de Jacob et Vita beata, lib. II, in Psal. CXVIII, serm. 3, item in c. XX Lucæ ; Hilarius item contra Constantium August. Nec obticet Epiphan. in ejus Vita. Interfectus autem est, si Eusebio credimus, Olymp. XVII, regnante apud Rom. Numa Pompilio. Betul.

Incassum facta est metatura, falsi scribæ, et confusi sunt. Sic habent antiquissimi et optimi quique mss. 6 Reg., 2 Bonon., 2 Clarom. aliique cum omnibus impressis, præter edit. Rom. 1470 et 12 mss. rec. quibus est, *metatura falsa : scribæ confusi sunt.* In 1 Colbert., *metatura falsa scribæ et confusi sunt ;* item in edit. Cellar., deleto *et.* In Regio-Put. est ut in textu, expuncta copula *et.* Apud LXX et apud Cyprianum, *metatura falsa scribis, et confusi sunt.* Apud Hieronymum, *Mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, perterriti et capti sunt.*

Clemens est et pius erga suos Deus. Pietas hic loci significat Dei misericordiam. Antoninus vocatus fuit *pius*, quod esset clementissimus. August. de Civit. Dei, lib. X, c. 1 : *More autem vulgi hoc nomen* (pietas) *etiam in operibus misericordiæ frequentatur : ex qua loquendi consuetudine factum est, ut et Deus ipse dicatur pius*, etc. Herald.

Quos oderat. Vide Epistol. Pauli ad Rom., c. V.

Repudiassent. Mss. 1 Bonon. antiq. et edd. quatuor rec. ac etiam Thomasiana addunt, *quod sciebat esse facturos.* Hæc ut glossema a cæteris absunt.

Descendens. Scilicet ubi venit plenitudo temporis. Ad Galat. cap. IV.

Quod si animalia quædam vento et aura concipere solere, etc. Mss. 2 Reg. et 6 editi rec. legunt *aura ;* cæteri, *et aura.* Est quoque conjunctio *et* apud Virgilium. Equas vento Favonio concipere scribit Virgilius lib. III Georgic., v. 272 :

Et sæpe sine ullis
Conjugiis, vento gravidæ, mirabile dictu.

Varro lib. de Re rustica II, cap. 1 : *In fœtura*, inquit, *res incredibilis est in Hispania, sed est vera : quod in Lusitania ad Oceanum, in ea regione ubi est oppidum Olysippo, monte Tagro, quædam e vento certo tempore concipiunt equæ ; ut hic gallinæ quoque solent, quarum ova hippenemia appellant*, etc. Meminit Plin. lib. IV,

Digitized by Google

putet, cum spiritu Dei, cui facile est quidquid velit, gravatam esse Virginem dicimus? Quod sane incredibile posset videri, nisi hoc futurum ante multa sæcula Prophetæ cecinissent. Salomon ita dicit: *Infirmatus est uterus virginis, et accepit fœtum, et gravata est, et facta est in multa miseratione mater Virgo.* Item propheta Esaias, cujus verba sunt hæc: *Propter hoc dabit Deus ipse vobis signum; Ecce Virgo accipiet in utero, et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Hemanuel.* Quid hoc manifestius dici potest? Legebant ista Judæi, qui eum negaverunt. Si quis nos hæc fingere arbitratur, ab his requirat, ab his potissimum sumat. Satis firmum testimonium est ad probandam veritatem, quod ab ipsis perhibetur inimicis. Hemanuel autem nunquam vocitatus est, sed Jesus, qui latine dicitur salutaris, sive salvator; quia cunctis gentibus salutifer venit. Sed propheta declaravit hoc nomine, quod Deus ad homines in carne venturus esset. Hemanuel enim significat, nobiscum Deus; scilicet quia illo per virginem nato, confiteri homines oportebat Deum secum esse, id est, in terra, et in carne mortali. Unde David in psalmo LXXXIV. Veritas, inquit, de terra orta est; quia Deus, in quo veritas est, terrenum corpus accepit, ut terrenis viam salutis aperiret. Item Esaias ipse: *Ipsi autem non crediderunt, et exacerbaverunt spiritum sanctum, et conversus est eis ad inimicitiam. Et ipse expugnavit, et recordatus est dierum sæculi, qui suscitavit de terra pastorem ovium.*

Quis autem futurus esset ille pastor, declaravit alio loco, dicens: *Exultent cœli desuper, et nubes induant justitiam: aperiatur terra, et pullulet Salvatorem. Ego enim Dominus Deus creavi eum.* Salvator vero est, ut supra diximus, Jesus. Sed et alio loco idem propheta sic prædicavit: *Ecce natus est nobis puer, et datus est nobis filius: cujus imperium super humeros ejus; et vocatum est nomen ejus, magni consilii nuntius.* Idcirco enim missus est a Deo Patre, ut universis gentibus, quæ sub cœlo sunt, singularis et veri Dei sanctum mysterium revelaret, ablatum perfido populo, qui adversus Deum sæpe deliquit. Daniel quoque similia prælocutus est. *Videbam*, inquit, *in visu noctis; et ecce in nubibus cœli ut filius hominis veniens, et usque ad vetustum dierum pervenit. Et qui assistebant, obtulerunt eum, et datum est ei regnum, et honor, et imperium, et omnes populi, tribus, linguæ servient ei; et potestas ejus æterna, quæ nunquam transibit, et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Quomodo igitur Judæi et confitentur, et sperant Christum Dei? qui hunc idcirco reprobaverunt, quia ex homine natus est. Nam cum ita sit a Deo constitutum, ut idem

VARIORUM NOTÆ.

cap. 22, lib. VIII, cap. 42, lib. XVI, cap. 24. Hæc comparatio est a minori ad majus: sed vereor ne tunc temporis auctoritatem magnam non habuerit.

Gravatam esse Virginem. Ita omnes editi et mss. præter 4 rec. in quibus est *gravidatam*. 1 Colbert a secunda manu *gravidam*. Et infra *gravata est* etiam in mss. codicibus.

Salomon ita dicit. Sic ferunt multi mss. Inter cæteros alii addunt *in Ode undevigesima;* alii *in Psalmo undevigesimo;* 2, *in Psalmo vigesimo:* quæ omnia mihi videntur esse glossemata. Alteri 2 Reg. rec. et editi octo, *Salamon sic ait.* Hæc Salomonis verba in ejus libris non leguntur.

Ecce Virgo accipiet in utero. Ita ms. antiquissimus Regio-Puteanus, 1 Colb. Em. et 1 Clarom. nec aliter legit S. Cyprianus lib. II Testimonior. adversus Judæos, cap. 8. In 2 Reg. et 12 editis est *in uterum;* in 19 scriptis recentissimis et 8 excusis est, *concipiet in utero.* Ed. Sublac. habet *concipiet.*

Vocabitis. Ita mss. 9 Regii, inter quos sunt duo antiquissimi, aliique cum 9 editis. Scripti 6 rec. cum totidem excusis habent *vocabitur;* alteri rec. *vocabis.* Hæc apud Isaiam cap. VII. Vide Irenæum lib. III, cap. 24, 16.

Qui eum negaverunt. Ita omnes editi cum mss. præter 2 Reg., Tornes., 2 Colbert., 1 Clarom., in quibus est, *necaverunt.* Vide eamdem locutionem infra cap. 18.

Hemanuel autem nunquam vocitatus est, etc. Verum est nunquam fuisse ita vocitatum nomine proprio: sed certum tamen est, illum fuisse verum Emmanuelem nostrum, non quoad appellationem nominis externam, sed vel ad efficientiam, vel ad applicationem rei, quæ per nomen illud designatur.

Qui suscitavit. Ms. 1 Bonon. antiq. *quia.*

Suscitavit de terra pastorem ovium. Pro *de terra*, legitur apud LXX, *eduxit de mari*, ἐκ τῆς θαλάσσης, *pastorem ovium.* Ita etiam Hebræus et S. Hieronymus in sua vers. In cæteris, ἐκ τῆς γῆς, et apud Hieronymum *de terra.* Hunc locum, quem ad calcem Epistolæ ad Hebræos Paulus respexisse videtur paulo aliter protulit: *Deus... qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium*, ὁ ἀναγάγων ἐκ νεκρῶν. Vide Isaiam capite LXIII atq. XLV.

Ego enim dominus Deus creavi, etc. Non est quod somnies tibi creatum quemdam Dei Filium: cujus erroris arcendi causa Nicæna synodus curavit, ut deinceps in symbolo diceretur, Γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα. De quo lege Basilii epistolam ad Antiochenses scriptam, et aliam Eusebii, quam Theodoretus ecclesiasticæ historiæ inseruit lib. I, cap. 12. Vide apud Epiphanium, hæreticæ pravitatis inquisitorem acerrimum, propheticarum vocum conciliatorem diligentissimum, libro III, quæ sit inter creari et gigni differentia. BETULEIUS.

Ecce, etc. Isai. IX. Sed hæc non sunt totidem verbis in Scriptura: unde conjicere licet, Lactantium memoriter allegasse Scripturas sacras.

Singularis. Vox theologica, inquit Betuleius; sed non magis quam *unus, unicus*, pro quo sæpe eleganter *singularis* ponit. Notavi ad lib. I, c. 4 fin. Æque ac hic lib. I, cap. 13: *Dei singularis ac veri* dixit. BUN.

Ablatum perfido populo. Goth.: *ablato perfido populo*, prave. Lib. IV, cap. 2: *Statuerat Deus... ducem mittere*, qui *eam* justitiam (hoc loco, *sanctum mysterium*) *perfido ingratoque populo ablatam cæteris nationibus revelaret.* BUN.

Daniel quoque similia prælocutus est. Cap. VII. Hebræi eum prophetis non accensent; causa est, quod vitam egerit non propheticam, sed Satrapicam, ut David regalem. Quare eos aiunt scripsisse quidem per Spiritum Sanctum, sed Prophetas non fuisse: attamen et Christus, et Josephus, et catholica Ecclesia Danielem vocant prophetam. *Ex* PERERIO.

Quod non corrumpetur. Amittit *quod* Buneman. « Antea, inquit, fuerat editum ab omnibus, *et regnum ejus*, quod *non corrumpetur.* Atque habent *quod* textus hebr., Tertullianus quoque lib. III, adversus Marcionem: *Et regnum ejus, quod non vitiabitur.* Nihilominus omisi fide codicis Gothani, qui pariter ac antiquissimus tauriniensis in Epit. c. 47 clare legunt: *et regnum ejus non corrumpetur.* BUN. »

Digitized by Google

Christus bis adveniat in terram, semel, ut unum Deum gentibus nuntiet, deinde rursus, ut regnet: quomodo in secundum ejus adventum credunt, qui in primum non crediderunt?

Atqui propheta utrosque adventus ejus paucis verbis comprehendit. Ecce, inquit, in nubibus cœli ut filius hominis veniens. Non dixit, ut filius Dei, sed filius hominis, ut ostenderet, quod carne indui haberet in terra, ut suscepta hominis figura, et conditione mortali, doceret homines justitiam; et cum mandatis Dei functus, veritatem gentibus revelasset, multaretur etiam morte, ut inferos quoque vinceret ac resignaret, atque ita demum resurgens, ad Patrem proficisceretur in nube sublatus. Adjecit enim propheta, et ait: Et usque ad antiquum dierum pervenit, et oblatus est ei. Antiquum dierum appellavit Deum summum, cujus ætas, et origo non potest comprehendi; quia solus a sæculis fuit, et erit semper in sæcula. Christum autem post passionem ac resurrectionem ascensurum esse ad Deum patrem, David in psalmo centesimo nono contestatus est his verbis: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis; quoadusque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum.* Qui propheta, cum rex esset, quem appellare dominum suum posset, qui sederet ad dexteram Dei, nisi Christum Filium Dei, qui est rex regum, et dominus dominorum? Quod Esaias apertius ostendit dicens: *Sic dicit Dominus Deus Christo domino meo, cujus tenui dexteram; obaudire ante eum gentes faciam, et fortitudinem regum disrumpam. Aperiam ante illum portas, et civitates non claudentur. Ego ante te ibo, et montes deplanabo, et fores æreas conteram, et seras ferreas confringam; et dabo tibi thesauros absconditos et invisibiles, ut scias quia ego sum Dominus Deus, qui voco nomen tuum, Deus Israel.* Denique ob virtutem ac fidem, quam Deo exhibuit in terra, datum est ei regnum, et honor, et imperium; et omnes populi, tribus, linguæ, servient ei; et potestas ejus æterna, quæ nunquam transibit, et regnum ejus non corrumpetur. Quod quidem duobus modis intelligitur: quia et nunc habet perpetuam potestatem, cum omnes gentes, et omnes linguæ nomen ejus venerantur, majestatem confitentur, doctrinam sequuntur, virtutem imitantur; habet imperium atque honorem, cum omnes tribus terræ præceptis ejus obtemperant: et idem postea cum rursus advenerit in potestate ac claritate, ut omnem animam judicet, et justos restituat ad vitam, tunc vere totius terræ regimen obtinebit; tunc sublato de rebus humanis omni malo, aureum sæculum (ut poetæ vocant), id est justum ac pacificum tempus orietur. Sed hæc uberius in ultimo libro disseremus, cum de secundo adventu loquemur: nunc de primo, ut cœpimus, explicemus.

CAPUT XIII.

De Jesu Deo et homine; atque de eo prophetarum testimonia.

Summus igitur Deus ac parens omnium, cum religionem suam transferre voluisset, doctorem justitiæ misit e cœlo, ut novis cultoribus novam legem in eo vel per eum daret: non sicut ante fecerat per hominem: sed tamen nasci eum voluit tamquam hominem, ut per omnia summo Patri similis existeret. Ipse enim pater Deus, et origo, et principium rerum, quoniam parentibus caret, ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ a Trismegisto verissime nominatur, quod ex nullo sit pro-

VARIORUM NOTÆ.

Ut Christus bis adveniat in terram, etc. Falsum hoc est. Ita sensere illi quos Millenarios vocant, quorum errorem postea refutabimus ubi quæstionem illam ex professo tractabit Lactantius. GALLÆUS.

Carne indui haberet in terra. Mss. Jun., 1 Colb., 1 Clarom. et edit. Ald., Graph., Crat., *carne indui deberet in terra.* Sed *haberet* vera lectio, quæ omnium aliorum codicum confirmatur auctoritate, et Lactantii infra cap. 30, paulo post initium, et lib. VII, cap. 6, ante finem.—*Indui haberet.* Lego, inquit Heumannus, *deberet*, ut in 1513 et 1515. Hic est stylus Lactantii et Scriptorum sacrorum. Lact. l. IV, c. 20: *Quod per Christum dari haberet.* Ibid. cap. 30: *Quod... hæreses haberent existere.* Tertullianus de Velanda Virgine c. 5: *De qua Christus nasci habebat*, c. 11: *Responderi ex adverso habebat.* Advers. Judæos: *Dari habebat circumcisio*; c. 8: *Exterminari haberet*; cap. 11: *Habebat expungi*; cap. 14: *Agnosci habet*; de Baptismo cap. 16: *Habet tingi.* De Carne Chr. cap. 7: *Nasci haberet*; Resurr. Carn. cap. 14: *Habent judicari.* BUNEMAN.

Usque ad antiquum. Sublac. et Ven: 1471: *Usque antiquum.* Ut notavi ad lib. I, c. 22, hic non probo; habent enim reliqui omnes: variat tamen hic in verbis. Vid. supra, *usque ad vetustum dierum.* Cyprianus, l. II Test. 26, *usque ad veterum dierum.* BUN.

Esaias. Capite scilicet XLV. At quamvis hæc prophetia Cyro nominatim conveniat, attamen aliquatenus eam Christo theologi adjudicant.

Ego ante te ibo. Sic reposui ex omnibus fere mss. ac vet. edit. Rom., Cellar., Walch. Deest *te* in 3 Reg., 2 Colbert. rec. et 12 vulgatis. Est in textu Hebr. et apud Septuaginta; et mss. Lipsiensibus, *Ego ante eum ibo.* Et mox post *invisibiles*, LXX addunt, *aperiam tibi.*

Habet imperium atque honorem. Ita mss. antiquissimi et 7 typis excusi. At scripti 17 rec. et vulgati 7 *habet imperium, habet honorem.* Hæc ultima lectio non caret elegantia, eaque Lactantiana.

Rursus advenerit. Rursus ad ingenium redit Lactantius; atque iterum somniat de regno mille annorum, quod in mente habebat.

Summo Patri similis. Mss. Lipsienses, 1 Colb., Em., Brun., *summo Deo Patri.* Hic autem similitudo intelligenda est non consistens accidentibus, quæ nulla in Deum cadunt, sed essentia. Videtur enim omnino τὸ ὁμοούσιον velle constituere, quod postea in Nicæna synodo fuit constitutum: nempe ut contra Arianos et alias hæreses confiterentur, Ἰησοῦν Χριστὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, καὶ φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, etc. Fuit autem Christus homini etiam ita similis, ut peccator videretur. Rom. VIII: *Deus Filium misit in similitudinem carnis peccati.* Hinc etiam capite sequenti ex Zachariæ visione sordidis vestimentis amictus apparet. BETULEIUS.

Ἀπάτωρ *atque* ἀμήτωρ. Hoc idem Cyrillus contra Julianum monet. Pauli epistola, quæ ad Hebræos scripta est, cap. VII, multum lucis hinc acquirit; neque hic locus sine illo recte intelligetur. Docet enim ibi Apostolus, regem Salem Melchisedech, qui idem altissimi Dei Pontifex fuit, in eo Christi typum gessisse, quod

Digitized by Google

creatus. Idcirco etiam filium bis nasci oportuit, ut et ipse fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In prima enim nativitate spiritali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio matris a solo Deo Patre generatus est. In secunda vero carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam sine patris officio virginali utero procreatus est, ut mediam inter Deum et hominem substantiam gerens, nostram hanc fragilem imbecillemque naturam quasi manu ad immortalitatem posset educere. Factus est et Dei filius per spiritum, et hominis per carnem; id est, et Deus et homo. Dei virtus in eo ex operibus, quæ fecit, apparuit; fragilitas hominis, ex passione quam pertulit: quam cur susceperit, paulo post docebo. Interim et Deum fuisse, et hominem ex utroque genere permistum, prophetis vaticinantibus discimus. Esaias Deum fuisse testatur his verbis: *Fatigata est Ægyptus, et negotiatio Æthiopum, et Sabaim: viri alti ad te transgredientur, et tui erunt servi; et post te ambulabunt vincti compedibus, et adorabunt te, et in te precabuntur, quoniam in te Deus est, et non alius Deus præter te. Tu enim Deus es, et nesciebamus, Deus Israel salvator. Confundentur, et reverebuntur omnes, qui adversantur tibi, et cadent in confusionem.* Item propheta Hieremias sic ait: *Hic Deus noster est, et non deputabitur alius absque illo, qui invenit omnem viam prudentiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto sibi.* Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.

Item David in psalmo XLIV: *Thronus tuus Deus in sæcula sæculorum: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odio habuisti injustitiam: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis.* Quo verbo etiam nomen ostendit: siquidem (ut supra docui) ab unctione appellatus est Christus. Deinde hominem fuisse eumdem, Hieremias docet, dicens: *Et homo est; et quis cognovit eum?* Item Esaias (*cap.* 19, *apud* LXX): *Et mittet eis Deus hominem qui salvabit eos, et judicans sanabit eos.* Sed et Moyses in numeris ita loquitur (*cap.* XXIV): *Orietur stella ex Jacob, et exurget homo ex Israel.* Propterea Milesius Apollo consultus, utrumne Deus, an homo fuerit, hoc modo respondit:

Θνητὸς ἴην κατὰ σάρκα, σοφὸς, τερατώδεσιν ἔργοις,
Ἀλλ' ὑπὸ χαλδαίων κριτῶν ὅπλοις συναλωθείς,
Γόμφοις καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν.

Primo versu verum quidem dixit: sed argute consultorem fefellit, sacramentum veritatis penitus nescientem. Videtur enim negasse illum Deum. Sed cum fatetur secundum carnem fuisse mortalem, quod etiam nos prædicamus, consequens est, ut secundum spiritum Deus fuerit, quod nos affirmamus. Quid enim fuerat necesse carnis facere mentionem, cum satis esset dicere fuisse mortalem? Sed veritate pressus, negare non potuit quemadmodum res se haberet; sicut illud, quod ait, fuisse sapientem.

Quid ad hoc, Apollo, respondes? Si sapiens est; ergo doctrina ejus sapientia est, nec ulla alia, et sa-

VARIORUM NOTÆ.

Gen. XIV legitur ignoti patris et ignotæ matris fuisse. BETULEIUS.— Vide etiam Cunæum de Republica Hebræorum libro III, cap. 4.

Ut et ipse. Addidi *et* ex omnibus prope mss.

Generatus est. Mss. Cauc., Jun., 2 Reg. et 11 vulgati, *progeneratus est.*

Virginali. Heum. legit *e Virginali.*

Interim, Reimm. al. *iterum*, quo varians lectio, *iterum*, indicatur. In Subl., Rost., Ven. 1471, 72, utraque 78: *Integrum et Deum fuisse testatur.* Apertum typothetis verba, *fuisse, et hominem ex utroque genere permistum, prophetis vaticinantibus discimus. Esaias Deum fuisse*, excidisse, quia verba illa, *Deum fuisse*, bis sequebatur. Paris. 1513: *Integrum et Deum fuisse*, etc. habet omnia. Edit. Sublac. habet *integrum et Deum fuisse testatur his verbis: fatigata*, etc. BUN.

Ex utroque genere permistum. Non confusione naturarum, sed ita ut constitueretur unicum ὑφιστάμενον, seu una persona, servatis proprietatibus cujusque naturæ. RIVET *in Notis suis mss.*— Id est ut esset unum suppositum. Alioqui notum est Arrii, Apollinaris, Nestorii et Eutychetis hæreses fuisse, quæ Christi personam et naturam impugnarunt, a quatuor prioribus conciliis œcumenicis damnatas.

Esaias. Cap. XLV; quod etiam et de Cyro prius ac de Christo postea intelligitur.

Et negotiatio Æthiopum. Sic restitui ex omnibus mss. ac vet. edit. Romanis, Egnat., Paris. 1625, Crat., Graph., Is., Cellar. Vera lectio juxta Hebr. LXX et Vulgatam ipsam, estque apud Hieronymum. In 8 excusis perperam est *natio.*

Et Sabaim. Reposui *Sabaim* ex omnibus mss. præter 2 rec. et edit. quibus est, *et Saba.*

Et in te precabuntur. Ita restitui ex antiquissimo Regio-Puteano, 2 aliis Reg. optimæ notæ, et Lips. ut est et Græcis.

Hieremias sic ait. Hic locus in Hieremia non legitur hodie, sed in Baruch cap. III qui tamen et ipse in Græcis Bibliis inscribitur Ἱερεμίας Βαρούχ, et ante Threnos inter Hieremiæ scripta refertur. Lege Augustinum lib. XVIII de Civit. Dei, cap. 33. BETULEIUS.

Et cum hominibus conversatus est. Hæc lectio est mss. codicum, præter tres recentiores quibus, ut editis, est, *et cum hominibus versatus est.*

Hieremias docet, etc. (Apud LXX. cap. 17, v. 9.) Citat hæc eadem Epiphanius lib. contra Ebionitas ex eodem Hieremia, Christum non hominem tantum, sed etiam Deum esse probans. *Ex* BETULEIO.

Hominem qui salvabit eos. Sic lego cum cunctis fere mss. Vulgati et 2 Reg. rec., *hominem, et salvabit eos.*

Exurget homo ex Israel. Sic legitur apud LXX. In Vulgata, *virga de Israel.* Sic apud Justinum ἡγούμενος *dux ex Israel*, sicut et apud Cyprianum lib. I adversus Judæos, § 10. Apud Symmachum, *sceptrum.*— *Ex Israel.* Addunt Lips. tert. Reimm.: *Et dominabitur gentium.* Lib. de ira Dei c. 14: *Ut rerum omnium dominaretur.* Add. Cypr., l. II adv. Jud. c. 10.

Milesius Apollo. Sic dictus a Mileto urbe quondam, ut Mela inquit, Ioniæ totius belli pacisque artibus principe. Dictum hoc oraculum, eodem Mela teste, olim Branchidæ, postea Didymis; de quo vide etiam Strabonem et Herodotum. BETULEIUS.

Θνητὸς, *etc.* Latine:

Mortalis erat corpore, sapiens portentificis (*a*) operibus,
Sed sub Chaldæis judicibus armis comprehensus,
Clavis et cruce amarum toleravit finem.

Ἀλλ' ὑπὸ χαλδαίων, etc. In mss. Cauc. sic legitur: Ἀλλ' ὑπὸ χαλδαίοισι δίκας πολίεσσιν ἄλωσας.

(*a*) *Portentificis.* Ita edit. Tornes., Soubron., Thom. Et sic ipsemet Lactantius infra circa medium ejusdem capitis et 15, necnon supra lib. II, cap. 13. Pro *Clavis et cruce*, Colb. habent *Transfixus.*

Digitized by Google

pientes, qui sequuntur, nec ulli alii. Cur igitur vulgo pro stultis, et vanis, et ineptis habemur, qui sectamur magistrum, etiam ipsorum deorum confessione sapientem? Nam quod ait, portentifica illum opera fecisse, quo maxime divinitatis fidem meruit, assentiri nobis jam videtur, cum dicit eadem, quibus nos gloriamur. Sed colligit se tamen, et ad dæmoniacas fraudes redit. Cum enim verum necessitate dixisset, jam deorum ac sui proditor videbatur; nisi quod ab eo veritas expresserat, mendacio fallente, celasset. Ait ergo, illum fecisse quidem opera miranda, verum non divina virtute, sed magica. Quid mirum, si hoc Apollo veritatem ignorantibus persuasit, cum Judæi quoque, cultores (ut videbantur) summi Dei, hoc idem putaverint; cum ante oculos eorum quotidie fierent illa miracula, quæ eis Prophetæ futura esse prædixerant, nec tamen tantarum virtutum contemplatione impelli potuerunt, ut Deum crederent, quem videbant. Propterea David, quem præter cæteros Prophetas vel maxime legunt, in psalmo XXVII, sic eos damnat: *Redde illis retributionem eorum, quoniam non intellexerunt in operibus Domini.* Ex hujus ipsius domo Christum generatum iri secundum carnem, et ipse David, et alii Prophetæ annuntiaverunt. Apud Esaiam (*cap.* XI) ita scriptum est: *Et erit in die illa radix Jesse, et qui exurget principari in nationes: in eum gentes sperabunt, et erit requies ejus in honore.* Et alio loco: *Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum* A *Spiritus Dei, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis; et implebit eum spiritus timoris Domini.* Jesse autem fuit pater David, ex cujus radice ascensurum esse florem prælocutus est; eum scilicet, de quo Sibylla dicit ἀνθήσει δ' ἄνθος καθαρόν.

Item in βασιλειῶν libro secundo, propheta Nathan missus est ad David volentem Deo templum fabricare; et fuit verbum Domini ad Nathan dicens (*Vid.* II *Reg., cap.* 7). *Vade, et dic servo meo David: Hæc dicit Dominus omnipotens; Non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum: sed cum impleti fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, et parabo regnum ejus. Hic ædificabit mihi domum in nomine meo: et erigam thronum ejus usque* B *in sæculum; et ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium, et fidem consequetur domus ejus, et regnum ejus usque in sæculum.* Sed hæc ut Judæi non intelligerent, illa fuit causa, quod Solomon filius David Deo templum ædificavit, et civitatem, quam de suo nomine Hierosolyma nuncupavit. Itaque ad ipsum, quæ a Propheta dicta sunt, retulerunt. Solomon autem ab ipso patre suo imperii regimen accepit. Prophetæ vero de eo loquebantur, qui tum nasceretur, postquam David cum patribus suis requievisset. Præterea Solomonis imperium perpetuum non fuit; annis enim XL regnavit. Deinde quod nunquam filius Dei dictus est, sed filius David; et domus quam ædificavit non C est fidem consecuta, sicut Ecclesia, quæ est verum

VARIORUM NOTÆ.

Sed colligit se, etc. Quia furore confusus diversa dixerat. Ejusmodi multa oracula colligunt Eusebius de Præparat. Evangel. Augustinus de Civitat. lib. XIX, cap. 23. Certum est, totam oraculorum vanitatem nato Christo cecidisse. BETUL.

Veritas expresserat. Verbum istud restitui ex omnibus mss. et editis 3 vet. Rom. ac Betul. et Cellar. In cæteris excusis est *extorserat.*

Judæi. Dicebant enim, Jesum virtute dæmonis dæmonem ejicere; vide Matth. cap. XII, Marc. cap. III, et Luc., c. XI. Ita et Judæi posteriores, ut videre est in vita Jeschuæ Nazareni ab Huldrico in-8°. *Ludg. Bat.* 1705.

Hoc idem. Hoc additum ex cunctis mss. et edit. Tornes. ac Soubron. Cæteris vulgatis deest. In sex scriptis rec. et ed. Tornes. est *putaverunt.*

Quæ eis Prophetæ futura esse prædixerant. Sic ms. 1 Bon. omnium antiquissimus, edd. Thom., Is., Thys., Gall. Hæc verba, quæ cæteris desunt, valde Thomasio et Isæo probantur: nam hoc modo Judæorum malitia clarius demonstratur; et explicantur talia fuisse illa miracula, quibus ipsos fidem habere oportuit.—*Illa miracula, quæ eis prophetæ futura prædixerant.* Quum Thomasius ex antiquo Bonon. verba, *quæ eis prophetæ futura prædixerant* addiderit, et ex eodem Isæus confirmarit, jure ea restituenda puto. Maxime me movet nostri loci Epitome c. 45, ubi clare, *videntes illa* Judæi, *magica potentia fieri* putabant, *ignorantes* ea *omnia*, quæ *fiebant ab eo* (miracula) prædicta *esse* a prophetis. Et iterum cap. 46. *Hæc omnia prophetæ... futura... prædixerant.*

Præter cæteros. Ex edit. Cellar. et omnibus mss, præter. 2 Reg. recentissimos, qui ut alii editi habent *inter.*

Non intellexerunt in operibus Domini. Hæc lectio est omnium pene mss. ac vet. edit. Rom., LXX Interpretum, etiamque Cypriani lib. I. Testimonior. adversus Judæos cap. 3. Editis est, *opera.*

Exiet virga de radice Jesse. Ms. 1 Merton. solus, *Exurget*; sed perperam. Legitur enim supra hujusce capitis initio *exiet*, ut *prodient* in fine cap. 16, lib. VII Institut. Et apud Matthæum in Vulgata, *ex te exiet dux*, etiamque apud Tertullianum adversus Judæos cap. 13 ex *Michæa.*

Ἀνθήσει, etc. Latine:

> Florescet autem flos purus.

Sibylla Sermon. 6.

Libro secundo. Scilicet capite 7, ubi quædam litterali sensu ad Salomonem, at secundario ad Christum referuntur.

Fabricare. Mss. rec. 4 Reg., 2 Colbert., Betul., Bodl., Cott., 2 Clarom., *ædificare.* D

Parabo regnum ejus. Ita cum Versione LXX Interpret., Vulgata, Cyprian. adv. Judæos lib. I, cap. 15, lib. II, cap. 11, edit. Betul., Tornes., Soubron, Cellar., Walch. et omnes mss. præter tres recentiores in quibus, sicut in editis 14 est, *parabo semen ejus.*

Et regnum ejus. Hæc verba desunt in 3 Reg., 4 Colbert., Em., Cant., 3 vet. edit. Rom., Venet. 1490, erasa in Victorino: extant vero in cæteris.

Deo templum ædificavit, et civitatem... nuncupavit. Fallitur auctor noster; neque enim Salomon urbem hanc condidit, nec de suo nomine nuncupavit. Conditor ejus fuit Melchisedech, Ps. LXXVI, 3, ut colligitur ex Gen. XIV, 18, ubi vocatur rex Salem, hoc est, conditor Salem; conditores enim urbium olim reges urbium dicti. Quidam putant Jerusalem vel Hierosolymam nomen esse Græcum, cum plane sit Hebræum. Euseb. putat esse vocem compositam ex verbo Græco ἱερὸν et Heb. Σολυμῶν. Quo etiam propendere videtur Lactantius, qui simul ac locutus

Digitized by Google

templum Dei, quod non in parietibus est, sed in corde ac fide hominum, qui credunt in eum, ac vocantur fideles. Illud vero Solomonium templum, quia manu factum est, manu cecidit. Denique pater ejus in psalmo CXXVI, de operibus filii sui prophetavit hoc modo : *Si Dominus non ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui illam ædificaverunt : si Dominus non custodierit civitatem, in vanum vigilavit, qui eam custodivit.*

CAPUT XIV.

De Jesu sacerdotio a Prophetis prædicto.

Quibus ex rebus apparet, prophetas omnes denuntiasse de Christo, fore aliquando, ut ex genere David corporaliter natus constitueret æternum templum Deo, quod appellatur Ecclesia, et universas gentes ad religionem Dei veram convocaret. Hæc est domus fidelis, hoc immortale templum, in quo si quis non sacrificaverit, immortalitatis præmium non habebit. Cujus templi, et magni, et æterni quoniam Christus fabricator fuit, idem necesse est habeat in eo sacerdotium sempiternum. Nec potest nisi per eum, qui constituit templum, et ad aditum templi, et ad conspectum Dei perveniri. David, in psalmo CIX, id ipsum docet, dicens : *Ante luciferum genui te. Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Item in Βασιλειῶν libro primo (*cap.* II) : *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui omnia, quæ sunt in corde meo, faciat ; et ædificabo ei domum fidelem, et transibit in conspectu meo omnibus diebus.* Quis autem futurus esset, cui Deus æternum sacerdotium pollicebatur, Zacharias etiam nomine posito apertissime docuit ; sic enim dixit : *Et ostendit mihi Dominus Deus Jesum sacerdotem magnum stantem ante faciem angeli Domini, et diabolus stabat ad dextram ipsius, ut contradiceret ei. Et dixit Dominus ad diabolum : Imperet Dominus in te, qui elegit Hierusalem ; et ecce titio ejectus ab igne : et Jesus erat indutus vestimentis sordidis, et stabat ante faciem angeli, et respondit, et dixit ad circumstantes ante faciem ipsius, dicens : Auferte vestimenta sordida ab eo, et induite eum tunica talari, et imponite cidarim mundam super caput ipsius ; et cooperuerunt eum vestimento, et imposuerunt cidarim mundam super caput ejus ; et angelus Domini stabat, et testificabatur, ad Jesum dicens : Hæc dicit Dominus omnipotens : si in viis meis ambulaveris, et præcepta meu servaveris, tu judicabis domum meam, et dabo tibi, qui conversentur in medio horum circumstantium. Audi itaque, Jesu sacerdos magne.*

Quis non igitur captos mentibus tum fuisse Judæos

VARIORUM NOTÆ.

fuit de templi ædificatione, statim subjungit *et civitatem*, etc. Alii componunt ex Jebus et Salem ; cum enim prius diceretur *Salem*, deinde *Jebus*, atque hinc natum nomen Jerusalem. At Salomon non potest dici fundator et conditor, eo quod multis sæculis ante illum fuerit extructa, ut constat ex libris Josue et Judicum ; nisi velimus interpretari Lactant. hoc pacto, quod nempe Jerusalem exornaverit atque multum ampliaverit Salomon : tum hic sensus posset tolerari. Profani Scriptores dixerunt plerumque *Jerosolyma* numero plurali, quamvis numerus singularis reperiatur. *Partim ex* Gallæo. — De templi ædificatione vide III Regum, cap. VI et IX, et II Paralip. cap. III, VII et VIII. Vide, si lubet, Josephum lib. VII Antiq. cap. 3, item lib. VII de Bello Judaico cap. 18 et Hieronymum de locis Hebraicis.

Sed in corde. De hoc secundo templo vide Epist. II, Petri, cap. II, v. 5.

In vanum laboraverunt, qui illam ædificaverunt. mss. 10 rec. et 5 edit. *sine causa laborant ii, qui ædificant eam.*

In vanum vigilavit, qui eam custodivit. LXX, et Vulgata, *qui custodit eam ;* 1 Reg. *in vacuum vigilavit, qui eam custodivit ;* Regio-Put. 2, al. Reg., 1 Sorbon., 1 Colbert., 2 Clarom., *in vanum laboravit, qui eam custodivit ;* 3 rec. et edit. Betul. *sine causa vigilavit, qui eam custodiebat ;* 2 rec. *vigilabat*, etc. 4 rec. et sex vulgati veteres, *sine causa vigilant, qui custodiunt eam ;* Brun. *custodiebant ;* 1 Colb. *frustra vigilant, qui custodiant eam.*

Et ad aditum templi. Hæc vera desunt in Regio-Put. Sed illa esse Lactantii multi et optimi tum mss. tum editi codices manifeste evincunt. In 3 Reg. et ed. Thys. est *ad templum ;* in 2 Lips. *ad ipsum templum ;* in 1 Colb. *ad dictum templum.*

Secundum ordinem Melchisedech. Hæc tria postrema verba absunt a mss. 2 Reg. antiquissimis et 3 aliis, 3 Reg. et Brun. quæ tamen a propheta Regio revera de Christo dicta fuisse Paulus diserte asseruit in sua ad Hebræos Epistola cap. V, v. 6. et cap. VII, v. 17. De hoc Sacerdotio vide caput V Epistolæ ad Hebræos.

Faciat. Mss. novem, *faciet.*

Domum fidelem. Id est, firmam et stabilem.

Zacharias. Cap. III. Constat vel ex ipso Prophetæ vaticinio, verbum Domini factum esse ad Zachariam mense octavo anni secundi Darii, qui annus septuagesimus captivitatis fuit : quibus (ut Eusebius indicat) temporibus Romæ reges urbe pulsi fuerunt ; quo Zorobabel et Jesus reduces templum ædificare cœperunt. Hic est ille Jesus sacerdos, filius Jozedec : de quo quidquid hic Prophetæ per visionem ostenditur, recte Christo hierarchæ Hierosolymitano æterno convenit. Betuleius.

Sic enim dixit. Hæc verba absunt ab uno Bonon. antiq. et 3 editis rec. Sunt in cæteris cum mss. tum excusis.

Deus Jesum Sacerdotem magnum. Ita cuncti mss. et omnes editi, præter rec. Sic LXX et Cyprianus. Vide Justinum martyrem in Dialogo cum Tryphone pag. 342, et Tertullianum libro adv. Judæos, cap. 14, et lib. III adv. Marcionem cap. 7. Editi tres, *Jesu*, mendose.

Ad dextram, etc. Stare a dextris est potenter accusare, auctoritate Psal. CVIII. *Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris.* Hinc διάβολος, id est, calumniator dictus est, quia sustinet personam calumniatoris, ut alibi Lactantius docuit. Betul.

Contradiceret. Ita restitutum ex antiquissimis et plurimis mss. Bonon. Reg. aliisque. In 7 recentioribus et editis est, *adversaretur.* Ed. Sublac. habet *adversaretur.*

Imperet Dominus in te. Sic legunt quamplurimi mss. et editi. In 4 rec. est *vitæ ;* in aliis 4 rec. et 5 excusis, *Imperet tibi Dominus vitæ ;* in 4 aliis scriptis et in edit. Ald., Fasitel. et Is., *Imperet tibi Dominus in te.* Apud LXX et in Vulgata est, *Increpet Dominus in te.* Vexationis exemplum est, quæ iram justam excitat.

Imponite cidarim. Ita reposui ex 2 vet. edit. Rom. et cunctis mss. præter 2 Reg. rec. quibus est *cydarin.* In 12 excusis est *ponite cydarim.* Cydaris vero regium est capitis ornamentum apud Persas.

Digitized by Google

arbitretur, qui cum hæc legerent, et audirent, nefandas manus Deo suo intulerunt? Atqui ab eo tempore, quo Zacharias fuit, usque ad annum quintum decimum imperii Tiberii Cæsaris, quo Christus crucifixus est, prope quingenti anni numerantur; siquidem Darii et Alexandri adolevit ætate, qui fuerunt non multo priusquam Tarquinius Superbus exactus est. Sed illi rursus eodem modo falsi deceptique sunt, putantes hæc de Jesu esse dicta filio Nave, qui successor fuit Moysi, aut de sacerdote Jesu filio Josedech : in quos nihil congruit eorum, quæ Propheta narravit. Non enim sordidati illi umquam fuerunt, cum alter eorum princeps potentissimus fuerit, alter sacerdos : aut perpessi sunt aliquid adversi, ut tamquam titio ejectus ex igne putarentur. Aut aliquando in conspectu Dei et Angelorum steterunt, aut Propheta de præteritis loquebatur potius, quam de futuris. Locutus est igitur de Jesu Filio Dei, ut ostenderet eum primo in humilitate et carne esse venturum. Hæc enim est vestis sordida, ut pararet templum Deo, et sicut titio igni amburetur; id est, ab hominibus cruciamenta perferret, et ad ultimum extingueretur. Titionem enim vulgus appellat extractum foco torrem semiustum, extinctum.

Quomodo autem, et cum quibus mandatis a Deo miteretur in terram, declaravit Spiritus Dei per Prophetam, docens futurum, ut cum voluntatem summi Patris fideliter et constanter implesset, acciperet judicium, atque imperium sempiternum. Si in viis meis, inquit, ambulaveris, et præcepta mea servaveris, tu judicabis domum meam. Quæ fuerint viæ Dei, et quæ præcepta ejus, nec ambiguum, nec obscurum est. Deus enim cum videret malitiam et falsorum deorum cultus per orbem terræ ita invaluisse, ut jam nomen ejus ex hominum memoria fuisset pene sublatum (siquidem Judæi quoque, quibus solis arcanum Dei creditum fuerat, relicto Deo vivo, ad colenda figmenta irretiti dæmonum fraudibus aberrassent, nec increpiti per prophetas, reverti ad Deum vellent), Filium suum legavit ad homines, ut eos converteret ab impiis et vanis cultibus, ad cognoscendum et colendum Deum verum : item ut eorum mentes a stultitia ad sapientiam, ab iniquitate ad justitiæ opera traduceret. Hæ sunt viæ Dei, in quibus ambulare eum præcepit. Hæc præcepta quæ servanda mandavit. Ille vero exhibuit Deo fidem. Docuit enim quod Deus unus sit, eumque solum coli oportere; nec umquam se ipse Deum dixit, quia non servasset fidem, si missus ut deos tolleret, et unum assereret, induceret alium, præter unum. Hoc erat, non de uno Deo facere præconium, nec ejus qui miserat, sed suum proprium negotium gerere, ac se ab eo quem illustraturus venerat, separare. Propterea quia tam fidelis extitit, quia sibi nihil prorsus assumpsit, ut mandata mittentis impleret, et sacerdotis perpetui dignitatem, et regis summi honorem, et judicis potestatem, et Dei nomen accepit.

CAPUT XV.

De Jesu vita et miraculis; atque de iis testimonia.

Quoniam de secunda nativitate diximus, qua se hominibus in carne monstravit, veniamus ad opera illa miranda, quæ cum essent cœlestis indicia virtutis,

VARIORUM NOTÆ.

Nefandas manus. Mss. Cauc. et 8 rec. cum edit. Tornes. et Soubr. *nefarias.*

Crucifixus est. Francius emendabat *cruci affixus est.* Sic Latini et ipsemet Lactantius ter infra eodem libro, cap. 18.

Prope quingenti anni numerantur. Ita mss. omnes et sex editi. In 9 vulgatis dest *prope.* Quæ vox admodum apta retinenda est. Siquidem præcise quingenti non numerantur anni. Eusebius in Chronico sub Olympiade CCII computat annos quingentos quinquaginta octo. Vide chronologos.

Darii et Alexandri. Darii quarti Persarum regis. Hic autem Alexander non est ille magnus vocatus, Philippi filius, Macedonum rex XXIII, qui ab Eusebio ponitur sub Olympiade CXIV, sed Alexander X, Macedonum rex, qui ab eodem Euseb. sub Olympiad. LXIX, censetur. ISÆUS.

Non multo priusquam, etc. Sic lego ex mss. 1 Colbert. et Cotton. cum Betuleio et Sparkio. In 17 aliis et in editis est *postquam.* Immo antequam Tarquinius Superbus exactus est, plus minus septem annis. Ponunt profligationem regum anno ultimo Olympiad. LXVII. Templum autem, Zacharia etiamnum prophetante, absolutum est Olympiade LXVI, ex Eusebio. BETULEIUS. Nisi Lactantius lapsus fuerit, vel Amanuensis, scribendo *postquam*, pro *priusquam.*

Amburetur. Ita restitui ex mss. 9 Regiis, 2 Colbert., Goth., 1 Sorbon., 1 Brun., Lips. aliisque, et editis 3 vet. Rom. ac Betul., Tornes., Soubron., Cellar. In 6 scriptis rec. et 9 impressis est *comburetur.* Verbum *amburo* Lactantio familiare lib. VII, cap. 17 et 21.

Cruciamenta. Vox non adeo frequens, secundum Walchium, nostro eo frequentior, e. g. l. IV, c. 30; l. V, c. 2, c. 22, De Mort. persec., c. 49. Arnobius, l. I, p. 26; immo et Cicero Philip. IX, c. 4. BUN.

Titionem enim vulgus appellat, etc. Et ita Apuleius Metamorphos. lib. VII : *Procurrit ad focum, ardentemque titionem gerens;* et Quintilianus lib. X Declamat. : *Velut mentitam atque cuncta fingentem, titione candenti inter media femina detruso, crudelissime necavit.*

Filium suum legavit ad homines. Haud secus habent antiquissimi mss. 1 Bon. et Regio-Put. necnon editi Thomas., Is., Thys., Gall., Spark. Mss. vero 31 et 10, impressi post *Filium suum*, addunt *principem Angelorum :* quæ duæ voces Thomasio videntur additæ a quodam Ariano. Nisi ea dictione Christus significetur primus legatorum seu nuntiorum, ut infra vocatur a Lactantio, cap. 25 et 29, et lib. de Ira Dei, cap. 2, vel *caput Angelorum*, juxta illud Apostoli ad Coloss. II : *Qui est caput omnis principatus et potestatis.*

Nec umquam se ipse Deum dixit. Frustra Lactantium falsi insimulat Gallæus, eo quod X Joannis legitur, *Ego et Pater unum sumus.* Ea quippe est Lactantii mens, nusquam illud a Christo dictum fuisse, se divinitatem habuisse a Patris natura distinctam : quod sequentia satis probant; fuisset enim *hoc non ejus qui miserat, sed suum proprium negotium gerere, ac se ab eo, quem illustraturus venerat, separare.* SPARK.

Quem illustraturus venerat. Sic restitui ex mss. 7 Reg., 2 Bonon., 5 Oxon., 4 Colbert. et 13 aliis atque 8 impressis. Sex manu exarati et 12 typis excusi habent *illustratum :* utraque lectio bona. Mss. Cauc., 1 Reg., 1 Lips., Pal., *ad quem illustrandum venerat.*

Quia sibi. Heum. legit, *et quia sibi.*

Digitized by Google

magum Judæi putaverunt. Cum primum cœpit adolescere, tinctus est a Joanne propheta in Jordane flumine, ut lavacro spiritali peccata non sua, quæ utique non habebat, sed carnis, quam gerebat, aboleret; ut quemadmodum Judæos suscepta circumcisione, sic etiam gentes baptismo, id est purifici roris perfusione salvaret. Tunc vox audita de cœlo est : *Filius meus es tu; ego hodie genui te* (*Ps.* II). Quæ vox apud David prædicta invenitur. Et descendit super eum Spiritus Dei formatus in speciem columbæ candidæ. Exinde maximas virtutes cœpit operari, non præstigiis magicis, quæ nihil veri ac solidi ostentant, sed vi ac potestate cœlesti quæ jampridem prophetis nuntiantibus canebantur. Quæ opera tam multa sunt, ut unus liber ad complectenda omnia satis non sit. Enumerabo igitur illa breviter, et generatim, sine ulla personarum ac locorum designatione, ut ad exponendam passionis ejus crucisque rationem possim pervenire, quo jamdudum festinat oratio. Virtutes ejus fuerunt, quas Apollo portentificas appellavit : quod quacumque iter faciebat, ægros et debiles, et omni morborum genere laborantes, uno verbo unoque momento reddebat incolumes, adeo ut membris omnibus capti, receptis repente viribus roborati, ipsi lectulos suos reportarent, in quibus fuerant paulo ante delati. Claudis vero ac pedum vitio afflictis, non modo gradiendi, sed etiam currendi dabat facultatem. Tunc quorum cæca lumina in altissimis tenebris erant, eorum oculos in pristinum restituebat aspectum. Mutorum quoque linguas in eloquium sermonemque solvebat. Item surdorum patefactis auribus insinuabat auditum : pollutos, ac aspersos maculis, repurgabat. Et hæc omnia non manibus, aut aliqua medela, sed verbo ac jussione faciebat, sicut etiam Sibylla (*Serm.* 8, *post med.*) prædixerat :

Πάντα λόγῳ πράττων, πᾶσάν τε νόσον θεραπεύων.

Nec utique mirum, quod verbo faciebat mirabilia, cum ipse esset Dei Verbum, cœlesti virtute ac potestate subnixum... Nec satis fuit quod vires imbecilli redderet, debilibus integritatem, quod ægris et languentibus sanitatem, nisi etiam mortuos suscitaret (*Matth.* XII, *Marc.* III, *Luc.* VII et XI, *Joan.* II), velut e somno solutos, ad vitamque revocaret.

Quæ videntes tunc Judæi, dæmoniaca fieri potentia arguebant, cum omnia sic futura, ut facta sunt, arcanæ illorum litteræ continerent. Legebant quippe cum aliorum prophetarum, tum Esaiæ verba dicentis (*cap.* XXV) : *Confortamini manus resolutæ, et genua debilia consolidamini. Qui estis pusilli animi, nolite timere, nolite metuere. Dominus noster judicium retribuet; ipse veniet, et salvos faciet nos. Tunc aperientur oculi cæcorum; et aures surdorum audient. Tunc saliet claudus sicut cervus, et plana erit lingua mutorum, quia rupta est in deserto aqua, et rivus in terra sitienti.* Sed et Sibylla eadem cecinit his versibus :

. . . . . Νεκρῶν δὲ ἀνάστασις ἔσται,

VARIORUM NOTÆ.

Cum primum cœpit adolescere. Latius hanc vocem extendit Lactantius; erat enim ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα (*Luc. cap.* III, *v.* 23). Eodemque sensu Lucretius accepit lib. III, v. 450; et Virgil. lib. XII Æneid, v. 438. pro *crescentibus annis maturioribus.*

Tinctus est. Id significat vox βαπτίζεσθαι; sed Baptisare, nunc vox est sacrata apud Christianos. De hoc Jesu Christi baptismo vide Lucam, cap. III, Math. III, Joann. I, et Marc. I.

Aboleret. Ms. Bodl., *ablueret. Carnis* equidem non suæ, sed humanæ conditionis — *Lavacro... aboleret.* Merton. *lavacro... ablueret.* Apte quidem : salva tamen recepta l. III, c. 26 : *Uno lavacro malitia omnis abolebitur.* L. VI, c. 24 : *Labem vitæ prioris abolevit.* BUN.

Purifici roris perfusione. Ita omnes mss. At edit. Ald., Plantin., Fasitel., Tys., *purificati.* Hinc potest concludi in primitiva Ecclesia obtinuisse, ut non solum aquæ immergerentur baptizandi, sed etiam aqua perfunderentur, ut obtinet in his oris. GALLÆUS.

Spiritus Dei formatus in speciem columbæ candidæ. Nescio unde hauserit Lactantius columbam quæ descendit super Jesum in baptismo, fuisse candidi coloris, nisi ex veteri quadam christianorum traditione; nullibi enim indicatur in Evangelio cujus coloris fuerit. — *Columbæ candidæ.* Majus filius in Obs. Sacr. ad Luc. III, 22, auctor est, Spiritum S. non formatum in speciem, sed sicut columbam leni lapsu descendisse. BUN.

Non præstigiis magicis, quæ nihil veri ac solidi ostentant. Gentiles calumniabantur Christum fuisse magum. Augustin. in Matthæum Serm. XI ; *Pagani dicunt Dominum Christum magicis artibus fecisse miracula.* Hos refutant August. de Consens. Evangelist. et Euseb. Demonst. lib. III, cap. 3 et 8. Recte autem dixit Lactant. nihil veri ac solidi præstigias magicas ostentare. Hinc elegantер Minucius : *Magi quidquid miraculi ludunt, per dæmones faciunt, illis aspirantibus et infundentibus præstigias edunt, vel quæ non sunt videri, vel quæ sunt non videri.* ELMENH.

Quæ jampridem, etc. Ms. 1 Colb. et edit. Crat., *quæ et jampridem;* Scripti 3 Reg., 3 Colbert. et 4 alii ac quatuor excusi, *quæ etiam pridem.*

Portentificas. De quibus vide sup. cap. 13. Matth. IV, IX, XIXV; Marc. I, II, X : Luc. V, VII, XI.

Quacumque iter faciebat. Lips. alter, *quocumque :* male. Imitatur Ciceronem l. I, in Verr. c. 16 : *Quacumque iter fecit*; l. II. de Nat. deor. c. 33 : *Quacumque imus, quacumque movemur.* Add. not. ad Lactant. l. VI, c. 18. Iterum, l. V, c. 17 : *Quacumque iter fecerit.* BUN.

Ægros ac debiles. Ægri, morbo sunt affecti; *debiles*, membrorum parte mutilati. Sic mox Lactantius noster *debilibus integritatem reddere.*

Membris omnibus capti. Arnob., c. 1 : Captos membris *adsurgere, etiam suos referebant lectos, alienis paulo ante cervicibus lati.* BUN.

Aspersos maculis. Mss. 5 rec., *asperos;* 1 Reg. antiquissimus et Jun., *aspersis maculis;* ms. Cantabrig. et 7 edit. rec., *ac sparsos maculis.*

Aut medela. Præter cæcum, quem luto curavit Joann. IX.

Πάντα λόγῳ. Interpret. Lat. :

Omnia verbo agens, et omnem morbum curans.

Et genua debilia consolidamini. Sic lego cum 1 Reg. antiquissimo. Et sensus postulat. 1 Colbert. habet, *et genua debilia confortamini. Consolamini qui estis.* Hebr. Chald. et Vulgata habent *roborate;* Syriac., *Confirmamini;* LXX et omnes fere mss., *Consolamini*, ita ut ad sequentia referatur, minus apte. Vide præced. et seq.

Νεκρῶν δέ. Sibyllar. carmina serm. 8 Latine :

Mortuorum autem resurrectio erit,
Et claudorum cursus erit velox, et surdus audiet;

Digitized by Google

Καὶ χωλῶν δρόμος ἔστ' ὠκὺς, καὶ κωφὸς ἀκούσει;
Καὶ τυφλοὶ βλέψουσι, λαλήσουσ' οὐ λαλέοντες.

Ob has ejus virtutes, et opera divina, cum magna illum multitudo sequeretur vel debilium, vel ægrorum, vel eorum qui curandos suos offerre cupiebant, ascendit in montem quemdam desertum, ut ibi adoraret. Ubi cum triduo moratus esset, ac fame populus laboraret, vocavit discipulos, quærens quantos secum cibos gestarent. At illi quinque panes et duos pisces in pera se habere dixerunt. Afferri ea jussit, ac multitudinem per quinquagenos distributam discumbere. Quod cum discipuli facerent, frangebat ipse panem minutatim, carnemque piscium comminuebat, et utraque in manibus ejus augebantur. Et cum apponere illa populo discipulis imperasset, saturata sunt quinque hominum millia, et insuper duodecim cophini de residuis fragminibus impleti. Quid aut dici, aut fieri potest mirabilius? At id Sibylla futurum cecinerat olim, cujus versus tales feruntur:

Εἰν ἄρτοις ἅμα πέντε, καὶ ἰχθύεσσι δοιοῖσιν,
Ἀνδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε κορέσσει,
Καὶ τὰ περισσεύοντα λαβὼν μετὰ κλάσματα πάντα,
Δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς Ἑλπίδα πολλῶν.

Quæro igitur quid hic potuerit ars magica moliri, cujus peritia ad nihil aliud quam ad circumscribendos oculos valet. Idem, secessurus orandi gratia, sicut solebat, in montem, præcepit discipulis, ut navicu- A lam sumerent, seque præcederent. At illi, urgente jam vespere profecti, contrario vento laborare cœperunt. Cumque jam medium fretum tenerent, tum pedibus mare ingressus consecutus est eos, tamquam in solido gradiens; non ut poetæ Orionem mentiuntur in pelago incedentem, qui, demersa corporis parte,

Humero supereminet undas.

Et rursus cum obdormisset in navi, et ventus usque ad extremum periculum sævire cœpisset, excitatus e somno, silere ventum protinus jussit; et fluctus, qui maximi ferebantur, conquievere, statimque sub verbo ejus tranquillitas insecuta est.

Mentiuntur fortasse Litteræ sanctæ (*Luc.* VIII, *Marc.* IV, *Matth.* VIII), docentes tantam fuisse in eo potestatem, ut imperio suo cogeret ventos obsequi, maria servire, morbos cedere, inferos obedire. Quid quod eadem Sibyllæ carminibus suis ante docuerunt? quarum una, cujus supra fecimus mentionem, sic ait: B

Τοὺς ἀνέμους παύσει τε λόγῳ, στρώσει δὲ θάλασσαν
Μαινομένην, ποσὶν εἰρήνης πίστει τε πατήσας.

Et rursus alia, quæ dicit:

Κύματα πεζεύσει, νόσου ἀνθρώπων ἀπολύσει,
Στήσει τεθνηῶτας, ἀπώσεται ἕλγεα πολλά,
Ἐκ δὲ μιᾶς πήρης ἄρτου κόρος ἔσσεται ἀνδρῶν.

VARIORUM NOTÆ.

Cæci videbunt, et muti loquentur.

Καὶ χωλῶν δρόμος ἔστ' ὠκὺς. Vetus membrana legit, καὶ χωλῶν δρόμος ὠκύτατος. OPSOPŒUS.

Moratus esset. Ita reposui ex quamplurimis mss. magis apposite quam *moraretur*, quod est in 8 scriptis et in vulgatis. Vide Matth. XV et Marc. VIII.

Quantos secum cibos gestarent. Francius legendum esse censebat, *quantum secum cibi*. Vide Matth. XIV, Marc. VI, Luc. IX, et Joan. VI.

Per quinquagenos distributam. In mss. Bononiensi antiquiore, 2 Colbert. et quibusdam editis deest *distributam*.

Et cum apponere illa populo discipulis imperasset. Sic restitui ex antiquissimis mss. 2 Reg. et 5 aliis Regiis, 4 Colbert., Em., 1 Clarom., Brun. et edit. 2 vet. Rom. In multis aliis est *apponi*.

Duodecim cophini. Erat cophinus mensuræ genus, aridas et liquidas res metiens, qua re notissimi erant Judæi. Unde ait Juvenalis:

Delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnumque supellex.

Εἰν ἄρτοις, etc. Codex Sibyllinus legit, ἐκ δ' ἄρτων ἅμα πέντε, καὶ ἰχθύος εἰναλίοιο. OPSOPŒUS. Versus prior Sibyllæ emendandus est ex Lactantio, 4 Reg. et 1 Colb. Ἐξ ἄρτων, mendose ob sequens ἰχθύεσσι. 1 Clarom. et edit. 2 vet. Rom. Ἐν ἄρτοις. Latine:

Panibus simul quinque, et piscibus duobus,
Hominum in millia deserto quinque satiabit,
Et reliquias tollens post fragmenta omnia,
Duodecim implebit cophinos in spem multorum.

Ad nihil aliud. Ex quamplurimis mss. et excusis addidi præpositionem *ad*, quæ in 9 scriptis et 7 editis desideratur.

Ad circumscribendos. Id est, ad fallendos, decipiendos. Ita et circumscriptio pro fraude et deceptione apud Ciceronem pro Cluentio, 46, et lib. III Offic. 61.

Vespere. Sic reposui ex antiquissimis Regio-Put., 2 Bonon., 2 Colb., 2 Clarom. et 12 excusis. *Vespera* est in 7 aliis scriptis et edit. Gall., Spark. In 4 Colbert., *aura*.

C *In solido.* Id est, in solida terra. Virgil. II, Georg. 231:

Alteque jubebis
In solido puteum demitti. BUN.

Orionem. Fabulam narrat Theon Alexandrinus in Aratæis phænomenis.

Excitatus e somno. Præpositionem addidimus ex mss. et editis 3, vet. Romanis, Crat., Cellar., Walch. In 2, Colb. et Clarom. est *a somno*. Deest præpositio in 9, impressis.

Sub verbo ejus. Ipse Lact. iterum lib. VII, cap. 17: *Fient hæc* sub verbo *ejus*. Nec aliter Lucretius l. IV, v. 786:

Omnia *sub verbo* recreat natura paratque.

Quæ Creechius interpretatur ad nutum. Ego Lactantii sub *verbo ejus* interpretor, *eo adhuc loquente et jubente*. BUNEMAN.

Τοὺς ἀνέμους. Latine:

Ventos compescet verbo, sternet autem mare
D Furiosum, pedibus pacis et fide calcans.

Κύματα. Sibyll. lib. VI, serm. 6. Latine:

Fluctus superambulabit, infirmitatem hominum solvet,
Eriget (*a*) mortuos, et pellet dolores multos,
Et de unius perionis pane saturatio erit virorum.

Στήσει. Sic emendavi ex vetustissimis mss. Regiis, Put., Cauc., 1 Colbert., 1 Brun. et edit. Basileens. 1569. In 4 Regiis recent., 1 Sorbon., 1 Claromont. et octo excusis, Ζήσει. In duobus aliis Reg. et 1 Colbert., Ζεύσει. Magis placeret Ζώσει. Græca desunt in plerisque manuscriptis.

Ἄλγεα πολλά. Sic restitui ex 1 Reg. antiquissimo, 1 al. Reg., 1 Colb. et Brun. favente item vetustissimo Regio-Puteano, cui est τολλα, corrupte, pro πολλά. Sex mss. habent πολλοῖς.

Πήρης. Ita reposui ex mss. 2 veterrimis Reg. favente latina interpretatione *perionis*, quæ est in 4 Colbert. et Brun. cujus vice forte legendum esset *peridionis*, quæ est vox Græca significans *saccum*, de

(*a*) Eriget mortuos. 1 Ms. Reg. antiquissimus et Brun. habent *resurgere faciet*.

Digitized by Google

His testimoniis quidam revicti, solent eo confugere, ut aiant non esse illa carmina Sibyllina, sed a nostris ficta atque composita. Quod profecto non putabit qui Ciceronem Varronemque legerit, aliosque veteres, qui Erythræam Sibyllam cæterasque commemorant: quarum ex libris ista exempla proferimus: qui auctores ante obierunt quam Christus secundum carnem nasceretur. Verum non dubito quin illa carmina prioribus temporibus pro deliramentis habita sint, cum ea nemo tum intelligeret. Denuntiabant enim monstruosa quædam miracula, quorum nec ratio, nec tempus, nec auctor designabatur. Denique Erythræa fore ait, ut diceretur insana, et mendax. At enim:

. . . . . Φήσουσι Σιβύλλην
Μαινομένην ψευστείραν· ἐπὰν δὲ γένηται ἅπαντα,
Τηνίκα μου μνήμην ποιήσεττε, κ' οὐκ ἔτι μ' οὐδείς
Μαινομένην φήσει με θεοῦ μεγάλοιο προφῆτιν.

Jacuerunt igitur multis sæculis; postea vero animadversa sunt, quam Christi nativitas et passio patefecit arcana: sicut etiam voces prophetarum, quæ cum per annos mille quingentos, vel eo amplius lectæ fuissent a populo Judæorum, nec tamen intellectæ sunt, nisi postquam illas Christus, et verbo, et operibus interpretatus est. Illum enim prophetæ annuntiaverunt; nec ullo modo poterant, quæ illi loquebantur, intelligi, nisi fuissent universa completa.

CAPUT XVI.

De Jesu Christi passione; quod fuerit prædicta.

Venio nunc ad ipsam passionem, quæ velut opprobrium nobis objectari solet, quod et hominem, et ab hominibus insigni supplicio affectum et excruciatum colamus; ut doceam eam ipsam passionem ab eo cum magna et divina ratione susceptam, et in ea sola et virtutem, et veritatem, et sapientiam contineri. Neque enim, si beatissimus in terra fuisset, et per omnem vitam in summa felicitate regnasset, quisquam illum sapiens aut Deum credidisset, aut honore divino dignum judicasset: quod faciunt veræ divinitatis expertes, qui caducas opes, et fragilem potentiam, et alieni beneficii bona non tantum suspiciunt, verum etiam consecrant, et scientes memoriæ mortuorum deserviunt, fortunam jam extinctam colentes; quam ne vivam quidem præsentemque sapientes colendam sibi umquam putaverunt. Nec enim potest aliquid in rebus terrenis esse venerabile cœloque dignum: sed sola est virtus, sola justitia, quæ potest verum bonum, et cœleste, et perpetuum judicari; quia nec datur cuiquam, nec aufertur. Qua virtute ac justitia quoniam Christus instructus venit in terram, immo vero, quoniam ipse virtus, et ipse justitia est, descendit ut eam doceret, hominemque formaret. Quo magisterio ac Dei legatione perfunctus, ob eam ipsam virtutem, quam simul et docuit, et fecit, ab omnibus gentibus, et meruit, et potuit Deus credi. Ergo cum magnus populus ad eum, vel ob justitiam quam docebat, vel ob miracula quæ faciebat, subinde confluerct, et præcepta ejus audiret, et a Deo missum Deique Filium crederet: tum primores Judæorum et sacerdotes ira stimulati, quod ab eo tamquam peccatores increpabantur, et invidia depravati, quod, confluente ad eum multitudine, contemni se ac deseri videbant, et (quod caput sceleris illorum fuit) stultitia et errore cæcati, et immemores præceptorum cœlestium ac prophetarum, coierunt adversus eum, impiumque

VARIORUM NOTÆ.

quo supra, *quinque panes et duos pisces in pera se habere dixerunt*. Itaque legendum mihi videtur in Græco textu πήρης; non πηγῆς, ut in octo rec. scriptis. Et facilis mutatio fuerit πήρῆς in πηγῆς.

Ficta. Sic repositum ex 7 vet. editis et omnibus mss. præter 1 Reg. rec. in quo est *conficta*. In 1 Reg. rec. et Brun. deest *atque composita*. Quæ vero fides sit adhibenda Sibyllis vide supra col. 000.

Ciceronem. Lib. II, de Natura deorum. Et *Varronem*, de quo lege, cap. 6, libri primi supra, et c. 22, libri de Ira Dei.

Φήσουσι. Istud est sermone 3 quod sic vertitur latine:

Dicent Sibyllam
Insanam, mendacem. Cum vero facta fuerint omnia,
Tunc mei memoriam facietis, neque me tum quisquam
Insanam dicet me Dei magni vatem.

Ψευστείραν. Sic emendavi ex 2 vetustissimis mss. codicibus Regiis, favente Regio altero in quo Ψεστείραν. Scripti sex rec. et 9 edit. habent Ψεύστριαν, mendose, contra legem metri; itemque 1 Reg. et edit. Rom. 1470, quibus est Ψεύστριαν.

Προφῆτιν. 5 Reg. veterr. προφῆτις; 3, al. προφήτην, ut edd., masculino genere, male.

Jacuerunt. Ita restitui ex mss. 2, antiquissimis Regiis, 2, al. Reg. bonæ notæ, 4 Colbert., 1 Lips., Em., Cant., Brun., ed Rom. 1468. *Jacuerunt*, id est, in occulto fuerunt. Hac significatione istud verbum accipitur a Cicerone et Plauto. Recentiores librarii perperam substituere *latuerunt*.

Postea vero animadversa sunt, quam. Id est, *Animadversa vero sunt, posteaquam Christi nativitas et passio patefecit arcana*. Sic de Mort. persec., cap. 5, *Postea vero quam... finivit*. Vid not. supra. BUNEMAN.

Vel eo amplius. Hæc lectio manuscriptorum est Regio-Put., 2 Bon., 4 Colb., Em., Cant., aliorumque, edit. 3, vet. Rom. et 3, al. In 7 rec. scriptis totidemque excusis est *et eo*.

Quæ velut opprobrium, etc. Pagani objiciebant christianis velut opprobrium, quod hominem crucifixum ac servili morte defunctum colerent. Augustin. de Convers. S. Pauli Serm. 1: *Nolo erubescamus de Christi nomine. Insultetur nobis, quod credimus in crucifixum, occisum*. Idem Serm. 8 de Verbis Apost.: *De cruce Christi nobis insultant sapientes hujus mundi, et dicunt: Quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum*. ELMENHORST.

Divinitatis. Sic restitui ex edit. Is. et Cellar. necnon ex omnibus mss. præter rec. 1 Reg. et 1 Colbert. in quibus corrupte legitur *dignitatis* pro *divinitatis*; ac 2 Reg. rec. et 13 vulgatos, in quibus est *religionis*. — *Veræ divinitatis expertes*. Lib. v, c. 10: *Quanto religiosius terrenis istis* simulacris *inserviunt, tanto magis scelerati adversus nomen* veræ divinitatis *existunt*. BUNEMAN.

Non tantum suspiciunt. Ita emendavi ex ms. codice regio 400 duntaxat annorum, sed optimæ notæ, et 2 vet. edit. Rom. 1470, 1474. Et sic Betuleius, Rivetus, Meursius, Gallæus, Sparkius et Cellarius legere malunt, quam *suscipiunt* cæterorum. Eadem correctio est supra lib. II, cap. 2, circa medium. *Suspiciunt*, id est, admirantur.

Primores. Noster expressit Cypr. Idol. Van. *Hunc*

Digitized by Google

consilium de eo tollendo cruciandoque ceperunt : quod prophetæ multo ante descripserant.

Nam et David, in principio Psalmorum (*Psal.* I) suorum, providens in spiritu quantum facinus admissuri essent, *Beatum esse* ait, *qui non abierit in consilio impiorum.* Et Salomon in libro Sapientiæ (*cap.* II), his verbis usus est : *Circumveniamus justum, quoniam insuavis est nobis, et exprobrat nobis peccata legis : promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat : factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum : gravis est nobis etiam ad videndum ; quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ illius : tamquam nugaces æstimati sumus ab eo : continet se a viis nostris, quasi ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint ; et tentemus quæ ventura sunt illi. Contumeliis et tormentis interrogemus eum : ut sciamus reverentiam illius, et probemus patientiam illius, morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitaverunt, et erraverunt. Excæcavit enim illos stultitia ipsorum ; et nescierunt sacramenta Dei.* Nonne ita descripsit nefarium illud consilium ab impiis initum contra Deum, ut plane interfuisse videatur ? Atqui a Salomone, qui hæc cecinit, usque ad id tempus, quo gesta res est, mille ac decem anni fuerunt. Nihil nos affingimus, nihil addimus. Habebant hæc, qui fecerunt : legebant, in quos hæc dicta sunt. Sed et nunc hæredes nominis ac sceleris illorum hæc et habent, et damnationem suam prophetarum voce prædictam quotidianis lectionibus personant ; nec aliquando in cor suum, quæ pars est et ipsa damnationis, admittunt. Increpiti ergo a Christo sæpe Judæi exprobrante illis peccata et injustitias, et a populo pene deserti, concitati sunt ad eum necandum.

Cujus rei audaciam dedit illis humilitas ejus. Nam cum legerent, cum quanta virtute et claritate Filius Dei venturus esset e cœlo, Jesum autem cernerent humilem, quietum, sordidum, informem, non credebant filium Dei esse, ignorantes duos ejus adventus a prophetis esse prædictos : primum in humilitate carnis obscurum, secundum in fortitudine majestatis manifestum. De primo David in psalmo septuagesimo primo sic ait : *Descendet sicut pluvia in vellus, et orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec extollatur luna.* Sicut enim pluvia, si descendat in vellus, animadverti non potest, quia strepitum non facit : ita Christum in terram sine cujusquam suspicione venturum esse dixit, ut justitiam doceret et pacem. Esaias quoque ita tradidit (*cap.* LIII) : *Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? Annuntiavimus coram ipso sicut pueri, et sicut radix in terra sitienti : non est figura ejus, neque claritas ; et vidimus illum, et non habuit figuram, neque decorem : sed figura ejus sine honore, et deficiens præter cæteros homines. Homo in plaga positus est, sciens ferre imbecillitatem, quia aversus est, et non est computatus. Hic peccata nostra portat, et pro nobis hic dolet ; et nos putavimus ipsum esse in dolore, et in plaga, et in vexatione. Ipse autem vulneratus est propter facinora nostra, et infirmatus est propter peccata nostra : doctrina pacis nostræ super illum ; livore ejus nos sanati sumus. Omnes sicut oves erravimus, et Deus tradidit illum pro peccatis nostris.* Et Sibylla eodem modo locuta est :

Οἰκτρὸς, ἄτιμος, ἄμορφος, ἐν οἰκτροῖς ἐλπίδα δώσει.

VARIORUM NOTÆ.

magistri eorum ac primores... tradiderunt ; et Cyprianus Tertullianum in Apolog. cap. 21 : *Primores Judæorum*, reliqua. BUNEMAN.

Cruciando. Conf. cap. 18 ; cap. 22 ; Epit. cap. 46, 48. Illustrat Lipsius lib. I, de Cruce, cap. 3, et Columbus ad lib. de Mort. Persec. cap. 2. BUNEMAN.

Et Salomon in libro Sapientiæ. Hieronymus cordatior præfatione in proverbia Salomonis est (quæ epistola est 115). *Liber*, inquit, ψευδεπίγραφος, *qui Sapientia Salomonis inscribitur, qui apud Hebræos nusquam est, et ipse stylus græcam eloquentiam redolet, et nonnulli scriptorum veterum hunc esse Judæi Philonis affirmant.* BUN.

Insuavis. Hac voce passim utitur Lactantius lib. V, cap. 1, Epitom. cap. 45 et 64, lib. de Ira Dei cap. 20.

Quasi ab immunditiis. Non abhorret Lactantius a voce. L. IV, cap. 17, *Ab immunditiis.* Lipsius ad Senec. l. III de Ira, c. 34, *Immunditias*, ex antiquo libro malebat. BUN.

Et gloriatur patrem Deum. Ediderant antea ; *et gloriatur patrem se habere Deum.* At antiquissimus codex Taurin., c. 45. *Et gloriatur patrem Dominum* (leg. *Deum*). Atque, ut ego edo. BUN.

Mille ac decem anni. Sat recte ad mentem chronologiæ sacræ. Salomon enim obiit anno ante æram vulgarem 980. Christus vero cruci affixus est, juxta veteres Ecclesiæ doctores, duobus Geminis consulibus, id est anno Christianæ æræ 29. Hanc summam si addas ad eam 980, efficies annos 1009.

Nihil addimus. Mss. Em. et Brun., *Nihil nos addimus.*

Jesum. Ita quamplurimi et antiquissimi mss. et omnes editi. In 7 mss. rec. est *ipsum.*

Quietum. Abest a 7 mss. rec.

Sordidum. Il. l. non significat *immundum*, nec *avarum*, parco oppositum, ut c. 1, l. VI, c. 14, sed *obscurum, contemptum, haud clarum :* quod patet ex citato dicto Esaiæ, n. 15 ; et Lact. VI, c. 14. BUN.

In humilitate carnis. Secundum Tertull. Apolog. cap. 21 : *In humilitate conditionis humanæ.* Lact. lib. IV, cap. 14 ; Conf. c. 22 : *Cur se tam humilem imbecillumque fecit ;* cap. 26 : *Humilis advenerat, ut humilibus et infimis opem ferret*, etc. Conf., l. II, cap. 1, c. 2, c. 3 et c. 4 ; l. V, c. 14 : *Ab humilibus ad potentes.* BUN.

Annuntiavimus, etc. Hebræi legunt : *et ascendit sicut virgultum coram eo.* LXX et August. : *Annuntiabimus coram illo, ut infans.* Quid multis ? Apud humanum judicium παράδοξον est, summam potentiam in humilitate quærere. Carnalis Judæorum sapientia tam sagax non erat, ut intelligeret quidnam illud esset, quod Zachar. prædixerat : Rex tuus venit tibi mansuetus. BETULEIUS.

Pro nobis dolet. Restituo veram lectionem ex Lips. tert., Goth., Reimm., Rost., Ven. 1471, utraque 78, 93, 97, Paris. Torn. 1587, 1613, conformem Hebr. et LXX, item Cypriano l. II, adv. Jud. c. 13. Recentiores Parrh., Ald., Gryph, Thomas. et seqq. sine necessitate *pro nobis hic dolet* ediderant. BUN.

Οἰκτρὸς, etc. Sibyll. Serm. 8. Lat. :

Miserabilis, inhonoratus, sine specie, in miserabilibus (spem præbebit.

Ἐλπίδα δώσει. Ita mss. Reg. Put. et 5 al. Reg., 1

Digitized by Google

Propter hanc humilitatem, Deum suum non agnoscentes, inierunt consilium detestandum ut privarent eum vita, qui ut eos vivificaret advenerat.

CAPUT XVII.

De Judæorum religionibus, ac eorum odio in Jesum.

Sed iræ atque invidiæ suæ, quam in cordibus suis gerebant intus inclusam, alias causas præferebant; quod legem Dei per Mosen datam solveret, id est, quod sabbatis non vacaret, operans in salutem hominum; quod circumcisionem vacuefaceret, quod abstinentiam suillæ carnis auferret. In quibus rebus judaicæ religionis sacramenta consistunt. Ob hæc itaque cætera pars populi, quæ nondum ad Christum secesserat, a sacerdotibus incitabatur, ut impium judicaret eum, quod legem Dei solveret, cum hoc ille non suo judicio, sed ex Dei voluntate et secundum prædicta faceret prophetarum. Micheas enim (*cap.* 4, v. 2) novam legem daturum denuntiavit hoc modo: *Lex de Sion proficiscetur, et sermo Domini ex Hierusalem, et judicabit inter plurimos populos, et revincet, et deliget validas nationes.* Illa enim prior lex, quæ per Mosen data est, non in monte Sion, sed in monte Choreb data est, quam Sibylla fore ut a Filio Dei solveretur, ostendit:

Ἀλλ' ὅτε ταῦτ' ἂν ἅπαντα τελεσθῇ ἅτερ ἐκεῖνον,
Εἰς αὐτὸν τότε πᾶς λύεται νόμος.

Sed et ipse Moses, per quem datam sibi legem dum pertinaciter tuentur, excideruntque a Deo, et Deum non agnoverunt, prædixerat fore, ut propheta maximus a Deo mitteretur, qui sit supra legem, qui voluntatem Dei ad homines perferat. In Deuteronomio ita scriptum reliquit: *Et dixit Dominus ad me: Prophetam excitabo eis de fratribus eorum, sicut te, et dabo verbum meum in os ejus; et loquetur ad eos ea quæ præcepero ei: et quisquis non audierit ea quæ loquetur propheta ille in nomine meo, ego vindicabo in eum.* Denuntiavit scilicet Dominus per ipsum legiferum, quod Filium suum, id est, vivam præsentemque legem missurus esset, et illam veterem per mortalem datam soluturus, ut denuo per eum, qui esset æternus, legem sanciret æternam.

Item de circumcisione solvenda Esaias ita prophetavit: *Hæc dicit Dominus viris Juda, qui habitant in Hierusalem: Renovate inter vos novitatem, et ne seminaveritis in spinis. Circumcidite vos Domino Deo vestro, et circumcidite præputium cordis vestri, ne exeat ira mea sicuti ignis, et exurat, et non sit qui extinguat.* Item Moses ipse (*Deut.*, XXX): *In novissimis diebus circumcidet Dominus cor tuum ad Dominum Deum tuum amandum.* Item Jesus Nave successor ejus: *Et dixit Dominus ad Jesum* (*Jos.*, v, 1): *Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, et sede, et circumcide secundo filios Israel.* Secundam circumcisionem futuram esse dixit, non carnis, sicut fuit prima, qua etiam nunc Judæi utuntur, sed cordis ac spiritus, quam tradi-

VARIORUM NOTÆ.

Clarom., 2 Colbert. Græca in aliis desunt. Male citatur Cl. Puteani membrana, in qua δώσῃ, non δώσει, quam dictionem tamen habuit aliquis ms., siquidem Brun. fert, *ut miseris spem præbeat.*

Invidiæ suæ..... præferebant. Mss. 1 Reg. et Cauc. ac 3 edd. rec. habent, *intus inclusa malitia, causas præferebant.*

Solveret. Vide Matth., c. XII, Marc., c. III, Luc., c. VI, et Joann., c. IX.

Operans in salutem. Sic Taurin., Epit. 47: *Ut in salutem hominum... operarentur.* Et Cyprian. de Eleemos. in princ.: *Multa et magna sunt... beneficia divina, quibus in salutem nostram Dei... clementia et operata sit, et semper operetur.* Tertull. Apol., c. 33: *Plus ego illi* operor in salutem. Bun.

Suillæ carnis. Id non legitur in evangelica historia.

Ad Christum secesserat. Ms. 1 Bonon. antiq. *accesserat.* Scriptis 8 et editis 4 est, *a Christo secesserat.* Sed *ad Christum secesserat*, hic est verbum (ut dicunt) prægnans, quod aliud adhuc includit, ea ratione, *quæ nondum secesserat, et ad Christum se contulerat;* exempli gratia Velleii Paterculi, lib. I, 18, 1: *Adeo ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates;* id est, *separata sint, et in alias civitates divisa.* Sacro codice hebræo hic dicendi modus maxime frequens est.

Et deliget validas nationes. Verbum *deliget* desideratur in ms. Regio-Put. In aliis mss. est *diliget, religet, rediget, diriget.* Omnes fere editi cum pluribus mss. habent *deliget.*, quod Lactantius legisse videtur ex mendoso bibliorum codice græco, in quo scriptum fuerit ἐκλέξει, pro ἐξελέγξει, quod est *arguet*, vel *corripiet.* Forte non male, *revincet et rediget validas nationes*, ut ferunt mss. 1 Reg. rec., Tornes. et 1 Clarom. Multa hic desunt in veterrimo Regio, et Græca abeunt a multis mss.

Deliget. Vulgata habet *corripiet.*

In monte Choreb. In deserto Arabiæ. Sic juxta Græcum textum reposui ex mss. Regio-Put., 6 aliis Reg., 5 Colb., Cauc. et quamplurimis aliis. In rec. 2 Reg. et 1 Colb. et 11 editis legitur *Oreb.*. *Choreb* autem est *Sinai.* Erat ergo petra in deserto Sinai, vicinior tamen Raphidim, quam monti Sinai. Menoch. — Totus ille montosus tractus dicebatur Horeb, ubi et Sinai. Junius. — Occidentalior pars erat Horeb, orientalis Sinai.

Ἀλλ' ὅτε, etc. Latine:

Sed cum omnia perfecta fuerint quæ dixi,
In ipsum tunc tota solvetur lex.

Sibyllarum, serm. 8.

Εἰς αὐτὸν, etc. Sic emendavi ex mss. Regio-Put., 1 al. Reg optimæ notæ, et Betul.

Εἰς αὐτὸν τότε πᾶς λύεται νόμος.

Et recte, ob legem metri. In cæteris legitur λύσεται, et deest τότε.

Propheta maximus a Deo mitteretur. Ita reposui ex impressis 2 vet. Rom. et 5 aliis, necnon ex omnibus mss., præter 2 Reg. quibus est, ut et 8 editis, *mittatur a Deo.*

Deuteronomio. Hoc citatur a S. Stephano in Actis apostolor., c. 7.

Per mortalem datam. Hæc lectio, quæ est antiquissimi ms. Regii multorumque aliorum et 12 editorum, optima est ac genuina; respondet enim τῷ æternus quod sequitur a conjugatis. Scripti 13 et vulgati tres habent *per Moysen.* Ecquis vocem *Moysen* adeo notam mutasset in *mortalem?*

Esaias ita prophetavit. Fallitur Lactantius; nam Jeremiæ verba sunt, c. IV, v. 3, 4.

Circumcide secundo. Id est, instaura circumcisionem jamdudum in deserto omissam, quam Deus postliminio revocandam jussit.

Digitized by Google

dit Christus, qui verus Jesus fuit. Non enim Propheta sic ait : *Et dixit Dominus ad me*, sed, *ad Jesum ;* ut ostenderet quod non de se loqueretur, sed de Christo, ad quem tunc Deus loquebatur. Christi enim figuram gerebat ille Jesus : qui cum primum Auses vocaretur, Moses futura præsentiens, jussit eum Jesum vocari ; ut quoniam dux militiæ delectus esset adversus Amalech, qui oppugnabat filios Israel, et adversarium debellaret per nominis figuram, et populum in terram promissionis induceret. Et idcirco etiam Mosi successit, ut ostenderet novam legem per Christum Jesum datam veteri legi successuram, quæ data per Mosen fuit. Nam illa carnis circumcisio caret utique ratione ; quia si Deus id vellet, sic a principio formasset hominem, ut præputium non haberet. Sed hujus secundæ circumcisionis figura erat, significans nudandum esse pectus, id est, aperto et simplici corde oportere nos vivere ; quoniam pars illa corporis, quæ circumciditur, habet quamdam similitudinem cordis, et est pudenda. Ob hanc causam Deus nudari eam jussit, ut hoc argumento nos admoneret ne involutum pectus haberemus, id est, ne quod pudendum facinus intra conscientiæ secreta velemus. Hæc est cordis circumcisio, de qua prophetæ loquuntur, quam Deus a carne mortali ad animam transtulit, quæ sola mansura est. Volens enim vitæ ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, ut si cor nudaverimus, id est, si peccata nostra confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur ; quæ contumacibus et admissa sua celantibus denegatur ab eo qui non faciem, sicut homo, sed intima et arcana pectoris intuetur.

Eodem spectat etiam carnis suillæ interdictio ; a qua cum eos abstinere Deus jussit, id potissimum voluit intelligi, ut se a peccatis atque immunditiis abstinerent. Est enim lutulentum hoc animal, et immundum ; nec umquam cœlum aspicit : sed in terra toto et corpore et ore projectum, ventri semper et pabulo servit ; nec ullum alium dum vivit præstare usum potest, sicut cæteræ animantes, quæ vel sedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plaustra collo trahunt, vel onera tergo gestant, vel indumentum exuviis suis exhibent, vel copia lactis exuberant, vel custodiendis domibus invigilant. Interdixit ergo ne porcina carne uterentur, id est, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur ; ne ventri, ac voluptatibus servientes, ad faciendam justitiam inutiles essent, ac morte afficerentur. Item ne se fœdis libidinibus immergerent, sicut sus, quæ se ingurgitat cœno ; vel ne terrenis serviant simulacris, ac se luto inquinent. Luto enim se oblinunt, qui deos, id est, qui lutum terramque venerantur. Sic universa præcepta judaicæ legis ad exhibendam justitiam spectant, quoniam per ambagem data sunt ; ut per carnalium figuram spiritualia noscerentur.

CAPUT XVIII.

De passione Dominica, et quod ea prænuntiata fuerit.

Cum igitur ea quæ Deus fieri voluit, quæque per prophetas suos multis sæculis ante prædixit, Christus impleret, ob ea incitati, et divinas litteras nescientes, coierunt ut Deum suum condemnarent. Quod cum sciret futurum, ac subinde diceret oportere se pati, ac interfici pro salute multorum, secessit tamen cum discipulis suis (*Marc.* III), non ut vitaret quod necesse erat perpeti ac sustinere, sed ut ostenderet quod ita fieri oporteret in omni persecutione, ne sua quis culpa incidisse videatur ; ac denuntiavit fore ut ab uno eorum proderetur. Itaque Judas, præmio illectus, tradidit Filium Dei Judæis. At illi comprehen-

VARIORUM NOTÆ.

Et dixit Dominus ad me. Sic a me emendatum ex mss. 7 Reg. vetustioribus, ac Tornes., Betul., Goth., Em., 6 Colbert., 1 Sorbon., 2 Clarom., Brun. et ex ipsomet Lactantio paulo supra. In pluribus mss. et editis legitur *Jesus*, mendose.

Quod non de se loqueretur. Ex mss. et decem editis restituta lectio : in 8 impressis est *de eo.*

Qui eum primum Auses vocaretur. Numer. XIII. Prius Hosea nominabatur : dicitur et Hose, unde in editione græca Ause, quod aspirandum, ut sit Hause. Patrem habuit Nun, qui corrupte Nave vocatur. DRUSIUS. — Vide S. Augustin. de Civit. Dei, lib. XVI, c. 43. Vide etiam Tertullianum adversus Judæos.

Novam legem. Christus non legem novam tulit, sed veterem perfecit.

Involutum pectus. Ut Seneca, lib. I Qu. Nat., præf. : *Non est tibi frons ficta, nec in alienam voluptatem sermo compositus*, nec *cor involutum.* BUN.

Velemus. Dicere debuisset auctor, *Velaremus.* Sic usque ad finem capitis mutatio temporum vitiosa non semel.

Eodem spectat etiam carnis suillæ, etc. Quæ facta est Levit. IX, Deuteron. XIV. Supra indicavi porcinæ carnis interdictionem nusquam nuncupatim in Evangelica taxari historia. In genere sane superstitionem omnem notat, significans ea inquinare hominem quæ exeunt, non quæ intrant. Certe creditum observatumque est, homines eorum animalium induere mores, quorum vescerentur carnibus. Qualis autem natura suibus sit, indicat optime Petrus in sua posteriore Canonica, c. 2, 22, ubi eos, qui postquam veritatis viam cognoverunt, rursus ad priorem immunditiem revolvuntur, notat his verbis : *Sus lota, in volutabro luti.* BETUL.

In terram.. projectum. Legendum suspicatus *in terram*, offendi in ed. Tornes. 1587, 1613, Walch. rectissime. Opif., c. 8 : *Ut... toto corpore in humum projecta ventri pabuloque servirent.* BUN.

Ventri semper. Ms. Torn. *veneri.*

Ne porcina carne uterentur. Mss. Pal., Lips. et 4 editi, *vescerentur.* De suilla carne vide Varronem de Re rustica, lib. II, c. 4. Cicer., lib. V, de Finibus, et Plin, lib. VIII, c. 51.

Se oblinunt. Conf. notas meas ad lib. V, c. 1. Iterum Lact., VI, c. 23 : *Qui se cœno immerserit, cœno sit* oblitus, *necesse est.* BUN.

Oportere. Vide Matth. XX, Marc. X, Luc. XVIII, Joan. VII et VIII et XI.

Quod ita fieri oporteret. Ex cunctis ferme manuscriptis et 7 vet. editis ita reposui. In 2 Reg., Em., Cantabrig., Brun., et 9 excusis est *oporteat.*

Proderetur. Matth. XXVII, Marc. XIV, Luc. XXII, Joan. XVIII.

Tradidit Filium Dei Judæis. Sic restitui ex mss.

Digitized by Google

sum, ac Pontio Pilato, qui tum legatus Syriam regebat, oblatum, cruci affigi postulaverunt, objicientes ei nihil aliud, nisi quod diceret se Filium Dei esse, et regem Judæorum : item quod dixerat : *Si solveritis hoc templum, quod ædificatum est annis* XLVI, *ego illud in triduo sine manibus resuscitabo* ; significans brevi futuram passionem suam, et se a Judæis interfectum tertio die resurrecturum. Ipse enim erat verum Dei templum. Has voces ejus tamquam infaustas et impias insectabantur. Quæ cum Pilatus audisset, et ille in defensionem sui nihil diceret, pronuntiavit nihil in eo damnatione dignum videri. At illi injustissimi accusatores cum populo, quem incitaverant, succlamare cœperunt, et crucem ejus violentis vocibus flagitare.

Tum Pontius et illorum clamoribus, et Herodis Tetrarchæ instigatione metuentis ne regno pelleretur, victus est. Nec tamen ipse sententiam protulit : sed tradidit eum Judæis, ut ipsi de illo secundum legem suam judicarent. Duxerunt ergo eum flagellis verberatum, et priusquam cruci affigerent, illuserunt; indutum enim coloris punicei veste, ac spinis coronatum, quasi regem salutaverunt, et dederunt ei cibum fellis, et miscuerunt ei aceti potionem. Post

VARIORUM NOTÆ.

veterrimis 2 Bonon., Regio-Put, aliisque octo, ex 3 vet. edd. Rom. et 8 aliis. Scripti rec., *tradidit eum Judæis.*

Legatus Syriam regebat. Sic legunt Tertullianus, Apol., c. 21. Cyprianus, lib. de Idolor. vanitate, sub finem. Legati nomen hic generaliter sumit Lactantius pro eo qui missus est ad functionem muneris alicujus : quemadmodum et Varro explicat hanc vocem, lib. v de L. L. Isæus. — Nequaquam suspicione caret, neque extra omnem controversiæ aleam positum videtur, quod Pontium Pilatum Syriæ legatum fuisse scribit Lactantius : Pilatus enim erat tantum procurator Judææ. Tacitus : *Auctor nominis ejus Christus, qui, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Licet *præsidem* incuriositate quapiam appellant christiani chronologi, ego, re considerata, existimem mendosos esse Lact. codices, et scribendum, *qui sub Silano Judæam regebat.* Silanus enim Syriæ tum præses erat, et sub eo Judæa a Pilato gubernabatur. Non enim peculiaris tunc erat provincia, sed ad Syriam pertinebat Judæa. Quamvis belli tempore divisæ fuerint, ut Vespasiano Judæa, Muciano Syria parebat in Vitelliano tumultu. De Silano adeo verum est, ut et accusarint coram eo aliquando Pilatum Judæi. Barthius. — Istorum procuratorum duo erant genera : alii rationales dicti, qui solis vectigalibus colligendis vacabant ; alii præterea provinciis minutioribus vice præsidis præerant cum aliqua potestate, et jurisdictionem aliquam, nullo præside præsente, inter provinciales sumebant, cum alioqui apud solos magistratus provinciarum præsides, puta proconsules et proprætores, lege agere liceret. Scultet. — Attamen certum est Pilatum a plerisque historicis, quamvis minus proprie, præsidem vocari.

Solveritis. Vide Joan., II, Matth., XXVI et XXVII, Marc., XIV.

Quod ædificatum est annis XLVI. Hunc numerum retinui probatum Joanni Evang., c. 2, v. 20, mss. codicibus 12 Vaticanis, 8 Regiis, 6 Colbert., Sorbon., 2 Clar., Brun. cunctisque editis. At 1 Reg. antiquissimus, 2 Bonon., Tax. Cantabr. ferunt *annis* XL, male. — *Quod ædificatum est annis* 46. Ex Joann. II, v. 20, annorum numerus est, qui non de Zorobabelis opere, quod quadriennio confectum fuit, Esdr., VI, 15 ; sed de reparatione Herodis, et sequentium, quibus cura templi ab Romanis concessa erat, intelligatur necesse est. Adi Josephum, lib. XXV, c. 14, et lib. XX, c. 3 et 8. Cell.

Resuscitabo. Restitutum ex quamplurimis et optimis mss. ac 12 impressis. In mss. 2 Bonon. antiq., Canc. sexque aliis et 5 editis legitur, *suscitabo.*

Videri. Verbum ex antiqua judicandi formula.

Injustissimi accusatores. Mss. Regio-Put. et alius antiquissimus Reg. a prima manu, 1 alter Reg. rec. et Brun. *justissimi*, sed ironice.

Violentis vocibus flagitare. Ita scripti et editi, ubi in Cellariana *volentis*, prave. Sic Cyprianus de Idol. Van., c. 7 : *Crucem ejus et mortem suffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes.* Et nostri Epit. c. 45 : Mortemque ejus impiis *vocibus flagitarent.* Ipsum verbum *flagitare* Latinis indicat vehementem pertinaciam in orando. Conf. Lact., VI, c. 20. Bun.

Nec tamen ipse sententiam protulit. Lucas, *Tradidit eum voluntati eorum*, scilicet Judæorum, *ut crucifigeretur*, sua quidem auctoritate, non tamen sententia, quasi cruce dignus. Non enim probari potest Pilatum in eum tulisse sententiam velut reum mortis : unde illa videtur ficta quæ legitur apud Adrichomium. Ergo *pro tribunali sedit* quidem : sed *adjudicavit* tantum *fieri petitionem eorum*, ut loquitur Lucas, ut scilicet ab ipsis damnatus traderetur eis crucifigendus, sicut petebant. Jansen. — Attamen vide Lucæ caput XXIII, v. 24, et Joannis cap. XIX, v. 16.

Duxerunt. Hoc est, ad mortem rapuerunt ; hoc enim et verbum *ducere* significat.

Spinis coronatum. Veteres putarunt fuisse *spinas albas :* quæ et inde salutares dicuntur, et medicinis utiles. Marcellus Empiricus, cap. 23 : *Herba salutaris, id est spina alba, qua Christus coronatus est, quæ velut uvam habet, lienem leniter in eodem loco perfricata sanabit.* Barthius.

Et dederunt ei cibum fellis, et miscuerunt ei aceti potionem. Matth. cap. XXVII, v. 48. Syrus et Arabs legerunt etiam ὄξος, *acetum*, at vulgatus οἶνον, *vinum*, quomodo in suo vetustissimo exemplari legi testatur Beza. Sic et Evang. Hebr. *et dederunt ei bibere vinum mixtum felle.* Merceri exemplar omittit *bibere.* Et hanc quidem lectionem verissimam arbitratur Beza, adeo ut etiam ὄξος non significaverit acetum quod vocamus, sed vinum conditum ; quia Marcus, cap. XV, v. 23, meminit οἴνου ἐσμυρνισμένου : malim tamen ὄξος capere pro aceto proprie dicto, et apud Marc. per οἶνον quoque intelligere acetum, quod nihil aliud est quam vinum acidum. Nam ὄξος sumere pro vino condito, exemplo et auctoritate carere puto. Quod autem vir doctiss. per χολὴν non intelligit *fel*, sed in genere amarorem, qualis est myrrhæ genuinæ, non gravate ei assentior, tum quia Marcus pro χολῇ habet σμύρναν, tum quia LXX etiam *absynthium* verterunt per χολήν, Prov. V, v. 4, Thren. 3, v. 15, quare nec multum culpandus Arabs, qui hoc loco pro μετὰ χολῆς, habet *myrrha.* Potest enim χολὴ quemvis amarorem significare, sive fellis, sive absynthii, sive myrrhæ ; petitus hic locus ex ps. LXVIII, ℣ 22. LXX, καὶ ἔδωκαν εἰς τὸ βρῶμά μου χολήν. Potest ibi simpliciter esse *amaror*, sicut colligitur ex Deut. XXIX, v. 18, Hebr., XII, v. 15, et Jer. XXIII, ℣ 51, ubi LXX verterunt ὕδωρ πικρὸν. Matth. ergo et Marc. se mutuo explicant. οἶνον Marci Matthæus explicat per ὄξος ; et vicissim χολὴν Matth. Marcus per σμύρναν : unde liquet, secus quam doctissimi viri existimarunt, nihil hic ex recepto Judæorum more factum, qui hoc morituris officium præstare solebant, ut vinum propinarent *cum grano thuris, quo abripiatur mens eorum.* Hic contra pro vino acetum, pro benigni saporis thure amarorem myrrhæ propinarunt, ne quid deesset, quo virulentum suum in Servatorem animum proderent. Ludov. de Dieu.

Digitized by Google

hæc, conspuerunt faciem ejus, et palmis ceciderunt. Cumque ipsi carnifices de vestimentis ejus contenderent, sortiti sunt inter se de tunica et pallio. Et cum hæc omnia fierent, nullam vocem ex ore suo tamquam si mutus esset, emisit. Tum suspenderunt eum inter duos noxios medium, qui ob latrocinia damnati erant, crucique affixerunt. Quid ego hic in tanto facinore deplorem? aut quibus verbis tantum nefas conquerar? Non enim Gavianam crucem describimus, quam Marcus Tullius universis eloquentiæ suæ nervis ac viribus, velut effusis totius ingenii fontibus, prosecutus est, facinus indignum esse proclamans, civem Romanum contra omnes leges in crucem esse sublatum. Qui quamvis innocens fuerit, et illo supplicio indignus, mortalis tamen, et ab homine scelesto, qui justitiam ignoraret, affectus est. Quid de hujus crucis indignitate dicemus, in qua Deus a cultoribus Dei suspensus est atque suffixus? Quis tam facundus, et tanta rerum verborumque copia instructus existet? quæ oratio tantæ affluentiæ ubertate decurrens, ut illam crucem merito deploret, quam mundus ipse et tota mundi elementa luxerunt?

Hæc autem sic futura fuisse, et prophetarum vocibus, et Sibyllinis carminibus denuntiatum est. Apud Esaiam (*cap.* 50) ita scriptum invenitur: *Non sum contumax, neque contradico: dorsum meum posui ad flagella, et maxillas meas ad palmas: faciem autem meam non averti a fœditate sputorum.* Similiter David in psalmo XXXIV: *Congregata sunt super me flagella, et ignoraverunt: dissoluti sunt, nec compuncti sunt: tentaverunt me, et deriserunt derisu; et striderunt super me dentibus suis.* Sibylla quoque eadem futura monstravit:

Εἰς ἀνόμων χεῖρας καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει·
Δώσουσι δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις,
Καὶ στόμασιν μαροῖσι τὰ πτύσματα φαρμακόεντα·
Δώσει δ' εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἀγνὸν τότε νῶτον.

Item de silentio ejus, quod usque ad mortem pertinaciter tenuit, Esaias iterum sic locutus est (*cap.* LIII): *Sicut ovis ad immolandum ductus est, et sicut agnus coram tondentibus se sine voce, sic non aperuit os suum.* Et Sibylla supra dicta:

Καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει, μή τις ἐπιγνῷ
Τίς λόγος, ἢ πόθεν ἦλθεν ἵνα φθιμένοισι λαλήσῃ;
Καὶ στέφανον φορέσει τὴν ἀκάνθινον.

De cibo vero et potu, quem, antequam eum figerent, illi obtulerunt, David in psalmo LXVIII sic ait: *Et dederunt in escam meam fel; et in siti mea potum mihi*

VARIORUM NOTÆ.

Conspuerunt faciem ejus. Hanc retinui lectionem, quæ 3 antiquissimorum mss. Regiorum est et 10 editorum. Et potest abesse præpositio *in faciem*, quæ in scriptis recentioribus ac 7 vulgatis reperitur. Sic apud Senecam, cap. 13, ad Helv.: *Ducebatur Athenis ad supplicium Aristides, cui quisquis occurrebat, dejiciebat oculos..... inventus est tamen qui faciem ejus inspueret.*

Non enim Gavianam crucem describimus. Optima lectio, quæ est 3 Reg., 1 Sorbon. et 19 edit. ac Cicer. in Verrem. Orat. 10 faventibus mss. Regio-Put., 3 al. Reg., 4 Colbert., Brun., quibus est *Gabianam*, mendose, pro *Gavianam*, *b*, pro *v*. Ms. 1 Colbert., et edit. Rom. 1468, *Gabiniam;* 1 Reg., ed. Rom., 1470 et Florent., *Gabinianam;* 1 Reg. veterr., *Gavinianam;* 1 Clar., *Ganianam*, mendose pro *Gavianam;* 1 Reg., 2 Colbert., *Gravianam;* ms. Tornes., *Gravinianam;* Jun., *Grabianam;* 3 edit., *Cannianam*, corrupte. Vide Ciceronem in Verrem, act. v, VI et VII. Alludit ad P. Gavium Consanum, civem Romanum, quem Verres contra jus et leges virgis cæsum cruci affixerat, hoc est affecerat servili supplicio.

Universis. Sic reposui ex mss. 8 Reg. quorum duo sunt vetustissimi, 6 Colb., 2 Clarom. aliisque. Sed scripti 2 rec. et 11 editi, *universæ*.

Nervis. Mss. 10 et 5 edit., *verbis*, sed minus bene.

Tantæ affluentiæ ubertate. Mss. 10 recentissimi, *tanta*.

Et tota mundi elementa luxerunt. Τὸ *mundi* deest in ms. 1 Colb. et 7 editis. Grammaticæ studiosi notent in numero plurali *toti* apud auctorem nostrum, lib. I Div. Institut. cap. 11, et apud Augustinum in psalm. CXLVIII; *totæ* apud Plautum, necnon in Symbolo *Quicumque* nomine Athanasii, et *tota* in recto casu etiam plurali apud Lactantium, lib. II, cap. 9, ad fin. et lib. IV, cap. 18. Vide sequens caput.

Et ignoraverunt. Sic lego cum antiquioribus et potioribus mss. 7 Reg., 4 Colb., 1 Clarom. et omnibus fere vulgatis: nec aliter legit Augustinus Enarrat. II in psal. XXXIV. Scripti 9 rec. et 2 vet. edd., *et ignoravit*.

Tentaverunt. Ex mss. reposui: in vulgatis est *lentarunt*.

Et deriserunt derisu. Lips. tert. et Reimm.: *Deriserunt me et striderunt.* Augustinus et Hieronymus: *Subsannaverunt me subsannatione.* Quæ prior egregie applicat ad christianos. In Epitome, c. 46, verba: *Et deriserunt derisu*, desiderantur; at habent Hebr. et LXX. Bun.

Εἰς ἀνόμων χεῖρας. Sermone 8 Sibyll. Hæc latine:

In manus iniquorum et infidelium postea veniet;
Dabunt autem Deo alapas manibus incestis,
Et faucibus immundis sputa virulentia;
Dabit autem in verbera simpliciter purum tunc dorsum.

Hæc et sequentia leguntur eodem modo in ms. Regio-Put., n. 3736, ut et apud Augustinum de Civit. Dei, lib. XVIII, cap. 23, n. 2, qui ea ex auctore nostro decerpsit; nisi quod habeat, *manus iniquas*, ... *venenatos sputus*... *sanctum dorsum*. In Brun. aliisque mss. et editis codicibus interpret. lat. *innocens tunc dorsum;* in nonnullis, *purum tunc dorsum*.

Ἀνόμων. Sic restitui ex opt. mss. Regio-Put. et Betul. ac edit. Paris. 1525, 1561, 1565, Crat., Gymnic., Graph., Tornes., Soubron. et Versione gallica. Sic etiam legendum esse censebant Musurus, Betuleius, et Sparkius; et syntaxis constabit hac ratione melius. Ita etiam emendavit Clariss. Heumannus. At scripti 11, alii et 7 editi habent ἀνόμους

Τὰ πτύσματα. Hæc lectio est mss. Regio-Put., 3 al. Reg., 3 Colb., 1 Sorbon. et omnium editorum. In mss. Cauc. et 2 Reg. est ἐμπτύσματα; in ms. Betul. ἐκπτύσματα, pag. 261 in Commentario suo.

Καὶ κολαφιζόμενος. Sibylla, serm. 8. Hæc latine:

Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat,
Quod verbum, vel unde venit ut mortalibus loquatur;
Et coronam portabit spineam.

Augustinus loco supra citato legit, *ut inferis loquatur*. Musurus et Thomasius cum mss. 2 Colb. et ed. Rom. 1470, Tornes., 2 Paris., Soubron. legunt, *ut mortuis loquatur*.

Τίς λόγος ἢ πόθεν ἦλθεν. Ita 3 Reg. quorum duo sunt antiquissimi, 3 Colb. et omnes edd. At ms. codex Sibyllinus habet Τίς πνος ὢν πόθεν ἦλθεν, ms. Betul. Τίς πνος ὦ. Sed Lactantii lectionem sequitur Augustinus, et magis probatur etiam Betuleio.

Digitized by Google

dederunt acetum. Idem hoc futurum etiam Sibylla concionata est :

Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολήν, καὶ εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν,
Τῆς φιλοξενίης ταύτην δείξουσι τράπεζαν.

Et alia Sibylla Judæam terram his versibus increpat :

Αὐτὴ γὰρ δύσφρων, τὸν σὸν θεὸν οὐκ ἐνόησας
Παίζοντα θνητοῖσι νοήμασιν· ἀλλὰ καὶ ἀκάνθας
Ἔστεψας στεφάνῳ, φοβερὴν τε χολὴν ἐκέρασας.

Fore autem ut Judæi manus inferrent Deo suo, eumque interficerent, testimonia prophetarum hæc antecesserunt.

Apud Esdram ita scriptum est : *Et dixit Esdras ad populum : Hoc pascha Salvator noster est, et refugium nostrum. Cogitate, et ascendat in cor vestrum, quoniam habemus humiliare eum in signo, et post hæc sperabimus in eum, ne deseratur hic locus in æternum tempus, dicit Dominus Deus virtutum. Si non credideritis ei, neque exaudieritis annuntiationem ejus, eritis derisio in gentibus.* Unde apparet Judæos nullam aliam spem habere, nisi se abluerint a sanguine, ac speraverint in eum ipsum quem negaverunt. Esaias (*cap.* LV) quoque facinus eorum designat, et dicit : *In humilitate judicium ejus sublatum est. Nativitatem ejus quis enarrabit ? quoniam auferetur a terra vita ejus; a facinoribus populi mei adductus est ad mortem. Et dabo malos pro sepultura ejus, et divites pro morte ejus : quia facinus non fecit, neque insidias ore suo locutus est. Propterea ipse consequetur multos, et fortium dividet spolia; propterea quod traditus est ad mortem, et inter facinorosos deputatus est : et ipse peccatum multorum pertulit, et propter facinora illorum traditus est.* David quoque in psalmo XCIII : *Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt, et factus est mihi Dominus in refugium.* Hieremias (*cap.* XI) : *Domine, significa mihi, et cognoscam : tunc vidi meditationes eorum; ego sicut agnus sine malitia perductus sum ad victimam : in me cogitaverunt cogitationem, dicentes : Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus e terra vitam ejus, et nomen ejus non erit in memoria amplius.* Lignum autem crucem significat, et panis corpus ejus, quia ipse est cibus, et vita omnium qui credunt in carnem quam portavit, et in crucem qua pependit.

De qua tamen apertius ipse Moses in Deuteronomio ita prædicavit : *Et erit pendens vita tua ante ocu*

VARIORUM NOTÆ.

Potum mihi dederunt acetum. Hæc lectio est mss. 6 Regiorum, ex quibus duo sunt veterrimi, 1 Sorbon., 2 Colb., 2 Clarom. et 6 edit. In 13 scriptis recentissimis et 7 impressis est : *Potaverunt me aceto.*

Idem hoc futurum. 1 Reg. rec., 1 Clarom. et ed. Gall., Spark., *Item.*

Εἰς δὲ τὸ βρῶμα. Sibyll. Serm. 8. Hæc latine :

In cibum autem fel, et in sitim acetum dederunt,
Inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam.

Αὐτὴ γὰρ δύσφρων. Ita restitui ex 2 antiquissimis ms. Reg. At rec. 1 Reg., 3 Colb., 1 Clarom. et 11 editi ferunt ἄφρων. Græca desunt in cæteris quos vidi. Latina interpretatio :

Ipsa enim noxia cogitans, Deum tuum non cognovisti
Ludentem mortalibus cogitationibus : sed et spinis
Coronasti corona, et horribile fel miscuisti.

Apud Augustinum, pro *noxia cogitans*, est *insipiens*; et versu sequenti apud eumdem et in ms. 1 Brun. est *Ludentem mortalium mentibus*; in altero Brun. *Illudentem humanis mentibus.* Hæc ex Sibyllar. Carminibus, serm. 6.

Παίζοντα θνητοῖσι. Sic restitui ex mss. 5 Reg., quorum duo sunt antiquissimi, 1 Clarom. et 3 Colbert. nisi quod in uno est θνητισι, et edit. Rom. 1468. Ms. codex a Betuleio visus habet πταίοντα, quod ei magis quadrare videtur, utpote quod Christus mortalium judicio peccaverit. In 7 impressis est *παίζοντ' ἐν θνητοῖσι.*

Ἔστεψας. Ita emendavi ex ms. 7 Reg. inter quos duo sunt veterrimi, ex 3 Colbert., 1 Sorb., 1 Clarom., edit. 2 vet. Rom. et 8 aliis. In sex vulgatis est Ἔστρεψας.

Apud Esdram ita scriptum est, etc. Quædam loca e Scriptura describit Justinus Martyr, quæ a Judæis in odium Christi fuisse deleta contendit in dialogo cum Tryphone Judæo, 83. Τοῦτο τὸ πάσχα ὁ σωτὴρ ἡμῶν, etc. quæ ita refert et vertit Lactantius. Hæc tamen verba non occurrunt, neque in textu Hebræo, neque in codicibus Græcis, neque Latinis. Queritur quidem Justinus ea a Judæis deleta atque inducta fuisse : *Ex verbis*, inquit, *quæ Esdras de lege et constitutione paschatis commemoravit, hunc locum abstulerunt. Et dixit Esdras populo : Hoc Pascha Salvator noster*, etc. Necesse autem est in iis libris fuisse, quos Judæi in Canone receperunt.

Humiliare eum in signo. Ita cum mss. editi novem; et S. Justinus martyr ὸν σημείῳ, *in signo.* In mss. 1 Reg. rec., 1 Colbert., Brun. et 7 impressis est, *in ligno.*

Quem negaverunt. Sic mss. 2 Reg. antiquissimi, multique alii, et omnes editi. Eadem locutione usus est supra, cap. 12. In veterrimo Bononiensi et 15 aliis rec. est *necaverunt.*

In humilitate ejus, etc. Græcam LXX translationem secutus fere ubique est Lactantius, quibus illud *Nativitatem ejus* debetur, id est, γενεὰν, quod Latinus etiam Vulgatus est amplexus. CELLAR.

Ego agnus sine malitia. Ita restitui ex 2 antiquissimis mss. Reg., al. Reg. et 2 Brun. Nec aliter apud Cyprianum Testimonior. adv. Judæos, lib. II, cap. 15, et apud LXX Jerem. XI : Ἐγὼ δὲ ὡς ἀρνίον ἄκακον. In rec. mss. et in editis, *sine macula*; in Vulgata, *mansuetus.*

Lignum autem crucem significat, et panis corpus ejus. Sic emendavi ex mss. 1 Reg. optimæ notæ, 1 Colb. et 2 Brun. necnon ex antiqua Versione gallica 1563, quæ sic habet : *Or le bois signifie la croix, et le pain son corps.* Mss. 17 et 18 edit., *et panem corpus ejus*, mendose. — *Lignum autem*, etc. Origenes, Tertullianus: Hieronymus eodem modo exponunt, per panem nimirum corpus, per lignum crucem intelligentes, referentesque ad sacramentum corporis Christi. BETULEIUS.

Quia ipse est cibus. Id est, quia ipse est panis ille, qui de cœlo descendit (*Joan.* VI).

Vita omnium. Reposui *omnium* ex editis 3 vet. Rom. Venet. 1490, Cellar., Walch. cunctisque mss. præter 2 Reg. rec., 1 Sorbon., 1 Colbert. quibus est, *vita hominum.*

Qua pependit. Ita mss. antiquissimi 1 Bonon., Regio-Put., 6 Colb., Brun., 2 Clarom., edit. 2 vet. Rom. Scripti vero 1 Reg., 1 Colbert. a prima manu, et 17 impressi habent, *in qua pependit.*

Et erit pendens vita tua. Quod etiam Tertullianus adv. Judæos, cap. 11, et Cyprianus adversus eosdem, lib. II, cap. 20, et Augustinus lib. XVI, contra Fau-

Digitized by Google

los tuos, et timebis die ac nocte, et non credes vitæ tuæ. Idem rursus in Numeris (*cap.* XXIII) : *Non quasi homo Dominus suspenditur, neque quasi filius hominis minas patitur.* Zacharias (*cap.* XVI), etiam sic tradidit : *Et intuebuntur in me, quem transfixerunt.* Item David in psalmo XXI : *Effoderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea : ipsi autem contemplati sunt, et viderunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam sortem miserunt.* Quæ utique Propheta non de se locutus est. Fuit enim rex, et numquam perpessus est illa. Sed Spiritus Dei per eum loquebatur, qui fuerat illa passurus post annos mille et quinquaginta. Tot enim colliguntur anni a regno David usque ad crucem Christi. Sed et Solomon, filius ejus, qui Hierosolymam condidit, eam ipsam perituram esse in ultionem sanctæ crucis prophetavit : *Quod si avertimini a me, dicit Dominus, et non custodieritis veritatem meam, rejiciam Israel a terra quam dedi illis : et domum hanc, quam ædificavi illis in nomine meo, projiciam illam ex omnibus ; et erit Israel in perditionem, et in improperium populo : et domus hæc erit deserta; et omnis qui transibit per illam, admirabitur, et dicet : Propter quam rem fecit Dominus terræ huic et huic domui hæc mala? Et dicent : Quia reliquerunt Dominum Deum suum, et persecuti sunt regem suum dilectissimum Deo, et cruciaverunt illum in humilitate magna, propter hoc importavit illis Deus mala hæc.*

CAPUT XIX.

De Jesu morte, sepultura et resurrectione ; atque de iis rebus prædicta.

Quid amplius jam de facinore Judæorum dici potest, quam excæcatos tum fuisse, atque insanabili furore correptos, qui hæc quotidie legentes neque intellexerunt, neque quin facerent cavere potuerunt? Suspensus igitur atque affixus exclamavit ad Dominum voce magna, et ultro spiritum posuit. Et eadem hora terræ motus factus est. Et velum templi, quod separabat duo tabernacula, scissum est in duas partes; et sol repente subductus est, et ab hora sexta usque in nonam tenebræ fuerunt. Qua de re

VARIORUM NOTÆ.

stum, cap. 21, de Christi cruce interpretantur. Ex Cellario. — Id in Deuteron., cap. XXVIII, sed nimis allegorica videtur hæc Lactantii interpretatio.

Numeris. Non minus metaphorica est hæc interpretatio.

Dominus suspenditur. Legitur Deus.... apud Buneman. qui hujus vocis sic rationem reddit. — *Deus suspenditur.* Restituo *Deus* ex Lips. II, 3 Reimm.. Sublac., Rost., utraque Ven. 78, ita requirit oppositio, *homo;* et LXX, ὁ θεός; et Cyprian. l. II adv. Jud. c. 20. Bun.

Zacharias. Hæc vero prophetia ab Evangelista Joanne, cap. XIX, de Christo interpretatur.

Tot colliguntur anni. Recte equidem : nam a Dav de mortuo ad æram vulgarem anni intercedunt 1019, sed ad passionem 1052 sunt anni. At si juxta veteres Christus mortuus est duobus Geminis consulibus, id est anno æræ vulgaris 29, tunc erunt 1048 anni, quod idem est.

Solamon. Hæc leguntur lib. III Reg., cap. IX, et II Paralip., cap. VII : verum non est a Salomone conditam esse Hierosolymam.

Avertimini a me. Regum lib. III, c. IX. Sed alia sunt a Lactantio addita, alia vero detracta, ut locum consulenti patebit.

Improperium. Sic restitui ex duobus antiquissimis et optimis mss. Reg. 900 annor. et 1 alio Reg. 400 annorum, sed optimæ notæ. In multis recentioribus mss. et impressis legitur *opprobrium.*

Quia dereliquerunt. Sic. Lips. alter; ubi prope Reimm., *Qua de re linquerunt.* At taurin., Epit. c. 46, ut edidi. Bun.

Et persecuti sunt regem. Hæc nescio ex qua traditione adjecit, quorum nulla I Reg. 9, aut II Paralip. 7 vestigia apparent. Cell.

De facinore Judæorum. Ita restitui ex veterrimis II Reg., 4 cæteris Reg. bonæ notæ, aliisque. Editi multique recentiores mss., *de facinoribus,* male, cum hic de uno, scilicet in morte Christi perpetrato agatur.

Terræ motus factus, etc. Matth. XXVII, Marc. XV, Luc. XXIII, Joan. XIX. Aliquot in locis, non in Judæa tantum. Voluit enim Deus ostenti hujus memoriam extare. Vide quæ in Phlegonte et Thallo leguntur. Verissimum est apud prophetas terræ motu alibi rerum mutationem, alibi Dei majestatem significari : sed hic apertior est ea significatio, quæ pariter a Judæis et gentibus aliis poterat intelligi, iræ scilicet divinæ ob hominum scelera (*Psalm.* XVIII, 8; *Joel* XVI). Ita Virgilius solis caligini addidit terræ motum : nec aliter Lucanus et Seneca. Sane Centurio, et qui cum eo erant, ita interpretati sunt hoc prodigium. Inde enim colligebant Jesum inique damnatum (*Luc.* XXIII, 45). Grotius.

Et ab hora sexta, etc. Tertia hora diei judicia apud Romanos exerceri incipiebant :

Exercet raucos tertia causidicos.

In id tempus incidit et Pilati cognitio. Bene Ignatius ad Smyrnenses : Τῇ οὖν παρασκευῇ τρίτῃ ὥρᾳ ἀπόφασιν παρὰ ἐδέξατο τοῦ Πιλάτου. Ita ut ante sextam Christus sit crucifixus, post sextam cœperint tenebræ, mortuus autem Christus paulo post nonam. Idem Ignatius: ἕκτῃ ὥρᾳ ἐσταυρώθη, ἐννάτῃ ἀνέπνευσε : qui sensus legitur et in libro satis antiquo, cui nomen est Constitutiones Clementis, lib. V, cap. XIV : et lib. VIII, cap. XXXIV, quæ movere nos debent, ne quid in Scriptura Marci aut Joannis immutemus, contra vetustissimorum codicum et μεταφραστῶν auctoritatem. Neque vero illi inter se pugnant; nam mos loquendi natus ex templi consuetudine, ubi sacrificia et preces fieri solebant hora tertia, sexta, nona : ut præter Hebræos Hieronymus notat ad Danielem VII, quæ ipsa tempora festis maxime diebus tubæ sono significabantur, ut docemur Num. X, 10, quo factum, ut hæ horæ tamquam notiores vulgo celebrarentur; neque alia nomina horarum reperies, ubi statarum precationum fit mentio. Vide Act. c. III, v. 1, cap. X, v. 3, 9, et Tertullianum de Jejuniis, ubi has horas insigniores ait in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publice resonant. Qui cum congruunt, quæ scribunt Cyprianus de Oratione Dominica, et Hieronymus tum ad Lætam, tum ad Demetriadem. Atque eo pertinet quod est supra XX, 3, 5, ubi inter tertiam, sextam, et nonam, nulla hora nominatur, cum post nonam undecimæ fit mentio. Factum autem tertia aut sexta hora dicitur, quidquid inter illa stata precandi tempora evenerat, ut solent quæ in medio sunt posita nunc ad hunc, nunc ab illum terminum referri. Grotius.

Tenebræ fuerunt Sole scilicet obscurato, ut Lucas nos docet, non interposita luna, ut quæ tum plena esset, neque nube obducta, sed modo quodam hominibus ignoto. Ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, hic quod Marcus dixit ἐφ' ὅλην τὴν γῆν sicut pro toto telluris globo sumi non potest (multis enim in partibus dies non erat) ita de

Digitized by Google

Amos propheta testatur : *Et erit in illo die, dicit Dominus, occidet sol meridie, et tenebrabitur dies lucis; et convertam dies festos vestros in luctum, et cantica vestra in lamentationem.* Item Hieremias : *Exterrita est quæ parit, et tæduit animam; et subivit sol ei, cum adhuc medius dies esset; confusa est, et maledicta : reliquos eorum in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum.* Et Sibylla :

Ναοῦ δὲ σχισθῇ τὸ πέτασμα, καὶ ἡματι μέσῳ
Νὺξ ἔσται σκοτόεσσα πελώριος ἐν τρισὶν ὥραις.

Cum hæc facta essent, ne prodigiis quidem cœlestibus facinus suum intelligere quiverunt. Sed quoniam prædixerat se tertio die ab inferis resurrecturum, metuentes ne a discipulis surrepto et amoto corpore, universi resurrexisse eum crederent, et fieret multo major in plebe confusio, detraxerunt eum cruci, et conclusum in monumento firmiter militari custodia circumdederunt. Verum tertio die, ante lucem terræ motu facto, repente patefactum est sepulcrum, et custodibus, quos attonitos obstupefecerat pavor, nihil videntibus, integer e sepulcro ac vivus egressus, in Galilæam profectus est, ut discipulos suos quæreret : in sepulcro vero nihil repertum est, nisi exuviæ quibus involutum corpus incluse-

VARIORUM NOTÆ.

sola Judæa nolim accipi, cum veteres Astrologi et Chronographi hanc caliginem annotaverint, nullo addito loci nomine, unde late eam patuisse datur intelligi. Phlegon xiii' Olympiadum : Τῷ Δ ἔτει τῆς ΣΒ ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον, καὶ νὺξ ὥρα ς' τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. Σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατεστρέψατο. Terræ motus locum nominat, tenebrarum non nominat; et cum majores ante visis memorat, ita ut mera meridie velut nox esset, satis demonstrat non fuisse proprium Judææ hoc spectaculum. Eusebius Græcum alium citat, quem non nominat, ita scribentem de hac re : Ὁ ἥλιος ἐξέλιπεν. Βιθυνία ἐσείσθη. Νικαίας τὰ πολλὰ ἔπεσεν. Tertullianus in Apologetico : *Tamen suffixus multa mortis illius propria ostendit insignia. Nam spiritum cum verbo sponte dimisit, prævento carnificis officio : eodem momento dies, medium orbem signante sole, subducta est. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt. Et tamen eum mundi casum relatum in archivis vestris habetis.* Ubi non video cur archiva alia quam acta publica Romana, accipiamus, ad quæ, ni fallor, et Lucianus martyr provocat apud Eusebium. Et cum mundi casum vocat, satis cavit ne Judææ peculiaris crederetur. Grotius.

Amos. Id. cap. viii, de quo vide S. Hieronymum in Prophetas.

Tenebrabitur. Sic restitui ex mss. Regio-Put. antiq., 4, al. Reg., Jun., 6, Colb., 2, Sorbon., 2, Lips., Em., Cant., 2, Clarom. et edit. 3, vet. Rom., Venet. 1490, Ald., Paris., 1525, Cellar., Walch. in recentioribus iii, Reg., 1 Lips. Brun. et 11 excusis est *obtenebrabitur;* in 1 Reg. perantiquo, *obtenebricabitur.* Sed et verbo *tenebrare*, id est *tenebras inducere*, utuntur Apuleius lib. viii, Chrysologus, et Ammianus.—*Tenebrabitur.* Buneman. autem, *obtenebrabitur;* et hujus variantis lectionis sic rationem reddit. — *Obtenebrabitur.* Major debet esse auctoritas antiquissimi codicis Taurin. in quo Epit. c. 46, et in Cypriano, quem hic etiam ipso dictorum ordine ex l. ii adv. Jud., c. 23, sequitur, habetur, *obtenebrabitur*, æque ut in Lips. primo, Fasit., Gryph., Tornes., Betul., Thomas., Isæo, Thys., Gall., Sparkio. Bun.

Hieremias. Vide c. xv, v. 9, et S. Hieronym.

Et subivit sol ei. Hanc lectionem vetustiorum et meliorum codicum 7 Regiorum, 3 Colbert., 1 Sorbon., Em., Cant., Brun., edit. 2 vet. Rom., Florent., Is., restitui, quæ verosimili est Lactantii, utpote quam habent Septuaginta et S. Cyprianus lib. ii Testimonior. cap. 23.

Ναοῦ δέ. Ex Sibyllar. carminibus Serm. 8, quæ interpretantur latine:

Templi vero scindetur velum, et medio die
Nox erit tenebrosa ingens tribus horis.

Pro *ingens*, legitur *nimis* in 3 Colb., 1 Brun, et apud Augustin., de Civ. Dei, lib. xviii, c. 23.

Σχισθῇ τὸ πέτασμα. Sic emendavi ex antiquissimis et optimis 2 Reg. et ms. codice Sibyllino quem vidit Betuleius, et ex eo quem vidit Isæus; nec aliter legi potest, ut constare possit ratio metri, quod redundat in aliis rec. 4 Reg., 3 Colbert., 1 Sorbon., 1 Clarom. et in 9 editis, σχισθήσεται; in 1 Reg. σχισθητοίσατα; in 3 vulgatis σχισθῆται; in edit. Is. σχίσθητε. Ms. Cauc. habet ἐσχίσθη.

Detraxerunt eum cruci. Ita mss. et editi codices præter Em. cui est, *detraxerunt eum cruce;* ed. Torn., *de cruce.* Et infra, cap. 26, post med., *Corpus patibulo detractum est.* Vide Act. xiii.

Integer e sepulcro. Sic reposui ex mss. et quam pluribus editis. 1 Clarom. habet *de sepulcro;* 1 Colbert. rec. et edit. Fasitel., *a sepulcro;* vulgati 4, *integre e sepulcro.* Vide Matth. cap. xvi et xxviii, Marc. xvi, Joan. xx.

In sepulcro vero, etc. Quale fuit Lazari sepulcrum, tale et Domini nostri fuisse, in crypta nempe ac specu defosso certum est. *Cryptam* vocat Sidonius : *in sinistra autem parte est monticulus Golgotha, ubi Dominus crucifixus est. Inde quasi ad lapidis missum est crypta, ubi corpus ejus positum fuit, et tertia die resurrexit.* Non alio genere structa hæc crypta videtur, nec alia forma, quam illa Lazari, subterranea quippe, et saxo constructa, et fornice tecta, et foramine, quod lapide cludebatur, aperta, quales omnes cryptæ ædificabantur mortuis recondendis. Volunt tamen ex rupe excisam esse illam Dominicam cryptam, inducti his verbis Marci : Ἦν λελατομημένον ἐκ πέτρας, *quod erat excisum e petra.* Alii *rupe* interpretantur; quasi et rupes in eo horto fuerit, ubi monumentum erat, in quo positum est corpus Domini. Sed fallit eos ratio. Veteri quidem Græciæ πέτρα idem quod rupem significat. Hic est monumentum ex lapide cæso ac polito constructum. Cæterum quidem vulgus et plebs infima, quæ propter facultates monumenta sibi ædificare non poterat, in depressis fossis mortuos suos condebant, et terra obruebant. Nec hoc in Judæa tantum, sed apud Græcos Romanosque pariter obtinuit. Quibus vero facultates suppetebant, hi monumenta habuere structa sibi suisque. Monumentum igitur illud Josephi, in quo Christi corpus jacuit, spelunca quidem fuit sive crypta, et ex terra cavata, sed lapide structa, et concamerata, ut solent hodie fieri omnes apothecæ vinariæ, quas appellamus *cavas.* Hortus fuit, in quo sub terra constructum illud monumentum, non saxosus, nec scruposus, sed qualem decuit horti agrum esse, in quo nullæ rupes, nec rupinæ. Sed nec terram ipsam horti ὑπόπετρον fuisse credibile est. Spelunca illa, sive crypta, manu facta quæ monumenti usum præbebat, structura et fornice constans, horti solo suberat. In ipso solo foramen, cui lapis impositus operculi vicem gerebat; in horti area illud erat monumentum, sub terra lapide quadrato septum, et fornice tectum, foramine desuper patente, quod saxo devoluto operiebatur. Certum porro est Judæos corpora defunc-

Digitized by Google

rant. Illum autem apud inferos non remansurum, sed die tertio resurrecturum, prophetæ cecinerant. David in psalmo XV: *Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis sanctum tuum videre interitum.* Item in tertio: *Ego dormivi et somnum cepi, et resurrexi; quoniam Dominus auxiliatus est mihi.* Oseas(*c.* XIII) quoque primus XII prophetarum de resurrectione ejus testificatus est: *Hic filius meus sapiens; propter quod nunc non resistet in tribulatione filiorum suorum, et de manu inferorum eruam eum. Ubi est judicium tuum, mors, aut ubi est aculeus tuus?* Idem alio loco: *Vivificabit nos post biduum die tertio.* Et ideo Sibylla impositurum esse morti terminum dixit post tridui somnum:

Καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει, τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας,
Καὶ τότ' ἀποφθίμενον ἀναλύσας εἰς φάος ἥξει
Πρῶτος ἀναστάσεως, κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.

Vitam enim nobis acquisivit morte superata. Nulla igitur spes alia consequendæ immortalitatis homini datur, nisi crediderit in eum, et illam crucem portandam patiendamque susceperit.

CAPUT XX.

De Jesu in Galilæam post resurrectionem profectione; atque de utroque Testamento, Vetere et Novo.

Profectus ergo in Galilæam (noluit enim se Judæis ostendere, ne adduceret eos in pœnitentiam, atque impios resanaret), discipulis iterum congregatis Scripturæ sanctæ litteras, id est prophetarum arcana, patefecit; quæ antequam pateretur, perspici nullo modo poterant, quia ipsum passionemque ejus annuntiabant. Idcirco Moses, et iidem ipsi prophetæ legem, quæ Judæis data erat, Testamentum vocant; quia nisi testator mortuus fuerit, nec confirmari testamentum potest, nec sciri quid in eo scriptum sit, quia clausum et obsignatum est. Itaque nisi Christus mortem suscepisset, aperiri testamentum, id est, revelari et intelligi mysterium Dei non potuisset.

Verum Scriptura omnis in duo Testamenta divisa est. Illud quod adventum passionemque Christi antecessit, id est lex et prophetæ, Vetus dicitur; ea vero quæ post resurrectionem ejus scripta sunt, Novum Testamentum nominantur. Judæi Veteri utuntur, nos

VARIORUM NOTÆ.

torum non condidisse in arcis, aut lectulis, sive sarcophagis, sed solis lineis tæniatim scissis operta et amicta intulisse monumento. In monumenti lateribus exsculpti erant cavi singulis corporibus recipiendis idonei, quibus ea immittebantur, sicut erant tæniis vel fasciis velata. Hi cavi in pariete monumenti excavati, in quos tradebatur cadaver, vicem lectorum vel arcularum præbebant, quibus in Græcia corpora defunctorum condi solebant.

Psalmo. Citatur idem psalmus a B. Paulo in concione quæ est Act. XIII.

Oseas. Hic primus minorum prophetarum. Sed hæc quæ ex versione LXX interpretum, minime tamen ad verbum translata sunt, non leguntur in Hebræo codice. Hæc refert etiam B. Paulus I ad Corinth., cap. XV, sed quibusdam immutatis; atque aculeum mortis Apostolus peccatum interpretatur.

Nunc non resistet in tribulatione. Hæc lectio est quamplurimorum mss. 9 editorum. Scripti novem et vulgati septem habent *contribulatione*, sed horum quinque sine negatione.

Alio loco. Hæc in Oseæ cap. VI, integre tamen non citatur. Vide etiam S. Hieronymum.

Somnum.. Id est mortem, figurate, ut apud sacros scriptores.

Καὶ θανάτου. Hæc ex Sibyllar. carminib. Serm. 8, quæ sic latine leguntur:

Et mortis fatum finiet, triduo (*a*) dormiens,
Et tunc mortem solvens (*b*) in lucem veniet
Primus resurrectionis, vocatis initium ostendens.

Ἀναλύσας. Sic restitui ex mss. 2 Reg. quorum unus est antiquissimus, 1 Colb., et ex codice Sibyllino. Regio-Puteanus et 1 al. Reg. ac edit. Rom. 1470 habent, ἀναδίσας; 2 Reg. rec., Colb.. 1 Sorbon., Tornes., 1 Clarom., edit. Rom. 1468, Ald. et 4 alii impressi, ἀναδείξας Cauc. et 4 excusi, ἀνακύψας.

Galilæam. Sicut prædixerat Matth. XXVI et Marc. XIV.

Ne adduceret eos in pœnitentiam. Et sic Tertullianus Apologetic., cap. 21. Similes fere locutiones reperies in Joan. IX, 37, et cap. VII, 37, Rom. I, 24, 26, 28, et cap. IX, 15. Vide prolixissimam Isæi notam in hunc locum, ad calcem hujusce voluminis; ubi videbis hæc Lactantii verba esse mollienda, ut ad normam catholicam accommodentur.

Perspici nullo modo poterant. Gallæus dicit Lactantium *in hoc allucinari* contra II Petr. I, 19. Sed satis explicari potest ex aliis locis. L. IV, c. 15: *Illum prophetæ annuntiaverunt*, nec ullo *modo poterant, quæ illi loquebantur intelligi*, NB. *nisi fuissent, universa impleta.* De Mort. persec., c. 2: *Scripturas interpretatus est, quæ* usque ad id tempus *obscuræ, atque involutæ fuerunt.* Vides, his omnibus locis agi de vaticiniis et mysteriis de Christo ante impletionem non perspectis, quia ut nostro loco infra sequitur: *clausa et obsignata..... ad certum tempus*, non omne. BUN.

Testamentum vocant. Διαθήκην, quæ vox apud Septuaginta testamentum, pactum et fœdus significat. Ex Mose testimonium esto, Deuter. XXIX: Καὶ φυλάξεσθε ποιεῖν πάντας τοὺς λόγους τῆς διαθήκης ταύτης. Fœdus hoc loco significat, et sic transfertur, ratione nimirum ita postulante. Nam fœdus vivi cum vivis ineunt, testamentum mortuus cum vivis. Illud juris gentium est, hoc juris civilis. Propheticum si desideras testimonium, accipe Malachiæ ex capite secundo: Διότι ἐγὼ ἐξαπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς τὴν ἐντολὴν ταύτην τοῦ εἶναι διαθήκην μοῦ πρὸς τοὺς Λευεῖτας, λέγει Κύριος παντοκράτωρ. ἡ διαθήκη μοῦ ἦν μετ' αὐτοῦ τῆς ζωῆς καὶ τῆς εἰρήνης. Hæc igitur juxta Hebraicam veritatem sic redduntur vers.. 4: *Nostis me misisse ad vos præceptum istud, ut sit fœdus meum cum tribu Levi, ait Jehova exercituum; fœdus meum fuisse cum illa vitæ et pacis.* Ibique fœdus συνθήκη Græcis est, sicut et Symmacho. Sed Paulus ad Hebræos, cap. IX, LXX secutus, utrinque διαθήκην vocat, vetus nimirum cum Abraham et Mose initum, et novum per Christum cum Ecclesia. BETULEIUS.

Quia nisi testator, etc. Verba Pauli hæc asseverant Hebr. IX. Ulpianus testamentum definit hoc modo: Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit. lib. I, ff. Qui testamentum facere possint. BETULEIUS.

Ea... quæ... scripta sunt, novum testamentum nominantur; at obstant omnes libri. Hæc dicta, ut Terent. Andr. Act. III, sc. 3. *Amantium* iræ *amoris integratio* est. Sallust. Jugurtha, 18: *Numidæ possedere*

(*a*) *Dormiens*, ex ms. 1 Brun. recte, al. *sopitus.*
(*b*) Pro *mortem solvens*, alii habent *a mortuis egressus*; 1 Brun. cum Augustino, *ab inferis regressus.*

Digitized by Google

novo : sed tamen diversa non sunt, quia Novum Veteris adimpletio est, et in utroque idem testator est Christus, qui pro nobis morte suscepta nos hæredes regni æterni fecit, abdicato et exhæredato populo Judæorum ; sicut Hieremias propheta testatur (*cap.* XXXI), cum loquitur talia : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus ; et consummabo domui Israel et domui Juda testamentum novum, non secundum testamentum, quod disposui patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti ; quia ipsi non perseveraverunt in testamento meo et ego neglexi eos, dicit Dominus.* Item alio loco (*cap.* VI) similiter ait : *Dereliqui domum meam ; dimisi hæreditatem meam in manus inimicorum ejus. Facta est hæreditas mea mihi, sicut leo in silva : dedit ipsa super me vocem suam ; ideo odi eam.* Cum sit hæreditas ejus, cœleste regnum, non utique ipsam hæreditatem se dicit odisse, sed hæredes, qui adversus eum ingrati et impii extiterunt. Facta est, inquit, mihi hæreditas mea, sicut leo : id est, præda et devoratio factus sum hæredibus meis, qui me immolaverunt sicut pecus. Dedit super me vocem suam ; id est, sententiam adversus me mortis crucisque dixerunt. Nam quod superius ait consummaturum se domui Juda testamentum novum, ostendit, vetus illud testamentum, quod per Mosem est datum, non fuisse perfectum ; id autem, quod per Christum dari haberet, consummatum fore. Domus autem Juda et Israel non utique Judæos significat, quos abdicavit, sed nos, qui ab eo convocati ex Gentibus, in illorum locum adoptionemque successimus, et appellamur

A filii Judæorum ; quod declarat Sibylla, cum dicit :

Ἰουδαίων μακάρων θεῖον γένος οὐρανιώνων.

Quos autem futurum esset id genus, Esaias docet (*cap.* XLII), apud quem Pater summus ad Filium loquitur, dicens : *Ego Dominus Deus, vocavi te ad justitiam, et tenebo manum tuam, et confirmabo te, et dedi te in testamentum generis mei, in lucem gentium, aperire oculos cæcorum, producere ex vinculis alligatos, et de domo carceris sedentes in tenebris.* Cum igitur nos antea tamquam cæci, et tamquam carcere stultitiæ inclusi, sederemus in tenebris, ignorantes Deum et veritatem, illuminati ab eo sumus, qui nos testamento suo adoptavit, et liberatos malis vinculis, atque in lucem sapientiæ productos, in hæreditatem regni cœlestis adscivit.

B

CAPUT XXI.

De Jesu ascensione, eaque prædicta ; et de discipulorum prædicatione et gestis.

Ordinata vero discipulis suis Evangelii ac nominis sui prædicatione, circumfudit se repente nubes, eumque in cœlum sustulit, quadragesimo post passionem die, sicut Daniel fore ostenderat (*cap.* VII), dicens : *Et ecce in nubibus cœli ut filius hominis veniens, usque ad vetustum dierum pervenit.* Discipuli vero per provincias dispersi fundamenta Ecclesiæ ubique posuerunt, facientes et ipsi in nomine magistri Dei magna, et pene incredibilia miracula ; quia discedens instruxerat eos virtute ac potestate, qua posset novæ annuntiationis ratio fundari, et confirmari : sed et futura aperuit illis omnia, quæ Petrus

C

VARIORUM NOTÆ.

ea loca, quæ *proxime Carthaginem Numidia appellatur.* BUN.

Sed tamen diversa non sunt. Irenæus, lib. IV, cap. 21 : *Utraque testamenta unus et idem paterfamilias produxit, verbum Dei Dominus noster Jesus Christus, qui et Abrahæ et Mosi locutus est, ac nobis in novitate restituit libertatem, et multiplicavit eam, quæ ab ipso est, gratiam.* BETULEIUS.

Abdicato et exhæredato populo Judæorum. Eleganter Lactantius has voces conjungit, ut rem majore vi exprimat. *Abdicati* sunt, qui, vivente patre, jure paternorum bonorum prohibentur ; *exhæredati*, qui mortuo patre bonis ejus depelluntur.

Hieremias. Citatur etiam a Paulo, cap. IX Epist. ad Hebræos, ac etiam a B. Irenæo, lib. IV, cap. 21. Sed hic Lactantius nec LXX Interpretes, nec Beatum Paulum secutus est.

Immolaverunt. Hic obiter insinuat Christum Dominum pro nostris peccatis factum esse piamen et sacrificium ; de quo vide Epistolam ad Hebræos.

Sententiam adversus me. Ita restitui ex vet. Regio-Put., Cauc., Jun., 4 Colb. novemque aliis et 10 editis, nisi quod est *adversum* in 8 scriptis. In 2 Reg., 2 Colb., 2 Clarom, et 6 excusis est *sententias.*

Haberet. Heuman. legit, *deberet.* — *Dari haberet.* Lego, inquit Heumann., *deberet.* Nihil muto. Cyprianus in eadem re l. I adv. Jud., c. 10 : *Quod lex nova dari haberet, quod testamentum novum dari haberet.* Plura dedi ad l. IV, c. 12. BUN.

Adoptionemque successimus. Mss. 1 Reg. veterrimus *adoptiones successimus*, mendose ; Regio Put., Jun., 4 Colbert. et 6 edit. vet., *adoptione successimus.* — *In illorum locum adoptione successimus.* Sic restituo ex Goth., Lips. I, 3 : *In locum succedere* dixit iterum l. VI, cap. 12. Cyprianus in præf. l. I adv. Judæos : *Successisse in eorum* (Judæorum) *locum Christianos.* Justinus l. VII, c. 1 : *In locum omnium solus successit.* BUN.

Et appellamur, etc. Hoc alludit ad verbum : *Dedit enim potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine ipsius*

Ἰουδαίων Sibylla Serm. 5, latine :

Judæorum beatorum divinum genus cœlestium.

Vocavi te ad justitiam. Mss. 2 Reg. et 1 Lips. ac 7 edit., *in justitiam ;* 1 Reg. rec., 1 Lips., ed. Rom. 1474, *in justitia ;* LXX, ἐν δικαιοσύνῃ.

D *Confirmabo te.* Abest *te* a 5 editis rec.

Ordinata vero discipulis suis Evangelii ac nominis sui prædicatione. Sic lego cum ms. antiquissimo Reg. accedente Regio. Put. cui est, *Post ordinata vero discipulis suis Evangelia ac nominis sui prædicatione*, mendose. Mss. codices 10 rec. et 7 typis excusi, *Ordinata... Evangelica*, etc. Jun. et Goth., *Ordinata discipulis suis Evangelica doctrina*, etc. Mss. Cauc., 4 Reg., 4 Colb., 5 al. rec. et 7 vet. edd., *Ordinato vero... Evangelio*, etc. Vide Matth. XIV, Marc. cap. ultimo. Hoc capite breviter et dilucide narrat Lactantius, quæ ab ascensione Domini ad excidium Jerusalem gesta sunt.

Daniel. Hunc locum de secundo Christi adventu multi interpretantur.

Facientes et ipsi in nomine. Ex mss. et quam plurimis editis vet. addita præpositio *in* quæ in 1 ms. Reg. et nonnullis editis deerat.

Magistri Dei. Ita passim Lactantius.

Digitized by Google

et Paulus Romæ prædicaverunt, et ea prædicatio in memoriam scripta permansit; in qua cum multa alia mira, tum etiam hoc futurum esse dixerunt, ut post breve tempus immitteret Deus regem, qui expugnaret Judæos, et civitates eorum solo adæquaret, ipsos autem fame sitique confectos obsideret. Tum fore ut corporibus suorum vescerentur, et consumerent se invicem; postremo ut capti venirent in manus hostium, et in conspectu suo vexari acerbissime conjuges suas cernerent, violari ac prostitui virgines, diripi pueros, allidi parvulos, omnia denique igni ferroque vastari, captivos in perpetuum terris suis exterminari; eo quod exultaverint super amantissimum et probatissimum Dei Filium. Itaque post illorum obitum, cum eos Nero interemisset, Judæorum nomen et gentem Vespasianus extinxit, fecitque omnia quæ illi futura prædixerant.

CAPUT XXII.

Argumenta Infidelium contra Jesu incarnationem.

Confirmata sunt, ut opinor, quæ falsa et incredibilia putantur ab iis, quos vera cœlestium litterarum doctrina non imbuit : sed tamen ut refellantur a nobis etiam illi, qui nimium non sine malo suo sapiunt, rebusque divinis fidem detrahunt, argumentis quoque illorum coarguamus errorem; ut tandem aliquando pervideant ita fieri oportuisse, sicut nos ostendimus factum. Et quamquam apud bonos judices satis habeant firmitatis vel testimonia sine argumentis, vel argumenta sine testimoniis; nos tamen non contenti alterutro sumus, cum suppetat nobis utrumque, ne cui perverse ingenioso, aut non intelligendi, aut contra disserendi locum relinquamus. Negant fieri potuisse, ut naturæ immortali quidquam decederet. Negant denique Deo dignum, ut homo fieri vellet, seque infirmitate carnis oneraret; ut passionibus, ut dolori, ut morti se ipse subjiceret : quasi non facile illi esset, ut citra corporis imbecillitatem se hominibus ostenderet, eosque justitiam doceret (siquidem id volebat) majore auctoritate, ut professi Dei. Tunc enim cunctos fuisse præceptis cœlestibus parituros, si ad ea virtus ac potestas Dei præcipientis accederet. Cur igitur (aiunt) ad docendos homines non ut Deus venit? Cur se tam humilem imbecillemque constituit, ut ab hominibus et contemni, et pœna affici posset? cur vim ab imbecillis, et mortalibus passus est? cur non manus hominum, aut virtute repulit, aut divinitate vitavit? cur non majestatem suam sub ipsa saltem morte patefecit? sed ut invalidus in judicium ductus est, ut nocens damnatus, ut mortalis occisus. Refutabo hæc diligenter, nec quemquam patiar errare. Illa enim magna et mirabili ratione sunt

VARIORUM NOTÆ.

Petrus et *Paulus*, etc. Quæstio controvertitur a protestantibus quibusdam, utrum Petrus Romæ fuerit umquam; et si ibi fuerit, ut ex D. Hieronymo et scriptoribus antiquis disci potest, quod ibi præfuerit Ecclesiæ tamquam pastor. Ad saniorem porro sententiam jamdiu inclinarunt protestantium doctissimi. Si enim Patrum suffragiis agere volumus, inveniemus Petrum Romæ prædicasse, passum ibi, sepultumque fuisse. Sic Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum memoriæ mandavit. Item Theodoretus Commentar. in cap. I Rom.; Irenæus antiquissimus, et Apostolorum temporibus proximus, lib. III, c. 3, Romanam Ecclesiam a Paulo ac Petro constitutam fuisse testatur; quem secutus est Epiphanius libri primi tomo secundo, Romanorum episcoporum catalogum recensens. Tertullianus item, de Præscription. Hæreticorum, hujus mentionem facit. Eusebius in Hist. Ecclesiast. lib. II, cap. 25, et Caii cujusdam antiqui scriptoris, et sepulcri ipsius (quod et Hieronymus contra Vigilantium facit) testimonium adducit. Meminit item lib. III, cap. 2. Atque idem rursus Eusebius in Chronicis, Petrum sub initium Claudii principatus Romæ pontificatu per functum fuisse testatur, et decimo quarto Neronis anno gloriose pro nomine Christi occubuisse. De Petri rebus Romæ gestis, deque ipsius sub Nerone passione multa scribit Egesippus, antiquissimus historicus, qui historiam Ecclesiasticam a Domini passione ad sua tempora usque contexuit, lib. III primis tribus capitibus. Neque Clemens obticet. Sunt etiam apud Augustinum et Chrysost. mentiones hujus rei, cujus magnus est apud summæ auctoritatis scriptores consensus. Betuleius. — Vide doctissimas Exercitationes Historico-criticas Samuelis Basnagii Flottemanvillei ad an. XLIV, n. 25, a pag. 547 ad 564. Verum has Romanas prædicationem et passionem Petri nunc extra controversiam fatentur omnes critici. Adi Davidem Blondellum in Dissertatione, et Pearsonium in Operibus posthumis. Vide etiam librum de Mortibus persecutorum, c. II, circa medium.

In memoriam scripta. Hic erat titulus libri cujusdam supposititii, jam deperditi; de quo vide Fabricium in *Codice apocrypho N. Testam.*, pag. 800.

Civitates. Plures scripti et editi in plurali : at Subl., Rost., Ven. 1471, in singulari, *civitatem*, puta Hierosolymam, in quam hæc maxime quadrant Luc. XIX, cap. 43.

Cum eos Nero interemisset. Certum est Paulum Romæ martyrium passum esse : de supplicio veteres fere in gladium consentiunt; sic Eutychius, in Origin. Alexandrin., *Gladio trucidavit Paulum.* Vide Samuel. Basnagium loco supra citato. Martyrio autem coronati sunt Petrus et Paulus, 29 Junii, æræ christianæ anno 66, Suetonio Paulino et L. Pontio Felesino consulibus : non sub Basso et Tusco, qui erant consules anno 258, quo anno facta est translatio SS. Apostolorum, eo ipso die quo eorum festivitas agebatur.

Pervideant. Sic quam plurimi mss. et editi, necnon Lactantius infra in hujusce capitis fine, *facile pervidebit*; et cap. 30, circa medium, *vim rationemque* penitus *pervidebat*. 2 Reg. et 1 Clarom. ferunt *provideant*; 1 Colb., Tornes., 1 Clarom., *credant*; edd. Ald., Paris. 1525, Crat. et Graph., *videant*.

Volebat. Mss. Tornes., 3 Colb. et 5 excusi, *valebat*; Em. *valebit*; Reg. rec. *volebant*.

Professi Dei. Hæc lectio est mss. Vaticanorum, 9 Reg., Cauc., 6 Colb., 1 Sorbon., 5 Oxon., Ultr., Em., Cant., Tax., Pen., 2 Clarom., 1 Bonon. rec. Brun. et 14 vet. editorum. In 1 Reg. est *professi Deum*; in 1 Lips. et Goth. *professio Deum*; in 1 Bonon. antiq., *præceptis Dei.* Mss. 2 Reg. rec. et Cantabrig., 1 Colb. in marg. et edit. 3 vet. Rom., Ald. et 9 alii præmittunt, *aiunt. Professi Dei*, hoc est, qui se Deum esse profiteretur, neque dissimularet. Sic Mars professus dicitur, non clandestinus aut tectus velo pacis, sed apertus et præ se ferens bellum. Sic legit maxima pars mss. 1 Bonon. legit *ut præceptis Dei*, eamque lectionem sequitur Thomas. : sed quidquid

Digitized by Google

facta; quam quicumque perceperit, non tantum mirari desinet Deum ab hominibus esse cruciatum, verum etiam facile pervidebit ne Deum quidem potuisse credi, si ea ipsa quæ arguit facta non essent.

CAPUT XXIII.

De præcipiendo et agendo.

Quicumque præcepta dat hominibus ad vitam, moresque fingit aliorum, quæro debeatne ipse facere quæ præcipit, an non debeat? Si non fecerit, soluta præcepta sunt. Si enim bona sunt quæ præcipiuntur, si vitam hominum in optimo statu collocant, non se debet ipse præceptor a numero cœtuque hominum segregare inter quos agit; et ipsi eodem modo vivendum est, quo docet esse vivendum, ne si aliter vixerit, ipse præceptis suis fidem detrahat, levioremque doctrinam suam faciat, si reipsa resolvat, quod verbis nitatur adstringere. Unusquisque enim, cum audit præcipientem, non vult imponi sibi necessitatem parendi, tamquam sibi jus libertatis adimatur; respondet itaque doctori hoc modo : Non possum facere quæ jubes, quoniam sunt impossibilia. Vetas me irasci, vetas cupere, vetas libidine commoveri, vetas dolorem, vetas mortem timere : sed hoc adeo contra naturam est, ut his affectibus animalia universa subjecta sint; vel si adeo putas repugnari posse naturæ, et tu ipse quæ præcipis fac, ut sciam fieri posse. Cum autem ipse non facias, quæ insolentia est, ut homini libero imponere velis leges quibus ipse non pareas? Prius disce, qui doces, et antequam mores aliorum corrigas, tuos corrige. Quis neget justam esse hanc responsionem? Quin etiam in contemptum veniet hujusmodi doctor, et deludetur vicissim, quia videbitur et ipse deludere.

Quid ergo faciet ille præceptor, si hæc ei fuerint opposita? quomodo adimet excusationem contumacibus, nisi ut præsentibus factis doceat, possibilia se docere? Unde evenit, ut philosophorum præceptis nullus obtemperet. Homines enim maluut exempla, quam verba; quia loqui facile est, præstare difficile. Utinam quidem tam multi bene facerent, quam multi loquuntur bene. Sed qui præcipiunt, nec faciunt, abest ab iis fides. Et si homines fuerint, contemnentur ut leves; si Deus, opponetur ei excusatio fragilitatis humanæ. Superest ut factis verba firmentur, quod philosophi facere nequeunt : itaque cum ipsi præceptores vincantur affectibus, quos vinci prædicant oportere, neminem possunt ad virtutem, quam falso prædicant, erudire; ob eamque causam putant, neminem adhuc perfectum extitisse sapientem, id est, in quo summæ doctrinæ ac scientiæ summa virtus et perfecta justitia consenserit, quod quidem verum fuit. Nemo enim post mundum conditum talis extitit, nisi Christus, qui et verbo sapientiam tradidit, et doctrinam præsenti virtute firmavit.

CAPUT XXIV.

Eversio argumentorum supra objectorum.

Age, nunc consideremus, an doctor e cœlo missus possit non esse perfectus. Nondum de hoc loquor,

VARIORUM NOTÆ.

dicat, nihil nos immutandum censuimus. GALLÆUS.

Quam quicumque. Sic restitui ex mss. 2 Bon., Regio-Put., 6 al. Reg., 6 Colb. Lipsiensibus, et 10 aliis rec. ac vet. edit. Rom., Cellar, et Walch. referendo scilicet ad *mirabilem rationem*, 2 Reg., Cauc., Jun. et 15 impressi habent *quæ*, referendo ad *facta*.

Præcepta dat hominibus ad vitam. Ita a me restitutum ex veteribus edit. Rom., Paris. 1525, Crat., antiqua Versione gallica, cunctisque mss. præter 2 Reg. rec. in quibus ut et in vulgatis 15 legitur, *ac vitam*.

Inter quos agit. Præstat ex ipso Lactantio, quam ex aliis confirmare, lib. IV, c. 27 : *Quum inter homines ageret.* De Ira, c. 1 : *In carne mortali agentes.* De Mort. Pers., c. 10 pr. : *Quum ageret in partibus Orientis.* BUN.

Inter quos agit; et ipsi eodem modo vivendum est. Mss. 11 rec. ferunt, *habitat ipse;* 6 rec., *habitet. Habitat* seu *habitet* videtur glossema esse τοῦ *agit*, quod antiquissimorum mss. est. Sic infra idem ait initio capitis 27 : *Cum inter homines ageret.* Ait enim S. Joan. Chrysostom. : *Qui aliter loquitur quam vixit, docet quomodo Deus eum debeat punire.* Ac his ultimis sæculis dicit Comes Mirandulanus, *tantum quemque scire quantum operatur.*

Adstringere. Sic reposui ex cunctis mss. et ex editis 3 vet. Rom. necnon Cellar. et Walch. apposite, ut resolutis opponatur. *Adstringere* vero et *resolvere*, rectius opponuntur, quam *adstruere* et *resolvere*, quæ sunt in 13 impressis.—Exemplo Cicer. pro Cluentio, c. 57 : *Ne lege ea ex quæstione qua se* solutum *liberumque esse arbitretur*, per *paucos judices* adstringatur. Ipse Lactantius, l. IV, c. 24 : *Ut præcepta sua factis adimplendo cæteros parendi necessitate constringat.* BUN.

Respondet. Restitutum a me ex mss. vet. 2 Bonon., 7 Reg., 5 Vaticanis, Colb., 3 Lips. et 6 aliis. In Cauc. et edit. Betul. est *respondeat;* in tribus rec., *respondit;* in 3 al. rec. et in excusis, *respondebit.*

Vetas dolorem, vetas mortem timere. Mss. 11 rec., *dolorem vel mortem;* 6 vet. edit. et 2 Reg., *ait mortem;* 1 Reg. rec., *vetas dolere, vetas mortem timere.*

Faciet. Sic ms. Sangerm. et edit. Cellarii atque aliæ : in multis est *faciat.*

Unde. Ex vet. edit. 8 cunctisque mss. repositum, præter 4 Reg., 1 Colb. et 10 vulgatos, in quibus est, *inde.*

Maluut exempla, quam verba. Τὰ ἔργα ad aliorum conversionem majorem vim habent, quam ψιλοὶ λόγοι, inquit Chrysostomus, Homil. 19, in epist. ad Hebræos. *Efficacior est vox operis, quam sermonis,* inquit Bernardus. *Plus valet vivendi quam loquendi modus,* Augustin., ep. CXII; *Optimum est exemplo potius docere quam dictis,* Hilarius, c. 5, Matth. JOAN. GERHARDI.—Addam Lactantium nostrum Divin. Institut., l. III, c. 16 : *Qui docent tantum, nec faciunt, ipsi præceptis suis detrahunt pondus... Bonum est autem recta et honesta præcipere : sed nisi et facias, mendacium est; et incongruens atque ineptum, non in pectore, sed in labris habere bonitatem.* Et S. Leo, papa, serm. de Jejunio, ait : *Validiora sunt exempla quam verba; et plenius opere docetur quam voce.*

Utinam quidem. Ita restitui ex quamplurimis mss. et editis, recte, propter *sed* quod sequitur. In 3 Reg. et vulgatis 7 est *utinamque.* In 1 Lips. prætermissum *quidem.*

Extitisse. Ex mss. veterrimis 2 Bonon., Cauc., 8 Reg., Jun., 4 Colb. aliisque undecim, et 3 editis repositum; in 2 Reg., 2 Colb. et 8 vulgatis legitur *esse.*

Summæ doctrinæ ac scientiæ summa. Mirum in modum mihi placet Betuleii lectio : *summa doctrina ac scientia, summæ virtutis et perfecta justitia,* quam merito Sparkius expressit. Altera est in omnibus mss. et reliquis editis. Vestigia veri in Emman. *In quo* summa *doctrinæ ac scientiæ.* BUN.

Consenserit. Sic passim loqui amat Lact. mss. 2 rec. et edit. rec. *consenserint.*

Digitized by Google

quem venisse a Deo negant. Fingamus aliquem de cœlo esse mittendum, qui vitam hominum rudimentis virtutis instituat, et ad justitiam formet. Nemini dubium potest esse, quin is doctor, qui cœlitus mittitur, tam scientia sit rerum omnium quam virtute perfectus ; ne nihil inter cœlestem terrenumque differat. Nam in homine interna et propria doctrina esse nullo pacto potest. Nec enim mens terrenis visceribus inclusa, et tabe corporis impedita, aut comprehendere per se potest, aut capere veritatem, nisi aliunde doceatur. Et si maxime possit, summam tamen virtutem capere nequeat, et omnibus vitiis resistere, quorum materia in visceribus continetur. Eo fit, ut terrenus doctor perfectus esse non possit. At vero cœlestis, cui scientiam divinitas, virtutem immortalitas tribuit, in docendo quoque, sicut in cæteris, perfectus et consummatus sit necesse est. At id omnino fieri non potest, nisi mortale sibi corpus assumat. Cur autem fieri non possit, ratio clara est. Nam si veniat ad homines, ut Deus, ut omittam, quod mortales oculi claritatem majestatis ejus conspicere ac sustinere non possunt, ipse certe Deus virtutem docere non poterit, quia expers corporis non faciet, quæ docebit, ac per hoc doctrina ejus perfecta non erit. Alioqui si summa virtus est, dolorem patienter pro justitia officioque perferre, si virtus est, mortem ipsam et intentatam non metuere, et illatam fortiter sustinere; debet ergo doctor ille perfectus, et docere ista præcipiendo, et confirmare faciendo ; quia qui dat præcepta vivendi, amputare debet omnium excusationum vias, ut imponat hominibus parendi necessitatem, non vi aliqua, sed pudore, et tamen libertatem relinquat, ut et præmium sit constitutum parentibus, quia poterant non parere, si vellent, et non parentibus pœna, quia poterant parere, si vellent. Quomodo ergo poterit amputari excusatio, nisi ut qui docet, faciat quæ docet, et si quasi prævius, et manum porrigat secuturo ? quemadmodum autem potest facere quæ docet, si non sit similis ei quem docet ? Nam si nulli subjectus sit passioni, potest ei docenti homo sic respondere : Volo equidem non peccare ; sed vincor; indutus sum enim carne fragili, et imbecilla ; hæc est, quæ concupiscit, quæ irascitur, quæ dolet, quæ mori timet. Itaque ducor invitus, et pecco, non quia volo, sed quia cogor. Sentio me et ipse peccare : sed necessitas fragilitatis impellit, cui repugnare non possum. Quid ad hæc respondebit præceptor ille justitiæ? quomodo confutabit ac redarguet hominem, qui delictis suis excusationem carnis obtendet, nisi et ipse carne fuerit indutus, ut ostendat, etiam carnem posse capere virtutem ? Contumacia enim redargui non potest, nisi exemplo. Nam habere non possunt, quæ doceas, firmitatem, nisi ea prior feceris; quia natura hominum proclivis in vitia, videri vult non modo cum venia, sed etiam cum ratione peccare. Oportet magistrum doctoremque virtutis homini simillimum fieri, ut vincendo peccatum, doceat hominem vinci ab eo posse peccatum. Si vero sit immortalis, exemplum proponere homini nullo modo potest. Existet enim constans aliquis, ac dicet : Tu quidem non peccas, quia liber es ab hoc corpore; non concupiscis, quia immortali nihil est necessarium. Mihi vero multis rebus opus est, ut tuear hanc vitam. Mortem non times, quia valere in te non potest. Dolorem contemnis, quia nullam vim pati potes. At ego mortalis utrumque timeo, quia cruciatus mihi gravissimos inferunt, quos tolerare carnis infirmitas non potest. Doctor itaque virtutis etiam hanc excusationem debuit hominibus auferre ; ne quis, quod peccat, necessitati potius adscribat, quam culpæ suæ. Ergo ut perfectus esse possit, nihil ei debet opponi ab eo qui docendus est ; ut si forte dixerit : Impossbilia præcipis ; respondeat : Ecce ipse facio. At ego carne indutus sum, cujus est peccare proprium. Et ego eamdem carnem gero ; et tamen peccatum in me non dominatur. Mihi opes contemnere difficile est, quia vivi aliter non potest in hoc corpore. Ecce et mihi corpus est ; et tamen pugno contra omnem cupiditatem. Non possum pro justitia nec dolorem ferre, nec mortem, quia fragilis sum. Ecce

VARIORUM NOTÆ.

Nisi aliunde doceatur. Quia caro et sanguis, juxta Christum ipsum, non revelat nobis mysteria.

Sibi. Verbum istud deest in editionib. ann. 1476, 1497, 1513 et 1515.

Et tamen libertatem, etc. Tribuit libero arbitrio quod competit : at sine divino auxilio non possunt homines mereri vitam æternam. Neque enim peccata vincimus, quia Christus exemplum est, sed quia vires præbet : nisi fortassis per manuum porrectionem, virtutem spiritus Christi intelligere velis.

Et non parentibus pœna, quia poterant parere, si vellent. Desunt hæc verba in 12 manu exaratis et 3 impressis : sed videntur necessaria.

Quæ irascitur, quæ dolet, quæ mori timet. Hæc lectio est mss. Bonon., Regio Put., 6 Colb. aliorumque plurimorum, et 14 vulgatorum. In 1 Reg. antiquissimo, et in alio item Regio est, *quæ irascitur, quæ dolere, quæ mori timet.* In editis Thom., Thys., Gall., *quæ irasci, quæ dolet*, mendose, repugnante verborum nexu.

Itaque ducor invitus, etc. Atqui hoc etiam Paulus conqueritur. Sic enim ad Romanos capite VII, 15, scribit : *Non enim quod volo bonum, hoc facio : sed quod odi malum, hoc facio.* Velle quidem sibi adesse, ut faciat bonum, sed facultatem faciendi in suis viribus non reperiebat. Sed cap. sequenti, v. 3 : *Quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne*, etc.

Confutabit. Manuscriptorum est et edit. Tornes. *Refutabit*, unius Colb. et editorum.

Homini simillimum fieri. Mss. 9 et editi, *hominum simillimum.* 1 Bonon. antiq., Ultr., *hominis simillimum.* Jun., *homini similem.*

Constans. Id est, pertinax et perseverans in sua opinione, quam opposuerat.

Quia vivi aliter non potest in hoc corpore. Additum *vivi*, quod decrat pluribus editis. In ms. Em. est, *quia vivere aliter non possum.*

Neque hominem perfecta doctrina esse posse. Mss. 2 Colb., 2 Lips., 2 Clarom. et edit. Tornes. habent, *perfectæ doctrinæ ;* 1 Reg. antiq. et Em. *perfectum doctrina ;* 1 Colbert. *homini perfectam doctrinam.* (*Vide infra* col. 523, lin. 12.)

Digitized by Google

et in me dolor ac mors habet potestatem, et ea ipsa A quæ times vinco, ut victorem te faciam doloris ac mortis. Prior vado per ea, quæ sustineri non posse prætendis; si præcipientem sequi non potes, sequere antecedentem. Sublata est hoc modo omnis excusatio; et fateri hominem necesse est, sua culpa injustum esse qui doctorem virtutis, et eumdem ducem non sequatur. Vides ergo quanto perfectior sit mortalis doctor, quia dux esse mortali potest, quam immortalis, quia patientiam docere non potest, qui subjectus passionibus non est. Nec hoc tamen eo pertinet, ut hominem Deo præferam : sed ut ostendam, neque hominem perfecta doctrina esse posse, nisi sit idem Deus, ut auctoritate cœlesti necessitatem parendi hominibus imponat; neque Deum, nisi mortali corpore induatur, ut præcepta sua factis adimplendo, B cæteros parendi necessitate constringat. Liquido ergo apparet, eum, qui vitæ dux et justitiæ sit magister, corporalem esse oportere; nec aliter fieri posse, ut sit illius plena et perfecta doctrina, nisi habeat radicem ac fundamentum, stabilisque apud homines ac fixa permaneat : ipsum autem subire carnis ac corporis imbecillitatem, virtutemque in se recipere, cujus doctor est, ut eam simul, et verbis doceat, et factis. Item subjectum esse morti, et passionibus cunctis; quoniam et in passione toleranda, et in morte subeunda virtutis officia versantur : quæ omnia, ut dixi, consummatus doctor perferre debet, ut doceat posse perferri.

CAPUT XXV.

De Jesu adventu in Carne, et Spiritu, ut Deum inter et hominem mediator esset.

Discant igitur homines, et intelligant, quare Deus summus, cum legatum ac nuntium suum mitteret, ad erudiendam præceptis justitiæ suæ mortalitatem, mortali voluerit eum carne indui, et cruciatu affici, et morte multari. Nam cum justitia nulla esset in terra, doctorem misit, quasi vivam legem, ut nomen ac templum novum conderet; ut verum ac pium cultum per omnem terram verbis et exemplo seminaret. Sed tamen, ut certum esset a Deo missum, non ita illum nasci oportuit, sicut homo nascitur ex mortali utroque concretus : sed ut appareret etiam in homine illum esse cœlestem, creatus est sine opera genitoris. Habebat enim spiritalem patrem Deum; et sicut pater spiritus ejus Deus sine matre, ita mater corporis ejus virgo sine patre. Fuit igitur et Deus et homo, inter Deum atque hominem medius constitutus. Unde illum Græci μεσίτην vocant, ut hominem perducere ad Deum posset, id est, ad immortalitatem : quia si Deus tantum fuisset (ut supra dictum est), exempla virtutis homini præbere non posset; si homo tantum, non posset homines ad justitiam cogere, nisi auctoritas, ac virtus homine major accederet.

Etenim cum constet homo ex carne et spiritu, et oporteat spiritum justitiæ operibus emereri, ut fiat

VARIORUM NOTÆ.

Qui vitæ dux. Non vitæ dux et magister est duntaxat justitiæ, sed etiam dator : immo et vita, et justitia ipsa.

Nisi habeat radicem, etc. Sequor mss. 6 Reg., 6 Colb. novemque alios, necnon 11 vet. edit. In scriptis 5 Reg. et 6 vulgatis est *habeatque*, deleto *nisi habeat*. Sed Heumannus legit *quæ habeat*.

Stabilisque. Mss. 2 Lips., Goth., et ed. Rom. 1474, Venet. 1490, Ald. *quæ stabilis.*

Virtutemque in se recipere, cujus doctor est. Ita quamplurimi scripti et antiquissimi cum 9 impressis. Mss. rec. 8 et editi 5 ferunt, *recipere doctoris, ut eam.*

Discant. Nonnulli editi, *dicant.*

Mortalitatem. Id est, mortales, seu *homines.* Sic etiam Curtius, l. VIII.

Cruciatu affici. Ita cum sex impressis omnes mss., præter unum Colb. qui habet a prima manu *eruciatu* D *affigi*, a secunda *affligi*. Editi 5 vet. *cruce affigi*; Crat. *cruci affigi.*

Vivam legem. Non sicut Cicero in III de Legibus dixit, legem mutum esse magistratum, magistratum vero vivam legem : sed sicut Paulus ad Romanos, legem spiritus vitæ, quæ (ut per prophetam fuerat prædictum) scripta in hominis pectore, alacrem eum facit. Sic autem de hac vivificante lege scriptum est in VIII cap. ad Rom. BETUL.

Templum novum. Nam, ut ait Paulus ad Hebræos, c. VIII, v. 2, Jesus est sanctuarii minister ac veri tabernaculi.

Etiam in homine illum esse, etc. Monet tamen Thomasius in antiquo Bononiensi codice legi, *etiam hominem illum esse*, etc. quorum verborum sensus clarus est et apertus; atque hic loci apprime convenit.

Sine opera genitoris. Lips. 2, *sine opere genitoris*, perperam. L. I, c. 7 : *Quum Deus... sine usu et opera* C *fœminæ possit filios procreare.* Lib. IV, c. 13, dixit : *Sine patris* officio *virginali utero procreatus est.* BUN.

Spiritalem. Edit. Ald., Fasit., Thys., *specialem*, corrupte; Thomas. *cœlestem.* Recte monet Betuleius loco vocis *specialem* legendum esse *spiritalem* : error procedit ex abreviationibus manuscriptorum.

Mater corporis ejus Virgo. Contra Valentinum, Apollinarem, Eutichetem, et alios qui negabant Christum ex Maria virgine quidquam accepisse. Vide Irenæum, l. III, Adversus hæres.; S. Augustin., de Hæres.; Theodoret., Hæretic. fabul., l. IV, in fine.

Medius. Iterum Epit., c. 44 : *Inter Deum et hominem* medius *factus.* Ponitur elegantius, quam *mediator. Purius ævum*, auctore Salmasio, in Plin. Exercit., fol. 462, non tamen antiquissimum, etiam *medium* appellavit τὸν μεσίτην. BUN.

Μεσίτην. *Mediatorem*, alii; quæ est vox in rebus sacris usurpata, ac multo melior, quam quod Erasmus *conciliatorem* interpretatur, 1 Timot., 2 Εἷς γὰρ θεός, εἷς καὶ μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος Χριστὸς Ἰησοῦς, etc. et in Epist. ad Hebræos, non uno in loco, μεσίτης διαθήκης τῆς καινῆς appellatur. Et ad Galat., III, ait μεσίτην unius non esse. Quod autem mediatoris officium sit, docet Augustinus, l. IX, c. 15, de Civit. Dei, et Epiphanius in Ancyrato. BETUL. —Vide Suicerum in *Thesauro*, in verbo μεσίτην.

Ad immortalitatem. Id est, ad beatitudinem et gloriam immortalem.

Justitiæ operibus emereri. Recte, *emereri* (id est, consequi, obtinere) *operibus justitiæ, ut fiat æternus*, id est, *beata immortalitate donetur*; lib. III, c. 19. Ut hæc accuratius intelligantur, cum cura legendi sunt ex lib. VII, cap. 5 : *Ut illam veram et perpetuam* (vitam) *aut vitiis* amittamus, *aut virtute* mereamur. BUN.

Digitized by Google

æternus; caro quoniam terrena est, ideoque mortalis, copulatum sibi spiritum trahit secum, et ab immortalitate ducit ad mortem. Ergo spiritus carnis expers dux esse homini ad immortalitatem nullo pacto poterat: quoniam caro impedit spiritum, quominus Deum sequatur. Est enim fragilis, et subjecta peccato : peccatum autem pabulum mortis est. Itaque idcirco mediator advenit, id est Deus in carne, ut caro eum sequi posset, et eriperet morti hominem, cujus est dominatio in carnem. Ideo carne se induit, ut desideriis carnis edomitis, doceret non necessitatis esse peccare, sed propositi ac voluntatis. Una enim nobis, et magna, et præcipua cum carne luctatio: cujus infinitæ cupiditates premunt animam, nec dominium retinere patiuntur : sed eam voluptatibus et illecebris suavibus mancipatam morte afficiunt sempiterna. Quibus ut repugnare possemus, Deus nobis viam superandæ carnis, et aperuit, et ostendit. Quæ virtus perfecta, et omnibus numeris absoluta, coronam vincentibus et mercedem immortalitatis impertit.

CAPUT XXVI.

De cruce Jesu et cæteris tormentis, et de Agni legalis figura.

Dixi de humilitate, et fragilitate, et passione, cur hæc Deus subire maluerit : nunc ipsius crucis ratio reddenda est, et vis enarranda. Quid summus pater a principio disposuerit, et quemadmodum cuncta quæ gesta sunt ordinarit, non tantum divinatio Prophetarum, quæ in Christum vera præcessit, sed etiam ratio ipsius passionis docet. Quæcumque enim passus est, non fuerunt inania, sed habuerunt figuram et significantiam magnam, sicut etiam divina illa opera, quæ fecit : quorum vis et potentia valebat quidem in præsens, sed declarabat aliquid in futurum. Aperuit cæcorum lumina cœlestis virtus, et lucem non vidit, infra : *Cur Deus crucem maluerit.* Sic l. VI, c. 17: *Coacti. . . fidem prodere, mortem suscipere malimus.* Ibid., c. 21 : *Qui temporalia maluerit, carebit æternis.* L. VII, c. 1 : *Sine dubio malunt id esse fictum.* BUNEMAN.

Quæ in Christum vera præcessit. Sana mihi videtur lectio omnium omnino librorum hoc sensu : Quæ in Christum divinatio præcessit vera, id est, certa et eventu comprobata, non dubia, fallax, falsa. BUN.

Significantiam. Vox est Africana. Vide Fabrum in *Lexico.* Idem mox infra et c. 28 : Glossæ. *Significantia*, Σημασία. Fab. Victorin. proœm. in lib. 1 Cicer. de Invent. *: Ars est quæ significantiam sui non habet.— hæc vox generis triplicem significantiam habet.* Mss. Jun. Lips. et edd. *significationem.*

Significabat. Vide Marc. VIII et X; Luc. IV, VII, XIV.

Patefecit. Vide Matth. II, Marc. VII, Luc, VII.

Hactenus. Id est, *hoc tantum.* Vid. not. ad Epit. c. 68, et de Mort. Pers. c. 10. Margo Paris. 1513. *Hactenus* interpretatur *in præsens duntaxat tempus.* BUN.

Admirabilis. Matth. IX, XV; Marc. VII.

Pedes. Vide Matth. XI, XV, XXI, Luc. VII.

Labes. Vide Matth. VIII, XI, Marc. I, Luc. VII.

Elephantiaci. Sic restitui fretus auctoritate vetustissimorum et optimorum codicum mss. 2 Bonon., 6 Reg., Cauc., Jun., 2 Colbert., 2 Lips., 1 Sorbon., Ultr., Pal., 1 Clarom., Brun. In 2 Reg., 1 Colbert., 1 Clarom., legitur *elephantiati*; in 2 aliis Reg.,

Dixi de humilitate, et fragilitate, et passione, cur hæc Deus subire maluerit : nunc ipsius crucis ratio reddenda est, et vis enarranda. Quid summus pater a principio disposuerit, et quemadmodum cuncta quæ gesta sunt ordinarit, non tantum divinatio Prophetarum, quæ in Christum vera præcessit, sed etiam ratio ipsius passionis docet. Quæcumque enim passus est, non fuerunt inania, sed habuerunt figuram et significantiam magnam, sicut etiam divina illa opera, quæ fecit : quorum vis et potentia valebat quidem in præsens, sed declarabat aliquid in futurum. Aperuit cæcorum lumina cœlestis virtus, et lucem non vidit, infra : *Cur Deus crucem maluerit.* Sic l. VI, c. 17: *Coacti. . . fidem prodere, mortem suscipere malimus.* Ibid., c. 21 : *Qui temporalia maluerit, carebit æternis.* L. VII, c. 1 : *Sine dubio malunt id esse fictum.* BUNEMAN.

Quæ in Christum vera præcessit. Sana mihi videtur lectio omnium omnino librorum hoc sensu : Quæ in Christum divinatio præcessit vera, id est, certa et eventu comprobata, non dubia, fallax, falsa. BUN.

Significantiam. Vox est Africana. Vide Fabrum in *Lexico.* Idem mox infra et c. 28 : Glossæ. *Significantia*, Σημασία. Fab. Victorin. proœm. in lib. 1 Cicer. de Invent. *: Ars est quæ significantiam sui non habet.— hæc vox generis triplicem significantiam habet.* Mss. Jun. Lips. et edd. *significationem.*

Significabat. Vide Marc. VIII et X; Luc. IV, VII, XIV.

Patefecit. Vide Matth. II, Marc. VII, Luc, VII.

Hactenus. Id est, *hoc tantum.* Vid. not. ad Epit. c. 68, et de Mort. Pers. c. 10. Margo Paris. 1513. *Hactenus* interpretatur *in præsens duntaxat tempus.* BUN.

Admirabilis. Matth. IX, XV; Marc. VII.

Pedes. Vide Matth. XI, XV, XXI, Luc. VII.

Labes. Vide Matth. VIII, XI, Marc. I, Luc. VII.

Elephantiaci. Sic restitui fretus auctoritate vetustissimorum et optimorum codicum mss. 2 Bonon., 6 Reg., Cauc., Jun., 2 Colbert., 2 Lips., 1 Sorbon., Ultr., Pal., 1 Clarom., Brun. In 2 Reg., 1 Colbert., 1 Clarom., legitur *elephantiati*; in 2 aliis Reg.,

VARIORUM NOTÆ.

f Pabulum mortis est. Id est, esca malorum, quæ mortem animæ generant.

Et eriperet. Expunxi *ut* quod interponunt mss. 1 Bonon., Lips., Pal., Cant. ac totidem excusi, et a cæteris tum scriptis, tum editis abest.

Dominatio in carnem. Sequor mss. et impressos fere omnes. In 3 Reg. et 5 excusis legitur, *in carne*; in Jun. et edit. 2 vet. Rom., Paris., Crat., Graph., *damnatio in carnem.*

Nec dominium. Rectissime; et sic Betuleius olim et nuper Heumannus legendum censuerunt. Ita restitutum, lib. II, cap. 5 : *Neque domus habere* dominium *sui potest.* Sic lib. II, cap. 12 : *Anima imperet. . . animi imperio* : maxime autem, *Anima*, *quæ* dominium *corporis habet.* BUN.

Mercedem immortalitatis impertit. 2 Bonon. et 4 editi rec. inserunt *nobis.* Mss. 3 rec. et 7 impressi habent, *mercedem expetendæ nobis immortalitatis impertit.* 3 scripti rec. et 6 vulgati, *impartit.* Hanc vocem *expetendæ*, recte monet Thomasius esse delendam, quia si immortalitatem tamquam mercedem impertit, tunc expetenda non est; quia nemo expetit id quod habet. Heumannus vult addi *nobis* post *mercedem.*

Maluerit. Heuman. legit *voluerit*, cum ms. Em., quia hic nulla est comparatio.— *Subire maluerit.* Sæpe illud *malle* ponitur, neque tamen comparationis particula *quam* subsequitur. Heumannus certe hoc agno-

Digitized by Google

nitæ cupiditates ad scelera, vel insatiabiles voluptates ad flagitia compellunt, et dedecorum maculis inustos labe afficiunt sempiterna. Jacentia mortuorum corpora erexit, eosque nominibus suis inclinatos a morte revocavit. Quid congruentius Deo? Quid miraculo dignius omnium sæculorum, quam decursam vitam resignasse, completisque hominum temporibus tempora adjecisse perpetua, arcana mortis revelasse? Sed hæc inenarrabilis potestas imago virtutis majoris fuit, quæ demonstrabat tantam vim habituram esse doctrinam suam, ut gentes in orbe toto, quæ alienæ a Deo, subjectæ morti fuerunt, cognitione veri luminis animatæ, ad immortalitatis præmia pervenirent. Eos enim recte mortuos existimaveris, qui datorem vitæ Deum nescientes, atque animas suas a cœlo in terram deprimentes, in laqueos æternæ mortis incurrunt. Quæ igitur tum faciebat in præsens, imagines erant futurorum; quæ in læsis affectisque corporibus exhibebat, ea spiritalium figuram gerebant, ut et in præsenti virtutis non terrena opera monstraret, et in futurum potestatem cœlestis suæ majestatis ostenderet.

Ergo sicut opera ejus significantiam quoque majoris potestatis habuerunt, ita etiam passio non simplex, nec supervacua, nec fortuita præcessit. Sed ut illa, quæ fecit, magnam virtutem ac potestatem doctrinæ ejus significabant: sic ea, quæ passus est, odio futuram esse sapientiam nuntiabant. Aceti enim potus, ac fellis cibus, acerbitates et amaritudines in hac vita sectatoribus veritatis pollicebatur. Et quamquam passio ipsa per se acerba et amara specimen nobis futurorum tormentorum dabat, quæ morantibus in hoc sæculo virtus ipsa proponit; tamen illius modi potus, et cibus in os doctoris nostri veniens, pressurarum nobis, ac laborum et miseriarum præbebat exemplum. Quæ omnia tolerare ac perpeti necesse est eos, qui veritatem sequuntur; quoniam veritas acerba est, et invisa omnibus, qui virtutis expertes, vitam suam mortiferis voluptatibus dedunt. Nam corona spinea capiti ejus imposita id declarabat, fore ut divinam sibi plebem de nocentibus congregaret. Corona enim dicitur, circumstans in orbem populus. Nos autem, qui ante cognitionem Dei fuimus injusti, spinæ, id est mali et nocentes eramus, ignorantes quid esset bonum; et a justitiæ notione atque operibus alieni, omnia scelere ac libidine polluebamus. Electi ergo ex dumis et sentibus sanctum Dei caput cingimus; quia convocati ab ipso, et circumfusi undique ad eum, magistro ac doctori Deo, assistimus, regemque illum mundi et omnium viventium Dominum coronamus.

Quod vero ad crucem spectat, magna in ea vis ac ratio est, quam nunc conabor ostendere. Deus namque (sicut superius exposui) cum statuisset hominem liberare, magistrum virtutis legavit in terram, qui et præceptis salutaribus formaret homines ad innocentiam, et operibus factisque præsentibus justitiæ viam panderet, qua gradiens homo, et doctorem suum sequens, ad vitam æternam perveniret. Is igitur corporatus est, et veste carnis indutus, ut homini, ad quem docendum venerat, virtutis et exempla, et incitamenta præberet. Sed cum in omnibus vitæ officiis justitiæ specimen præbuisset, ut doloris quoque patientiam mortisque contemptum, quibus perfecta et consummata sit virtus, traderet homini, venit in manus impiæ nationis, cum et vitare potuisset scientia futuri quam gerebat, et repellere eadem virtute, qua mirabilia faciebat. Sustinuit ergo cruciatus, et verba, et spinas. Postremo etiam mortem suscipere

VARIORUM NOTÆ.

1 Lips. 3 Colb., editis tribus vet. Rom. et tredecim aliis impressis *elephantici*. *Elephantiaci*, seu *elephantici* sunt, qui vulgo leprosi dicuntur, quorum in Evangelio sæpe fit mentio. Vide Plinium lib. XXVI, c. 1; Celsum lib. III, c. 25.

A morte revocavit. V. Mat. IX, Marc. V, Luc. VII, J. XI.

Tempora adjecisse perpetua. Ita omnes prope mss. et editi. *Perpetua* deest in 4 Reg. et 11 vulgatis. In Em. est *perpetuæ*. — *Tempora adjecisse*. Heumannus, addito *et*, legit ut Emman.: *Adjecisse et perpetuæ arcana mortis revelasse*. Bun.

In læsis. Potuissent nosse editores vim vocis ex hoc capite infra, ubi *integrum corpus*, et *læsum ac* diminutum *corpus* opponuntur. Bun.

In læsis affectisque corporibus. Bene; id est mutilis, debilibus, ægrotis. Mss. 2 Reg. rec. et 9 excusi habent *illæsis*, corrupte; edit. Betul. *afflictisque*. — *Affectisque*. *Affecta corpora* sunt ægrota. Sic sæpe Seneca; e. g. ad Polybium cap. 32. *Ægro et affecto mederi*. l. IV Benef. c. 11. *Sic affecto, ut spes ei nulla sit convalescendi*. Bun.

Exhibebat. Restitui ex 35 mss. In Cauc., 2 Reg. rec. et 19 editis est *adhibebat*.

Virtutis nobis non terrenæ opera. Hæc *virtus non terrena* aliis verbis dicitur hoc capite supra, *Cœlestis virtus*; ibid.: *Vis cœlestis*; ibid.: *Admirabilis potentia*; ibid: *Laudabilis divini operis fortitudo*: ibid.: *Non exigua immortalis potentiæ opera*; ibid.: *Inenarrabilis potestas*. Bun.

Virtutis non terrena opera monstraret. Ita mss. 3 Reg. vetustissimi. Scripti 9 et vulgati 5 negationi præponunt *nobis*. A mss. 7 et excusis 14 abest *non*, et legitur *terrenæ*.

Ergo. Nunc expositurus est figuras passionis J. C.

Pollicebatur. Ita mss. et editi; ac simili locutione passim utitur Lactantius. Francius legendum esse censebat, *pollicebantur*, ut in 3 Reg. rec.

Specimen. Mss. 2 Reg., *speciem*.

Corona enim dicitur, etc. Quam Festus Pompeius a choro dictam putat, dempta scilicet aspiratione. Utitur *coronæ* vocabulo hac significatione Cicero pro Milone, in ipso exordio; Livius, pro armato cœtu. Bet.

Electi ergo ex dumis. Ms. Reg. Put., *Electis ergo ex dumis*; scripti 11 rec. et 4 vulgati, *Plecti*; quo sensu? Edit. Betul., *Plexi*. — *Ex dumis et sentibus*. Rectum junxit, ut Virgilius lib. IX Æneid., v. 380, sq. quem imitatur:

— Omnemque aditum custode coronant.
Silva fuit, late dumis atque ilice nigra
Horrida, quam densæ complerant undique sentes. Bun.

Factisque præsentibus. Addidi *que* ex omnibus ferme mss. et editis. In Regio-Put. hæc verba desunt.

Perveniret. In nonnullis editis *pervenit*.

Corporatus est. Hoc est corpus assumpsit; eodem verbo utitur bis lib. II, c. 10, necnon et Tertullianus l. de Carne Christi c. 3 et c. 6. Hinc illi eod. l. IV, *corporatio* est assumptio humanitatis. Barthius.

Specimen. Id est, exemplum. Cic. lib. III Leg. c. 3, *Is ordo vitio vacato: cæteris specimen esto*. Quintil. lib. III Institut. c. 1: *Dedit unicum apud nos specimen orandi... M. Tullius*. Bun.

Sustinuit, etc. Omittit quod erat præcipuum, nem-

Digitized by Google

non recusavit, ut homo illo duce subactam et catenatam mortem cum suis terroribus triumpharet. Cur autem summus pater id potissimum genus mortis elegerit, quo affici eum sineret, hæc ratio est. Dicat enim fortasse aliquis : cur si Deus fuit, et mori voluit, non saltem honesto aliquo mortis genere affectus est? cur potissimum cruce? cur infami genere supplicii, quod etiam homine libero, quamvis nocente, videatur indignum. Primum quod is, qui humilis advenerat, ut humilibus et infimis opem ferret, et omnibus spem salutis ostenderet, eo genere afficiendus fuit, quo humiles et infimi solent, ne quis esset omnino, qui eum non posset imitari. Deinde ut integrum corpus ejus conservaretur, quem die tertio resurgere ab inferis oportebat.

Nec enim hoc cuiquam ignorandum est, quod ipse ante de sua passione prædicans etiam id notum fecerit, habere se postestatem, cum vellet, deponendi spiritum et resumendi. Suffixus itaque quia spiritum deposuerat, necessarium carnifices non putaverunt, ossa ejus suffringere (sicut mos eorum ferebat,) sed tantummodo latus ejus perforaverunt. Sic integrum corpus patibulo detractum est, et sepulcro diligenter inclusum. Quæ omnia idcirco facta sunt, ne læsum ac diminutum corpus ad resurgendum inhabile redderetur. Illa quoque præcipua fuit causa, cur Deus

A crucem maluerit, quod illa exaltari eum fuit necesse, et omnibus gentibus passionem Dei notescere. Nam quoniam is, qui patibulo suspenditur, et conspicuus est omnibus, et cæteris altior, crux potius electa est, quæ significaret illum tam conspicuum tamque sublimem futurum, ut ad eum cognoscendum pariter et colendum, cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent. Denique nulla gens tam inhumana est, nulla regio tam remota, cui aut passio ejus, aut sublimitas majestatis ignota sit. Extendit ergo in passione manus suas, orbemque dimensus est, ut jam tunc ostenderet, ab ortu solis usque ad occasum, magnum populum ex omnibus linguis et tribubus congregatum, sub alas suas esse venturum, signumque illud maximum, atque sublime, frontibus suis suscepturum.

B Cujus rei figuram Judæi etiamnunc exhibent, cum limina sua de cruore agni notant. Deus enim percussurus Ægyptios, ut ab ea plaga immunes faceret Hebræos, præceperat his, ut agnum candidum sine macula immolarent, ac signum liminibus suis de sanguine ejus imponerent. Itaque cum Ægyptiorum primogenita una nocte interissent, Hebræi soli signo sanguinis tuti fuerunt; non quia cruor pecudis tantam in se vim gerebat, ut hominibus saluti esset : sed imago fuerat rerum futurarum. Agnus enim candidus sine macula Christus fuit, id est innocens, et justus, et

VARIORUM NOTÆ.

pe quod crux maledictionem Dei adjunctam habet. C Oportebat autem Christum maledici, ut justificaremur. RIVET.

Mortem cum suis terroribus triumpharet. Sic et libro VI, cap. 23, ad finem, Lactantius dicit, *Hic terram triumphabit*, sic et *vitam vivere* alibi passim. — *Mortem cum suis terroribus triumpharet.* Cum accus. ut l. VI, c. 23 : *Hic terram triumphabit.* Epitom. c. 46: *Captivos triumphavit.* Et quæ notavi ad l. de Morte, Persec. cap. 16 : *Sæculum cum suis* terroribus *triumphasti.* BUN.

Cur infami genere supplicii. Ex omnibus mss. et quamplurimis editis restitui, quæ in 5 vulgatis deerant. — *Cur infami genere supplicii.* Videntur excidisse ex Gallæi editione. Nam habent mss. et editi mei omnes. Eodem sensu, quo hic *infami*, dixit l. IV, c. 16 : *Insigni supplicio ;* c. 30: *Exsecrabili patibulo.* Arnobius l. I, p. 20 pr.: *Idcirco dii vobis infesti sunt...* quod hominem natum, et quod personis infame est vilibus, crucis supplicio interemptum *Deum fuisse contenditis.* BUN.

Homine libero indignum. Crux enim servilis est pœna. Horat. Sat. 3, lib. I ; Juvenalis, Sat. 2, *Pone crucem servo.* Seneca lib. I de Clem. cap. 26; Cic. V in Verrem, ubi ait Romanus orator : *Quam servis damnatis crucem fixeras, hanc indemnatis civibus romanis reservares.* Videatur etiam Jul. Capitolinus in Opil. Macrino. FABER.

Ut humilibus et infimis. Ita restitui ex mss. antiquissimis 1 Bonon., 1 Reg., 2 al. Reg., bonæ notæ, ac 4 editis, quod et sequentia requirunt. Et sic infra iidem et 7 alii scripti. In 22 est *infirmis.*

Quem die tertio. Ita editi cum omnibus pene mss. In 2 Clarom. est, *die tertia;* in 1 Reg. optimæ notæ et in 1 Brun. est *quod die tertio.* Verum apud Joan. cap. 19, v. 36, melior ratio redditur, nempe ut impleretur quod dictum est Exodi cap. XII et Numer. cap. IX : *Os non comminuetis ex eo;* ubi verba fiunt de Agno Paschali, qui figura fuit Jesu moriendis.

Ab inferis. Mss. 1 Clarom. et Brun. *a mortuis :* quod idem est.

Ante de sua passione prædicans. Hæc lectio est vetustiorum et potiorum mss. 2 Bonon., Regio-Put., 11 aliorum, ac 9 editorum. In 18 rec. scriptis est *ante... prædicens* : *præ* enim idem est quod *ante.*

Suffixus itaque quia spiritum deposuerat. Sic reposui ex antiquissimis mss. 1 Reg., 1 Bonon., 2 al. Reg. Manu exarati 16 rec. et 2 edit. vet. habent *cum spiritum sponte deposuerat.* Scripti 2 Reg. et Tornes. cum edd. 8, *cum spiritum sponte deposuisset.* Ms. Cant., *deponeret.*

Inhabile redderetur. Non est hæc ratio; Deus enim qui creavit corpus, mutilum supplere valebat. Quod etiam eveniet in resurrectione, cum mutila corpora, sana et integra resurgent.

Exaltari. Hic alludere videtur ad illud Christi ipsius verbum Johan. XII : *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnes traham ad me ipsum.*

D *Cum limina sua de cruore Agni notant.* Sic etiam sensere Cyprianus lib. II adversus Judæos § 22, et Hieronymus in Isai. LXVI, ut et Lactantius.

Ut agnum candidum. Exodi XII', absque macula, non coloris, sed deformitatis, ut claudus, scabiosus, vel alterius vitii ac morbi. Hoc de qualibet victima dicitur Levit. XXII. MENOCHIUS.

Primogenita. Sic emendavi ex omnibus mss. et impressis, præter Em. et Cant. et 5 edit. rec. in quibus est, *primogeniti.* Sed et *primogenita*, quod nomen homines et pecudes complectitur; juxta Exod. XII, XXIX.

Imago fuerat. Licet abunde esset argumentorum, quibus confirmari possit veritas christianæ religionis, fatendum tamen est olim apud quosdam scriptores ecclesiasticos in usu fuisse, ut quæcumque aliquam veri speciem ferrent, ea omnia ad rem suam traherent, tum signa, tum prophetias, etiam allegorice et mystice sumptas, quod hic factum videmus a Lactantio. Attamen nemo est qui neget agnum paschalem figuram Agni veri, id est Servatoris nostri fuisse.

Agnus enim. Omnium manuscriptorum est; *nam agnus*, editorum.

Digitized by Google

sanctus, qui ab iisdem Judæis immolatus, saluti est omnibus qui signum sanguinis, id est crucis qua sanguinem fudit, in sua fronte conscripserint. Frons enim summum limen est hominis; et lignum sanguine delibutum crucis significatio est. Denique immolatio pecudis ab iis ipsis, qui faciunt, pascha nominatur, ἀπὸ τοῦ πάσχειν, quia passionis figura est, quam Deus præscius futurorum tradidit per Mosen populo suo celebrandam. Sed tum figura valuit in præsenti ad depellendum periculum; ut appareat, quantum veritas ipsa valitura sit, ad plebem Dei protegendam in extrema totius orbis necessitate. Quomodo autem, vel in qua plaga tuti omnes sint futuri, qui signum hoc veri et divini sanguinis in summo corporis sui notaverint, in novissimo libro docebo.

CAPUT XXVII.

De mirandis per Crucis virtutem effectis, ac de Dæmonibus.

Nunc satis est, hujus signi potentia quantum valeat, exponere. Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet qui viderit quatenus adjurati per Christum de corporibus, quæ obsederint, fugiant. Nam sicut ipse, cum inter homines ageret, universos dæmones verbo fugabat; hominumque mentes emotas, et malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores ejus eosdem spiritus inquinatos de hominibus, et nomine magistri sui, et signo passionis excludunt. Cujus rei non difficilis est probatio. Nam cum diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant.

Nec responsa potest consultus reddere vates.

Et hæc sæpe causa præcipua justitiam persequendi malis regibus fuit. Cum enim quidam ministrorum nostri sacrificantibus dominis assisterent, imposito frontibus signo, deos illorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cum intelligerent aruspices, instigantibus iisdem dæmonibus, quibus prosecant, conquerentes profanos homines sacris interesse, egerunt principes suos in furo-

VARIORUM NOTÆ.

Qua sanguinem fudit. Nonnulli editi, *quæ*, male.

In... conscripserint. Alibi noster ita variat infra, *Signum... sanguinis in summo corporis sui notare*; cap. 27: *Signare frontem.* De Mort. Pers. c. 10: *Imponere fronti immortale signum.* BUNEMAN.

Pascha nominatur, ἀπὸ τοῦ πάσχειν. Hæc græca absunt a mss. Bon., 1 Colb. et Jun. et edit. Thomasii ac Thysii. Verum quia in cæteris tum mss. tum editis reperiuntur, visum fuit, illa non omittere. Hallucinatur autem Lactant. putans esse verbum græcum; *Pascha enim*, cum sit Hebræum, a verbo *pasach* ducitur; festum enim illud celebratur in memoriam transitus angeli, qui transivit per Ægyptiorum terram, illorum primogenitos necantis, Israelitis vero parcentis. GALLÆUS.

Ut appareat. Ita reposui ex plerisque potioribus mss. et veteribus editis. In 3 Reg. Brun. et editis sex est, *ut appareret.*

Tuti omnes. Mss. 7 et 6 impressi, *homines.*

Notaverint. Mss. 9 et vulgati 6, *notaverunt.*

Hujus signi potentiam quantum valeat. Ita mss. Regio-Put. et 6 alii, faventibus 5 aliis mss. et editis quinque, in quibus est *de hujus signi potentia.* Sic etiam legit clariss. Heumannus, quia Cicero dicit, *exponere de quapiam re.* In 10 scriptis et 9 excusis est *potentiam.*

Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum. Vide seqq. et infra lib. *de Mortibus persecutorum*, cap. 10 et 12.

Hominumque mentes emotas. Sic mss. et editi. Sic idem Lactantius lib. I, cap. 4: *Quis mentis emotæ*; et de Opificio Dei. Vide Matth. IV, Marc. I, Luc. IV.

Sacra nullo modo litant. Lib. de Mortibus Persecut. c. 10: *Quum immolant pecudes, et in jecoribus earum ventura* (h. l. *futura*) *quærunt, solitas in extis notas non vident.* Infra: *Mactatæ hostiæ nihil ostendunt... non respondent sacra.* BUN.

Nec responsa. Virg. III Georg., 491.

Quidam ministrorum nostri. etc. Ita restitui ex mss. Regio Put. et 7 al. Reg., Bon., 2 Clarom., Brun. necnon et ed. Fasit., *nostri.* id est *ex nostris*, scilicet e Christianis. pro quo nonnulli editi legunt, *nostrorum*, male; 1 Reg. veterrimus, *Quidam ministrorum e cultoribus Dei*; edd. Ald., Crat., Graph. simpliciter, *quidam nostrorum sacrificantibus. Quidam ministrorum e cultoribus Dei.* Sic legitur apud Buneman. qui hanc notam exhibet.—*Quidam ministrorum e cultoribus Dei.* Ita in duobus mss. Regiis Paris. antiquioribus scriptum, teste Nurrio in diss. ad l. de Mort. Pers. p. 181. Hinc prætulimus reliquis obscurioribus; nam proxime accedit verbis de Mort. Persec. cap. 10 pr., *Quidam ministrorum* scientes Dominum; et I. II, cap. 15: *Justos*, inquit, id est cultores Dei *metuunt.* BUN.

Sacrificantibus dominis assisterent. Solus Gothanus, *sacrificantibus dæmoniis assisterent.* Nihil muto. Ministrorum est *dominis assistere.* BUN.

In visceribus hostiarum futura depingere. Ms. Cant., *bestiarum. Depingere* autem metaphorice dictum est pro *observare.* — *In visceribus hostiarum.* Ita plures scripti et excusi; at Cant. ms., Sublac., Rost., Ven. 1495, 97, Paris., *in visceribus bestiarum.* Recte quidem, ut de Mort. Pers. c. 10: Imperator... *scrutator rerum futurarum immolabat pecudes, et in jecoribus earum* (pecudum), id est, in visceribus bestiarum, h. l. *ventura quærebat.* Res eodem redit. BUN.

Prosecant. Sic lego ex duobus mss. Regiis, suffragantibus Pal. et 4 Oxoniensibus, in quibus est *prosecabant.* Et quidem hoc verbo utebantur Antiqui, cum de sacrificiis ageretur. Et sane legimus apud Tertullianum in Apologetico cap. 46: *Æsculapio tamen gallinacium prosecari jam in fine jubebat.* Mss. 6 Reg., 5 Colb., 4 alii, et 4 impressi ferunt *prosecrant*; 11 scripti ac totidem excusi, *prosecrarant*; Jun. et Ultr., *consecrarant.* In Epitome cap. 23 et 37, legimus verbum *prosecrare* ex ms. Taurinensi. — *Quibus prosecant.* Hæc genuina lectio, quia *prosecare* est sacrificiorum verbum. Suetonius, Aug. c. 1: *Cum Marti rem divinam faceret, semicruda exta, rapta foco, prosecuit.* BUN.

Profanos homines. Aruspices Christianos h. l. vocant *profanos homines*, pari modo, ut in libro de Mort. Pers. c. 10: *Quod rebus divinis profani homines*, id est, Christiani a Gentilium sacris alieni, *interessent.* BUN.

Egerunt Principes suos in furorem. Sic lego cum antiquissimis mss. 2 Regiis, alioque rec. item Regio, et editis Fasitel., Thomas., Is., Thys., Gall., Sparck., *Egerunt*, pro *impulerunt*, *adegerunt*; simplex pro composito, quod Lactantio familiare est. Scriptis 21 rec. et 13 excusis est *adegerunt*; 1 Reg. rec., *cogerunt*; 1 Sorbon. et 2 Clarom. edit. Soubron, *adegerunt Principes ipsos in furorem.* — *Adegerunt principes suos in furorem.* Adelph. I, 2: *Tu adiges me ad insaniam.* Desidero adhuc exempla veterum, ubi dixerint, *adigere in aliquid*; solent enim eamdem præpositionem *ad* geminare. Aliis verbis Lactantius I. V

Digitized by Google

rem, ut expugnarent Dei templum, seque vero sacrilegio contaminarent, quod gravissimis persequentium pœnis expiaretur. Nec tamen ex hoc ipso cæci homines intelligere possunt, aut hanc esse veram religionem, cui ad vincendum tanta vis inest, aut illam falsam, quæ subsistere, aut congredi non potest.

Sed aiunt, hoc deos non metu, verum odio facere; quasi quisquam possit odisse nisi eum, qui aut noceat, aut possit nocere. Immo vero congruens majestati fuit, ut eos, quos oderant, præsentibus pœnis afficerent potius, quam fugerent. Sed quoniam neque accedere ad eos possunt, in quibus cœlestem notam viderint, nec iis nocere, quos signum immortale munierit tamquam inexpugnabilis murus; lacessunt eos per homines, et manibus persequuntur alienis : quos profecto si esse confitentur, vicimus. Necesse est enim veram esse hanc religionem, quæ et rationem dæmonum novit, et astuciam intelligit, et vim retundit, et eos spiritalibus armis domitos ac subactos cedere sibi cogit. Si negant, testimoniis poetarum ac philosophorum refellentur. Quod si esse, et malos esse, inficias non eunt, quid superest, nisi ut alios dicant esse deos, alios dæmones? Exponant igitur nobis differentiam generis utriusque, ut sciamus quid colendum, quid execrandum sit; habeantne inter se aliquod consortium, an vero inimici sint. Si sunt aliqua necessitudine copulati, quatenus eos discernemus? aut quomodo utriusque generis honorem cultumque miscebimus? Si autem sunt inimici, cur aut dæmones deos non timent, aut dii dæmones fugare non possunt? Ecce aliquis instinctu dæmonis percitus dementit, effertur, insanit : ducamus hunc in Jovis optimi maximi templum; vel, quia sanare homines Jupiter nescit, in Æsculapii vel Appollinis fanum. Jubeat utriuslibet sacerdos, dei sui nomine, ut nocens ille spiritus excedat ex homine : nullo id pacto fieri potest. Quæ igitur vis deorum est, si subjectos sibi dæmonas non habent? At vero iidem dæmones, adjurati per nomen Dei veri protinus fugiunt. Quæ ratio est, ut Christum timeant, Jovem autem non timeant, nisi quod iidem sunt dæmones, quos vulgus deos esse opinatur? Denique si constituatur in medio et is, quem constat incursum dæmonis perpeti, et Delphici Apollinis vates, eodem modo Dei nomen horrebunt; et tam celeriter excedet de vate suo Apollo, quam ex homine spiritus ille dæmoniacus, et adjurato fugatoque deo suo, vates in perpetuum conticesceat. Ergo iidem sunt dæmones, quos fatentur execrandos esse, iidem dii, quibus supplicant.

Si nobis credendum esse non putant, credant Homero, qui summum illum Jovem dæmonibus aggregavit : sed et aliis poetis ac philosophis, qui eosdem modo dæmonas, modo deos nuncupant; quorum alterum verum, alterum falsum est. Illi enim nequissimi spiritus, ubi adjurantur, ibi se dæmonas confitentur; ubi coluntur, ibi se deos mentiuntur, ut errores hominibus immittant, et avocent a veri Dei notione, per quam solam potest mors æterna vitari. Iidem sunt, qui dejiciendi hominis causa, varios sibi cultus per diversa regionum condiderunt, mentitis tamen assumptisque nominibus, ut fallerent. Nam quia divinitatem per seipsos affectare non poterant, adsciverunt sibi nomina potentium regum, sub quorum

VARIORUM NOTÆ.

c. 21 : *Instigant nescios in furorem.* Lib. VII, c. 20 : *Concitare animos in furorem.* Bun.

Ut expugnarent Dei templum. Ita emendavi ex omnibus prope mss. et impressis, recte, ut puto. *Expugnarent Dei templum*, Nicomediense scilicet, quod a Diocletiano et Maximiano fuit eversum, de quo c. 1 lib. *de Mortibus Persecutorum*, cujus auctor esse Lactantius noster adhuc ex isto cap. confirmatur. In 1 Reg. rec. et sex editis legitur *expurgarent;* in 1 Vatic., *expiarent.*

Quod gravissimis persequentium pœnis expiaretur. De quibus lege Lactantium nostrum lib. *de Mortibus Persecutorum.*

Non metu. Sic emendavi ex omnibus mss. et nonnullis editis. In pluribus vulgatis est *nutu.*

Verum odio. Vide Tertullianum Apologetici cap. 27.

Signum immortale munierit. Scilicet signum crucis. Eo sæpissime se signabant prisci christiani, teste Tertulliano, de Corona n. 4 : *Ad omnem progressum atque promotum; ad omnem aditum et exitum; ad vestitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Et adversus Marcionem lib. III, n. 18; S. Augustin. lib. I, Confess. cap. 11, n. 17; in Joan. cap. 1, Tract. III, n. 2, et alibi passim. Idem enarrat. IV in Psal. XXX, n. 7, et in Psal. L, n. 1 : *Quod si forte christiani in ipso circo aliqua ex causa expavescant, continuo se signant, et stant illic portantes in fronte, unde abscederent, si hoc in corde portarent.* Vide infra *de Mortibus Persecutorum*, cap. 10.

Quos profecto si esse confitentur. Solus Goth., *si esse justos.*

Vicimus. Ita omnes fere vulgati, et quamplurimi mss. antiquissimi et optimi; in 10 scriptis rec. et tribus editis, *vincimus.*

Alios dæmones. Sunt enim dii gentium dæmonia, ait Psalmus XCV. De his supra libro II, cap. 15 et 16. Vide et Eusebium lib. V et VI, de Præparat. Evang.

Differentiam. 1 Reg. rec. et 6 edd., *differentias.*

Dementit, effertur, insanit. Vaticinantium proprium. Virg., lib. VI Æneid.; Prudentius, lib. III contra Symmach.; Apuleius, lib. VIII Miles. *Inter hæc unus ex illis bacchatus effusius, ac de imis præcordiis anhelitus crebros referens.*

Iidem sunt dæmones, etc. Verum est vetustissimos Græcorum scriptores *dæmonas* et *deos* promiscue nominare sua idola. Videndi Euripides in prolog. Hippol. de Diana; de Jove Cleanthes editus a F. Ursino; Arianus, lib. VI Ἀνάβασ. Barthius.—Ipsi autem dæmones et genii iidem erant apud veteres.

Horrebunt. Subaudi *uterque*, scilicet obsessus homo, et vates Apollinis.

Homero. Vide Homer., Iliad. I, v. 222, et Eusebium, lib. V de Præp. Evang., c. 4.

Dæmonibus. Id est, *geniis.*

Per diversa regionum. Hic græcismus mss. est, inter quos sunt duo vet. Reg. et 6 edd. Ms. Ultr. habet *per diversam regionem;* 1 Reg., 1 Lips. et Brun., *per diversas regiones;* 1 Bonon. antiq., *per diversa religionum;* Pal. et 1 Lips., *per diversam religionem;* rec. 4 Reg., 4 Colbert. et 5 alii, cum vulgatis septem, *perversa religione.*

Mentitis. Passive, ut lib. II, c. 16. Dæmones *homi-*

Digitized by Google

titulis honores sibi deorum vindicarent. Qui error discuti potest, et in lucem veritatis protrahi. Nam si quis studet altius inquirere, congreget eos, quibus peritia est ciere ab inferis animas. Evocent Jovem, Neptunum, Vulcanum, Mercurium, Appollinem, patremque omnium Saturnum. Respondebunt ab inferis omnes, et interrogati loquentur, et de se ac Deo fatebuntur. Post hæc evocent Christum, non aderit, non apparebit; quia non amplius quam biduo apud inferos fuit. Quid hac probatione certius proferri potest? Ego vero non dubito, quin ad veritatem Trismegistus hac aliqua ratione pervenerit, qui de Deo Filio locutus est multa, quæ divinis continentur arcanis.

CAPUT XXVIII.

De spe et vera religione, atque de superstitione.

Quæ cum ita se habeant, ut ostendimus, apparet nullam aliam spem vitæ homini esse propositam, nisi ut abjectis vanitatibus, et errore miserabili, Deum cognoscat, et Deo serviat, nisi huic temporali renuntiet vitæ, ac se rudimentis justitiæ ad cultum veræ Religionis instituat. Hac enim conditione gignimur, ut generanti nos Deo justa et debita obsequia præbea mus; hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo et religati sumus; unde ipsa Religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus est, a relegendo, qui in libro de Natura deorum secundo ita dixit: « Non enim philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur, et immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati. Qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, retractarent, et tamquam relegerent, ii dicti sunt religiosi, ex religendo, tamquam ex eligendo elegantes, et ex deligendo diligentes, et intelligendo intelligentes. His enim verbis omnibus inest vis legendi eadem, quæ in religioso: ita factum est in superstitioso et religioso, alterum vitii nomen, alterum laudis. » Hæc interpretatio quam inepta sit, ex re ipsa licet noscere. Nam si in iisdem diis colendis, et superstitio, et religio versatur, exigua, vel potius nulla distantia est. Quid enim mihi afferet causæ, cur precari pro salute filiorum semel, religiosi, et idem decies facere, superstitiosi esse hominis arbitretur? Si enim semel facere

VARIORUM NOTÆ.

num credulitatem mentita *divinitate deludunt;* et infra, mentitis *nominibus.* Ita Cicero, lib. III Tuscul., c. 24, mentitam *opinionem dixit.* BUN.

In lucem veritatis protrahi. Legitur, *in lucem veritas protrahi,* apud Buneman. qui notam sequentem contexit in hanc variantem. — Restituo *veritas,* ex Lips. tertio, Reimm. et optimis edd. Torn. 1587, 1615, et Walchio. Ita enim cpit. in extr., præf.: *In lucem veritas protrahenda est.* Plures editi antea: *In lucem veritatis protrahi.* At secundum lib. III, c. 1: *Discussis convictisque erroribus veritas.... clarissimum lumen infert.* BUN.

Evocent Jovem. Non loquitur de evocatione deorum, quos urbium tutelares imperatores obsidentes evocabant: cujus evocationis carmina sunt apud Macrob. lib. III Saturn., cap. 9, et apud Livium, lib. VIII, dec. 1; sed de magia illa, necromantia dicta.

Ac Deo. In vetustis edit., *Et de Deo.*

Quia non amplius quam biduo apud inferos fuit. Scilicet integro, si numerentur horæ quibus absolvitur quilibet dies naturalis; tribus enim a morte diebus incœptis, non completis. Christus in sepulcro fuit, et hinc tertia die resurrexit, ut habet Symbolum.

Hac aliqua. Ita mss. Regio-Put., 5 al. Reg., 6 Colb., Sorbon., Clarom., Brun., et editi septem. Abest *hac* a Reg. antiquissimo et 1 Lips. In 1 Bonon. antiq., 3 Reg. rec. et vulgatis novem est *hanc aliqua.*

Qui de Deo Filio locutus est multa. Sic lego ex optimo codice ms. Regio-Put.; quæ lectio optimum et clarissimum sensum exhibet. Ms. 1 Bonon. et edit. Gall., Sparck., *qui de Deo Patre omnium, de Filio locutus est multa;* ms. 1 Reg. antiquissimus, item alii duo Reg. rec. et 8 vulgati, *omnia de Filio,* etc. Ms. Cauc. 22 alii ac novem impressi, *omnia et de Filio,* etc. inepte; quis enim de Patre unquam dixit *omnia?* quæ vox certe retineri non potest. Vide igitur Trismegistum in Pimandro, capit. 1 ed. Sublac. habet: *Qui de Deo Patre omnia, et de Filio locutus est multa.*

Deum cognoscat. Sic Christus apud Joannem: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum,* etc. Agnoscere autem Deum nihil aliud est, quam in Deum credere, et de eo, ut par est, sentire.

Generanti nos Deo. Mss. sex rec. et totidem editi, *generati.*

Obstricti Deo et religati sumus. Conjunctionem *et* restitui ex omnibus mss. præter quinque, et edit. quatuor; quæ conjunctio admittenda est: vide infra *quod hominem sibi Deus religaverit, et pietate constrinxerit.* Sed et Lactantius, lib. I de Opificio Dei, c. 19, post initium, *hominem virtutis sacramento religavit.*

Cicero. Lib. II de Natura deorum, c. 28. Hanc Ciceronis derivationem a *relegendo* rejicit Lactantius, qui religionis etymon sumit a *religando.* Cum Lactantio facit S. Ambrosius libro de Virginibus, ubi virgines Deo nuptas quasi religatas ostendit. Hinc enim religionem dictam esse, etymologia re quam voce verior. Manifestius Lactantio adstipulatur Hieronymus in Amos cap. IX, dictam nimirum esse religionem, quod quasi in fascem Domini vincti et religati simus. Verum Augustinus nonnihil variat, ad Ciceronis expositionem propius accedens. Nam in libro de Civit. Dei X, cap. 4, dictam eam quidem putat a *religendo,* allusione nominis (ut Vives putat) ad manum ex occasione capta. Verba ipsius sunt: *Ipse enim fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes, vel potius religentes (amiseramus enim negligentes) hunc ergo religentes, unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus: ideo beati, quia illo fine perfecti.* BETULEIUS.

Ita dixit. Manuscriptorum est; *dicit ita,* editorum.

Ex eligendo elegantes. Eligentes scripsit Buneman., qui hujus variantis sic rationem reddit.—*Ex eligendo eligentes.* Scripsi *eligentes,* præeunte mss. Ciceronis, et in Lactantio mss. Jun., Reimm., Rost., Ven. 1471, utraque 78, 1515, Paris., Crat., Gymn., Torn., 1587, 1613. At Goth., Lips., Fasit., Gryph., Tornæs. 1548, Thomas. sqq., *elegantes,* quod quia in multis Ciceronis libris præfertur, nec hic damno. BUN.

Verbis. Hanc vocem addidi ex omnibus mss. et editis; estque apud Ciceronem. Abest vero a cæteris impressis.

Nulla distantia est. Non tam in forma, quam in materia, religionis et superstitionis differentia est. Religio consistit in vero ac prudenti veri numinis cultu; superstitio vero est spurius ejusdem cultus. Religio complectitur veram christianæ doctrinæ pietatem, fidem, vitam, leges, ritus et sacramenta. Superstitio est imbecilli atque anilis animi, qui aut falso adhæret, aut veritatem colit, sed non ut par est.

Si... semel facere. Ita Hieron. adv. Vigilant. t. II Oper. f. m. 124: *Quod enim semel fecisse bonum est,*

Digitized by Google

optimum est, quanto magis sæpius? Si hora prima; ergo et tota die. Si una hostia placabilis, placabiliores utique hostiæ plurimæ, quia multiplicata obsequia demerentur potius quam offendunt. Non enim nobis odiosi videntur ii famuli, qui assidui et frequentes ad obsequium fuerint, sed magis chari. Cur igitur sit in culpa, et nomen reprehensibile suscipiat, qui aut filios suos magis diligit, aut deos magis honorat, laudetur autem qui minus? Quod argumentum etiam ex contrario valet. Si enim totos dies precari et immolare criminis est; ergo et semel. Si superstites filios subinde optare vitiosum est, superstitiosus igitur est et ille, qui etiam raro id optaverit. Aut cur vitii nomen, si ex eo tractum, quo nihil honestius, nihil justius optari potest? Nam quod, ait religiosos a relegendo appellatos, qui retractent ea diligenter, quæ ad cultum deorum pertineant, cur ergo illi, qui hoc sæpe in die faciant, religiosorum nomen amittant; cum multo utique diligentius ex assiduitate ipsa relegant ea, quibus dii coluntur?

Quid ergo est? Nimirum religio veri cultus est, superstitio falsi. Et omnino quid colas interest, non quemadmodum colas, aut quid precere. Sed quia deorum cultores religiosos se putant, cum sint superstitiosi, nec religionem possunt a superstitione discernere, nec significantiam nominum exprimere, diximus nomen Religionis a vinculo pietatis esse deductum, quod hominem sibi Deus religaverit, et pietate constrinxerit; quia servire nos ei ut domino, et obsequi ut patri necesse est. Melius ergo id nomen Lucretius interpretatus est, qui ait, religionum se nodos exsolvere. Superstitiosi autem vocantur, non qui filios suos superstites optant (omnes enim optamus;) sed aut ii, qui superstitem memoriam defunctorum colunt, aut qui parentibus suis superstites, colebant imagines eorum domi tanquam deos penates. Nam qui novos sibi ritus assumebant, ut deorum vice mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant, hos superstitiosos vocabant. Eos vero, qui publicos et antiquos deos colerent, religiosos nominabant. Unde Virgilius:

Vana superstitio, veterumque ignara deorum.

Sed cum veteres quoque deos inveniamus eodem modo consecratos esse post obitum; superstitiosi ergo qui multos ac falsos deos colunt. Nos autem religiosi, qui uni et vero Deo supplicamus.

CAPUT XXIX.

De religione christiana, et de Jesu cum Patre conjunctione.

Fortasse quærat aliquis, quomodo, cum Deum nos unum colere dicamus, duos tamen esse asseveremus, Deum Patrem et Deum Filium: quæ asseveratio plerosque in maximum impegit errorem. Quibus cum probabilia videantur esse, quæ dicimus, in hoc uno labare nos arbitrantur, quod et alterum, et mortalem Deum fateamur. De mortalitate jam diximus: nunc de unitate doceamus. Cum dicimus Deum Patrem, et Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus; quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre secerni, si quidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari. Cum

VARIORUM NOTÆ.

non potest malum esse, si frequenter fiat. Nostis reliqua. Bun.

Hostiæ plurimæ. Sic reposui ex multis mss. et impressis. In 4 Reg. et Brun. editisque 7 legitur *plures.*

Demerentur. Optima quamplurimorum mss. et 9 editorum lectio, quam Amanuenses ignari corruperunt in 2 Colbert., in Tornesiano ac 2 Clarom. substituentes, *Deum merentur;* in 1 Colbert. et 4 excusis *obsequia merentur. — Demerentur potius, quam offendunt.* Lips. 2, 3, Reimm. et Torn., mss. ad marg. 1587: *Deum merentur potius quam offendunt.* Non possum temere repudiare, memor Tertulliani Apolog., c. 21 quibus edocebantur, *De promerendo Deo, et non offendendo.* Bun.

Nomen reprehensibile suscipiat. Mss. 11 rec. et 16 edit., *accipiat.*

Deos magis honorat. Ex mss. veterrimis 1 Bonon., 1 Reg. aliisque sex et editis 4 reposui *magis*, quod melius sane quadrat, quam *satis*, quod est in cæteris.

Non quemadmodum colas. Quod minus bene a Lactantio dictum est, qua de re vide S. Augustinum l. IV de Civ. Dei, c. 30. Religiosum a superstitioso optime discernitur: superstitiosus pertimescit Deum ut hostem, at religiosus Deum veneratur ut parentem.

Quid precere. Mss. 6 rec. totidem que editi, *preceris.*

Melius ergo. Mss. 9 rec. et edit. 7, *Eo melius ergo.*

Lucretius. Hæc Lucretii verba ex libro I de Rerum Natur. jam recitata fuerunt supra libro I, cap. 16.

Qui ait. Manuscriptorum est, et 4 edit. In 11 vulgatis est *quia ait;* male.

Colebant imagines. Nonnulli mss. et edd., *celebrant,* quod nihil hic loci significare potest.

Ut deorum vice. Ita quamplurimi et antiquissimi mss. et 8 excusi. In 9 scriptis et 11 editis est, *in deorum vicem;* 3 rec., *vices.*

Vana superstitio, etc. Sunt verba Evandri ad Æneam, libro Æneidos VIII, quo loco Servius aliam quam Lactantius, sive Cicero, hujus vocis rationem affert: *Superstitio,* inquit, *est timor superfluus et delirus, aut ab aniculis dicta, quæ multis superstites per ætatem delirant, et stultæ sunt: aut secundum Lucretium superstitio est superstantium rerum, id est cœlestium et divinarum, quæ super nos stant, inanis et superfluus timor.* Hæc ille. Lex erat: *Separatim nemo habessit deos, neve novos, sive advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto.*

Fortasse. Caput istud videtur scriptum, vel contra Paulum Samosatensem, vel contra Arrianam hæresim.

Quærat. Heuman. legit *qnæret.*

Impegit. Ita mss. et editi. Mss. Cauc., 3 Reg. et edit. octo, *impingit.*

Labare nos. Sic quamplurimi mss. et 16 excusi. Id est, vacillare, seu potius errare. Scripti 6 rec. et 2 vet. edit. Rom., *laborare;* mss. 7 rec., *labore;* Regio-Put. a prima manu, 2 Bonon. et Tax., *labere nos.*

Nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre secerni. Ita mss. Regio Put., Cauc., Jun., 5 Colb., Pal., 1 Lips., Em., Cant., 1 Sorbon., 2 Clarom., Brun. et 14 vet. edit. In quibusdam editis deest *esse.* At in 1 Bon. antiq., 3 Reg., 1 Lips., 1 Colb. et ed. Is., *nec Pater a Filio potest, nec Filius a Patre secerni.* Id contra Arianos dictum fuisse existimo.—Quam scripturam confirmat Epit. c. 49 fin.: *Neutrum sibi relinquit, qui aut Patr. a Fil., aut Fil. a Patr. secernit.* Bun.

Digitized by Google

igitur et Pater Filium faciat, et Filius Patrem, una utrique mens, unus spiritus, una substantia est : sed ille quasi exuberans fons est, hic tamquam defluens ex eo rivus; ille tamquam sol, hic quasi radius a sole porrectus. Qui quoniam summo Patri et fidelis, et carus est, non separatur : sicut nec rivus a fonte, nec radius a sole; quia et aqua fontis in rivo est, et solis lumen in radio : æque nec vox ab ore sejungi, nec virtus, aut manus a corpore divelli potest. Cum igitur a prophetis idem manus Dei, et virtus, et sermo dicatur, utique nulla discretio est; quia et lingua sermonis ministra, et manus in qua est virtus, individuæ sunt corporis portiones.

Proplore uti exemplo libet. Cum quis habet filium, quem unice diligit; qui tamen sit in domo, et in manu patris, licet ei nomen domini potestatemque concedat, civili tamen jure et domus una, et unus dominus nominatur. Sic hic mundus una Dei domus est; et Filius ac Pater, qui unanimes incolunt mundum, Deus unus, quia et unus est tamquam duo, et duo tamquam unus. Neque id mirum, cum et Filius sit in Patre, quia Pater diligit Filium, et Pater in Filio, quia voluntati Patris fideliter paret, nec unquam, faciat aut fecerit, nisi quod Pater aut voluit, aut jussit. Denique unum Deum esse tam patrem, quam filium, Esaias in illo exemplo, quod superius posuimus, ostendit, cum diceret : *Adorabunt te, et in te precabuntur, quoniam in te Deus est; et non est alius Deus præter te.* Sed et alio loco similiter ait : *Sic dicit Deus rex Israel; et qui eruit eum Deus æternus : Ego primus, et ego novissimus; et præter me non est Deus.* Cum duas Personas proposuisset, Dei regis, id est, Christi; et Dei Patris, qui eum post passionem ab inferis excitavit, sicut ostendisse diximus Oseam prophetam, qui ait : *Et de manu inferorum eruam eum* : tamen ad utramque Personam referens, intulit, *Et præter me non est Deus*, cum posset dicere *præter nos* : sed fas non erat plurali numero separationem tantæ necessitudinis fieri. Unus est enim solus, liber, Deus summus, carens origine, quia ipse est origo rerum; et in eo simul et Filius, et omnia continentur. Quapropter cum mens et voluntas alterius in altero sit, vel potius una in utroque, merito unus Deus uterque appellatur, quia quidquid est in Patre, ad Filium transfluit, et quidquid in Filio, a Patre descendit. Non potest igitur ille summus, ac singularis Deus nisi per Filium coli. Qui solum Patrem se colere putat, sicut Filium non colit, ita ne Patrem quidem. Qui autem Filium suscipit, et nomen ejus gerit, is vero cum Filio simul et Patrem colit, quoniam legatus, et nuntius, et sacerdos summi Patris est Filius. Hic templi maximi janua est, hic lucis via, hic dux salutis, hic ostium vitæ.

CAPUT XXX.

De Hæresibus et Superstitionibus vitandis, et quæ sit sola et vera Ecclesia Catholica.

Sed quoniam multæ hæreses extiterunt, et instinctibus dæmonum populus Dei scissus est : determinanda est nobis veritas breviter, et in suo proprio domicilio collocanda; ut si quis aquam vitæ cupiet haurire, non ad detritos lacus deferatur, qui non habent venam, sed uberrimum Dei noverit fontem, quo irrigatus perenni luce potiatur. Ante omnia scire nos convenit, et ipsum, et legatos ejus prædixisse, quod plurimæ sectæ et hæreses haberent existere, quæ concordiam sancti corporis rumperent, ac monuisse, ut summa prudentia caveremus, ne quando in laqueos et fraudes illius adversarii nostri, cum quo nos Deus luctari voluit, incideremus. Tum dedisse certa mandata, quæ in perpetuum custodire deberemus : quorum plerique immemores, deserto itinere cœlesti, vias sibi devias per anfractus et præcipitia condiderunt; per

VARIORUM NOTÆ.

Pater Filium faciat, et Filius Patrem. Relative scilicet. Ita mss. 10 Reg., 2 Bon., 6 Colb., 1 Sorbon., Em., Cant., 2 Claromont., 2 Brun. et alii, cum 13 vet. editis mss., Cauc. et nonnulli rec. vulgati, et *Filius fiat.*—*Et Pater Filium faciat, et Filius Patrem. At quin* (respondet Tertullianus adv. Prax., c. 10) : *Pater Filium facit, et Patrem Filius.* Bun.

Una substantia est. Filius una substantia cum Patre; id contra Arium. Quamvis Lactantius videatur catholicus circa Verbi divinitatem, nimis tamen balbutit, quia summum istud mysterium comparationibus naturalibus explicare conatur.

Æque nec. Omnium mss. est; *æque neque* editorum, quod ingrate sonat.

Ministra. Perperam sex mss. rec. et 12 editi recentiores addebant *est*, quod tres vet. edd. Rom. et mss. quamplurimi respuunt; et mox sequitur *sunt.*

Superius. Scilicet hujus libri IV, cap. 13, ex capite XLIV et XLV Isaiæ.

Præter me non est Deus. Ita mss. et quamplures editi. Et recte quidem, nec aliter infra Lactantius. In 6 excusis, *præter me nemo est Deus.*

Quia quidquid est in Patre, etc. Sic etiam Christus Salvator noster, Johann. X, vers. 30 : *Ego et Pater unum sumus.* Atque hinc est quod et alibi dicat, nempe apud eumdem Johannem cap. III, vers. 35 : *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.*

Ne Patrem quidem. Subauditur verbum *colit*, quod immediate præcessit. 1 Reg. rec. et 6 impressi, *nec.* In 7 scriptis rec. et 4 vulgatis est, *nec Patrem quidem colit.* In 8 manu exaratis et 3 vet. edd. Rom., *ne Patrem quidem colit.*

Is vero cum Filio simul. Mss. 7 rec. et totidem editi, *is vere.* At cæteri mss. et tres vulgati habent, *is vero.*

Luce. Ita omnes mss. et editi codices. Isæus legendum esse censebat, *latice.*

Et hæreses haberent existere. Sic ferunt mss. et impressi, præter Goth. cui deest, *et hæreses*; Cauc., *quod plurimæ sectæ existerent.* Pro *haberent* edit. Ald., *deberent*; et ita legendum esse existimabat Gallæus. Quin immo hæreses haberent existere, vera lectio est. Sic enim loqui amat Lactantius ejusdem libri IV cap. 12, circa medium, *carne indui haberet in terra*; lib. VII cap. 6, ante finem, *habent dicere.* Et apud Ciceronem, *habeo polliceri*, lib. I epist. 5, ad Lentulum; et *habeo scribere*, lib. II, epist. 22, ad Attic. Quod oporteat hæreses esse, hæc ait Paulus I ad Corinth. cap. XI, XIX. Oportet hæreses esse in vobis, ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos. Vide et II Petri, cap. II, I.

Digitized by Google

quas partem plebis incautam et simplicem, ad tenebras mortemque deducerent : quod quatenus acciderit, exponam. Fuerunt quidam nostrorum vel minus stabilita fide, vel minus docti, vel minus cauti, qui discidium facerent unitatis, et Ecclesiam dissiparent. Sed ii, quorum fides fuit lubrica, cum Deum nosse se et colere simularent, augendis opibus et honori studentes, affectabant maximum sacerdotium, et a potioribus victi, secedere cum suffragatoribus suis maluerunt, quam eos ferre præpositos, quibus concupierant ipsi ante præponi.

Quidam vero non satis cœlestibus litteris eruditi, cum veritatis accusatoribus respondere non possent, objicientibus vel impossibile, vel incongruens esse, ut Deus in uterum mulieris includeretur, nec cœlestem illam majestatem ad tantam infirmitatem potuisse deduci, ut hominibus contemptui, derisui, contumeliæ et ludibrio esset, postremo etiam cruciamenta perferret, atque excecrabili patibulo figeretur : quæ omnia cum neque ingenio, neque doctrina defendere ac refutare possent (nec enim vim rationemque penitus pervidebant), depravati sunt ab itinere recto et cœlestes litteras corruperunt, ut novam sibi doctrinam sine ulla radice ac stabilitate componerent. Nonnulli autem falsorum prophetarum vaticinio illecti, de quibus, et veri prophetæ, et ipse prædixerat, exciderunt a doctrina Dei, et traditionem veram reliquerunt. Sed illi omnes dæmoniacis fraudibus irretiti, quas prospicere et cavere debuerant, divinum nomen et cultum per imprudentiam perdiderunt. Cum enim Phryges, aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, aut Ariani, seu quilibet alii nominantur, christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana et externa vocabula induerunt. Sola igitur catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet.

VARIORUM NOTÆ.

Stabilita fide. Mss. 1 Lips. et Goth., *stabiliti fide* : Brun., *stabiles fide*..

Discidium. Ita veteres editiones. — *Discidium facerent unitatis.* Edo *discidium* (a discindere) Ex Lips. tert., Reimm., quibus proxime Ven. 1471 et utraque 1478 : *descidium.* Ita sane postulant verba, *Concordiam rumperent*, et voces, *unitatis... dissiparent*, et frequens in hoc capite imitatio ex Cypriano de Unitate Eccles. Ed. Oxon. f. 105 : *Hæreses iuvenit et schismata, quibus...* scinderet *unitatem* ; et fol. 119, *Scindi unitas non potest*, nec corpus unum *discidio* (Gryph. *dissidio*, prave) *compaginis separari.* Idem Epist. 59, Oxon. fol. 129, ed. Erasm. l. 1, ep. 3 : *Nemo discidio unitatis Ecclesiam scinderet.* Bun.

Quam eos ferre præpositos. Pro *quam*, est *nec* in ms. Bononiensi perantiquo ; pro *ferre* est *facere* in 5 vet. excusis. Hæc ad Novatianum spectare videntur.— *Quam eos ferre præpositos.* Bon., *nec eos ferre præpositos. Præpositorum* (Ecclesiæ) multa fit mentio in Cypriano, e. g. l. 1, ep. 3, 4, 5, 11 et alibi ed. Erasmi : sic ep. 59, ed. Oxon. f. 130, *Ecclesiæ præpositum persequi.* Bun.

Deus in uterum mulieris includeretur. Ita mss. Regio-Put., 3 Colbert., Em., Cant., 1 Lips. et 3 vet. editiones Romanæ ac Cellar. Walch. rectius et aptius, quam *Deus in uterum se mulieris includeret*, quod est 7 scriptorum et 13 impressorum. In 1 Reg. antiquiss., *incluserit*, non male, ob id quod sequitur, *potuisse deduci.*

Prophetæ, et ipse prædixerat. Mss. 5 rec. et edit. Rom. 1470, *prædixerant.* At tali locutione verbi singulariter expressi utitur passim in scriptis suis Lactantius.

Phryges. Sunt Cataphryges, de quibus Eusebius, Hist. eccles. lib. v, cap. 3, 14 et seqq. His nomen provincia Phrygia dedit, quia ibi extiterunt, ibique vixerunt. Eorum auctores fuerunt Montanus tamquam Paracletus, et duæ prophetissæ ipsius insanæ, Priscilla et Maximilla. Utrumque Testamentum tenebant, Epiphanio teste, sentiebantque nos debere *χαρίσματα*, id est dona prophetiæ suscipere. Fuerunt juxta Epiphanium Antonini Pii anno 9, hoc est æræ christianæ 148, juxta Eusebium autem anno 11 Antonini Veri, hoc est Christi 174. Vide et Nicephor., lib. IV, cap. 23, et Augustin. lib de Hæres. n. 26.

Novatiani. Qui se Catharos, quasi puros et immunes a peccatis, superbissime atque odiosissime nominabant, cum, teste Hieronymo, omnium fuerint pollutissimi. Secundas nuptias non admittebant, pœnitentiam peccantibus post baptismum denegabant, ad se venientes ex catholica Ecclesia rebaptizabant, Novatum sectantes hæreticum, vel etiam Novatianum, Romanæ Ecclesiæ presbyterum schismaticum, Cornelii papæ competitorem. S. Cyprian. epist. 8, l. II, Epiphan. hæres. 50 ; August. hæres. 38 ; Raban. Inst. cleric. lib. II, cap. 58.

Valentiniani. A Valentino, qui vivebat sub Antonino Pio, anno 146. Triginta æonas, seu sæcula, extitisse asserebant, quorum principium esset profundum ; a quo profundo, id est a Patre, Christum missum dicebant spirituale, vel cœleste corpus attulisse, nihilque assumpsisse de virgine Maria ; sed per illam, tamquam per rimam aut per fistulam, sine ulla de illa assumpta carne transisse. Negabant etiam resurrectionem carnis. *Gnosticos*, quasi summa scientia præditos, vel illuminatos seipsos appellabant (Augustinus hæres. 11). Contra illos potissimum Irenæus et Tertullianus scripserunt.

Marcionitæ. Marcion Ponticus Cerdonis secutus est dogma de duobus principiis. Vide Irenæum, lib. I, cap. 26, Tertullian. et Epiphaninm. Vixit Marcion Antonini Pii temporibus.

Anthropiani. Isæus eos intelligit, qui Jesum Christum *ψιλόν* (id est purum) dumtaxat hominem fuisse pronuntiabant, ut Ebion et Cerinthus : ii tamen hoc nomine censeri possunt, qui Deum corporeum finxere, ut Badiani et Antropomorphitæ, qui Deum sibi fingebant cogitatione carnalem in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. De quibus vide Alphonsum a Castro, fol. 145, edit. Antwerp. Spark.— *Anthropiani.* Horum mentio in Cypriani, ep. 73, ed. Oxon. f. 200. Diversi ab Anthropomorphitis, negantes Christum Deum, hominem nudum asserebant, uti Sparkio et Cellario accuratius Isæus docuit, cui adstipulatur Ittigius in diss. de hæresiarch. sæc. I et II, sect. I, c. 6, pag. 62, 63, eosdem homuncionitas aliis dictos credens. Bun.

Aut Ariani. Hæc verba repudiat Isæus tamquam a quodam posteriore addita, quia, inquit, cum Lactantius scriberet, nondum notum fuerit Arianorum nomen. Sed si absunt a mss. antiquissimis 1 Bonon., 2 Reg. et Canc., ab alio item Regio rec., Marm., et 1 Clarom. ac tribus editis, reperiuntur in 40 et amplius mss. ac 14 vulgatis : quare ea reliquimus in textu. Innotuisse illam Arianorum hæresim circa annum 315 dicit Isæus, et Lactantium ad scribendum fuisse extimulatum anno 302. Verum cardinalis Baronius, Betuleius, Baluzius, aliique aliter sentiunt, et nostram lectionem tot mss. ac veteribus editis confirmatam probant ac defendunt. Isæi assertio hoc nititur fundamento, quod nempe Lactantius scripserit anno 302

Digitized by Google

templum Dei, quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exiverit, a spe vitæ ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri. Agitur enim de vita et salute : cui nisi caute ac diligenter consulatur, amissa et extincta erit. Sed tamen quia singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum Christianos, et suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est illam esse veram, in qua est confessio et pœnitentia, quæ peccata et vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. Hæc interim paucis admonendi gratia retuli, ne quis errorem fugere cupiens, majori implicetur errore, dum penetrale veritatis ignorat. Postea plenius et uberius contra omnes mendaciorum sectas proprio separatoque opere pugnabimus. Sequitur, ut, quoniam satis de religione vera et sapientia locuti sumus, in proximo libro de justitia disseramus.

VARIORUM NOTÆ.

suos Divinarum Institutionum libros. At Lactantium eos scripsisse, vel dedicasse anno 316, vel circiter, Betuleius aliique contendunt ; Tillemontius vero non ante annum 321, ob rationes a se allatas Histor. eccles., tom. VI, pag. 208, quem adire non pigeat. In Oriente septem Divin. Institutionum libros primo prodiisse nonnulli volunt ; secundo circa annum 321, aut serius in Occidente ; et scriptos antea, a Lactantio recognitos et interpolatos, ac Constantino Magno dedicatos *post tempus quo furebat odiosa crudelitas*. Vide lib. V, cap. 2. Scribo autem *Ariani* cum simplici r, ut solent Græci, siquidem Græcus erat *Arius ;* et quomodo ejus scriberetur nomen, Græcis fuit magis notum, quam Latinis. Et sic scriptum reperio in mss. 4 Reg., 1 Sorbon., 1 Colb., Gat., 1 Clar., Em., Cant. et in edit. Cellar. — *Aut Ariani*. Leguntur, teste *Isæo*, in vaticanis et aliis mss. in his Bonon. altero, Taxaq. Pen. auctore Baronio, in novem vaticanis, duobus vallicellanæ bibliothecæ ; fide Baluzii, in Ultr., Jun., Palat., quatuor biblioth. Reg. Paris. et in sex Colbertinis ; in septem Anglicanis, tribus Lips., Goth., Reim. et in Guelferbytanis, quos vidi, et omnibus omnino ante Thomasium editis. Rationibus in utramque partem perpensis, Baluzius ad principium Notarum auctiorum in lib. de Mort. Pers. pro genuinis habet, cui aliisque summis viris libenter subscribimus. Bun.

Hoc domicilium fidei. Editi habent ; *Hoc est* etc. Sed verbum *est* expunxi, quod eleganter a mss. abest, neque reperitur in sequenti membro.

Quo si quis non intraverit. Ita omnes mss. et editi, præter 1 Bonon. antiq. et edit Gymnic., Soubron., 2 Paris., Torn., quibus est *quod*.

In qua est confessio et pœnitentia, quæ peccata..... salubriter curat. Diriguntur hæc spicula contra Novatianum, et ejus sectatores, qui in peccatum lapsos ad pœnitentiam non recipiebant, remissionem peccatorum in Ecclesia non reperiri, eique claves aperiendi atque solvendi a Christo datas fuisse negantes : qua de re vide Pacian. epist. 1 ad Sympronianum, S. Augustinum de Agone Christ. cap. 31. Isæus.

Et uberius. Sic emendavimus ex mss. 2 Reg. 900 annor., ex altero Reg. 400 annor. optimæ notæ, duobus Brun., 1 Lips. et Ultr. In aliis mss. et editis, præter Lipsiensem, corrupte legitur *verius*. Quis enim putet tam absurdum fuisse Lactantium, ut in eis, quæ ante proposuit, se non satis vere scripsisse affirmet, in alio scripto verius acturus ? Cæterum istud *separatum propriumque opus* contra hæreses, seu, ut ait Lactantius, *contra omnes mendaciorum sectas*, si extitit unquam, ad nostram usque ætatem non pervenit. — *Plenius et uberius*. Frequenter veteres has voces jungunt, ut Cicero de Clar. Orat., cap. 33, *Nemo plenior et uberior ad dicendum fuit*. Orat. 2, Philipp. 1 : *Quid plenius, quid uberius*. Cæsar 1, B. Civ., c. 55 : *Hæc pleniora etiam et uberiora perscribebant*. Bun.

ANALYSIS LIBRI QUINTI.

DE JUSTITIA.

Partes hujus libri duæ sunt : prima reddit causas cur hunc scribendi laborem susceperit (*Cap.* 1, 2, 3, 4) ; altera doctrinam de justitia legali persequitur, inde usque ad finem.

Causas præsentis scriptionis tum finales, tum impulsivas recitat præmissa petitione, ut prius legant sua, quam judicent Gentiles. Finales has affert : ut revocet errantes ab itinere devio ; ut confirmet titubantes in fide ; ut delectet conscientiam veritatis professione (*Cap.* 1).

Impulsivas duas memorat : unam, quod hactenus nemo eleganter de christiana religione scripserit : non Minucius Felix, non Tertullianus, qui minus comptus et multum obscurus fuerit in eloquendo, Cyprianus autem eleganter quidem, sed mystice locutus sit : alteram, quod hæc ipsa doctorum penuria provocarit quosdam, ut auderent scribere contra ignotam sibi veritatem. Inter alios enim, philosophum quemdam calamum strinxisse adversus christianos ; quemdam item e numero judicum duos libellos composuisse, quibus falsitatem Scripturæ arguere conatus sit, tamquam sibi esset tota contraria, Christum etiam magum et Apollonio inferiorem dixerit ; quæ omnia (*Cap.* 3) diluit auctor.

Secunda parte hæc ordine pertractat :

Ideo aureum sæculum sub Saturno fuisse, quia unum Deum tum coluerint mortales (*cap.* 5).

Sub Jove autem mutatum esse sæculum aureum, quia religionem veram deseruerint (*Cap.* 9).

Sed nunc per nuncium Dei (Christum) speciem illius aurei temporis rediisse, justitiamque, hoc est, Dei unici piam et religiosam culturam reductam (*Cap.* 7).

Justitiam hanc ideo non omnibus datam, quia virtus cerni non possit, nisi habeat vitia contraria ; nec sit perfecta, nisi exerceatur in adversis : deinde quia nihil fuisset pietas, si natura pares omnibus affectus dedisset. Et quia malum non sustulit Deus, ideo aureum sæculum non dici nunc, quamvis hominibus sit missa justitia (*Cap.* 7).

Ideo homines malos esse et injustos, quia dii colantur : et ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingravascere ; quod Deus hujus mundi effector derelictus sit : qui si ab omnibus coleretur, vere tum aureum sæculum futurum esset (*Cap.* 8).

Justitiam, quam veram putant, licet veniat, nullum locum apud Paganos habituram, ut qui justitiæ sectatores interficiant, vel veritatis odio, vel quod eru-

Digitized by Google

bescunt coram justis esse nequam; crudeliter occisorum corporibus illudant, ac retorqueant in homines justos convitia sibi congruentia. Quorum nihil cum populo christiano objici possit, vel ex eo intelligere illos posse, se impios, christianos esse pios (*Cap.* 9).

Ipsam impietatem Gentilibus videri pietatem; quemadmodum Virgilius Æneam pium dixerit, qui non tantum non repugnantes, sed etiam precantes interemerat: itaque pro merito impietatis suæ gravioribus malis sæpe eos vexari, quorum causam fortunæ adscribant (*Cap.* 10).

Præterea non posse deorum cultores esse bonos et justos, qui colant cruentum Martem, expulsorem patris sui Jovem, ἄστοργον Saturnum, adulteram deam, furem Mercurium (*Cap.* 10).

Hinc tantam illorum rabiem, tantam immanitatem esse, ut præcipites ad occidendum existant, ut gravia tormentorum genera excogitent, ut jura denique impia contra pios condant (*Cap.* 11).

Porro injustos esse Gentiles, et malitia ac furore plane occæcatos, vel inde patere quod cum christianos necessario, vel sapientes judicent, vel stultos, tamen non vel sapientes imitentur, vel stultis parcant (*Cap.* 12). Deinde quod non videant a christianis stare sapientiam; quorum per totum orbem idem est Dei cultus, eadem ubique patientia, idem mortis contemptus: quorum numerus in ipsa persecutione augetur: quique laudatam a philosophis constantiam tenent. Postremo, quod evertisse se funditus religionem opinentur, si homines inquinaverint, perinde ac lapsis aditus ad Deum interclusus sit, si resipiscant. (*Cap.* 13 et 14).

Philosophos ipsos Justitiam nec invenire, nec defendere potuisse, quia principes justitiæ partes pietatem et æquitatem ignorarent (*Cap.* 15). Apud solos christianos veram æquabilitatem et fraternitatem conspici (*Cap.* 16).

Non frustra tamen falli, qui Christianos sapientes stultos putent. Justitiam enim suapte natura speciem quamdam stultitiæ habere: id quod Carneades apud Ciceronem doceat, qui Justitiam cum in duas partes divisisset, alteram civilem, alteram naturalem, illam civilem sapientiam quidem esse, justitiam non esse, hanc naturalem justitiam quidem esse, sed non sapientiam docuit. Itaque justum stultum esse, si aut naufragio tabulam, aut saucio equum non ademerit, ut ipse animam suam liberet (*Cap.* 17).

Re autem vera justitiam nullum cum stultitia fœdus habere. Casum a Carneade propositum homini justo nunquam evenire. Neque enim navigare justum, aut quid petere ex aliena terra, cui sua sufficiunt, neque belligerare pacificum: atque ut eveniat ei hujusmodi casus, tantam esse vim justitiæ, ut cum oculos in cœlum sustulerit, a Deo mereatur omnia, a quo inter ipsa bellorum et tempestatum discrimina liberetur. Atque ut non liberetur, moriturum potius ipsum, quam occisurum. Rationem quoque docere non posse, eumdem justum esse et stultum, eumdem sapientem et injustum: cum stultus quid sit bonum et justum nesciat, justus ab omni peccato se abstineat: idem ex definitione stultitiæ clarum esse. Cum enim stultitia sit in factis dictisque per ignorationem recti bonique erratio, stultum non esse, qui ne sibi quidem parcit, dum ne noceat alteri (*Cap.* 18).

Causam, cur justi stulti videantur, esse, quod pagani immortalitatem animæ nesciant: item, quantum nefas sit adorare aliud, quam Deum verum. Causam autem, cur Deus justitiam sub persona stultitiæ celatam velit esse; ut mysterium veritatis ac religionis suæ sit arcanum; ut sapientiam mundi vanitatis damnet; ut proposita denique difficultate, angustissimus trames ad immortalitatis præmium sublime perducat. (*Cap.* 19).

Inexpiabile itaque facinus admittere persecutores Ecclesiæ, tum quod seipsos jugulent perditissimis dæmonibus serviendo, tum quod nec ab aliis Deum coli patiantur.

Falso quoque animarum interfectores prætendere, se christianis consulere, se ad bonam mentem illos velle revocare. Neque enim vi et tormentis, sed ratione et hortamentis agere eos debere. Nam: Religionem cogi non posse; christianos paratos esse audire; eosdem docere, probare, ostendere sua dogmata; defendendam esse religionem non occidendo, sed moriendo; non sævitia, sed patientia; non scelere, sed fide. Defendendam esse religionem, sed veram: non eam, in qua nihil aliud videatur, quam ritus ad solos digitos pertinens, qualis sit Paganorum; in qua loco puri pectoris, inepta libatio exigitur; ad quam sine delectu sceleratissimi quique veniunt; et ubi se pie sacrificasse quisque opinatur, si cutem laverit (*Cap.* 20).

Paganos ipsos deos suos destruere, cogendo invitos ad sacrificium; diffidere enim eos potestati deorum suorum. Postremo nec diis, quibus coacti christiani sacrificant, nec ipsis, quos cogunt, præstare illos aliquid. Non iis quos cogunt, quia non sit beneficium, quod ingeritur recusanti: non diis, quia non est sacrificium, quod exprimitur invito.

Nullius momenti esse exceptionem, quod dicant, puniendos esse qui destruunt religiones: cum Ægyptii, qui turpissimas bestiarum figuras colunt: cum philosophi quidam, qui omnino nullos deos esse aiunt: cum Epicurei, qui providentiam tollunt, vere religionem tollant, et tamen ferantur, imo etiam honorentur (*Cap.* 21).

Unde pateat, non ideo paganos adversus christianos insanire, quia deos hi non colant, sed quia veritas penes eos sit; adeoque nescire paganos, quid patiantur, et a spiritibus contaminatis actos cæco et irrationabili furore perferri (*Cap.* 22).

Atque hæc quidem Deum permittere: ut patientiam suorum probet: ut eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi non sinat: ut delinquentes plagis ac verberibus emendet: ut Dei populus augeatur, crudelitate impiorum et fidelium constantia ob hominum oculos posita. Non tamen persecutores impune laturos: sed graves Deo pœnas daturos, quod indignationis adversus christianos fuerunt ministri (*Cap.* 23 et 24). SCULTETUS.

LIBER QUINTUS.

DE JUSTITIA.

CAPUT PRIMUM.

De non damnandis reis, inaudita causa; unde Litteras sacras contempserint philosophi; de primis assertoribus religionis christianæ.

Non est apud me dubium, Constantine Imperator Maxime, quin hoc opus nostrum, quo singularis ille

VARIORUM NOTÆ.

Constantine imperator Maxime. Tria hæc verba absunt a mss. 1 Bonon. antiq., 1 Reg., Pal., 1 Lips. et edit. Is.; extant autem in cæteris tum scriptis, tum editis. Hoc primum caput est veluti præfatio totius

Digitized by Google

rerum conditor et hujus immensi rector asseritur, si quis attigerit ex istis inepte religiosis (ut sunt nimia superstitione impatientes), insectetur etiam maledictis, et vix lecto fortasse principio, affligat, projiciat, execretur; seque inexpiabili scelere contaminari atque astringi putet, si hæc aut legat patienter, aut audiat. Ab hoc tamen, si fieri potest, humanitatis jure postulamus, ut non prius damnet, quam universa cognoverit. Nam si sacrilegis, et proditoribus, et veneficis potestas defendendi sui datur, nec prædamnari quemquam incognita causa licet: non injuste petere videmur, ut si quis erit ille qui inciderit in hæc, si leget, perlegat, si audiet, sententiam differat in extremum. Sed novi hominum pertinaciam: nunquam impetrabimus. Timent enim ne a nobis revicti, manus dare aliquando, clamante ipsa veritate cogantur. Obstrepunt igitur, et intercedunt ne audiant; et oculos suos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus. Quo plane ipsi diffidentiam suæ perditæ rationis ostendunt, cum neque cognoscere; neque congredi audent, quia sciunt se facile superari. Et idcirco disceptatione sublata,

Pellitur e medio sapientia, vi geritur res,

ut ait Ennius; et quia student damnare tamquam nocentes, quos utique sciunt innocentes, constare de ipsa innocentia nolunt. Quasi vero major iniquitas sit, probatam innocentiam damnasse, quam inauditam. Sed, ut dixi, verentur, ne si audierint, damnare non possint.

Et ideo cultores Dei summi, hoc est justos homines torquent, interficiunt, exterminant; nec causas odiorum reddere ipsi possunt, qui tam vehementer oderunt: quia ipsi errant, irascuntur iis qui veram viam sequuntur, et cum corrigere se possint, errores suos insuper crudelibus factis coacervant, innocentium cruore maculantur, et dicatas Deo mentes evis-

VARIORUM NOTÆ.

libri, in quo queritur de christiani nominis persecutoribus, quod indicta causa supplicium de innoxiis christianis sumere pergant. Idem prorsus est argumentum cum Apologetico Tertulliani.

Immensi rector. 1 Colb. a secunda manu, et 6 edit. ferunt, *immensi operis rector*, 1 Colbert. rec. et 1 Brun., *universi rector*. Lactant, lib. II, cap. 5, *universi artifex*; et cap. 17, *rector universi*.

Impatientes. Rost., Ven. 1471, 72, utraque 78, prave *impartientes*; hinc Heuman. *impotentes* rescribit. At mss. Guelf., Lips., Goth., Reimn., Ven. 1493, 97, Parrh., Paris.; reliqui, *impatientes*, quod servo ob sequentia, *legat patienter aut audiat*. Bun.

Humanitatis jure. Id est, *jure gentium*, aut etiam naturæ.

Ut non prius damnet. Aperte in his sequentibus Tertullianum sequitur in Apolog. cap. 1: *Unum gestit* (veritas) *interdum, ne ignorata damnetur*. Item Minuc. Fel., cap. 27, fin.: *Ut ante nos incipiant homines odisse, quam nosse; ne cognitos aut imitari possint aut damnare non possint*. His similia dat Lindenbr. ad Ammiani. l. xv, c. 7, pag. 99: *Nec visum hominem nec auditum damnare nefas ultimum*, etc. Bun.

Cognoverit. Nam si christianum esse tunc causa capitalis erat, jure gentium requirebatur plenissima causæ cognitio, ut jureconsulti tradunt.

Nam si sacrilegis, etc. Aristides altera in Platonem orat. laudat illud, Πάταξον μὲν, ἄκουσον δέ. Lex fuit Lycurgi περὶ ἀκρίτων, ut eam vocat Sext. Empiric. III, quæ de indemnatis supplicium sumi vetabat, ait Val. Max. VII, cap. 3, 12. Vide etiam Ambros. epistol. 28; Salvian., lib. VIII; Augustin. epist. 50 et 372. Grotius. — Tacitus II Annal.: *Nec enim prohibendus reus, quominus cuncta proferat, quibus innocentia ejus sublevari possit*. In Senecæ Apolog.: *Dic mihi*, etc., *quare quemquam ex his quos quasque occidisti, antequam de causa cognosceres, antequam audires damnasti*.

Ut si quis erit ille, qui. Apparet in reliquis imitatio Ciceronis ex Actione 1 in Verr., c. 18: *Si quis erit, qui... desideret, audiet*. Non male ed. Paris. 1513, in Lactantio verba (*si quis erit*) parenthesi includit, qua ratione reliqua bene fluunt. Bun.

Manus dare aliquando. Id est victos se agnoscere. Quibusdam *manus dare* idem est ac *consentire*; sic Virgilius lib. XI Æneid. Servius, *manus dedisset*, consensisset. In Clementis recognit. lib. II, Rufino interprete. Seneca Nat. quæst. lib. II, cap. 38: *Puta me tibi manus dare et fateri, hoc quoque fato esse comprehensum*: et Lucretius libro II:

Si tibi vera videntur,
Dede manus. Elmenhorst.

Obstrepunt. Cap. 4: *Obstrepere* proprie est *strepitu facto turbare et impedire*. Vid. Dukerum ad Flor. lib. II, c. 19, p. 469. Apte Curtius, lib. VI, c. 9: *Fremitus undique indignantium... obstrepebat*. Add., Pitisc. ad Curt. lib. VII, cap. 7.

Intercedunt. Mss. 3, Reg. rec., 4 Colbert., Brun. et edit. Paris. 1525, atque Graph., *intercidunt*.

Et oculos suos opprimunt. Minutius, *ignorare ingerentem se oculis claritatem cœlestem vocat*. Vide Paulum II Cor. IV, v. 4. — *Oculos suos opprimunt.* Heumannus scribit, *oculos suos comprimunt*. Non opus a consensu omnium librorum abire, et elegantem vocem cum notiori commutare. Ita præiverunt alii; Valer. Max. l. II, c. 6: *Filiarum manus ad supremum* opprimendorum oculorum *officium advocavit*, ubi consule Vorstium. Pari modo dicunt Latini, *os, ora, fauces opprimere*. Notum illud Terentii, *os opprime*. Ovid., liv. III, Metam. 5, seqq.:

..... Voluit Deus ora loquentis
Opprimere..... Bun.

Quo plane ipsi diffidentiam, etc. Mss. 2 Reg. rec. et 1 Lips. *Quod*. In 1, Reg. et 3, Lips. est *diffidentia*.— *Quo plane ipsi diffidentiam... ostendunt*. Revocavi lectionem omnium editionum ante Cellarium ex Goth. et Reimm. conformem nostri stylo l. VI, c. 19. *Quo plane ostendunt*. Cellarii lectio, *quod diffidentia ostendunt*, minus planum et commodum sensum habet. Bun.

Audent. Heuman. legit *audeant*.

Medio. Hic versus ex Ennio lib. VIII, Annal. De quo vide A. Gellium lib. XX, cap. 9. Vide etiam Ciceronem in Orat. pro Murena num. 30.

Constare de ipsa innocentia. Heuman. *de ipsorum innocentia* legit. Nihil mutandum. Iterum, Epit. c. 52: *Incognita causa tamquam nocentissimos damnant, qui constare de ipsa innocentia noluerunt*. Phrasis est Quintiliani l. 7: Instit. 2 ed. Burm., p. 601: *Si prius* de innocentia *nostra* constiterit. Bun.

Corrigere se non possint. Ita solus Goth.; at reliqui scripti omnes et editi, *corrigere se possint*, sine particula negandi. Infra dicit: *Quoniam ipsi saluti suæ repugnant*. Bun.

Coacervant. Sic legunt mss. et impressi. In Bonon. legitur *coacerbant*, pro *coacervant*, *b*, pro *v* posito. Hoc codice antiquo fretus Thomasius putat legendum esse *coacerbant*, quasi dicas *aggravant*: quam loquendi formulam valde latinam, ac sensum optimum putat idem Thomasius. — *Coacervant. Coacerbant*, inquit Thomasius, legendum est ex antiquo codice; nam verba ipsa *acerbare* et *exacerbare* sunt valde latina: sensus vero ipse est optimus, ut dicat eos non contentos esse, quod suos errores sequantur, nisi eos crudelitate sua acerbiores faciant. Quod si legas, *errores coacervant*, nulla est apta sententia, et apparet

Digitized by Google

ceratis corporibus extorquent. Cum talibus nunc congredi et disputare contendimus, hos ad veritatem ab inepta persuasione traducere, qui sanguinem facilius hauserint, quam verba justorum. Quid igitur? Operamne perdemus? Minime. Nam si lucrari hos a morte, ad quam concitatissime tendunt, non potuerimus; si ab illo itinere devio ad vitam lucemque revocare, quoniam ipsi saluti suæ repugnant: nostros tamen confirmabimus, quorum non est stabilis, ac solidis radicibus fundata et fixa sententia. Nutant enim plurimi, ac maxime qui litterarum aliquid attigerunt. Nam et in hoc philosophi, et oratores, et poetæ sunt, perniciosi quod incautos animos facile irretire possunt suavitate sermonis, et carminum dulci modulatione currentium. Mella sunt hæc venenum tegentia. Ob eamque causam volui sapientiam cum Religione conjungere, ne quid studiosis inanis illa doctrina possit officere; ut jam scientia litterarum non modo nihil noceat Religioni atque justitiæ, sed etiam prosit quamplurimum, si is, qui eas didicerit, sit in virtutibus instructior, et in veritate sapientior.

Præterea, etiamsi nulli alii, nobis certe proderit: delectabit se conscientia, gaudebitque mens in veritatis se luce versari; quod est animæ pabulum, incredibili quadam jucunditate perfusum. Verum non est desperandum. Fortasse

Non canimus surdis.

Nec enim in tam malo statu res est, ut desint sanæ mentes, quibus et veritas placeat, et monstratum sibi rectum iter et videant, et sequantur. Circumlinatur modo poculum cœlesti melle sapientiæ, ut possint ab imprudentibus amara remedia sine offensione potari; dum illiciens prima dulcedo acerbitatem saporis asperi, sub prætextu suavitatis occultat. Nam hæc in primis causa est, cur apud sapientes, et doctos, et principes hujus sæculi Scriptura sancta fide careat, quod Prophetæ communi ac simplici sermone, ut ad populum, sunt locuti. Contemnuntur itaque ab iis, qui nihil audire, vel legere, nisi expolitum ac disertum volunt; nec quidquam hærere animis eorum potest, nisi quod aures blandiori sono mulcet. Illa vero, quæ sordida videntur, anilia, inepta, vulgaria existimantur. Adeo nihil verum putant, nisi quod auditu suave est; nihil credibile, nisi quod potest incutere voluptatem: nemo rem veritate ponderat, sed ornatu. Non credunt ergo divinis, quia fuco carent; sed ne illis quidem, qui ea interpretantur, quia sunt et ipsi, aut omnino rudes, aut certe parum docti. Nam ut plane sint eloquentes, perraro contingit; cujus rei causa in aperto est. Eloquentia enim sæculo servit; populo se jactare, et in rebus malis placere gestit: si quidem veritatem sæpius expugnare conatur,

VARIORUM NOTÆ.

manifeste hoc ex illo, b in v mutato, factum esse. Exemplis multis ad Epitom. cap. 2 ex ms. Taurin. ostendo, antiquissimos codd. sæpe *b* pro *v* ponere: unde causa hic cadit Thomasius; et *coacervant*, id est, concumulant, legendum. Et quis ex antiquis dixit, *coacerbare?* Pari vero jure *errores crudelibus factis coacervant* dici potest, quo Cicero pro Rosc. Amer. c. 11: *Hæc* (maleficia) *aliis nefartis cumulant atque adaugent.* Bun.

Evisceratis corporibus. Quintil. declam. 12 extr.: (Sol) ad *eviscerata corpora illuxit.* Cicero, II Tusc. disput. c. 9: Miserandum adspice Evisceratum corpus lacerati patris. Bun.

Ab illo itinere devio. Ed. Sublac. habet *de morte.*

Attigerunt. Sic lego cum editis et mss. præter 3 rec. et 5 excusos, quibus est *attigerint.*

Poetæ perniciosi sunt. Quam perniciosi fuere religioni fictionibus suis! Hæc causa fuit, cur Plato eos ex sua republica expulerit, in πολιτ. I, et in libris de Legibus. Imo Pythagoras Homerum apud inferos torqueri dicebat, ideo quod istas fabulas de diis invenerit, et poemati suo intexuerit. Monet etiam Arist. lib. VIII πολιτ., in puerorum institutione magnam esse adhibendam curam quoad fabularum narrationem. Ritterhusius.

Mella sunt hæc venenum tegentia. Hæc habentur in decem editis, et in antiquissimo 900 annorum ms. Reg., in 1 al. item Regio, Goth., Marin, nisi quod in 1 antiq. Reg. est *venena;* in 3 aliis, *agentia.* Absunt autem ab uno Bonon. antiq., Cauc., 8 Reg., 6 Colbert., 2 Sorbon. ac 16 aliis, et a 9 editis. *Mella sunt,* id ab Horatio poemata melliflua dulcedine fluentia. Sic mellitus gladius, et lethale mulsum, proverbium est.

Non modo nihil noceat... sed... prosit. Lips. tertius, *non modo noceat religioni atque justitiæ, sed etiam;* ut *non modo,* pro *non modo non,* ut hinc inde et ad l. de Opif., cap. 19, in not. monui. Sed præfero hic reliquorum, *non modo nihil,* quod et ipsum elegans, ut l. VI, c. 20: *Quia* non modo... nihil *conferunt, sed etiam nocent plurimum:* in quibus expressit Ciceronem l. II, de Nat. deor., c. 36: *Non modo nihil nocent terris, sed prosunt.* Bun.

Sit in virtutibus instructior. Præpositionem *in* addidi ex 2 Bonon., 5 Reg. quorum duo sunt veterrimi, 6 Colb., Tax., 2 Clarom. et 3 editis.

Animæ pabulum. Lib. I, cap. 1: *Nullus suavior animo cibus est, quam cognitio veritatis.* Lib. III, cap. 3: *Sic animæ sapientia alimentum est.* Cicero lib. V, de Fin. cap. 19: *Animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis cibus.* Bun.

Non canimus, etc. Proverbium ex Virg. Eclog. X.

Nec enim in tam malo statu res est. In mss. 2 Bonon. est: *Non enim.* Nonnulli editi cum mss. 2 Reg. veterrimis, Marm., Goth. habent: *Nec enim plus impuris spiritibus, quam sancto licet.* Inutile additamentum. In quibusdam est *iniquis,* pro *impuris.* Ita opinatur Thomasius.

Circumlinatur. Alludit ad Lucret. sententiam I, 30, qui de nutricibus ait, quod oras pocula circum contingunt mellis dulci flavoque liquore, ut puerorum ætas improvida ludificetur, deceptaque non capiatur. Rivetus.

Cœlesti melle sapientiæ. Mss. 12 rec. et 9 excusi, *cœlestis.*

Hærere animis. Mss. 6 et 8 impressi, *inhærere.* — *Hærere animis.* Angl., Lips., Goth., Reimm., Ven., 1472, utraque 78, Parrh., Paris., Junt., Ald., Crat., Gymn. reliqui, *inhærere animis,* ut l. VI, cap. 20. At Rast., Ven. 1493, 97, *hærere.* Bun.

Sono mulcet. Hæc lectio manuscriptorum est, *permulcet* editorum. Reg. Put. et ed. Rom. 1474, *mulcent,* mendose.

Adeo. Mss. Tornes., Em. et 4 excusi, *Ideo.*

Incutere voluptatem. Singularis hic est Ven. prima 1478 legendo, *inducere voluptatem.* Reliqui mei, *incutere.* Nam in re etiam blanda et suavi usurpatur hoc verbum, Lucret. I, 20.

Omnibus incutiens blandum per pectora amorem.

Sic Tertull. adv. Marcion. l. III, c. 20. *Risum mihi* incuties. Bun.

Plane sint eloquentes. Mss. 14 rec. et 6 edit., *plene,*

Digitized by Google

ut vim suam monstret; opes expetit, honores concupiscit, summum denique gradum dignitatis exposcit. Ergo hæc quasi humilia despicit, acarna tanquam contraria sibi fugit; quippe quæ publico gaudeat, et multitudinem celebritatemque desideret. Eo fit, ut sapientia et veritas idoneis præconibus indigeat. Et si qui forte litteratorum se ad eam contulerunt, defensioni ejus non suffecerunt.

Ex iis, qui mihi noti sunt, Minucius Felix non ignobilis inter causidicos locifuit. Hujus liber, cui Octavio titulus est, declarat, quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset. Septimius quoque Tertullianus fuit omni genere litterarum peritus: sed in eloquendo parum facilis, et minus comptus, et multum obscurus fuit. Ergo ne hic quidem satis celebritatis invenit. Unus igitur præcipuus, et clarus extitit Cyprianus, quoniam et magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat, et admodum multa conscripsit in suo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suavi, et (quæ sermonis maxima est virtus) aperto, ut discernere nequeas, utrumne ornatior in eloquendo, an felicior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit. Hic tamen placere ultra verba sacramentum ignorantibus non potest, quoniam mystica sunt, quæ locutus est, et ad id præparata, ut a solis fidelibus audiantur. Denique a doctis hujus sæculi, quibus forte scripta ejus innotuerunt, derideri solet. Audivi ego quemdam hominem sane disertum, qui eum immutata una littera Coprianum vocaret; quasi qui elegans ingenium, et melioribus rebus aptum, ad aniles fabulas contulisset. Quod si accidit hoc ei, cujus eloquentia non insuavis est, quid tandem putemus eis accidere, quorum sermo jejunus est et ingratus; qui neque vim persuadendi, neque subtilitatem argumentandi, neque ullam prorsus acerbitatem ad revincendum habere potuerunt?

CAPUT II.

Quantum a temerariis hominibus impugnata fuit veritas christiana.

Ergo quia defuerunt apud nos idonei peritique doctores, qui vehementer, qui acriter errores publicos redarguerent, qui causam omnem veritatis ornate copioseque defenderent: provocavit quosdam hæc ipsa penuria, ut auderent scribere contra ignotam sibi veritatem. Omitto eos, qui prioribus eam temporibus nequicquam lacessierunt. Ego cum in Bithynia oratorias litteras accitus docerem, conti-

VARIORUM NOTÆ.

Veritas idoneis præconibus indigeat. Mss. Tornes. et 1 Colbert. rec. *præconiis.*

Minucius Felix. Elegantem ejus christianæ religionis apologiam sub titulo *Octavius* habemus. Vixit anno æræ christianæ 235, quo tempore vivebat et Tertullianus. Jam hujus facta est mentio supra lib. I, cap. 11, post medium.

Tertullianus. Satis notus scriptis editis. Omni genere doctrinæ fuit refertus. Ejus opera græce ab ipso scripta extant in Regia Hispaniarum Scorialensi Bibliotheca, ut a Rege Catholico Philippo V didicerat Marchio de Santa Cruz de Marzenado, vir usquequaque, et probitate, et scientia ornatus. Mirum est hæc in utraque lingua hucusque non fuisse edita. Tertullianum vero tanti faciebat S. Cyprianus, ut nullum prætermitteret diem sine ejus lectione; atque teste S. Hieronymo, solitus erat dicere sanctus episcopus: « Da mihi magistrum, » Tertullianum significans. De hoc infra capite 4 aliquid adhuc dicetur.

Quoniam et magnam. mss. 1 Reg. rec. et Brun., *maximam*: pro *quoniam*, legitur *qui* in tribus rec. et 6 editis.

Quæsierat. Pro *acquisierat*; simplex pro composito passim apud Lactantium. Vide lib. de Mortibus persecutorum.

An felicior. Sic mss. antiquissimi 1 Bon., 2 Reg., 1 al. item Reg. rec. sed bonæ notæ, 1 Colb., Rohan., Ultr., Brun. At recentiores, etiam Sangerman., cum impressis habent *facilior*: utraque lectio bona; mox enim præcessit *ingenio facili*, etc.

Coprianum. Quasi dicas Stercorarium, aut, si mavis, Scurram, aut fœda et vilia loquentem. mss. Vict. et 1 Colb. *Ciprianum*, male ad Lactantii mentem; nec melius manuscripti rec. 1 Reg., Tornes. et 1 Colb. *Caprianum*. Cavillum est ex allusione κοπρία, *stercus*. Scurræ copriæ dicebantur. Gall. — Rhetores, sycophantæ, rabulæ, scurræ, et hujuscemodi multitudo eorum, qui magna ac multa promittunt ac minantur, miraque de se prædicant, κοπρολόγοι et κοπρίαι vulgo appellati. *Copriæ*, οἱ κοπρίαι, apud Sueton. in Tiberio cap. 61, scurræ sunt, qui ridiculi gratia vana ac multa de se jactabant, et pollicebantur: unde et verbum *incopriare*, pro, circulatorem agere, et fumos vendere, quod et fumare dicebant, ut Græci καπνίζειν. Glossæ Isidori: *Scurra, qui incopriat*; in aliis glossis: *Scurra qui fumat*. Idem Isid.: *Circulator, qui fumat*: sic nugatores, mendaces et vaniloquos, coprias vocabant. Ita *Cyprianum* olim Gentiles quidam *Coprianum*, una littera mutata, appellarunt, quod aniles (ut ipsi volebant) fabulas, et multa mendacia scriptis suis inseruisset. Salmasius. — Vide etiam Casaubonum ad Suetonium in Tiberio, et Lipsium Electorum lib. II, cap. 17. De S. Cypriano ait Hieronymus, superfluum esse hujus librorum catalogum contexere, cum sole clariora sint ejus opera. Ejus laudes non Latini modo, verum etiam Græci cecinerunt, ut Nazianzenus. De Cypriani eloquentia lege Prudentium, S. Augustin. lib. IV, de Doctrina christiana, et Hieronymum in epistola ad Paulinum.

Qui. Sic ms. Cantab. et quatuor editi: multi alii, *quod*.

Contulisset. Post hoc verbum, sequentem hanc orationem in ms. Bon. antiq. invenisse se testatur *Isæus*: *Unde apparet, disertissimo et doctissimo viro, quantum ad sacrilegos attinet refellendos, non facultatem* [a] *dicendi, sed consilium defuisse, in eo præcipue quod Demetrianum veritatis expertem, non ratione prudentiæ mundanæ, qua uti in principio debuit, sed auctoritate cœlestium præceptorum, quorum ille se hostem fatebatur, astrinxit.*

Apud nos. Sic reposui ex edit. Tornes. et Soubron. ac mss. omnibus, præter 1 Reg. rec. in quo, sicut in vulgatis, est *nostros*.

Lacessierunt. Suavius nobis exhibent 2 vet. edit. Rom. et omnes ferme mss. quam cæteri vulgati et 5 rec. mss., *lacesserunt*. Hoc ultimum erratum est juxta linguam latinam.

Oratorias litteras, etc. Nicomediæ videlicet. Docuit ibi Oratoriam, ut etiam Hieronymus in ejus vita retulit, Latinam in Græcia, fortassis quia tum quoque temporis romani suam linguam per orbem romanum propagatam voluerunt: sed fortassis frustra; destituebatur enim auditoribus. Bithynia, Asiæ minoris provincia, e regione Constantinopoleos, ad Pontum Euxinum. Hanc populo romano rex Nicomedes testamento reliquerat. Natolia hodie hæc provincia vocatur.

[a] In *MS.* est *discendi*. Hanc orationem non habent nec Rohan. nec Sangerm. nec etiam alii.

Digitized by Google

gissetque ut eodem tempore Dei templum everteretur : duo extiterunt ibidem, qui jacenti atque abjectæ veritati, nescio utrum superbius, an importunius insultarent; quorum alter antistitem se philosophiæ profitebatur : verum ita vitiosus, ut continentiæ magister, non minus avaritia, quam libidinibus arderet, in victu tam sumptuosus, ut in schola virtutis assertor, parcimoniæ paupertatisque laudator, in palatio pejus cœnaret, quam domi. Tamen vitia sua capillis et pallio, et (quod maximum est velamentum) divitiis prætegebat; quas ut augeret, ad amicitias judicum miro ambitu penetrabat, eosque sibi repente auctoritate falsi nominis obligabat; non modo ut eorum sententias venderet, verum etiam ut confines suos, quos sedibus agrisque pellebat, a suo repetendo hac potentia retardaret. Hic vero, qui suas disputationes moribus destruebat, vel mores suos disputationibus arguebat, ipse adversus se gravis censor, et accusator acerrimus, eodem ipso tempore, quo justus populus nefarie lacerabatur, tres libros evomuit contra Religionem nomenque christianum : professus ante omnia philosophi officium esse erroribus hominum subvenire, atque illos ad veram viam revocare; id est, ad cultus deorum, quorum numine ac majestate (ut ille dicebat) mundus gubernetur, nec pati homines imperitos quorumdam fraudibus illici, ne simplicitas eorum prædæ ac pabulo sit hominibus astutis.

Itaque se suscepisse hoc munus philosophia dignum, ut præferret non videntibus lumen sapientiæ, non modo ut susceptis deorum cultibus resanescant, sed etiam ut, pertinaci obstinatione deposita, corporis cruciamenta devitent, neu sævas membrorum lacerationes frustra perpeti velint. Ut autem appareret cujus rei gratia opus illud elaborasset, effusus est in principum laudes; quorum pietas et providentia (ut quidem ipse dicebat) cum in cæteris rebus, tum præcipue in defendendis deorum religionibus claruisset : consultum esse tandem rebus humanis, ut cohibita impia et anili superstitione, universi homines legitimis sacris vacarent, ac propitios sibi deos experirentur. Ubi autem religionis ejus, contra quam perorabat, infirmare voluit rationem, ineptus, vanus, ridiculus apparuit; quia gravis ille consultor utilitatis alienæ, non modo quid oppugnaret, sed etiam quid loqueretur nesciebat. Nam si qui nostrorum affuerunt, quamvis temporis gratia conticerent, animo tamen derisere, utpote cum viderent hominem profitentem se illuminaturum alios, cum ipse cæcus esset; reducturum alios ab errore, cum ipse ignoraret ubi pedes suos poneret; eruditurum alios ad veritatem, cujus ille ne scintillam quidem unam vi-

VARIORUM NOTÆ.

Dei templum. Hic innuere videtur Lactantius Diocletianam persecutionem anno 302, quo circiter tempore Nicomediam a Diocletiano Lactantius accitus fuit, ut oratoriam artem doceret, teste Hieronymo. De hujus templi instauratione agit Lactantius initio libri de Mort. persecutorum, his verbis : *Profligata nuper Ecclesia rursum exurgit, et majore gloria templum Dei, quod ab impiis fuerat eversum, misericordia Domini fabricatur.*

Quorum alter antistitem se philosophiæ profitebatur, etc. Mirum cur nomina suppresserit. Hinc perpende quam parum odiosus esset in hostes, quorum nominibus parcit. Nec opus est curiosa inquisitione in re, quam auctor noster celatam voluit. *Ex* Betul. — Hunc tamen existimant fuisse Maximum philosophum, quem Nicomediæ audierat Julianus dictus Apostata. Iste philosophus Ephesius erat, qui veluti artes magicas exercens interfectus est. Hic ab aliis, non Maximus, sed Porphyrius a Lactantio indigitari creditur. Porphyrius enim, juxta Suidam, ab Aureliani tempore ad Diocletianum usque vixit : at nemo nescit quanta fureret in Christianos crudelitate. Verum probat Holstenius in Vitæ Porphyrii cap. 3, ac ultimo, hunc philosophum non fuisse Porphyrium. Idem Bælius in suo Dictionario historico, verbo *Hierocles.*

Vitia sua capillis, etc. Mos erat philosophis barbam alere, quam ideo sapientem poeta vocavit : Horat. II, Serm. 3.

Tempore quo me
Solatus jussit sapientem pascere barbam.

Hinc philosophi sæpe barbati magistri dicebantur. Hinc Persius Satyr. 4 :

Barbatum hæc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ.

Barbam alebant eo quod aliquam sibi majestatem ea conciliari arbitrarentur. Diogenes rogatus cur tam magnam nutriret barbam : *Ut eam videns*, inquit, *et tangens, virum me esse meminerim.* Unde et homines sanctitatem barba affectabant, quemadmodum hic philosophus de quo Lact. hoc loco. Vide eumdem Lact., de Ira Dei, cap. 22.

Quos sedibus agrisque pellebat. In mss. 5 rec. et editis 7 est *ædibus*, omissa prima littera, quæ eadem est ultima prioris vocabuli, fortasse per incuriam librarii.

Resanescant. Sic Lactantius lib. IV, cap. 20, initio, *resanaret;* et infra hujusce lib. V, cap. 22, in fine, *resanati.* Quæ verba vix apud ullos auctores latinos reperies.

Neu sævas. Mss. 9 rec., et 6 typis excusi, *nec.*

In cæteris rebus. Mss. octo et editi addunt *humanis*, quod respuunt multi potiores et antiquiores scripti et ed. Rom. 1474.

Humanis. Hæc vox abest a pluribus mss.

Et anili superstitione. Proprium epithetum, pro extrema superstitione, quia muliebris sexus est ad superstitionem propensior; unde mulieres τὰς δεισιδαιμονίας ἀρχηγοὺς dicebat Strabo, lib. VII. Sane ad sexus infirmitatem et levitatem, ætatis quoque imbecillitas accedit. Heraldus.

Vanus. Mss. 1 Colb. a prima manu, Cotton. et 1 Clarom. *varius.*

Conticerent. Ita mss. Anglican. et 11 alii, atque meliores editiones, annor. 1476 et 1497, atque Tornes. et Soubr., *Conniverent*, in quibusdam aliis. ms. 1 Reg. rec. *coniberent;* 1 Lips., 1 Colb. *cohiberent;* Ultr., 1 Brun., *cohiberentur;* 1 Colb., *convenirent;* 4 mss. et totidem editi *conticescerent;* 1 Bon. rec. *conticesceret;* 1 Reg. antiq., *congrueret;* 1 Bon. antiq., *Nam si quis nostrorum affuisset.... conniveret.... derideret.*

Eruditurum alios ad veritatem. Eadem locutione utitur Lactant. lib. III, c. 11, et c. 27; lib. V, cap. 2 et 11; lib. VI, cap. 2; lib. VII, c. 14; lib. de Ira Dei, cap. 23.

Digitized by Google

disset aliquando, quippe cum sapientiæ professor, profligare sapientiam niteretur. Omnes tamen id arguebant quod illo potissimum tempore id operis esset aggressus, quo furebat odiosa crudelitas. O philosophum adulatorem, ac tempori servientem! Verum hic pro sua vanitate contemptus est; qui et gratiam, quam speravit, non est adeptus, et gloria quam captavit, in culpam reprehensionemque conversa est.

Alius eamdem materiam mordacius scripsit, qui erat tum e numero judicum, et qui auctor in primis faciendæ persecutionis fuit: quo scelere non contentus, etiam scriptis eos, quos afflixerat, insecutus est. Composuit enim libellos duos, non contra Christianos, ne inimice insectari videretur, sed ad Christianos, ut humane ac benigne consulere putaretur: in quibus ita falsitatem Scripturæ sacræ arguere conatus est, tanquam sibi esset tota contraria; nam quædam capita, quæ repugnare sibi videbantur, exposuit, adeo multa, adeo intima enumerans, ut aliquando ex eadem disciplina fuisse videatur. Quod si fuit, quis eum Demosthenes poterit ab impietate defendere? qui religionis cui fuerat assensus, et fidei cujus nomen induerat et sacramenti quod acceperat, proditor factus est? nisi forte casu in manus ejus divinæ litteræ inciderunt. Quæ igitur temeritas erat id audere dissolvere, quod illi nemo interpretatus est? Bene, quod aut nihil didicit, aut nihil intellexit. Tantum enim abest a divinis litteris repugnantia, quantum ille abfuit a fide et veritate: præcipue tamen Paulum Petrumque laceravit, cæterosque discipulos, tanquam fallaciæ seminatores, quos eosdem tamen rudes et indoctos fuisse testatus est; nam quosdam eorum piscatorio artificio fecisse quæstum: quasi ægre ferret, quod illam rem non Aristophanes aliquis aut Aristarchus commentatus sit.

CAPUT III.

De Veritate christianæ doctrinæ, et adversariorum vanitate; atque Christum non fuisse magum.

Abfuit ergo ab his fingendi voluntas et astutia, quoniam rudes fuerunt. Aut quis possit indoctus apta inter se et cohærentia fingere, cum philosophorum doctissimi Plato, et Aristoteles, et Epicurus, et Zeno, ipsi sibi repugnantia et contraria dixerint? Hæc est enim mendaciorum natura, ut cohærere non possint. Illorum autem traditio, quia vera est, quadrat undique, ac sibi tota consentit; et ideo persuadet, quia constanti ratione suffulta est. Non enim quæstus et

VARIORUM NOTÆ.

Quo furebat odiosa crudelitas. Intelligit tempus persecutionum sub imperatoribus. Hinc colligi potest Lactantium post hæc tempora scripsisse.

Pro sua vanitate. Sic ms. Goth. et edit. 1476 et Gymnic. aliæ *inanitate*.

Alius eamdem materiam scripsit. Pro *de eadem materia* Lactantius noster non semel quarto casu gaudet pro sexto.

Mordacius. Singularis hic est Veneta 1471 legens, *moderatius*. Conf. infra: *Ut humane ac benigne consuluisse putaretur*. Bun.

Alius eamdem materiam mordacius scripsit. Fuit iste Hierocles, quem libros suos, quos contra Christianos scripsit; φιλαληθής, id est amatoris veritatis titulo prænotasse scribit Eusebius, qui et illos egregio refutavit commentario. Isæus. — Hierocles eodem tempore vixit quo Lactanctius, scilicet initio quarti post Christum natum sæculi. Hierocles propter animum in Christianis persequendis ita Diocletiano placuit, ut putent eruditi quidam, ex judice Nicomediensi, præfectum factum fuisse Alexandrinum; de quo vide librum de Mortib. persecut., c. 16. Epiphanius de ejus sævitia agit hæresi 68, atque ob id male audiebat Hierocles.

Qui erat tum e numero judicum. Exercebat enim eo tempore præfecturam Augustalem Alexandriæ, ut tradit Epiphanius, Hæres. 68. Isæus.

Demosthenes. Antonomasia, pro summo oratore: sicut paulo post Aristophanes pro vano poeta, et Aristarchus pro homine valde litterato, qui eruditionis alienæ censor et ὀβελίζων proverbio celebratur. Quid quod etiam Aristophanis lucerna, propter summam diligentiam, in proverbium abiit. Intelligit ergo Lactantius litteratos quidem homines, sed profanos, et ad capienda Dei mysteria parum idoneos. Betuleus.

Assensus. Sic est emendandum, juxta mss. Rohanneum, et Sangermanense, non vero, ut correxerat Joan. Bapt. le Brun, qui legebat *accensus*. Hic Lactantius indicat Hieroclem suscepisse fidem, quam postea ejuraverat, quod recte exprimitur per verbum *assensus*, religioni scilicet. At minus proprie diceretur *accensus fidei*. 'Atque' optime dicitur *assentiri religioni aut fidei*. En tamen qualis est nota J. Bapt. le Brun, quam merito improbamus.— « Sic *accensus* emendavi ex quamplurimis mss. inter quos sunt vetustissimi duo Regii, et Cauc. In 7 rec. et 15. vulgatis legitur *assensus*, corrupte; in rec. 1 Colb. et 2 Lips. *ascensus*. Sed optime *accensus*, adscriptus, ab *accenseo*. Quæ vox notat ministrum magistratus, aut eum qui subrogatur in locum defuncti militis, vel qui legioni jam integræ superadditus est. Vide Vegetium de Re militari, lib. II, cap. 19. » — In eadem voce *accensus*, sic habet. Buneman. — *Accensus*. Editi ab 1465, 1685, omnes, etiam Rost. (licet aliter Heumannus scribat) *assensus*. At *accensus* ex membranis primus restituit Jan. Gulielm. ad Plaut. in Menæchm.. Quæst. c. 4, atque ita Goth., Lips. 1 Emman., Cauc. et Ultr. Conf. Lact. lib. II, cap. 9, *Accensetur*. Mox ibid. *Adscribitur*. Bun.

Abfuit a fide et veritate. Ex omnibus mss. et pluribus editis addidi *a fide*, quod cæteris deest. mss. 1 et 1 Reg. et 1 Colb. pro *veritate*, habent *caritate*.

Aristophanes... Aristarchus. Probabile, monente Heumanno, ex conjunctione, Aristophanem Byzantinum grammaticum, præceptorem hic commemorati Aristarchi Grammatici intelligi... De utroque plura Fabricius bib. Gr. vol. VII, pag. 51 et 53. Bun.

Ab his. Ab apostolis scilicet, quorum mentionem facit præcedenti capite.

Aut quis possit. Mss. Jun. Colb. et 4 impressi, *posset*. In scriptis rec. 2 Reg., 3 Colb., Bodl., Cotton., 1 Clarom., *quasi possit*.

Apta inter se et cohærentia. Vid. lib. I, c. 4. Cic. lib. II Philipp., c. 8: *Tam eras excors, ut tota in oratione tua tecum ipse pugnares: ut non modo* (pro *non modo non*), *cohærentia inter se diceres, sed maxime disjuncta atque contraria*. Bun.

Consentit. De philosophorum dissensionibus et contrarietatibus, atque de sacrarum Scripturarum concordia lege S. Augustinum, lib. XVIII de Civitate Dei, cap. 41.

Non enim quæstus. Ita reposui ex 4 antiquissimis

Digitized by Google

commodi gratia religionem istam commenti sunt; quippe qui, et præceptis, et re ipsa, eam vitam secuti sunt, quæ et voluptatibus caret et omnia quæ habentur in bonis spernit; et qui non tantum pro fide mortem subierint, sed etiam morituros esse se, et scierint, et prædixerint, et postea universos, qui eorum disciplinam secuti essent, acerba et nefanda passuros. Ipsum autem Christum affirmavit a Judæis fugatum, collecta nongentorum hominum manu, latrocinia fecisse. Quis tantæ auctoritati audeat repugnare? Credamus hoc plane; nam fortasse hoc illi in somnis Apollo aliquis nuntiavit. Tot semper latrones perierunt, et quotidie pereunt; utique multos et ipse damnasti: quis eorum post crucem suam, non dicam deus, sed homo appellatus est? Verum tu forsitan ex eo credidisti, quia vos homicidam Martem consecrastis, ut deum: quod tamen non fecissetis, si illum Areopagitæ in crucem sustulissent.

Idem cum facta ejus mirabilia destrueret, nec tamen negaret, voluit ostendere, Apollonium vel paria, vel etiam majora fecisse. Mirum quod Apuleium prætermisit, cujus solent, et multa, et mira memorari. Cur igitur, o delirum caput, nemo Apollonium pro Deo colit? nisi forte tu solus, illo scilicet deo dignus, cum quo te in sempiternum verus Deus puniet. Si magus Christus, quia mirabilia fecit, peritior utique Apollonius, qui (ut describis) cum Domitianus eum punire vellet, repente in judicio non comparuit, quam ille, qui et comprehensus est, et cruci affixus. Atenim ex hoc ipso fortasse insolentiam Christi voluit arguere, quod Deum se constituerit, ut ille verecundior fuisse videatur, qui cum majora faceret, ut hic putat, tamen id sibi non arrogaverit. Omitto nunc ipsa opera comparare, quia in secundo et superiore libro de fraude, ac præstigiis artis magicæ dixi. Nego esse quemquam qui non optet in primis id sibi post mortem contingere, quod etiam reges maximi concupiscunt. Cur enim sibi homines sepulcra magnifica, cur statuas, cur imagines comparant? cur aliquibus claris factis, aut etiam pro civibus morte suscepta, student opiniones homi-

VARIORUM NOTÆ.

mss. 1 Bon., Jun., Cauc., Regio-Put. et edit. Is. In aliis *pro enim* est *igitur*.

Nongentorum. Mss. 2 rec. et edd. fere omnes *noningentorum*. — *Noningentorum*. Quinque syll. omnes libri, præter Goth. in quo, *ingentorum*, vitiose. In solo Heumanni textu, *nongentorum*, num consilio, an casu, nescio. Utramque formam Columell. lib. v, caput 2, ed. Gesner. habet. Prior rarior. Bun.

In somnis. Mss. 6 rec. et 4 edit. *in somniis*.

Apollo. Alludit ad proverbium: *Quid tibi Apollo cecinit?*

Homicidam Martem. Vide supra lib. 1, cap. 10. Hoc epitheto Mars insignitur etiam apud Homerum.

Idem. Sic restitui ex quamplurimis et veterrimis mss. In 7 rec. et pluribus editis est *Item*; in Brun. *Deinde*.

Apollonium. Augustinus epist. v. ad Marcellinum: *Quis autem vel risu dignum non putet, qui Apollonium vel Apuleium... conferre Christo vel etiam præferre conatur?* Huic parti, qua Christum cum Apollonio comparavit Hierocles, suum adversus Hieroclem librum Eusebius opposuit. Bun.

Apollonium vel paria, etc. Apollonius Tyaneus scribitur, quod cum ante Domitianum steterit, in consistorio repente non comparuit: quod ut noscas, summatim delibabimus historiam. Apollonius Tyaneus, ut tradit Philostratus lib. iv, maximus philosophiæ professor, magus, sive (ut potius Pythagorici volunt) philosophus, cum ad brachmanas profectus esset, audivisset que hierarcham in throno sedentem, Ephesiosque liberasset, plurimaque divinitus effecisset, accusatus est quod male de Domitiano sentiret, quodque magiam exerceret, aliaque id genus ridicula. Romam, jubente Domitiano, evolat Apollonius; se ad judicem sistit, in carcerem conjicitur, compedibusque reservatur ad judicium. Damis, qui solus illum fuerat secutus, cum ipso custoditur, cui ut fidem faceret, esse in sua potestate egrediendi ex carcere cum voluerit, ostendit compedes, ex quibus pedes retrahebat, et in easdem insinuabat ex animi sui sententia. Quod conspicatus Damis, tunc manifeste virum divinum credidit Apollonium, a quo præmissus est Puteolas, horamque, qua illum in littore præstolari deberet, prædixit. Educitur Apollonius e carcere, sistitur ante tribunal Domitiani, absolvitur ab imperatore. Sed discedere prohibitus, admonitusque a Domitiano esse sibi quæ secum communicare vellet, illi in cœtu maximo sic respondit Apollonius: Scias velim, domine, me non subdi tibi ullo fato, et ut plenius noveris tibi in caput meum non permitti potestatem, vale. Hæc locutus subito evanuit, omnibus stupentibus, et novitate miraculoque rei vix suis credentibus: contendit ad Damim Apollonius, quem in littore spatiantem deprehendit anxium, et de ipso Tyaneo sollicitum. Ex Hieronymo. Joh. Bapt. Pius.

Eumapius in proœmio semideum quemdam facit, et Philostratum inscribere opus suum debuisse dicit, non, Ἀπολλονίου βίον, sed θεοῦ εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίαν. Caracalla imperator tanti eum fecit, ut heroico monumento ornandum sibi existimarit. Hierocles blasphemus comparare cum Christo ausus fuit, quem libro proprio confutavit Eusebius. Meursius. — Hanc autem de Apollonio historiam fabulam esse contendunt omnes. Numeratur Apollonius inter celebres magos ab Arnobio libro 1. In ejus historia multa sane fabulosa, quædam tamen vera esse existimat S. Hieronymus. Epist. ad Paulinum.

Apuleium. Qui magiæ accusatus, pro se apologiam conscripsit.

Domitianus. Hujus rei meminit S. Hieronymus adversus errores Joannis Hierosolymitani.

Non comparuit. Vide vitam Apollonii a Philostrato, lib. iv.

Ipsa opera comparare. Ita cum 8 vet. editis omnes mss. præter 1 Reg. rec. et Cauc., quibus est *computare*. Idem sentit Betuleius, qui *comparare*, ac post ipsum Thomasius, legi debere opinantur.

Cur statuas, cur imagines comparant. Imagines funeribus nobilium fuisse adhibitas, testis Porphyrion ad illud Horatii, *funus atque imagines ducunt triumphales*: ubi sic ait interpres: *In funere nobilissimis quibusque solebant præferri imagines majorum, quod observari videmus in funeribus principum*. Crebro hujus ritus meminere auctores. Cic. xi. Orat. *Brute, quid sedes? quid illam avum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid majoribus tuis?* Val. Max. lib. viii, cap. 15: *Africanus imaginem in cella Jovis Opt. Max. positam habet: quæ quoties-cumque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum est, inde petitur*. Epitome Livii xlviii, de Lepido: *Præcepit filios lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent, imaginum specie, non sumptibus nobilitari maximorum virorum funera solere*. Tacit. lib. iii. Annali. tradit de Junia 20, *clarissimarum familiarum imagines*

Digitized by Google

num promereri? Cur denique ipse ingenii tui monimentum, hac detestabili stultitia tanquam cœno ædificatum, constituere voluisti, nisi quod immortalitatem de memoria nominis speras? Stultum igitur est, id putare Apollonium noluisse, quod optaret utique, si posset; quia nemo est qui immortalitatem recuset, maxime cum eum dicas, et adoratum esse a quibusdam sicut deum, et simulacrum ejus sub Herculis Alexicaci nomine constitutum, ab Ephesiis etiam nunc honorari.

Non potuit ergo post mortem deus credi, quia et hominem, et magum fuisse constabat; et ideo alieni nominis titulo affectavit divinitatem, quia suo nec poterat, nec audebat. Noster vero et potuit deus credi, quia magus non fuit; et creditus est, quia vere fuit. Non, inquit, hoc dico, idcirco Apollonium non haberi deum, quia noluerit: sed ut appareat nos sapientiores esse, qui mirabilibus factis non statim fidem divinitatis adjunximus, quam vos, qui ob exigua portenta deum credidistis. Non est mirum, si tu, qui a Dei sapientia longe remotus es, nihil prorsus intelligis eorum quæ legisti; cum Judæi, qui a principio prophetas lectitaverant, quibusque sacramentum Dei fuerat assignatum, tamen quid legerent, ignoraverint. Disce igitur, si quid tibi cordis est, non solum idcirco a nobis Deum creditum Christum, quia mirabilia fecit, sed quia vidimus in eo facta esse omnia, quæ nobis annuntiata sunt vaticinio prophetarum. Fecit mi-

VARIORUM NOTÆ.

ante latas fuisse. Idem. l. IV, de funere Drusi. *Circumfusas lecto Claudiorum Liviorumque imagines, defletum in foro, laudatum pro rostris.* Neque in Germanici funere eas prælatas, auctor est Tacit. lib. II: *Funus sine imaginibus et pompa, per laudes et memoriam virtutum ejus celebre fuit.* Erant autem hæ imagines nihil aliud, quam expressa corporis effigies humerorum tenus e cera, consolationis ergo asservatæ. Hujusmodi imaginibus atria sua nobiles Romani exornabant, collocando eas ordine in ligneis quibusdam thecis, vel armariis, unde exsequiarum tempore depromebantur, ut colligere est ex Plinio lib. XXXV, cap. 2: *Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imaginesque comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.* In principum tamen funeribus non solum gentilitiæ, sed quorumlibet magnorum virorum ac virtute præstantium imagines prælatæ, ut in funere Augusti, Dio lib. LVI. Idem factum in aliis exsequiis. Si quis turpis et immani crimine damnatus esset, ejus imago damnari et frangi solebat, nec in exsequiis ferebatur. Vide Juvenalem Sat. 8, Tacit. lib. I Annal. Sic Bruti et Cassii imagines abolitas docet Tacitus in fine lib. III Annal., 20. Quot igitur majorum imagines, totidem videntur lectuli funeribus prælati, ita ut suus cuilibet imagini lectulus esset, in quo portabatur; quanquam interdum, non in hujusmodi lectis, sed in oblongis perticis, vel hastis imagines has fuisse latas, ut ferculis triumphorum solebant, non inepte quis æstimaverit, præeunte nobis ad hanc conjecturam Silio lib. X, de funere Pauli.

Non conjux native aderant, non juncta propinquo
Sanguine turba virum, aut celsis de more feretris
Præcedens prisca exsequias decorabat imago.

Porro non imagines solum, sed et simulcra gentium urbiumque subactarum, et nomina sub titulis hostium victorum, ipsaque spolia ab hostibus capta præferri et exhiberi solebant in funeribus imperatorum, ut videtur apud Dionysium Halicarn. lib. VIII, de funere Coriolani. Tacitus de funebri pompa Augusti: *Tunc consultatum est de honoribus, ex quibus maxime insignes visi, ut porta triumphali funus duceretur: Gallus Asinius, ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur.* Quod etiam factum esse dicit Dio lib. LVI. Id ipsum de Pertinacis funere narrat idem auctor lib. LXXIV. Transierunt deinde nationes omnes subjectæ imperio Rom. in statuis æneis, sic ornatis, ut est cujusque gentis patria consuetudo. Intellexit hoc Lucanus lib. VIII, de funere Pompeii, quem non petere dicit,

Præferat ut veteres feralis pompa triumphos.

Quin imo lictores cum fascibus, aliaque insignia magistratuum, quos olim gesserant, præcessisse, Polybius tradidit lib. VI. Et notandum, fasces hosce verti solitos, ut discimus ex Tacito lib. III Annal., *de funere* Germanici: *Igitur tribunorum centurionumque humeris cineres portabantur: præcedebant incompta signa, versi fasces.* Quem morem tetigisse videtur Virgil. Æneid., lib. XI. Albinovanus in funere Drusi:

Quos primum vidi fasces, in funere vidi;
Et vidi versos, indiciumque mali.

JOAN. KIRCHMANNUS.—Porro notandum est has cereas imagines olim etiam in funere regnum nostrorum fuisse cum summo honore delatas.

Cum eum dicas. Addidi *eum* ex omnibus mss. et impressis, præter 1 Colb.

Adoratum esse a quibusdam, sicut deum. Vopiscus d. l. Apollonium dicit *ipsum pro numine frequentandum.* Et paucis interjectis de eodem: *Norat vultum philosophi venerabilis Aurelianus, atque in multis ejus imaginem viderat templis.* CELL.

Alexicaci. Id est, malorum depulsoris. Cum Ephesus peste laboraret, liberavit eam Apollonius hoc modo, si tamen Philostrato credatur. Convocato in concionem ad sacra facienda populo, comparuit mendicus habitu, qui facile homines ad misericordiam commoveret, jussitque Ephesios eum lapidibus obruere. Cunctante vero præ misericordia populo, instabat Apollonius tamdiu, dum aliquos saltem ad lapides tollendos perduceret. Mendicus cum semel atque iterum igneos ostenderet oculos, tota turba ipsum dæmonem rata, lapidibus obruit. Remotis post lapidibus, jacuit in medio cadaver canis exanime. Liberati ex hoc Ephesii a peste, illi ceu Herculi ἀποτροπαίῳ (sic enim apud Philostratum legitur, non ἀλεξικάκῳ) statuam posuerunt. Est alioquin hoc epitheton Herculis. BETUL.

Et creditus est, quia vere fuit. Sic restitui ex omnibus ferme mss. et edit. Cellar. In 2 Reg. rec. et 16 excusis legitur *verus;* in Brun. *et creditus est Deus, quia vere Deus fuit.*

Sacramentum. Id est, mysterium, modo loquendi Lactantio proprio.

Assignatum. 1 Colb. a secunda manu et 6 vet. edit. *obsignatum;* Jun. *signatum.*

Legerent. Ita restitui ex mss. 5 Reg. et 2 Brun. ac pluribus vet. editis, approbante Francio; multis est *legerint;* scriptis 4 rec. totidemque editis *ignoraverunt.*

Non solum idcirco a nobis, etc. Ita mss. 10 Reg., 1 Bonon. antiq. et 5 editi. Abest *solum* a 14 mss. totidemque impressis. Attamen addendum esse judicat Thomasius.

Non solum idcirco..... verum etiam quia vidimus. Lib. IV, cap. 13. Nam *quod ait* (Apollo) *portentifica illum* (Christum) *opera fecisse,* quo *maxime* divinitatis *fidem meruit, adsentiri* nobis *jam videtur, quum dicit* eadem *quibus nos gloriamur.* Epit. c. 45. *ob hæc*

Digitized by Google

rabilia : magum putassemus, ut et vos nunc putatis, et Judæi tunc putaverunt, si non illa ipsa facturum Christum prophetæ omnes uno spiritu prædicassent. Itaque Deum credimus, non magis ex factis operibusque mirandis, quam ex illa ipsa cruce, quam vos sicut canes lambitis; quoniam simul et illa prædicta est. Non igitur suo testimonio (cui enim de se dicenti potest credi?), sed prophetarum testimonio, qui omnia, quæ fecit ac passus est, multo ante cecinerunt, fidem divinitatis accepit; quod neque Apollonio, neque Apuleio, neque cuiquam magorum potuit, aut potest aliquando contingere. Cum igitur talia ignorantiæ suæ deliramenta fudisset, cum veritatem penitus excidere connisus esset, ausus est libros suos nefarios, ac Dei hostes, φιλαληθεῖς annotare. O cæcum pectus! o mentem Cimmeriis (ut aiunt) tenebris atriorem! Discipulus hic fortasse Anaxagoræ fuerit, cui nives atramentum fuerunt. Atqui eadem cæcitas est, et vero falsitatis, et mendacio veritatis nomen imponere. Videlicet homo subdolus voluit lupum sub ovis pelle celare, ut fallaci titulo posset irretire lectorem. Verum esto, inscitia hoc, non malitia feceris. Quam tandem nobis attulisti veritatem? nisi quod assertor deorum, eos ipsos ad ultimum prodidisti. Prosecutus enim summi Dei laudes, quem regem, quem maximum, quem opificem rerum, quem fontem bonorum, quem parentem omnium, quem factorem altoremque viventium confessus es, ademisti Jovi tuo regnum, eumque summa potestate depulsum in ministrorum numerum redegisti. Epilogus itaque te tuus arguit stultitiæ, vanitatis, erroris. Affirmas enim deos esse; et illos tamen subjicis et mancipas ei Deo, cujus religionem conaris evertere.

CAPUT IV.

Cur istud opus editum sit; atque iterum de Tertulliano et Cypriano.

Ii ergo de quibus dixi, cum, præsente me, ac dolente, sacrilegas suas litteras explicassent, et illorum superba impietate stimulatus, et veritatis ipsius conscientia, et (ut ego arbitror) Deo, suscepi hoc munus, ut omnibus ingenii mei viribus accusatores justitiæ refutarem : non ut contra hos scriberem, qui paucis verbis obteri poterant; sed ut omnes, qui ubique idem operis efficiunt, aut effecerunt, uno semel impetu profligarem. Non dubito enim, quin et alii plurimi, et multis in locis, et non modo græcis, sed etiam latinis litteris, monimentum injustitiæ suæ struxerint : quibus singulis quoniam respondere non poteram, sic agendam mihi hanc causam putavi, ut et priores cum omnibus suis scriptis perverterem, et futuris omnem facultatem scribendi aut respondendi amputarem. Præbeant modo aures : efficiam profecto ut quicumque ista cognoverit, aut suscipiat quod ante damnavit, aut, quod est proximum, deridere aliquando desistat. Quanquam Tertullianus eamdem causam plene peroraverit in eo libro cui Apologetico nomen est : tamen, quoniam aliud est accusantibus respondere, quod in defensione aut negatione sola positum est, aliud instituere, quod nos facimus,

VARIORUM NOTÆ.

miracula quum... multitudo... ut erat, Dei filium... crederet.

Nunc putatis. Sic rescribo cum mss. 1 Reg. antiquissimo et 1 al. Reg. recentiori, sed bonæ notæ, ac edit. Gymnic. et ita Sparkius legendum esse censet, quam lectionem confirmant proxime sequentia. Quædam scripta et impressa legunt *nuncupatis*.

Prophetæ omnes, etc. Ita mss. vet. 4 Reg. et Marm. a prima manu, cum pluribus editis.

Non magis ex factis. 1 Bonon. *tam ex factis.*

Sicut canes lambitis. Cicero lib. III, in Verr., cap. 11. *Quos* (canes) *tribunal meum vides lambere.* Fortius Ammian. Marcell. l. XV, c. 3 : *Tribunal unius legati non lambentes, sed membra totius reipublicæ... vexantes.* Bun.

Potuit, aut. Addidi ex omnibus mss. et plerisque editis.

Excidere. 1 Bonon. antiq. Goth. et edit. Is. *excidere;* 1 Reg. rec. *excidere.*

Connisus. Mss. 10 rec. *connixus.*

Φιλαληθεῖς. Id est, veritatis studiosos et amatores, quo etiam titulo Hierocles decoravit librum, quem contra christianos scripserat.

Annotare. Walchius exponit, *allegare, citare*, ut simul significet titulum. Barthius Adversar. l. L, c. 10, pr. f. 2303, recte explicat, *inscribere :* ita vero omnino elegantius alibi scribit l. I, c. 11; l. VI, c. 18; l. VII, c. 18. Bun.

O mentem cimmeriis (ut aiunt) tenebris atriorem! Cimmerii populi fuerunt Scytici, a quibus Bosphorus *Cimmerius* nominatus est. In cujus ostio fuit oppidum *Cimmerion*, quod *alio* nomine *Cerberion* vocabatur, ut auctor est Plinius in quinto : existimat Strabo in septimo dictum esse, *Bosphorum Cymmerium, quasi Cymbricum a Cymbris, qui incertis errabundi sedibus, usque ad Mœotim paludem militiam agitarunt.* Cimmeriorum clima obscurum esse ac tenebrosum, putarunt antiqui, ut idem memorat in primo, cujus rei etiam meminit Homerus sic loquens de Cimmeriis :

> Illis sol nunquam Phaetontia lumina spargit,
> Perniciosa super nox semper tenditur istis.

Tibullus quoque, Homerici carminis æmulator, ita cecinit in heroico poemate :

> Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces,
> Quas nunquam candente dies apparuit ortu,
> Sive super terras Phœbus, seu curreret infra.

Cum itaque Cimmeriorum regio esset tenebricosa, et aer caliginosus, deductum est inde Proverbium : *Tenebræ Cimmeriæ.*

Anaxagoræ. De quo jam dictum est supra libro III, cap. 23.

Sub ovis pelle. Alludit ad illud Christi Domini verbum, Matth. VII : *Cavete vobis a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, sed intus sunt lupi rapaces.*

Enim. Additum ex 6 excusis et omnibus mss. præter 2 Reg. rec. in quibus deest, sicut et in editis ann. 1476, 1497, 1513 et 1515, atque delendum putat Heumannus.

Ii ergo. 2 Reg. et edit. Crat. *Hi ergo.*

Deo. Abest *Deo* a 3 Colbert. et 5 vulgatis.

Uno semel impetu profligarem. Mss. 7 rec. et 5 edit. habent *simul.*

Monimentum injustitiæ suæ struxerint. Mss. 14 et edit. 5 *struxerunt;* 1 Bon. antiq. et Tax. *instruxerint.*

Cui Apologetico nomen est. Sic passim loqui amat Lactantius. Mss. rec. 2 Reg. et 4 Colb. ferunt *Apologeticon;* 1 Reg. rec. et Brun. *Apologeticus.*)

Defensione. Defensio, hic est affirmatio.

Digitized by Google

in quo necesse est doctrinæ totius substantiam contineri, non defugi hunc laborem, ut implerem materiam, quam Cyprianus non executus est in ea oratione, qua Demetrianum (sicut ipse ait) oblatrantem atque obstrepentem veritati redarguere conatur: qua materia non est usus, ut debuit; non enim Scripturæ testimoniis, quam ille utique vanam, fictam, commentitiamque putabat, sed argumentis et ratione fuerat refellendus. Nam cum ageret contra hominem veritatis ignarum, dilatis paulisper divinis lectionibus, formare hunc a principio tanquam rudem debuit, eique paulatim lucis principia monstrare, ne toto lumine objecto caligaret.

Nam sicut infans solidi ac fortis cibi capere vim non potest ob stomachi teneritudinem, sed liquore lactis ac mollitudine alitur, donec, firmatis viribus, vesci fortioribus possit: ita et huic oportebat, quia nondum poterat capere divina, prius humana testimonia offerri, id est, philosophorum et historicorum, ut suis potissimum refutaretur auctoribus. Quod quia ille non fecit, raptus eximia eruditione divinarum litterarum, ut iis solis contentus esset, quibus fides constat, accessi Deo inspirante, ut ego facerem, et simul ut viam cæteris ad imitandum parerem. Ac si hortatu nostro docti homines ac diserti huc se conferre cœperint, et ingenia sua vimque dicendi in hoc veritatis campo jactare maluerint, evanituras brevi religiones falsas, et occasuram esse omnem philosophiam nemo dubitaverit, si fuerit omnibus persuasum, cum hanc solam religionem, tum etiam solam veram esse sapientiam. Sed evagatus sum longius quam volebam.

CAPUT V.

Quæ sub Saturno erat vera justitia, hanc Jupiter fugavit.

Nunc reddenda est de justitia proposita disputatio: quæ aut ipsa est summa virtus, aut fons est ipsa virtutis; quam non modo philosophi quæsierunt, sed poetæ quoque, qui et priores multo fuerunt, et ante natum philosophiæ nomen pro sapientibus habebantur. Ili plane intellexerunt abesse hanc a rebus humanis, eamque finxerunt offensam vitiis hominum, cessisse e terra, in cœlumque migrasse; atque ut doceant, quid sit juste vivere, (solent enim præcepta per ambages dare) a Saturni temporibus, quæ illi vocant aurea, repetunt exempla justitiæ, narrantque in quo statu fuerit humana vita, dum illa in terra moraretur.

VARIORUM NOTÆ.

Qua Demetrianum, etc. Demetrianus ille non proconsul Africæ, sed minoris ordinis judex Carthaginensis. Is aiebat Christianis mala omnia esse imputanda quibus tum mundus urgebatur.

Oblatrantem atque obstrepentem veritati. Hæc verba sunt ipsiusmet Cypriani initio libri sui.

Non enim Scripturæ testimoniis..... sed argumentis et ratione fuerat refellendus. Longe aliter sentit Augustinus. Immerito hic Lactantius et Hieronymus sanctum Cyprianum arguunt, quod contra proconsulem Demetrianum gentilem sacræ Scripturæ, seu prophetarum Hebræorum testimonia protulerit; siquidem, ut ait Augustinus lib. XIII contra Faustum, cap. VII: *Ostendimus fidem prophetarum ex iis quæ ventura cecinerant, et venisse cernuntur.* Et eodem libro, cap. 10: *Per eorum quippe codices probamus, non a nobis tanquam de rerum eventu commonitis ista esse conscripta, sed olim in illo regno prædicta atque servata, nunc autem manifestata et impleta.* Sed et cap. 2 ejusdem libri: *Dicere autem non esse aptam Gentibus hebræam prophetiam, ut credant in Christum, cum videat omnes gentes per Hebræam prophetiam credere in Christum, ridicula insania est.* Haud secus sentit antiquus auctor Tractatus contra 5 hæreses, olim sub nomine Augustini, cap. 7, in Append. tom. VIII, pag. 9. *Hic esto, et tu, Pagane, audi quid dicat propheta. Non mihi ego quod volui scripsi: codex in quo hæc scripta leguntur, in armario Judæi habetur. Inimicus meus testis est meus; ab ipso quære: aperi, lege, et crede.*

Veritatis ignarum. Negat quidem Episcopus Oxon. in sua editione ad Cypr. Demetrianum ipsum fuisse veritatis ignarum, quia sæpe ad Cyprianum venerit disceptaturus de fidei capitibus; sed ipse tamen Cyprianus tribuit ipsi *imperitiam, et studio magis contradicendi, quam voto discendi venisse* dicit. Bun.

Monstrare. Ms. 1 Bonon. antiq. *demonstrare.*

Nam sicut infans. Hac similitudine utitur ipse Paulus I Corinth. c. III et in epistola ad Hebr. c. V, I Petr., II, 2.

Ut. Addidi ex mss. et multis impressis. Abest a mss. 1 Reg. antiq. et nonnullis editis.

Ac si hortatu nostro. Reposui *Ac* ex quamplurimis mss. inter quos sunt veterrimi 2 Bonon., 2 Reg. et 18 al. et edd. Is., Gellar. In 10 scriptis et 10 vulgatis est *At*, *Ingenia... jactare.* Quintil. l. III. Instit. c. 1: *Admiscere tentavimus aliquid nitoris, non jactandi ingenii gratia.* Tacit. l. XIII Annal. c. 11 fin. Bun.

Tum etiam solam veram. Hæc lectio est antiquissimorum et optimorum codicum 1 Bonon., 1 Reg., Cauc., item 2 al. Reg. et 1 Colbert. In scriptis 17 rec. et 4 editis legitur: *tum etiam et solam veram;* in 10 mss. rec. et 5 vulgatis *et solam et veram.*

Reddenda. Reddere hic habet vim simplicis *dare*, quæ vis mansit in phrasi, *rationem reddere*: sic l. V, c. 1: *Nec causas odiorum reddere ipsi possunt.* Ita Manilius l. I v. 561:

Restat ut æthereos fines tibi reddere coner.

Et lib. I, v. 803:

Ac prius incipiam stellis quam reddere vires.

His et aliis locis idem quod *enarrare, referre.* Bun.

Summa virtus. Mss. rec. 2 Reg. Cant. ac edd. tres vet. Rom. et Paris. 1525, *sola virtus.* Hæc ultima lectio magis Betuleio placet. — *Quæ aut ipsa est summa virtus.* Quid impedit hanc *generalem*, sc. *universalem justitiam* dici *summam* virtutem? Recte hoc vidit Walchius illustrans ex Cic. lib. III de Off. cap. 6: *Hæc una virtus* (justitia) *omnium est domina et regina virtutum.* Quid multis, ipsi Lactantio iterum hoc libro cap. 14: *Justitia* vocatur *summa virtus*, quæ infra, *omnes simul virtutes amplectatur.* Bun.

Aut fons est ipsa virtutis. Ita mss. 2 Reg. vetustissimi, 8 alter. Reg., 6 Colb. aliique, et 9 vet. edit. In pluribus excusis est *virtus.* — *Aut fons est ipsa virtutis.* Solus Emman. *ipsa* non habet; reliqui scripti editique agnoscunt *ipsa*, scil. justitia: iidem, *virtutis.* Lib. VI, cap. 9: *Fons est ipse bonitatis Deus.* Ibid., cap. 24: *Ipsum veritatis attigit fontem.* Bun.

Cessisse e terra. Ex 5 vet. editis. et omnibus prope mss. reposui præpositionem *e*, quæ in nonnullis scriptis et multis impressis litterarum similitudine perierat. Vide Hesiodum in operibus, Virgilium II Georgicorum, Aratum in Phœnomenis.

Ut doceant. Ms. 1 Bonon. antiq. ut *edoceant;* tres editi, *ut docerent.*

A Saturni temporibus. Unde Saturnia regna etiam Virgilius appellavit. Hic et Græci et Latini inter se non conveniunt, quia varios in unum confundunt Saturnos.

Digitized by Google

Quod quidem non pro poetica fictione, sed pro vero habendum est. Saturno enim regnante, nondum deorum cultibus institutis, nec adhuc ulla gente ad divinitatis opinionem consecrata, Deus utique colebatur. Et ideo non erant neque dissensiones, neque inimicitiæ, neque bella.

Nondum vesanos rabies nudaverat enses,

ut Germanicus Cæsar in Aratæo loquitur carmine :

Nec consanguineis fuerat discordia nota.

Immo ne alienigenis quidem : sed neque ulli omnino gladii, qui nudarentur, fuerunt. Quis enim præsente ac vigente justitia, aut de tutela sui, cum nemo insidiaretur, aut de pernicie alterius cogitaret, cum nemo quidquam concupisceret ?

Malebant tenui contenti vivere cultu,

ut Cicero in suo narrat, quod est proprium nostræ religionis.

Ne signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat : in medium quærebant.

Quippe cum Deus communem omnibus terram dedisset, ut communem degerent vitam, non ut rabida et furens avaritia sibi omnia vendicaret, nec ulli deesset quod omnibus nasceretur. Quod poetæ dictum sic accipi oportet, non ut existimemus nihil omnino tum fuisse privati, sed more poetico figuratum; ut intelligamus, tam liberales fuisse homines, ut natas sibi fruges non includerent, nec soli absconditis incubarent, sed pauperes ad communionem proprii laboris admitterent.

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant.

Nec mirum, cum promptuaria justorum benigne paterent omnibus; nec avaritia intercipiens beneficia divina, famem sitimque vulgo faceret : sed omnes æqualiter abundarent, cum habentes non habentibus large copioseque donarent. Sed postquam Saturnus a filio pulsus, in Latiumque delatus est,

Arma Jovis fugiens, et regnis exsul ademptis ;

cum jam populus vel novi regis metu, vel sua sponte depravatus, Deum colere desiisset, regemque pro Deo habere cœpisset ; cum ipse propemodum parricida exemplo cæteris esset ad violandam pietatem :

B Deseruit propere terras justissima virgo ;

sed non, ut ait Cicero :

Et Jovis in regno, cœlique in parte resedit.

Quomodo enim poterat in ejus regno residere, aut commorari, qui patrem regno expulit, bello persecutus est, exsulem toto orbe jactavit ?

Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Prædarique lupos jussit :

id est, odium, et invidiam, et dolum hominibus insevit, ut tam essent, quam serpentes, venenati, tam rapaces quam lupi. Quod quidem vere faciunt ii qui justos ac fideles Deo persequuntur, dantque judicibus sæviendi adversus innoxios potestatem.

C Fortasse aliquid ejusmodi Jupiter fecerit, ad expu-

VARIORUM NOTÆ.

Nec adhuc ulla gente, etc. In 27 mss. et 3 editis est *illa*. Melius *ulla* in cæteris ; ad quid enim *illa* referri potest, cum nullius gentis supra fuerit facta mentio ? Heumannus tamen fretus vetustis editionibus existimat legendum esse *illa*, quasi agatur de Saturni familia : sed male, ut puto.

Nondum vesanos : Ovidius :

Non galeæ, non ensis erat, sine militis usu
Mollia securæ peragebant otia gentes.

Loquitur. Hoc verbum addidi ex mss. et edd. quod in nonnullis vulgatis rec. deest.

Nota. Id observandum, quod apud Germanicum legitur *nata*. Sed idem fere sensus est.

Ut Cicero in suo narrat. Ita ferme omnes mss. et 7 editi. Et recte. Jam enim præcessit, *ut Germanicus Cæsar in Aratæo loquitur carmine*. Jun., Ultr., et 7 D excusi „*Ut Cicero in suo ait Arato ;* 1 Bonon. antiq., *ut Maro in suo*, etc., 1 Reg. rec., 1 Colb., Lips., Brun., *ut Virgilius in suo narrat, quod*. Quæ Betuleius in commentario suo ad hunc locum habet, parum ad rem nostram faciunt. At Lactantius modo Germanici, modo Ciceronis Aratæorum translatione utitur.

Ne signare, etc. Hic versus Maronis est, ex primo Georgic. vers. 126, quæ expresse neque in Arato, neque in Hesiodo leguntur. Apud Aratum forte hæc excolere voluit ;

Ἀλλὰ βίης ἄροτρα, καὶ ἀντιή πόντια λαῖν
Μυρία πάντα παρίζε δίκη δόσιμα δίκαιον.

Quæ etiam Germanicus copiose circumlocutus est, Virgilium fortasse secutus :

Divitias fructusque dabat placata colono
Sponte sua tellus, nec parvi terminus agri
Præstabat dominis signo tutissima rura.

In medium. Id est, in commune. Ex Marone iterum libro de Ira, c. 7 : *In medium quæsita reponunt*. Seneca Agamemn. v. 666 : *In medium deflere suos*. Bun.

Nec ulli deesset. Ms. 1 Bonon. antiq., *nec ulli datum est ;* Latinius, *nec ulli datum esset*.

Omnino. Thysius *omni*, sed male.

Flumina. Versus est Ovid. Metamorph. I initio. Cujus vestigia nec apud Hesiodum, nec apud Aratum leguntur.

Arma. Versus est Virg. VIII Æneid., 320. Vide et S. Augustinum de Civit. Dei lib. VII, cap. 26.

Deseruit propere terras. Mss. 2 Bonon., 5 Reg. et 1 Brun. *proprie ;* ex Germanico Cæsare in Arati carminibus, ubi poeta expressit quod de ferreo sæculo expressit græce Aratus.

Cicero. Qui hic Hesiodum potius quam Aratum secutus est. Cæterum de aureo sæculo lege Platonem in Politico, ubi aliis cum scriptoribus convenit.

Resedit. Ita mss. et editi. 1 Colb. rec. *residet*, mendose, pro *resedit*, litteris transpositis. Grotius legit, *recepta est*.

Ille. Versus Virg. I Georg., 139, ubi Jovem, quamvis optimum, facit auctorem mali ; quo fit ut Deus non sit.

Insevit. Mss. 2 Reg. rec. et 1 Colbert. *sevit ;* in 18 rec. et 5 excusis, *inseruit*. Apud Buneman *inseruit*. — Ut Boethius l. I Consol., p. 44 : *Sapientiam mentibus* inseruit *Deus ;* et l. III, Pros. II : *Mentibus hominum veri boni naturaliter* inserta *cupiditas*. Conf. not. l. VI, cap. 13. Bun.

Venenati. Hoc est perniciosi, pestiferi, et in hominum perniciem nati, ut Neronis, Caligulæ, Domitiani, et id genus animantium. Salmasius.

Fecerit. Ms. 1 Bonon. *fecerat ;* nonnulli editi *fecit*,

Digitized by Google

nandam tollendamque justitiam ; et idcirco efferasse serpentes, ac lupos acuisse tradatur.

Tum belli rabies, et amor successit habendi.

Neque immerito. Sublata enim Dei religione, boni quoque ac mali scientiam perdiderunt. Sic hominibus intercidit communitas vitæ, et diremptum est fœdus societatis humanæ. Tum inter se manus conserere cœperunt, et insidiari, et gloriam sibi ex humano sanguine comparare.

CAPUT VI.

Explosa justitia, cupiditas, iniquæ leges, audacia, avaritia, ambitio, superbia, impietas, aliaque regnarunt vitia.

Quorum omnium malorum fons cupiditas erat : quæ scilicet ex contemptu veræ majestatis erupit. Non tantum enim, non participabant alios ii quibus aliquid affluebat : sed aliena quoque rapiebant, in privatum lucrum trahentes omnia, et quæ antea in usus hominum etiam singuli laborabant, in paucorum domos conferebantur. Ut enim servitio cæteros subjugarent, in primis necessaria vitæ subducere et colligere cœperunt, eaque firmiter conclusa servare, ut beneficia cœlestia facerent sua; non propter humanitatem, quæ nulla in ipsis erat, sed ut omnia cupiditatis et avaritiæ instrumenta corraderent. Leges etiam sibi nomine justitiæ iniquissimas injustissimasque sanxerunt quibus rapinas et avaritiam suam contra vim multitudinis tuerentur. Tantum igitur auctoritate, quantum viribus, aut opibus, aut malitia prævalebant. Et quoniam nullum in his vestigium justitiæ fuit, cujus officia sunt humanitas, æquitas, misericordia, jam superba et tumida inæqualitate gaudebant; altioresque se cæteris hominibus, satellitum comitatu, et ferro, et insigni veste faciebant. Hinc honores sibi, et purpuras, et fasces invenerunt, ut securium gladiorumque terrore subnixi, quasi jure dominorum perculsis ac paventibus imperarent. In hac conditione humanam vitam rex ille constituit, qui, debellato ac fugato parente, non regnum, sed impiam tyrannidem vi et hominibus armatis occupavit; et aureum illud justumque sæculum sustulit, coegitque homines malos et impios fieri, vel ex hoc ipso, quod ipsos avertit a Deo ad se adorandum : quod terror insolentissimæ potestatis expresserat.

Quis enim non metueret eum, quem arma cingebant, quem ferri et gladiorum fulgor insuetus circumdabat? aut cui parceret alieno, qui ne patri quidem suo pepercerat? Quem vero metueret, qui Titanum robustum et excellentem viribus gentem bello vicerat, occidione deleverat? Quid mirum, si omnis multitudo, insolito metu pressa, in unius adulationem concesserat? Hunc verebantur, huic honorem maximum deferebant. Et quoniam mores ac vitia regis imitari, genus obsequii judicatur, abjecerunt

VARIORUM NOTÆ.

Et idcirco efferasse. Mss. 11 rec. *ideo.* In 1 Reg. rec. est *et idco et feras, et serpentes, ac lupos.*

Tradatur. Rectius mss. 5 rec. et editi multi *traditur*, in quorum uno est *sævisse*, pro *acuisse.*

Diremptum est fœdus. Diremptum, licet Taurin. et quidam alii in Epitom. cap. 59 : *Diruptum est... fœdus .. direpta societas*, præferant; sæpe enim, ut ad epitomen dico, hæ voces confunduntur. Latini vero non *diripere*, sed *dirimere fœdus, societatem* dicunt. Ita noster ex Cicerone l. VI, c. 6 : *Dirimunt hi ... societatem.* Bun.

Manus conserere. Ms. Brun. *inferre;* editi quinque *inserere.*

Omnium malorum fons cupiditas. Cupiditas est avaritia, de qua capite quinto integro egit. His gemina illa Sallustii Catil. X, c. 3 : *Primo* pecuniæ, *deinde imperii cupido* crevit. *Ea materies omnium malorum fuere.* Bun.

Non participabant alios. Sic restitui ex mss 3 Reg. quorum duo sunt veterrimi, et ex edit. Cellarii. Scripti recentiores et editi habent *aliis*, quod cum participandi verbo non convenit. Omnino enim *participare* jungitur cum accusativo. Plautus dixit, *servum participare consilii sui*, Cistell. Act. I, III, vers. 17; et Cicero, *participare alium alio*, lib. I de Legibus n. 33. — *Non participabant aliis ii. Participare alicui* sæpissime in antiquissima et sæculo secundo exeunte, ut Grabius et Fabricius censuere, confecta versione Irenæi l. I. Hæres., cap. 1, fol. 10. *Nus excogitabat* reliquis æonibus participare *magnitudinem patris.* L. I. c. 9, fol. 59 : *Qui* participavit ei *suam gratiam.* L. 2, c. 61, fol. 191 : *Anima* participans suo corpori. . . vitam participans corpori. L. IV, c. 28, fol. 316 : *Gloriam suam* participare *volens* discipulis suis. Bun.

In usus hominum. Ita omnes (quod sciam) mss. et editi. Rectius fortasse legeris *omnium*, quæ est Isæi, Joannis Cauci et Francii conjectura. Nam *omnium* recte opponitur τῷ *paucorum.* — *In usus omnium.* In libris antiquis per notas *hoium*, id est *hominum*, et *oium*, id est *omnium*, scribitur : hinc facilis confusio. Agnovit jam olim interpres Gall., vertens : *pour l'usage de tous hommes.* Bun.

Corraderent. Mss. 2 Reg. rec., 1 Colbert. *contraderent*, pro *conraderent*, quod est in 2 Reg. antiq. et 4 aliis; in 2 Reg. rec. et 5 editis, *contraherent.*

Sibi nomine justitiæ. Sic mss. 2 Reg. antiquissimi, 1 al. Reg. et 4 edit. Et recte. Vide infra, *Hinc honores sibi, et purpuras, et fasces invenerunt.* Scripti 26 rec. et 12 vulgati addunt *munitas;* 1 Bonon. antiq. *sub justitiæ nomine.* Attamen Thomasio assentimur qui putat sensum forte meliorem si legatur, *leges etiam sub justitiæ nomine iniquissimas.* De his legibus vide Tertullianum in Apologetico, cap. 4.

Malitia. Mss. 14 rec. et vet. edd. 5, *avaritia.*

Altioresque se cæteris hominibus. . . faciebant. Mss. 6 Reg. et edd. 4. *altioresque cæteris hominibus. . . fulgebant.*

Sed impiam tyrannidem vi et hominibus armatis occupavit. Mss. 1 Bon. antiq. : *Sed imperium tyrannidemque hominibus*, etc.

Titanum robustam... gentem. Mss. 13 et 5 excusi, *Titanam*, male, ex commutatione unius litteræ. Vide supra lib. I, cap. 10 ante finem, et cap. 14.

Occidione deleverat. Ita mss. antiquissimi 2 Bonon., 1 Reg., Cant. cum 14 impressis. Scripti rec. 25 et editi 5 legunt *occisione*; quæ magis usitata est vox, nec ideo magis genuina. Utraque vox Ciceroniana; illa Philipp. XIV, cap. ultim.; hæc lib. XV, epist. 4. Sed et Tacito est *occidione occumbere*, XII, 38.

Hunc verebantur. Sic lego cum 2 mss. Reg. et edit. vet. Rom, Ald., Paris. 1525, Crat., Graph., idque præcedentia et sequentia requirunt : nec video in quo differant *venerabantur* cæterorum, ab eo quod sequitur, *huic maximum honorem deferebant;* quod unum et idem est.

Digitized by Google

omnes pietatem, ne exprobrare regi scelus viderentur, si pie viverent. Sic assidua imitatione corrupti, divinum fas reliquerunt; et paulatim male vivendi consuetudo mos factus est. Nec jam quidquam ex antecedentis sæculi pio atque optimo statu mansit: sed explosa justitia, et veritatem secum trahens, reliquit hominibus errorem, ignorantiam, cæcitatem. Imprudentes igitur poetæ, qui eam confugisse cecinerunt ad Jovis regnum. Si enim sæculo, quod vocant aureum, justitia in terra fuit, a Jove utique pulsa est, qui aureum sæculum commutavit. Sæculi autem commutatio, et expulsio justitiæ, nihil aliud, ut dixi, quam desertio divinæ religionis putanda est; quæ sola efficit ut homo hominem carum habeat, eumque sibi fraternitatis vinculo sciat esse constrictum: siquidem pater idem omnibus Deus est, ut Dei, patrisque communis beneficia cum iis qui non habent, partiatur, nulli noceat, nullum premat, non fores claudat hospiti, non aurem precanti; sed sit largus, beneficus, liberalis, quas regias esse laudes Tullius existimavit. Hæc est profecto justitia, et hoc aureum sæculum, quod Jove primum regnante corruptum, mox et ipso, et omni ejus progenie consecrata, deorumque multorum suscepto cultu, fuerat omne sublatum.

CAPUT VII.

De Jesu adventu et fructu; atque de ejus sæculi virtutibus et vitiis.

Sed Deus, ut parens indulgentissimus, appropinquante ultimo tempore, nuntium misit, qui vetus illud sæculum fugatamque justitiam reduceret; ne humanum genus maximis et perpetuis agitaretur erroribus. Rediit ergo species illius aurei temporis, et reddita quidem terræ, sed paucis assignata justitia est; quæ nihil aliud est, quam Dei unici pia et religiosa cultura. Sed movebat aliquem fortasse, cur si hæc sit justitia, non omni humano generi sit data; nec in eam multitudo universa consenserit. Magnæ hoc disputationis est, cur a Deo, cum justitiam terræ daret, sit retenta diversitas: quod et alio loco declaravi, et ubicumque oportune inciderit, explicabitur. Nunc designare id brevissime satis est: Virtutem aut cerni non posse, nisi habeat vitia contraria; aut non esse perfectam, nisi exerceatur adversis. Hanc enim Deus bonorum ac malorum voluit esse distantiam, ut qualitatem boni ex malo sciamus, item mali ex bono; nec alterius ratio intelligi, sublato altero, potest. Deus ergo non exclusit malum, ut ratio virtutis constare posset. Quomodo enim patientia vim suam no-

VARIORUM NOTÆ.

Consuetudo, mos factus est. Contra Arnobius, II. p. 58: *Fiet enim familiaris e more consuetudo.* Perottus in Cornu Cop., ed. Ald. f. 653: *Mos proprie diffinitur ratio vivendi consuetudine firmata.* Varroni *mos est institutum animi, quod sequi debet consuetudo.* Bun.

Expulsa justitia. Scribo ex Lips. 2, 3, *expulsa*, quia sequitur inf. *justitia a Jove pulsa;* et *expulsio justitiæ;* ubi tamen Bonon. *explotio*, quasi *explosio* Cap. 7, *Fugatam justitiam* dicit. Bun.

Imprudentes igitur poetæ, qui eam confugisse cecinerunt ad Jovis regnum. Ita mss. 10 Reg., 6 Colbert. aliique sex, et edit. 5. Scripti sex rec. et, 12 excusi, . . . *cecinerunt, id est ad Jovis regnum.* Rohanneus codex et ed. Sublac. sic habent: *Imprudentes igitur poetæ, qui eam ad cœlum confugisse cecinerunt ad Jovis regnum:* Sangermanensis vero legit: *Imprudenter igitur poetæ qui eam confugisse cecinerunt ad Jovis regnum;* eligas quidquid velis.

Expulsio justitiæ. 1 Bonon. ant. *explosio Jovis justitiæ.*

Non aurem precanti. 1 Colbert, *aurum*, pro *aurem;* 1 Bonon. antiq. *avarus*, forte, pro *aures.*

Largus. . . laudes Tullius. Betuleius et Gall. dicunt, *hunc locum hodie in Ciceronis monumentis non inveniri.* Cellarius, *forte in deperdito quodam libro.* Walchius, *quo loco incertum.* At tres posteriores ex Isæi margine potuissent discere, locum esse ex Orat. pro Dejotaro, cap. 9: *Frugi hominem dici* non multum habet laudis in rege: fortem, justum,... *largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regiæ virtutes.* Bun.

Quas regias esse laudes. Non negat illas regias esse: sed et hanc talem putat, quæ reges non minùs ornet, quam privatos, et utrisque communis sit. Francius.

Tullius. Non ex deperdito Ciceronis libro, ut putat Betuleius, ac post eum Cellarius; sed ex Orat. pro Dejotaro paulo post med., cap. 9.

Regnante primum. Ad evitandam ambiguitatem hoc ordine edo ex Lips. 2, 3, Reimm., Rost., Ven. 1471, 1515, Paris., Crat., Gymn., Torn. 1587, 1613. Walchio, ubi Fasit., Gryph., Thomas., Gall., Spark., Cell., *primum regnante.* Bun.

Nuntium misit. Ms. 1 Bonon. antiq. et cum eo 5 editi rec. post *nuntium*, addunt *suum*, quod a cæteris tum scriptis, tum excusis abest. — *Nuntium suum misit.* Quum ex Bonon. antiquissimo Thomasius, teste Isæo, in variis, et hic et seqq. addiderint, non debebant pronomen Cellarius et recentiores fastidire. Ita solet, e. g., lib. IV, c. 25: *Quum legatum ac nuntium* suum *mitteret.* Bun.

Nec in eam multitudo universa consenserit. Reposui *in eam* ex mss. 2 Reg. et Cauc. antiquissimis, aliisque decem, et vet. editis Rom., Torn. et Soubron. Cæteri *in ea.* — *In eam multitudo . . . consenserit.* Lego quidem, *in eam*, ex Ultr., Cauc., Rost., Ven. 1471, 72, utraque 78, 93, 97, Parrh., Paris., Junt., Torn. 1587, 1613, uti lib. I, cap. 18: *Si omnes in concordiam consenserint.* Lib. V, cap. 13: *In quam tanta hominum millia consentiant.* Quintil. Decl. 12, cap. 10: *Concio in unam vocem consentiat.* Alteram tamen, *in ea*, quoque probam scias, et habent Lips., Goth., Reimm. Vide lib. IV, cap. 23: *In quo . . . consenserit.* De Ira, cap. 9: *In quo priores universi . . . consenserant.* Ibid. cap. 11: *Adeo in unitate natura universa consentit.* Ipse Cicero pro Sextio, cap. 51: *In qua causa omnes consentiunt.* Bun.

Retenta. Ms. Brun. *reperta.*

Alio loco. Supra lib. II, cap. 18.

Explicabitur. Vide infra lib. VI, cap. 15 et 22, atque lib. de Ira Dei, cap. 15.

Non esse perfectam, nisi exerceatur adversis. Intellige in hac vita mortali. Quid enim; num in beatis non est perfecta virtus? At hæc non exercetur adversis.

Deus ergo. Post hæc mss. 1 Reg. antiquiss. Cauc., Goth., Marm. et 5 editi addunt, *justitiam reducturus.* Pro *malum*, ms. Pen. habet *malitiam.* Quod autem dicit, *non exclusit malum*, id est, permisit malum. Ecce Thomasii Scholia ad hunc locum. Hujus hæc verba sunt. Hæ etiam voces *justitiam reducturus*, expungendæ, quæ sane ex margine videntur fuisse translatæ in textum. In hoc sane capite multa videtur dicere Lactantius, quibus quodam modo auctorem mali faceret Deum. Verum si recte singula considerentur, hoc ipse non asserit. Namque aut dicit Deum non excludere malum, vel permittere ut virtus cum quo pugnet habeat. Hoc etiam in loco,

Digitized by Google

menque retineret, si nihil esset, quod pati cogeremur? Quomodo laudem mereretur devota Deo suo fides, nisi esset aliquis qui a Deo vellet avertere? Nam et ideo potentiores esse injustos permisit, ut cogere ad malum possent; ideo plures, ut virtus esset pretiosa, quæ rara est. Quod quidem ipsum Quintilianus egregie ac breviter ostendit in capite obvoluto. « Nam quæ, inquit, virtus esset innocentia, nisi laudem raritas dedisset? Verum quia natura sic comparatum est, ut odium, cupiditas, ira, in id, quod incubuerunt, agant cæcos, supra hominem videtur culpa vacare. Alioqui si natura pares omnibus affectus dedisset, pietas nihil erat. »

Hoc quam verum sit, docet necessitas ipsa rationis. Si enim virtus est, malis ac vitiis fortiter repugnare, apparet sine malo ac vitio nullam esse virtutem: quam Deus ut absolutam perfectamque redderet, retinuit id quod erat ei contrarium, cum quo depugnare posset. Agitata enim malis quatientibus, stabilitatem capit; et quanto frequenter impellitur, tanto firmiter roboratur. Hæc nimirum causa efficit, ut quamvis sit hominibus missa justitia, tamen aureum sæculum non esse dicatur; quia malum non sustulit, ut retineret diversitatem, quæ sacramentum divinæ religionis continet sola.

CAPUT VIII.

De justitia omnibus nota ac non suscepta; de vero Dei templo, atque de ejus cultu, ut cuncta conterantur vitia.

Qui ergo putant justum esse neminem, ante oculos habent justitiam, sed eam nolunt cernere. Quid est enim, cur illam vel in carminibus, vel in omni sermone describant, conquerentes ejus absentiam, cum sit facillimum bonos esse si velint? Quid vobis inanem justitiam depingitis, et optatis cadere de cœlo, tanquam in aliquo simulacro figuratam? Ecce in conspectu vestro est: suscipite, si potestis, eamque in domicilio vestri pectoris collocate; nec difficile, aut alienum a temporibus existimetis. Estote æqui ac boni; et sequetur vos sua sponte justitia, quam quæritis. Deponite omnem malam cogitationem de cordibus vestris; et statim vobis illud tempus aureum revertetur: quod aliter consequi non potestis, quam si Deum verum colere cœperitis. Vos autem, manente cultu deorum, justitiam desideratis in terra; quod fieri nullo pacto potest: sed ne tum quidem potuit, cum putatis; quia nondum natis diis istis, quos impie colitis, necesse est unius Dei cultum fuisse per terram: ejus scilicet qui execratur mali-

VARIORUM NOTÆ.

atque alibi cum de malis agit, nomine malorum, sæpe non tam res ipsas turpes, vel turpitudinem earum intelligit, quam res adversas et naturæ contrarias; ut infelices eventus, venena et similia, quæ proprie et per se mala non sunt, sed quia nobis sunt noxia, vulgo mala vocantur. Idem vero quod hic ait Lactantius, dixit Ambrosius in Expositione Psalm. CXXVIII, Serm. 16; tantum quæ Lactantius more vulgi vocavit mala, illa nominavit austera. Et mala, inquit Ambrosius, non creavit Deus, sed hæc quæ videntur nobis austera, verbera, mors et hujusmodi alia, quæ propter emendationem præscripta sunt noxiorum. In malo etiam, et quovis peccato, sicut theologi, et imprimis Augustinus, lib. v, cap. 3, contra Julianum late disputat, duo considerari possunt, turpitudo ipsa et pœna. Turpitudo nihil pertinet ad Deum: pœnæ tamen recte dicitur Deus auctor esse. Et hac quidem divisione poterit vere defendi hoc loco Lactantius, quamvis quod ante diximus, commodius videatur verbis Lactantii posse aptari. Si cui tamen videtur hic Lactantius dicere Deum simpliciter esse mali auctorem, sciat nos eam opinionem, quam maxime execrari, ac propterea hunc laborem suscipere, ut videatur ea opinio nullos auctores præter Manichæos habuisse. Hæc *Thomasius* in suis ad Lactantium notis.

Nam et ideo. Conjunctio *et* desideratur in 1 Bonon. Regio-Put. et in 3 editis.

Potentiores esse injustos. Mss. 12 rec. et edd. vet. Rom., et Ald., *potiores.*

Quæ rara est. Sic reposui ex mss. 1 Bonon. antiq., 5 Reg., 1 Clarom. a secunda manu, et edit. Gymnic. Multi habent *quod;* Regio-Put. *quo;* rec. *quod raro est.*

Capite obvoluto. Fuit hoc declamationis nomen, sed deperditæ. — *In capite obvoluto.* Periit hoc scriptum. *Obvolutum* est *opertum*, ut lib. I, cap. 22: *Obvolutam vini amphoram poni.* Plaut. Mostell. II, 1: *Capite obvoluto ut fugiat . . . fuge atque operi caput.* Bun.

Virtus esset innocentia. Mss. 2 Bonon., 1 Reg. rec., Tax., *innocentiæ.*

In id quod incubuerunt. Hæc lectio est mss. antiq. 2 Bonon., 6 Reg., 3 Colb., 1 Clarom., Brun. In 4 Reg. rec., 23 Colb. est, *incubuerint*, quod habet etiam Buneman. — *In id quod incubuerint.* Bonon. Reimm., Lips. 2: *In id, quod incubuerunt.* Omnes vero, *in id quod*, pro *in id, in quod*; per ellipsin præpositio antecedens non repetitur. Sic Epit. 27: *Ne quis in eosdem laqueos incidat*, quos *illi veteres inciderunt.* Bun.

Culpa vacare. Quia, juxta Hieronymum, in carne vivere præter carnem, angelica magis vita est, quam humana. Ciceroni quidem, ut in septimo Epistolarum libro ad Marium scribit, Culpa vacare magnum solatium est. Et est sane conscientia mille testes: sed Paulus universum mortalium genus culpæ subjicit. Betuleius. — Et, *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non est.* (I Joan., I, 8).

Si natura pares omnibus affectus dedisset. Sic emendavi ex mss. Regio-Put., 5 al. Reg., 6 Colbert., 2 Clarom., Em., Cant., Brun. et editis 11. Scripti tres totidemque vulgati, *affectibus;* nonnulli *effectus*, male.

Nullam esse virtutem. 1 Bonon. antiq. *nihil esse virtutem.*

Et quanto frequenter impellitur, tanto firmiter roboratur. Sic restitui ex omnibus mss. Et sic Lactantius scripsit phrasi nonnullis scriptoribus ecclesiasticis peculiari; in editis magis usitata est *quanto frequentius, tanto firmius.* Sed mss. ferunt *frequenter, firmiter.* Ita et S. Augustinus, amoto comparativo, quod reticere amat, ait lib. II, Retractat. cap. 15, n° 6: *Quæ mihi quasi declamatio levis* (pro *levior*), *quam gravis confessio videtur.* — *Quanto frequenter . . . tanto firmiter.* Altum de hac lectione in Spark., Cell., Walchio, Heumanno silentium; eam tamen præstant Bonon., Tax., Pen. et mss. fere omnes Isæi. Omnia satis latina sunt, modo subaudias *magis.* Vide Gronov. ad Livii lib. I, cap. 25, et ad Livii lib. XXXIV, cap. 4; Tacitus lib. III Annal., cap. 46: *Quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos, tanto magis imbellos Æduos evincite;* lib. XII Annal., cap. 11: *Clementiamque ac justitiam, quanto ignara barbaris, tanto tolerantiora capesseret.* Quod hic et alii in uno membro solum faciunt, id sæpe in utroque Tertullianus, c. g. lib. I, Nation. 7: *Quanto proni ad malitiam, tanto ad mali fidem* opportuni estis. Bun.

Collocate. Mss. 12 rec. et 6 editi, *Constituite.*

Digitized by Google

tiam, exigitque bonitatem; cujus templum est, non lapides, aut lutum, sed homo ipse, qui figuram Dei gestat. Quod templum non auri et gemmarum donis corruptibilibus, sed æternis virtutum muneribus ornatur. Discite igitur (si quid vobis reliquæ mentis est) homines ideo malos et injustos esse, quia dii coluntur; et ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingravescere, quia Deus hujus mundi effector et gubernator derelictus est; quia susceptæ sunt, contra quam fas est, impiæ religiones; postremo, quia ne coli quidem, vel a paucis, Deum sinitis.

Quod si solus Deus coleretur, non essent dissensiones et bella, cum scirent homines unius se Dei filios esse; ideoque divinæ necessitudinis sacro et inviolabili vinculo copulatis, nullæ fierent insidiæ, cum scirent cujusmodi pœnas Deus animarum interfectoribus præpararet, qui clandestina scelera, et ipsas etiam cogitationes pervidet. Non essent fraudes, neque rapinæ, si Deo præcipiente didicissent, et suo, et parvo esse contenti, ut fragilibus, et caducis, solida et æterna præferrent. Non essent adulteria, et stupra, et mulierum prostitutiones, si omnibus notum esset, damnari a Deo quidquid appetitur ultra generandi cupiditatem. Nec fœminam necessitas cogeret pudorem suum profanare, ut victum sibi obscœnissimum quærat; cum et mares libidinem continerent, et habentium pia et religiosa collatio non habentibus subveniret. Non essent igitur, ut dixi, hæc omnia in terris mala, si ab omnibus in legem Dei conjuraretur; si ab universis fierent, quæ unus noster populus operatur. Quam beatus esset, quamque aureus humanarum rerum status, si per totum orbem mansuetudo, et pietas, et pax, et innocentia, et æquitas, et temperantia, et fides moraretur! Denique ad regendos homines non opus esset tam multis et tam variis legibus, cum ad perfectam innocentiam Dei lex una sufficeret; neque carceribus, neque gladiis præsidium, neque terrore pœnarum, cum præceptorum cœlestium salubritas humanis pectoribus infusa, ultro ad justitiæ opera homines erudiret. Nunc

VARIORUM NOTÆ.

Non lapides, aut lutum. Mss. Brun. *non lapis, aut lutum.*

Non auri et gemmarum donis. Sequor mss. antiquiores 6 Reg., 4 Colbert. Scripti 8 rec. et editi ferunt *auro.*

Ornatur. Nonnulli editi, *ornetur.*

Discite. Ita reposui ex quamplurimis editis ex omnibus mss. præter 1 Reg. rec. qui habet a prima manu *Disce*, ut in quibusdam impressis.

Si quid vobis reliquæ mentis est. Walchius, *reliqua*, inquit, *mens, quæ hominibus post lapsum relicta fuit.* Mihi valent hæc eadem, ac l. 1, c. 21: *Si habetis aliquid sanitatis*; lib. v, c. 3: *Si quid vobis cordis est*; ibid. c. 9: *Si quid sapitis.* Heumannus, pro *reliquæ*, scribit *reliquum*: sed non est opus ab lectione omnium librorum abire. Ita Prudentius Cathemer. XI, 94, 95: *Si quidquam tibi mentis resedit integræ.* Burmannus ex Suetonii Tiber. c. 62: *Classiariorum manu elidente cadavera, nec cui* residui spiritus *quidquam inesset.* Bun.

Et injustos esse, quia dii coluntur. Crimen objectorum malorum impietatisque bene retorquet in nationes. Tertull. Apolog. cap. 41: *Vos igitur importuni rebus humanis, vos rei publicorum incommodorum, vos malorum illices semper, apud quos Deus spernitur, statuæ adorantur.* Cyprian. ad Demetrian.: *Quando ea fiunt quæ iram Dei indignantis ostendunt, non propter nos fiunt, a quibus Deus colitur; sed delictis et meritis vestris irrogantur, a quibus Deus omnino nec quæritur, nec timetur.* Elmenhorst.

Ideo mala.... ingravescere. Legit vestigia Cypriani adv. Demetrianum. Objiciebant Gentiles Christianos esse omnium malorum causas. Talia ut refutarent, Arnobius suos libros contra Gentiles, et Augustinus opus de Civitate Dei, et Orosius Historiam suam scripsit. Bun.

Copulatis. Sine ulla interpunctione. Sic restitui ex mss. 7 Reg. inter quos duo sunt vetustissimi, ex 4 Colbert. multisque aliis, et vet. edit. Rom. Scripti 7 rec. et plurimi editi habent *copulatos.*

Præpararet. Ita reposui ex mss. Regio-Put. et quamplurimis aliis, et vet. editis Rom. favente 1 alio Reg. antiquissimo, in quo legitur *præpararit;* in 4 Reg. rec., 2 Colbert. et 9 excusis, *præparet.*

Pervidet. Sic restitui ex mss. maximo numero, ac 2 vet. edit. Rom. Hoc verbo passim utitur Lactantius; et congruentius est, quam *videt* manuscriptorum sex et impressorum octo. Hoc probant voces *clandestina;* item *cogitationes.*

Ut fragilibus. Addidi *ut* ex 6 editis cunctisque mss. præter 1 Colbert. et 1 Clarom., in quibus et in 9 vulgatis desideratur. Et ibidem pro *præferrent*, Francius ad oram sui Lactantii legebat *præferre.*

Fœminam.... quærat. Ms. Brun. et edit. Betul. *fœminas... quærant.*

Mares libidinem continerent. Genuina lectio a me restituta ex edit. Betul. et Cellar. cunctisque mss. præter 2 Reg. rec. quibus, ac cæteris excusis, est *contemnerent.*

Religiosa collatio. Id est collectæ elcemosynæ.

Non essent igitur, ut dixi. Ms. 1 Bonon. antiq. et 5 edit. rec. *Nec essent mutua, ut dixi;* inepte.

Si ab omnibus. Ex cunctis pene mss. restitutum. In 2 Reg. rec. 3 Colbert. et editis 16, *si ab hominibus.*

In legem Dei conjuraretur. Id est, *conspiraretur*, seu, ut Gallæus et Francius volunt, *juraretur.* Vox enim *conjurare* plerumque in malam partem accipitur a scriptoribus. Lactantius igitur proprie voluit accipere pro simul jurare; atque alludit ad priscum illum morem, quo sancti viri Judæos juramento obstringebant, se servaturos Dei legem, nec ab illa ullo modo deflexuros. Talis conjuratio bona et laudabilis. Gallæus. — Attamen non discedendum a consensu omnium scriptorum et editorum. Nam licet plerumque in malam partem sumatur, Servius tamen ad Virg. VIII Æn. 5; *Notandum*, inquit, *de re bona conjurationem dici posse.* Notum illud Claudiani de III Consul. Honorii, pag. 96, 98:

> O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
> Et *conjurati* veniunt ad classica venti.

Moraretur. Ni Lactantius sic loqui amaret, ut jam annotavi, lubenter cum Francio scriberem *morarentur:* quod contra mss. et editorum fidem facere non audeo.

Tam multis. Jamdiu dixerunt cordati ac sapientes, multas leges argumentum esse corruptorum in Repub. morum. Unde Cicero II de Officiis, et Sallustius dixerunt, ex malis moribus bonas nasci leges.

Præsidum. Qui provinciis præerant.

Ultro ad justitiæ opera homines erudiret. Præpositionem *ad* ex mss. et excusis addidi, quæ deest uni Bononiensi antiq. et editis quinque. Vide infra cap. 10, *erudiantur ad injustitiam;* et cap. 11 ad finem, *Ad hæc opera cultores suos erudiunt.*

Digitized by Google

autem mali sunt ignoratione recti ac boni. Quod quidem Cicero vidit; disputans enim de legibus : « Sicut una, inquit, eademque natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohæret ac nititur : sic omnes homines inter se natura confusi, pravitate dissentiunt; nec se intelligunt esse consanguineos, et subjectos omnes sub unam eamdemque tutelam : quod si teneretur, deorum profecto vitam homines viverent. » Universa igitur mala, quibus humanum genus seipsum invicem conficit, injustus atque impius deorum cultus induxit. Nec enim poterant retinere pietatem, qui communem omnium patrem Deum tanquam prodigi ac rebelles liberi abnegassent.

CAPUT IX.

De sceleribus impiorum, et Christianorum cruciatibus.

Nonnunquam tamen sentiunt se malos esse, et veterum sæculorum statum laudant, et de suis moribus meritisque conjectant abesse justitiam : quam obversantem oculis suis non tantum non suscipiunt, nec agnoscunt, verum etiam violenter oderunt, et persequuntur, et exterminare contendunt. Fingamus hanc interim non esse justitiam, quam nos sequimur : quomodo, si illa venerit, quam veram putant, eam recipient, qui laniant et occidunt eos, quos et ipsi fatentur imitatores esse justorum, quia bona operentur et justa; cum, si tantummodo malos occiderent, digni essent ad quos justitia non veniret, cui nulla fuit alia causa linquendi terram, quam humani cruoris effusio. Quanto magis, cum pios interficiant, et ipsos justitiæ sectatores pro hostibus ducant; immo vero plus quam pro hostibus? quibus, utique cum animas eorum, et opes et liberos ferro et igni appetant, tamen parcitur victis; et est locus inter arma clementiæ : aut si adeo sævire placuit, nihil plus in eos fit, quam ut occidantur, vel in servitutem abducantur. Hoc vero inenarrabile est, quod fit adversus eos qui malefacere nesciunt. Et nulli nocentiores habentur, quam qui sunt ex omnibus innocentes.

Audent igitur homines improbissimi justitiæ facere mentionem, qui feras immanitate vincunt, qui placidissimum Dei gregem vastant,

Lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies.

Verum hos non ventris, sed cordis rabies efferavit; nec atra in nebula, sed aperta prædatione grassantur; nec eos unquam conscientia scelerum revocat, ne sanctum ac pium nomen justitiæ ore illo violent, quod cruore innocentium, tanquam rictus bestiarum madet. Hujus tanti et tam pertinacis odii quam potissimum causam esse dicamus? Utrumne

Veritas odium parit,

ut ait poeta, quasi divino spiritu instinctus? An erubescunt coram justis et bonis esse nequam? an potius utrumque? Nam et veritas ideo semper invisa est, quod is, qui peccat, vult habere liberum peccandi locum; nec aliter se putat malefactorum voluptate securius perfrui posse, quam si nemo sit, cui delicta non placeant. Ergo tanquam scelerum et malitiæ suæ testes extirpare funditus nituntur, et tollere, gravesque sibi putant, tanquam vita eorum coarguatur. Cur enim sint aliqui intempestive boni, qui, corruptis moribus publicis, convicium bene vivendo faciant? Cur non omnes sint æque mali, rapaces, impudici, adulteri, perjuri, cupidi, fraudulenti? quin potius auferantur, quibus coram male vivere pudet; qui peccantium frontem, etsi non verbis, quia tacent, tamen ipso vitæ genere dissimili feriunt et verberant? Castigare enim videtur quicumque dissentit.

VARIORUM NOTÆ.

Mali sunt. Ms. Cantabrig. et 6 vet. edit. perperam addunt *homines.*

Disputans enim. Mss. Goth., 1 Lips., Brun., *disputans valide*, omisso *enim.*

Sicut una, etc. Non extat hic locus, neque in libris de Legibus, nec in aliis Ciceronis operibus. Hinc et aliunde conjicere est truncatos esse ac multum depravatos Ciceronis libros.

Sub unam eamdemque tutelam. Mss. 6 rec., *sub una eademque tutela.*

Deorum profecto vitam homines viverent. Mss. 16 rec. et 5 edit. habent, *deorum profecto vita homines viverent.* At ipsa phrasis est inter Ciceronis fragmenta lib. I de Legibus., *deorum profecto vitam omnes viverent.* Et Cic. Orat. 4 Verrin., n. 118 : *Tutiorem vitam sese meo præsidio victuros esse arbitrantur.* Cæterum *homines* in *omnes*, contra omnium Lactantianorum codicum fidem, mutare nolui. Et Lactantius noster alibi quoque dixit lib. I, cap. 14 : *Agrestem vitam vivebant*, lib. VII, cap. 24 : *Vivent homines tranquillissimam et copiosissimam vitam;* et lib. de Ira Dei, cap. 7 : *Vitam pecudum sub humana specie vivet.*

Interim. Mss. 5 rec. et vet. edit. Rom. *iterum.*

Quia bona operentur. Sic lego cum antiquioribus mss. 5 Reg. pluribusque aliis, et 9 editis vet. In 3 scriptis rec. est, *qui bona operentur*; in 5 rec. et 7 vulgatis, *quia bona operantur;* in 2 excusis *qui.*

Tamen parcitur victis, etc. Augustinus in 1 cap. lib. I, de Civ. Dei conqueritur civitatem Christi, quæ Ecclesia est, exulare in hoc mundo, et affligi ab iis ipsis, quorum ars, secundum poetam, et laus peculiaris,

Parcere subjectis, et debellare superbos.
(*Virgil.* VI *Æneid.*, *v.* 853.)

Et in altero cap. aliquot exemplis docet, nulla unquam bella fuisse gesta, ut victis victores parcerent.

Inter arma. Vide Cicer. Orat. pro Marcello.

Lupi. Vide Virg. II Æneid., 356.

Dicamus? Ita omnes mss. et editi, præter 1 Colbert. et 3 edit. quibus est *dicemus?*

Veritas. Terent. Andr. act. I, scen. 1. Hoc ait Sosias libertus.

Divino spiritu instinctus. Mss. 8 rec. et edit. 4, *instructus;* cæteri *instinctus.*

Graves... putant. Plane geminus est locus lib. V, cap. 21 : *Persequuntur* (sanctos et justos viros), *quos sibi graves sentiunt... ut... auferant omnino de terra ne sint qui possint eorum nequitiam coercere.*

Tamquam vita eorum coarguatur. Conf. ad rem, c. 6. Sulp. c. Sever. lib. II, cap. 28 : *Semper inimica virtutis vitia sunt, et optimi quique ab improbis quasi exprobrantes adspiciuntur.* Seneca de Vita Beata, c. 19: *Expedit vobis neminem videri bonum, quasi aliena virtus exprobratio delictorum vestrorum sit.* Bun.

Quibus coram male vivere pudet. Ita omnes prope

Digitized by Google

Nec est magnopere mirandum, si adversus homines ista fiunt, cum adversus ipsum Deum, propter eamdem causam, insurrexerit etiam populus in spe constitutus, nec Dei nescius; sequiturque justos eadem necessitas, quæ ipsum justitiæ violavit auctorem. Vexant ergo, et exquisitis pœnarum generibus excruciant; parumque habent interficere quos oderunt, nisi etiam crudelitas corporibus illudat. Si qui autem doloris vel mortis metu, vel sua perfidia cœleste sacramentum deseruerint, et ad funesta sacrificia consenserint, eos laudant, et honoribus mactant, ut eorum exemplo cæteros illiciant. Qui autem magni æstimaverint fidem, cultoresque se Dei non abnegaverint, in eos vero totis carnificinæ suæ viribus, veluti sanguinem sitiant, incumbunt; et desperatos vocant, quia corpori suo minime parcunt: quasi quidquam desperatius esse possit, quam torquere ac dilaniare eum, quem scias esse innocentem. Adeo nec pudor ullus apud eos superest, a quibus abest omnis humanitas! Et retorquent in homines justos convicia sibi congruentia.

Impios enim vocant, ipsi scilicet pii, et ab humano sanguine abhorrentes; cum si et actus suos considerent, et illorum quos tanquam impios damnant, jam intelligant, quam mendaces sint, et iis omnibus, quæ adversus bonos aut dicunt, aut faciunt, digniores. Non enim de nostro, sed ex illorum numero semper existunt, qui vias obsideant armati, maria prædentur; vel si palam grassari non licuit, venena clam temperent; qui uxores necent, ut dotes earum lucrentur, aut maritos, ut adulteris nubant, qui natos ex se pueros aut strangulent, aut si nimium pii fuerint, exponant; qui libidines incestas, nec a filia, nec a sorore, nec a matre, nec a sacerdote contineant; qui adversus cives suos patriamque conjurent: qui nec culleum metuant; qui denique sacrilegia committant, et deorum, quos colunt, templa dispolient; et ut quæ levia sunt atque illis usitata dicamus, qui hære-

VARIORUM NOTÆ.

mss. et plerique editi. Et recte, per anastrophen; hoc est, *coram quibus* christianis *pudet* ethnicos *male vivere*. At mss. Oxon. et 11 vulgati, ediderunt *quos coram male vivere pudet*: quasi pronomen *quos* cum *pudet* jungi poscat. — Non infrequens nostro anastrophe. lib. VI, cap. 5: *Queis in versamur*. Ibid. cap. 17: *Quos contra disputant*. Sensus est, pudet ethnicos coram Christianis male vivere: sensu eodem dixit supra: *Erubescant coram justis et bonis esse nequam*. Bun.

Ipsum Deum. Christum scilicet.

Populus in spe constitutus. Judaicus scilicet, de quo Actor. c. XXVI, v. 6: *In spe quæ ad patres nostros repromissionis facta est a Deo*.

Justos. Id est, Christianos.

Sua perfidia. Mss. 1 Regio-Put. et 8 rec. cum editis, *suapte;* Brun. *suadente*. Cæteri scripti, inter quos 1 Bonon. et 1 Reg. antiquissimi, ut in textu, *cœleste sacramentum deseruerint*; id est, Christi religionem.

Et honoribus mactant. Id est, augent, cumulant, apud Plautum et Ciceronem. 1 Colb. et Brun., *magnificant*. Francius forte *lactant*. At *mactant*, genuina Lactantii lectio. Sic infra, cap. 10, *infortunio mactant*.

Desperatos vocant, etc. Desperatus est παράβολος: ita vocati qui aliter confectores dicebantur, qui ad bestias pugnabant, et illis conficiendis operam suam locabant, quos inde παραβόλους *desperatos* vocabant. Et ita olim Christiani indigitati, quod sibi non parcerent, atque animam libenter pro Deo suo ponerent. Salmasius.—Mallentque lacerari, quam fidem Christo datam violare.

Impios enim vocant. Christiani vulgari convitio ab ethnicis impii, infausti, athei, irreligiosi, profani et sacrilegi nuncupati, quia diis nil omnino tribuebant, nec pro imperatoribus sacrificabant, Tertull.: *Deos, inquitis, non colitis, et pro imperatoribus sacrificia non impenditis*, etc. *itaque sacrilegii et majestatis rei convenimur*. Arnob. lib. IV: *Quoniam nos impios, irreligiosos vocatis*.

Adeo nec pudor ullus. Mss. 3 rec. et 6 vet. editi, *Adeo vero nec pudor ullus*.

Retorquent. Ms. Jun. et 5 excusi, *detorquent;* 2 Colb. et 1 Clarom. *torquent*.

Ipsi scilicet pii, et ab humano sanguine abhorrentes. Hæc per ironiam dicta. Mss. 14 et edit. Rom. 1470, *ipsi scilicet impii*, male; non enim cohæret cum *et ab humano sanguine abhorrentes*.

De nostro, sed ex illorum numero. Ita plurimi mss. inter quos sunt antiqui. In 12 rec. bis legitur *de*; bis *ex* in Brun.

Si nimium pii fuerint. Goth.: *Si minus pii fuerint*. At volebant magis pii videri, qui exponebant pueros, quam qui strangulabant. Alias facile erat corrigere, *si nimirum pii fuerint*. Variare enim has voces in mss. ostendi ad lib. I, cap. 10. Bun.

Exponant. Sic Tertull. Apol., capite 9: *Imprimis filios exponitis, suscipiendos ab aliqua matre extranea*. Arist. lib. VII, Politic., cap. 17. Secundum legem Atheniensibus libitum fuit interficere, vel exponere, quidquid natum nollent: quæ crudelitas etiam apud populum sapientissimum! Thebani contrarium lege caverant, ut si quis infantem exposuisset, morte plecteretur. Ælianus Variar. hist. lib. II, cap. 7. Exponebantur vero sæpe infantes cum monumentis, quæ generali nomine Græcis γνωρίσματα, Latinis crepundia dicuntur. Terent. Eunuch. Act. IV, Sc. 6:

Ubi tu cistellam? adfer cum monumentis.

Addebantur hæc crepundia, tanquam fortunæ viatica, ut, qui infantes inveniret, haberet unde aleret. Variæ hujusmodi monumentorum species recensentur apud Longum, lib. I ποιμενικ. Ibi de fasciis, ensiculo, mitra, crepidis aliisque id genus, loquitur. Betul.

Sacerdote. Pro *Vestali virgine*, sic Æneid. I, 277, *Regina Sacerdos*, pro *Vestali*.

Nec culleum. Ita scribo cum antiquis, et cum mss. 1 Regio-Put., 4 al. Reg., 2 Colb., 1 Sorbon., Nav., Vict., Gat., Marm., 1 Clarom. edit., 2 vet. Rom., et Fasit. 1543. At 1 Colbert. et Brun. *nec ullum*; 1 Reg. rec., 4 Colbert., 1 Clarom. et 6 excusi, *nec culeum*; 1 Reg. antiq. 2 Colbert. a secunda manu, Jun., *nec eculeum*. De hoc supplicii genere dixi ad c. 14, l. III.

Atque illis usitata. Sic ferunt quamplurimi mss., inter quos duo sunt Regii antiquissimi, 1 Bonon. quoque qui addit *illis*. Sed Cauc., Lips., Pal., Ultr., legunt *neque usitata*; alii rec. et totidem editi, *atque inusitata*. Secuti sumus lectionem a Thomasio allatam ex veteri codice Bononiensi desumptam; quam doctissimus editor hoc confirmat exemplo. Hæc, inquit, testamentorum suppositio ad hæreditates invadendas, apud Gentiles valde erat usitata: quo nomine M. Crassus, qui unus erat ex principibus Rom. Reipub. male audivit. Quod cum in principe accideret, quid de aliis credendum est?

Digitized by Google

ditates captent, testamenta supponant, justos hæredes vel auferant, vel excludant; qui corpora sua libidinibus prostituant; qui denique immemores, quid nati sint, cum fœminis patientia certent; qui sanctissimam quoque corporis sui partem contra fas omne polluant et profanent; qui virilia sua ferro metant; et, quod est sceleratius, ut sint religionis antistites; qui ne vitæ quidem suæ parcant, sed extinguendas publice animas suas vendant; si judices sedeant, aut immeritos perdant mercede corrupti, aut noxios impune dimittant; qui cœlum quoque ipsum veneficiis appetant, tanquam illorum malitiam terra non capiat. Hæc, inquam, et his plura scelera utique ab iis fiunt, qui deos colunt.

Quis inter hæc tot ac tanta justitiæ locus est? Et ego de multis collegi, non ut arguerem, sed ut ostenderem. Qui volent scire omnia, Senecæ libros in manum sumant, qui morum vitiorumque publicorum et descriptor verissimus, et accusator acerrimus fuit. Sed et Lucilius tenebrosam istam vitam circumscripte breviterque depinxit his versibus:

Nunc vero a mane ad noctem, festo atque profesto
Totus item pariterque die, populusque, patresque
Jactare induforo se omnes; decedere nusquam,
Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti:
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose,
Blanditia certare, bonum simulare virum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

A Nostro autem populo quid horum potest objici, cujus omnis religio est, sine scelere ac sine macula vivere? Cum igitur videant, et se, ac suos ea quæ diximus gerere, nostros autem nihil aliud operari, nisi æquum et bonum; poterant, si quid saperent, ex hoc intelligere, et illos qui bonum faciunt pios esse, et se impios, qui nefanda committunt: neque enim fieri potest, ut qui in omnibus vitæ suæ actibus non errant, in ipsa summa errent, hoc est in religione, quæ rerum omnium caput est. Impietas enim suscepta in eo, quod est summum, per cætera universa sequeretur. Eoque fieri non potest, ut ipsi, qui errant in omni vita, non et in religione fallantur: quoniam pietas in summo regulam tenens, tenorem suum servaret in cæteris. Ita fit ut in utraque parte, de conditione rerum quæ geruntur, qualis sit B summa ipsa noscatur.

CAPUT X.

De falsa pietate, et de falsa et vera religione.

Operæ pretium est cognoscere illorum pietatem, ut ex iis, quæ clementer ac pie faciunt, possit intelligi qualia sint quæ ab his contra jura pietatis geruntur. Ac ne quem videar inclementer incessere, aliquam mihi personam poeticam sumam, quæ sit

VARIORUM NOTÆ.

Cum fœminis patientia certent. Contra eos qui in viros libidine exardescunt.

Qui sanctissimam quoque corporis sui partem contra C *fas omne polluant.* Dum videlicet execrabilem in se furorem admittunt: qui *nec capiti quidem parcit*, ut ait lib. VI, c. 33, ita Isæus. Num de crimine intelligitur cum vir in seipso violat continentiam? — *Sanctissimam... corporis... partem.* Sc. caput. Vide Scriptores a me citatos ad l. VI, c. 23. Hic expressit Ciceronem post reditum, c. 5. *Qui ne a sanctissima quidem parte corporis potuisset hominum impuram intemperantiam propulsare.* Videsis Grævium h. l. p. 367. BUN.

Qui virilia sua ferro metant. Arnob. lib. V: *Et non quotidie videamus eos, qui sibi demessuerint has partes.*

Senecæ libros. Inter ea quæ ejus extant, lege alteram epistolam libri decimi sexti, ubi cum in alia scelera, tum vero maxime in judices corruptos invehitur. Eadem videas in Tertulliani Apologetico, cap. 12.

In manum sumant. Cicero lib. III, de Orat. cap. 4: *Qui hæc in manus sument.* Lib. II, Tuscul. cap. 3: *Epicurum... in manus sumit.* Plinius lib. I. epist. 16: *Quum ejus orationes in manus sumpseris.* Quintil. lib. D X Inst. cap. 1, pag. 882: *Quarum orationes in manus sumpserimus.* BUN.

Pariterque die. Ita Regio-Put. aliique. In 17 rec. et editis 5 est *dies.* 1 Reg. antiq. *pariter quidem.*

Induforo. Mirum quam hic varient manuscripti. Lego *Induforo* ex 1 Reg. antiquissimo, Pal. et Pen. et ipso Lucilio, edito a Francisco Dousa, accedentibus mss. Cauc., 4 Reg., 5 Oxon., 3 Colbert., Jun., Ultr., Nav., Gat., Marm., Em., 2 Clarom., Brun., et 6 edit. quibus est *indeforo*, pro *induforo*, per archaismum, ut legitur apud Lucretium, lib. IV. vers. 318; edit. Lambin. *Indugredi*, vel *endogredi* pro *ingredi.* Dixerunt enim Antiqui *indu* et *endo*, pro *in*, ut observat Lambinus ibidem, pag. 456 et 277. Apud eumdem Lucretium *indu manu, indu statu*, pro *in manu, in statu*; lib. V, *indu manus*, pro *in manus*; et lib. VI, *indu mari*, pro *in mari.* 1 Bonon. antiq. et 4 alii rec. habent *induforum*; 2 Reg. *induforus*; 1 Reg. et 5 vulgati *indufori*; 1 Colbert. et Vict. *videre foro, corrupte.* Legitur etiam *induforo* apud Ennium libro VII. *Induforos* eos existimat Betuleius, qui otia sua in foro terunt; sicut *inforare* apud Plautum idem est, ac aliquid *in foro* vulgare. Fere similia in Virgilio *induperator*, pro *imperator*; et *indugredi ac indupeditus* apud Lucretium, pro *ingredi* et *impeditus.* Existimat tamen Thom. Spark. legendum esse *endo forum*, quia sic Lucret. lib. II, habet:

Si fas endo plagas cœlestes scandere cuiquam;

atque *endogredi* apud eumdem Lucretium, pro *ingredi.*

Blanditia certare. Ita cuncti fere mss. et edd. nec aliter legitur apud Lucilium. mss. rec. 1 Reg., Balliol. et vulgati sex, *blandiri, certare.*

Nostro. Ita etiam Tertullianus.

Universa sequeretur. Sic omnes prope mss. et impressi. Regio-Put. et excusi ferunt *sequitur*; 1 Bonon. antiq. *quæreretur*: 2 Reg. rec., 1 Colb., Cant. et 3 vet. edit. *frequentatur.* Nostra lectio multum arridebat Antonio Augustino, viro in litteris sagacissimo.

Eoque fieri. Ita restitui ex multis editis, cunctisque mss. præter 2 Reg. et 7 edit. qui habent *æque*; edit. Thomas. *Atque*; 1 Bonon. antiq. *Atquin.* Hæc emendatio est Antonii Augustini jamjam laudati, qui legebat, *quod est summum, per cætera universa sequitur, eoque fieri non potest*, etc. quæ lectio multum Thomasio arridebat. At Buneman habet. *Æque fieri non potest*, et in hanc vocem notam sequentem exhibet.—Frequenter ita Lactantius voce *æque* utitur, quod hinc inde libri, substituto *eoque*, corruperunt. Sic l. III, c. 17: *Sapientis est male facere... Æque stulti est bene facere.* Ibid., c. 27: *Qui religionem non suscipiunt*, terreni *sunt, quia... est; et qui animam putant... interire*, æque *in* terram *spectant, quia*, etc. BUN.

Non et in religione fallantur. Ex cunctis mss. et editis quamplurimis restitui particulam negantem, quæ abest a nonnullis editis. In 6 excusis est, *non etiam.*

Servaret in cæteris. Hæc lectio est quamplurimorum

Digitized by Google

vel maximum pietatis exemplum. Apud Maronem rex ille,

Quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major et armis,

quæ nobis documenta justitiæ protulit?

Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæso sparsurus sanguine flammas.

Quid potest esse hac pietate clementius, quam mortuis humanas victimas immolare, et ignem cruore hominum tanquam oleo pascere? sed fortasse hoc non ipsius vitium fuerit, sed poetæ, qui

. Insignem pietate virum

insigni scelere fœdaverit. Ubi est igitur, o poeta, pietas illa quam sæpissime laudas? Ecce pius Æneas

Sulmone creatos
Quattuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Cur ergo dicebat eodem ipso tempore quo vinctos homines ad immolationem mittebat,

Equidem et vivis concedere vellem;

cum quos vivos habebat in potestate, vice pecudum juberet occidi? Sed hæc, ut dixi, culpa non illius fuit, qui litteras fortasse non didicerat, sed tua, qui cum esses eruditus, ignorasti tamen quid esset pietas, et illud ipsum, quod nefarie, quod detestabiliter fecit, pietatis esse officium credidisti. Videlicet ob hoc unum pius vocatur, quia patrem dilexit. Quid quod: Bonus Æneas haud aspernanda precantes trucidavit; adjuratus enim per eumdem patrem, et per

Spes surgentis Iuli,

nequaquam pepercit,

Furiis accensus et ira.

Quisquamne igitur hunc putet aliquid in se virtutis habuisse, qui et furore tamquam stipulo exarserit, et manium patris, per quem rogabatur, oblitus, iram frænare nequiverit? Nullo igitur modo pius, qui non tantum non repugnantes, sed etiam precantes interemit.

Dicet hic aliquis: Quæ ergo, aut ubi, aut qualis est pietas? Nimirum apud eos, qui bella nesciunt, qui concordiam cum omnibus servant, qui amici sunt etiam inimicis, qui omnes homines pro fratribus diligunt; qui cohibere iram sciunt, omnemque animi furorem tranquilla moderatione lenire. Quanta igitur caligo, quanta tenebrarum et errorum nubes hominum pectora obduxit; qui cum se maxime pios putant, tum maxime fiunt impii! Quanto enim religiosus terrenis istis simulacris inserviunt, tanto magis scelerati adversus nomen veræ divinitatis existunt. Itaque pro merito impietatis suæ gravioribus malis sæpe vexantur, quorum causam quia nesciunt, fortunæ culpa omnis adscribitur: et locum invenit Epicuri philosophia, nihil ad deos pertinere censentis; nec gratia eos tangi, nec ira moveri, quia et contemptores eorum sæpe videant beatos, et cultores sæpe miseros. Quod eo fit; quia cum religiosi videantur, et natura boni,

VARIORUM NOTÆ.

mss. et 7 editorum. Regio-Put. et 7 alii rec. et 5 edit. *servat et*; ms. Jun. *servant*.

Rex ille. Æneas scilicet, Virgil. I Æneid. 544.

Vinxerat. Virgil. XI, v. 81.

Umbris. Umbræ sunt animæ defunctorum.

Inferias. Inferiæ sunt sacra mortuorum XXX et XL. et anniversario die, cum aspersione super tumulum. Vid. Virg. lib. V.

Cæso sanguine. Pro *cæsorum sanguine*; ut idem Æneid. lib. X, v. 520, *Captivo sanguine*, pro *sanguine captivorum*.

Sparsurus. Ex omnibus ferme mss. et 15 excusis; melius quam *sparsuros*, ut est in 1 rec. Reg., Jun., 1 Colbert. et 6 vet. edit. In 3 scriptis rec. *sparsuras*, mendose.

Clementius. Ironice. Ita mss. 1 Reg. antiquissimus, 2 Bonon., 4 al. Reg., 4 Colbert., 3 Lips., Bold. Cotton. Marm., 1 Clarom. edit. vet. Rom. 1474, et al. 7. Et recte. Vide supra *clementer*, et *inclementer*, et infra quæ sequuntur. Ms. Jun. cum Francio *inclementius*; Regio-Put. et 13 rec. scripti ac 10 edit. *dementius*. Hanc lectionem ultimam minus apte defendit Gallæus; nec enim advertebat hic esse ironiam Lactantii in Gentiles. Vide not. ad c. 36, *de Mortibus Persecutorum*. *Quid potest esse hac pietate clementius.*— Mss. Jun. *inclementius*, unde 10; *Columbus* ad c. 31, libri de Mort. Pers. veram lectionem esse colligit: *Quid esse potest hac pietate* inclementius? Quid dementius, *quam mortis.., pascere*, ut hoc velit: *Nihil inclementius, adeoque nihil Ænea, qui pium se jactavit, indignius* (nam et clementia pietas dicta, ut prius est ostensum) *quam cædere et exurere crudeliter innoxios homines; nihil inconvenientius duci perito et prudenti, quam credere mortuos pasci cruore humano*. Heumannus in addendis credit, Columbum ingeniose ac feliciter ita emendasse. Bun.

Qui insignem pietate virum insigne scelare fœdaverit. Virgil. I Æneid. Hæc lectio est ex mss. Regio-Put., 5 al. Reg., 6 Colb. Cant., 2. Clarom. et 6 edit. nisi quod 4 scripti totidemque impressi legunt *fœdavit*; cæteri *fœdaverit*; 2 Reg. et 7 vulgati, *qui illum insignem*.

Ecce pius Æneas. Sic restitui ex mss. et excusis, præter 1 Bonon. antiq. et 3 edit., in quibus est, *Tum pius Æneas*; minus apte ad Lactantii mentem.

Sulmone. Hæc ex Æneid. lib, X, v. 517. *Sulmone*, quod in antiquo Latio oppidum fuit, ait Plinius.

Quattuor hic juvenes... quos immolet umbris. Tertullianus: *Olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos vel servos in exequiis immolabant*.

Eodem ipso tempore. *Idem ipse*, passim apud Lactantium.

Equidem. Virgil. Æneid. lib. XI, vers. 111.

Bonus. Per ironiam, ex Virg., l. II.

Adjuratus enim per eumdem patrem. Æneidos, lib. X, v. 524:

Per patrios manes et spes surgentis Iuli
Te precor hanc animam serves. Cell.

Et per spes surgentis Iuli. Ex Virgil. *Æneid.*, X, v. 524. Vocem *per* restitui ex 3 mss. Reg. quorum duo sunt antiquissimi. In 10 rec. et 6 impressis est, *et spem*.

Furiis. Virg., Æneid., l. XII, v. 946.

Et manium patris. Mss. 3 Colb. et 1 Clarom. *manum*; Em. *inanimis*.

Repugnantes. 1 Bonon. antiq. *pugnantes*; Jun. *deprecantes*.

Dicet, etc. Eximia descriptio, qua docetur qui sint, vel esse debeant christiani.

Fiunt. Heum. legit. *sunt*; recte.

Nihil ad deos. De hoc in libro de Ira Dei, c. 4, et supra, l. III, c. 17.

Censentis. Ms. 1 Bonon. antiq. *contestantis*.

Digitized by Google

nihil tale creduntur mereri, quale sæpe patiuntur. Consolantur se tamen accusatione fortunæ ; nec sentiunt quod si esset ulla, cultoribus suis nunquam noceret. Merito igitur hujusmodi pietatem pœna consequitur, et offensa divinitas scelere hominum prave religiosorum gravi eos infortunio mactat ; qui licet sanctis moribus vivant, in summa fide atque innocentia, tamen quia deos colunt, quorum ritus impios ac profanos Deus verus odio habet, a justitia, et a nomine veræ pietatis alieni sunt.

Nec est difficile docere, cur deorum cultores boni et justi esse non possint. Quomodo enim sanguine abstinebunt qui colunt cruentos deos, Martem atque Bellonam ? quomodo aut parentibus parcent, qui expulsorem patris sui Jovem ; aut natis ex se infantibus, qui Saturnum ? quomodo pudicitiam tuebuntur, qui colunt deam nudam et adulteram, et quasi apud deos prostitutam ? Quomodo se a rapinis et fraudibus abstinebunt, qui Mercurii furta noverunt, docentis non fraudis esse decipere, sed astutiæ ? quomodo libidines coercebunt, qui Jovem, Herculem, Liberum, Apollinem, cæterosque venerantur quorum adulteria, et stupra in mares et fœminas, non tantum doctis nota sunt, sed exprimuntur etiam in theatris, atque cantantur, ut sint omnibus notiora ? Possuntne inter hæc justi esse homines, qui, etiamsi natura sint boni, ab ipsis tamen diis erudiantur ad injustitiam ? Ad placandum enim Deum quem colas, iis rebus opus est, quibus illum gaudere ac delectari scias. Sic fit ut vitam colentium Deus pro qualitate nominis sui formet, quoniam religiosissimus est cultus, imitari.

CAPUT XI.

De crudelitate gentilium in christianos.

Is igitur hominibus, qui deorum suorum moribus congruunt, quia gravis est et acerba justitia, eamdem impietatem suam, qua in cæteris rebus utuntur, adversus justos violenter exercent. Nec immerito a prophetis bestiæ nominantur. Præclare itaque Marcus Tullius : « Etenim si nemo est, inquit, quin emori malit, quam converti in aliquam figuram bestiæ, quamvis hominis mentem sit habiturus ; quanto est miserius in hominis figura animo esse efferato ? Mihi quidem tanto videtur, quanto præstabilior est animus corpore. » Aspernantur itaque corpora belluarum, quibus sunt ipsi sæviores ; sibique adeo placent, quod homines nati sunt, quorum nihil, nisi lineamenta et summam figuram gerunt. Nam quis Caucasus, quæ India, quæ Hircania tam immanes, tam sanguinarias unquam bestias aluit ? Quoniam ferarum omnium rabies usque ad ventris satietatem furit, fameque sedata, protinus conquiescit. Illa est vera bestia, cujus una jussione.

Funditur ater ubique cruor...
Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.

Nemo hujus tantæ belluæ immanitatem potest pro merito describere, quæ uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis sævit ; et non tantum artus hominum dissipat ; sed et ossa ipsa comminuit, et in cineres furit, ne quis extet sepulturæ locaso immanitatem tribuunt, propter Promethei fabulam : ego malo propter multitudinem pantherarum, quibus eum Philostr. in vita Apollonii scribit esse refertum. India et Hircania tigride formidabiles sunt. Plin., l. VIII, c. 18. De elephante, tigride et formica Indiæ, lege Arrianum, l. VIII, qui est de rebus Indicis. Taceo Heliodorum in sua Theagenis et Charicleæ fabula. BETUL.

VARIORUM NOTÆ.

Infortunio mactat. Ita et apud Plautum Amphytr., act. IV, scen. 2, et Curcul., act. IV, scen. 3 ; Terent. Phorm., V, 8, 39. Ita supra *honore mactare*, pro *honore cumulare*.

Summa fide. Hic tantum agitur de fide civili quæ, apud Ciceronem de Officiis, fundamentum est justitiæ.

Martem, etc. Contra vanitates istas satis dictum est libris I et II.

Saturnum. Ed. Sublac. habet *qui colunt Saturnum*.

Prostitutam. Lips. 2, 3, Reimm., *destitutam*. At plures mss. editi vero omnes, *prostitutam*. Ipse de eadem Venere, l. I, c. 17 : *Quid loquar obscœnitatem Veneris omnium libidinibus prostitutæ?* Conf., l. III, c. 22 : *Non adulteræ... sed prostitutæ*. BUN.

Exprimuntur. Em. *Exponuntur.*—*Exprimuntur.* Ita, excepto Emman., omnes scripti et editi, et recte. Proprium in hac re verbum. Epit., c. 63 : *Histrionum etiam impudici gestus... libidines quas saltando* exprimunt, *docent.* Non obscure exprimit Cyprianum, l. II, ep. 2, ed. Erasm. f. 33, *exprimunt impudicam* Venerem, adulterum Martem, etc.

Erudiantur ad injustitiam. Sic res poscit, et omnes fere mss. et editi. Nonnulli scripti et vulgati, *ad justitiam*, sed male.

Religiosissimus est cultus, imitari. Augustinus : *Summa religionis est imitari eum quem colas.* Seneca, ep. XCV : *Satis deos coluit, quisquis illum imitatus est.*

Iis igitur hominibus, etc. 3 Reg., 2 Colb., Bodl., Cotton., 1 Clarom., *ii igitur homines... quia gravem habent acerbamque justitiam.*

Bestiæ nominantur. Vide Ezechielis, c. XXXIV, 5, 8, 25, 28 ; Sophoniæ, c. II, 14 et 15 ; Exodi, c. XXVI, 6 et 22. Sic etiam Danielis, VII capite, per quatuor animalia, quatuor regna tyrannica describuntur.

Præclare itaque Marcus Tullius. Hic locus non extat, ait *Betuleius*, sed similem habes, lib. III, Offic., c. 3.

Emori. Apud Ciceronem, *mori*.

Figuram bestiæ. De simili, sed fabulosa hominum in bestias transformatione, vide Plinium, lib. VIII, cap. 22.

Animo esse efferato. Ms. Mertoniensis, *animum esse efferatum*.

Sæviores. Edit. 1476, *Brutiores*.

Quis Caucasus, etc. Respicit ad illud Didonis, Æn., IV, v. 365 :

Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Illa est vera bestia. Quantum conjecturis locus est dandus, intelligit Diocletianum, cujus edicta et persecutio describuntur ab Eusebio in Ecclesiastica hist., l. VIII, et de Nicomedica præsertim truculentia, c. 5 et 6 ejusdem libri, et de Mortib. persecut.

Jussione. Sic et infra *satellites impiæ jussionis*. Quæ vox non est admodum latina.

Funditur, etc. Virgilius Æneid., l. IV, v. 646, et l. II, v. 368.

In cineres furit. Ex hoc loco illustratur liber de Mort. pers., c. 21, extr. qui facit, ut de Galerio non minus explicem, quam de Diocletiano, ad quem Betuleius retulerat. Conf. Euseb. Hist. eccles., l. VIII,

Digitized by Google

cus; quasi vero id affectent, qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulcra veniatur, ac non ut ipsi ad Deum perveniant.

Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est, lucem vivis, terram mortuis denegasse? Dico igitur nihil esse miserius iis hominibus, quos ministros furoris alieni, quos satellites impiæ jussionis necessitas aut invenit, aut fecit. Non enim honor ille, aut provectio dignitatis fuit, sed hominis damnatio ad carnificinam, Dei vero ad pœnam sempiternam. Quæ autem per totum orbem singuli gesserint, enarrare impossibile est. Quis enim voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis? Accepta enim potestate, pro suis moribus quisque sæviit. Alii præ nimia timiditate plus ausi sunt, quam jubebatur: alii suo proprio adversus justos odio; quidam naturali mentis feritate; nonnulli ut placerent, et hoc officio viam sibi ad altiora munirent. Aliqui ad occidendum præcipites extiterunt, sicut unus in Phrygia, qui universum populum cum ipso pariter conventiculo concremavit. Sed hic quanto sævior, tanto clementior invenitur. Illud vero pessimum genus est, cui clementiæ species falsa blanditur: ille gravior, ille sævior est carnifex, qui neminem statuit occidere. Itaque dici non potest, hujusmodi judices quanta et quam gravia tormentorum genera excogitaverint, ut ad effectum propositi sui pervenirent.

Hæc autem non tantum ideo faciunt, ut gloriari possint, nullum se innocentium peremisse (nam et ipse audivi aliquos gloriantes, quod administratio sua in hac parte fuerit incruenta), sed et invidiæ causa; ne aut ipsi vincantur, aut illi virtutis suæ gloriam consequantur. Itaque in excogitandis pœnarum generibus, nihil aliud quam victoriam cogitant. Sciunt enim certamen esse illud, et pugnam. Vidi ego in Bythynia præsidem gaudio mirabiliter elatum, tamquam barbarorum gentem aliquam subegisset; quod unus, qui per biennium magna virtute restiterat, postremo cedere visus esset. Contendunt igitur ut vincant, et exquisitos dolores corporibus immittunt, et nihil aliud devitant, quam ut ne torti moriantur. Quasi vero mors tantummodo beatos faciat, ac non etiam tormenta, quæ quanto fuerint graviora, tanto majorem virtutis gloriam pariant. Illi autem pertinaci stultitia jubent, curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, et reparetur novus sanguis ad pœnam. Quid tam pium, tam beneficum, tam humanum fieri potest? non curassent tam sollicite, quos amarent. Hæc est deorum disciplina. Ad hæc opera cultores suos erudiunt; hæc sacra desiderant. Quin etiam sceleratissimi homicidæ contra pios jura impia condiderunt. Nam et constitutiones sacrilegæ, et dis-

VARIORUM NOTÆ.

c. 5 et 6. Ita sub Juliano narratur in Ammian. Marcellin., l. XXII, c. 11: *Iisdem... subdito igne crematis, cineres projecit* (multitudo) *in mare, id metuens, ut clamabat, ne collectis supremis, ædes illis exstruerentur, ut reliquis, qui deviare a religione compulsi pertulere cruciabiles pœnas, adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, et nunc martyres appellantur.* Bun.

Sepulturæ locus. Intelligit haud dubie Dorotheum, Petrum et Gorgonium, qui cum aulici essent, eorum tamen corpora misere excarnificata, terræ mandata sunt, mox jussu tyranni effossa et in mare projecta: de quibus Eusebius.

Terram mortuis. Vide S. Augustinum, de Civit. Dei, l. I, c. 12.

Provectio. Requiro adhuc majorem hujus vocis apud veteres auctoritatem: a Kresbio de Stylo Lact., et a Walchio in Diatribe non est notata. *Provehere ad dignitatem* est Plinii in Epistolis. Bun.

Genera crudelitatis. Hæc vide in Actis martyrum, quæ collegit vir æque doctissimus ac piissimus, Theodoricus Ruynart e congregatione S. Mauri Benedictinus.

Quisque sæviit. Sic ex mss. antiquissimis 1 Bon., Cauc., Betul., 2 Colb. et ed. Cellar. Suavius fluit, quam *sævivit* 3 Regiorum, Marm. totidemque editorum. Scripti 12 rec. habent *sævit*; 5 rec., *quique sæviunt.*

Præ nimia timiditate. Ita mss. 8 Reg. inter quos sunt duo antiquissimi, Cauc., 5 Colb. aliique, cum editis 13, quod est ministris et servis convenientius, ne minus fecisse, quam jussi erant, viderentur. Scripti 5, *timiditate.* Nemo enim crudelior quam timidus homo, cum viribus superiorem se putat. Idem fere est, l. de Mortib. Persecut., c. 11: *Quidam proprio adversus christianos odio tollendos esse censuerunt, et qui aliter sentiebant, intellecta imperatoris voluntate, vel timentes, vel gratificari volentes, in eamdem sententiam congruerunt.*

Quam jubebatur. Duo rec. manu exarati codices, *jubeatur*; 7 rec. et totidem editi, *jubebantur*; 3 rec., *videbantur*, mendose.

Aliqui. Hanc vocem delet Heum.

In Phrygia. Historiam vide apud Eusebium, Hist. eccl., l. VIII, c. 11.

Cum ipso pariter conventiculo. Historia extat apud Euseb. Cæterum prisci christiani non habebant templa, sed conventicula, ædes, etc. abhorrebant enim a templi nomine, quo utebantur gentiles.

Tanto clementior. Mss. 11 rec. cum edit. Rom. 1468, *dementior*, male. Cæteri, inter quos sunt antiquissimi, habent *clementior.* Brevitatem enim supplicii, combustionis scilicet, clementiam vocat respectu lentæ et protractioris necis.

In excogitandis pœnarum generibus. Cyprianus contra Demetrianum: *Admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia, nec feritas ac immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis:* excogitat novas pœnas *ingeniosa crudelitas.* Conf. Lact., l. VI, c. 17; epit., c. 54; Senec., l. 1; Clem., c. 25 (Sævitia): *Nova supplicia conquirit, ingenium advocat, instrumenta excogitat, per quæ varietur atque extendatur dolor*, etc. Bun.

Victoriam cogitant. Ita cum edit. vet. Rom. omnes mss. præter 1 Reg. rec., in quo, sicut et in cæteris editis, est *excogitant.*

Visus esset. Codices 5 rec. manu exarati et 9 typis excusi, *visus est.*

Nihil aliud devitant. Sic mss. 2 antiquissimi, 1 Reg. et Cauc., 2 alii Reg. multique alii et 8 editi. Scripti 14 rec. et 5 excusi, *aliud evitant;* 1 Bonon. et 1 Reg. antiquiss. *aliud vitant.*

Torti moriantur. In ipso supplicio.

Tormenta quanto fuerint. Ita restituo ex Lips. secundo, Reimm., Rost., Ven. 1471, 72, utraque 78, 93, 97, Parrh., Paris., Junt., Ald., Crat., Gymn., Tornes., Betul., Fasit., Gryph., pro recentiorum Thomasii, Isæi, Thys., Gall., Spark., Cell., Walch.: *Tormenta, quæ quanto... pariant.* Si voluissent post *tormenta* subaudire *beatos faciant*, debuissent *pariunt* edere, non *pariant.* Bun.

Constitutiones. Quæ scilicet ab Eusebio recitantur,

Digitized by Google

putationes jurisperitorum leguntur injustæ. Domitius, de officio proconsulis libro septimo, rescripta principum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis afficiri oporteret eos qui se cultores Dei confiterentur.

CAPUT XII.

De vera virtute ; atque de existimatione boni aut mali civis.

Quid iis facias, qui jus vocant carnificinas veterum tyrannorum adversus innocentes rabide sævientium? Et cum sint injustitiæ crudelitatisque doctores, justos se esse tamen ac prudentes videri volunt, cæci et hebetes, et rerum et veritatis ignari. Adeone vobis, o perditæ mentes, invisa justitia est, ut eam summis sceleribus adæquetis ? Adeone apud vos perit innocentia, ut ne morte quidem simplici dignam judicetis ? Sed supra omnia facinora habeatur, nullum facinus admittere, pectusque purum ab omni sceleris contagione præstare. Et quoniam communiter cum deorum cultoribus loquimur, liceat per vos benefacere vobiscum. Hæc est enim lex nostra, hoc opus, hæc religio. Si vobis sapientes videmur, imitamini : si stulti, contemnite, aut etiam ridete, si libet ; nobis enim stultitia nostra prodest. Quid laceratis ? quid affligitis? non invidemus sapientiæ vestræ. Hanc stultitiam malumus : hanc amplectimur. Hoc nobis credimus expedire, ut vos diligamus, et in vos ipsos, qui odistis, omnia conferamus.

Est apud Ciceronem non abhorrens a vero locus, in ea disputatione, quæ habetur a Furio contra justitiam. « Quæro, inquit, si duo sint, quorum alter optimus vir, æquissimus, summa justitia, singulari fide ; alter insignis scelere et audacia : et si in eo sit error civitas, ut bonum illum virum, sceleratum, facinorosum, nefarium putet, contra autem, qui sit improbissimus, existimet esse summa probitate, ac fide ; proque hac opinione omnium civium, bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur, exterminetur, egeat postremo, jure etiam optimo omnibus miserrimus esse videatur : contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur ; omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes denique copiæ conferantur ; vir denique optimus omnium existimatione, et dignissimus omni fortuna judicetur : quis tandem erit tam demens, qui dubitet utrum se esse malit. » Profecto quasi divinaret, quæ nobis mala, et quomodo eventura essent propter justitiam, hoc posuit exemplum. Hæc enim populus noster patitur omnia, errantium pravitate. Ecce in eo est errore civitas, vel potius orbis ipse totus, ut bonos et justos viros, tamquam malos et impios, persequatur, excruciet, damnet, occidat. Nam quod ait, neminem esse tam dementem, qui dubitet utrum se esse malit ; ille quidem, ut is qui contra justitiam disserebat, hoc sensit, malle sapientem malum esse cum bona existimatione, quam bonum cum mala.

A nobis autem absit hæc amentia, ut falsum vero anteponamus. An boni nostri qualitas ex populi potius pendebit erroribus, quam ex conscientia nostra, et judicio Dei ? Aut aliqua nos illiciet umquam felicitas, ut non potius veram bonitatem cum omni malo, quam falsam cum omni prosperitate malimus ? Sua sibi habeant regna reges, suas divitias divites (ut lo-

VARIORUM NOTÆ.

Domitius. Ulpianus scilicet, Adriani imperatoris Scriniorum magister, secundo vixit sæculo, atque Tyrius erat. Hujus de principum rescriptis erant olim libri decem : sed quorum nihil hodie superest, nisi fragmenta, in titul. *de Officio proconsulis.*

Libro septimo. Ita mss. 1 Bon. antiq., 1 Reg. antiq. et alii 23 cum excusis 12. Et hanc lectionem probant Cujacius libro x Observat., c. 34, et Thomasius in notis. In editis quinque est *libris septem ;* in Regio-Put., Cauc., 1 Clarom., l. VII quod bifariam legi potest.

Rescripta principum nefaria. Ex omnibus mss. et editis ferme reposui vocem *principum*, quæ nonnullis vulgatis deest. In 1 Reg. antiquissimo legitur *scripta principum nefaria.* In quibusdam editis deest *principum.*

Quid iis facias. Ita passim Lactantius.

Prudentes. Pungit hic Lactant. jureconsultos, qui olim *prudentes* vocabantur. — *Justos se esse tamen... videri volunt.* Goth. *esse* non habet. Rost., Ven., utraque 1478, 1515, Paris., Crat., Gymn., *justos esse se tamen.* Reimm. et reliqui, *justos se esse...* volunt. De hoc archaismo Conf. not. ad l. v, c. 20, et ad l. de Mort. Persec., c. 14. Bun.

Scelcris contagione. Mss. 2 Reg. et 5 Oxon., *cogitatione.*

Communiter cum... loquimur. Mihi non incommode videtur hic valere *in genere, in universum ;* non cum his illisve tantum : ita maneret antiqua elegantia. Ita auctor Epithalamii Maximiano et Constantino dicti, c. 3, *Communiter dicere*, et c. 13, *separatim loqui* opponit. Bun.

Liceat per vos benefacere vobiscum. Ita cum 2 antiquissimis Reg. multisque aliis manuscriptis editi duodecim. Scripti 5 rec. et vulgati 4, *per vos benefacere nobiscum*, mss. 5 et edd. Rom. 1470, *per nos benefacere vobiscum;* quinque manu exarati et edit. Basil. 1532, *per nos benefacere nobiscum.*

Nobis enim stultitia nostra prodest. Mss. 6 Reg., 2 Colbert., Brun., *vobis*, etc. Utraque lectio habet sensum suum. Prior lectio nobis melior videtur. Vid. seq.

Qui odistis. Cum Francio libenter legerem, *qui nos odistis.*

Quæ habetur a Furio contra justitiam. Vide S. Augustinum, l. II de Civit. Dei, c. 21. Locus ille ex Cicerone, lib. III de Republica depromptus est. Hic Lactantius eximie refellit paradoxon L. Furii Philonis oratoris, qui optabat magis sapiens et probus videri, cum foret malus, quam malus existimari, cum foret bonus. Cæterum personas, quæ in libris de Republica loquebantur, recenset Cic., l. IV Epist. ad Atticum, ep. XV.

Alter insignis scelere et audacia. Ita cum 3 vet. edit. Rom. et Cellar. Mss. novem : quod melius respondet præcedentibus, quam *insigni scelere*, 13 manuscriptorum et 16 impressorum.

Existimet. Sic omnes prope mss. inter quos sunt antiquissimi, et vet. edit. ac Cellar. et Walch. Ms. Lips. *existimat ;* 1 Reg. rec. et Brun., *æstimet ;* 1 Reg. rec. et sex edit., *existimetur.*

Omnibus miserrimus esse videatur. 2 Colb. et Em., *omnium.*

Eventura essent. 1 Reg. rec. et 13 editi, *ventura.*

Sua sibi habeant regna reges, suas divitias divites, etc.

Digitized by Google

quitur Plautus), suam vero prudentium prudentes : relinquant nobis stultitiam nostram, quam vel ex hoc apparet esse sapientiam, quod eam nobis invident. Quis enim stulto invideat, nisi qui sit ipse stultissimus? Illi autem non sunt adeo stulti, ut stultis invideant : sed ex eo, quod accurate, quod sollicite persequuntur, stultos non esse concedunt. Cur enim tam crudeliter sæviant, nisi quia metuunt, ne in dies invalescente justitia, cum diis suis cariosis relinquantur? Si ergo cultores deorum sapientes sunt, et nos stulti, quid metuant, ne sapientes illiciantur a stultis?

CAPUT XIII.

De Christianorum incrementis et suppliciis.

Cum autem noster numerus semper de deorum cultoribus augeatur, nunquam vero, ne in ipsa quidem persecutione minuatur (quoniam peccare homines, et inquinari sacrificio possunt, averti autem non possunt a Deo; valet enim vi sua veritas); quis est tandem tam excors tamque cæcus, qui non videat in utra sit parte sapientia? Sed illi malitia et furore cæcantur, ne videant; stultosque arbitrantur esse, qui cum habeant in sua potestate supplicia vitare, cruciari tamen et emori malunt; cum possint ex eo ipso pervidere non esse stultitiam, in quam tanta hominum millia per orbem totum una et pari mente consentiant. Si enim fœminæ sexus infirmitate labuntur (nam interdum isti muliebrem aut anilem superstitionem vocant), viri certe sapiunt. Si pueri, si adolescentes improvidi sunt per ætatem, maturi certe ac senes habent stabile judicium. Si una civitas desipit, cæteræ utique innumerabiles stultæ esse non possunt. Si una provincia, una natio prudentia caret, cæteras omnes habere intelligentiam recti necesse est. Cum vero ab ortu solis usque ad occasum lex divina suscepta sit, et omnis sexus, omnis ætas et gens, et regio unis ac paribus animis Deo serviant, eadem sit ubique patientia, idem contemptus mortis; intelligere

VARIORUM NOTÆ.

Plautus in Curculione, act. I, scen. III, v. 22. Sic et Paulinus episcopus Nolanus, epist. I, novæ editionis J. B. le Brun (alias 6), n. 7 : *Fruantur interim voluptatibus, dignitatibus, opibus suis; nobis inopiam nostram, ut putant, et stultitiam nostram relinquant.*

Persequuntur. Ita mss. 10 Reg., 4 Colbert. aliique quamplurimi. At mss. Bonon., Tax., 1 Colb., 2 Clarom. et edit. Fasit., *prosequuntur.*

Cum diis suis cariosis. Id est, qui carie et putredine dilabuntur. Sic Arnobius, l. VI, ait *signa deorum carie relaxari.* Hanc lectionem ut meliorem elegi, quam habent cum edit. Ald. 1535 Ms. 1 Reg. 900 annor. aliique recentior. In duobus item aliis utriusque ætatis desideratur illa vox. Nostram lectionem approbant Isæus et Francius; eique favent edit. Gymnic., Tornes., Soubron., Betul., Fasit., 2 Paris. in quibus est *curiosis*, 2 Colb., Marm., Cant., *variosis.* Accedunt 2 Reg. rec., 1 Colb., Em., 1 Clarom., qui legunt *narinosis*; 2 Bonon., 2 Reg., 2 Colb. et excusi 4 habent *narinosis;* Jun. *narosis*, 1 Sorbon. *narinosos*; sic dictos, ut volunt, quod naribus odores imbibant; 2 Reg., Tornes., 5 Oxon. ed. Rom. 1470, *varicosis.* Ultr. *nanosis*, 1 Colb. et 1 Brun. *vanosis*; 1 Reg., Vict., Gatian., Nav., alter Brun. *ventosis*; 1 Colb. *viciosis.* Editio Coloniensis anni 1544 legit ex mss. : *Cum diis suis (quos narinosos appellant, quod odoribus thuris colantur) narinosis relinquantur.* Hæc interpretatio, in textum irrepsit. Ad marginem legitur *varicosis* et *curiosis :* rectius leges *diis cariosis*, id est, qui a vermibus et tineis, vel corroduntur, vel corrosi sunt : ita apud Columellam *terra cariosa.* Caries enim est infestatio vermium. — Mirum in modum hic locus in libris variatur. Jo. Clerici ex Art. Crit., part. III, sect. I, c. 8, n. 9; conjecturam *araneosis* receperat Cellarius. Certe Tertullianus in Apologetico, c. 12, dixit, christianos laudem mereri, si *statuas et imagines frigidas mortuorum suorum simillimas non adorent, quas milvi, mures, et* araneæ *intelligant.* Arnob., lib. VI, p. 202 : *Non* (id est, nonne videtis) *in ore simulacri ab araneis ordiri retia atque insidiosos casses?* etc. Minuc., c. 24 : *Araneæ faciem ejus* (idoli) *intexunt, et de ipso capite sua fila suspendunt.* Nihilominus cum Isæo, Gall., Spark., Heumanno prætuli *cariosis;* nam non tantum *ligno*, quod Cellarius hic putavit, sed et aliis tribuitur *caries.* Hinc Phædr., l. V, fab. X, v. 5, de cane scripsit, *cariosis dentibus.* Immo Arnobius, l. VI, p. 202 : (deorum) *signa... putredinis modo* CARIE *relaxare;* et hoc amplius Prudentius, lib. I, contra Symmach., v. 433-434 : *Non patiar ut* cariosorum *venereris monstra* deorum. Sed *sagax*, ut inquit Plautus, *nasum* habeat necesse est, qui veram hic scripturam odorari voluerit. BUN.

Quid metuant. Mss. 10 recent. et 9 impressi, *quid metuunt.*

De deorum cultoribus augeatur. Deest *de* in 9 editis. Istud caput est conferendum cum Apologetico Tertulliani sub finem. Præpositionem *de* habent sex veteres editiones decimi quinti sæculi.

Nunquam vero, etc. Fides christiana persecutione non modo non extinguitur, sed magis etiam magisque propagatur. Nam omnino sic divinitus comparatum est, ut ager ille Evangelicus piorum et innocentum cruore tanto magis pinguescat quanto largius funditur. Justus siquidem ut palma florebit. Vide Tertull. sub finem Apologet.

Tandem tam excors. Sic lego cum mss. 2 vetustissimis Reg. et 7 aliis. In 5 recent. pro *tandem*, legitur *tamen;* in 1 Bonon. antiq., 2 Lips., edit. Romana 1474, et aliis vulgatis, *tam demens :* quod quis non videt ex *tandem* factum esse? A 4 Reg. recent., 4 Colbert. et 8 veterib. editis utrumque abest. In uno Colbert. est *vecors.* — *Quis est tandem excors, tamque cæcus.* Forte plenius ita legendum : *Quis est tandem tam demens, tam excors tamque cæcus?* Cap. 12, infra, *quis* tandem *erit* tam demens? BUNEMAN.

Quum habeant in potestate, suppl.cia..... vitare. Reimm. et editi omnes : *quum habeant in sua potestate supplicia vitare.* Negare tamen non possum Lactantium in hac phrasi non solere pronomen addere. Cap. 10 : *Quos vivos habebat in potestate;* cap. 18 : *Non habet in potestate, ut.* Conf. de Ira, c. 21. Minucius tamen, c. 37 : *Quum dimitti haberent in sua potestate*, addito pronomine; et Seneca, ep. 9 : *In sua potestate habet, quam cito reparet.* Ut utrumque sit rectum. BUNEMAN.

Desipit. Ita restitui ex mss. pene omnibus ac 7 veteribus editis, quod postulat verbum *caret* infra positum. Mss. 5 totidemque excusi habent *desipuerit.*

Utique innumerabiles. Mss. Reg. Put., *cæteræ quoque;* Francius, *ut quæ.*

Prudentia caret. Ita quamplurimi mss. inter quos sunt tres antiquissimi 1 Reg., 1 Bonon., Cauc. In Regio-Put. aliisque 7 et in impressis legitur *providentia.*

Unis ac paribus animis. Sic restitui ex 6 veteribus editis, et omnibus mss. præter 1 Reg. recent., 1 Colb. a prima manu, et 12 editis, quibus est *unitis.* Sed et supra Lactantius legit, *una et pari mente. Unis* autem in plurali numero est vox Ciceroniana : *unas*, inquit

Digitized by Google

debuerant aliquid in ea re esse rationis, quod non sine causa usque ad mortem defendatur; aliquid fundamenti ac soliditatis, quod eam religionem non tantum injuriis ac vexatione non solvat, sed augeat semper, et faciat firmiorem. Nam et in hoc quoque malitia illorum convincitur, qui evertisse se funditus religionem Dei opinantur, si homines inquinaverint; cum et Deo satisfacere liceat, et nullus sit tam malus Dei cultor, quin data facultate, ad placandum Deum revertatur; et quidem devotione majori. Peccati enim conscientia et metus pœnæ religiosiorem facit; et semper multo firmior est fides quam reponit pœnitentia.

Si ergo ipsi, cum deos sibi arbitrantur iratos, tamen donis, et sacrificiis, et odoribus placari eos credunt : quid est tandem, cur Deum nostrum tam immitem, tam implacabilem putent, ut videatur is jam christianus esse non posse, qui diis eorum coactus invitusque libaverit? nisi forte contaminatos semel putant animum translaturos, ut sua sponte jam facere incipiant quod per tormenta fecerunt. Quis id officium libens obeat, quod ab injuria cœpit? Quis cum videat laterum suorum cicatrices, non magis oderit deos, propter quos æterna pœnarum insignia, et impressas visceribus suis notas gestet? Ita fit ut, data divinitus pace, et qui fuerint aversi, redeant, et alius propter miraculum virtutis novus populus accedat. Nam cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimant, id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare. Latrones et robusti corporis viri ejusmodi lacerationes perferre nequeunt : exclamant, et gemitus edunt; vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem (ut de viris taceam) pueri, et mulierculæ, tortores suos taciti vincunt; et exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant Romani, et Mutio glorientur, aut Regulo : quorum alter necandum

VARIORUM NOTÆ.

in pluribus epistolis, *a te accepi litteras*. Item apud Arnobium, lib. VII adversus Gentes, *cum deorum sint sententiæ dispares substantiæque non unæ*. Hæc ad grammaticos.

Quin data facultate, ad placandum Deum revertatur. Sic restitui ex omnibus prope mss. et 5 vet. excusis. In 1 Reg. rec. et 9 editis rec. *qui... non*. Mss. Cauc. et 1 Lips., *ad placidum Deum*.

Devotione majori. Fit aliquando ut lapsi, qui ad saniorem vitam revertuntur *majori devotione*, quam antea Deum diligant; non vero majori semper devotione, quam ii qui nusquam lapsi sunt. Nec igitur pœnitentium fides firmior est quam fides eorum qui eam religiose servaverunt. In hanc ergo Lactantii opinionem recte animadvertet theologus quisque catholicus.

Multo firmior... Catholice contra Donatistas, pœnitentiam lapsis denegantes.

Quid est tandem, cur. Ita scribo cum mss. 2 Bonon. septemque aliis ac edit. Rom. 1474, et Cellar. Mss. 7 Reg., inter quos sunt duo antiquissimi, et 1 Colb. habent, *tamen cur;* inepte, cum mox *tamen* præcesserit. 3 Colbert., 1 Clarom. et 14 impressi, *quid est tandem quod*. — Lib. I, c. 17 : *Erat plane, cur*. Ibid., c. 18 : *Est vero, cur*. Conf. lib. II, cap. 6; l. III, cap. 17; Heins. ad Ovid., Metam. II, v. 518 : *Est vero, cur*. Propius vero nostro loco, l. II, c. 8 : *Quid est, cur;* l. VI, c. 11 : *Quid causæ est, cur;* ibid., c. 9 : *Quid tandem habet, cur*. Denique plane ut hic de Opif., c. 1 : *Quid est tandem, cur nobis invidiosum putet*. Buneman.

Libaverit. Mss. 2 Reg., 1 Clarom., Bun., *libarit*. Francius, *forte* LITAVERIT.

Nisi forte contaminatos semel putant animum translaturos. Legitur vero apud Buneman. : *Nisi forte contaminatos semel animos ita putant posse transferri;* et ille in hanc lectionem notam sequentem exhibet. — Ita scribo ex Lips. 2, 3, Reimm., ubi Torn. 1587, 1613 et Gen. 1630, quam Walch. expressit : *Nisi si forte contaminatos semel animos ita putant posse transferri;* altera 1478 : *Nisi forte contaminatos semel* putent *animos translaturos*. At Rost., Ven. 1493, 97, Parrh., Paris., Junt., Fasit., Gryph., Thomas., Isæus, Thys., Gall., Spark., Cantab., Cell. : *contaminatos semel* putant animum *translaturos*. At rectius in plurali Ald. Crat., Gymn., Torn. 1548, et Betuleius : *Contaminatos semel putant* animos *translaturos*. Ita noster, lib. IV, cap. 10 : Judæi *ad profanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt*. Ipsa phrasis, *transferre animum*, est elegans. Cicero, l. III Fam., ep. 13 fin. : *Me... ab angoribus abducam, transferamque animum ad ea*. Buneman.

Obeat. Scripti 6 et edit. 5, *subeat;* Cauc., *abeat*.

Æterna pœnarum insignia. Ita omnes edd. et mss. præter Goth., 3 Lips. et 3 ed. in quibus est *externa*. Versio Gallica, *les enseignes perpétuelles*. *Æterna*, id est, *perpetua*.

Pace. Id est, restituta tranquillitate Ecclesiæ, ut c. 21 : *Quandiu pax est in populo Dei*. Conf. de Mort. persec., c. 1, c. 3, c. 52. Buneman.

Et qui fuerint aversi, redeant. Sic emendavi ex mss. 1 Colbert., 2 Brun. et edit. Tornes., Soubron. et Betul. Recte, ut opinor : siquidem Lactantius supra dixit, *averti a Deo;* et infra, cap. 20, *si animus sacrificantis aversus est*. Cæteri mss. et impressi legunt *universi*.

Novus populus. Cyprian. Exhort. Mart. XI : *Quod si tantus ostenditur et probatur Christianorum martyrum populus, nemo difficile vel arduum putet esse martyrem fieri, quando videt* martyrum populum *non posse numerari*. Buneman.

Quam videat vulgus. Tertull., l. I ad Nationes, c. 1 et ad Scapulam extr. : *Nec tamen deficiet hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, quum cædi videtur; quisque enim tantam tolerantiam spectans, ut aliquo scrupulo percussus et inquirere accenditur*, quid sit in causa, *et ubi cognoverit veritatem, et ipse statim sequitur*. Huc pertinent ex Lact. lib. V, cap. 22. Buneman.

Variis tormentorum generibus. Vide l. de Mort. Pers., c. 18. Ea describunt Sagittarius et Gallonius de Cruciatibus martyrum; et sparsim Kortholt. in aureo libro de Persecutionibus Ecclesiæ primævæ. Buneman.

Posse. Mss. 1 Bon. addit *sponte sua*.

Inspirata patientia. Mss. 8 rec. *inspiratio patientiæ;* 1 Clarom. *desperatio patientiæ*, corrupte, 1 Colb. *inspiratio sapientiæ*, mendose, pro *patientiæ*. Legitur quoque apud Arnobium, lib. VII.

Et mulierculæ. Hæc et sequentia desumpta sunt ex Minucio Felice. Vide Clementem Alexandrin. Stromat. lib. IV. Vide Arnob., lib. VII et Acta vera et sincera martyrum.

Eant Romani, etc. Male tamen hic interpretatur Lactantius duo patientiæ ac fortitudinis Romanæ exempla. Regulus ad Carthaginenses etiam cum tormentorum ac vitæ periculo rediit, ut fidem datam servaret, maluitque patientia cruciatus superare, quam sibi mortem consciscere. Mutius vero non minorem testatus est patientiam ac fortitudinem in supplicio

Digitized by Google

se hostibus tradidit, quod captivum puduit vivere; alter ab hostibus deprehensus, cum videret se mortem vitare non posse, manum foco injecit, ut pro facinore suo satisfaceret hosti, quem voluit occidere, eaque pœna veniam, quam non meruerat, accepit. Ecce sexus infirmus, et fragilis ætas dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, quia licet vitare, si vellent, sed voluntate, quia confidunt Deo.

CAPUT XIV.

De Christianorum fortitudine.

Sed hæc est vera virtus, quam philosophi quoque gloriabundi, non re, sed verbis inanibus jactant, disserentes nihil esse tam congruens viri sapientis gravitati atque constantiæ, quam nullis tortoribus de sententia et proposito posse depelli; sed tanti esse cruciari et mori, ne fidem prodat, ne ab officio discedat, ne metu mortis aut dolore acerbo subactus, aliquid faciat injustum. Nisi forte delirare illis videtur Flaccus in Lyricis, cum dicit :

> Justum, et tenacem propositi virum,
> Non civium ardor prava jubentium,
> Non vultus instantis tyranni
> Mente quatit solida.

Quo nihil verius dici potest, si hoc ad eos referatur, qui nullos cruciatus, nullam mortem recusant, ne a fide justitiaque declinent; qui non tyrannicas jussiones, non præsidum gladios tremunt, quominus veram et solidam libertatem constanti mente defendant; quæ in hoc solo tuenda sapientia est. Quis enim tam insolens, tam elatus est, qui me vetet oculos in cœlum tollere? Quis imponat mihi necessitatem, vel colendi quod nolim, vel quod velim non colendi? Quid jam nobis ulterius relinquetur, si etiam hoc, quod voluntate fieri oportet, libido extorquet aliena? nemo istud efficiet, si quid nobis ad contemnendam mortem doloremque virtutis est. Quam constantiam si tenemus, cur stulti judicamur, facientes ea quæ philosophi laudant? Recte igitur Seneca incongruentiam hominibus objectans, ait : Summa virtus illis videtur magnus animus. Et iidem eum, qui contemnit mortem, pro furioso habent, quod est utique summæ perversitatis. Sed ii vanarum religionum cultores eadem stultitia id objiciunt, qua verum Deum non intelligunt; quos Sibylla Erithræa κωφοὺς καὶ ἀνοήτους vocat, surdos scilicet, et excordes, qui nec audiant divina, nec sentiant : sed terram digitis suis imaginatam metuant, et adorent.

VARIORUM NOTÆ.

libens suscipiendo, ob Porsennam a se per errorem non trucidatum. De his vide S. August. de Civit. Dei, lib. I, cap. 15 et 24, et lib. IV, cap. 20.—*Eant Romani... glorientur.* Imitatur Cypr., l. II, ep. 4, ed. Erasm., ed. Oxon. ep. 37, p. 73 : *Eant nunc magistratus, et consules sive proconsules annuæ dignitatis insignibus et duodecim fascibus glorientur : Ecce.* Buneman.

Accepit. Heumann. legit *acciperet.*— *Accepit.* Clare et hic sequitur Minucium, c. 37 seqq. : *Vos ipsi calamitosos viros fertis ad cœlum, Mutium Scævolam, qui quum errasset in regem, periisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset.* Buneman.

Sexus infirmus. Hæc est lectio mss. antiquorum et 9 editorum. Scripti rec. 10 et excusi 6 pro *infirmus*, habent *fœmineus*, quod mihi glossema sapere videtur.— *Sexus infirmus.* Sic Cyprianus, epist. 4, ed. Oxon. f. 8 : *Nec pati* virgines *cum masculis habitare... quando et* sexus infirmus, *et ætas adhuc lubrica per omnia... regi debeat.* Buneman.

Urique. Edit. Aldi *utique :* at male; ignis enim adhibebatur in cruciatibus, ut videre est supra.— *Urique.* Etiam hic Minucium exprimit, c. 37 : *Et quot ex nostris non dexteram solum, sed totum corpus* uri, cremari *sine ullis ejulatibus pertulerunt, quum dimitti præsertim haberent in sua potestate?* Conf. Lact. de Mort. pers., cap. 16, cap. 21, cap. 22, epist. cap. 66. Buneman.

Deo. Mss. 12 et edd. 8, *in Deo.*

Sed. Addidi ex Editt. Coloniensi anni 1544 et Betulcii 1563.

Philosophi quoque gloriabundi. Tertull. Apolog., c. 50 : *Multi apud vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur,* ut Cicero *in Tusculanis,* ut Seneca *in Fortuitis,* ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus : *Nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo.* Bun.

Nullis tortoribus. Ita correxi ex 7 mss. Reg. antiquioribus et Em. Alii ferunt *terroribus.* Vide supra, *nostri autem (ut de viris taceam) pueri, et mulierculæ tortores suos taciti vincunt;* et Epitom., cap. 54, *si superatis tortoribus animum pro fide ac religione ponamus.* Scripti 14 et 8 impressi, *de sententia et proposito;* 5 rec. manu exarati et 8 vulgati, *de sententiæ proposito.*

Et mori. Mss. 5 et ed. 4, *et emori.* — Bon., Tax., Pen., Lips. alter., Reimm., Rost., Ven. utraque 78, 1515, Paris, Crat., Gymn., Isæus, *cruciari et mori.* Pal., Jun., Goth., Lips. 1, 3 Fasit., Gryph., Torn., Thomas., *cruciari et emori.* Vid., cap. 13, not. Bun.

Subactus. Em. *coactus.*

Flaccus. Horat. l. III carm., Od. 3.

Præsidum. Qui provincias regebant.

Solo. 1 Colbert. *Seculo.*

Vel colendi, quod nolim... colendi. Sequitur Tertull. Apolog., c. 23 : *Videte, ne et hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, et interdicere optionem divinitatis, ut non liceat mihi colere, quem velim, sed cogar colere quem nolim.* Conf. Lact. Epit., c. 53 et c. 54 : *Nec imponi cuiquam necessitas potest, ut colat, quod non vult.* Bun.

Relinquetur. Mss. Regio-Put., 1 Colbert. et Brun., *relinquatur;* 1 Reg. rec. *relinquitur.*

Extorquet. Ms. 1. Reg. antiquiss. et edit. Ald. 1515, Graph., Crat., *extorqueat.*

Seneca. Hic locus est inter fragmenta, quæ sunt initio operum Senecæ. Scilicet in *Fortuitis.* Sic legitur apud Tertullianum in epilogo Apologetici : *Multi apud vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus.*

Virtus. 1 Brun. *justitia.*

Summæ perversitatis. 1 Reg. *summum perversitatis;* 1 Bonon. antiq. *Summæ pravitatis.*

Sibylla. Vide Serm. 8, et apud Theophil. ad Autolyc., lib II.

Terram digitis suis imaginatam. Id est, in imaginem figuratam, atque formatam digitis suis. Sic S. Remigius in suo testamento apud Brisson. formul., lib. VIII : *Tibi hæredi meæ ecclesiæ supra memoratæ jubeo thuribulum et imaginatum calicem fabricari.* Isæus.—Lactantius verbum *imaginor* passive posuit quod activum semper est. — Elegantius dixit de Ira, c. 20. *Adorant opera humanis digitis laborata... de terra ficta et formata venerantur.* Bun.

Digitized by Google

CAPUT XV.

De stultitia, sapientia, pietate, æquitate et justitia.

Quæ vero causa sit, ut eos qui sapientes sunt, stultos putent, magna ratio est (nec enim frustra falluntur). Quæ nobis diligenter est expficanda, ut errores suos tandem (si fieri possit) agnoscant. Justitia suapte natura speciem quamdam stultitiæ habet, quod ego et divinis, et humanis testimoniis confirmare possum. Sed nihil fortasse apud istos agamus, nisi eos de suis doceamus auctoribus, non posse quemquam justum esse, quod est conjunctum cum vera sapientia, nisi idem stultus esse videatur. Carneades, Academicæ sectæ philosophus, cujus in disserendo quæ vis fuerit, quæ eloquentia, quod acumen, qui nescit, ipsum ex prædicatione Ciceronis intelliget, aut Lucilii, apud quem disserens Neptunus de re difficillima, ostendit non posse id explicari, nec si Carneadem ipsum Orcus remittat. Is, cum legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, disputavit de justitia copiose, audiente Galba, et Catone censorio, maximis tunc oratoribus. Sed idem disputationem suam postridie contraria disputatione subvertit; et justitiam, quam pridie laudaverat, sustulit, non quidem philosophi A gravitate, cujus firma et stabilis debet esse sententia, sed quasi oratorio exercitii genere in utramque partem disserendi. Quod ille facere solebat, ut alios quidlibet afferentes posset refutare. Eam disputationem, qua justitia evertitur, apud Ciceronem L. Furius recordatur: credo, quoniam de republica disserebat, ut defensionem laudationemque ejus induceret, sine qua putabat regi non posse rempublicam. Carneades autem, ut Aristotelem refelleret ac Platonem justitiæ patronos, prima illa disputatione collegit ea omnia, quæ pro justitia dicebantur, ut posset illa, sicut fecit, evertere. Erat enim facillimum justitiam radices non habentem labefactare, quia tum nulla in terra fuit, ut quid esset, aut qualis, a philosophis cerneretur.

Atque utinam tot ac tales viri, quantum eloquentiæ B quantumque animi, tantum etiam scientiæ ad implendam defensionem summæ virtutis habuissent, cujus origo in religione, ratio in æquitate est! Sed ii, qui primam illam partem nescierunt, ne secundam quidem tenere potuerunt. Volo autem prius circumscripte, ac breviter, quid sit ostendere, ut intelligatur philosophos ignorasse justitiam, nec id, quod minime noverant, potuisse defendere. Justitia quamvis omnes simul virtutes amplectatur, tamen duæ sunt

VARIORUM NOTÆ.

Quæ... causa sit... putent? Magna ratio est. Posui interrogandi signum post *putent*, ut quasi respondeat: *Magna ratio est, quæ nobis*, etc. Bun.

Possit. Scripti 11 rec. et edit. 5, *potest.*

Agamus. Mss. 9 rec. et editi, *agemus.*

Ipsum ex prædicatione Ciceronis intelliget. Mss. 2 Bonon., Tax., Pen., ferunt, *is ipsum;* Cantabr. et edd. 15, *is*, neglecto *ipsum;* 2 Reg. rec. et edd. II vet. Rom. neutrum habent. Hæc Ciceronis erant in tertio de Republica libro. — Heum. legit, *intelligat.*

Nec si Carneadem, etc. Antonomasia proverbialis, pro, hic si ab inferis resurgat. Hujus eloquentia celebratur a pluribus. De cujus studio et industria lege in primis Valer. Max. Fuit is novæ Academiæ princeps, ut ait Lucianus. Betuleius.

Is, cum legatus, etc. De hac legatione sic scriptum est apud Macrob., libro I, cap. 5, Saturn.: *Illos dico, quos Athenienses quondam ad senatum legavere, impetratum uti multam remitteret, quam civitati eorum fecerat, propter Oropi vastationem: ea multa fuerat talentum fere quingentum. Erant isti philosophi Carneades ex Academia, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus: quos ferunt, seorsum quemque ostentandi gratia per celeberrima urbis loca magno hominum conventu dissertasse. Fuit (ut relatum est) facundia Carneades violenta et rapida: scita et tereti Critolaus: modesta Diogenes, et sobria. Sed in senatum introducti, interprete usi sunt Cæcilio senatore.* Locus hic ex Gellii Noctibus Atticis desumptus est, lib. VII, cap. 14, ubi Auctor de tribus phraseos generibus verba facit. Atque hæc dixit de causa legationis, cujus meminit Gell. sub finem, lib. XVII.

Galba, et Catone Censorio. Mss. 19 recentiores et 6 edit. habent *Censoribus.* At *Censorio* recte admodum præferunt mss. 6 Reg. ex quibus duo sunt antiquissimi. 1 Sorbon., 2 Colb., Marm., 1 Lips., 1 Clarom. ac tredecim vulgati. Neque enim Galba, sed L. Val. Flaccus cum Catone censura functus est, ut ex Livio et Plutarcho omnes noverunt, qui in Historicorum monumentis versati sunt. Neque hoc ad Censores quidquam. Sed hi duo, ut oratores illius ætatis celeberrimi (quod ex Ciceronis Bruto intelligitur) eloquentissimorum virorum facundiam audivisse, significantur. Betuleius. — *Catone Censorio.* Rem conficit huc pertinens locus Quintil., l. XII Instit., c. 1, p. 1053: *Neque Carneades ille, qui Romæ audiente* Censorio Ca- C tone *non minoribus viribus contra justitiam dicitur disseruisse, quam pridie pro justitia dixerat, injustus ipse vir fuit.* Bun.

Sed idem, etc. Quintil., lib. V, c. 1: *Neque enim Academici, cum in utramque disserunt partem, non secundum alteram vivunt; neque Carneades ille, qui Romæ, audiente Censorio Catone, non minoribus viribus contra justitiam dicitur disseruisse, quam pridie pro justitia dixerat, injustus ipse vir fuit*, etc. Plutarchus multis scribit, quam ægre ipsos oratores in Civitate declamitantes tulerit. Plin., lib. VII, cap. 30, II ipsum paucissimis perstringit. *Cato*, inquit, *Censorius in illa nobili trium sapientiæ procerum ab Athenis legatione, audito Carneade, quam primum legatos eos censuit dimittendos; quoniam illo viro argumentante quid veri esset, haud facile discerni posset*, etc.

Cujus firma et stabilis debet esse sententia. Mss. 11 rec. et 2 edit. habent, *cujus prudentia firma*, etc. Scripti 10 rec. *prudentiæ.* Hanc vocem rejiciunt antiquiores mss. et 15 vulgati.

D *Quidlibet afferentes* Ita restitui ex mss. veterrimis 1 Bonon., 2 Reg. et Pen. In Regio-Pat. *quidquid libet afferentes.* Mss. Cauc., 12 alii rec. et 2 edit. *quidlibet asserentes.* Scripti rec. 4 et 2, *quodlibet asserentes.* Scripti 1 Reg. et 1 Colb. *quidlibet disserentes.*

Justitia evertitur. Scripti 11 recentiores et 5 edit. *subvertitur.*

Labefactare. Mss. 3 Reg., 1 Sorbon., 1 Colb., 2 Clarom. *labefactari.* Scripti 11 rec. addunt, *ut diceret anhelantem laborare;* 2, *labore;* 9 edit. *ut diceret maniter laborari.*

Cerneretur. Mss. Tornes. et 1 Colb. a secunda manu, edit. Rom. 1470, et Crat. in marg. *diceretur.*

Ne secundam. Mss. 12 rec. *nec.*

Justitia quamvis, etc. Proverbium est, quod Aristoteles sæpe, præsertim tamen in lib. V Moralium citat cap. 1, atque hanc justitiam generalem intelligit, quæ specialem una cum aliis honesti partibus in generalitatis suæ sinum complectitur.

Digitized by Google

omnium principales, quæ ab illa divelli separarique non possunt, pietas et æquitas. Nam fides, temperantia, probitas, innocentia, integritas, et cætera hujusmodi, vel natura, vel institutis parentum, possunt esse in iis hominibus qui justitiam nesciunt, sicuti semper fuerunt. Nam Romani veteres, qui justitia gloriari solebant, iis utique virtutibus gloriabantur, quæ (ut dixi) proficisci a justitia possunt, et ab ipso fonte secerni. Pietas vero et æquitas, quasi venæ sunt ejus; his enim duobus fontibus constat tota justitia. Sed caput ejus et origo in illo primo est, in secundo vis omnis ac ratio. Pietas autem nihil aliud est quam Dei notio; sicut Trismegistus verissime definivit, ut alio loco diximus. Si ergo pietas est cognoscere Deum, cujus cognitionis hæc summa est, ut eum colas, ignorat utique justitiam, qui religionem Dei non tenet. Quomodo enim potest eam ipsam nosse, qui unde oriatur ignorat? Plato quidem multa de uno Deo locutus est, a quo ait constitutum esse mundum: sed nihil de religione; somniaverat enim Deum, non cognoverat. Quod si justitiæ defensionem vel ipse, vel quilibet alius implere voluisset, in primis religiones deorum evertere debuit, quia contrariæ sunt pietati. Quod quidem Socrates quia facere tentavit, in carcerem conjectus est; ut jam tunc appareret quid esset futurum iis hominibus, qui justitiam veram defendere, Deoque singulari servire cœpissent.

Altera est justitiæ pars æquitas: æquitatem dico non utique bene judicandi, quod et ipsum laudabile est in homine justo; sed se cum cæteris coæquandi, quam Cicero æquabilitatem vocat. Deus enim, qui homines generat, et inspirat, omnes æquos, id est pares esse voluit. Eamdem conditionem vivendi omnibus posuit, omnes ad sapientiam genuit, omnibus immortalitatem spopondit: nemo a beneficiis ejus cœlestibus segregatur. Nam sicut omnibus unicum suum lumen æqualiter dividit, emittit omnibus fontes, victum subministrat, quietem somni dulcissimam tribuit: sic omnibus æquitatem virtutemque largitur. Nemo apud eum servus est, nemo dominus. Si enim cunctis idem pater est, æquo jure omnes liberi sumus. Nemo Deo pauper est, nisi qui justitia indiget; nemo dives, nisi qui virtutibus plenus est; nemo denique egregius, nisi qui bonus et innocens fuerit; nemo clarissimus, nisi qui opera misericordiæ largiter fecerit; nemo perfectissimus, nisi qui omnes gradus virtutis impleverit. Quare neque Romani, neque Græci justitiam tenere potuerunt, quia dispares multis gradibus homines habuerunt, a pauperibus ad divites, ab humilibus ad potentes, a privatis denique usque ad regum sublimissimas potestates. Ubi enim non sunt universi pares, æquitas non est; et excludit inæqualitas ipsa justitiam, cujus vis omnis in eo est, ut pares faciat eos, qui ad hujus vitæ conditionem pari sorte venerunt.

VARIORUM NOTÆ.

Vel natura. Apud Plutarchum disputatio est, utrum virtus doceri possit.

Esse in iis hominibus. Mss. 4 Reg. recentissimi, 4 Colb., 1 Clarom., *esse in iisdem hominibus*; 6 edit. vet. *inesse iisdem hominibus*, cum 1 Reg. rec.

Pietas autem, etc. Supra, cap. 16, lib. II. Aliter autem philosophi et oratores pietatem definiunt. Nam Cic. in Rhet. *Pietas*, inquit, *est per quam sanguine conjunctis, patriæque et benevolis officium et diligens tribuitur cultus.* Confundit igitur speciem cum specie; nam cultum deorum, *religionem* appellat. Divisio ergo illa Ciceronis negligenda prorsus est, ut quæ hanc disputationem non modo nihil juvat, sed etiam vehementer remoratur. Idem Cic., de Nat. deor., pietatem definit, justitiam esse adversus deos, sanctitatem vero scientiam colendorum deorum.

Trismegistus. In Pimand., cap. 9.

Alio loco. Vide lib. II, cap. 16, et lib. III, cap. 9.

Potest eam ipsam nosse. Vox *ipsam* abest a 2 Reg. et 7 editis. In 1 Clarom. est *noscere*.

Qui. Ita emendo ex mss. 1 Bo[illegible] antiq., 6 Colb., 1 Clar., edit. Rom. 1470, Paris. [illegible]25, aliisque 11. In cæteris *quæ*, male.

Plato. In Timæo, sub initium.

Socrates. Nota Socratem negantem plures deos esse.

Quid esset futurum iis hominibus. Sic restitui ex cunctis prope mss. et 15 editis. In 2 Colb. est *his omnibus*; in nonnullis impressis legitur *in hominibus*.

Defendere. 1 Colb. et Brun. *defenderent.* Utraque lectio bona.

Singulari. Id est, *unico*, verbo Lactantio familiari.

Altera est justitiæ pars æquitas. Sic mss. 2 Reg. antiquissimi, 3 al. Reg., 1 Colbert., Marm., Scripti, 16 rec. et impressi addunt *igitur*.

Quam Cicero æquabilitatem vocat. Ita antiquiores et potiores mss. ac edit. 12. In scriptis 16 rec. et 5 vulgatis legitur *æqualitatem*. Utraque lectio bona, estque apud Ciceronem. Vide Ciceronem, lib. II de Oratore et lib. I de Officiis, cap. 32. Sic etiam Cicero, lib. II de Officiis, cap. 25. *In Juris æquabilitate exercenda etiam est facilitas.*

Omnes æquos, etc. Politian. ex Plat. non dubitavit asserere: *Non esse quemquam regum, qui non sit e servis ortus; nec servum cui non sit origo regis, omnia enim ista tempus miscuit.* Audiatur vetus sapiens Boeth. Metro VI:

> Omne hominum genus in terris
> Simili surgit ab ortu,
> Unus enim rerum pater est,
> Unus cuncta ministrat, etc.

Adstipulatur Euripid. in Alexand. JOH. WEITSIUS.

Nemo a beneficiis... segregatur. Lib. I, c. 5; lib. IV, c. 23; lib. VII, c. 18. In his et sequentibus mutatis verbis sequitur Cyprianum de Eleemos. ed. Oxon. f. 208: *Nec quisquam* a beneficiis *ejus et muneribus* arcetur, *quominus omne humanum genus bonitate ac largitate divina* æqualiter *perfruatur. Sic* æqualiter *dies luminat, sol radiat, imber rigat, ventus adspirat; et dormientibus somnus unus est, et stellarum splendor ac lunæ communis est. Quo æqualitatis* (lego ex Bodl., lib. I, c. 2, *æquitatis*) *exemplo Dei patris imitator est.* BUN.

Servus est. Jus civile quoddam est civitati christianæ constitutum æquabile, quo omnes in utantur, qui Deo nomen dederunt: quæ quidem Juris communicatio multis locis a B. Paulo memoratur, ad Corinth. Epistola priori, cap. XII, et Epist. ad Ephesios, cap. IV.

Clarissimus... perfectissimus. His epithetis Lactantius amat alludere ad titulos, quibus pro ratione dignitatis multi cohonestati sunt. Nam præfectus urbi *vir gloriosissimus dicebatur*; præfecti prætorio per Illyricum, *viri eminentissimi*; *vir spectabilis* præfectus Ægypti; *viri clarissimi* rectores provinciarum; *vir perfectissimus* præses Galliæ. Qua de re vide Cangii *glossarium* his verbis, *Perfectissimus; Clarissimus; Egregiatus.* Vide Not. ad caput 21, libri de Mortibus persecutorum; et Pancir. in Notit. Dignitatum, c. 2 et seqq.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De officiis viri justi, et æquitate Christianorum.

Duobus igitur illis justitiæ fontibus immutatis, omnis virtus, et omnis veritas tollitur, et ipsa justitia remigrat in cœlum. Ideo non est illud verum bonum a philosophis repertum, quia ignorabant vel unde oriretur, vel quid efficeret; quod nullis aliis, præterquam nostro populo revelatum est. Dicet aliquis: Nonne sunt apud vos alii pauperes, alii divites; alii servi, alii domini? Nonne aliquid inter singulos interest? nihil; nec alia causa est, cur nobis invicem fratrum nomen impertiamus, nisi quia pares esse nos credimus. Nam cum omnia humana non corpore, sed spiritu metiamur, tametsi corporum sit diversa conditio, nobis tamen servi non sunt; sed eos et habemus, et dicimus spiritu fratres, religione conservos. Divitiæ quoque non faciunt insignes, nisi quod possunt bonis operibus facere clariores. Divites sunt enim, non quia divitias habent, sed quia utuntur illis

VARIORUM NOTÆ.

Nonne sunt apud vos alii pauperes, alii divites, etc. Hic infra observamus ex Salmasio, ex appellatione fraternitatis mutua inter primos christianos, illos vixisse etiam tanquam fratres, in commune conferentes quod habebant, præter uxores, ut notat Tertull. Hoc vero non ita accipiendum esse, quasi omnia omnium bona communia inter illos fuerint, ut fuisse certum est Apostolorum tempore in ecclesia Hierosolymitana, ex hoc Lactantii loco manifestum est, et ex ipso Tertull. loco laudato Apol. eadem pagina: *Etiam si quod arcæ genus est*, inquit, *non de honoraria summa quasi redemptæ religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo velit, et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt.* Si quantum quisque vellet, conferebat, idque singulis mensibus, non universorum bonorum fiebat collatio, sed stipis tantum modicæ. Genus ἐράνου plane hoc fuit, in singulis christianorum ecclesiis per singulos menses colligi soliti. Ad quem usum dispensaretur, statim subjicit, ad egenos nempe alendos, et humandos. *Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus.* Justinus Martyr in 2 Apologia ejusdem collatitiæ stipis, sive ἐράνου a christianis fieri soliti meminit, nisi quod nihil habet de menstrua die. Quomodo igitur, si hoc genere tantum collationis usi, indiscreta omnia apud ipsos dicere potuit idem Tertullianus? An non hæc inter se pugnant? Nam generalis collatio universorum bonorum pauperes divitibus exæquat; et præstat, ut in eo cœtu, in quo singuli omne, quod habent, conferunt, nemo dives sit aut pauper, sed omnes invicem æquales. Atqui vel ex Tertulliano liquet alios tum fuisse pauperes in Ecclesia, alios divites. Nam ad alendos pauperes, conferebant divites. Quæ æqualitas nescio an unquam in Ecclesia christiana obtinuerit, ne ætate quidem Apostolorum. Hujusmodi enim collectas etiam sub Apostolis ex eorum præscripto frequentatas constat ex Paulo Epist. I ad Corinth., cap. XVI. Quomodo faciendas instituerit, ibidem legere est. Ab eo tempore collectarum ille mos, de quo S. Justinus et Tertullianus, in Ecclesiis servatus est. At quid opus hujusmodi collectis, si bonorum a singulis facta universorum collatio? In ecclesia Hierosolymitana illa communio locum tantum videtur habuisse, ut Lucas refert in Actis, cap. IV. Quod et ipsum tamen liberum cuique fuit facere, et non facere, ut Petrus capite sequenti ad Ananiam dixit, qui pretii partem ex divenditis bonis subtraxerat, et reliquum ad Apostolorum pedes abjecerat. Sed quomodo conciliabitur quod auctores scribunt de communicatione rei familiaris inter Christianos fieri consueta, si communio illa abfuit, quam plerique fuisse imaginantur? Certe et Justinus, qui collectæ illius meminit, qua quisque arbitratu suo in arcam communem conferebat, in eadem Apologia tradit, hoc christianorum disciplinæ fuisse proprium, ut in commune conferrent quæ haberent. Ostendit quæ differentia fuerit ea in re Gentilis et Christiani. *Olim*, inquit, *cum Gentiles eramus, quæstum lucrumque ante omnia sectari soliti, nunc quæ habemus in commune conferentes, omni indigenti ea communicamus.* Toto certe cœlo deerrarunt, qui sibi persuasere ex illis testimoniis, veteres christianos omnia revera bona inter se habuisse communia, quibus pro indiviso in medium collatis unusquisque frueretur. Ut æqualitas dignitatum inter ipsos non in ipsis personis fuit, sed in animo, quo se major parem minori ferebat, et dominus servum non aliter tractabat, quam si frater esset, ita et communio bonorum apud eos non in re ipsa fuisse dignoscitur, sed in voluntate sola communicandi, quam et effectus sequebatur, si usus veniret. SALMASIUS.

Fratrum nomen impertiamus. Clemens Strom. II: *Ideo nos fratres, quod eodem verbo regenerati.* Euseb. Emiss. Homil. IV: *Fratres, sorores, non natura, sed officio et affectione; quos enim diligimus, his nominibus vocare solemus.* WOUWER. — Noluit Deus, ut jam ante notavimus, ullum reperiri egentem in populo suo, sed omnes tanquam fratres inter se vivere, ut erant ab uno parente omnes. Hæc fratrum appellatio inter christianos etiam aliquandiu viguit, nec solum tantisper dum intra Hierosolymitanam civitatem sub apostolis Ecclesia Christi stetit, sed etiam aliis, in quibus propagata est locis, præsertim quamdiu fuit persecutionibus vexata. Nec fratres modo invicem se appellabant, *quod unius Dei parentis homines, quod consortes ejusdem fidei, et spei cohæredes*, ut ait Minucius, sed etiam quia fraterno inter se more viverent, ut solent fratres, qui pro indiviso paternis bonis una fruuntur. In commune quod quisque habebat, conferebant, convivia communia agitabant, dilectionis nomine vocitata; nihil indiscretum denique habebant, præter uxores, ut ait Tertullianus in Apologetico, cap. 39, qui hanc etiam fraterni nominis inter christianos communicati causam affert. *At quanto*, inquit, *dignius fratres et dicuntur, et habentur, qui unum patrem Deum agnoverint, qui unum spiritum biberint sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverint veritatis. Sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, præter uxores.*

Corporum. Heumannus legendum esse putat *servorum.*

Nisi quod possunt, etc. Mss. Cauc., Jun. ac 3 Reg. rec. et 14 impressi, *nisi quos.* Utraque lectio bona. Sed ea quæ est in textu genuina nobis visa est ex mss. 2 Bonon., 5 Reg. vet., 6 Colbert. multisque aliis et edit. Is. petita, et præcedentibus et sequentibus confirmata. Vide supra, *nisi quia pares esse nos credimus*; et infra, *quia et non egent.*

Non quia divitias habent, sed quia utuntur illis. Ita mss. 8 Reg, 5 Colbert. Brun. aliique, cum nonnullis editis. Bene. Vide infra *quia et non egent.* Mss. Cauc. Jun., 2 Reg. rec. 1 Colb. et 8 vulgati, *non qui divitias habent, sed qui*; non inepte tamen.

Digitized by Google

ad opera justitiæ. Et qui pauperes videntur, eo tamen divites sunt, quia et non egent, et nihil concupiscunt.

Cum igitur et liberi servis, et divites pauperibus humilitate animi pares simus, apud Deum tamen virtute discernimur. Et tanto quisque sublimior est, quanto justior. Si enim justitia est, parem se etiam minoribus facere, quanquam hoc ipso præcellat, quod se inferioribus coæquavit; tamen si non tantum quasi parem, sed etiam quasi minorem se gesserit, utique multo altiorem dignitatis gradum, Deo judice, consequetur. Nam profecto in hac vita sæculari, quoniam brevia et caduca sunt omnia, et præferunt se alteris homines, et de dignitate contendunt: quo nihil fœdius, nihil arrogantius, nihil a sapientis ratione semotius. Rebus enim cœlestibus contraria sunt ista universa terrena. Sicut enim sapientia hominum summa stultitia est apud Deum, stultitia autem (ut docui) summa sapientia est: sic Deo humilis et abjectus est, qui fuerit conspicuus et sublimis in terra. Nam ut taceam, quod hæc præsentia terræ bona, quibus magnus honos tribuitur, virtuti contraria sunt, et vigorem mentis enervant; quæ tandem potest firma esse nobilitas, quæ opes, quæ potentia, cum possit Deus reges quoque ipsos inferiores etiam infimis facere? Et ideo consulens nobis Deus, inter divina præcepta illud præcipue posuit: *Qui se extollit, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.* Cujus præcepti salubritas docet, quod qui se apud homines planum fecerit, humilemque præbuerit, hic apud Deum præcellens et insignis habeatur. Nec enim falsa est illa sententia, quæ apud Euripidem fertur in hunc modum: Quæ hic mala putantur, hæc sunt in cœlo bona.

CAPUT XVII.

De Christianorum æquitate, sapientia et stultitia.

Exposui causam cur philosophi nec invenire justitiam, nec defendere potuerunt. Nunc redeo ad id quod intenderam. Carneades ergo, quoniam erant infirma quæ a philosophis afferebantur, sumpsit audaciam refellendi, quia refelli posse intellexit. Ejus disputationis summa hæc fuit: « Jura sibi homines pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus; et apud eosdem pro temporibus sæpe mutata: jus autem naturale esse nullum: Omnes et homines, et alias animantes ad utilitates suas natura ducente ferri; proinde aut nullam esse justitiam, aut si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret alienis commodis consulens. » Et inferebat hæc argumenta: « Omnibus populis qui florerent imperio, et Romanis quoque ipsis, qui totius orbis potirentur, si justi velint esse, hoc est, si aliena restituant, ad casas esse redeundum, et in egestate ac miseriis jacendum. » Tum omissis communibus ad propria veniebat. « Bonus vir, inquit, si habeat servum fugitivum, vel domum insalubrem ac pestilentem, quæ vitia solus sciat, et ideo proscribat ut vendat, utrumne profitebitur fugitivum servum ac pestilentem domum se vendere, an celabit emptorem? Si profitebitur, bo-

VARIORUM NOTÆ.

Et qui pauperes videntur. Sic restitui ex mss. Reg. Put. et 5 al. Reg., 1 Colb., 2 Clarom. aliisque, et 15 impressis. Scripti 9 et nonnulli vulgati habent *et quia.*

Quia et non egent. Ita mss. 4 Reg. vet. multique alii, cum pluribus editis. Vocem *non* respuunt 11 mss. rec. et 3 vulg.

Sublimior est. Alludere videtur ad illud Ciceronis, qui in libro Officiorum ait, *quemque tanto sublimiorem esse quanto humilius se gesserit.*

In hac vita sæculari. Id est, *temporali*, ut infra cap. 18, et lib. VII, cap. 4 et 11. Hic deesse aliquid videtur; manca est enim oratio.

A Sapientis ratione. Mss. 6, *sapientia.* Ex mss. veterrimis pluribusque aliis expunxi *et*, quod erat in quibusdam editis.

Semotius. Mss. 5, *submotius*; 6, *summotius*; 2, *remotius.* Cæteri et omnes editi, *semotius.* Apud Lucretium, lib. I, vers. 46, *a curis semotus.*

Apud Deum. I Cor. I.

Firma. Mss. Brun., *summa.*

Se extollit. Luc. XIV et XVIII; Mat. XXIII.

Exposui, etc. Hucusque integra Epitome Lactantiana carnimus. Fragmentum illius hoc loco incipiebat. Nunc cura Pfaffii habemus integram fere. Quod propterea moneo, ut studiosus eam cum ipso opere diligenter conferat. Sic enim intelliget eamdem rem sæpius bene dici posse; augebit præterea hac ratione dicendi copiam; et experietur, id quod verum est, ejusdem esse artificis breviter et copiose dicere. Fiet porro ut, detracto eloquentiæ copiosioris ornatu, rem propius contueatur. BETULEIUS.

Quæ a philosophis afferebantur. Ita mss. antiquiores et meliores ac 10 editi. In scriptis 10 rec. et 4 excusis est *asserebantur*; in 3 mss. rec. et 3 vet. edit. Rom., *disserebantur.*

Refellendi. In ms. Jun. hæc sequentia, quæ in impressis non extant, habentur: *Volens aliud esse jus civile, aliud naturale: civile jus dici civilem sapientiam et naturale sine sapientia fieri, ac si utrumque nullum foret.* Quam sententiam in textum admittere non placuit; in nullo enim alio ms. expressa deprehenditur. GALLÆUS. Vide Ciceronem, lib. III de Officiis.

Qui totius orbis potirentur. Sic omnes fere mss. et editi. Et recte; hoc enim verbum etiam gaudet genitivo apud Ciceronem IV Acad., 126, et I Finib., 7; apud Velleium Paterculum, *regni potiri*; apud Cæsarem, *totius Galliæ sese potiri posse sperant*; et *potiri hostium*, apud Plautum. Nonnulli ignorantes addiderunt, *dominio*, ut in mss Jun. et 2 Reg. rec. et 2 vet. edit. Rom., sed admodum frustra, siquidem mox præcessit *imperio.* Romanis ipsis injustitias exprobrant S. Augustinus in libris de Civitate Dei, et Tertullianus, cap. 25 Apologetici.

Et in egestate. Ita restitui ex mss. 1 Bonon. et 1 Reg. antiquissimis, 3 al. Reg., 1 Colbert., 1 Lips., Goth., Brun., edit. Is. et ipsomet Lactantio Epitom. cap. 56: *Quod si omnes populi pence quos sit imperium, ipsique Romani, qui orbem totum possederint, justitiam sequi velint, ac suum cuique restituere quod vi et armis occupaverunt, ad casas et egestatem revertentur.* Mss. Cauc. et 15 rec. habent *in necessitate.* Quatuor illa verba desunt in Regio-Put.

Si profitebitur, bonus quidem, quia. Mss. rec. 5 Colbert., 2 Clarom. et 10 edit. ferunt: *Si profitebitur, emptori fugitivum esse, bonus quidem.* At tria hæc verba, quæ interponunt, a cæteris absunt. Ac ea eradenda esse recte docet Thomasius, quia hæc non ad servum tantum fugitivum respiciunt, verum etiam ad domum pestilentem et similia referenda sunt.

Digitized by Google

nus quidem, quia non fallet: sed tamen stultus judicabitur, quia vel parvo vendet, vel omnino non vendet. Si celaverit, erit quidem sapiens, quia rei consulet: sed idem malus, quia fallet. Rursus, si reperiat aliquem qui aurichalcum se putet vendere, cum sit illud aurum, aut plumbum, cum sit argentum: tacebitne, ut id parvo emat, an indicabit, ut magno? Stultum plane videtur, malle magno.» Unde intelligi volebat, et eum, qui sit justus ac bonus, stultum esse, et eum, qui sapiens, malum. Et tamen sine pernicie fieri posse, ut sint homines paupertate contenti. Transcendebat ergo ad majora, in quibus nemo posset sine periculo vitæ justus esse. Dicebat enim: «Nempe justitia est, hominem non occidere, alienum prorsus non attingere. Quid ergo justus faciet, si forte naufragium fecerit, et aliquis imbecillior viribus tabulam ceperit? Nonne illum tabula deturbabit, ut ipse conscendat, eaque nixus evadat; maxime cum sit nullus medio mari testis? Si sapiens est, faciet; ipsi enim pereundum est, nisi fecerit. Si autem mori maluerit, quam manus inferre alteri, jam justus ille, sed stultus est, qui vitæ suæ non parcat, dum parcit alienæ. Item, si acie suorum fusa, hostes insequi cœperint, et justus ille nactus fuerit aliquem saucium equo insidentem, eine parcet, ut ipse occidatur, an dejiciet ex equo, ut ipse possit hostem effugere? Quod si fecerit sapiens, sed idem malus; si non fecerit, justus, sed idem stultus sit necesse est.» Ita ergo justitiam cum in duas partes divisisset, alteram civilem esse dicens, alteram naturalem, utramque subvertit; quod illa civilis, sapientia sit quidem, sed justitia non sit, naturalis autem illa, justitia sit quidem, sed non sit sapientia. Arguta hæc plane ac venenata sunt, et quæ A Marcus Tullius non potuerit refellere. Nam cum faciat Lælium Furio respondentem, pro justitiaque dicentem, irrefutata hæc tanquam foveam prætergressus est; ut videatur idem Lælius non naturalem, quæ in crimen stultitiæ venerat, sed illam civilem defendisse justitiam, quam Furius sapientiam quidem esse concesserat, sed injustam.

CAPUT XVIII.

De justitia, sapientia et stultitia.

Quod ad præsentem disputationem pertinebat, ostendi quomodo justitia similitudinem stultitiæ gerat; ut appareat non sine causa decipi eos, qui putant, nostræ religionis homines stultos esse, qui talia fa- B cere videantur, qualia ille proposuit. Nunc majus a me exigi sentio; ut ostendam, quare justitiam Deus stultitiæ specie convolutam, ex oculis hominum voluerit auferre, si prius Furio respondero, quia parum plene respondit Lælius: qui profecto licet sapiens fuerit, ut vocabatur, patrocinari tamen veræ justitiæ nullo modo poterat, qui caput ipsum fontemque justitiæ non tenebat. Nobis autem facilior est ista defensio, quibus cœlesti beneficio familiaris est ac penitus nota justitia, quique illam non nomine, sed re, novimus. Nam Plato et Aristoteles honesta quidem voluntate justitiam defendere cupierunt, effecis- sentque aliquid, si conatus eorum bonos, si eloquentiam, si virtutem ingenii, divinarum quoque rerum doctrina juvisset. Itaque opus illorum inane atque C inutile jacuit; nec cuiquam hominum persuadere potuerunt, ut eorum præscripto viveret, quia fundamentum a cœlo disciplina illa non habuit. Nostrum

VARIORUM NOTÆ.

Non fallet. Mss. 11, et edit. Rom. 1468, *non fallit.* Sed *fallet* exposcunt sequentia, *consulet, fallet.*

Rei consulet. Ms. 1 Bonon. antiq. et ed. Is. *sibi consulet.*

Quia fallet. Mss. 5 rec., *quia fallit.*

An indicabit? Mss. Cauc. Jun. et 9 edit. *an id indicabit?*

Transcendebat. Ita mss. antiquiores et potiores maximo numero, cum editis multis. Scripti 10 et typis excusi 5, *transibat.*

Posset. Mss. 1 Bon. et 4 rec. totidemque editi, *potest*; 1 Clarom. *possit.*

Jam justus ille. Hanc lectionem unius ms. Reg. et edit. Ald., Florent., Juntar., Paris. 1525., Crat., Gymnic., Graph., Fasit., Betul., Gall., Spark., Walch., retinui, quantumvis invitis et reclamantibus tum mss. tum impressis codicibus, ubi habetur, *jam non justus ille*, exceptis 1 Reg. rec., 1 Colb. et Brun. qui referunt, *jam non sapiens ille.* Nostra lectio maxime convenit sententiæ Carneadis: adversativa vero omnino repugnat; non enim in hac disputatione injustitia, sed justitia cum stultitia, injustitia vero cum ipsa sapientia conjungebatur: et ita dicebatur, quod ille quidem justus erit, sed stultus; si vero contra fecerit, idem sapiens habebitur, sed erit injustus. Hoc liquet ex alio sequenti exemplo. Isæus. — At Heumannus putat esse legendum, *jam vero justus*, ut in antiquis editis. — *Jam vero justus ille, sed stultus est.* Prætuli istam lectionem, quia altera, *jam non justus ille*, repugnat sententiæ Carneadis, integro Lactantii capiti 17 maxime infra, et verbis Epitomes, cap. 56: *Utrumne.... tabula.... equo deturbabit, ut ipse possit evadere? Si volet justus esse, non faciet; sed idem stultus judicabitur, qui dum alterius vitæ parcit, suam prodit. Si faciet, sapiens quidem... sed... malus.* Bun.

Dum parcit alienæ. Receptam firmant c. 17: Stultitia *est alienæ animæ* parcere, *cum pernicie suæ;* et verba paulo ante ex epit. c. 56 citata. Bun.

Venenata. Heumannus suspicatur Lactantium scripsisse *pene invicta.* Nihil contra libros muto: quia hæc argumenta aculeata, *perniciosa* et *gravia* erant, illa vocat venenata. Sic Ciceronis orationes contra Anto- D nium, lib. III, c. 14 vocavit *venenatas.* Bun.

Non potuerit refellere. Ita omnes manu exarati et impressi, præter 4 mss. rec. et 3 edit., in quibus est *potuit.*

Faciat.... respondentem. Eleganter, ut lib. I, c. 10: *Facit assidentem.* Cic. lib. I de Nat. Deor., cap. 12, *Facit Socratem disputantem.* Conf. lib. I de Natura Deorum, cap. 8. Bun.

Pro justitiaque. Ita alibi Lactantius; et sic lego cum 3 editis omnibusque mss., exceptis 2 Reg. rec. et cunctis fere editis in quibus est, *proque justitia.*

Irrefutata. Pro *non refutata*, est nova vox.

Qui profecto licet sapiens fuerit. Hujus sapientia celebratur a Cicerone libro de Finibus secundo, de Offic. II, et præcipue de Amicitia, quæ Lælii nomine inscribitur. Betul.

Qui. Heuman. legit *quia*, ex editis.

Plato. Cujus libri decem de Republica, de Justitia, inscripti sunt.

Aristoteles. Libro V Moralium.

Digitized by Google

opus certius sit necesse est, quos Deus docuit. Illi enim depingebant verbis, et imaginabantur justitiam, quæ in conspectu non erat; nec præsentibus exemplis confirmare poterant, quæ afferebant. Responderi enim posset ab audientibus, non posse ita vivi, sicut illi sua disputatione præscriberent; adeo ut nulli adhuc extiterint, qui id genus vitæ sequerentur. Nos autem non verbis modo, sed etiam exemplis ex vero petitis, vera esse quæ a nobis dicuntur ostendimus. Sensit igitur Carneades, quæ sit natura justitiæ, nisi quod parum alte perspexit, stultitiam non esse : quanquam intelligere mihi videor, qua mente id fecerit. Non enim vere existimavit eum stultum esse, qui justus est : sed cum sciret non esse, et rationem tamen cur ita videretur, non comprehenderet, voluit ostendere latere in abdito veritatem, ut decretum disciplinæ suæ tueretur : cujus summa sententia est, *Nihil percipi posse.*

Videamus ergo, utrumne justitia fœdus aliquod habere cum stultitia possit. Justus, inquit, si aut equum saucio, aut tabulam naufrago non ademerit, ut ipse animam suam liberet, stultus est. Primum omnium, nego ullo modo fieri posse, ut homini, qui quidem vere justus sit, ejusmodi casus eveniat; quia justus neque cuiquam nato inimicus est, neque quidquam omnino appetit alienum. Cur enim naviget, aut quid petat ex aliena terra, cui sufficit sua? Cur autem belligeret, ac se alienis furoribus misceat, in cujus animo pax cum hominibus perpetua versetur? Scilicet peregrinis mercibus, aut humano sanguine delectabitur, qui nec lucrum sciat appetere, cui sufficit victus; et non modo ipse cædem facere, sed interesse facientibus, ac spectare ducat nefas. Sed omitto ista; quoniam fieri potest, ut vel invitus ad hæc subeunda cogatur. Adeone ergo justitiam, o Furi, vel potius, o Carneade, cujus est illa omnis oratio, tam inanem, tam supervacuam, tamque contemptam Deo putas, ut nihil possit, nihilque habeat in sese, quod ad custodiam sui valeat? Sed videlicet qui sacramentum hominis ignorant, ideoque ad hanc vitam temporalem referunt omnia, quanta sit vis justitiæ, scire non possunt. Nam et cum de virtute disputant, quamvis intelligant ærumnis ac miseriis esse plenissimam, tamen expetendam esse aiunt sua causa; ejus enim præmia, quæ sunt æterna et immortalia, nullo modo vident. Sic rebus omnibus ad hanc præsentem vitam relatis, virtutem plane ad stultitiam redigunt; siquidem tantos hujus vitæ labores frustra et inaniter suscipit. Sed hæc alio loco plenius.

Interim de justitia, ut cœpimus, cujus tanta vis est, ut cum oculos in cœlum sustulerit, a Deo mereatur omnia. Recte igitur Flaccus tantam esse dixit innocentiæ vim, ut ad tutelam sui non egeat nec armis, nec viribus, quacumque iter fecerit;

> Integer vitæ sceleris atque purus,
> Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
> Nec venenatis gravida sagittis,
> Fusce, pharetra :
> Sive per Syrtes iter æstuosas,
> Sive facturus per inhospitalem
> Caucasum, vel quæ loca fabulosus
> Lambit Hydaspes.

Non potest ergo fieri, quin hominem justum inter discrimina tempestatum atque bellorum cœlestis tu-

VARIORUM NOTÆ.

Quos. Ita quamplurimi et antiquissimi mss. et 4 editi. Cæteri cum 9 rec. scriptis, *quod.*

Afferebant. Sic restitui ex mss. 5 veterrimis, 1 Bonon., 2 Reg., 3 al. Reg., 2 Colbert., 2 Clarom. In scriptis 10 et 10 editis legitur *asserebant;* in aliis *disserebant.*

Perspexit. Ita emendavi ex mss. 5 Reg. antiquioribus, 4 Colbert., 2 Clarom., Brun. et edit. Betul., faventibus Canc., 1 Bonon. rec. et Tax. in quibus est *perspexerit.* 1 Bonon. antiq., 5 Reg. rec., 2 Colb. et 11 vulgati habent, *prospexit.*

Et rationem tamen. Addidi *tamen* ex 10 editis cunctisque mss. præter 1 Bon. antiq., Pen. et 4 edit. rec. quibus deest.

Decretum disciplinæ. De talibus *decretis* multa Seneca in epist. 95. Arnob. l. II, p. 48 : *Qui* (philosophi) *dum alter alterius labefactant, destruunt, convellunique decreta, cuncta incerta fecerunt.* Bun.

Ut decretum disciplinæ suæ tueretur. Academicæ factionis scilicet, *nihil certo sciri;* sive ut sequitur, *nihil percipi* ut certum posse. Decretum autem dixit dogma institutum, ἀρεστὸν. *Partim ex* Betuleio.

Cur enim naviget, etc. Sic etiam alii Patres negotiationem tanquam rem illicitam damnarunt. Vide Tertull., lib. de Idololat., c. XI. Eorum rationes erant quod illa vix possit exerceri sine cupiditate et mendacio. Gallæus.

Versetur. Francius, *versatur.* Vide præcedentia. 1 Reg. rec. *versatur* a secunda manu. Heuman. legit etiam *versatur.*

Qui nec lucrum sciat appetere, etc. Supra dixit, virum justum nihil quidquam appetere alieni, et hic nec lucrum, etc. Quæ sic accipi non volo, quasi injustitiæ sit arguendus qui lucrum appetit. Quod hic generaliter asserit auctor noster, sane de immodico appetitu intelligit, quo sensu ejus assertio vera est.

Spectare. Respicit ad leges christianorum, quibus fas non erat spectaculis gladiatoriis interesse.

Vel invitus ad hæc subeunda cogatur. Nimirum ad cædem faciendam, dum militare cogitur; nam illo ævo, non solum sub imperatoribus gentilibus, sed etiam christianis, cum delectus tironum ageretur, quibus militaris ætas ac statura esset, et qui ejus erant conditionis, uti militiæ vacationem non haberent, ad militare sacramentum adigebantur, nec illud defugere poterant. Qui semel autem id sacramentum dixissent, ante emensa stipendia, et nisi ex justa ac merita causa impetrata missione, discedere a signis non habuere fas : qui aliter militiam deseruisset, capite plectebatur. Ergo illi sunt, quos invitos ad militiam, id est trucidandorum hominum legitimam artem subeundam, ex necessitate legum cogi dixit Lactantius, et quos propterea excusandos, tam ipse insinuat quam Patres Concilii Nicen. Can. 12.

Salmasius.

O Carneade. Ita plures mss. et editi. 2 Reg. rec. et 2 Colb. *o Carneades;* Brun. *tu Carneades;* 1 Colbert. *tu, o Carneades.—O Carneade.* Sic mss. et editi, quod recte tuetur Heumannus, et illustrat ex Vossio lib. II Anal., c. 3 et c. 10. Defendit quoque Gronovius. *O Socrate,* vocandi casu, in fragment. Ciceronis ed. Verburg., p. 3956. Bun.

Qui sacramentum hominis ignorant. Id est, veram rationem et conditionem hominis. Supra lib. II, cap. 18 : *Quicumque igitur sacramentum hominis, rationemque naturæ suæ nititur obtinere.* Walch.

Integer. Horat. I Carm., Od. 22.

Lambit Hydaspes. Sic antiquiores et meliores mss.

Digitized by Google

tela custodiat; ac non, etiamsi cum parricidis et nocentibus naviget, aut malis quoque parcatur, ut una justa et innocens anima liberetur, aut certe pereuntibus cæteris sola servetur. Sed concedamus posse fieri, quod proponit philosophus; quid ergo justus faciet, si nactus fuerit aut in equo saucium, aut in tabula naufragum? Non invitus confiteor, morietur potius, quam occidet. Nec ideo tamen justitia, quod est singulare hominis bonum, stultitiæ nomen accipiet. Quid enim melius, quid carius esse homini debet, quam innocentia? quæ utique tanto perfectior sit necesse est, quanto illam perduxeris ad extremum, morique malueris, ne quid de innocentiæ ratione minuatur. Stultitia est, inquit, alienæ animæ parcere cum pernicie suæ. Num etiam pro amicitia perire, stultum judicabis?

Quid ergo illi familiares Pythagoræi laudantur a vobis, quorum alter se tyranno vadem mortis pro altero dedit, alter ad præstitutum tempus, cum jam sponsor ejus duceretur, præsentiam sui fecit, eumque interventu suo liberavit? quorum virtus in tanta gloria non haberetur, quod alter pro amico, alter etiam pro fide mori voluit, si stulti putarentur. Denique ob hanc ipsam virtutem tyrannus his gratiam retulit, utrumque servando, et hominis crudelissimi natura mutata est. Quin etiam deprecatus esse dicitur, ut se tertium in amicitiam reciperent, non utique tanquam stultos, sed tanquam bonos et sapientes viros. Itaque non video, quare cum pro amicitia et fide mori, summa gloria computetur, non etiam pro innocentia perire, sit homini gloriosum. Ergo stultissimi sunt, qui nobis crimini dant, mori velle pro Deo, cum ipsi eum, qui pro homine mori voluit, in cœlum summis laudibus tollant. Denique ut concludam disputationem, non posse eumdem justum esse, ac stultum, eumdem sapientem, et injustum, docet ipsa ratio. Qui enim stultus est, quid sit justum ac bonum nescit; et ideo semper peccat. Ducitur enim quasi captivus a vitiis; nec resistere ullo modo potest, quia caret virtute, quam nescit. Justus autem ab omni peccato se abstinet, quod aliter facere non potest, quam si habeat recti pravique notitiam.

Rectum autem discernere a pravo quis potest, nisi sapiens? Ita fit, ut numquam possit esse justus, qui stultus est, neque sapiens, qui fuerit injustus. Quod si est verissimum, manifestum est eum, qui aut naufrago tabulam, aut equum saucio non ademerit, stultum non esse; quia hæc facere peccatum est, a quo se sapiens abstinet. Videri tamen et ipse confiteor, per hominum errorem ignorantium cujusque rei proprietatem. Itaque omnis hæc quæstio non tam argumentis, quam definitione dissolvitur. Stultitia igitur est in factis dictisque, per ignorantiam recti ac boni, erratio. Ergo stultus non est, qui ne sibi quidem parcit, dum ne noceat alteri, quod est malum. Quod quidem nobis et ratio, et veritas ipsa præscribit. In omnibus enim videmus animalibus, quia sapientia carent, conciliatricem sui esse naturam. Nocent igitur aliis, ut sibi prosint; nesciunt enim quia malum est, nocere. Homo vero, qui scientiam boni ac mali habet, abstinet se a nocendo, etiam cum incommodo suo, quod animal irrationale facere non potest; et ideo inter summas hominis virtutes innocentia numeratur. Quibus rebus apparet sapientissimum esse, qui mavult perire ne noceat; ut id officium, quo a mutis discernitur, servet. Nam qui vendentis errorem non redarguit, ut aurum parvo emat, aut qui non profitetur fugitivum servum, vel pestilentem se domum vendere, lucro et commodo suo consulens, non est ille sapiens, ut Carneades videri volebat, sed callidus et astutus. Calliditas autem et astutia in mutis quoque animalibus sunt, vel cum insidiantur aliis et dolo capiunt ut devorent, vel cum insidias aliorum

VARIORUM NOTÆ.

et 12 edit. ac libri Horatiani. Scripti 16 rec. Lactantiani et 3 vet. edit. Rom. *Ambit*, nec male.

In tabula naufragum, etc. Idem habet et sentit cum Lactantio Ambrosius lib. III, offic. cap. 4.

Quid carius. Mss. 12 rec. et 3 edit. *clarius.*

Perduxeris. mss. 6 rec., *perduxerit*, non male.

Judicabis. Mss. 10 rec. et 13 edit. *judicabitur*, 2 Colbert. et Pen. *judicabit.* At scribo *judicabis* cum 1 Bonon. et 1 Reg. antiquissimis, 1 al. Reg. bonæ notæ, ac quinque aliis et edit. Betul. Vide præcedentia.

Pythagoræi. Mss. rec. 2 Reg. et 1 Clarom. a secunda manu, edit. Rom. 1470, et Florentina, *Pythagorici* : Damon scilicet ac Pythias, de quibus Valerius lib. IV, cap. 7; Cicer. lib. III Officior. cap. 10.

Tyranno. Scilicet Dionysio Syracusano.

Duceretur. Scil. *ad supplicium.* Absolute, more veterum. Sic ter Seneca de Pisone, qui militem *duci* jusserat, de Ira lib. I, cap. 16. Bun.

Quod alter. Antiquiorum et meliorum mss. est. In 4 rec. et 4 edit. est *quorum alter*; in 15 rec. et vulgatis 5 est *cum alter.*

His. Ita restitui ex mss. et multis editis. In nonnullis est *hic.*

Deprecatus. Id est, *precatus.* Lib. VI, cap. 20 : *Misericordiam deprecantes.* Conf. lib. de Mort. persec. c. 41, cap. 46, cap. 52, et Val. Max. lib. IV, cap. 7. Sæpe hoc sensu Veteres. Bun.

Dissolvitur. 1 Colb. *dissolvetur*; 1 Colb., 1 Lips., Em., *solvitur.*

Dum ne. Ita antiq. et mel. mss. et edd. locutio Ciceroniana pro *dummodo non* recentiorum : Cic. ad Atticum lib. VI, cap. 1 : *dum ne negotiatori*; et VIII, ep. 15, *dum ne tibi, non laboro.*

Conciliatricem. Vide Cic. lib. I de Natura deorum, 104.

Quia malum est. Id est, quatenus malum est.

Nesciunt enim, quia malum est, nocere. Lactantius aliique scriptores sacri, Tertullianus, Augustinus, maxime Cyprianus vel sexcenties, ut vulgatam versionem omittam, post *scio* aliaque verba sentiendi, loco accusativi cum infinitivo, aut *quod* cum conjunctivo, eadem vi *quia* cum indicativo ponunt. Lactantius lib. VI, cap. 22 : *Scit enim, quia mortis est fabricatrix voluptas.* Notamus ibidem plura, et ad lib. IV, cap. 12 : *Ut scias, quia ego sum Dominus.* Bun.

Homo vero, qui. Ita mss. veterrimi 1 Bonon., 3 Reg. quorum unus est optimæ notæ, aliique sex ac totidem editi, tum etiam sex veteres editiones XV sæculi. In 12 mss. et 8 excusis est *quia.*

Quo a mutis. Mss. 3 rec. et 2 edit. *multis.*

Calliditas autem et astutia in mutis animalibus. Ad-

Digitized by Google

vario genere deludunt. Sapientia vero in hominem solum cadit. Sapientia est enim intelligentia vel ad bonum rectumque faciendum, vel ad abstinentiam dictorum factorumque improborum. Lucro autem nunquam sapiens studet, quia bona hæc terrena contemnit; nec quemquam falli patitur, quia boni viri officium est, errores hominum corrigere, eosque in viam reducere. Siquidem socialis est hominis ac benefica natura, quo solo cognationem cum Deo habet.

CAPUT XIX.

De virtute, et Christianorum cruciatibus; ac de jure patris et domini.

Sed nimirum hæc causa efficit, ut stultus esse videatur, qui egere aut mori malit, quam noceat, vel eripiat aliquid alteri, quod hominem morte deleri putant. Ex qua persuasione omnes tum vulgi, tum etiam philosophorum nascuntur errores. Si enim post mortem nihil sumus, profecto stultissimi est hominis non huic vitæ consulere, ut sit quam diutina et commodis omnibus plena. Quod qui faciet, a justitiæ regula discedat necesse est. Si autem superest homini vita melior et longior, quod et philosophorum magnorum argumentis, et vatum responsis, et prophetarum divinis vocibus discimus; hanc præsentem cum suis bonis contemnere, sapientis est, cujus omnis jactura immortalitate pensatur. Apud Ciceronem idem ille justitiæ defensor Lælius. « Vult, inquit, plane virtus honorem; nec est virtutis ulla alia merces. » Est plane, et quidem virtute dignissima, quam tu, Læli, nunquam poteras suspicari; nihil enim divinarum noveras litterarum. Quam tamen illa, inquit, accipit facile, exigit non acerbe. Erras vehementer, si putas ab homine præmium solvi posse virtuti, cum ipse alio loco verissime dixeris: « Huic tu viro quas divitias objicies? quæ imperia? quæ regna? qui ista putat humana, sua bona divina judicat? » Quis ergo te sapientem, Læli, putet, cum ipse tibi loquare contraria? et paulo post virtuti adimas, quæ dedisti? Sed videlicet ignorantia veri facit incertam labantemque sententiam.

Deinde quid adjungis? « Sed si aut ingrati universi, aut invidi multi, aut inimici potentes suis virtutem præmiis spoliant. » O quam fragilem, quam inanem virtutem induxisti, si spoliari præmio suo potest! Quæ si bona sua divina judicat, ut aiebas, qui possunt existere tam ingrati, tam invidi, tam potentes, qui virtutem spoliare valeant iis bonis, quæ fuerint in eam collata divinitus? « Næ illa se, inquit, multis solatiis oblectat; maximeque suo decore seipsa sustentat. » Quibus solatiis? quo decore? cum in crimen sæpe veniat, et in pœnam decor ille vertatur. Quid enim, si ut Furius dicebat, « rapiatur, vexetur, exterminetur; egeat, auferantur ei manus, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur, miseris etiam modis necetur, » perdetne suum præmium virtus? An potius peribit ipsa? Minime. Sed et mercedem suam Deo judice accipiet, et vivet, et semper vigebit. Quæ si tollas, nihil potest in vita hominum tam inutile, tam stultum videri esse, quam virtus; cujus naturalis bonitas et honestas docere nos potest, animam non esse mortalem, divinumque illi a Deo præmium constitutum. Sed idcirco virtutem ipsam Deus sub persona stultitiæ voluit esse celatam, ut mysterium veritatis ac religionis suæ esset arcanum; ut has religiones, sapientiamque terrenam extollentem se altius, sibique multum placentem, vanitatis errorisque damnaret; ut proposita denique difficultate, angustissimus trames ad immortalitatis præmium sublime perduceret.

Docui, ut opinor, cur populus noster apud stultos stultus habeatur. Nam cruciari atque interfici malle, quam

VARIORUM NOTÆ.

didi *autem* ex 21 mss. Post *multis* 8 scripti rec. et 14 excusi addunt *quoque*.

Vel ad abstinentiam. Sic reposui ex antiquissimis mss. 1 Bonon. et 2 Reg. edd. Tornes., Soubron., Is Vide præced. *ad bonum*. Quamplurimi scripti et impressi habent *vel abstinentia*.

Dictorum factorumque. Hæc lectio est quamplurimorum mss. inter quos sunt antiquissimi Reg. et Bonon. atque 11 editorum. Recte. Vide seq. Scripti 10 et 3 edit. vet. legunt *delictorum factorumque*.

Quo solo. 4 mss. rec. et 7 edit. vet., *qua sola*; *quæ sola*; Colb., *quæ solo*.—*Quo solo*. Id est, qua re sola, scil. sapientia; quæ vox quoniam fuit paulo remotior, usus est, ut et alibi, neutro, quod ad omnia de sapientia dicta referendum.

Sed nimirum hæc causa efficit, etc. Hactenus Furium confutavit, injustitiæ patronum. Jam indicabit causas, cur Lælius, qui sapientissimus habebatur, justitiæ partes non pro dignitate tueatur; nempe quod illius sapientia non cœlitus fuit. Ostendit autem Lælium sibi contraria asserere. Ab initio vero capitis investigat errorum philosophicorum, atque vulgi scaturiginem; nempe quod articulus de spe resurrectionis non satis constater creditur. Ex his fundamentis colligit, quod

Vivit apud superos, et habet sua munera virtus.

Virtutem autem dicit ipsam justitiam, quæ materia totius hujus quinti libri est.

Qui egere. 1 Bonon. antiq. et 1 Clarom. a prima manu, *quia*.

Ex qua persuasione. Ms. Cant. et edit. 5, *Ex eaque persuasione*.

Hanc præsentem. Subaudi *vitam*, quod Goth. adscriptum habet, opinor, ex glossa receptum. Cell.

Nunquam. Ms. 1 Reg. rec. et 15 edit., *nequaquam*; in 1 Reg. rec. *nunquam poteris*.

Labantemque sententiam. Scripti 7 et 2 edd. *labentem*; 1 Reg. rec. *laborantemque*.

Effodiantur oculi. Mss. 3 rec. et 12 editi interponunt *ei*, quod mox præcessit.

Angustissimus trames. Ms. Brun. *angustissimo tramite*; 4 Colbert. *angustissimos tramites*, mendose. Scripti 6 rec. et 5 vulgati *per angustissimos tramites*. Lege de hoc infra lib. VI, cap. 3. — *Angustissimus trames... perduceret*. Nam *unam* tantum *viam*, *unum tramitem* ad immortalitatem ubique statuit; hinc lib. VII, cap. 20: *Angustus admodum trames est, per quem justitia hominem deducit in cœlum*. Idem docent lib. VI, capp. 3 et 4 integra, maxime ibid., cap. 7: Via mendax... *multos tramites* habet... via veritatis... et *simplex*... et *angusta*... et *ardua*, etc. Bun.

Digitized by Google

thura tribus digitis comprehensa in focum jactare, tam ineptum videtur, quam in periculo vitæ, alterius animam magis curare quam suam. Nesciunt enim quantum sit nefas adorare aliud præterquam Deum, qui condidit cœlum atque terram; qui humanum genus finxit, inspiravit, luce donavit. Quod si servorum nequissimus habetur, qui dominum suum fuga deserit, isque verberibus, et vinculis, et ergastulo, et cruce, et omni malo dignissimus judicatur; et si filius eodem modo perditus atque impius existimatur qui patrem suum derelinquit, ne illi obsequatur, ob eamque causam dignus putatur, qui sit exhæres, et cujus nomen in perpetuum de familia deleatur: quanto magis qui Deum deserit, in quem duo vocabula domini et patris æque veneranda conveniunt? Nam ille, qui servum pretio comparat, quid in eum beneficii confert, præter alimenta, quæ illi utilitatis suæ gratia subministrat? Et qui filium generat, non habet in potestate ut concipiatur, ut nascatur, ut vivat. Unde apparet non esse illum patrem, sed tantummodo generandi ministrum. Quibus ergo suppliciis dignus est desertor ejus, qui et dominus verus, et pater est, nisi quæ Deus ipse constituit? qui spiritibus injustis æternum paravit ignem; quod ipse per vates suos impiis ac rebellibus comminatur.

CAPUT XX.

De vanitate et sceleribus impiarum religionum, et Christianorum cruciatibus.

Discant igitur, et suarum et alienarum interfectores animarum, quam inexpiabile facinus admittant: primum, quod seipsos jugulant perditissimis dæmonibus serviendo, quos Deus in æterna supplicia damnavit: deinde, quod nec ab aliis Deum coli patiuntur, sed avertere homines ad mortifera sacra contendunt; nituntur que summa diligentia, ne qua sit anima incolumis in terra, quæ salvo statu suo spectet in cœlum. Quid aliud dicam quam miseros, qui prædonum suorum instigationibus parent, quos deos esse opinantur? quorum neque conditionem, neque originem, neque nomina, neque rationem sciunt: sed inhærentes persuasioni vulgari, libenter errant, et stultitiæ suæ favent. A quibus si persuasionis ejus rationem requiras, nullam possint reddere: sed ad majorum judicia confugiant, quod illi sapientes fuerint, illi probaverint, illi scierint, quid esset optimum; seque ipsos sensibus spoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt. Sic impliciti rerum omnium ignorantia, nec se, nec deos suos norunt. Atque utinam soli errare, soli desipere vellent! Alios etiam in consortium mali sui rapiunt, quasi habituri solatium de perditione multorum. Sed hæc ipsa ignoratio efficit, ut in persequendis sapientibus tam mali sint, fingantque se illis consulere, illos ad bonam mentem vello revocare.

Num igitur hoc sermone, aut aliqua ratione reddita facere nituntur? Minime; sed vi atque tormentis. O mira, et cæca dementia! In iis putatur mala mens esse, qui fidem servare conantur; in carnificibus autem bona. In iisne mala mens est, qui contra jus humanitatis, contra fas omne lacerantur? an potius in iis qui ea faciunt in corporibus innocentum, quæ nec sævissimi latrones, nec iratissimi hostes, nec immanissimi barbari aliquando fecerunt? Adeone etiam sibi mentiuntur, ut vicissim boni ac mali nomina transferant et immutent? Quid ergo non diem, noctem vocant? solem, tenebras? Alioquin eadem

VARIORUM NOTÆ.

In focum jactare. Scripti 10, *in focum jacere;* ms. Tornes., *in focis jacere.*

Præterquam Deum. 1 Colbert., 1 Clarom. et Francius, *præter Deum.* Eadem varietas infra, *præterquam alimenta,* et *præter alimenta.*

Dominum suum. Sic reposui ex cunctis mss. et pluribus editis: bene. Vide seqq. Nonnullis impressis est, *dominum summum,* male.

Exhæres. De exhæredatione liberorum titulus est in Institut. Imperialibus, lib. II, cap. 13. Exhæredationis causæ in Juris constitutionibus numerantur quatuordecim. Betuleius.

Domini et patris. Vide lib. IV, cap. 3. Unus est pater vester, qui in cœlis est. Matth. XXIII.

Præter alimenta. Ita mss. In editis est *præterquam.*

Non habet in potestate. Sic restitui ex edit. Rom. 1470, cunctisque mss. præter 1 Reg. rec. et 12 edit. in quibus est, *non habet potestatem.*

Nisi quia Deus ipse constituit. Habent ea verba omnes libri; et omnia recta, modo suppleas, *nisi iis quæ... constituit?* Quod respicit *constitutum* supra. Sic lib. VI, cap. 25: *Quid Deo dignum, nisi quod ipse... poposcit?* Bun.

Impiis. Isai. ult. Eccl. VII, Judith. XVI, Ps. X. — *Ignem, quod ipse... comminatur.* Constanter libri *quod,* idque neutrum pro re, de qua actum, ponitur sæpe; ut dixi ad cap. 17: *Quod* sc. *se parasse injustis æternum ignem;* ut hoc capite supra: *Superest... vita... longior, quod... discimus.* Bun.

Prædonum suorum. Per prædones, inquit Walchius, *intelligit pontifices, sacerdotes:* immo vero intelligit *dæmonas;* nam mox sequitur: *Quos deos esse opinantur.* Iterum c. 20: Adorant hostes suos, *latrones* et *interfectores suos victimis placant,* etc. Conf. lib. II, cap. 16; lib. V, cap. 21. Bun.

Instigationibus. lib. IV, cap. 27: *Instigantibus... dæmonibus;* cap. 30, *Instinctibus dæmonum.* Lib. V, cap. 21: *Spiritus... perditi... instigant nescios in furorem.* Buneman.

Inhærentes persuasioni vulgari. Ms. 1 Bonon. antiq. *hærent;* alter Bonon. recentior *inhærent.* Scripti 18, *inhærente persuasione vulgari.* — *Inhærente persuasione vulgari.* Rost., Ven. 1471, 72, utraque 78: Parrh., Junt., Ald., et reliqui, *inhærentes persuasioni vulgari.* Participium exprimit melius voluntatem; dicit enim statim, eos *libenter errare:* ut l. I, cap. 1: *Multi enim superstitionibus vanis pertinaciter inhærentes, obdurant se contra manifestam veritatem.* Bun.

Ignoratio. Ita antiquiores et potiores mss. et octo editi. Hæc vox Lactantio familiaris. Scripti 18 rec. et septem impressi *ignorantia.*

Ea faciunt in corporibus. Eleganter. Cic. in Verrem, Act. I, c. 5: *Neque hoc solum in statuis ornamentisque fecit.* Conf. Cortium ad Sall. Catil. 11, n. 4, p. 47: *Fœda crudeliaque* in civibus *facinora facere.* Buneman.

Tenebras. Hæc alludunt ad illud Isaiæ cap. V, 20: *Væ dicentibus malum bonum, et bonum malum; qui*

Digitized by Google

impudentia est, bonis malorum nomen imponere; sapientibus, stultorum; justis, impiorum: quinimo, si qua illis fiducia est, vel in philosophia, vel in eloquentia, arment se, ac refellant hæc nostra, si possunt: congrediantur cominus, et singula quæque discutiant. Decet eos suscipere defensionem deorum suorum, ne, si nostra invaluerint (ut quotidie invalescunt), cum delubris ac ludibriis suis deserantur. Et quoniam vi nihil possunt (augetur enim religio Dei, quanto magis premitur) ratione potius et hortamentis agant.

Procedant in medium pontifices, seu minores, seu maximi; flamines, augures, item reges sacrificuli, quique sunt sacerdotes et antistites religionum. Convocent nos ad concionem: cohortentur ad suscipiendos cultus deorum; persuadeant multos esse quorum numine ac providentia regantur omnia: ostendant origines et initia sacrorum ac deorum, quomodo sint mortalibus tradita; qui fons, quæ ratio sit, explicent; proferant, quæ merces in cultu, quæ pœna in contemptu maneat, quare ab hominibus coli se velint, quid illis, si beati sunt, humana pietas conferat. Quæ omnia non asseveratione propria (nec enim valet quidquam mortalis hominis auctoritas), sed divinis aliquibus testimoniis confirment; sicuti nos facimus. Non est opus vi et injuria, quia religio cogi non potest: verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas. Distringant aciem ingeniorum suorum: si ratio eorum vera est, afferatur. Parati sumus audire, si doceant: tacentibus certe nihil credimus; sicut ne sævientibus quidem cedimus. Imitentur nos, et rationem rei totius exponant. Nos enim non illicimus, ut ipsi objectant: sed docemus, probamus, ostendimus. Itaque nemo a nobis retinetur invitus; inutilis est enim Deo, qui devotione ac fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsa veritate retinente. Doceant isti hoc modo, si qua illis fiducia veritatis est, loquantur: hiscant, audeant (inquam) disputare nobiscum aliquid ejusmodi; jam profecto ab aniculis quas contemnunt, et a pueris nostratibus error illorum ac stultitia ridebitur. Cum enim sint peritissimi, deorumque progeniem, et res gestas, et imperia, et interitus et sepulchra de libris noverint; ipsosque ritus, quibus sunt initiati, vel ex rebus gestis hominum, vel ex casibus, vel etiam ex mortibus natos sciant: incredibilis dementia est, deos putare, quos fuisse mortales negare non audeant; vel si tam impudentes fuerint ut negent, suæ illos ac

VARIORUM NOTÆ.

ponunt tenebras in lucem, et lucem in tenebras; qui ponunt amarum in dulce, et dulce in amarum.

Impudentia est. Mss. 8 rec., *imprudentia;* Jun., *prudentia.*

Ne, si nostra. Ms. 1 Colbert. et quidam editi, *nec,* sed male.

Augetur... religio Dei... premitur. Vid. not. c. 13, c. 22, sqq. Tertull. Apol. extr.: *Nec quidquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas. Illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a vobis.* Buneman.

Pontifices. Apparet etiam Lactantii temporibus antiqua illa Romanorum sacerdotia viguisse. Betuleius.

Seu minores, seu maximi. Pontifices Numa instituit, quibus Martium genorum suum Maximum præfecit, penes quem summa ceremoniarum potestas erat. Betul. — *Fuere pontifices minores, Scribæ pontificum qui fastos et commentarios habebant, fidelem custodiam rerum gestarum referebant, qui Annales maximi dicebantur; quique illis ministri aderant, quod omnis ævi gesta mandabant litteris, pontifices minores dicti sunt.* Alex. ab Alex. lib. II, cap. 8.

Flamines. Sive Diales, sive Martiales a Romulo instituti, sive Quirinales a Numa. Betuleius.

Augures. Quos a Chaldæis originem traxisse credunt, qui ab his ad Græcos, a Græcis ad Hetruscos, ab Hetruscis ad Latinos propagati sunt.

Reges sacrificuli. Qui post exactos reges instituti sunt, ut regiis præessent sacris. De quibus lege Pomponium Lætum, Lucium Fenestellam, Alexandrum ab Alexandro, Blondum, etc. qui ex Livio, Dionysio, Varrone et aliis, de sacerdotiis Rom. multa memoriæ prodiderunt. Betuleius. — Mss. 7 Reg., 2 Colb., Tornes., 2, Clarom., *sacricolæ.*

Cohortentur nos ad. Repetunt *nos* a me additum Angl., Lips. tert., Reinm. et editi ab anno 1465, 1521, Gymn. et Isæus; omittunt Fasit., Gryph. et reliqui, et satis eleganter subauditur. Bun.

Quæ merces in cultu, quæ pœna in contemptu maneat. Heumannus hic omnibus editoribus insultans tandem, *Scribe,* inquit, *quæ merces* cultum, *quæ pœna* contemptum *maneat.* Mihi lectio communis omnium librorum satis elegans videtur, subaudito accusativo *mortales,* vel *homines.* Bun.

Destringant aciem ingeniorum. Editum antea ab omnibus, ut quoque habet Gothanus, *distringant.* Quod verbum hic minus quadrat; valet enim *stringere in diversas partes:* nisi intelligas sensu rariori, ubi valet *ligare, constringere;* atque ut Latinis *destringere aciem, gladium,* est *expedire:* sic Lactantius l. III, c. 8: *expediant acumen suum.* Bun.

Afferatur. Ita restitui ex omnibus prope mss. 9 Reg., 6 Colbert. aliisque multis, et edit. Rom. 1470. Scripti Jun. et 2 Lips. habent *asserant,* nec male; 1 Clarom. *asserantur.* 3 Oxonienses et 14 vulgati: *afferatur.*

Et rationem. Sic legendum cum 1 Colbert., nisi mavis *ut rationem,* quod est in vet. mss. 1 Bonon., 1 Reg., Canc. et 15 aliis et edit. 2 vet. Rom., Is., Cellar. In 6 aliis manu exaratis rec. et 17 impressis est *aut.*

Qui devotione ac fide caret. Emman.: *qui fide ac ratione careat.* Non movenda prior lectio. Inf. *Dei cultus devotionem maximam fidemque desiderat;* cap. 22: *Ut devotionem ac fidem... corroboret.* De Opif., c. 19: *Si quis fidem suam devotionemque non prodiderit.* De Mort. Persec., c. 18, *Adimere tibi fidem ac devotionem nulla vis potuit.* Conf. lib. V, cap. VII. Bun.

Hiscant. Sic lego cum 1 ms. Reg. et 14 excusis: quod cum non intelligerent amanuenses 8 Reg., 6 Colb., Jun., Pen., Lips., Pal., Ultr. 2 Clarom., Brun., et 5 vet. edit. pro *hiscant,* scripserunt *discant;* 2 Bonon., Tax., *dicant.* Tit. Liv. lib. VI, 16: *Nec attollere oculos aut hiscere audebunt.* Arnob. lib. IV, *an mutire, an hiscere.*

Ridebitur. Hæc lectio est omnium mss. et vet. edit. Rom. In cæteris impressis est *irridebitur;* in 1 Reg. veterrimo *justitia ridebitur.*

Ex mortibus. Ita antiquiores ac meliores mss. et octo editi. Scripti 16 rec. et 6 vulgati *ex moribus.* Sic quoque legitur apud Buneman, qui de hac variante notam sequentem exhibet. — *Ex moribus.* Confirmatur hæc lectio ex l. I, c. 11. Jovem ex rebus gestis, et ex moribus hominem fuisse deprehendimus, etc. Conf. de Ira, c. 11: S. Augustin. de Civ. Dei lib. VII, c. 18: *Unicuique deorum ex* ejus *ingenio,* moribus, *actibus, casibus, sacra constituta sunt.* Bun.

Digitized by Google

suorum litteræ coarguant, ipsa denique illos sacrorum initia convincant. Sciant igitur vel ex hoc ipso, quantum intersit inter verum et falsum, quando ipsi, cum sint eloquentes, persuadere non possunt; imperiti ac rudes possunt, quia res ipsa et veritas loquitur.

Quid ergo sæviunt? ut stultitiam suam, dum minuere volunt, augeant. Longe diversa sunt carnificina et pietas; nec potest aut veritas cum vi, aut justitia cum crudelitate conjungi. Sed merito non audent de rebus quidquam docere divinis, ne et a nostris derideantur, et a suis deserantur. Nam fere vulgus, cui simplex incorruptumque judicium est, si mysteria illa cognoscat in memoriam mortuorum constituta, damnabit; aliudque verius, quod colat, quæret.

Hinc fida silentia sacris

instituta sunt ab hominibus callidis, ut nesciat populus quid colat. Cum autem nos in eorum doctrinis versemur, cur nobis aut non credunt, qui utrumque novimus; aut invident, quia falsis vera prætulimus? Sed defendenda sunt, inquiunt, suscepta publice sacra. O quam honesta voluntate miseri errant! Sentiunt enim, nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamque summa vi oportere defendi: sed ut in ipsa religione, sic in defensionis genere fallun- A tur. Defendenda enim religio est, non occidendo, sed moriendo; non sævitia, sed patientia; non scelere, sed fide: illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necesse est, bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur, atque violabitur. Nihil est enim tam voluntarium, quam religio, in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est. Recta igitur ratio est, ut religionem patientia vel morte defendas: in qua fides conservata, et ipsi Deo grata est, et religioni addit auctoritatem. Nam si is, qui in hac terrestri militia regi suo fidem servat in aliquo egregio facinore, si postea vixerit, acceptior fit et charior, si perierit, summam consequitur gloriam, quod pro duce suo B mortem occubuerit: quanto magis imperatori omnium Deo fides servanda est, qui non tantum viventibus, sed etiam mortuis præmium potest virtutis exsolvere? Igitur Dei cultus, quoniam militia cœlestis est, devotionem maximam fidemque desiderat. Quomodo enim Deus aut amabit colentem, si ipse non ametur ab eo; aut quomodo præstabit precanti quidquid oraverit, cum ad precandum neque ex animo, neque observanter accedat? Isti autem, cum ad sa-

VARIORUM NOTÆ.

Coarguant. Mss. 12 rec. et 8 impressi, *coarguent.* Vide præced. *audeant*, et seq. *convincant.* Jun. *coarguantur.*

Convincant. Mss. 10 rec. et 6 editi, *convincent.*

Cum sint. Pro *quum*, quod est in melioribus mss. et impressis, in pluribus excusis erat *quam.* In mss. 3 Reg. rec., Brun. et edit. Ald., Crat., Graph., legitur *qui.*

Ne et a nostris derideantur. Conjunctionem restitui ex 6 Reg., 5 Colb., et 5 aliis ac 7 editis: pro *et*, est *aut*, in Reg. antiquissimo. In 5 rec. scriptis et 12 vulgatis deest *et.*

Nam fere vulgus. Ita scripti 12. In ms. Cauc. et 16 rec. necnon in editis, *Nam forte vulgus.*

Incorruptum..... judicium. Incorruptum hic valet, castum, integrum, ut in Cicerone *testis incorruptus atque integer, testimonium incorruptum.* Pro Marcello cap. 9: *Qui judicabunt..... fortasse incorruptius quam nos.* Bun.

Fida silentia. Virgil. III Æneid., v. 112. Quæ cum imperarentur, dicebatur: *Favete linguis.* Unde proverbium *Ostium obdite, profani.* Cum hoc proverbio convenit Canon in decretis de Consecrat. dist. 2, qui arcet plebem a presbyterio. Betul.

Cur nobis aut non credunt. 1 Ms. rec. *credant*; 2 Reg. rec., Jun., Cantabrig. multique impressi, *Cur nobis aut nostris non credunt.*

Inquiunt. Vide supra lib. III Institution. init. cap. 3.

O quam honesta voluntate. Ironice. Sic ferunt 3 mss. quorum unus est antiquissimus, alteri bonæ notæ. Ms. Cauc. ac 19 alii rec. et editi sex habent *inhonesta.*

Non occidendo, sed moriendo. Hæc lectio est omnium fere mss. et octo editorum. Et recte. Est enim relativum, occidere, et mori. Vide infra, *ut religionem patientia vel morte defendas.* 2 Reg. rec. et sex vulgati habent *monendo.* S. Bernardus Serm. 61 in Cantic.: *Fides suadenda est, non imperanda;* et Serm. 64, *Hæretici capiantur potius quam effugentur; capiantur dico, non armis, sed argumentis quibus refellantur errores eorum.* Athanas. Apol. II. *Cædes et vincula aliena sunt a nostra Ecclesia.* Pro *moriendo* Cellarius et Heumannus habent *monendo*, quod, inquiunt, refertur ad persecutores, qui ferro et flammis superstitiones suas defendebant.— *Non occidendo, sed moriendo.* Apte Augustinus, de Civit. Dei l. 2, c. 29, Christianos rom. scribit: *Adversus potestates inimicissimas conflixisse*, easque fortiter *moriendo vicisse.* Bun. C

Si malo. Hic aliorum fere omnium *malo*, rectum. *Malo*, id est, scelere, quod est *malum* et *malorum.* Vid. supra, et c. 20. *Bono... adducendi homines ad bonum... non malo.* Bun.

Jam sublata, jam nulla est. Ms. 1 Bonon. antiq. *jam supplicatio nulla est.*

Fides conservata. Ms. Jun. et 5 vet. edit. *consecrata;* minus bene. Vide paulo post, *fidem servat....* et *fides servanda est.*

Consequitur. 1 Reg. rec. et Brun. *consequetur.* Vide præced.

Mortem occubuerit. Sic habent quamplurimi mss. et cuncti ferme editi, sicut *vitam vivere*, apud eumdem Lactantium Divin. Institut. lib. I, cap. 14; lib. V, cap. 8; lib. VII, cap. 24: et libro de Opificio Dei, *infatigabilem militiam Deo militemus.* Sed Ciceronis etiam est, *vitam vivere*, Orat. IV in Verrem, n. 118. Itaque perperam scripserunt librarii *morte occubuerit* in mss. 5 Reg., 1 Colbert., Brun., edd. Rom. 1470, et Isæi. — *Mortem occubuerit. Occumbere mortem* recte latine, et sæpe dicitur; vide Pitiscum ad Curt. lib. IV, c. 15: *Ante oculos sui quisque regis* mortem occumbere *ducebant egregium;* Gebhardum, Grutero rum, Davisium ad Cic. I Tuscul., 42, fin.: *Qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.* Bun. D

Mortuis præmium potest virtutis exsolvere. 1 Bonon. antiq., *præmium mortis exsolvet.*

Quoniam militia cœlestis est, devotionem maximam, etc. Desumptum a militia corporali; milites enim se totos reipub. devovebant, aut Cæsari consecrabant. Vegetius: *Jurant autem per Deum, et per Christum, et per Spiritum sanctum, et per majestatem imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est et colenda: nam imperatori, cum Augusti nomen accepit, tanquam præsenti et corporali Deo fidelis est præstanda devotio, et impendendus pervigil famulatus.*

Aut præstabit precanti. Mss. 2 Reg. rec. pro *precanti*, legunt *petenti.*

Digitized by Google

crificandum veniunt, nihil intimum, nihil proprium diis suis offerunt; non integritatem mentis, non reverentiam, non timorem. Peractis itaque sacrificiis inanibus, omnem religionem in templo, et cum templo, sicut invenerant, relinquunt; nihilque secum ex ea neque afferunt, neque referunt. Inde est, quod ejusmodi religiones neque bonos facere possunt, neque firmæ atque immutabiles esse.

Traducuntur itaque ab his homines facile, quia nihil ibi ad vitam, nihil ad sapientiam, nihil ad fidem discitur. Quæ est enim superstitio illorum deorum? quæ vis? quæ disciplina? quæ origo? quæ ratio? quod fundamentum? quæ substantia? quo tendit? aut quid pollicetur, ut ab homine possit fideliter servari, fortiterque defendi? In qua nihil aliud video, quam ritum ad solos digitos pertinentem. Nostra vero religio eo firma est, et solida, et immutabilis, quia justitiam docet, quia nobiscum semper est, quia tota in animo colentis est, quia mentem ipsam pro sacrificio habet. Illic nihil exigitur aliud, quam sanguis pecudum, et fumus, et inepta libatio : hic, bona mens, purum pectus, innocens vita. Illuc veniunt sine delectu adulteræ impudicæ, lenæ procaces, obscœnæ meretrices; veniunt gladiatores, latrones, fures, venefici, et precantur nihil aliud, quam ut scelera impune committant. Quid enim latro sacrificans, aut gladiator roget, nisi ut occidant? Quid venenarius, nisi ut fallat? Quid meretrix, nisi ut plurimum pecA cet? Quid adultera, nisi ut mortem viri optet, aut ut sua impudicitia celetur? Quid lena, nisi ut multos bonis exuat? Quid fur, nisi ut plura compilet? Hic vero etiam levi communique peccato locus est nullus. Et si quis ad sacrificium non integra conscientia venerit, audit quæ illi Deus comminetur, ille qui latebras cordis videt, qui peccatis semper infestus est, qui exigit justitiam, qui fidem poscit. Quis hic malæ menti, aut malæ preci locus est? At illi infelices, nec ex sceleribus suis intelligunt quam malum sit, quod colunt, quandoquidem flagitiis omnibus inquinati, veniunt ad precandum; et se pie sacrificare opinantur, si cutem laverint : tanquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent. Quanto satius est mentem potius eluere, B quæ malis cupiditatibus sordidatur; et uno virtutis ac fidei lavacro universa vitia depellere? Quod qui fecerit, quamlibet inquinatum ac sordidum corpus gerat, satis purus est.

CAPUT XXI.

De cultu deorum et Dei veri; atque de bestiis quas coluerunt Ægyptii.

Isti autem, quia nesciunt, vel quid, vel quomodo sit colendum, cæci et imprudentes in contrarium cadunt. Adorant itaque hostes suos : latrones et interfectores suos victimis placant; et animas suas cum thure ipso cremandas aris detestabilibus imponunt. Irascuntur

VARIORUM NOTÆ.

In templo, et cum templo. Deest *et cum templo* in C ter 2 Reg. et 11 edit. In iis est, *sacrificasse;* in 1 Reg. tribus rec. scriptis. rec. *satisfacere.*

Nihilque secum ex ea neque afferunt. In 1 Bonon. antiq. deest *ex ea;* 1 Reg. abest *neque.*

Neque firmæ atque immutabiles. Ita mss. 1 Bonon., 6 Colb. et 5 alii, ac 9 vet. edit. aliæ vero, *neque firmos ac immutabiles.* At nostra lectio melior est; opponit enim falsas religiones veræ, quæ *firma est et immutabilis.*

Lenæ procaces. Lenas, quæ infra, *multos bonis* exuunt, docte vocat *procaces.* Festus : *Procari poscere est; unde et proci, et procaces meretrices ab assidue poscendo.* Bun.

Ut occidant. 9 Reg. mss., 1 Clarom. et 8 edit. *occidat.* Utraque lectio bona.

Quid venenarius? Mss. 2. Reg. rec., 1 Colbert. a secunda manu., Torn., Em., Cant. et 3 vet. edit. D Rom., *fœnerarius? nisi ut fallat,* id est, latenter agat, machinationes suas occultet. — *Quid venenarius. Venenarius* ponitur pro *venefico* supra; et quisnam magis fallit, quam veneficus, venenarius? Hinc loco gemino lib. v, c. 9 : *Si* palam *grassari non licuit,* venena clam *temperent; qui uxores necent, ut dotes earum lucrentur, aut maritos, ut adulteris nubant... qui cœlum ipsum veneficiis appetant.* Bun.

Nisi ut mortem viri optet, aut ut sua impudicitia celetur. Sic editiones Betuleii, Cellarii, Walchi, Heumanni, atque pauci mss., Cantabrigiense scilicet et Lipsiense; in aliis tum mss. tum editis legitur, *nisi aut mortem viri, aut ut sua impudicitia celetur,* quod mancam exhibet orationem.

Quid lena? Mss. 10, *leno,* virili genere. Cæteri omnes ut in textu.

Sacrificare. Ita 6 vet. edit. cum omnibus mss. præ-

Si cutem laverint. Quævis scelera aqua expiabant. Cato Orig. 5; Tertull. de Bapt., cap. 5; Seneca in Hercule furente; Apuleius Mil. l. xi; Dion. lib. xlviii; Eurip. in Iphig. Taur.; Clemens Alexand. lib. vii Strom. Corpus autem totum, vel manus tantummodo lavabant, juxta Sophocl. enarrator. Athenæum l. ix : *Mos erat veteribus, quando sive cædem hominis sive ali as cædes fecissent, lavare manus, in purgationem piaculi. Apud veteres enim optimum et grave habebatur manus lavare.* Justin. Martyr. Apol. ii : *Et balneum quidem hos resciscentes dæmones a propheta prædicatum operati sunt, et ipsos aspergere ad sacra sua accedentes, et immittere eis constituerunt libamina, et nidores talia perficientes : perficiebant vero ut accedentes se lavarent, priusquam ascenderent ad sacra; inde purgati operabantur sacris.* Sed et cædem credebant aspergine tolli, quod Maro ii Æneid. attingit. Hinc Pilatus lavat manus, ut se innoxium, vel insontem mortis Christi declaret. Vide Matt. xxvii, v. 24, *Abluant.* Ita fere Ovid. in Fastis :

O nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aqua!

Sordidatur. Vox ecclesiastica, quam apud probæ latinitatis auctores non reperies : sed adjectivum *sordidatus* passim apud Ciceronem.—*Ulli amnes abluant.* Ut ex cap. 20 infra patet, etiam hic respexit ad Cic. l. ii, de Leg. 10 : *Caste jubet lex adire ad deos, animo videlicet, in quo sunt omnia : nec tollit castimoniam corporis...* nam illud vel aspersione *aquæ... tollitur : animi labes nec diuturnitate vanescere,* nec amnibus ullis elui *potest.* Bun.

Isti autem. Mss. 4 et octo editi, *Ipsi.* Cæteri tum mss., tum impressi, *Isti.*

Digitized by Google

etiam miseri, quod non similes alii pereant, incredibili mentium cæcitate. Quid enim videant, qui solem non vident? Quasi vero si dii essent, indigerent hominum auxilio, adversus contemptores suos. Quid ergo nobis irascuntur, si illi nihil possunt? nisi, quod ipsi deos suos destruunt, de quorum potestate diffidunt, magis irreligiosi quam qui omnino non colunt. Cicero in suis Legibus, cum caste ad sacrificia præciperet accedere, « Pietatem, inquit, adhibento; opes amovento : qui secus facit, Deus ipse vindex erit. » Recte hoc quidem. Neque enim fas est desperare de Deo, quem ideo colas, quia potentem putes. Nam quomodo vindicare injuriam colentis se potest, si suam non potest? Libet igitur, ex his quærere, cui potissimum præstare se putent, cogendo invitos ad sacrificium. Ipsisne, quos cogunt? at non est beneficium, quod ingeritur recusanti. Sed consulendum est etiam nolentibus, quando quid sit bonum, nesciunt. Cur ergo tam crudeliter vexant, cruciant, debilitant, si salvos volunt? aut unde pietas tam impia, ut eos miseris modis aut perdant, aut inutiles faciant, quibus velint esse consultum? An vero diis præstant? at non est sacrificium, quod exprimitur invito. Nisi enim sponte atque ex animo fiat, execratio est; cum homines proscriptione, injuriis, carcere, tormentis adacti faciunt. Si dii sunt isti, qui sic coluntur, vel propter hoc solum colendi non sunt, quod sic coli volunt; digni scilicet detestatione hominum, quibus cum lacrymis, cum gemitu, cum sanguine de membris omnibus fluente libatur.

At nos contra non expetimus, ut Deum nostrum, qui est omnium, velit, nolit, colat aliquis invitus; nec, si non coluerit, irascimur. Confidimus enim majestati ejus, qui tam contemptum sui possit ulcisci, quam etiam servorum suorum labores et injurias. Et ideo cum tam nefanda perpetimur, ne verbo quidem reluctamur : sed Deo remittimus ultionem; non ut ii faciunt, qui defensores deorum suorum videri volunt, et sæviunt efferate adversus non colentes. Ex quo intelligi datur, quam non sit bonum deos colere; quoniam bono potius adducendi homines ad bonum fuerant, non malo. Sed quia illud malum est, etiam officium ejus bono caret. At enim puniendi sunt qui destruunt religiones. Num pejus nos destruimus, quam natio Ægyptiorum, qui turpissimas bestiarum ac pecudum figuras co-

VARIORUM NOTÆ.

Similes. Heuman. legit *simul et.*

Nobis irascuntur. Ms. 1 Bonon. antiq., *bonis.*

De quorum potestate diffidunt. De deest in mss. 2 Regiis; in altero rec. est *potestati.*

Cum caste. Proprio adversarios jugulans gladio, recitat legem 12 Tabularum, ex secundo Ciceronis de Legibus libro, cujus primum caput est : *Ad divos advento caste.* Rem præclarissime dictam plurativa perdit inflexione.

Pietatem, etc. Alterum caput, *Pietatem adhibento.* Pietas autem animi est, quo Deus colitur : juxta illud, *Deus spiritus est;* adorandus ergo in spiritu et veritate. Betul. Vide Ciceronem libro II de Legibus, sub init.

Opes amovento. Tertium hoc legis caput est, *Opes amovento* : ex Platonis, opinor, Alcibiade II desumptum, qui liber περὶ προσευχῆς inscribitur. At loco *facit,* existimat Betuleius legendum esse *faxit,* ut antiquarum legum majestas et stylus servetur.

Deus ipse vindex erit. Francius, forte *ipsi.* Ms. 1 Clarom. *illi Deus judex erit.*

Si suam non potest. Mss. 13 et edit. 5, *qui suam.*

Quos cogunt, etc. Epit. c. 55. Tertull. ad Scapul. c. 2 : *Nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi; quum et hostiæ ab animo libenti expostulentur. Ita etsi nos compuleritis ad sacrificandum, nihil* præstabitis *diis vestris; ab invitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi contentiosi sint : contentiosus autem Deus non est.* Bun.

Non est beneficium. Hinc e contrario Jureconsulti dicunt : Volenti non fit injuria.

Eos miseris modis aut perdant. Aut additum ex mss. et quamplurimis editis : in nonnullis deest.

Inutiles faciant. Eo alludit Lact., l. VI, c. 11 : *Largire...* debilibus, *claudis...* inutiles *sunt hominibus, sed utiles Deo.* Et infra, *egentes atque* inutiles *alere.* Bun.

Faciunt. Id est, sacrificant; et hoc sensu reperitur apud Varronem de L. L. lib. v, cap. 4, et Virgil. Eclog. 3, v. 77.

Quibus cum lacrymis. Sic legendum ex mss. et quamplurimis editis; in nonnullis impressis deest *cum.*

Qui est omnium. Scilicet Deus; mox enim præcessit *Deum.* Itaque perperam additur *creator* in mss. Cauc., 2 Reg. rec., Cant. et 11 editis : a cæteris abest.

Velit, nolit. Ita quamplurimi mss., inter quos sunt veterrimi et optimi 1 Bonon., 3 Reg., 5 Oxon., 5 Lips., 2 Colbert., aliique. In mss. 13 et editis 5 est *velint, nolint.* Bunemannus quoque admittit hanc ultimam lectionem, et notam sequentem exhibet. — Pluralem recepi ex Cauc., Lips. 2, 3 Goth., Emm., Reimm., Ven. 1472, utraque 78. Ad rem Tertullianus Apologet. 23 : *Bene est, quod* omnium Deus *est, cujus, velimus, aut nolimus, omnes sumus.* Bun.

Quam etiam. Addidi *etiam* ex 3 vulgatis et omnibus mss. præter 2 Reg. rec. in quibus deest, ut in plerisque editis. — *Quam etiam servorum.* Ego vero in Goth., Reimm., Emman., *quam etiam* inveniri addo et confirmo, tamquam Lactantio stylo conforme, ita ubi nihil obmovere potest Heumannus. Legitur de Ira, cap. 13. *Omnia propter hominem proposita,* tam *bona,* quam etiam mala. De Mort. pers., c. 48 : *Tam ego Constantinus Augustus, quam* etiam *ego Licinius Augustus.* Bun.

Labores. Id est, calamitates.

Ne verbo quidem reluctamur. Epit. cap. 53. Contra calumnias, quasi conspirarent Christiani contra imperatores, hæc faciunt. Bun.

Sed Deo remittimus. Remittimus, id est, *reservamus.* Lib. VI, c. 8 : *Ultionem suam non sibi assumat, sed judicio Dei reservet.* Bun.

Qui defensores deorum suorum. Mss. 10 rec. totidemque editi addunt *se esse.*

Efferate. Sic omnes. De hac vocula nondum ex antiquioribus observata nihil in lexicis, Krebsii dissertatione, Walchii diatribe. Bun.

Num pejus. Bene. Vide seqq. mss. 1 Bonon. *Num potius.*

Ægyptiorum. Non modo a christianæ philosophiæ scriptoribus, sed a prophetis quoque, Ægyptiorum superstitio male audit. De animalibus quæ ab Ægyptiis pro diis coluntur nemo copiosius scripsit, quam Herodotus in Euterpe. Vide etiam Philostratum, libro VI de Vita Apollonii, et Artheneum in septimo. Meminit etiam Cicero in Quinto Tusculan. Quæstion. et de Natura deorum lib. I. Sicut et Lucianus in Dialogo

Digitized by Google

lunt, quædam etiam pudenda dictu tanquam deos adorant? Num pejus quam iidem ipsi? qui, cum deos colere se dicant, tamen eos publice turpiterque derident; de quibus etiam mimos agi cum risu et voluptate patiuntur. Qualis hæc religio aut quanta majestas putanda, quæ adoratur in templis, illuditur in theatris? Et qui hæc fecerint non pœnas violati numinis pendunt, sed honorati etiam laudatique discedunt. Num pejus nos destruimus, quam quidam philosophi, qui omnino nullos deos esse aiunt : sed omnia sua sponte esse nata, omnia fortuitu fieri quæ geruntur? Num pejus quam Epicurei, qui esse quidem deos, sed curare quidquam negant; neque irasci eos, neque gratia commoveri? Quibus dictis utique persuadent, colendos omnino non esse; siquidem nec colentes respiciunt, neque non colentibus irascuntur. Præter-

VARIORUM NOTÆ.

de Sacrificiis. Videndus est etiam Euseb. lib. II de Præparat. Evangel. cap. I.

Qui turpissimas bestiarum ac pecudum figuras colunt. Qui geminus ab Ægyptiis cultus, alter Mnevis nuncupatus, et ab Heliopolitanis; alter Apis, et a Memphitis pro numine habitus. Sic Plutarchus in lib. de Iside et Osiride. Apim intelligit Tibullus, eum lib. I Eleg. 7 ait :

Te canit, atque suum proles miratur Osirim
Barbara, Memphitem plangere docta bovem.

Nam διακριτικῶς eum appellat *Memphitem bovem*, ab illo qui Mnevis nomine Heliopoli colebatur diversum. De Api etiam Cicero, lib. I de Natura deorum : *Quid igitur censes? Apim illum, sanctum Ægyptiorum bovem, nonne deum videri Ægyptiis?* Uti Plinius lib. VIII, c. 46 : *Bos in Ægypto etiam numinis vice colitur; Apim vocant.* Et paulo post : *Sunt delubra ei gemina, quæ vocant thalamos, auguria populorum. Alterum intrasse lætum est; in altero dira portendit.* Et Clemens Pseudo-Romanus lib. V Recognitionum : *Alii Ægyptiorum bovem, qui Apis dicitur, colendum tradidere.* Apidis etiam meminere Clemens Alexandrinus, Admonitione ad gentes; Mela, de Situ Orbis, lib. I cap. 19; Solinus, cap. 35; Lucianus in Concilio Deorum, et de Sacrific.; Spartian. in Hadriano : Diodor. Sicul. lib. I; Ælianus, de Animal. lib. XI, cap. 10, et aliis. Sub bove autem Ægyptii solem colebant. Macrobius lib. I, cap. 21 : *Taurum vero ad solem referri, multiplici ratione Ægyptius cultus ostendit : vel quia apud Heliopolim taurum Soli consecratum, quem Neton cognominant, maxime colunt; vel quia bos Apis in civitate Memphi Solis instar excipitur.* Ubi pro *Neton*, legendum censeo *Mnevim*, uti ab aliis vocatur; quæ haud dubie vera est lectio. Hæc cum scripsissem, incidi forte in locum Cl. Seldeni Syntag. I, de Diis Syris, ubi video jam ab eo monitum, *Mnevim* apud Macrobium reponendum esse. Ælianus autem lib. XI Histor. Animalium, cap. 11 ait, Apim non solis, sed lunæ symbolum fuisse; et, ut Heliopolitani bovem suum soli, ita Memphitas suum lunæ consecrasse. Ab hoc Ægyptiorum Apide veterum quidam volunt originem traxisse vitulum illum aureum, quem Israelitæ sibi in deserto erigebant, colebantque. Sic Lactantius lib. IV, cap. 10 : *In luxuriam prolapsi, ad profanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt. Cum enim Moyses dux eorum ascendisset in montem, atque ibidem quadragiuta dies moraretur, aureum caput Bovis, quem vocant Apin, quod eos in signo præcederet, figurarunt.* Idem et tradit de Jeroboami vitulis, de quibus I sive III Regum, cap. XII, 28. D. Ambrosius, sive alius quis in Epist. Roman., cap. I. Idem etiam de utrisque sentit D. Hieronymus ad cap. IV Hoseæ : *Videtur*, inquit, *idcirco mihi populus Israel in solitudine fecisse sibi vituli caput quod coleret, Jeroboam filius Nabat vitulos aureos fabricatus, ut quod in Ægypto didicerant, Ἄπιν καὶ Μνεῦιν, qui sub figura boum coluntur, esse deos, hoc in sua superstitione servarent.* Scimus tamen, quorumdam animantium cultum universis Ægyptiis communem fuisse, quorumdam etiam quibusdam tantum civitatibus observatum. De singulis quædam subjiciemus. Post bovem, de cujus cultu jam diximus, addit Strabo, *canem*. De hujus veneratione quoque Cicero lib. V Tuscul. Quæst. : *Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus, quamvis carnificinam prius subierint, quam ibim, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent.* Meminit et canis veneration is libro I de Legib; item Plutarchus in lib. de Iside et Osiride; et Juvenalis, satyra 15 :

Illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.

Clemens etiam Alexandrinus προτρεπτ. qui et indicat, canem præcipue a Cynopolitanis cultum. Κυνοπολῖται δὲ (σέβουσι) κύνα. De canis cultu etiam Herodotus in Euterpe, et Diodorus Siculus l. II, qui et addunt Ægyptios, in quorum domibus canis moreretur, solitos fuisse ad luctum indicandum, totum corpus radere. Felem quoque summo cultu sunt venerati; de quo cum Herodoto et Plutarcho, vide Ciceronem lib. I de Legibus, Tusculanar. Quæstion. lib. V, num. 78, et libro I de Natura deorum : *Ne fando quidem auditum est, crocodilum, aut ibim, aut felem violatum ab Ægyptio.* Juvenalis quoque satyra 15 :

Illic æluros, hic piscem fluminis....
..... venerantur.

Sic enim ibi legendum, non *cæruleos*, ut est in vulgatis, optime monuit Brodæus Miscellan. lib. VII, cap. II. Diodorus etiam Siculus Bibliothecæ Historicæ lib. I, causam hujus cultus adducit; quia felis contra aspidum aliorumque serpentium morsus utilis est. Felis quoque cultus meminit Plutarchus Symposiacon, lib. IV, quæst. 5. Et Clemens Pseudo-Romanus lib. V Recognit., loco ex parte superius jam allato : *Alii Ægyptiorum bovem, qui Apis dicitur, colendum tradidere, alii hircum, alii gattas.* Per *gattas* enim plane feles, sive æluros designat. Sic enim tum temporis locuti sunt, et *gattas*, vel *cattas*, feles appellabant. Unde in Gloss. *Catta.* αἴλουρος. Et aliæ : Κάττα, *Catta.* Sic Callimachi Scholiastes ait αἰλούρους, sive feles, κάττας ἰδιοτικῶς nominatas fuisse. Item Evagrius lib. VI, cap. 24 : *Catti* voce etiam utitur auctor Historiæ Barlaami, ubi de Ægyptiorum superstitionibus agit : *Quidam*, inquit, *illorum coluerunt ovem, quidam hircum, alii vitulum, et porcum, nonnulli corvum et accipitrem, et vulturem, et aquilam. Alii vero crocodilum, quidam cattum, et canem, et lupum, et simiam, et draconem; et aspidem : alii cepas, et allia, et spinas.* Porro apud Herodotum libro dicto legimus, Ægyptios ob felis mortem, non, ut in morte canis totum rasisse corpus, sed tantum supercilia. Addit deinde, feles mortuas saliri solitas atque ita Bubastim deferri, ubi sepeliebantur.

De quibus etiam mimos agi. Ita cum 4 editis omnes prope mss. In 2 Reg. rec., 1 Colb. a secunda manu, Cant. et 11 vulgatis est *per mimos agi.*—*Mimos agi.* Mimi hic non sunt ipsi actores, sed fabulæ; et nota phrasis *mimos agere*, restituta quoque a me in Epit., c. 55. De re ipsa Augustinus de Civ. Dei, l. IV, c. 26 : *In ludis scenicis... numinum crimina frequentantur.* Bun.

Sponte esse nata. Sic veteres editi sæculi XV, alii multi omittunt *esse.*

Fortuitu. Ita meliores et maximo numero mss. inter quos 6 Regii et 4 Colb. et editi. Scripti 9 quorum

Digitized by Google

ea cum contra metus disserunt, nihil aliud efficere conantur, quam ut nemo deos timeat. Et hæc tamen ab hominibus et audiuntur libenter, et disseruntur impune.

CAPUT XXII.

De furore dæmonum in Christianos, et errore infidelium.

Non ergo ideo adversus nos insaniunt, quia dii non coluntur a nobis : sed quia veritas penes nos est, quæ (ut est verissime dictum) odium parit. Quid igitur existimabimus, nisi nescire illos quid patiantur? Pergitur enim cæco et irrationabili furore ; quem nos videmus, illi nesciunt. Non enim ipsi homines persequuntur, qui causam cur irascantur innocentibus non habent : sed illi spiritus contaminati ac perditi, quibus veritas et nota est, et invisa, insinuant se mentibus eorum, et instigant nescios in furorem. Hi enim quamdiu pax est in populo Dei, fugitant justos, et pavent ; et cum corpora hominum occupant, animasque divexant, adjurantur ab his, et nomine Dei veri fugantur. Quo audito tremunt, exclamant, et uri se verberarique testantur; et interroganti, qui sint quando venerint, quomodo in hominem irrepserint, confitentur. Sic extorti et excruciati virtute divini nominis, exsolantur. Propter hæc verbera et minas, sanctos et justos viros semper oderunt. Et quia per se nocere his nihil possunt, publicis eos odiis persequuntur, quos sibi graves sentiunt; exercentque sævitiam quam violentissime possunt, ut aut eorum fidem minuant per dolorem, aut, si id efficere non quiverint, auferant omnino de terra, ne sint qui possint eorum nequitiam coercere. Non me fugit quid responderi e contrario possit. Cur ergo Deus ille singularis, ille magnus, quem rerum potentem, quem dominum omnium confiteris, hæc fieri patitur; nec cultores suos aut vindicat, aut tuetur? Cur denique qui eum non colunt, et opulenti, et potentes, et beati sunt, et honoribus regnoque potiuntur; eosque ipsos ditioni suæ ac potestati subjectos habent?

Reddenda et hujus rei ratio est, ne quid remaneat erroris. Nam in primis hæc causa est cur existimetur religio Dei vim non habere, quod inducuntur homines specie terrenorum ac præsentium bonorum, quæ ad curam mentis nullo modo pertinent : quibus quia carere justos videt, et affluere injustos, et Dei cultum inanem arbitrantur, in quo inesse illa non cernunt, et deorum ritus æstimant veros, quoniam cultores eorum, et divitiis, et honoribus, et regnis fruantur. Verum ii qui sunt in hac existimatione, non perspiciunt altius vim rationemque hominis ; quæ tota non in corpore, sed in mente est. Nihil enim vident amplius, quam videtur, corpus scilicet; quod, quia oculis manuque tractabile est, imbecillum, fragile, mortale est; cujus sunt illa omnia bona, quæ cupiditati, ac miraculo sunt, opes, honores, imperia, quoniam corpori afferunt voluptates; et ideo tam caduca sunt quam corpus ipsum. Animus vero, in quo solo est homo, quoniam subjectus oculis non est, nec bona ejus inspici possunt, quæ in sola virtute sunt posita; et ideo tam stabilis, et constans, et perpetuus sit necesse est, sicut ipsa virtus, in qua est animi bonum.

VARIORUM NOTÆ.

octo sunt recentissimi, habent *fortuito*. Sed *fortuitu* legitur apud ipsum Lactantium, lib. I cap. 2, lib. VII, cap. 9; apud Ciceronem Philipp. X, n. 2; X Attic. 6: lib. I Offic., n. 103, et II ad Her., 16.

Contra metus. Mss. 2 Reg. rec., 1 Colb., Brun. et edit. Betul. *contra metum.*

Dii non coluntur a nobis. Mss. 24 et editi 16. addunt, *A multis enim non coluntur.* Hæc autem respuunt mss. antiquissimi 1 Reg., 2 Bonon., Tax., Navarr. Vict., 1 Sorbon., 1. Colbert.

Odium parit. Terent. Andr., act. I, scen. 1.

Quid patiantur. Mss. Jun., Ultr., 1 Colb. et editi 4, *qui patiuntur?*

Pergitur enim cæco et irrationabili furore. Ita restitui ex mss. Regio-Put., 2 al. Reg. 6 Colb., Jun. aliisque undecim, necnon ex edit. 3 vet. Rom. et 5 al. In 2 Reg. scriptum est, *Feruntur enim cæco*, etc. In 1 Reg. rec. et 8 impressis, *Perciti enim perferuntur cæco*, etc.

Spiritus contaminati. Vide supra libro II, capit. 16.

Animasque divexant. Sic antiquiores et potiores mss. ac 7 editi, et Lactantius I. VII, c. 15. In mss. rec. 3 Reg., 3 Colb., 5 Oxon. et 5 aliis ac 6 vulgatis est *diu vexant.*

Quo audito tremunt, exclamant, etc. Prudent. Apotheos.

torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest : agitant miserum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.

Excruciati virtute divini nominis, exsolantur. Sic lego cum mss. 3 Reg. quorum unus est antiquissimus, 2 Colb., 1 Brun. Accedunt Cauc., 1 Reg., 3 Colbert. qui referunt, *exulantur;* 2 Reg. et Jun., *expelluntur;* 1 Reg. *exultantur;* 1 Reg. et Marm., *exultant;* quid pejus dici potest? 1 Reg. rec. alter Brun. et 18 edit., *exulant.* Forte legendum, *exululant.* Lactantius enim libro II, de Origine erroris, cap. 16, ait : *Nec Deo per quem adjurantur... mentiri possunt. Itaque, maximis sæpe ululatibus editis, verberari se, et ardere, et jam jamque exire proclamant.* Proclive esset emendare *ejulant*, si concurrerent mss. Hoc enim verbum memini me legere apud priscos Patres, cum agunt de exorcismorum virtute : inter eos Cyprianus, de Idolorum Vanit. : *Dæmones tamen adjurati per Deum verum nobis statim cedunt, et fatentur, et de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce et oratione occulte flagellis cædi, igni torqueri, incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere*, etc.

Quæ tota non in corpore, etc. Reposui *tota* ex 12 excusis, omnibusque mss. quod fuerat neglectum in 1 Bonon. antiq. et nonnullis editis.

Quod quia oculis manuque tractabile est. Ita omnes ferme mss. et octo editi. Scripti rec. Reg., 1 Colb., 2 Clarom. novemque vulgati post *quod quia*, addunt *videtur oculis*, sed perperam ; quippe Lactantius etiam dixit *oculis contrectari* lib. de Opificio, cap. 1. Vide not. ibidem ; et lib. II Div. Inst. cap. 6, *contemplatione contrectent.*

Inspici possunt. Mss. 10 rec. et 9 edit., *aspici.*

Universas virtutis species. Scripti 6 rec. totidemque impressi ferunt, *virtutum ;* Brun. *omnes virtutum species.* (*Vide infra* col. 625, lin. 3.)

Ab illis bonis abhorrere. Mss. Cauc. et 2 Reg. et octo editi interponunt *omnibus.* (*Vide infra* col. 625 lin. 5.)

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

De justitia et patientia Christianorum.

Longum est universas virtutis species promere, ut de singulis doceam quam necesse sit sapientem ac justum virum longe ab illis bonis abhorrere; quibus quia fruuntur injusti, deorum cultus veri et efficaces esse creduntur. Quod ad præsentem pertinet quæstionem, satis est si ex una virtute id probemus quod intendimus. Nempe magna et præcipua virtus est patientia, quam pariter et vulgi voces publicæ, et philosophi, et oratores summis laudibus celebrant. Quod si negari non potest quin summa sit virtus, necesse est justum et sapientem virum in potestate esse hominis injusti, ut capiat patientiam. Patientia est enim malorum quæ aut inferuntur, aut accidunt, cum æquanimitate perlatio. Ergo justus ac sapiens, quia virtutem capit, habet in se patientiam; qua carebit omnino, si nihil patietur adversi. Contra, qui in rebus prosperis agit, impatiens est, et virtute maxima caret. Impatientem dico, quia nihil patitur. Innocentiam quoque servare non potest, quæ et ipsa justo et sapienti viro propria virtus est. Sed et nocet sæpe, et concupiscit aliena, et rapit, quæ cupierit, per injuriam; quia virtutis expers, vitio peccatoque subjectus est, et fragilitatis oblitus, animo insolenter elato tumet.

Inde injusti, ac Deum nescientes, et divitiis, et potentia, et honoribus florent. Hæc enim cuncta in- A justitiæ præmia sunt; quia et perpetua esse non possunt, et per cupiditatem violentiamque quæruntur. Justus vero ac sapiens, quia illa omnia humana (ut est a Lælio dictum) sua bona, divina judicat, nec alienum quidquam concupiscit, ne quem contra jus humanitatis lædat omnino, nec ullam potentiam honoremve desiderat, ne cui faciat injuriam. Scit enim cunctos ab eodem Deo, et eadem conditione generatos, jure fraternitatis esse conjunctos. Sed et suo contentus, et parvo, quia fragilitatis suæ memor, non amplius quærit, quam unde vitam sustentet; et ex eo ipso, quod habuerit, impertit etiam non habenti, quia pius est: pietas autem summa virtus est. Eo accedit, quod voluptates caducas vitiosasque contemnit, quarum causa opes B appetuntur; quoniam continens est, ac libidinum victor. Idem nihil tumoris atque insolentiæ gerens, non extollit se altius, nec erigit superbum caput: sed placidus, et concors et comis, et planus est, quia conditionem suam novit. Cum ergo injuriam nulli faciat, nec aliena cupiat, nec sua quoque, si vi auferantur, defendat: cum sciat etiam illatam injuriam moderate ferre, quia virtute præditus est: necesse est justum hominem subjectum esse injusto, et contumeliis affici ab insipiente sapientem, ut et ille peccet, quia injustus est, et hic in servitutem abeat, quia justus est.

Si quis autem volet scire plenius, cur malos et injustos Deus potentes, beatos et divites fieri sinat; C pios contra, humiles, miseros, inopes esse patiatur:

VARIORUM NOTÆ.

Celebrant. Mss. 2 Reg. rec., Cant. et 4 edit. *concelebrant;* 1 al. Reg. rec. *colebant.* Bunemannus vero habet, *summis laudibus concelebrant*, et sic rationem reddit hujus lectionis variantis.—Ms. Cantabr. et vetus ed. Rom., *concelebrant*, quod aptius numero, cujus observantissimus noster est, quam vulgatum *celebrant.* CELL.

Perlatio. Vox rara vel etiam nova. — *Perlatio. Tolerantia.* Hoc sensu Lactantius, quod sciam, primus dixit. Conf. not. ad lib. III, cap. 2; alios ensu lexicis ignoto Hyginus in præfat. lib. I. poet. Astron.: *Uniuscujusque historias causamque ad sidera perlationis ostendimus.* BUN.

Non potest. Id est, *vix potest.*

Vitio peccatoque subjectus. Post hæc verba, mss. 2 Reg. quorum unus est antiquisimus, et Marm. sexque editi addunt, *Domini affectat in liberos, quia temperantiam non habet.*

Subjectus est. Cancellis inclusum quidam addunt, *Dominari affectus in liberos, quia temperantiam non habet, frag.* At exterminant illa verba libri Bon., Tax., Pen., Pal., Jun., Angl., Lips., Reimm. et editi ab anno 1645, 1524, et Gymn., Thomas., Isæus, Gall., Spark., reliqui. BUN.

Quia illa omnia humana. In quamplurimis mss. et 7 vulgatis additur *sunt*, quod a vetustissimis mss. 3 et ab octo editis abest.

Lælio. Vide Cic. ut supra cap. 12, 18 et 19, ex tertio de Repub. — *Quia illa omnia, (ut est a Lælio dictum), sua bona divina judicat.* Aperte provocat ad Lælii verba, quæ indicavit noster, c. 18: *Huic tu viro* (justo) *quas divitias objicies?... Quæ regna? Qui* ista putat humana, sua bona divina judicat; et infra, *Quæ virtus, si bona sua divina judicat?* BUN.

Et eadem conditione. Reimm.; *ab eodem Deo, eadem conditione*, omisso, *et.* Goth., Angl., Rost., Ven. 1493, 97, Ald. et reliqui, *et eadem conditione.* L. V, c. 14: Deus, qui *homines generat... eamdem* conditionem *vivendi omnibus posuit.* Epitom., c. 59: *Si* nos *idem Deus fecit, et universos... pari conditione generavit, fraterna... necessitudine cohæremus.* BUN.

Impertit. 2 Colb. *impartit;* Jun. et 4 edit. *impartitur.*

Eo accedit quod. Sic reposui ex mss. 2 Reg. antiquissimis, Cauc, aliisque sex, et edit. 4. In 11 rec. est, *Et accedit ex eo quod.* In 2, rec. Reg. et 6 impressis, *Et accedit ex eo quod;* in 1 Bon. et 3 vulgatis *Accedit quod.* In 1 Reg. rec. *Accedat quod.*

Libidinum victor. Hoc enim nomine Aristoteles continentiam patientia potiorem judicat, quod vincere præstantius est, quam resistere: sicut D etiam præstantius est vincere, quam non vinci. BETULEIUS.

Idem nihil tumoris. Mss. 3 Reg. rec. *Id. est, nihil tumoris;* 1 Reg., Jun. et 4 vet. edit. *et nihil tumoris;* scripti 6 et 4 vulgati, *timoris*; male. Fit enim antithesis ad superiora, ubi dixerat, *impatientem elato animo insolenter tumere.*

Planus est. Sic supra Lactantius eodem libro, cap. 15, ad finem, id est, humilis.

Nec aliena cupiat. Loquitur hic de justo et vere sapiente, sc. Christiano. Quid vero magni, si *hic nihil rapiat?* ne cupit quidem. Hinc de eodem dixit sup. *Nec alienum quidquam concupiscit;* et l. VI, c. 24: Nihil omnino appetat, *nihil concupiscat alienum.* BUN.

Et hic in servitutem abeat. Mss. 25 et edit. 3: *Et hic in se virtutem habeat:* sed contra mentem Lactantii, qui id solum efficere vult, virum bonum esse in potestate hominis injusti. Vide supra *justum hominem subjectum esse injusto;* et infra, *idcirco enim*

Digitized by Google

sumat eum Senecæ librum cui titulus est : Quare bonis viris multa mala accidant, cum sit providentia ; in quo ille multa, non plane imperitia sæculari, sed sapienter ac pene divinitus elocutus est. « Deus, inquit, homines pro liberis habet : sed corruptos et vitiosos luxuriose ac delicate patitur vivere, quia non putat emendatione sua dignos. Bonos autem, quos diligit, castigat sæpius, et assiduis laboribus ad usum virtutis exercet ; nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac depravari sinit. » Unde nemini mirum debet videri, si pro nostris sæpe delictis castigamur a Deo. Imo vero, cum vexamur ac premimur, tum maxime gratias agimus indulgentissimo patri ; quod corruptelam nostram non patitur longius procedere, sed plagis ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus esse nos Deo curæ ; quoniam, cum peccamus, irascitur. Nam cum posset populo suo, et opes, et regna largiri, sicut dederat ante Judæis, quorum nos successores ac posteri sumus ; idcirco enim voluit sub aliena ditione atque imperio degere, ne rerum prosperarum felicitate corruptus, in luxuriam laberetur, ac Dei præcepta contemneret, sicut illi majores nostri, qui sæpe terrenis ac fragilibus his bonis enervati, aberrarunt a disciplina, et legis vincula ruperunt. Providit ergo, quatenus cultoribus suis præstaret quietem, si mandata servassent, et tamen eos emendaret, si præceptis non obtemperassent. Itaque ne tam corrumperentur otio, quam patres eorum licentia, premi eos voluit ab iis, in quorum manibus eos collocavit, ut et labantes confirmet, et corruptos ad fortitudinem reparet, et fidos experiatur ac tentet. Quomodo enim potest imperator militum suorum probare virtutem, nisi habuerit hostem? Et illi tamen adversarius exurgit invito, et quia mortalis est, et vinci potest. Deo autem quia repugnari non potest, ipse adversarios nomini suo excitat, non qui contra ipsum Deum pugnent, sed contra milites ejus, ut devotionem ac fidem suorum vel probet, vel corroboret, donec pressuræ verberibus diffluentem colligat disciplinam.

Est et alia causa cur adversum nos persecutiones fieri sinat, ut Dei populus augeatur. Nec est difficile monstrare cur aut quomodo id fiat. Primum, fugantur a deorum cultibus plurimi, odio crudelitatis. Qui enim talia sacrificia non horreant? Deinde placet quibusdam virtus ac fides ipsa. Nonnulli suspicantur, deorum cultum non sine causa malum putari a tam multis hominibus, ut emori malint quam id facere,

VARIORUM NOTÆ.

voluit sub aliena ditione atque imperio degere... premi eos voluit ab iis in quorum manibus eos collocavit. At secundam lectionem admittit Buneman. et sic illam defendit : — *Et hic in se virtutem habeat.* Vix dixit ! *Necesse est justum hominem subjectum esse injusto*, quorsum denuo : *justum in servitutem abire*, quia justus est. Contra, si legas, *in se virtutem habeat*, justa est oppositio inter peccatum et virtutem. Ergo justus ac sapiens, quia *virtutem* capit, *Habet in se patientiam.* Phrasis occurrit, l. v, c. 10 : Quisquamne putet *hunc aliquid in se virtutis habuisse?*

Quare bonis viris. Abest *viris* a mss. Brun.

Deus, inquit, homines pro liberis habet. Hæc ipsa verba haud certe reperias apud Senecam. Quare aut Senecæ liber excidit, aut quasi Senecæ verbis eam Lactantius extulit sententiam, ut et alibi factitat. Horum verborum sententiam habes in ejus libello de divina Providentia, sub initium. Isæo.

Castigat. Vide Proverb. cap. III, v. 12; ad Hebræos XII, v. 6; Apocal. III, v. 19.

Unde nemini. Ms. 1. Bonon. *Nec mirum.*

Quum vexamur..... gratias agimus. Cyprianus de Lapsis, in principio : *Quamvis agere gratias nostra vox nec in persecutione cessaverit.* Adde notas ad Lact. I. VI, c. 25 : *Etiam in malis gratias agat.* Bun.

Tum maxime gratias agimus. Act. V, v. 12. Chrysost. Homil. 5, de Jobo : *Qui amore Christi aduritur, eligeret potius vinctum esse pro Christo, quam cœlos inhabitare, clariusque hoc habebit, quam super duodecim sedes sedere, quamdiu voluntas Dei est, quod patiatur.* Jo. Gerardi.

Quoniam, cum peccamus, irascitur. Ita scripti 9 rec. totidemque vulgati. *At quibus cum peccamus, irascitur*, habent mss. Cauc., Pal., 1 Lips., 1 Colb. et editi quidam. In 13 manu exaratis et 4 impressis, *quibus, quoniam peccamus, irascitur.* 1 Brun. pro *quoniam* habet *quando.*

Quorum nos successores ac posteri. In locum enim Judæorum a Deo reprobatorum gentiles insiti sunt tanquam surculi, quasi oleastri inserti in illis, et socii radicis et pinguedinis olivæ facti, participantes eumdem spiritum fidei et gratiæ, qui fuit in Abramo et veteribus Judæorum patriarchis : sic a Christo suscitati sunt Abrahæ filii, ejus habentes fidem, operaque facientes.

Aberrarunt a disciplina, et legis vincula ruperunt. Mss. 8, *aberraverunt.* 1. Reg. antiquissimus, pro *et legis*, habet *et Dei.* Alter veterrimus Reg. cum aliis 4 rec. *aberrarunt a disciplina legis, vinculaque ruperunt ;* item 4 Reg. rec., 4 Colbert. et 5 impressi *aberravérunt.*

Deo autem quia repugnari non potest. Mss. 2 Reg. rec. et 2 Clarom. *cui* pro *quia.*

Sed contra milites ejus. Immo in militibus imperator, in membris caput violatur. Actor. IX : *Saule, Saule, quid me persequeris?* Rivet.

Pressuræ verberibus. Ita restitui ex 1 Reg. antiquissimo, 7 al. Reg., 6 Colbert. aliisque decem, et editis 12. In 1 Bonon. antiq. est *pressura verberibus ;* in Thys. et Gall. *pressuræ et verberibus*, male. Deest *pressuræ*, in Regio-Put. et forsan aptissime. — *Pressuræ verberibus. Pressura*, vox nostro et patribus pro *persecutione, calamitate*, frequens. Conf. infra, *persecutiones.* Lact. l. IV, c. 26 : *Pressurarum nobis ac laborum et miseriarum præbebat exemplum.* Lib. VII, c. 17 : *Erit* pressura *et contritio.* Obiter hic observo, alibi esse magis reconditum usum hujus vocis, ubi medicis pressura notat *somnum gravem*, alias oppressionem. Bun.

Diffluentem. Sic reposui ex edit. Cellar. et omnibus libris mss. præter rec. 2 Reg., 2 Colb., 1 Clarom. et edd. in quibus est *defluentem.*

Colligat disciplinam. Ita emendavi ex antiquissimo et optimo Regio-Put. In 2 al. Reg. Tornes., 3 Colb. et editis *corrigat.* 1 Reg. et Brun. *corrigant.*

Monstrare. 1 Bonon. antiq. *monstrari* ; 1 Reg. rec. *demonstrare.*

A deorum cultibus. Ita optimi et antiquissimi mss. Bonon. et Reg. aliique plures cum scripti, tum editi ; idque propius est rei exprimendæ, quam *cultoribus*, quod est in 17 recentioribus mss. et 8 vulgatis. Legitur *cultus* plurali numero passim apud Lactantium. Præterea apud Claudianum, quamvis alia notione, epigram. 25.

Digitized by Google

quod alii faciunt, ut vivant. Aliquis cupit scire quodnam sit illud bonum, quod ad mortem usque defenditur; quod omnibus, quæ in hac vita jucunda sunt et chara, præfertur; a quo, nec bonorum, nec lucis amissio, nec dolor corporis, nec viscerum cruciamenta deterrent. Valent hæc plurimum. Sed illæ maxime causæ nostrorum numerum semper auxerunt. Audit circumstans populus inter ipsa tormenta dicentes, non sacrificare se lapidibus humana manu factis, sed Deo vivo, qui sit in cœlo. Multi hoc verum esse intelligunt, et in pectus admittunt. Deinde, ut fieri solet in rebus incertis, dum inter se invicem quærunt, quæ sit hujus perseverantiæ causa, multa quæ ad religionem pertinent, divulgata ac per rumorem vicissim aucupata discuntur, quæ quia bona sunt, placeant necesse est. Præterea, ultio consecuta, sicut semper accidit, ad credendum vehementer impellit. Ne hæc quidem levis causa est, quod immundi dæmonum spiritus, accepta licentia, multorum se corporibus immergunt; quibus postea ejectis, omnes qui resanati fuerint, adhæreant religioni, cujus potentiam senserunt. Hæ tot causæ in unum collatæ magnam Deo multitudinem mirabiliter acquirunt.

A

CAPUT XXIV.

De ultione divina in Christianorum tortores.

Quidquid ergo adversum nos mali principes moliuntur, fieri ipse permittit. Et tamen injustissimi persecutores, quibus Dei nomen contumeliæ ac ludibrio fuit, non se putent impune laturos, quia indignationis adversus nos ejus quasi ministri fuerunt. Punientur enim judicio Dei, qui, accepta potestate, supra humanum modum fuerint abusi, et insultaverint etiam Deo superbius, ejusque nomen æternum vestigiis suis subjecerint impie nefarieque calcandum. Propterea vindicaturum se in eos celeriter pollicetur, et exterminaturum bestias malas de terra. Sed idem, quamvis populi sui vexationes et hic in præsenti soleat vindicare; tamen jubet nos expectare patienter illum cœlestis judicii B diem, quo ipse pro suis quemque meritis aut honoret, aut puniat. Quapropter non sperent sacrilegæ animæ contemptos et inultos fore, quos sic obterunt. Veniet, veniet rabiosis et voracibus lupis merces sua, qui justas et simplices animas, nullis facinoribus admissis, excruciaverunt. Nos tantummodo laboremus, ut ab hominibus nihil aliud in nobis, nisi sola justitia puniatur. Demus operam totis viribus, ut mereamur a Deo simul, et ultionem passionis, et præmium.

VARIORUM NOTÆ.

Accipe regales cultus.

Partim *ex* CELLARIO.

Aliquis cupit scire. Sic restitui ex omnibus mss. præter 1 Reg. rec. in quo legitur, ut in editis, *Aliqui cupiunt scire*: 1; al. rec. Regius, *Alii*.

Quodnam sit. Ita reposui ex cunctis mss. præter 1 C Clarom., cui est *quod non sit*; 1 Reg. et 3 Colb. in quibus, sicut et ineditis, est *quidnam sit*.

Non sacrificare se lapidibus. Pro *non*, ms. Jun. et 7 edit. habent, *nolle*. — *Lapidibus humana manu factis.* Vindicamus iterum ad lib. de Ira, c. 2: *Abjicere. . . cultus humana manu fabricatorum.* Ipse Cicero f. v, in Verrem cap. ultimo dixit, *Effigiem non humana manu factam.* BUN.

Ultio consecuta. Mss. 10 rec. et edit. 2, *secuta*. Hoc probat Lactantius in libro de Mortibus persecutorum. — *Ultio consecuta.* Quod auctor de Mortibus persecutorum probat. Lips. autem *consecuta*: Angl. *secuta*. CELLARIUS.

Ne hæc quidem levis causa est. Sic restitui ex 8 Reg., 2 Bon. aliisque octo, et editis 7, quod suavius fluit, quam *nec hæc* 4 manuscriptorum totidemque editorum. In 2 Reg. rec. et edit. Rom. 1470, *nec quidem*.

Immundi.... immergunt. Cyprian., l. II, ep. 2: *Immundos spiritus, qui se hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere, ut excedant.* BUN.

Adhæreant religioni. Mss. 11, *adhærent*. — *Adhæreant religioni.* Quasi causa reddatur cur permittat Deus tam multos a dæmonibus agitari; nempe *ut resanati adhæreant*, ac reliqua. BUN.

Bestias malas. Sic Christianorum vexatores vocat Lactantius supra cap. 11, et pluribus in locis lib. de Mortibus persecutorum, scilicet cap. 4, 9, 16, 25, 32 et 39, ubi plura. Vide Apocalyps. cap. 19. Dominum autem sibi reservasse ultionem ex hoc capite notum, et ex Deuter. XXXII, v. 35; et Psalm. LXXVIII, 10; Rom. XII, 19; Hebr. X, 30.

Vexationes. Eleganter vocat ita persecutiones. Nostrum, ut in aliis, sic in hac voce sequitur Sulpic. Severus l. II Hist. c. 1: *Vexationes populi christiani.* Lib. II, c. 32: *Christianorum vexatio.* BUNEMAN.

Jubet. Vide Deut. XXXII, Eccl. XXVIII, Rom., XII, Hebr. X.

Quos sic obterunt. Ms. 1 Bonon. antiq. *hic*.

Veniet, veniet rabiosis. Ita plures mss. inter quos 1 Reg. antiquissimus, 1 al. Reg. bonæ notæ, Goth., Marm. et edit octo. In multis deest repetitio, quam amat Lactantius, ut lib. VI, cap. 2, *Ilic, hic, Marce Tulli, aberrasti*; et lib. VII, cap. 25, ad finem, *Illa, illa est civitas.* In sex tamen sæculi XV editionibus semel tantum est, *veniet*. — *Veniet, veniet.* Sæpe ita Hieronymus ad Heliodorum f. 1, 2: *Veniet, veniet postea dies*; fol. 4: *Veniet, veniet illa dies.* Epist. de Vitando suspecto Contubernio, fol. 227: *Veniet, veniet tempus.* BUNEMAN.

D *Ut ab hominibus nihil aliud in nobis.* Reposui *aliud* ex omnibus mss. et quampluribus impressis, quod in nonnullis editis decrat. Ita et, *nihil. . . . aliud ab homine*, initio libri sexti. Hic *justitia* sumitur pro cultu Dei, more scilicet Lactantiano.

ANALYSIS LIBRI SEXTI,

DE VERO CULTU.

De agnitione Dei dictum est hactenus: docebo nunc, quo ritu, quove sacrificio Deum coli oporteat. Cultus Dei vel falsus est, vel verus. Falsus est paganorum, qui quidquid aspectu rarum, quidquid opere

Digitized by Google

aut odore pretiosum est, id gratum esse diis suis judicant (*Cap.* 1).

Itaque mactant iis pingues hostias, quasi esurientibus; profundunt vina, tanquam sitientibus; accendunt lumina, velut in tenebris agentibus.

Verus cultus est in quo mens colentis se ipsam Deo immaculatam victimam sistit: de quo nunc ita agendum ut, manentibus præceptis philosophorum de probitate, superstruamus præcepta pietatis et justitiæ (*Cap.* 2).

Ut autem cultus, ita via quoque duplex est, per quam humanam vitam progredi necesse est: una quæ in cœlum ferat, altera quæ ad inferos deprimat.

Philosophi alteram virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum; et illam quidem primo aditu arduam, in summo vero amœnam; hanc contra primo ingressu amœnam, in reliquo spatio confragosam. Sapienter hæc quidem: sed si virtutum formas, sed si virtutum terminos novissent.

Poetæ hoc bivium apud inferos esse voluerunt: qui in eo falluntur, quod eas vias mortuis proposuerunt.

Nos igitur rectius duas illas vias cœli et inferorum esse dicimus; quia justis immortalitas, injustis pœna æterna proposita est. Quæ et causa est cur has vias longe aliter nos, quam philosophi, explicemus (*Cap.* 3).

Una igitur virtutis via est, quæ fert ad cœlum, difficilis et clivosa. In hac posuit justitiam, temperantiam, patientiam, fidem, cæterasque virtutes: sed simul cum his paupertatem, ignominiam, laborem, etc.

Una est et sinistra via, quæ ad orcum mittit: cujus figura plana, et patens, et omni genere florum delectabilis esse videtur. In hac opulentia, honor, quies, voluptas, illecebræ omnes sunt positæ; sed cum his pariter injustitia, crudelitas, superbia, perfidia, libido, cæteraque vitia.

Illam si quis patienter triverit, corona virtutis, immortalitate nimirum donatur: hac si quis ierit, ad inferos dejicitur. In illa monstrantur temporalia prius mala cum æternis bonis: in hac temporalia prius bona cum æternis malis.

Præstat igitur perpetuis bonis mala brevia pensare, quam pro brevibus et caducis bonis mala perpetua sustinere. Laboramus in hoc sæculo, et cum hostibus nostris decertamus, ut postmodum simus in otio: magno labore ea nobis paramus, quæ perire rursum possunt. Decertandum igitur est adversus hostem nostrum spiritualem: recusandus labor nullus, quo id acquiramus, quod nullo modo potest amitti; præsertim cum velit Deus nos expeditos in acie semper stare, et hostis noster variis nos artibus captet, pro cujusque natura et moribus sæviens.

Viam porro virtutis quæsiverunt quidem philosophi, non autem invenerunt; quippe qui nec virtutem definire, nec quid sit bonum et malum intelligere potuerunt.

Lucilius virtutem definiit boni et mali scientia; falso, scientia enim non potest esse virtus, quia non est intus in nobis, sed ad nos extrinsecus venit, et potest esse sine virtute, sicut in plurimis philosophorum fuit.

Horatius virtutem fuga vitiorum descripsit: inepte, quod eam contraria terminavit (*Cap.* 5).

Nescierunt quid sit bonum et malum, quia nec Deum bonorum, nec adversarium humani generis malorum auctorem sciverunt. Et quod consequens est, ad hanc brevem vitam finem bonorum retulerunt; quod patet ex Lucilio, qui virtutem in iis rebus quærendis statuit, in quarum contemptu vis virtutis apparet, quique virtutem putat fines patriæ propagare, quæ propagatio cum summa est injustitia conjuncta. Et fatetur Cicero ipse Romanos veri juris, germanæque justitiæ solidam et expressam effigiem nullam tenere (*Cap.* 6).

Fuerunt quidem sapientes nonnulli habiti et nominati: sed et isti similitudinem duntaxat, speciemque sapientium gesserunt. Ut enim via sapientiæ habet aliquid simile stultitiæ, ita via vitiorum, cum tota sit stultitia, habet aliquid simile sapientiæ, quod arripiunt ii, qui stultitiam publicam intelligunt. Et hæ sunt artes diaboli, qui ostensa hominibus specie veri et boni, variis semitis eos ad eamdem mortem ducit (*Cap.* 7).

Causa cur non invenerint viam veritatis et virtutis philosophi, est, quia eam in terra, ubi apparere non potest, quæsiverunt. Nobis autem lex Dei revelata est, quæ perinde ut stellæ nautis noctu, nobis prælucet ad viam sapientiæ.

Lex illa est recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna: quæ vocet ad officium: jubendo, vetando, a fraude deterreat: quemadmodum præclare Cicero eam depinxit, lib. III de Republica.

Legis hujus capita quædam sunt primaria, quædam secundaria. Primaria duo sunt: unum de pietate, alterum de humanitate (*Cap.* 8).

Pietas est Deum nosse et colere: cujus Dei ignorantia facit, ut diis alienis homo serviat; ut gentis suæ leges tanquam verum jus amplectatur, quas non justitia, sed utilitas reperit; utque adeo omnes virtutes Ethnicorum sint instar corporis, quod est sine capite.

Impius igitur est, quisquis Deum non agnoverit; omnesque virtutes ejus in illa mortifera via reperiuntur, quæ est tota tenebrarum. Idem insanus est qui dempta spe immortalitatis, quam Deus pollicetur in sua religione versantibus, virtutem propter se expetit, et omnis generis pericula subit.

Contra sapiens est qui Deum novit, et debita pietate prosequitur (*Cap.* 9).

Humanitatis est virtus, quæ nos conjungit cum homine; quæ eadem et misericordia dicitur. Hæc dignissima homine est; quia ab uno homine omnes orimur, ideoque consanguinei sumus: quia item Deus præcipit, inimicitias per nos nunquam faciendas, semper esse tollendas; denique quia ab uno Deo omnes inspirati et animati sumus.

Contrarium humanitatis adversum est feritas, sive immanitas belluina, quæ contra jus humanitatis spoliat, cruciat, occidit, exterminat homines.

Errant igitur philosophi qui misericordiam de homine sustulerunt; primumque sibi ipsi contradicunt, qui societatis humanæ communionem docent esse retinendam, et tamen humanitatem ipsam ab homine excludunt. Deinde aut hac de causa sunt homines congregati, ut mutuis auxiliis imbecillitatem suam tuerentur, aut humanitatis ipsius causa. Si prius verum, succurrendum est igitur homini qui egeat auxilio. Sin posterius, homo certe hominem debet agnoscere. Et si fecerunt hoc rudes et feri illi homines, utique expoliti et assueti hominibus facere id multo magis debent (*Cap.* 10). Qui hoc non facit, hominis se appellatione dispoliat. Præterea si in iis casibus, qui periculum vitæ homini afferunt, succurrere humanitatis esse concedunt, nulla causa est cur si homo esuriat, sitiat, algeat, succurrendum esse non putent.

Errat et Cicero qui in libris suis Officialibus suadet non esse omnino largiendum; refrænansque homines ab humanitate monet, ut rem familiarem diligenter custodiant, malintque arcam quam justitiam conservare.

Errat idem in eo, quod hominibus IDONEIS de re familiari impertiendum scribit; quia humanitatis officia utilitate metitur: cum non idoneis, hoc est iis qui gratiam referre possint, sed iis, qui non sunt idonei, sit largiendum. Contradicit etiam sibi ipse, qui pluribus locis clamat, virtutem non esse mercenariam; et promptum est hinc colligere, si virtus propter se expetenda est, non esse justitiam nostro commodo, sed suo pretio æstimandam. Taceo, quod isti, quia neque naturam retinent, neque præmium

Digitized by Google

in eo quod fit, sciunt, dum perdere timent, perdunt, dum vel patrimonia sua effundunt, vel opes exhibendis muneribus impendunt, vel publicis operibus extructis memoriam nomini suo quærunt, vel denique tribulibus suis aut clientibus largiuntur (*Cap.* 11).

Humanitatis surculi sunt : hospitalitas, captivorum redemptio, viduarum defensio, ægrotorum cura, peregrinorum et pauperum sepultura.

Hospitalitas præcipua virtus est, quam Deus præcepit : sed de qua rursus erravit Cicero, qui voluit domos nostras hospitibus illustribus patere. Atqui humilibus et abjectis patere domus nostræ debent.

Captivorum redemptio proprium etiam justorum opus est, largitioni munerum longe antepouendum.

Pupillorum et viduarum defensio divina lege universis demandata est.

Ægros qui curat, fovetque, hic vivam hostiam Deo acquirit, et quod alteri dat ad tempus, ipse a Deo accipiet in æternum.

Maximum etiam pietatis officium est peregrinorum et pauperum sepultura. Quod Philosophi prorsus non attigerunt.

Quæritur hic, *an omnia in egenos conferenda ?*

Respon. Bonum non timere paupertatem, et qui apud Deum dives est, pauperem esse nunquam posse. Deinde pro virili parte quemque operari debere justitiam, ut quantum divitiis inter cæteros, tantum opere præcellat (*Cap.* 12).

Liberalitas igitur exercenda est, quia peccata largitione tolluntur, nemoque sine delicto esse potest, quamdiu indumento carnis oneratus est (*Cap.* 13).

Liquet hinc, longe abfuisse ab humano bono philosophos stoicos, qui hanc virtutem, misericordiam dico, pro vitio semper habuerunt : et tollendo vitia, virtutes ipsas sustulerunt, et eodem tandem reciderunt per imprudentiam, quo peripatetici perveniunt ratione ; vitia, quia tolli non possunt, esse moderanda (*Cap.* 14 *et* 15).

Quanquam et peripatetici ipsi errarint, qui vitia esse concesserunt : sed ea mediocriter temperarunt ; quia et mediocribus vitiis carendum est, et monstrandum est, non ipsos affectus, sed eorum causas esse moderandas (*Cap.* 16).

A Metus et cupiditas si projiciantur in terram, vitia fiunt ; virtutes autem, si ad divina referantur. Non igitur evellendi hi affectus, ut stoici, neque temperandi sunt, ut peripatetici volunt ; sed in veram viam dirigendi (*Cap.* 17).

Secundaria legis capita sunt, ut cultor Dei non mentiatur unquam : pecuniæ, si quam crediderit, non accipiat usuram ; munus non accipiat a paupere ; male dicenti bene dicto respondeat ; inimicum sua culpa non faciat ; illatam sibi injuriam non vindicet.

Male igitur definit Cicero virum bonum, qui prosit omnibus, noceat nemini, nisi lacessitus injuria. Si enim nocet lacessitus, ex hoc ipso viri boni nomen amittit, cum nocere alteri non sit secundum hominis naturam. Si nocet, non est innocens, non est patiens. Et Cicero ipse, contra suum præceptum, oblivionem injuriarum in magnis laudibus posuit (*Cap.* 18).

B Peccant et peripatetici, qui iram dicunt esse comitem virtutis. Poetæ item, qui tres Furias esse dixerunt, Iram, Cupiditatem, Libidinem. Nam Deus certos limites statuit his affectibus, quos si transcendant, in morbos et vitia tum demum vertuntur (*Cap.* 19).

Prostremo cultor Dei quinque sensuum voluptates virtute superare atque opprimere debet : nempe voluptatem oculorum, ut non intersit publicis spectaculis, et scenis (*Cap.* 20) ; voluptatem aurium, ut non cantuum suavitate se oblectet (*Cap.* 21) ; voluptatem saporis et odoris, ut non ventri et gulæ serviat (*Cap.* 22) ; voluptatem tactus, ut frænet libidinem, vel cohibeat eam matrimonio, non scortatione, non adulterio, sive operationis, sive cogitationis (*Cap.* 23).

Quod si quis ad injustitiæ viam fuerit lapsus, non desperet de se ipse : sed ad meliora conversus, Deo satisfaciat, cui interiores quoque cogitationes
C nostræ patent (*Cap.* 24).

Sacrificare autem si cultor Dei voluerit, duo offeret Deo incorporalia : integritatem animi, et nominis divini laudem. Ad hæc enim capienda nos Deus generavit ; hæc munera Trismegistus Hermes Deo offerenda docuit (*Cap.* 25). SCULTETUS.

LIBER SEXTUS.

DE VERO CULTU.

CAPUT PRIMUM.

De Dei veri cultu et innocentia, atque de cultu falsorum deorum.

Quod erat officium suscepti muneris, divino Spiritu instruente, ac suffragante ipsa veritate, complevimus : cujus asserendæ atque illustrandæ causam
D mihi et conscientia, et fides, et ipse Dominus noster imposuit ; sine quo nec sciri quidquam potest, nec explicari. Venio nunc ad id quod est summum operis hujus et maximum, ut doceam quo ritu, quove sacrificio Deum coli oporteat. Id enim est hominis officium, in eoque solo summa rerum, et omnis beatæ vitæ ratio consistit : quandoquidem propterea

VARIORUM NOTÆ.

Cujus asserendæ atque illustrandæ causam mihi et conscientia, et fides, et ipse Dominus noster imposuit. Sic restitui ex 1 Reg. antiquissimo, 1 al. Regio optimæ notæ, et 2 Brun., favente 1 Lips. in quo est *conscientiam ;* item mss. 2 Reg., 2 Claromont., Bodl., Cotton., 1 Sorbon., 1 Colbert. et edit. Walch. nisi quod habent *scientia.* 2 Reg., 3 Oxon., 1 Colb. et 8 excusi, *causam mihi, et scientiam et fidem,* etc. 4 Colb., Em., Cant., Got., Marm., et edit. Rom. 1474. Parr. ac Cellar., *causam mihi, et scientiam, et fidem ipse Dominus,* etc. In Jun. et 1 Clarom. pro *Dominus* est *Deus,* in priori voce *ipse* deleta. *Veritatem illustrare* Lactantio familiare, Divin. Institut. lib. I, cap. 1 bis, cap. 2 ; lib. IV, cap. 5 ; lib. VI, cap. 1 ; lib. VII, cap. 7, et lib. de Opificio Dei, cap. 20. Apud Bunemann. legitur : *Et scientiam et fidem ipse Dominus.*—Walch. *Causam mihi et scientia et fides et ipse Dominus.* Lib. III, cap. 13 : *Ad quam* (causæ bonitatem)...*defendendam scientia divinitatis et ipsa veritas sufficit.* BUN.

Digitized by Google

ficti et inspirati ab eo sumus, non ut cœlum videremus et solem (quod Anaxagoras putavit), sed ut artificem solis et cœli Deum pura et integra mente coleremus. Quamvis autem præcedentibus libris, pro ingenii mediocritate defenderim veritatem; tamen ex ritu quoque ipso elucere vel maxime potest. Nihil enim sancta et singularis illa majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam: quam si quis obtulerit Deo, satis pie, satis religiose litavit. Homines autem, neglecta justitia, cum sint omnibus flagitiis ac sceleribus inquinati, religiosos se putant, si templa et aras hostiarum sanguine cruentaverint, si focos odorati ac veteris vini profusione madefecerint. Quin etiam sacras dapes apparant, et exquisitas epulas, quasi aliquid inde libaturis offerunt. Quidquid aspectu rarum, quidquid opere aut odore pretiosum est, id gratum esse diis suis, non ex aliqua divinitatis ratione, quam nesciunt, sed ex suis cupiditatibus judicant; nec intelligunt terrenis opibus Deum non indigere.

Nihil enim sapiunt, nisi terram; bonaque et mala solius corporis sensu et voluptate perpendunt. Hujus arbitrio, ut religionem ponderant, sic totius vitæ suæ acta disponunt. Et quoniam se semel a cœli contemplatione averterunt, sensumque illum cœlestem corpori mancipaverunt, libidinibus fræna permittunt; tanquam secum ablaturi voluptatem, quam momentis omnibus capere festinant, cum animus ministerio corporis, non corpus ministerio animi uti debeat. Iidem maximum bonum judicant opes. Quas si bonis artibus assequi non possunt, malis assequuntur; fraudant, rapiunt, spoliant, insidiantur, abjurant. Nihil denique moderati aut pensi habent, dummodo auro coruscent, argento, gemmis, vestibus fulgeant, avidissimo ventrio pes ingerant, stipati familiarum gregibus per dimotum populum semper incedant. Sic

VARIORUM NOTÆ.

Ficti. Mss. 2 Reg. rec. Jun. Tornes. Pal. et 5 vet. edit. *facti.*

Anaxagoras. De quo supra dictum est, l. III, c. 9 et 23.

Et cœli Deum, 1 Bonon. antiq. *et cœli Dominum.*

Defenderim. Mss. 9, *defenderimus;* Edit. Paris. et Graph. *defenderem.*

Nihil enim sancta et singularis illa majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam. Non quia exterius quoque sacrificium Deo non sit acceptissimum: sed hæc sæpe prisci Patres ingerebant auribus Ethnicorum, qui sceleribus omnibus cooperti se religiosos putabant, si templa et aras hostiarum sanguine cruentarent, tanquam Deus victimis indigeret. Cæterum de sanctissimo eucharistiæ a Christo Domino instituto sacrificio, quod missam nominamus, quodque ex hoc vel aliis hujusmodi locis temere admodum infamant hæretici, vide antiquissimorum Patrum testimonia: Ignatii Christi contemporanei, et Apostolorum discipuli Epist. 10, et ad Philadelph. Epist. 9, ad Ephes. Epist. 14, ad Romanos Epist. 15. Irenæi discipuli Polycarpi, qui fuit auditor Joannis Apostoli, lib. IV, cap. 32, ubi ait: *Ex creatura panis accepit, et gratias egit dicens: Hoc est corpus meum; et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et Novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo.* Et cap. 34: *Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum esse ei.* Item Tertulliani lib. II ad Uxor., de Monogam., de Corona milit., de Oration., de Castit., de Cultu fœminar., pr. adversus Marcion. et alibi sæpe; Cypriani epist. 63, ad Cæcilium, et epist. 66, Nazianzeni in carmine ad Episcopos; Chrysost. in Homil. de prodit. Jud. et super Epist. ad Hebræos; Hieronymi ad Damas. de Fil. prodig.; Augustini de Civit. Dei lib. XVII, cap. 20; Cyrilli Catech. Mystagog.; Gregorii Magni 4 Dialog., cap. 58; Leonis pr. ad Dioscor. epist. 9; Fulgentii ad Monim. lib. II, etc.

Si focos odorati ac veteris vini, etc. Ita ferunt 7 Reg. inter quos sunt duo antiquissimi, II Colb., 4 Oxon., Marm., Brun., et alii, ac 9 impressi, et 1 Lips. antiq., necnon ed. Cellar. in quibus est *aut*, pro *ac*. 1 Reg. et 1 Colb. *adorati*, corrupte; 1 Clarom. *odorarint;* alter Clarom. *odoraverint*, mendose; Cauc., Jun., 1 Colb. et 6 typis excusi, *adoleverint. Si focos odorati.* SA. Jun. legunt pro illud *odorati, adoleverint.* Sic etiam habent editiones, Gymnici 1559, et Cratandri 1524, Aldi 1515. Isæus testatur se ita reperisse in aliis mss. antiquiss. Editio Veneta anni 1490 legit, *si foco adoraverint;* L. C. *si focos adoraverint.* Ego receptam lectionem mutare nolui, quippe quæ ad rem, nec ullum secum adfert absurditatem. GALLÆUS.

Profusione. Mss. 6 rec. et 7 edit., *perfusione.* Arnobius lib. VII: *Merum thuris est socium, quod explanari consimiliter posumus, cur ei superinfundatur incensioni.*

Quasi aliquid inde libaturis offerunt. Rectissime *libaturis*, id est, gustaturis dils. Hinc cap. 2: *Mactant... hostias Deo quasi esurienti; profundunt vina tanquam sitienti.* Epitom. cap. 28: *His quotidie libatur, ut laribus;* quasi id dii essent libaturi aut gustaturi, ut Bel in hist. Danielis. BUN. — *Quasi aliquid inde libaturis offerunt. Quidquid*, etc. Mss. 11 rec. et edit. 5., *libaturi;* 1 ms. Colb., *offerant. Libaturis* autem, ut puto, hic est pro *delibaturis*, simplex pro composito, quod Lactantio familiare est; vel *de* excidit, similitudine præcedentis syllabæ. Vid. Arnob. lib. VII, circa med.

Id gratum esse diis suis. Mss. 16 rec. et 5 edit. *et hæc grata esse.*

Terrenis opibus. Mss. 2 Reg. rec., Jun., 1 Clarom. et 5 edit. vet. *operibus.*

Mancipaverunt. Nam juxta Sallustium, ita comparati esse debemus, ut animi imperio, corporis servitio utamur.

Libidinibus frena permittunt. Videtur alludere ad Socratis fabulam, quæ apud Platonem in Phædro est; ubi animam trifariam dividit.

Nihil... moderati aut pensi habent. Lips. 2, 3, Reimm. *nihil moderati ac pensi.* Imitatur Sallustii Catil. XII. 2, ubi et ad Catil. 5, 6, consule Cortium, qui priori loco *nihil moderati atque pensi habere*, exponit *non considerare, nec temperanter tractare.* BUN.

Stipati familiarum gregibus. Sic emendavi ex mss. 7. Reg. inter quos duo sunt antiquissimi, 3 Colb. Goth. 2 Lips. 1 Clarom. Brun. edit. 3 vet. Rom. ac rec. Cellar. et Walch. id est, cœtu servorum, seu magno famulitio. Familia enim, servi apud Phædrum lib. II Fabul. 8, de cervo ac bove; lib. III, fab. 7, de lupo ad canem: et 10 ejusdem libri, necnon 19, de Æsopo ad garrulum, et ut videtur Instit. de Lege Fus. Canin. Scripti rec. 3 Reg., 2 Colb., 1 Clarom. et 9 vulgati, *familiarium*; quod idem est, sed minus forsan tum temporis usitatum. Seneca enim in obsoletis ponit epist. 47; *Dominum*, inquit, *patrem familiæ appellaverunt: servos, quod etiam in mimis durat, familiares.* Partim *ex* CELLARIO.

Per dimotum populum semper incedant. Ita mss. 9. Reg. ex quibus sunt duo veterrimi, 4 Colb., 3 Lips., 2 Clarom., Brun., et 6 edit. Id est per servos, aut si magistratus esset, per lictorem turba submota de via. Scripti 1 Reg., Tornes., 1 Colb. et nonnulli alii,

Digitized by Google

addicti et servientes voluptatibus, vim vigoremque mentis extinguunt; et cum vivere se maxime putant, ad mortem concitatissime properant. Nam, sicut in secundo libro docuimus, cœli ratio in animo, terræ autem in corpore est. Qui bona negligunt animi, et corporis appetunt, in tenebris ac morte versantur, quæ sunt terræ atque corporis; quia vita et lumen a cœlo est: cujus quoniam expertes sunt, corpori serviendo, longe absunt ab intellectu rerum divinarum. Eadem miseros ubique cæcitas premit: sicut enim qui sit verus Deus, ita qui sit verus cultus, ignorant.

CAPUT II.

De falsorum deorum et veri Dei cultu.

Mactant igitur opimas ac pingues hostias Deo, quasi esurienti; profundunt vina, tanquam sitienti; accendunt lumina, velut in tenebris agenti. Quod si suspicari, aut percipere animo possent quæ sint bona illa cœlestia, quorum magnitudinem, terreno adhuc corpore obvoluti, sensu capere non possumus, jam se cum his officiis inanibus stultissimos esse cognoscant. Vel si cœleste lumen, quod dicimus solem, contemplari velint, jam sentient quam non indigeat lucernis eorum Deus, qui ipse in usum hominis tam claram, tam candidam lucem dedit. Et tamen cum in tam parvo circulo, qui propter longinquitatem non amplius quam humani capitis videtur habere mensuram, tantum sit fulgoris, ut eum mortalium luminum acies non queat contueri; et si paulisper intenderis, hebetatos oculos caligo ac tenebræ consequantur: quid tandem luminis, quid claritatis apud ipsum Deum, penes quem nulla nox est, esse arbitremur? qui hanc ipsam lucem sic moderatus est, ut neque nimio fulgore, neque calore vehementi noceret animantibus; tantumque istarum rerum dedit

VARIORUM NOTÆ.

veteresque octo editi, *domitum*, corrupte.— *Per dimotum populum.* Illustravit uberius Gronovius ad Livii, l. XXVIII, c. 2. Frequentius hac in re verbum *submovere*; hinc l. III Liv. c. 48: *Lictor, submovet urbam, et da viam domino.* BUN.

Sic addicti et servientes. Metaphora ex jure civili. Nam jureconsultis addicti sunt, homines obærati, qui et nexi dicuntur, qui lege XII Tabb. ob æs alienum creditoribus in temporariam servitutem addicebantur. Et bene quidem. Nam peccatorum servitus verius in diem addictio est, quam servitus alia: ex qua ad libertatem per pœnitentiam janua resipiscentibus beneficio Christi patet. BETULEIUS.

Quæ sunt terræ. Ita mss. et quamplures edit. In nonnullis impressis legitur *qui*, mendose.

A cœlo. Mss. 13 rec. et 7 edit. *de cœlo.*

Eadem miseros ubique cæcitas premit. Conspirant omnes libri in edita lectione: sunt hæc dicta, ut l. III, c. 24: *Nam semper eodem modo falluntur.* BUN.

Quasi esurienti. Ita Apuleius l. VIII Metam. p. 215: *A quodam... pinguissimum deposcunt arietem, qui deum Syriam* esurientem *suo satiaret sacrificio.* Observa in Lactantio copiam, *quasi*, *tanquam*, *velut.* BUN.

Accendunt lumina. Omnium pene gentium communis fuit ritus ad gaudii significationem ignem accendere; neque occurrit quidquam frequentius apud veteres auctores, quam λυχνοκαΐας, et accensarum facum mentio, ob res sive publice, sive privatim lætas. Nec solum in templis lumina accendebant, sed etiam domi quisque suæ, eaque januis et fenestris appendebant. Juvenalis in 12 apparatum diei festi describens, non quidem ex judaica disciplina, sed ex ritu romano:

> Cuncta nitent, longos erexit Janua ramos,
> Et matutinis operitur festa lucernis.

Velut in tenebris agenti. Lactantius Ethnicis exprobrare potuit, quod de die in templis deorum suorum, velut in tenebris agentium, lumina accenderent sine ulla necessitate, *siquidem in aperto sacrificabant*, ut ipse ait Div. Institut. lib. II, cap. 2. Neque ex supradictis auctoris nostri verbis concludere debuit Gallæus, Lactantii ævo, in Christianorum conventiculis non obtinuisse morem illum candelas accendendi; siquidem priscis Christianis necesse erat uti lucernis et lampadibus, cum persecutionis metu ante lucem conventus agerent, et in cryptis sacrificarent. Itaque lumina ibi erant omnino necessaria. Celeberrimas Galliæ urbes olim lustrando, vidi in ecclesia S. Petri urbis Andecavorum, seu Andegavorum (Gallice *Angers*), antiquissimas cryptas duas, in quarum una, scilicet subtus chorum, fornici infixi adhuc suspiciuntur unci multi, etiamque trochleæ plures, quibus lampades vel cerei appendebantur. Huic usui assueta Ecclesia illum eo libentius retinuit, quod lumen necessarium esset in sacris ædibus, quæ sedatis persecutionibus fuerunt constructæ valde obscuræ; et etiamnum tales extant plures, inter quas sunt Bituricensis, Carnotensis, et Sancta Capella Parisiensis, in quibus accensos vidi cereos necessarios ad cantandam in libris solemnem missam et sextam hyeme hora decima matutina: nec non ecclesiæ ordinis Cisterciensis, in quibus ponitur ex ejus ordinario, seu cæremoniali ms. in abbatia Vallium-Sarnaii diœcesis Parisiensis asservato, lumen in absconsi accensum, sacerdoti missam post tertiam celebranti necessarium ad legendum. Et quod olim fuit absolutæ necessitatis, hodieque est in nonnullis ecclesiis, fit in aliis majestatis causa, ad gaudii significationem, et ad lætitiam testandam, ut demonstrat Hieronymus adversus Vigilantium. Vide Athanasium in epist. ad Orthodoxos; Euseb. lib. VI Histor. cap. 33; S. Epiphan. ad Joan. Hierosolym. epist.; S. Paulin. carm. in Natali 3 et 6 S. Felicis; S. Augustinum in Serm., de Tempore, 215; Theodoret. in Historia sanctorum Patrum, cap. 21, in Jacobo; Bellarminum, lib. II de Reliquiis sanctorum, c. 3 et 4; ac Baronium, tom. I Annal. ad annum Domini 58. Ex S. Justino Dialog. cum Tryphone Judæo, lucernæ in liturgia apud christianos accensæ fuisse videntur. *Hæc* J.-B. LE BRUN.

Cognoscant. Ileum. legit *cognoscerent.*

Jam sentient. Mss. 3 Reg., 2 Colb. et 11 ed., *sentiant.*

Quam non indigeat. Ita omnes prope mss. inter quos sunt Bonon. ac Reg. et ed. vet. Rom., Is., Cellar. In 1 Reg. rec. legitur *quia*; in Cauc., Jun. 1 Reg. rec. et 15 editis, *quod.*

Tam claram, tam candidam lucem. Simplicius in cit. loco Epitomes *solem* dixit. Docte vero hic vocat *candidam lucem*, exemplo Ennii, Ciceronis, aliorum. Ennius in Cic. lib. I, Divin., c. 48:

> Exin *candida* se radiis dedit icta foras *lux.*

Cic. l. II, de Nat. deor. c. 15: *solis* candor *illustrat.* BUN.

Quam humani capitis. Heraclitus solem latitudine pedali esse dixit: Epicurus tantum, quantus apparet, ut Plut. in Placitis refert. Laert. hoc posterius etiam ad Heraclitum refert. Contra Epicurum disputat Cleomedes lib. II. Cæterum de solis magnitudine lege Plin. lib. II, cap. 11; Macrob. lib. I, de Somnio Scip., cap. 20; ipsum Ptol. lib. V, cap. 16, de Magna Construct.; et ibidem Theonem, atque eumdem rursus in Arato.

Non queat contueri. Ms. Torn. *non valeat contueri*; 2 Clarom., *non queat intueri.*

Tantumque istarum rerum. Id est, *tantum fulgoris*

Digitized by Google

ei, quantum aut mortalia corpora pati possent, aut frugum maturitas postularet. Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui auctori et datori luminis candelarum ac cerarum lumen offert pro munere? Aliud vero ille a nobis exigit lumen, et quidem non fumidum, sed (ut ait poeta) liquidum atque clarum, mentis scilicet, propter quod a poetis φῶτες nuncupamur, quod exhibere non potest, nisi qui Deum agnoverit. Illorum autem dii, quia terreni sunt, egent luminibus, ne in tenebris sint: quorum cultores, quia cœleste nihil sapiunt, etiam religiones, quibus deserviunt, ad terram revocant. In ea enim lumine opus est quia ratio ejus, et natura tenebrosa est. Itaque diis non cœlestem sensum, sed humanum potius attribuunt. Ideoque illis necessaria et grata credunt esse, quæ nobis; quibus aut esurientibus opus est cibo, aut sitientibus, potu, aut veste algentibus, aut cum sol decesserit, lumine, ut videre possimus.

Nullis igitur ex rebus tam probari et intelligi potest, deos istos, cum aliquando vixerint, mortuos esse, quam ex ipso ritu qui est totus e terra. Quid enim cœlestis in se boni potest habere pecudum sanguis effusus quo aras inquinant? nisi forte deos existimant eo vesci, quod homines aspernantur attingere. Et quisquis illis hanc saginam præstiterit, quamvis ille grassator, adulter, veneficus, parricida sit, beatus ac felix erit. Hunc diligunt, hunc tuentur; huic omnia, quæ optaverit, præstant. Merito ergo Persius hujusmodi superstitiones suo more deridet:

A

B

C

Qua tu (inquit) mercede deorum
Emeris auriculas; pulmone et lactibus unctis?

Sentiebat videlicet non carne opus esse ad placandam cœlestem majestatem, sed mente sancta, et justo animo, et pectore (ut ipse ait) quod naturali sit honestate generosum. Hæc est religio cœlestis, non quæ constat ex rebus corruptis, sed quæ virtutibus animi, qui oritur e cœlo. Hic verus est cultus, in quo mens colentis seipsam Deo immaculatam victimam sistit. Id autem ipsum quomodo consequendum, quomodo præstandum sit, docebit hujus libri disputatio. Nihil enim tam præclarum, hominique conveniens potest esse, quam erudire homines ad justitiam.

Apud Ciceronem Catulus in Hortensio philosopniam rebus omnibus præferens, malle se dicit vel unum parvum de Officio libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio. Quæ sententia non utique Catuli, qui fortasse illud non dixit, sed Ciceronis est putanda, qui scripsit. Credo, ut libros, quos de Officiis erat scripturus, commendaret: in quibus ipsis, nihil esse testatur in omni philosophia melius et fructuosius, quam præcepta vitæ dare. Quod si hoc illi faciunt, quibus non est veritas cognita; quanto magis nos facere debemus, qui a Deo eruditi et illuminati possumus vera præcipere? Nec tamen sic docebimus, ut quasi prima virtutis elementa tradamus, quod est infinitum: sed tanquam docendum susceperimus eum, qui apud illos jam perfectus esse videatur. Manentibus enim præceptis eorum, quæ

VARIORUM NOTÆ.

et caloris. Ita sæpe Lactantius et Cicero. Noster, l. 1 Instit., cap. 3: *Ut tantum in eo* (Deo) *sit istarum rerum* (id est, magnitudinis, potestatis, virtutis, majestatis), *quantum*, etc. Bun.

Pati possent. Sic emendavi ex 3 editis cunctisque mss. quod poscunt præced. *noceret*, et seq. *postularet*.

Postularet. Heuman. leg. *postulat*.

Cerarum. Mss. 1. Reg. vet. *cerorum*; 1 Reg. rec. et edit. Is. *cereorum*; 1 al. Reg. rec. *cerearum*. Cæteri ut in textu.

Poeta. Lucret. lib. v. de Natura rerum.

Sed liquidum. Hoc est, clarum, quod sincerum, a vino colis defœcato translatione facta. Ita Virg. Ecl. 6:

Et liquidi simul ignis;

et Lucret:

nobilis ille
Devolet in terram liquidi calor aureus ignis,

dixere. Quæ contraria omnino videntur igni. Liquidum enim a liquore: sed liquidus vocatur, hoc est purus, fumo non inquinatus. Turnebus.

Φῶτες nuncupamur. Sic restitui ex mss. 2 Reg. antiquissimis, suffragantibus veterrimis Canc., 1 Bonon. et rec. 2 Reg., Marm. 1 Clarom. et Brun. quibus est φῶτες *nuncupatur*; Ultr. *fortes*; 2 Reg. rec. φωτος; 1 Reg. et ed. Rom. 1474, *phantes*; 1 Reg., 1 Bonon., Pen., edd. Florent. et Ald. 1515, *Phanetes*; 1 Clarom. *focus*; 1 Reg., 2 Colb. *focos*; 1 al. Colb. *fodes*; in altero Colb. *fontes*, mendose, pro φῶτες, quod est *viri nuncupamur*. In 1 Reg., 2 Colb. et editis φῶς *nuncupatur*, id est, *lux appellatur*. Grammatici dicunt φὼς, quando *virum* significat, gravi tono scribi; quando vero *lumen*, circumflexo.

Eo vesci. Sc. sanguine. Rarius *vesci* de potionibus. Cic. lib. II de Nat. deor., cap. 23: *Dii nec escis nec potionibus vescuntur*. Bun.

Hujusmodi. Ita repositum ex omnibus fermè mss. et edit. Paris. 1525. In 2 Reg. rec. cunctisque fere editis est *hujuscemodi*. Persius Satyr. 2, v. 30.

Emeris auriculas. Id est, auditionem benignam.

Lactibus unctis. Hoc est, pinguibus intestinis.

Non carne..... ad placandam. Egregie Cic. pro Cluentio c. 68: *Neque intelligit, pietate et religione, et justis precibus deorum mentes, nec superstitione, neque ad scelus perficiendum cæsis hostiis posse placari*. Bun.

Naturali sit honestate generosum. Persii verbis vocem *naturalis* adjecit, quam perperam acceperunt nonnulli. Ideo autem vox illa inserta, quia *naturalia* firmissime hærent, ut nativi colores et similia; nisi tamen honestatem naturalem appellavit Lactant. ad dogma Stoicum respiciens. Generosum dixit, quia vera pietas generosa est, bonæ spei plena; contra vero superstitio meticulosa, et in humum dejecta. Quare Plato superstitionem esse disputat, non θεραπείαν numinis, sed κολακείαν: cui vitio proprium τὸ ταπεινὸν, quod generoso animo repugnat. Is. Casaubonus. *Incoctum generoso pectus honesto*. Pers.

D

De Officio. Scripti ergo sunt Officiorum libelli ante Hortensium, qui periit.

Pro seditioso homine Cornelio. Non Balbo, cujus actionis de civitate quæstio est. Actionum pro Cornelio meminit ipse Cicero in lib. de Orat. et de Petitione consulatus. Cæterum hæc Ciceronis verba puto ex Hortensio esse deprompta. Betuleius.

Credo, ut libros. Ita restitui ex edit. Cellar. cunctisque mss. præter 2 Reg. rec. in quibus, ut in vulgatis, legitur *libellos*.

Testatur. Cicer. de Offic. initio.

Infinitum. 1 Colb. Brun. edit. Rom. 1470, et Is. *infimum*.

Perfectus. Inter philosophos, alii erant *proficientes*, alii *perfecti*.

Digitized by Google

solent ad probitatem recte dare, ignota illis superstruemus, ad perficiendam consummandamque justitiam, quam non tenent. Ea vero, quæ possunt cum illis esse communia, prætermittam; ne quid ab iis videar mutuari, quorum errores coarguere atque aperire decreverim.

CAPUT III.

De viis, et de vitiis et virtutibus; ac de cœli præmiis et infernorum pœnis.

Duæ sunt viæ (Constantine imperator) per quas humanam vitam progredi necesse est: una, quæ in cœlum ferat; altera, quæ ad inferos deprimat; quas et poetæ in carminibus, et philosophi in disputationibus suis induxerunt. Et quidem philosophi alteram virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum: eamque quæ sit assignata virtutibus, primo aditu esse et arduam, et confragosam; in qua si quis, difficultate superata, in summum ejus evaserit, habere eum de cætero planum iter, lucidum amœnumque campum, et omnes laborum suorum capere fructus uberes atque jucundos. Quos autem primi aditus difficultas deterruerit, eos in eam vitiorum viam labi atque deflectere, quæ primo ingressu sit quasi amœna, multoque tritior, deinde cum in eam paulo ulterius processerint, amœnitatis ejus speciem repente subduci: exoriri autem viam præcipitem, nunc saxis asperam, nunc obductam sentibus, nunc gurgitibus intercisam, vel torrentibus rapidam, ut laborare, hærere, labi, cadere sit necesse. Quæ omnia eo proferuntur, ut appareat in virtutibus capiendis labores esse maximos, in perceptis autem maximos fructus, et solidas atque incorruptas voluptates: vitia vero quibusdam delinimentis naturalibus illicere animos hominum, et inanium jucunditatum specie captos ad acerbas amaritudines miseriasque perducere. Sapiens prorsus disputatio, si virtutum ipsarum formas atque terminos scirent. Non enim didicerant, vel quæ sint, vel quid eas mercedis a Deo maneat; quod nos his duobus libris docebimus.

Hi vero, quia ignorabant aut dubitabant animas hominum immortales esse, et virtutes, et vitia, terrenis honoribus aut pœnis æstimaverunt. Omnis ergo hæc de duabus viis disputatio, ad frugalitatem ac luxuriam spectat. Dicunt enim humanæ vitæ cursum Y litteræ esse similem, quod unusquisque hominum, cum primæ adolescentiæ limen attigerit, et in eum locum venerit,

Partes ubi se via findit in ambas,

hæreat nutabundus, ac nesciat in quam se partem potius inclinet. Si ducem nactus fuerit, qui dirigat ad meliora titubantem, hoc est, si aut philosophiam didicerit, aut eloquentiam, aut aliquid honestæ artis, quo evadat ad bonam frugem, quod fieri sine labore maximo non potest, honestam ac copiosam vitam disputant peracturum. Si vero doctorem frugalitatis non invenerit, in sinistram viam, quæ melioris speciem mentiatur, incidere, id est, desidiæ, inertiæ, luxuriæ se tradere; quæ suavia quidem videntur ad tempus vera bona ignoranti, post autem, amissa omni dignitate ac re familiari, in omnibus miseriis ignominiaque victurum. Ad corpus ergo, et ad hanc vitam, quam in terra ducimus, fines earum viarum retulerunt. Poetæ fortasse melius, qui hoc bivium apud inferos esse voluerunt. Sed in eo falluntur, quod eas vias mortuis proposuerunt. Utrique ergo

Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua collem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert:
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata: sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus virtutis amore,
Vicerit, ille sibi laudemque decusque parabit:
At qui desidiam, luxumque sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis, inopsque, simul miserabile transiget ævum.

Attingit et Palingenius in Sagittario. Pythagorica fortassis dicitur, quia *y* et *z* creduntur a Pythagora inventæ. *Ex* Betuleio, qui perperam hos versus sub Maronis nomine citaverat, cum sint Ausonii, ut observavit Francius. Vide Servium in lib. VI Virgil. Æneid.

Cum primæ adolescentiæ limen attigerit. Ita mss. omnes, præter 2 Reg. rec. in quibus, ut et in vulgatis, est *primum*.

Partes. Hæc ex Virgil. VI Æneid. v. 540.

Findit. 1 Reg., 1 Brun. et edit. Thomas. *scindit.*

In sinistram viam, quæ melioris speciem mentiatur. Edit. 5, *ad sinistram.* Mss. Cauc., Jun., ed. Gymnic. et Betul., *quæ virtutis ac melioris speciem mentiatur.*

Incidere. Sic emendavi ex antiquioribus ac melioribus mss. 1 Bonon. et 2 Reg. necnon edit. Is. Et sic legendum esse censebant Isæus et Francius. Alii codices *incedere.*

Videntur. Heum. legit *videantur.*

Apud inferos. De hoc sequenti capite dicetur.

VARIORUM NOTÆ.

Recte dare. Sic emendavi ex omnibus mss. ac vet. edit. Rom. et Betul. Et sic legendum, *quæ* [illi scilicet] *solent ad probitatem recte dare.* Edit. 13, *dari.*

Duæ sunt viæ. Post hæc verba in multis mss. *Constantine imperator* addi asserit Gallæus, additaque etiam reperi in uno Reg. veterrimo, in alio item Regio, Marm. et in editis sex. Desunt in 2 Bon., 7 Regiis, 6 Colb., 5 Oxoniensibus, aliisque 18 rec. in editis 3 vet. Rom. et 9 aliis.

Quas et poetæ. Hesiodus. in Ergis.

Et philosophi. Xenophon, vel apud Xenophontem in libro Ἀπομνημονευμάτων II; Socrates ex Prodico Herculis narrat insomnium, quo virtus et voluptas illi visæ, quarum utraque juvenem ad sui studium pellicere satagit: quo loco citati a nobis Hesiodi versus referuntur. Qua de re vide etiam Philostratum in Prodico, et Ciceronem Officiorum primo; et apud Platonem in Protagora ipse Prodicus inducitur, de hoc virtutis colle verba faciens. Atque hujus rursus meminit idem Plato lib. de Legib. quarto. Nec dissimilia sunt, quæ Cebes nobis in sua depinxit tabula.

Esse, et virtutes. Deest *et* in 1 Bonon. antiq. ac 5 editis.

Humanæ vitæ cursum Y litteræ esse similem. Litteræ Pythagoricæ meminit ex ecclesiasticis scriptoribus Hieronymus, in epistola quadam ad Lætam, item ad Pammachium, de obitu Paulinæ; et in c. 10 Ecclesiastis, hunc locum liquido cum elogio citat. Describitur ab Ausonio his versiculis:

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni

Digitized by Google

vere : sed tamen utrique non recte; quia oportuit vias ipsas ad vitam, fines earum ad mortem referri. Nos igitur melius et verius, qui duas istas vias cœli et inferorum esse dicimus, quia justis immortalitas, injustis pœna æterna proposita est.

Quomodo autem hæ viæ vel in cœlum tollant, vel ad inferna præcipitent, explicabo : aperiam quæ sint virtutes quas philosophi nescierunt; tum earum quæ sint præmia, simul etiam quæ sint vitia, quæve eorum supplicia, monstrabo. Nam fortasse aliquis expectet, ut separatim de vitiis ac virtutibus dicam, cum de bono aut malo disserentibus nobis, etiam quod est contrarium possit intelligi. Sive enim virtutes inseras, vitia sua sponte decedent : sive vitia eximas, virtutes ultro subibunt. Sic bonorum ac malorum constituta natura est, ut se invicem semper oppugnent, semper expellant : ita fit, ut neque vitia detrahi sine virtutibus possint, nec virtutes inseri sine detractione vitiorum. Has igitur vias longe aliter inducimus, quam a philosophis induci solent. Primum, quod utrique præpositum esse dicimus ducem, utrumque immortalem : sed alterum honoratum, qui virtutibus ac bonis præsit, alterum damnatum, qui vitiis ac malis. Illi autem in dexteriore tantum via ducem ponunt, neque unum, neque perpetuum. Siquidem quemlibet doctorem bonæ artis inducunt, qui a desidia revocet homines, et frugi esse doceat. Sed neque ingredi faciunt in eam viam, nisi pueros et adolescentes; videlicet quod artes discantur in his ætatibus. Nos autem omnis sexus, et generis, et ætatis, in hoc cœleste iter inducimus; quia Deus, qui ejus viæ dux est, immortalitatem nulli homini nato negat. Forma quoque ipsarum viarum non ita est, ut illi putaverunt. Quid enim opus est Y littera in rebus contrariis atque diversis? Sed altera illa melior conversa est ad solis ortum, altera illa deterior, ad occasum; quoniam qui veritatem ac justitiam sequitur, is, accepto immortalitatis præmio, perenni luce potietur : qui autem ab illo malo duce illectus prætulerit vitia virtutibus, mendacium veritati, necesse est ad occasum et tenebras deferatur. Describam igitur utramque, et earum proprietates habitusque monstrabo.

CAPUT IV.

De viis vitæ, de voluptatibus, necnon de incommodis Christianorum.

Una est itaque virtutis ac bonorum via, quæ fert, non in Elysios campos (ut poetæ loquuntur), sed ad ipsam mundi arcem :

At læva malorum
Exercet pœnas, et ad impia tartara mittit.

Est enim criminatoris illius qui, pravis religionibus institutis, avertit homines ab itinere cœlesti, et in viam perditionis inducit. Cujus viæ species et figura sic est composita in aspectu, ut plana et patens, omni genere florum atque fructuum delectabilis esse videatur. In ea enim posita sunt omnia quæ pro bonis habentur in terra : opulentiam dico, honorem, quietem, voluptatem, illecebras omnes; sed cum his pariter injustitiam, crudelitatem, superbiam, perfidiam, libidinem, cupiditatem, discordiam, ignorantiam, mendacium, stultitiam, cæteraque vitia. Exitus autem hujus viæ talis est. Cum ventum fuerit ad extremum, unde jam regredi non

VARIORUM NOTÆ.

Quomodo autem hæ viæ. Ita edit. Betul., Is., cunctique mss. præter 2 Reg. rec. et Cant. in quibus, ut in 14 impressis, est *viæ istæ*; in 4 excusis, *vitæ istæ*, male; non enim Lactantius loquitur de vitis, sed permanet in allegoria duarum viarum, quarum una in cœlum, altera itur ad inferos.

Aperiam. Editi plerique hic perperam addunt *que*. — *Aperiamque, quæ.* Sæpe talia in libris corrupta ab iis, qui putarunt male sonare, *que quæ*. At ita supra, *eamque, quæ sit assignata.* Lib. VI, c. 18 : *Patientiæque, quæ omnium virtutum maxima.* Cic. lib. I de Nat. deor. c. 2 : *Multaque, quæ dicentur;* Ibid., cap. 42 : *Eaque, quæ.* Lib. III de Nat. deor., c. 7 : *Omniaque, quæ.* Vindicavit Sallustio et illustravit Cortius. Catil. in 5, p. 25. BUN.

Sive enim virtutes inseras, vitia sua sponte decedent : sive vitia eximas. Mss. 6 Reg. rec. et 3 edit. legunt, *Si enim;* mss. 13 rec. et 8 impressi codices *inferas*, male. Vide infra, *virtutes inseri.* Post *sive*, mss. 7 addunt *etiam*, quod respuunt antiquiores ac potiores scripti et typis excusi.

Vitia detrahi. Mss. 16 rec. et 2 edit., *retrahi.* Mox sequitur, *sine detractione vitiorum.*

Nec virtutes inseri. Ita mss. omnes et quamplures typis excusi. Ed. Paris. 1525, Crat., Is., *inferri.* Vide supra *virtutes inseras.* — *Virtutes inseri.* Recte. Epit. c. 60 : *De nostris animis prius vitia* detrahenda, *et tum demum virtutes* inserendæ; cap. 61 : *Hæ vitiorum stirpes eruendæ, ut virtutes inseri possint. . . neque detrahi possunt. . . natura insiti.* Infra, *Neque detrahendos. . . Deus insevit.* BUN.

Ac bonis præsit. Edit. Sublac. habet : *bonis sit præditus.*

Perenni luce potietur. Vox *perenni* in Ven. 1493 et 97 desideratur : forte ob consimilem vocem *præmio* excidit. Vindicavi ad l. IV, c. 30 : *perenni luce potiatur.*

Itaque. Mss. Jun. Ult. et 5 edit. vet. *igitur.*

At læva malorum. Verba Maronis in VI Æneid. citantur, ab eodem Hier. in x Ecclesiastis caput. Similis ex eadem re argumentatio est apud Chrysost. contra vituperatores vitæ monasticæ, lib. II.

Omni genere florum. Expunxi superabundantem copulam *et*, quam præmittunt 8 mss. totidemque vulgati; sed quæ abest a plurimis bonæ notæ et 5 vet. editis.

Esse. Hoc verbum desideratur in Bon., Tax., Pen.

Posita sunt omnia. Ita restitui ex mss. 2 Bonon., Regio-Put. aliisque 2 Reg., 3 Lips., 2 Colbert., Jun., Torn., Bodl., Christ., 2 Clarom. aliisque optimis et antiquissimis, ut observavit Michael Thomasius. Eamque lectionem mavult Isæus, quam *posuit Deus omnia*, 1 Reg. antiq. et 13 recentissimorum, novemque edit. necnon scriptorum 3 Oxon. et 4 vulgatorum, expuncto nomine *Deus;* nulla enim vitia posuit Deus. Nam, ut optime observat Thomasius, illa quæ mala sunt, vel speciem quamdam habent mali, non referenda sunt ad Deum, sed ad nos, qui peccatis nostris mala nobis creamus, rebusque bonis in perniciem nostram utimur.

Hujus viæ. Mss. 5 rec. et 4 edit.; *hujus vitæ* legitur in quibusdam, sed male.

Cum ventum fuerit ad extremum. Seneca Vit.

Digitized by Google

licet, cum omni suâ pulchritudine tam subito præci- A ditur, ut non ante quis fraudem prospicere possit, quam præcipitatus in altitudinem profundam cadat. Quisquis enim præsentium bonorum specie captus, et in his consequendis ac fruendis occupatus, non præviderit ea quæ post mortem secutura sunt, seque a Deo averterit: is vero ad inferos dejectus, in æternam damnabitur pœnam.

Via vero illa cœlestis, difficilis et clivosa proposita est, vel spinis horrentibus aspera, vel saxis extantibus impedita; ut cum summo labore ac pedum tritu, cumque magna cadendi sollicitudine sit cuique gradiendum. In hac posuit justitiam, temperantiam, patientiam, fidem, castitatem, abstinentiam, concordiam, scientiam, veritatem, sapientiam, cæterasque virtutes; sed simul cum his paupertatem, ignominiam, laborem, dolorem, amaritudines omnes. Quisquis enim spem suam porrexerit longius, et meliora maluerit, carebit his terræ bonis, ut expeditus ac levis difficultatem viæ superet. Nec enim potest, qui se apparatu regio circumdederit, aut divitiis oneraverit, angustias illas vel ingredi, vel tenere. Unde intelligitur, idcirco malis et injustis facilius provenire quæ cupiant, quia prona et declivis est eorum via: bonis autem, quæ optent, difficile procedere, quia difficili et arduo itinere gradiuntur. Justus ergo, quoniam durum asperumque iter ingressus est, contemptui, derisui, odio sit necesse est. Omnes enim quos cupiditas, aut voluptas præcipites trahit, invident ei qui virtutem capere potuit; et inique ferunt id habere aliquem, quod C ipsi non habent. Erit itaque pauper, humilis, ignobilis, subjectus injuriæ; et tamen omnia, quæ amara sunt, perferens. Et si patientiam jugem ad summum illum gradum finemque perduxerit, dabitur ei corona virtutis; et a Deo pro laboribus, quos in vita propter justitiam pertulit, immortalitate donabitur. Hæ sunt viæ quas Deus humanæ vitæ assignavit, in quibus singulis, et bona ostendit, et mala, sed ordine præpostero atque converso. In una enim monstravit temporalia prius mala cum æternis bonis, qui est ordo melior: in altera, temporalia prius bona cum æternis malis, qui est ordo deterior; ut quicumque præsentia mala cum justitia delegerit, majora et certiora consequatur bona, quam fuerunt illa, quæ sprevit: quisquis autem præsentia bona præposuerit justitiæ, in majora et longiora incidat mala, quam B fuerunt illa, quæ fugit. Hæc enim vita corporalis, quia brevis est, idcircò et bona ejus, et mala, brevia sint necesse est. Illa vero spiritalis, quæ huic terrenæ contraria est, quoniam sempiterna est, idcirco et bona ejus, et mala, sempiterna sunt. Ita fit, ut et bonis brevibus mala æterna, et malis brevibus bona æterna succedant.

Itaque cum simul proposita sint homini bona, et mala, considerare unumquemque secum decet, quanto satius sit, perpetuis bonis mala brevia pensare, quam pro brevibus et caducis bonis mala perpetua sustinere. Nam sicut in hoc sæculo, cum est propositum cum hoste certamen, prius laborandum est, ut sis postmodum in otio; esuriendum, sitiendum, æstus, frigora perferenda, humi quiescendum, vigilandum, C periclitandum est ut, salvis pignoribus, et domo, et re familiari, et omnibus pacis ac victoriæ bonis

VARIORUM NOTÆ.

Brev., c. 3: *Simul ad temporis jacturam ventum est.* Virg. VI. Æn. 45: *Ventum erat ad limen.* Sil. Ital. XV. v. 510: *Ut ventum in culmen.* Bun.

In altitudinem profundam cadat. Sic emendavi ex omnibus ferme mss. et editis. Quam lectionem non improbandam existimo, ut improbavit Thomasius; cum enim altitudo a profunditate, ut ita dicam, nonnisi ratione differat, sæpe altitudo pro profunditate, seu profundo ponitur. Sic *Altitudinem maris*, Ps. LXVIII, 2; *Ab altitudine inferorum eduxit illos*, Sap. X, 19; *De altitudine ventris inferi*, Eccli. LI, 7; *Duc in altum*, Luc, v. 4; *et, Puteus altus est*, Joan. IV, 11, id est, ubi profunda est aqua. Hac quoque voce eodem D significatu usi sunt Cæsar l. IV, Bell. Gallic.; Cicero ad Attic. IX: *Terra descendit ad infinitam altitudinem.* lib. I de Divinatione; et, *Sacrum depressum est in mirandam altitudinem*, VII Verr. Cels. lib. VII, cap. 7; Lactantius ipse Divin. Institut. lib. III, cap. 28: *In puteo sic alto, ut fundus sit nullus.* In Epitome cap. 72: *Subsident valles in altitudinem profundam*, juxta ms. Taurin; et recte. Vide seq. Porro quamvis opposita videantur *altitudo* et *profundum*, tamen, juxta Augustinum, *Altitudo in latina lingua utrumque significat; et quod sursum versus est, altitudinis nomen habet; et quod in profundum altum est, altitudinis nomen habet.* S. Augustinus Serm. 165, de Verbis Apostoli Ephes. III. Ita quenon opus est emendatione ms. Bononiensis antiq. quam inducunt Thomasius, Isæus, Thysius, Gallæus, Sparkius, Walchius, scilicet, *ex altitudine in profunda cadat.—In altitudinem profundam cadat.* Seneca ep. 70: *O virum fortem! . . quam animose in profundam se altitudinem maris.., immisisset!* Arnobius l. V, p. 173: *Profundæ altitudinis specum* dixit. *Posuit.* Intelligas, *Deus.*

Amaritudines. Mss. Christ. Merton. Em. *valetudines.*

Angustias illas ingredi. Paulinus Nolanus ep. 29, c. 2: *Pharisæus. . . intrare non potuit, quia subfarciuatos arcta non capiunt. Nec poterat eo recipi lata jactantia, quo se humilitas angusta collegit, et angusto angustior contriti cordis exilitate penetravit.*

Provenire. Eleganter. Idem mox, *procedere.* Justin. l. VII, c. 6: *Rebus feliciter provenientibus.* Cic. I. 1, de Fin., c. 14: *Nec quid proventurum sit, prouidet.*

Difficile. Adverb. Plinius l. II, c. 18: *Difficile se... explicantibus.* L. XVII, c. 23 fin.: *Difficile sanescunt;* et alibi sæpius. Vocula hodie fere neglecta, cujus in Fabro duo tantum loca ex Cic. et Velleio producta.

Cupiditas, aut voluptas. Mss. 1 Bonon. antiq., Cauc., Jun., Lips., *cupiditas ac voluptas.*

In una enim. Bonon. antiq., *In sua enim.*

Incidat mala. Bene, ob præced. *consequatur bona.* Mss. 14 rec. et 8 edit., *incidet.*

Vita corporalis. Ita mss. antiq. et optimi permulti. Cauc. 9 rec. cum edd. habent *temporalis.* At ibi ut antithesis de corporali ad spiritalem. Isæus, atque ante ipsum Thomasius.

Cum simul. Mss. 12 *semel.* Videas sæpe in mss. confundi *semel* et *simul.*

Pignoribus. Id est, *filiis.—Salvis pignoribus.* Id est, liberis. Conf. l. VI, c. 12, not. Sæpe Cyprianus, e. g. de Eleemos., ed. Gryph., p. 334; *Charis* pignoribus... *providere... Da utilia et salutaria præcepta pignoribus.*

Digitized by Google

perfrui possis : sin autem præsens otium malueris, quam laborem, malum tibi maximum facias necesse est; præoccupabit enim adversarius non resistentem; vastabuntur agri, diripietur domus, in prædam uxor ac liberi venient, et tu ipse interficiere, aut capiere: quæ omnia ne accidant, præsens commodum differendum est, ut majus longiusque pariatur. Sic in omni hac vita, quia nobis adversarium Deus reservavit, ut possemus capere virtutem, omittenda est præsens voluptas, ne hostis opprimat : vigilandum, stationes agendæ, militares expeditiones obeundæ, fundendus ad ultimum cruor, omnia denique amara et gravia patienter ferenda; eo quidem promptius, quo nobis imperator noster Deus præmia pro laboribus æterna constituit. Et cum in hac terrena militia tantum homines laboris exhauriant, ut ea sibi pariant, quæ possunt eodem modo perire, quo parta sunt : certe nobis nullus labor est recusandus, quibus id acquiritur, quod nullo modo possit amitti.

Voluit enim Deus, qui homines ad hanc militiam genuit, expeditos in acie stare, et intentis acriter animis, ad unius hostis insidias vel apertos impetus vigilare ; qui nos, sicut periti et exercitati duces solent, variis artibus captat, pro cujusque natura et moribus sæviens. Aliis enim cupiditatem insatiabilem immittit, ut opibus suis tanquam compedibus illigatos a via veritatis excutiat. Alios inflammat iræ stimulis, ut ad nocendum potius intentos, a Dei contemplatione detorqueat. Alios immoderatis libidinibus immergit, ut voluptati et corpori servientes, ad virtutem respicere non possint. Aliis vero inspirat invidiam, ut suis ipsi tormentis occupati, nihil cogitent aliud, nisi eorum, quos oderint, felicitatem? Alios inflat ambitionibus. Ii sunt, qui ad gerendos magistratus omnem vitæ suæ operam curamque convertunt, ut fastos signent, et annis nomen imponant. Quorumdam cupiditas tendit altius, non ut provincias temporali gladio regant : sed ut infinita et perpetua potestate dominos se dici velint universi generis humani. Quos autem pios viderit, variis implicat religionibus, ut impios faciat. Iis vero, qui sapientiam quærunt, philosophiam in oculos impingit;

VARIORUM NOTÆ.

Stationes agendæ. Mimesis ex fragmento de Rep. Unde etiam hoc est, quod Deum imperatorem (αὐτοκράτορα) nominat. De quo supra libro III, cap. 18. BETULEIUS.

Eo... promptius, quod. Multi quidem scripti, in his Witt., Lips., Reimm., cum editis omnibus, *eo... promptius, quo;* sed edidi ex Guelferb. et Goth. membranis : *eo promptius, quod :* ita noster c. 6 : *Faciunt... multa quæ boni faciunt, eo quidem promptius,* quod *fallendi gratia faciunt.* BUN.

Quibus id acquiritur. Mss. 3 rec., *quo id acquiritur.* Editi octo, *quo id acquiratur.*

Ad unius hostis insidias. Mss. 1 Reg. et Brun., *ad hujus hostis;* Cauc., 1 Reg., 1 Colbert. et 7 editi, *ad invisibilis hostis;* 3 Reg., 4 Colbert., 2 Clarom., Cant. et ed. Rom. 1470, *ad unius vel invisibilis hostis insidias.*

Ut voluptati et corpori. 1 Reg. rec. et Brun., *ut voluptati corporis servientes.*

Inflat ambitionibus. Ita emendavi ex antiquissimis et optimis mss. 1 Bonon. antiq., 3 Reg., Cauc., 1 Lips., Pal., Brun. et edit. Is. At scripti 7 Reg. rec., 6 Colbert., 1 Clarom. et 14 typis excusi ferunt *inflammat,* quod non convenit, et jam mox præcessit *inflammat iræ stimulis.* 1 Clarom., *inflammat et inflat ambitionibus.* — *Alios inflat ambitionibus.* Ita l. VI, c. 24 : *Superbia tumidus* infletur. Lib. VII, c. 1 . *Ambitione inflati.* Conf. not., l. V, c. 22. Cyprian., l. II, ep. 2 : Inflet *superbia, iracundia inflammet.* Plurali numero *ambitiones* in Verrinis Cicero dixit. Conf. Lact., l. IV, c. 16, *injustitias.* BUN.

Et annis. Legendum forte *anno. Et annis nomen imponant.* Quam varia et multiplex in numerandis suis annis Vetustas fuerit, enarrare hic longum foret. Consulantur D. Augustin., lib. XII de Civit. Dei, cap. 10; et lib. XV ejusdem operis, cap. 14. C. Plin. lib. VII, cap. 48. A. Gell., lib. III Noct. Atticar., cap. 48. Censorinus de Die Natali, cap. 15 et copiosius. Jan. Parrhas., epist. 63. Pet. Nannius Miscellaneor., lib. V, cap. 7. Carol. Sigon., lib. II. Emendat., cap. 16. Servius Honoratus ad illud, lib. I Æneid.

Triginta magnis volvendis mensibus orbes.

Et primi mortalium Ægyptii ante usum litterarum inventum, draconem ore caudam retinentem, ad motus reciprocos astrorum et vicissitudines exprimendas, pro anno effinxerunt. Isidor. Hispalens., lib. V. Etymolog. cap. 36, et alii. Idem Servius ad illud, l. V. Æneid. :

Aditis cum lubricus anguis ab imis....

Annum autem Jovi, menses Junoni consecrabant. Plutarch. problemat. Rom. ca.p 77, constatque initio unius tantum mensis spatium annum habuisse, quem quia ad lunæ cursum metiebantur, *lunarem* appellabant. Joan. Jovian. Pontan. lib. II Uraniæ, de Luna :

Orbibus orbes
Mutat, agens circum, et parvum convertitur annum.

Alii bimestris spatio annum terminabant, inter quos et Ægyptii. Idem Pontanus eodem loco :

Ægypti primum veteres fecere bimestrem.

Idem illi Ægyptii interdum in tres menses, aliquando in quatuor annum suum secabant. Plutarch. in Numa. Cares et Acarnanes sex mensium spatio annum claudebant. Censorin. lib. de die Natali, cap. 19, ut et Hebræi ad lunæ motum annum sex mensium effecere, Suid. in voce ἐνιαυτὸς, *annus.* Atque hi quidem pro summo Deo lunam venerabantur; ideo ad ejusdem cursum annos suos circumscribebant : aliis aliter visum, qui cœlestium siderum ducem Solem agnoverunt, ejusque metientes cursus, annos suos ad motum illius conformabant. Serv. ad illud lib. III. Æneid. :

Interea magnum sol circumvertitur annum.

— *Ut fastos signent, et annis nomen imponant.* Agit Lactantius de iis quos inflavit ita ambitio, ut nihil cogitent aliud quam ut gerant magistratus, tales maxime, quibus Fastorum signandi et annis nomen imponendi ratio adjuncta fuit; id est, agit de consulibus, de quibus Fasti consulares dicti, iidemque consules annis nomen imponebant. Apte Seneca de Ira libro primo exeunte : *Ambitio non est contenta honoribus annuis; si fieri potest,* uno nomine *occupare* fastos *vult, per omnem orbem titulos disponere.* Salvianus, lib. VI, ed Brem., p. 106 : *Quum hæc omnia ipsi* (consules) *agant, qui* annis *nomina tribuunt, et a quibus anni ipsi exordium sumant.*

Variis implicat. Sic lego cum mss. antiquissimis

Digitized by Google

uti specie lucis excæcet, ne quis comprehendat ac teneat veritatem. Sic hominibus obstruxit aditus omnes, et obsepsit vias, publicis lætus erroribus : quos ut discutere possemus, ipsumque auctorem malorum vincere, illuminavit nos Deus, et armavit vera cœlestique virtute; de qua nunc mihi disserendum est.

CAPUT V.

De falsa virtute, et eadem vera; ac de scientia.

Sed priusquam singulas virtutes exponere inci, io, determinanda est ipsa virtus, quam non recte philosophi definierunt, quid esset, aut in quibus rebus; quid operis, quid habeat officii. Nomen itaque solum retinuerunt, vim vero, et rationem, et effectum perdiderunt. Quæcumque autem in definitione virtutis solent dicere, paucis versibus colligit et enarrat Lucilius, quos malo equidem ponere; ne, dum multorum sententias refello, sim longior quam necesse est.

Virtus, Albine, est, pretium persolvere verum;
Queis in versamur, queis vivimus rebus adesse.
Virtus est homini, scire id, quod quæque habeat res.
Virtus, scire, homini rectum, utile, quid sit honestum,
Quæ bona, quæ mala item, quid inutile, turpe, inhonestum.
Virtus, quærendæ finem rei scire, modumque.
Virtus, divitiis pretium persolvere posse.
Virtus, id dare, quod reipsa debetur honori;
Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum;
Contra, defensorem hominum morumque bonorum;
Hos magnifacere, his bene velle, his vivere amicum:
Commoda præterea patriæ sibi prima putare,
Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra.

Ab iis definitionibus, quas poeta breviter comprehendit, M. Tullius traxit officia vivendi, Panætium Stoicum secutus, eaque tribus voluminibus inclusit.

Hæc autem quam falsa sint, mox videbimus, ut appareat quantum in nos dignatio divina contulerit, quæ nobis aperuit veritatem. Virtutem esse dixit, scire quid sit bonum et malum; quid turpe, quid honestum, quid utile, quid minus. Brevius facere potuit, si tantum bonum ac malum diceret, quia nihil potest esse utile vel honestum, quod non idem bonum sit, nihil inutile ac turpe, quod non idem malum. Quod et philosophis videtur, et idem Cicero in tertio supradicti operis libro ostendit. Verum scientia non potest esse virtus, quia non est intus in nobis, sed ad nos extrinsecus venit. Quod autem transire ab altero ad alterum potest, virtus non est, quia virtus sua cuique est. Scientia igitur alieni beneficii est,

VARIORUM NOTÆ.

2 Bonon., Regio-Put., Jun., 3 al. Reg. et 2 Colbert. In 4 Reg., Cauc., 3 Colbert., Em., 2 Clarom. et 13 edit.; *vanis implicat;* in 1 Colbert., *vanis impleat;* in 1 Reg. rec., Pen., Cant. et 6 vulgatis, *inanibus implicat;* in 1 Reg. rec., *inanibus impleat.* — *Vanis.... religionibus.* Bon., Jun., Goth., *variis.* Pen., Subl., Rost., Ven. 1471, 1515, Paris., Crat., Gymn., Isæus, *inanibus.* Cauc., Lips., Reimm., Fasit., Gryph., Torn., Thomas. et sqq., *vanis.* Bun.

Uti specie lucis excæcet. Mss. 2 Bonon. et 2 Clarom. a prima manu, *speciem.*

Vias publicis lætus erroribus. Mss. 2 Reg., 4 Colb. et 1 Brun. ac 5 edit. vet. *latas;* 1 Clarom. *latenter.* — *Lætus erroribus.* Neglexerunt Lexica constructionem cum ablativo, qua etiam usus Claudianus in Eutrop. 573 : *profunda lætus cæde.* Sæpe Ovidius, e. g., Heroïd. ep. XII, 178 :

Rideat, et vitiis læta sit illa meis

L. 4 Pont. 9 :

Imperii lætus honore tui. Bun.

Armavit. Ms. Tornesianus, *firmavit.*

Incipio. Sic reposui ex antiquissimis et optimis mss. 2 Bonon., 6 Reg., Tax. et ed. Cellar. In mss. 13 rec. et 17 impressis est *incipiam.* Sed et lib. III, cap. 8, *priusquam dicere incipio.*

In definitione. Ita sex edit. vet. cum omnibus mss. præter 1 Reg. rec. cui, ut et editis 14 est *in definitionem.*

Virtus. In Lucilii fragmentis circa finem. Vide et Horat., lib. I, Epist. 1 ad Mæcenatem.

Queis in versamur. Id est, *in queis,* vel *quibus versamur,* per anastrophen, ut lib. V, c. 9, *Quibus coram.* Bun.

Virtus est homini. Sic restitui ex mss. pene omnibus, 12 editis, et ex Lucilio ipso. In 4 scriptis rec. et 6 vulgatis est *hominis.*

Hos magnifacere. 1 Reg. antiquissimus, *magis facere* corrupte. Mss. 15 et 4 vet. edit., *Hos magnificare,* male, repugnante metro. 1 Colbert., 1 Clarom., *Magnificare hos.*

Panætium Stoicum secutus. Cic. lib. I de Offic., cap. 2 : *Panætius sine controversia de officiis accuratissime disputavit, quemque nos, correctione quadam adhibita, potissimum secuti sumus.* Hunc 4 Acad. quæst., cap. 33, *Principem prope Stoicorum* dicit; et Scipionis *Africani familiarem,* de Offic., lib. I, c. 26. Putà minoris, seu Æmiliani, quod ex Velleii, lib. I, cap. 13 apertum est. Cell.

Dignatio divina. Ex stylo Apuleii et maxime Scriptorum Sacrorum. Apul. ad Asclep., p. 80 : *Homines soli deorum* dignatione *perfruuntur.* Sæpe Cyprianus, lib. I, epist. 1, ed. Gryph., p. 38 : *Et si quis... prior* divinæ dignationis *celeritate præcesserit,* lib. I, ep. 2, p. 39 : *Plebem* divina dignatione *nobis* commissam... *præparemus.* Ep. 3, p. 47 : *Quibus honor tantus de* Dei dignatione *conceditur.*

Scire quid sit. Disputat Plutarchus, utrum virtus doceri possit; et Musonius apud Stobæum virtutis genus facit scientiam. At quamvis radicem virtutis, quæ est vel in ipsa benigna natura, vel in gratiæ divinæ operatione, doceri nemo possit, ipsius tamen limites, attributa, ac circumstantias, non nisi a magistris prudentibus habere possumus.

Quid minus. Brevius facere potuit. Mss. 3 rec., *quod minus brevius;* 1 Colbert., *quid minus brevius;* Jun., *quid tamen brevius;* 6 al. scripti, *quid minus brevius,* absque ulla incisione.

Cicero. In III Offic., cap. 1, hæc ait : *Nam sive honestum solum bonum est, ut Stoicis placet; sive quod honestum est, id ita summum bonum est, quemadmodum Peripateticis placet... dubitandum non est, quin nunquam possit utilitas cum honestate contendere.*

Verum scientia, etc. Argumentum hoc non tam verum est, quam verosimile. Nam fides quæ ex Platone est vera Dei cognitio in Theæteto, virtus est : atqui fides, ut Paulus ad Rom. scripsit, ex auditu est. Quare diligentius expendendum est, quatenus in nobis sit, vel non sit. Quod si philosophis illis credimus, nostrum discere nihil aliud esse, quam reminisci, facile intelligemus quiddam in nobis esse, quod per doctrinam excitatur, quod Dialectici φυσικὴν δύναμιν appellant, Ethici φυσικὴν ἀρετήν. Taceo, quod ne forinsecus quidem docente doctore, et mentis lumen per suam doctrinam accendente, doctrina cœlestis accedit, nisi una cœlestis doctor in pectora nostra latente quadam vi penetraverit; non magis quam vera virtus ipsa, quam nemo in pectoribus humanis, quam solus sanctificator formare potest. Usque adeo non in nobis est virtus illa, ut quidquid illud sit, quod in nobis a nobis est, nil valeat ad salutem, nisi id fuerit a numine divino per regenerationem emendatum, reformatumque.

Digitized by Google

quia posita est in audiendo. Virtus tota nostra est, quia posita est in voluntate faciendi boni. Sicut ergo in itinere celebrando nihil prodest viam nosse, nisi conatus ac vires suppetant ambulandi : ita vero scientia nihil prodest, si virtus propria deficiat. Nam fere etiam ii qui peccant, et si non perfecte, tamen quid sit bonum et malum sentiunt; et quoties aliquid improbe faciunt, peccare se sciunt et ideo celare nituntur. Sed cum eos boni et mali natura non fallat, cupiditate mala vincuntur ut peccent, quia deest illis virtus, id est cupiditas recta et honesta faciendi. Ex hoc igitur apparet, aliud esse scientiam boni malique, aliud virtutem, quod potest esse scientia sine virtute, sicut in plurimis philosophorum fuit. In quo, quoniam recte ad culpam pertinet, non fecisse quæ scieris, recte voluntas prava, et vitiosus animus, quem excusare ignoratio non potest, punietur. Ergo sicut virtus non est bonum ac malum scire : ita virtus est bonum facere, malum non facere. Et tamen scientia sic cum virtute conjuncta est, ut scientia præcedat virtutem, virtus sequatur scientiam ; quia nihil prodest cognitio, nisi et actio subsequatur. Horatius igitur paulo melius ;

> Virtus est, vitium fugere ; et sapientia prima,
> Stultitia caruisse.

Sed inepte, quod eam contrario terminavit; ut si diceret : Bonum est, quod malum non est. Cum enim quid sit virtus, nescio, ne vitium quidem quid sit, scio. Utrumque igitur indiget definitione, quia natura rei talis est, ut utrumque aut intelligi, aut non intelligi sit necesse.

Verum nos faciamus, quod ille debuit. Virtus est, iram cohibere, cupiditatem compescere, libidinem refrenare; id est enim, vitium fugere. Nam fere omnia, quæ fiunt injuste atque improbe, ab his oriuntur affectibus. Si enim commotionis hujus, quæ ira dicitur, impetus retundatur, omnes hominum contentiones malæ sopientur; nemo insidiabitur, nemo prosiliet ad nocendum. Item si cupiditas temperetur, nemo terra marique grassabitur, nemo exercitum ducet, ut rapiat et vastet aliena. Item si ardor libidinum comprimatur, omnis ætas et sexus retinebit suam sanctitatem ; nemo quidquam pudendum aut patietur, aut faciet. Ergo universa scelera et flagitia, his commotionibus virtute sedatis, ex hominum vita moribusque tollentur. Quæ sedatio commotionum et affectuum hanc habet rationem, ut omnia recta faciamus. Omne igitur virtutis officium est, non peccare. Quo profecto fungi non potest, qui Deum nescit : quoniam ignoratio ejus, a quo bona oriuntur, imprudentem impingat in vitia necesse est. Itaque ut brevius et significantius utriusque rei summa officia determinem, scientia est, Deum nosse, virtus, colere : in illo sapientia, in hoc justitia continetur.

CAPUT VI.

De summo bono et virtute; deque scientia ac justitia.

Dixi, quod erat primum, scientiam boni non esse virtutem; deinde quid sit virtus, et in quo sit. Sequitur, ut id quoque ipsum, quid sit bonum et malum nescisse philosophos, breviter ostendam, quia pene declaratum est libro tertio, cum de Summo Bono dis-

VARIORUM NOTÆ.

Virtus tota nostra est. Rem alioqui veram docet ex fundamentis parum solidis. Nam Paulus volebat quidem recte facere, dictante hoc spiritu : sed præstandi facultatem in se non inveniebat; sicut etiam Petro caro et sanguis veram sapientiam non revelaverant. Quare ita statuendum est; virtutem et scientiam juxta in homine vel esse, vel non esse. Est enim in homine scientiæ lumen, si cœlitus fuerit accensum : ita virtus vera in nobis non est, nisi divino numine in nobis excitata : quæ tamen, dum in hac carne vivimus, ita imbecillis est, ut in conflictu sæpe succumbat; neque quidquam roboris habet, nisi fuerit divinitus suppeditatum.

Faciendi boni. Sic restitui ex quatuor vetustissimis optimisque mss. 1 Bonon., 2 Reg., Cauc. Alii 15 rec. ferunt *bona;* 1 Reg., Cant. et ed. Rom. 1468, *faciendi bonum*, mss. Tornes., 1 Reg. et 1 alter Reg. a secunda manu, *faciendi bene.*

In itinere celebrando. Antiquiores et meliores mss. 28 cum ed. Rom. 1470, *celebrando;* edit. 18, *celerando.* At *celebrare viam* apud Cicer. pro Cœlio 4, *viæ celebritas et via celebrata*, in eodem Cicerone. Apud Lactantium *campus celebratus*, pro *frequentatus*, lib. de Mortibus Persec. — *In itinere celebrando. Celebrare* nonnunquam est *frequentare et velociter ire ;* unde Cicero aliquoties *celebrare viam* dixit. Ciceronem sequitur Hieronymus epist. 14, ad Celantium f. m. 109. Illa (via) *celebratur et teritur a multis, hæc vix invenitur a paucis.* Bun.

Vires suppetant. Ita restitui ex 5 edd. cunctisque mss. præter 2 Reg. rec. in quibus, ut in impressis 11, est *suppeditent.*

Cupiditas recta. Vel quia gratiæ obicem ponunt, vel quia gratiæ resistunt.

Quod potest. Mss. 15 et 12, edit. *quia :* quod idem est.

In quo, quoniam recte ad culpam pertinet. Recte desideratur in 5 editis : reperitur autem in cæteris editis et omnibus mss.

Subsequatur. 1 Bonon. antiq. *consequatur.* — *Actio subsequatur.* Bon. *consequatur*, eleganter quidem pro *sequatur.* Sed plurimi hic *subsequatur*, pro more nostri, lib. II, c. 8 : *Intelligentia subsequi.* Lib. VII, c. 2 : *Intelligere est quasi e vestigio subsequi.* Bun.

Horatius. Quem vide, lib. I, Ep. 1.

Stultitia caruisse. Hæc duo verba quæ Horatii sunt, desiderantur in 23 mss. et in octo editis, et necessaria videntur, quia pertinent ad hæc *et sapientia prima* non autem ad illa priora, *virtus est vitium fugere.* Et ita videtur Isæo.

Sanctitatem. Id est, castitatem. Tacit., lib. XIV Annal., 60 : *Plures perstitere* sanctitatem *dominæ* (Octaviæ) *tueri*... castiora, etc. Lact. VI, c. 24 : *Alienam mulierem* sancte *videat.* Bun.

Recta faciamus. Mss. Torn. et 1 Colbert. *recte.*

Omne igitur virtutis officium est. 1 Reg. a secunda manu, et 7 edit. *Omnis;* Ed. Is., *Nunc igitur.*

Determinem. Ita restitui ex vet. edit. Rom. cunctisque mss. præter 1 Clarom. in quo est *determinentur;* in 13 excusis, *determinemus.*

Quia pene. Sic reposui ex omnibus fere mss. et edit. Rom. 1470. In sex rec. scriptis et 13 editis, *quod;* in edit. Paris., *plene;* in 1 Reg. rec., *plane;* in Jun., *bene.*

Digitized by Google

putarem. Quia autem quid esset summum nescierunt, et in cæteris bonis malisve, quæ summa non sunt, erraverint necesse est; quæ non potest vero judicio examinare, qui fontem ipsum non tenet, unde illa descendunt. Fons autem bonorum Deus est, malorum vero ille, scilicet divini nominis semper inimicus, de quo sæpe diximus. Ab his duobus principiis bona malaque oriuntur. Quæ veniunt a Deo, hanc habent rationem, ut immortalitatem parent, quod est Summum Bonum: quæ autem ab illo altero, id habent officium, ut a cœlestibus avocatum, terrenisque demersum, ad pœnam interficiant sempiternam, quod est summum malum. Num igitur dubium est, quin illi omnes quid esset bonum et malum ignoraverint, qui nec Deum, nec adversarium Dei scierint? Itaque finem bonorum ad corpus, et ad hanc brevem vitam retulerunt, quam scilicet solvi et occidere necesse est: non sunt progressi ulterius. Sed omnia eorum præcepta, et omnia quæ inducunt bona, terræ inhærent, et humi jacent, quoniam simul cum corpore, quod est terra, moriuntur; pertinent enim non ad vitam homini comparandam, sed ad quærendas vel augendas opes, honores, gloriam, potentiam; quæ sunt universa mortalia, tam scilicet, quam ille qui, ut ea sibi contingerent, laboravit. Hinc est illud:

Virtus, quærendæ finem rei scire modumque.

Præcipiunt enim quibus modis, et quibus artibus res familiaris quærenda sit, quia vident male quæri solere: sed hujusmodi virtus non est proposita sapienti. Nec enim virtus est, opes quærere, quarum neque inventio, neque possessio in nostra potestate est. Itaque et quæstu, et obtentu faciliores sunt malis, quam bonis. Non potest ergo virtus esse in iis rebus quærendis, in quarum contemptu vis ac ratio virtutis apparet; nec ad ea ipsa transfugiet, quæ magno ac excelso animo calcare ac proterere gestit: neque fas est, animam cœlestibus intentam bonis, ut hæc fragilia sibi comparet, ab immortalibus suis operibus avocari. Sed potissimum in iis rebus comparandis virtutis ratio consistit, quas nobis nec homo ullus, nec mors ipsa possit auferre. Cum hæc ita se habeant, illud quod sequitur verum est:

Virtus, divitiis pretium persolvere posse.

Qui versus idem fere significat, quod primi duo. Sed neque ipse, neque quisquam philosophorum scire potuit pretium ipsum, vel quale, vel quod sit. Id enim poeta, et illi omnes, quos secutus est, putaverunt, recte opibus uti, hoc est, frugi esse; non instruere convivia sumptuose; nec largiri temere; non effundere in res supervacuas, aut turpes, rem familiarem.

Dicet aliquis fortasse: Quid tu? negas ne hanc esse virtutem? Non equidem nego; contraria enim videar probare, si negem. Sed veram nego; quia non sit illa cœlestis, sed tota terrena, quandoquidem nihil efficit, nisi quod remaneat in terra. Quid sit autem recte opibus uti, et qui sit ex divitiis fructus petendus, declarabo apertius, cum de pietatis officio loqui cœpero. Jam cætera, quæ sequuntur, nullo modo vera sunt. Nam improbis inimicitias aut indicere, bonorum defensionem suscipere, potest cum malis esse commune. Quidam enim probitate ficta viam sibi ad potentiam muniunt, faciuntque multa, quæ boni solent, eo quidem promptius, quod fallendi gratia faciunt. Utinamque tam facile esset præstare, quam facile est simulare bonitatem. Sed ii, cum esse cœperint propositi ac voti sui compotes, et summum potentiæ gradum ceperint, tum vero simulatione deposita, mores suos detegunt: rapiunt omnia, et violant, et vexant; eosque ipsos bonos, quorum causam susceperant, insequuntur, et gradus per quos ascen-

VARIORUM NOTÆ.

Quia autem. Hæc lectio est quamplurimorum mss. et edit. Tornes. ac Soubron.; *Qui autem* 4 mss. rec. et omnium fere excusorum.

Quid esset summum nescierunt. Ita mss. maximo numero et antiquissimi, ac sex editi. In 8 rec. scriptis et 4 vet. editis inseritur *bonum*. Hæc autem vox *summum* et *summa* Lactantio familiaris et peculiaris est, pro notitia veri Dei, sive cultus illius, ut hic, lib. VI, c. 6, initio, et c. 8, et c. 23; lib. VII, c. 3 et c. 5; Epitom., c. 67, in fine, c. 69 initio, lib. de Ira Dei, c. 6, et de Opificio Dei, c. 6, ante finem.

Quæ non potest. Sic quamplurimi manu exarati, et 8 typis excusi. Mss. 1 Reg. et 1 Bonon. antiquissimi, 1 Colb. et 1 Clarom., *quia*; 2 Reg., Jun., Pen. et 8 vulgati, *quod*.

Ut a cœlestibus avocatum. Præpositionem, *a*, quæ plerisque editis deest, restitui ex omnibus mss. et editis 2 vet. Rom., Gymnic., Grat., Tornes., Soubron. Et recte. Vide infra, *ab immortalibus suis operibus avocari*.

Num igitur dubium est, quin... ignoraverint. Ita mss. antiquiores. Recentiores, *Non... ignoraverint*, sine interrogatione.

Qui nec Deum, nec adversarium Dei scierint. Hæc lectio est 9 Vaticanorum, 7 Regiorum, Cauc., Goth., Ultr., 2 Lips., 1 Clarom. et 5 ed. At 2 Reg. rec., 3 Vatic., Pen. et omnes fere impressi referunt *adversarium ejus*; 3 rec., *scierunt*, 1 Reg., 1 Lips. 1 Brun. pro *adversarium*, habent *æmulum*; 1 Bonon. antiquior, *nec adversarium humani generis*. Omnes hæ lectiones bonæ sunt. Lactantius supra, lib. II, Institut., cap. 10, diabolum vocavit *antitheum*, id est, *Dei adversarium*.

Possessio. Quin imo etiam juxta Stoicos, neque corpus nostrum in nobis esse crediderunt, neque earum rerum quidquam quæ ad corpus pertinent. Qua de re vide Epictetum in Enchiridio, cap. 1.

Quæstu. Ita omnes scripti, editique; mallem *quæsitu*, quo præter Plinium l. 51, c. 9, usus et Boethius, l. IV, Pros. 6: *Rem quæsitu maximam* dicens. Bun.

Ab immortalibus suis operibus avocari. Mss. rec. 1 Colb., Cotton., 1 Clarom. *opibus*. — *Ab immortalibus suis opibus.* Edidi *opibus* ex Cotton., Lips. altero et Reimm., ubi alii et editi omnes, *ab immortalibus suis operibus*. Agitur hic ubique de *opibus*, et dicit *animam cœlestibus intentam bonis*. Facilis confusio; quum *opibus* et *opibus* differant modo linea per *o* ducta. Bun.

Idem fere significat. Mss. 2 rec. *vere*. In 3 rec. scriptis *id*. 1 Bonon. antiq. legitur *id significat*.

Id enim poeta. 1 Reg. antiq. *Hic enim*; 2 Reg. rec., 1 Clarom. et edit. 4, *Idem enim*; 1 Colb., Brun., *Idem ille*; 2 Reg. et ed. Rom. 1470, *Idem enim poetæ*; male. Vide seqq. Cæteri *id*, recte; refertur enim ad *pretium*, quod præcessit.

Quidam enim probitate ficta, etc. Hæc Licinio recte

Digitized by Google

derunt amputant, ne quis illos contra ipsos possit imitari. Verumtamen putemus, hoc officium non nisi boni esse, ut bonos defendat. At id suscipere, facile est, implere, difficile; quia cum te certamini congressionique commiseris, in arbitrio Dei, non tuo, posita victoria est. Et plerumque improbi, et numero, et conspiratione sunt potentiores, quam boni; ut ad eos superandos, non tam virtus sit, quam felicitas necessaria. An aliquis ignorat, quoties melior justiorque pars victa sit? Hinc semper dominationes acerbæ in cives extiterunt. Plena est exemplis omnis historia: sed nos contenti erimus uno. Cneius Pompeius bonorum voluit esse defensor; siquidem pro republica, pro Senatu, pro libertate arma suscepit. Idem tamen victus cum ipsa libertate occidit, et à spadonibus Ægyptiis detruncatus, insepultus abjectus est.

Non est igitur virtus, aut hostem malorum esse, aut defensorem bonorum, quia virtus incertis casibus non potest esse subjecta.

Commoda præterea patriæ sibi prima putare.

Sublata hominum concordia, virtus nulla est omnino. Quæ sunt enim patriæ commoda, nisi alterius civitatis, aut gentis incommoda? Id est, fines propagare aliis violenter ereptos, augere imperium, vectigalia facere majora. Quæ omnia non utique virtutes, sed virtutum sunt eversiones. In primis enim tollitur humanæ societatis conjunctio, tollitur innocentia, tollitur alieni abstinentia, tollitur denique ipsa justitia, quæ dissidium generis humani ferre non potest, et ubicumque arma fulserint, hinc eam fugari et exterminari necesse est. Verum est enim Ciceronis illud: *Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, dirimunt hi communem generis humani societatem: qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur.* Nam quomodo potest justus esse, qui nocet, qui odit, qui spoliat, qui occidit? Quæ omnia faciunt, qui patriæ prodesse nituntur. Id enim ipsum prodesse, quid sit, ignorant, qui nihil putant utile, nihil commodum, nisi quod teneri manu potest, quod solum teneri non potest, quia eripi potest.

Hæc itaque (ut ipsi appellant) bona quisquis patriæ acquisierit, hoc est, qui eversis civitatibus, gentibusque deletis, ærarium pecunia referserit, agros ceperit, cives suos locupletiores fecerit; hic laudibus fertur in cœlum, in hoc putatur summa et perfecta esse virtus. Qui error non modo populi et imperitorum, sed etiam philosophorum est; qui præcepta quoque dant ad injustitiam, ne stultitiæ ac malitiæ disciplinæ auctoritas desit. Itaque cum de officiis ad rem militarem pertinentibus disputant, neque ad justitiam, neque ad veram virtutem accommodatur illa omnis oratio, sed ad hanc vitam moremque civilem, quem non esse justitiam, et res indicat, et ipse Cicero testatus est. « Sed nos, inquit, veri juris, germanæque justitiæ, solidam et expressam effigiem nullam tenemus. Umbra et imaginibus utimur; easque ipsas

VARIORUM NOTÆ.

conveniunt. Vide librum de Mortibus Persecutorum, cap. 36, 48, 50, 51.

An aliquis ignorat, quoties melior, etc. Sic restitui ex 5 vet. editis et 20 manu exaratis, inter quos sunt antiquissimi 1 Bon. et 2 Reg.

Cneius Pompeius. 4 Reg., 3 Colbert., 2 Clarom. habent *Gneius;* Jun., 1 Colbert., edit. Ald., Paris., Juntar., Crat., Graph., *Cneius enim Pompeius;* Ultr., Brun., *Cum enim Pompeius.* De Cneii Pompei in rempublicam amore vide Plutarchum, Appian. Alexandrinum, ac præsertim Ciceronem in epistolis passim.

Idem. Sic reposui ex omnibus mss. et ed. vet. Rom. et Betul. In cæteris legitur, *Is tamen victus.*

Occidit. Ita omnes prope mss. et impressi. 3 Reg. et Jun. et 5 vet. edit., *occiditur;* 1 Colbert., *occubuit.*

A Spadonibus Ægyptiis. Photinum eunuchum regium intelligit, qui loco Ptolomæi juvenis regnum administrabat. Betuleius.

Sublata hominum concordia, virtus nulla est omnino. Deest *virtus* in 8 Reg., 6 Colbert., Cauc., Jun. et 10 aliis. In 14 scriptis, pro *nulla*, legitur *nihil.*

Patriæ commoda. Naturæ sive humanitatis jus constringit et copulat universum genus humanum, quod qui violat, naturam ipsam evertit: contra quod peccant ii, qui sui commodi causa, quod aliis proprium est detrahunt. Hoc enim, juxta Ciceronem, magis est contra naturam ipsam, quam mors, quam dolor, quam alia quævis mala. Hinc colligere licebit, jus istud humanum nihil prorsus aliud esse, quam jus Gentium, quod qui dirimit, dirimere etiam omnem generis humani consociationem putandus est. Nulla siquidem lex æqua censenda est, quæ vel in fraudem naturæ constituitur, vel non ex æterna lege fluit. Unde etiam privilegia omnia contra æquabilitatem consociationis humanæ invecta, cum æquitate conjuncta non sunt. Ex hac nota emenda totum hunc Lactantii locum, qui justam defensionem cum iniqua aggressione confundit.

Ereptos. Sic restitui ex 8 vet. editis, omnibusque mss. præter Pal. et 1 Lips. in quibus est *ereptis*, mendose; in Cauc. et 13 impressis, *ejectis.*

Vectigalia facere majora. Mss. 2 Colb., Goth., et 7 edit., *meliora.* Plinius in Panegyric., *Fisci nunquam causa bona est, nisi sub bono Principe.* — *Vectigalia facere meliora.* Cæsar libro 1 de B. Civ., c. 35, dixit *vectigalia augere;* et ex opposito l. 1 de B. Gall., c. 36, vectigalia *deteriora facere.* Forte scripsit noster: vectigalia *facere majora atque meliora.* Bun.

Ciceronis. Lib. III Offic. cap. 2, unde hæc omnia desumpta sunt.

Justitia funditus tollitur. Funditus, quod deest in nonnullis editis, restitui ex cæteris impressis omnibusque mss. et ex ipso Cicerone lib. III Offic. cap. 2.

Justus esse. Post hæc, ex omnibus mss. et editis quamplurimis addidi, *qui nocet, qui odit*, quod in nonnullis deerat.

Disciplinæ auctoritas. Sic reposui ex 11 Mss. quorum unus est antiq. Regio-Put. adduntque nonnulli *quoque.* In scriptis 8 et vulgatis 17 est *disciplina et auctoritas.*

Disputant. Mss. Jun. et 3 edit., *disputent.*

Oratio. Mss. Tornes., 2 Colb. et edd. 4. *ratio.*

Cicero. Offic. lib. III, cap. 3, vel n. 69, de his infra cap. 12.

Umbra et imaginibus utimur. 1 Clarom., *umbris;* et sic legendum esse censebat Francius. Utraque lectio bona. Legitur *umbra* hic loci apud Ciceronem; et mox *Umbra et imago justitiæ*, et infra cap. 7: *Specie virtutis inducti, umbras et imagines apprehendunt;* et cap. 12, *umbram imaginemque virtutis, et ad umbram imaginemque justitiæ;* capite vero 11 circa medium, *Abjice umbras illas imaginesque justitiæ.*

Digitized by Google

utinam sequeremur! Feruntur enim ab optimis naturæ ac veritatis exemplis. » Umbra est igitur et imago justitiæ, quam illi justitiam putaverunt. Quid sapientiam? nonne idem confitetur in phisosophis esse nullam? « Aut cum Fabricius, inquit, aut Aristides justus nominatur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his justitiæ petitur tanquam a sapiente exemplum. Nemo enim horum sic sapiens, ut sapientem volumus intelligi. Nec ii qui sapientes habiti et nominati, M. Cato et C. Lælius, sapientes fuerunt, ne illi quidem septem : sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quamdam gerebant speciemque sapientium. » Si ergo et philosophis ipsorum confessione adempta sapientia est, et iis qui justi habiti sunt, adempta justitia est, omnes igitur illæ virtutis descriptiones falsæ sint necesse est; quia quæ sit virtus vera, scire non potest, nisi justus ac sapiens. Justus autem ac sapiens nemo est, nisi quem Deus præceptis cœlestibus erudivit.

CAPUT VII.

De via erroris ac veritatis; quod ea simplex sit, angusta et ardua, atque Deum habeat ducem.

Nam illi omnes, qui per aliorum confessam stultitiam sapientes existimantur, specie virtutis inducti umbras et imagines apprehendunt, nihil verum. Quod ea fit ratione, quoniam via illa mendax, quæ fert ad occasum, multos tramites habet, propter studiorum et disciplinarum varietatem, quæ sunt in vita hominum dissimiles atque diversæ. Nam sicut via illa sapientiæ habet aliquid simile stultitiæ, quod libro præcedente monstravimus : ita hæc, cum sit tota stultitiæ, habet aliquid simile sapientiæ, quod arripiant ii, qui stultitiam publicam intelligunt; et ut habet vitia manifesta : sic habet aliquid, quod simile esse videatur virtuti; ut habet apertum scelus : sic imaginem quamdam speciemque justitiæ. Quomodo enim præcursor ejus viæ, cujus vis et potestas omnis in fallendo est, universos in fraudem posset inducere, nisi verisimilia hominibus ostentaret? Deus enim, ut immortale illud arcanum ejus in operto esset, posuit in via sua, quæ homines pro malis et turpibus aspernarentur, ut aversi a sapientia et veritate, quam sine ullo duce requirebant, in id ipsum inciderent, quod vitare ac fugere cupiebant. Itaque illam perditionis ac mortis viam multiplicem ostendit, vel quod multa sunt genera vitæ, vel quod dii multi qui coluntur.

Hujus dux prævaricator ac subdolus, ut videatur

VARIORUM NOTÆ.

Ab optimis naturæ ac veritatis exemplis. Ita omnes (quod sciam) mss. et editi Lactantii. In nonnullis editis Ciceronis habetur, *ex optimis naturæ principiis, et veritatis exemplis*, quod rectius est. Quædam tamen editiones non habent τὸ *principiis*.

Aut cum Fabricius (inquit) aut Aristides justus nominatur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his justitiæ petitur tamquam a sapiente exemplum. Hunc locum sic emendavi et restitui, non solum ex 8 mss. Reg., 4 Colb. aliisque, sed et ex Cicerone, expuncto nomine *fortis*, post *Fabricius;* ita ut vox *illis* referatur ad duos Decios et ad duos Scipiones, quos Cicero viros fortes mox commemoravit. Sic habetur hic locus apud Ciceronem lib. III Officiorum, cap. 4 : *Nec vero cum duo Decii, aut duo Scipiones etiam fortes viri commemorantur, aut cum Fabricius, aut Aristides justus nominatur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his justitiæ tamquam a sapiente petitur exemplum*, etc. Hinc vides Fabricium a Cicerone adduci non ad Fortitudinis, sed ad Justitiæ exemplum. Unde hic vox *fortis* abundare videtur; et locus ex Cic. restituendus. *Ex* Isæo. — *Aut cum Fabricius.* Heumannus legi vult *nec cum Fabricius.*

Cato et Lælius. De hoc apud ipsum Ciceronem in Lælio, sive de Amicitia, et in Catone, sive de Senectute. Vide supra lib. v, cap. 18.

Sapientium. Ita manuscripti, præter 2 Brun. et 4 edd. in quibus est *sapientiæ*. 1 Reg. rec. et ed. Rom. 1470, *sapientiam*, mendose; 3 edd., *sapientum.*

Si ergo et philosophis. Addidi *ergo* ex omnibus mss. et 12 vulgatis.

Nisi justus ac sapiens. Post hæc verba addidi ex 12 editis cunctisque mss. præter tres, *Justus autem ac sapiens*, quæ desiderantur in 1 Reg., 1 Bonon. antiq. et in 1 Sorbon. in quorum postremis duobus et in 4 editis est, *quod nemo est.* In 1 Reg., *nullus est.*

Nam illi omnes. Nam reposui ex edit. 2 vet. Rom. et Is. ac Cellar. nec non ex omnibus mss. præter 1 Reg. rec. cui est *Jam*, ut et 15 impressis.

Disciplinarum. Ita legendum ex omnibus mss. et 12 editis. Plures vulgati vitiose legunt *discipulorum*, quod vitio typographorum aut librariorum accidisse constat ex sequentibus, *quæ sunt dissimiles atque diversæ.* Si Lactantius *discipulorum* scripsisset, fœminino genere sequentia non potuissent enuntiari : deinde ex scopo Auctoris sic etiam legendum esse patet, quia non propter *discipulorum*, sed propter *disciplinarum* varietatem ipsi discipuli feruntur ad occasum. Gallæus.

In vita hominum dissimiles. 1 Colb. et 7 edit., *hominis.*

Quod arripiant. Sic reposui ex mss. antiquissimis Bonon., 2 Reg., Cauc., 4 Reg. rec., 4 Colbert. aliisque et 3 vet. edit. Scripti 7 et vulgati 14 habent *arripiunt.*

Præcursor ejus viæ. Ita ferunt omnes prope editi et mss. inter quos sunt veterrimi et optimi. Et sic legendum, quia Lactantius loquitur de inductione in fraudem, quod de *præcursore* commodius, quam de *percursore*, ut habent nonnulli mss. et editi, dici potest.

Ostentaret. 1 Bonon. antiq. solus, *ostenderet.*

Immortale illud arcanum ejus. 1 Bonon. antiq., *immortalitatem, ita arcanum. Deus enim, ut immortale illud arcanum ejus*, etc. Locus perobscurus, ait Thomasius, ac primo aspectus videtur Lactantius Deum auctorem facere rerum turpium et malarum: sed ex his, quæ ante in eodem capite dixit, et præsertim ex capite ultimo præcedentis libri, hic locus debet intelligi. Ait ergo Deum in via sua posuisse ea, quæ turpia vel mala, vulgo putantur; ut sunt cruces, opprobria, verbera et mors. Quare? primum ut probentur electi, dein ut multi, qui sapientiam inquirebant, videntes Christianos pro religione et disciplina suscepta constanter omnia tormenta, et mortem ipsam subire, inquirant quænam sit ea disciplina, cui se addictos profitentur. Ita illi qui aversi erant a sapientia et veritate, id est, a vera doctrina christianorum, cum tamen sapientiam sine ullo duce quærerent, quam tamen quomodo quærerent nesciebant, in id ipsum incidebant, quod vitare ac fugere cupiebant, id est, in ipsam religionem et sapientiam christianam, vel in illa eadem tormenta et cruces, quas antea vitare constituerant. Quod quidem exemplo suo docuit Justinus philosophus et martyr; sic enim de se ait : quod cum Platonis philosophia delectaretur,

Digitized by Google

esse discrimen aliquod falsi et veri, mali ac boni, alia ducit luxuriosos, alia eos qui frugi appellantur; alia imperitos, alia doctos; alia inertes, alia strenuos; alia stultos, alia philosophos; et eos quidem non uno tramite. Illos enim, qui aut voluptates, aut divitias non refugiunt, ab hac publica et celebri via modice segregat: eos autem, qui aut virtutem sequi volunt, aut contemptum rerum profitentur, per fragosa quædam præcipitia trahit. Sed tamen illa omnia itinera, quæ speciem bonorum operum ostentant, non sunt aliæ viæ, sed diverticula et semitæ; quæ videntur quidem ab illa communi dextroversum separari, ad eamdem tamen, et ad unum omnes exitum sub ipso fine referuntur. Ibi enim dux, ille conjungit omnes, ubi opus fuerat, bonos a malis, fortes ab inertibus, sapientes a stultis separari; in deorum scilicet cultu, in quo ille universos, quia sine ullo discrimine stulti fuerunt, uno mucrone jugulat, et præcipitat in mortem. Hæc autem via, quæ est veritatis, et sapientiæ, et virtutis, et justitiæ, quorum omnium fons unus est, una vis, una sedes; et simplex est, quod paribus animis, summaque concordia unum sequamur, et colamus Deum; et angusta, quoniam paucioribus virtus data est; et ardua, quoniam ad bonum, quod summum atque sublime est, nisi cum summa difficultate ac labore non potest perveniri.

CAPUT VIII.

De erroribus Philosophorum, ac varietate Legum.

Hæc est via, quam philosophi quærunt: sed ideo non inveniunt, quia in terra potius, ubi apparere non potest, quærunt. Errant ergo velut in mari magno, nec quo ferantur intelligunt, quia nec viam cernunt, nec ducem sequuntur ullum. Eadem namque ratione hanc vitæ viam quæri oportet, qua in alto iter navibus quæritur; quæ nisi aliquod cœli lumen observent, incertis cursibus vagantur. Quisquis autem rectum iter viæ tenere nititur, non terram debet aspicere, sed cœlum: et (ut apertius loquar) non hominem sequi debet, sed Deum; non his terrestribus simulacris, sed Deo servire cœlesti; non ad corpus referre omnia, sed ad mentem; non huic vitæ dare operam, sed æternæ. Itaque si oculos in cœlum semper intendas, et solem, quo oritur, observes, eumque habeas vitæ quasi navigii ducem, sua sponte in viam pedes dirigentur; et illud cœleste lumen, quod sanis mentibus multo clarior sol est, quam hic quem carne mortali videmus, sic reget, sic gubernabit, ut ad summum sapientiæ, virtutisque portum sine ullo errore perducat.

Suscipienda igitur Dei lex est, quæ nos ad hoc iter dirigat: illa sancta, illa cœlestis, quam Marcus Tullius in libro de Republica tertio pene divina voce depinxit; cujus ego, ne plura dicerem, verba subjeci: « Est quidem vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; quæ vocet ad officium, jubendo; vetando, a fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustra jubet, aut vetat; nec improbos jubendo, aut vetando movet. Huic legi

VARIORUM NOTÆ.

audiens multos ex nostris martyribus pro religione christiana constantissime mortem oppetere, voluit eam Religionem nosse, pro qua illi tam libenter occumbebant; quam quidem ille cum perfectissime intellexisset, pro eadem postea non dubitavit vitam libentissime profundere, in se expertus, quod in aliis antea fuerat admiratus. Hæc eo fine scribimus, ut Lactantium ab omni errore liberemus, ne dicatur gravissimum auctorem, Deum auctorem mali fecisse, a quo errore ex aliis Scriptoris hujus locis nobis videtur immunis. — *Arcanum ejus in operto esset.* Remittit nos Lactantius ad librum præcedentem, id est, quintum, ubi c. 18: *Idcirco virtutem ipsam Deus sub persona stultitiæ voluit esse* celatam, *ut mysterium veritatis ac religionis* suæ esset *arcanum*. Quod nostro loco dicitur *arcanum ejus in operto esset*, in libro quinto est, *ut mysterium... esset arcanum*. Idem dicit l. IV, c. 2: *Stultitiæ velamento Deus*, ne arcanum *sui divini operis* in propatulo esset, *thesaurum sapientiæ veritatis absconditi*. Ibid., c. 5: Multi veritatem *sub velamine stultitiæ latentem aspernantur ac respuunt*. BUN.

Alia inertes, alia strenuos. Goth. *alia ineptos, alia strenuos.* Inepte. Reliqui *inertes*, recte; repetuntur enim *fortes ab inertibus*. *Inertes* fortibus ac strenuis opponuntur. Conf. not. l. VI, c. 14: *Quietum ab inerti*; cap. 18: *Habebitur pro segni et inerti*, cui ibidem *fortis ac strenuus* oppositus. Ita in Valer. Max. l. VIII, c. 8, *inertes* et *strenui* sibi adversantur. Boethius IV Metr. 7: *Ite nunc fortes. . . . . cur inertes terga non datis?* BUN.

Per fragosa. Ita scribo ex antiquissimis mss. 2 Bonon., Betul. et 1 Regio-Put. a prima manu: quæ vox reperitur apud Virgilium et Quintilianum. Nostræ lectioni favet vet. editio Romana 1468, quæ habet *fragrosa*, vitiose. Alii mss. rec. complures et editi *confragrosa*.

Non sunt aliæ viæ. Bonon. antiq. solus *non sunt clivosa*.

Referuntur. Id est, rursum feruntur. *Francius.*

Una sedes. Ms. solus 1 Bonon. antiq. et cum eo edit. 4 rec. addunt *suavis*, quæ vox proscribenda videtur. — *Una sedes, et simplex est.* Sed simplex hic dicitur in oppositione viæ mendacis, quæ supra, *multos tramites* habet: inde vocat *viam multiplicem*. BUN.

Quod. Heumann. legit *quo*.

Nec ducem sequuntur ullum. Ultimam vocem *ullum* 5 rec. editis neglectam restitui ex cæteris et cunctis mss. præter 1 Bonon. antiq. cui est, *Nec ducem sequuntur. Rationem hanc.* Pro *ullum*, 1 Reg. rec., 1 Colb., 1 Brun. habent, *illum*.

Non hominem sequi debet. Abest *debet* ab 1 Bonon. antiq.

Multo clarior sol est, quam hic, etc. Sic restitui ex mss. 3 Reg. quorum duo sunt veterrimi, 2 Colb., Goth., Marm., 1 Clarom., faventibus scriptis 2 Reg. et 2 Colb. in quibus est, *multo clarior sole est*; in Brun., *multo clarior, quam sol est.* In mss. 4 Reg. rec., 2 Colb., 2 Lips., 1 Clarom. et editis, *multo clarius sole est.*

Quem carne mortali videmus. Ita scripti et editi, præter ms. Pal. et sex edit. quibus est, *quem in carne mortali videmus.*

Sic reget. Hæc ex mss. et plerisque editis addidi, quæ nonnullis impressis desunt.

Ut ad Summum sapientiæ. Ita ex mss. et quamplurimis editis vet. reposui. In sex vulgatis est, *summam.*

Dirigat. Jam dixerat David: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Lex. Sic idem Cicero lib. 1 de Legibus ait: *Lex est ratio summa, insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt.*

Huic legi nec obrogari fas est. Sic legunt mss. 4 Reg. antiquissimus, Ultr., Pal., Lips., Brun., et 6

Digitized by Google

nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quærendus explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac : sed et omnes gentes, et omni tempore una lex, et sempiterna, et immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister, et imperator omnium Deus, ille legis hujus inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia quæ putantur effugerit. » Quis sacramentum Dei sciens, tam significanter enarrare legem Dei posset, quam illam homo longe a veritatis notitia remotus expressit? Ego vero eos, qui vera imprudentes loquuntur, sic habendos puto, tanquam divinent spiritu aliquo instincti. Quod si, ut legis sanctæ vim rationemque pervidit, ita illud quoque scisset aut explicasset, in quibus præceptis lex ipsa consisteret : non philosophi functus fuisset officio, sed prophetæ. Quod quia facere ille non poterat, nobis faciendum est, quibus ipsa lex tradita est ab illo uno magistro et imperatore omnium Deo.

CAPUT IX.

De Lege et Præcepto Dei; de Misericordia, atque errore Philosophorum.

Hujus legis caput primum est, ipsum Deum nosse, soli obtemperare, solum colere. Non potest enim rationem hominis obtinere, qui parentem animæ suæ Deum nescit; quod est summum nefas. Quæ ignoratio facit, ut diis alienis serviat, quo nihil sceleratius committi potest. Hinc jam proclivis est ad malitiam gradus per ignorantiam veri ac singularis boni; quia Deus, quem nosse refugit, fons est ipse bonitatis. Vel si justitiam sequi volet Dei, divini tamen juris ignarus, gentis suæ leges tanquam verum jus amplectitur; quas non utique justitia, sed utilitas reperit. Cur enim per omnes populos diversa et varia jura sunt condita, nisi quod unaquæque gens id sibi sanxit, quod putavit rebus suis utile? Quantum autem a justitia recedat utilitas, populus ipse Romanus docet, qui per Feciales bella indicendo, et legitime injurias faciendo, semper aliena cupiendo, atque rapiendo, et possessionem sibi to-

VARIORUM NOTÆ.

edit. Et ita emendandum esse censent Latinius, Joan., Cauci, Betuleius, Francius. Alii legunt *abrogari; promulgari, propagari, prorogari*, corrupte. *Obrogari*. Ex Ulpiano lex *obrogatur*, cum prior lex tollitur *derogatur*, cum pars primæ tollitur: *subrogatur*, cum aliquid adjicitur; *abrogatur*, cum aliquid mutatur. SPARK.—Quæ interpretatio est ipsius Ulpiani.

Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis. Notatio est juris nimirum civilis, non unius, sed alterius etiam reipublicæ. De quo vide § *Sed jus*. Institut. de jure naturali, gent. et civill. et in Decretis Pontific. cap. 2, distinctione 1.

Sed et omnes gentes. 1 Bonon. antiq., *omni genti.*

Continebit; unusque erit. Idem Bonon. *quam si continebit, unusquisque, erit.* Cicero igitur in secundo de Legibus ait de lege scilicet naturali : *Hanc igitur video, sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia.* Verum, juxta mentem Thomasii, nolumus Lectorem privare antiqua codicis Bononiensis lectione in qua sic legitur : *sed et omni genti et omni tempore una lex est sempiterna et immutabilis, quam si continebit unusquisque, erit communis quasi magister.* Quæ Verba egregium etiam sensum repræsentant.

Inventor. Ergo Demosthenes de civili lege faciens verba, cum ait : πάντα τὸν νόμον εὕρημα καὶ δῶρον θεῶν εἶναι: significat, eas ex naturali fluere, et ob id veras esse, nulloque tempore abolendas. Cæteræ, quæ ex naturali originem non habent, sine piaculo vel negligi, vel abrogari possunt. Facile vero ex hoc lib. intelligetur, quæ leges ex hac æterna non manarint: nempe quæ cum vera religione et cum charitate proximi pugnant; et illæ quia vi potissimum constant, legis nomen non merentur, nec apud Græcos, nec apud Latinos. His enim delectum significat, a *legendo* nimirum dicta: illis, ἀπὸ τοῦ νεμεῖν, eo quod suum cuique tribuat. Nemini autem quidquam debemus, inquit Apostolus, præter charitatem. Nam præcepti finis est charitas. 1 ad Timotheum c. 1. BETULEIUS.

Aspernatus. Sic emendavi ex vetustissimis mss. Bonon. Reg. et quamplurimis aliis ac 3 vet. edit. Scripti vero 2 Reg. rec., 2 Colbert., 2 Clarom. habent *aspernatur;* 10 impressi, *aspernabitur.*

Posset. Ita quamplurimi mss. inter quos sunt antiquissimi Bonon., 8 Reg., Jun., 4 Colbert. Brun. et 5 vet. edit. Scripti 6 rec. et 12 vulgati, *possit.*

Imprudentes. Sic restitui ex omnibus fere mss. et 2 vet. editis. In 1 Reg. rec. et 1 Colbert. ac 14 impressis est *imprudenter.* Vetus versio Gallica, *Ceux qui sans le connaître disent les choses vraies.*

Tamquam divinent spiritu aliquo instincti. Pro *divinent*, ms. 1 Lips. habet *dementes.* 1 Colb., 1 Clarom. et Brun., *tanquam divinent spiritu aliquo instructi.* Jun. et 5 excusi, *tanquam divino spiritu instructos.* Vide supra eodem libro 6, initio capitis 1, *divino spiritu instruente.* De lege æterna præ cæteris ecclesiasticis Scriptoribus præclare locutus est S. Augustinus lib. 1 de Libero Arbitrio.

Fuisset. 1 Colb., *fuit;* 3 Reg. et tredecim edit. *esset.*

Hujus legis. 1 Bon. antiq. et 1 Reg. rec., *Cujus.*

Solum colere. Exod. XX, Deuter. V, Psal. LXXX.

Ut diis alienis serviat. Brun. *aliis.* 1 Bonon. antiq. *facit diis alienis servire.*

Bonitatis. Vel si. ms. Brun. et edit. Betul., *bonitatis ac veritatis. Vel si;* 1 Bonon. antiq., *bonitatis. Ne si.*

Justitiam sequi volet Dei. Vocem *Dei* deletam vult Heumannus; et posset abesse, ut sæpe *justitiam sequi* ita posuit, etiam quum de divina agit, ut lib. II, cap. 17, et lib. VII, cap. 11. Sed habent hic omnes libri. Conf. infra. BUNEMAN.

Qui per Feciales bella indicendo. In mss. 2 Reg. rec., Lips., Ultr., Brun., *qui frequenter per Feciales*, etc. 1 Bonon. antiq., *qui perfida bella indicendo.* Fecialium officium erat, dare operam ne bellum injustum alicui inferretur; si læsi essent Romani, legatos mittere, ut jus illorum repeteretur; et si confœderati spernebant legatos vel verba, tum illi faciebant postulata, et bellum indicebant: pacem item conficiebant, aut illegitimam irritam reddebant; judicabant etiam de legatorum injuriis, etc. De quibus vide Dionysium et Plin. GALLÆUS.

Et legitime injurias faciendo. Hæc est lectio omnium fere mss., 2 vet. edit. Rom., Is., Cellar., Walch. In Cauc., Em., Cant. et 11 excusis legitur *inferendo. Legitime* vero, id est, secundum Romanas leges.

Aliena cupiendo. Lips. 2, 3, Reimm., Torn. 1587,

Digitized by Google

tius orbis comparavit. Verum hi justos se putant, si contra leges suas nihil faciant; quod etiam timori adscribi potest, si præsentium pœnarum metu sceleribus abstineant. Sed concedamus sane, ut id natura, vel (ut ait philosophus) sua sponte faciant, quod legibus facere coguntur. Num idcirco justi erunt, quia parent institutis hominum, qui et ipsi aut errare, aut injusti esse potuerunt! Sicut illi duodecim Tabularum conditores, qui certe publicæ utilitati pro conditione temporum servierunt. Aliud est igitur civile jus, quod pro moribus ubique variatur : aliud est vera justitia, quam uniformem ac simplicem proposuit omnibus Deus ; quem qui ignorat, et ipsam justitiam ignoret necesse est.

Sed putemus fieri posse, ut aliquis naturali et ingenito bono veras virtutes capiat, qualem fuisse Cimonem Athenis accepimus, qui et egentibus stipem dedit, et pauperes invitavit, et nudos induit. Tamen cum illud unum quod est maximum deest, agnitio Dei, jam illa bona omnia supervacua sunt et inania, ut frustra in his assequendis laboraverit. Omnis enim justitia ejus similis erit humano corpori caput non habenti ; in quo tametsi membra omnia, et locis suis constent, et figura, et habitudine, tamen queniam deest id, quod est omnium principale, et vita, et omni sensu caret. Itaque membra illa formam tantummodo membrorum habent, usum non habent, tam scilicet, quam caput sine corpore. Cui similis est, qui cum Deum non ignoret, vivit injuste. Id enim solum habet, quod est summum : sed frustra, quoniam virtutibus tanquam membris eget.

Itaque ut sit vivum ac sensibile corpus, et agnitio Dei necessaria est, quasi caput; et omnes virtutes, quasi corpus. Ita fiet homo perfectus, ac vivus : sed tamen summa omnis in capite est; quamvis constare non possit sine omnibus, sine quibusdam tamen potest. Et erit quidem animal vitiosum ac debile; sed tamen vivet, sicut is qui et Deum novit, et in aliqua re peccat. Dat enim veniam peccatis Deus. Itaque sine membris aliquibus vivi potest, sine capite nullo modo. Hæc res efficit, ut philosophi, etiamsi natura sint boni, tamen nihil sciant, nihil sapiant. Omnis doctrina et virtus eorum sine capite est; quia Deum nesciunt, qui est virtutis ac doctrinæ caput : quem qui non agnoscit, licet videat, cæcus est; licet audiat surdus; licet loquatur, elinguis est. Cum vero conditorem rerum parentemque cognoverit, tunc et videbit, et audiet, et loquetur. Habere enim caput cœpit, in quo sunt sensus omnes collocati, hoc est oculi, aures, et lingua. Nam profecto is videt, qui veritatem in qua Deus est, vel

VARIORUM NOTÆ.

1613, Genev. 1630, *aliena capiendo*. Præfero prius. lib. v, cap. 22 : *Concupiscit aliena et rapit, quæ concupierit, per injuriam*. Conf. not. lib. v, cap. 22. BUNEMAN.

Hi justos se putant, si. Addidi *si* ex omnibus fere mss. et impressis. Deest in ms. Cantabrig. et 5 editis.

Num idcirco.... 1 Bonon. antiq., *Non idcirco.*

Duodecim Tabularum conditores. Decemviri. Imo injusti fuerunt, eo quod in unum annum condendarum legum causa creati, rempub. vi quadam oligarchica occupantes, neque magistratum, neque exercitum deponere voluerunt : præsertim Appius Claudius, qui tyrannide plus quam Sicula, Virginiam contra jus et fas in servitutem vindicare nitebatur. De quo Pomp. lib. II. ff. de orig. juris. Lege ex historicis Livium lib. v, Urbis cond.; Dionys. Halicarn. lib. x et XI; Val. Max. lib. VI, cap. 1; Florum lib. I, cap. 24; Eutrop. lib. I, cap. 12; Oros. lib. II, cap. 13; Plin. de Viris illust. cap. 21 ; Plutarchus in lib. cui titulus est, De sera numinis vindicatione, leves aliquot et inutiles leges Atheniensium, Lacedæmoniorum et Romanorum enarrat, sicut etiam Phavorinus apud Gell. Decemvirales eodem notavit nomine. Theophilus in sua paraphrasi memorat aliquot leges, in una repub. nilissimas quidem illas, in altera nullius momenti futuras. BETULEIUS.

Et ipsam justitiam ignoret necesse est. Sic legendum esse patet ex scopo auctoris, et ex omnibus mss. dempto uno Cantabrig. in quo, ut et in 7 editis, legitur, *et ipsum Deum ignoret*. Lectionis vero, quam in textu sequimur, sensus clarus est ac facilis; vult enim probare Romanos, quia Deum ignoraverunt, justitiam quoque ipsam ignoravisse. At contrarium colligeretur, si legeretur ut in vulgatis quibusdam editionibus, *quem qui ignorat, et ipsum Deum ignoret necesse est;* quod minime congrueret cum superiori oratione. — *Quem qui ignorat, et ipsam justitiam.* Ald., Fasit., Gryph.; Torn., Betul., Thomas., Thys. et Cant. ed., *quam justitiam qui ignorat*, et ipsum Deum *ignoret*. At uterque Bonon., Tax., Pen., Jun., Lips., Goth., Reimm., Angl., Rom., Rost., Ven. 1471, 72, utraque 78, 90, 93, 97, Pier., Parrh., Paris., Junt., Crat., Gymn., Isæus, Gall., Spark., Walch., Heum. : *Quem qui ignorat, et ipsam justitiam.* BUNEMAN.

Qualem fuisse Cimonem. Præter Plutarchum et Æmilium Probum celebrant Cimonis hospitalitatem Athenæus lib. XII ; Cicero lib. Off. III. Sed ad quæstionem. Quid ergo? Numquid Cornelii hominis gentilis eleemosynæ, quæ ἀπὸ τοῦ ἐλεοῦς nomen acceperunt, in memoria apud Dominum fuerunt? An non Samaritani in vulneratum officium ab ipso Christo commendatur? Respondemus : Illis hominibus fidei naturalis quemdam igniculum causam efficientem fuisse, finalem vero ipsam pietatem : in Cimone solum gloriæ studium, humanitate quadam tinctum. BETULEIUS.

Similis erit. Ita reposui ex quamplurimis vet. et opt. mss. In 9 recentioribus legitur, *similis est. Similis erit*, habent codices Thomasii.

Eget. Scripti 6 rec., *indiget;* 2 Reg. rec. et 5 edit., *caret.*

Non possit. Sic restitui ex omnibus prope mss. et 6 vet. editis. In 1 Reg. rec. legitur *posset;* in Cauc. Pal. et in excusis, 7 *potest.*

Debile. II. l. non est ægrum, sed, ut exponit sup. *Membris quibusdam egens.* De Opif. cap. 7. *Quod membrum si detrahas, imperfectum sit animal ac debile.* BUNEMAN.

Vivet. Ita reposui ex cunctis fere mss. et veteribus editis. In Brun. et 10 vulgatis est *vivit.*

Habere enim caput cœpit. Christiani atque regenerati homines, et exteriores corporis et interiores animi sensus communes habent cum hominibus ethnicis : sed ea hominis pars quæ spiritus appellatur, amplius et acutius et videt et audit, et eadem proportione reliquis sensibus utitur longe copiosius atque potentius. BETULEIUS.

Digitized by Google

Deum in quo veritas est, oculis cordis aspexerit : is audit, qui divinas voces ac præcepta vitalia pectori suo affigit : is loquitur, qui cœlestia disserens, virtutem ac majestatem Dei singularis enarrat. Quare non est dubium, quin impius sit, quisquis Deum non agnoverit; omnesque virtutes ejus, quas habere aut tenere se putat, in illa mortifera via reperiuntur, quæ est tota tenebrarum. Quapropter nihil est quod aliquis sibi gratuletur, si has inanes virtutes adeptus est; quia non tantum miser, qui bonis præsentibus careat, sed etiam stultus sit necesse est, qui labores in vita sua maximos suscipiat incassum. Nam dempta spe immortalitatis, quam Deus pollicetur in sua Religione versantibus, cujus assequendæ gratia virtus appetenda est, et quidquid malorum acciderit perferendum, maxima erit profecto vanitas, obsequi velle virtutibus, quæ frustra homini calamitates afferunt et labores. Nam si virtus est, egestatem, exilium, dolorem, mortem, quæ timentur a cæteris, pati fortiter ac subire; quid tandem in se boni habet, cur eam propter seipsam philosophi dicant expetendam? Nimirum supervacuis et inanibus pœnis delectantur, quibus licet agere tranquille.

Si enim mortales sunt animæ, si virtus dissoluto corpore nihil futura est, quid fugimus attributa nobis bona, quasi aut ingrati, aut indigni qui divinis muneribus perfruamur? Quæ bona ut habeamus, scelerate impieque vivendum est; quia virtutem, id est, justitiam paupertas sequitur. Sanus igitur non est, qui nulla spe majore proposita, iis bonis, quibus cæteri utuntur in vita, labores, et cruciatus, et miserias anteponat. Si autem virtus (ut ab his rectissime dicitur) capessenda est, quia constet ad eam nasci hominem, subesse debet spes aliqua major, quæ malorum et laborum, quos perferre virtutis est, magnum afferat præclarumque solatium. Nec aliter virtus, cum per se dura sit, haberi pro bono potest quam si acerbitatem suam maximo bono penset.

A Æque non aliter his bonis præsentibus abstinendum est, quam si sunt alia majora, propter quæ tanti sit, et voluptates omittere, et mala omnia sustinere. Ea vero nulla sunt alia (ut in tertio docui) nisi perpetuæ vitæ. Hanc autem præstare quis potest, nisi Deus, qui virtutem ipsam proposuit? Ergo in Dei agnitione et cultu rerum summa versatur : in hoc est spes omnis ac salus hominis; hic est sapientiæ gradus primus, ut sciamus quis sit nobis verus pater, eumque solum pietate debita prosequamur, huic pareamus, huic devotissime serviamus; in eo promerendo actus omnis, et cura, et opera collocetur.

CAPUT X.

De Religione erga Deum, et Misericordia erga homines; atque de Mundi principio.

B Dixi, quid debeatur Deo : dicam nunc, quid homini tribuendum sit; quanquam id ipsum quod homini tribueris, Deo tribuitur, quia homo Dei simulacrum est. Sed tamen primum officium justitiæ est, conjungi cum Deo; secundum, cum homine. Sed illud primum, Religio dicitur; hoc secundum, misericordia vel humanitas nominatur. Quæ virtus propria est justorum et cultorum Dei; quod ea sola vitæ communis continet rationem. Deus enim, qui cæteris animalibus sapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incursu et periculo tutiora generavit. Hominem vero quia nudum fragilemque formavit, ut eum sapientia potius instrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraque omnia pericula et accipiat, C et præstet auxilium. Summum igitur inter se hominum vinculum est humanitas : quod qui disrupit, nefarius et parricida existimandus est. Nam si ab uno homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certe consanguinei sumus; et ideo maximum scelus putandum est, odisse hominem, vel nocentem. Propterea Deus præcepit inimicitias per nos nunquam faciendas, semper esse tollendas; scilicet ut eos, qui sint nobis

VARIORUM NOTÆ.

Præcepta vitalia. Imitatur Cyprianum de Idolor. vanit., cap. 7 : *Ut de eo ad* præcepta vitalia *instrui possent.* De Habitu Virg., ed. Gryph., p. 280 : *Dominica et* vitalia præcepta *custodit.* Lib. IV, epist. 3 : *Evangelii sancta præcepta et... mandata vitalia.., teneantur.* BUNEMAN.

Dempta spe. Jun., 1 Clarom. et Brun., *adempta spe.*

Mortem, quæ timentur. Editi habent, *mortemque quæ timentur.* Delendum *que*, quod abest a mss. et videtur natum ex altero *quæ*, quod sequitur.

Quia constet. Sic reposui ex antiq. et melioribus mss. et 7 vet. editis. In rec. 10 scriptis et 8 excusis est, *constat.*

Si sunt alia majora. Sic restitui ex edit. Torn. ac Soubr. cunctisque mss. præter 2 Reg. rec. et Cant. in quibus est *aliqua.*

Tanti sit. Eleganter. Vid. l. III, c. 8, c. 12, et de Opif. c. 3. Seneca de Provid. c. 5 extr. : *Est tanti per ista ire casuro.* De hac elegantia Ciceroni frequentissima conf. Grævium ad l. V Attic., ep. 20, p. 542.

Ea vero nulla sunt alia. Ita mss. plerique antiquissimi et optimi Bonon., Reg. Put., Jun. sexque alii ac decem vulgati. Cauc. et 10 scripti rec. cum 5 editis addunt *bona;* 1 Reg. rec., 1 Colb., Pent. et vet. ed. Rom., *dona;* 1 Reg. antiquiss. et 3 edit.: *Ea vera nulla sunt alia.* BUN.

Ut in tertio docui. Subauditur libro, quam vocem addunt 4 mss. rec. et edit. Torn. ac Soubron.

Nisi perpetuæ vitæ. 2 Reg. rec. et Brun. *nisi perpetua vita.*

Pietate. Hoc loco *affectu filiali.* Senec. l. I Clement., c. 13 : *Non amicorum fidei credens, non liberorum pietati.* BUN.

In eo promerendo. Plane vero, inquit Heumannus, *huc non quadrat verbum hoc. Lege*, demerendo. Sed habent omnes libri; et quidni quadraret toties in nostro aliisque ita obvium? Vindicamus ad l. VI, c. 13 : *Ut promereare viventem;* et ad libr. de Ira cap. 5 : *Beneficiis... genus hom. promereri.* Tertull. Apol. c. 21 : *Quibus edocebatur de promerendo Deo.* BUN.

Homo Dei simulacrum est. Minutius Felix in Octav. *Quod simulacrum Deo fingam? cum si recte existimes sit Dei homo ipse simulacrum.*

Cultorum Dei. Juxta illud Evangelii : *Estote misericordes sicut Pater vester cœlestis.*

Naturalibus. De his vide librum de Opificio Dei, infra.

Nam si ab uno homine. Act. cap. XVII, v. 26. Hieron. contra Helvid., *Omnes homines ex uno patre vel homine.*

Tollendas. Matth. V, Luc. VI, Rom. XII.

Digitized by Google

inimici, necessitudinis admonitos mitigemus. Item si ab uno Deo inspirati omnes et animati sumus, quid aliud quam fratres sumus? Et quidem conjunctiores, quod animis, quam quod corporibus. Itaque non erat Lucretius, cum dicit:

Denique, cœlesti sumus omnes semine oriundi :
Omnibus ille idem pater est.

Ergo pro belluis immanibus sunt habendi, qui homini nocent, qui contra jus humanitatis et fas omne spoliant, cruciant, occidunt, exterminant.

Ob hanc necessitudinem germanitatis docet nos Deus, malum nunquam facere, semper bonum. Id autem ipsum bene facere quid sit, idem ipse præscribit : præstare auxilium depressis et laborantibus; impertiri victum non habentibus. Deus enim, quo- A niam pius est, animal nos voluit esse sociale. Itaque in aliis hominibus nos ipsos cogitare debemus. Non meremur in periculo liberari si non succurrimus : non meremur auxilium, si negamus. Ad hanc partem Philosophorum nulla præcepta sunt ; quippe qui falsæ virtutis specie capti, misericordiam de homine sustulerunt, et dum volunt sanare, vitiaverunt. Et cùm fidem plerumque fateantur, societatis humanæ communionem esse retinendam, ab ea plane seipsos inhumanæ suæ virtutis rigore dissociant. Convincendus ergo etiam hic error illorum est, qui nihil cuiquam impertiendum putant. Urbis condendæ originem atque causam non unam intulerunt : sed alii eos homines, qui sint ex terra primitus nati, cum per silvas et campos erraticam degerent vitam, nec ullo inter se sermonis aut juris vinculo cohære- B

VARIORUM NOTÆ.

Conjunctiores, quod animis, quam quod corporibus. Sic restitui ex mss. antiquissimis 2 Reg., 2 Bonon., 2 Colbert., Tax., Pen., 1 Clarom., Brun. ed. Is. In 3 Reg. rec. 1 Colbert., 1 Clarom. et 9 editis legitur, *conjunctiores qui animis, quam qui corporibus.* Cæteri male; 2 Reg. *conjunctiores quidem animis;* 3 Colbert. *quam animis;* 1 Reg. *conjunctioresque animis.* Simile aliquid legimus apud Paulinum Nolanum epist. 20 (alias 16) ad Delphinum n. 1. *Quanto fortior carne est spiritus, tanto potior est conjunctio animorum, quam corporum.*

Lucretius. Lib. II. Cui simile Paulus in actis c. 17. Athenæus citat ex Arati Phænomenis:

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἰσμέν.

Ipsius enim et genus sumus.

Quod etiam Ovidius expressit:

Sanctius his animal mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset :
Natus homo est, sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo.

BETUL.—Vide et Lactantium de Opificio Dei, c. 19.

Semine oriundi. Ita omnes mss. et editi; sed infra lib. de Opificio Dei, cap. 19, *semine creti*..

Qui homini nocent. Ita omnes mss. sed præter Cauc., Jun., 2... Reg. rec. qui cum editis habent *hominibus.*

Præscribit. EZECH. XVIII, ISAI., LVIII, Matth. XXV.

Ad hanc partem. Walchius exponit, *quod attinet ad hanc partem.* Eleganter dicitur, *esse præcepta ad aliquid, et præcipere ad aliquid.* Lib. VI, c. XXIV : *Hæc sunt, quæ* ad *continentiam præcipiuntur* a Deo. Lib. VII, cap. I : *Quæ Deus ad justitiam præcipit.* Imitatur Ciceronem III Off., c. VII : *At quas ipsas consultationes... satis multa præcepta sunt.* BUN.

Philosophorum præcepta nulla sunt. Præsertim Stoïcorum. Nam peripatetici, qui iram laudant, misericordiam non improbant ; et Cicero in Cæsare misericordiam commendat. Stoici autem inter doloris species τὸ ἔλεος numerant. Cicero pro Muræna, Stoicorum paradoxa enumerans : *Fuit, inquit, quidam summo ingenio vir Zeno, cujus inventorum æmuli Stoici nominantur ; hujus sententiæ sunt, atque præcepta hujusmodi : sapientem gratia nunquam moveri, nunquam cujusquam delicto ignoscere, neminem misericordem esse, nisi stultum, et levem, viri non esse neque exorari, neque placari.* Contra Stoicos disserit Augustinus libro de Moribus ecclesiæ primo, cap. XXVII. Non autem improbo eos, qui generaliori voce pietatem appellant eam virtutem. BETULEIUS.— *Nulla præcepta.* Walchius explicat nulla per *nullius pretii.* Lactantius vero vult : *Nulla omnino præcepta esse ad misericordiam data,* sive philosophos Stoicos nihil plane de misericordia præcepisse. Expresse c. XIV : *Adparet philosophos longe abfuisse ab humano bono,* qui neque præceperunt *ejusmodi* quidquam, *neque fecerunt, sed virtutem, quæ in homine propemodum singularis est, pro vitio semper habuerunt.* BUN.

Falsæ virtutis specie. Heumannus *falsa* scribit, neque hoc male, ut l. V, c. XI : *Cui clementiæ species falsa* blanditur. At quia in omnibus libris *falsæ,* hic nihil muto ; nam sic rectum. III, c. XXVIII : *Specie virtutis falsæ inducti.* BUN.

Dum volunt sanare, vitiaverunt. Sic restitui ex mss. VI reg. quorum duo sunt antiquissimi, 3 Colb., Goth., 1 Lips., Brun., Em., Cant. et vet. editis Rom. C In 11 mss. rec. et 18, vulgatis est *sanare vitia, auxerunt.* At Ciceronis, ut et Lactantii, est verbum *vitiare* Gallice *gâter, corrompre.* Lactantius lib. II. Div. Institut. cap. XV, *valetudinem vitiant* ; hoc libro VI, cap. XVI, *aer vitiabitur* ; lib. VII, cap. XII, *cum mentem vis aliqua morbi vitiaverit.* Attamen putat Heumannus legendum esse, *dum volunt sanare vitia, auxerunt.*

Urbis condendæ originem. De hac vanitate lege Euseb. lib. I de præpar. evang. cap. 5, plurima ex Diodoro recitantem. Lege deinde Polydorum Urbinatem, libro de inventoribus rerum I, cap. III. BETULEIUS.

Cum per silvas, etc. Macrob. de Somnio Scip. II, cap. 10, ex hujusmodi incrementis probat, mundum non esse æternum. Rem veram, inquam, ex re dubia probat. Nam, inquit, quis facile mundum semper fuisse consentiat, cum et ipsa historiarum fides multarum rerum cultum emendationemque, vel ipsam inventionem recentem esse fateatur ? Cumque rudes primos homines, et incuria Sylvestri non multum a ferarum asperitate dissimiles, meminerit vel fabuletur antiquitas, tradatque nec hunc eis, quo nunc utimur, victum fuisse : sed glande prius et baccis alitos, sero sperare de sulcis alimoniam ; amplexi fortassis philosophi pro vero sunt, quod Protagoras Platonicus in fabula Promethei atque Epimethei recensuit. Apud Plutarch. Euripides deorum opinionem refellens, homines olim belluinam vitam egisse testatur. De glandium cibo mentionem facit etiam Plin. in præfatione lib. XVI, et libro septimo, cap. LVI, ubi de inventoribus rerum scribit. Strabo ex Platone tria hominum genera post diluvium fuisse refert, lib. XIII, primum, quod in montibus vitam degerit : alterum, quod in radicibus montium : tertium, quod in campis. Ab hac Sylvestri vita Orpheum homines traxisse fabulantur, cum exponunt quidnam illud sit, quod saxa et arbores sua lyra traxisse creditus est. BETULEIUS.

Digitized by Google

rent, sed frondes et herbam pro cubilibus, speluncas et antra pro domibus haberent, bestiis et fortioribus animalibus prædæ fuisse commemorant. Tum eos, qui aut laniati effugerant, aut laniari proximos viderant, admonitos periculi sui ad alios homines decurrisse, præsidium implorasse, et primo nutibus voluntatem suam significasse; deinde sermonis initia tentasse, ac singulis quibusque rebus nomina imprimendo, paulatim loquendi perfecisse rationem. Cum autem nec multitudinem ipsam viderent contra bestias esse tutam, oppida etiam cœpisse munire; vel ut quietem noctis tutam sibi facerent, vel ut incursiones atque impetus bestiarum non pugnando, sed objectis aggeribus arcerent.

O ingenia hominibus indigna quæ has ineptias protulerunt! miseros, atque miserabiles, qui stultitiam suam litteris memoriæque mandaverunt! Qui cum viderent mutis quoque animalibus ingenitam esse rationem, vel conveniendi, vel invicem appetendi, vel periculi fugiendi, vel mali cavendi, vel cubilia sibi et latibula parandi; homines autem ipsos existimaverint non nisi exemplis admoneri ac discere potuisse, quid metuere, quid cavere, quid facere deberent; aut nunquam conventuros inter se fuisse, nec loquendi rationem reperturos, nisi eos bestiæ comedissent. Hæc aliis delira visa sunt (ut fuerunt) dixeruntque, non ferarum laniatus causam fuisse coeundi, sed ipsam potius humanitatem: itaque inter se congregatos, quod natura hominum solitudinis fugiens, et communionis ac societatis appetens esset. Non magna inter eos disceptatio est. Siquidem causæ dispares sunt, res eadem est. Potuit igitur utrumque, quia non repugnat: sed tamen utrumque nullo modo verum est; quia non per omnem terram nati sunt homines e terra, tanquam ex draconis alicujus dentibus proseminati (ut poetæ ferunt) sed unus homo à Deo fictus est, ab eoque uno omnis terra humano genere completa est, eadem scilicet ratione, qua rursus post diluvium: quod certe negare non possunt. Nulla igitur in principio facta est ejusmodi congregatio; nec unquam fuisse homines in terra, qui præter infantiam non loquerentur, intelliget cui ratio non deest. Fingamus tamen illa vera esse, quæ otiosi et inepti senes fabulantur, ut eos suis potissimum sensibus et suis rationibus refellamus.

Si hac de causa sunt homines congregati, ut mutuis auxiliis imbecillitatem suam tuerentur; succurrendum est igitur homini, qui egeat auxilio. Cum enim præsidii causa homines societatem cum hominibus inierint et sanxerint, fœdus illud inter homines a principio ortus sui ictum aut violare, aut non conservare, summum nefas putandum est. Nam qui se a præstando auxilio removet, etiam ab accipiendo se removeat necesse est; quia nullius opera indigere se putat, qui alteri suam denegat. Huic vero, qui se ipse dissociat ac secernit a corpore, non ritu hominis, sed ferarum more vivendum est. Quod si fieri non potest, retinendum est igitur omni modo vinculum societatis humanæ, quia homo sine homine nullo modo potest vivere. Retentio autem societatis est communitas, id est auxilium præstare, ut possimus accipere. Sin vero (ut illi alii disputant) humanitatis ipsius causa facta est hominum congregatio, homo certe hominem de-

VARIORUM NOTÆ.

Nomina imprimendo. Sic lego cum omnibus mss. et ed. Rom. 1470. Posteriores edd. habent *imponendo*.

Cum autem nec multitudinem ipsam. Nec, quod in 12 mss. et 5 editis deest, ut necessarium restitui ex mss. Regio-Put. III, al. reg., 2 Colb., Goth., Em., Cant., 1 Clarom., 3, vet. edit. Rom. et 14 aliis. Vide seqq.

Viderint. Reimm., *viderint.* Non male, quia sequitur *existimaverint*. Nihilominus recentior in Reimm., ut est in plerisque correxit, *viderent* Goth., *viderunt*. Bun.

Cubilia. mss. rec. Goth., 2 Reg., Cant. et 18 edit., *cubicula*.

Quid metuere. 2 Reg. rec. et 18 edit. addunt *sibi*, quod a cæteris scriptis abest et abesse potest.

Disceptatio. Mss. 1 Reg. rec. et Jun. *disputatio*. 1 Reg. rec. et 1 Colbert. *discrepatio*.

Tanquam ex draconis alicujus dentibus. Notat Cadmeam victoriam. Fabula est apud Ovidium in tertio Metamorphoseon. Vide infra libro VII, cap. 4.

Proseminati. Sic restitui ex mss. antiquissimis Bon., 5 Reg., 1 Lips., Em., Goth. Et sic scripsisse Lactantium putat Joannes Cauci. In 2 Reg., Cauc., 2 Colb., et in edit. Rom. 1470 legitur *perseminati*; in 2 Reg. rec., 2 Colbert., 1 Clarom., 2 Lips., Brun. et 10 excusis *præseminati*; in 1 Reg. rec., 1 Clarom. ac Jun. et in 6 vulgatis *seminati*. Sic adolescenti olim dixit Diogenes, *ebrius te proseminavit pater*.

Unus homo a Deo fictus est. Mss. 6 recentissimi et 15 editi, *factus est.—A Deo fictus. Fictus* plures mss. et Ven. 1471, 72, utraque 78, Paris., *factus*; ut supra, *Hominem Deus finxit.* Conf. Epitom., c. 63, vide ad Lib. 1, cap. 1. Sæpe hæ voces confunduntur. Bun.

Præter infantiam. Ita emendavi ex cunctis ferme mss. et edit. Torn. ac Soubron. id est, excepta infantili ætate; Gallice, *hors l'enfance*: melius quam *propter*, quod habent 3 Reg. rec., 2 Colb., 1 Clar. et 16 editi. — *Præter infantiam.* Mihi hic incidit Augustin. de Civ. Dei lib. XVI, c. 43 fin: *A pueritia homo incipit loqui post infantiam, quæ hinc appellata est, quia fari non potest.* Bun.

Ut eos suis potissimum sensibus et suis rationibus refellamus. Idem Lactantius lib. V, cap. 4, sub finem, *suis potissimum refutaretur auctoribus.*

Inierint et sanxerint. Mss. 8 et 2 edit. rec., *et sanxerint fœdus: illud*; 5 al. scripti sine ulla interpunctione.

Ictum. Sic restitui ex antiquissimo mss. Reg. 900 annor. optime. Apud Ciceronem pro Sext. 21, legitur quoque *fœdus ictum*; pro Cornel. 21, 31, *fœdus icisse*; et 1 P. 88, *fœdus iceras*; apud Phædr. lib. 1, Fabul. 30, de milvio et columbis, *icto fœdere*. Pro *ictum*, mss. Regio-Put., 4 al. Regii, 6 Colbertini, 2 Clarom. habent *tutum*, corrupte, litterarum similitudine, unde *statutum* in Em., *statum* in 2 Reg. et 1 Brun. atque in 2 Reg. rec. et in vulgatis, *initum*.

Opera indigere. Ita reposui ex 3 edit. cunctisque mss. præter 2 Reg. rec. qui cum 13 impressis ferunt *ope*.

A corpore. Id est, *a societate.* — *A corpore*, id est, societate. De Mort. Pers., c. 48: *Quæ... corpori Christianorum... tradi oportebit.* Euseb. X Hist. c. 5: τῷ σωματίῳ; mox, ad *jus corporis eorum*, id est, *ecclesiarum, non hominum singulorum pertinentia.* Seneca 1. Clemen. 12. *Cives et ex eodem corpore.* Plin. l. X, epist. 118: *Quasi per corpora, non viritim.* Bun.

Retentio. Retentio, inquit Krebsius de Stylo Lact. p. 26, *pro eo quod retinetur, antiquis non est usita-*

Digitized by Google

bet agnoscere. Quod si fecerunt illi rudes et adhuc feri homines, et fecerunt nondum constituta loquendi ratione, quid putemus hominibus expolitis, et sermonis rerumque omnium commercio inter se copulatis esse faciendum, qui assueti hominibus solitudinem ferre non possunt?

CAPUT XI.

De personis in quas beneficium sit conferendum.

Conservanda est igitur humanitas, si homines recte dici velimus. Id autem ipsum conservare humanitatem, quid aliud est, quam diligere hominem, quia homo sit, et idem quod nos sumus? Discordia igitur atque dissensio non est secundum hominis rationem. Verumque est illud Ciceronis, quod ait, hominem naturæ obedientem homini nocere non posse. Ergo si nocere homini contra naturam est, prodesse igitur homini secundum naturam sit necesse est. Quod qui non facit, hominis se appellatione dispoliat; quia humanitatis officium est, necessitati hominis ac periculo subvenire. Quæro igitur ab iis, qui flecti ac misereri non putant esse sapientis: si homo ab aliqua bestia comprehensus, auxilium sibi armati hominis imploret, utrumne succurrendum putent, an minime? Non sunt tam impudentes, ut negent fieri oportere quod flagitat, quod exposcit humanitas. Item si aliquis circumveniatur igni, ruina opprimatur, mergatur mari, flumine rapiatur, num putent hominis esse, non auxiliari? non sunt ipsi homines, si putent. Nemo enim potest ejusmodi periculis non esse subjectus. Imo vero et hominis et fortis viri esse dicent, A servare periturum. Si ergo in ejusmodi casibus, qui periculum vitæ homini afferunt, succurrere humanitatis esse concedunt, quid causæ est, cur, si homo esuriat, sitiat, algeat, succurrendum esse non putent? Quæ cum sint paria natura cum illis casibus fortuitis, et unam eamdemque humanitatem desiderent, tamen illa discernunt, quia non re ipsa vera, sed utilitate præsenti omnia metiuntur. Illos enim, quos periculo surripiunt, sperant sibi gratiam relaturos. Egentes autem, quia non sperant, perire arbitrantur quidquid ejusmodi hominibus impertiant. Hinc est illa Plauti detestanda sententia:

> Male meretur, qui mendico dat, quod edat.
> Nam et illud, quod dat, perit;
> Et illi producit vitam ad miseriam.

B Atenim poeta fortasse pro persona locutus est.

Quid Marcus Tullius in suis Officialibus libris, nonne hoc idem suadet, non esse omnino largiendum? Sic enim dixit: « Largitio, quæ fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit; ita benignitate benignitas tollitur, qua quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possis. » Et idem paulo post: « Quid autem est stultius, quam quod libenter facias, curare ut id diutius facere non possis? » Videlicet professor sapientiæ refrenat homines ab humanitate, monetque ut rem familiarem diligenter custodiant; malintque arcam, quam justitiam conservare. Quod cum intelligeret inhumanum esse, ac nefarium, mox alio capite, quasi actus pœnitentia, sic ait: « Nonnunquam tamen est largiendum; nec hoc benignitatis genus omnino C repudiandum, et sæpe idoneis hominibus egentibus

VARIORUM NOTÆ.

tum. At, qui Ciceronis locum l. XIII. Att. ep. 21 legit, facile cognoscet, *retentionem auriqæ* alia notione, quam hic sumi, pro ἐποχῇ et *inhibitione;* in Lactantio vero retentio idem est quod *conservatio*, ut ex supra *conservare* patet. Rarior quoque vocis hujus usus est in Cic. lib. XIII, Att., epist. 13: *Ista retentione omnes uti*, quæ Gronovius docte explicat ibidem. Propius nostro sunt loca ab aliis, quod sciam, non observata; Tertulliani l. IV adv. Marcion. c. 28: *Remissio et retentio delicti.* Lib. V Adv. Marc., c. 3: *Pervertentes evangelium* retentione *veteris disciplinæ.* BUN.

Expolitis, et sermonis. Sic restitui ex antiquissimis mss. 2 Reg. et Cauc., 5 al. Reg.. 4 Colbert. et 6 aliis ac edit. Rom. 1470, item ex 1 Bonon. antiq., 1 Lips., Pal., Em., quibus deest *et.* In 5 scriptis et 18 impressis est *sermone;* in 1 Reg. rec. et 1 Lips. edit. Rom. 1474, et Parrhas., *sermonibus.*

Ciceronis. Libro III Officiorum.

Dispoliat. Quod verbum recurrit infra cap. 18. — *Despoliat.* Ita rectius scribunt Reimm. et Rost. Ven. 1471, 72, utraque 78 et Heumann. Sæpe monui, syllabas *de* et *di* in verbis compositis confundi, idque in hac ipsa phrasi fit c. 18. BUN.

Qui flecti ac misereri non putant esse sapientis. Ut Stoici, referente Cicerone III Tuscul. et in Oratione pro Muren. contra Catonem; ut Seneca lib. II de Clement. cap. 5; ut Agesilaus fortissimus imperator, cujus sententiam, etc., refert Plutarchus in Laconic. Apophthegmat., *difficile esse, misereri simul, et sapere.* ISÆUS.

Impudentes. Quod magis convenit, quam *imprudentes*, quod est scriptorum 16 rec. et 5 editorum. *Impertiant.* Mss. 4 Reg., 1 Colb. et 8 edit., *impartiant.*

Male meretur, etc. Hic versus apud Plaut. ita legitur in Trinummo Act. II, scen. 2, *de mendico:*

Male meretur, qui ei dat quod edat, aut quod bibat. ISÆUS.

Persona. Personæ, actores sunt partium scenicarum.

Marcus Tullius. Vide Cic. II Offic. cap. 10.

Ita benignitate benignitas tollitur. Ita reposui ex tribus antiquissimis mss. 1 Reg., 1 Bonon. et Cauc. aliisque septem ac 8 vet. excusis et Cicerone ipso. Mss. Regio-Put., Jun., aliique sex cum undecim editis referunt *bonitate.* — *Benignitate benignitas tollitur.* Ad hunc locum, quod ad rem, non verba, D pertinet, respexit Hieronymus, Ciceronem, ut monet Erasmus, quasi explicans, ep. 13 ad Paulin., f. 104: *Considera, ne Christi substantiam imprudenter effundas, id est, immoderato judicio rem pauperum tribuas non pauperibus, et secundum dictum prudentissimi viri liberalitate liberalitas pereat.* BUN.

Alio capite. Vide Ciceronem de Officiis lib. III, cap. 15, *Mox alio capite.* 1 Reg. et 12 vulgati habent *mox ex alio capite;* item 9 mss. rec. et vet. edit. Rom. expuncto *mox*, ita ut alterum ex altero natum esse appareat. Antiquissimi 2 Reg., 14 alii et edit. Crat. ut in textu.

Quasi actus pœnitentia. Vide Ciceronem ipsum lib. II de Offic. c. 10 et 15.

Idoneis. Boni vel *idonei* præcipue Jurisconsultis sunt locupletes. Vide Senecam lib. IV de Benefic. cap. 39. Cujus vocis ambiguitate inductus injuria Lactantius invadit in verba Ciceronis lib. II de Officiis cap. 15: *Sæpe idoneis hominibus egentibus de re familiari*

Digitized by Google

de re familiari impertiendum. » Quid est idoneis? nempe iis, qui restituere ac referre gratiam possint. Si nunc Cicero viveret, exclamarem profecto : Hic, hic, Marce Tulli, aberrasti a vera justitia ; eamque uno verbo sustulisti; cum pietatis et humanitatis officia utilitate metitus es. Non enim idoneis hominibus largiendum est, sed quantum potest, non idoneis. Id enim juste, id pie, id humane sit, quod fine spe recipiendi feceris.

Hæc est vera illa et germana justitia, cujus solidam et expressam nullam tenere vos dicis. Ipse pluribus locis clamas, mercenariam non esse virtutem ; faterisque in libris Legum tuarum, liberalitatem gratuitam esse, his verbis : « Nec est dubium, quin is, qui liberalis benignusque dicitur, officium, non fructum sequatur. » Cur ergo idoneis potius largiris, nisi ut postea mercedem recipias? Te igitur auctore ac præceptore justitiæ, quisquis idoneus non erit, nuditate, siti, fame conficietur ; nec homines copiosi, et usque ad delicias abundantes subvenient ultimæ necessitati. Si virtus mercedem non exigit, si propter se ut dicis, expetenda est; ergo justitiam matrem principemque virtutum suo pretio, non tuo commodo æstima. Ei potissimum tribue, a quo nihil speres. Quid personas eligis? quid membra inspicis? Pro homine tibi habendus est, quisquis ideo precatur, quia te hominem putet. Abjice umbras illas imaginesque justitiæ, atque ipsam veram et expressam tene. Largire cæcis, debilibus, claudis, destitutis; quibus, nisi largiare, moriendum est. Inutiles sunt hominibus, sed utiles Deo, qui eos retinet in vita, qui spiritu donat, qui luce dignatur. Fove, quantum in te est, et animas hominum, ne extinguantur, humanitate sustenta. Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit. Verum isti, quia neque naturam retinent, neque præmium in eo quod sit sciunt, dum perdere timent, perdunt; et in id, quod maxime cavent, incidunt, ut quiquid largiuntur, aut pereat omnino, aut ad tempus brevissimum prosit. Nam qui exiguam stipem miseris negant, qui conservare humanitatem sine damno suo volunt, patrimonia sua effundunt, ut aut peritura et fragilia sibi comparent, aut certe maximis suis damnis nihil consequantur.

Quid enim dicendum est de iis, qui populari levitate

VARIORUM NOTÆ.

impertiendum. Lactantii ævo *idonei* homines haud alii fere, quam boni et locupletes dicebantur : ideo tanquam astutum et ἐπικούρειον hoc præceptum reprehendit, quasi illis solum foret impertiendum, qui restituere possent, lib. VI, c. 11. Et persuasit (quod mirum) Turnebo lib. III Adversariorum cap. 16. Sed *idoneos indigentes* omnino dicit Cicero probos homines paupertate oppressos. GRONOV.

Metitus es. Lactantius dixit per archaismum, pro *mensus es.*—*Officia utilitate metitus es.* Hunc archaismum etiam Reimm. et omnes editiones exhibent, illustratum a Vossio de Vit. Serm. Lat. I, c. 24, et l. 3 de Analog., c. 33. BUN.

Quantum potest. Potes 1 Clarom., 2 Reg. rec., 2 Colb.

Tenere vos dicis. Ita reposui ex mss. 2 Reg. antiquissimis. Scripti 7 rec. et 14 editi, *dicitis.* Vide seq. Cicero lib. III de Officiis cap. 17.

Mercenariam. Cic. cap. 1 de Legib. et III Offic. cap. 1. — *Pluribus locis clamas, mercenariam non esse.* Ex iis locus est, ad quem mox provocat, lib. I, de Legib., c. 18. *Liberalitas*, inquit, *gratuitane est an mercenaria? Si sine præmio benigna est, gratuita : si cum mercede, conducta.* CELL.

Benignusque. Apud Ciceronem, *benignusve*, melius. Cicero lib. I de Legib. prope fin.

Homines copiosi. Hoc est, pecuniosi, divites : copia per se divitias significat. Cyprian. Serm. de Mortalitate : *Fides firma et anima devota, quæ ad præsentis vitæ copiam non movetur.* BARTHIUS.—*Copiosi.* Sequentia explicant. lib. VII, c. 27 : *Ille ad Deum copiosus, ille opulentus adveniet.* Lib. VI, c. 3 : *Copiosam vitam peragere.* BUN.

Ultimæ necessitati. Id est, extremæ egestati. Epitom. cap. 34 : *Ultima fames.* Alibi, nempe lib. VII, cap. 27 : *Ultima necessitas* significat mortem. BUN.

Mercedem. Sic restitui ex omnibus mss. et 14 editis. Aliis est *justitiam.* Memini alicubi me legisse, *virtus abunde sui præmium est.* Hic vero lege *dicis*, ut supra, non *dicitis ;* Ciceronem enim alloquitur.

Ut dicis. Cicer. III Offic. cap. 3, et I de Legib.

Justitiam. Ita scribo cum mss. et pluribus editis, in aliis excusis est *justitia.*—*Justitiam matrem.* Alterutram ex postremis res poscit, et genuinus locus. L. III, cap. 22 : *Justitia virtutum omnium mater est.* BUNEMAN.

Æstima. Ei potissimum tribue. Sequor antiquissimos codices 2 Reg., 6 alios Reg., 4 Colbert., aliosque; necnon edit. Rom. 1470, qui copulam *que*, vel *et*, respuunt, quæ in 4 scriptis recent. multisque editis legitur.

Moriendum est. 1 Bonon. antiq., *minus vivendum est.*

Qui eos retinet in vita, qui spiritu donat. Sic lego cum omnibus mss. præter 5 recent. qui habent *spiritum*, et 1 Bonon. antiq. et 2 Reg. recent. in quibus legitur *qui eis vitam, qui spiritum donat.* Nostræ lectioni accedunt edit. Thys., Gall., quibus est, *qui eos vita, qui spiritu donat.* Cæteris ut in textu nostro. *Qui spiritu donat*, etc. Hic respicit Lactantius ad dictum Evangelicum, *qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Matth. V, V. 44. Verum quidquid dicat dominus le Brun, nobis placeret magis lectio manuscripti antiqui Bononiensis, ubi habetur, *qui eis vitam, qui spiritum donat;* cujus lectionis ratio est, quod latine non dicatur *retinere in vita.*

Qui succurrere perituro potest, etc. Apuleius Metam. VII : *An ignoras eos etiam qui morituris auxilium salutare denegarunt, quod contra bonos mores id ipsum fecerint*, solere puniri? PRICÆUS Ambrosius in Psalmum CXVIII : *Hoc est occidere hominem, vitæ suæ subsidia denegare.* Et alibi : *Pasce fame morientem. Quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.* Hic locus refertur a Gratiano Distinct. 86, cap. 20, sub nomine S. Ambrosii lib. de Officiis, ubi non reperitur, sed apud Anselmum. Reperitur quoque apud S. Thomam. 2. 2. quæst. 32, art. 5, in corp. Sed et Gregorius magnus Pastoral. III part. Admonit. 22 : *Incassum ergo se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatim vendicant : qui cum accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur.*

Populari levitate. Id est, levi seu exigua ducti ratione, popularem quippe auram captandi. *Veteres* (inquit A. Gellius N. A. XVI, 11) *leves dixerunt, quos vulgo nunc viles et nullo honore dignos dicimus. Popularis* vero est, qui parandæ populi gratiæ studet ; *populare*, id est, quod populo gratum : ut adeo Lactantius dixerit *populari levitate* per hypallagen. WALCHIUS.

Digitized by Google

ducti, vel magnis urbibus suffecturas opes exhibendis muneribus impendunt? nisi eos dementes atque furiosos, qui præstent id populo, quod et ipsi perdant, et nemo eorum, quibus præstatur, accipiat. Itaque ut est omnis voluptas caduca et brevis, oculorum maxime et aurium, aut obliviscuntur homines, et alterius damna pro ingratis habent; aut etiam offenduntur, si non est libidini vulgi satisfactum: ut etiam homines stultissimi malum sibi malo comparaverint; aut si adeo placuerunt, nihil amplius, quam inanem favorem paucorumque dierum fabulas assequuntur. Sic quotidie levissimorum hominum patrimonia in res supervacuas prodiguntur. Num ergo illi sapientius, qui utiliora et diuturniora civibus suis exhibent munera? ii scilicet, qui publicis operibus extructis, memoriam nomini suo quærunt? ne isti quidem recte bona sua in terra sepeliunt; quia nec memoria quidquam mortuis confert, nec opera eorum sempiterna sunt: siquidem aut uno tremore terræ dissipantur et corruunt, aut fortuito consumuntur incendio, aut hostili aliquo impetu diruuntur, aut certe vetustate ipsa dissoluta labuntur. « Nihil est enim ut ait orator, opere et manufactum quod non conficiat et consumat vetustas. At hæc justitia et lenitas florescit quotidie magis. » Illi ergo melius, qui tribulibus suis aut clientibus largiuntur: aliquid enim præstant hominibus, et prosunt: sed non est illa vera et justa largitio. Beneficentia enim nulla est, ubicumque necessitas non est. Perit ergo quidquid gratiæ causa tribuitur non indigentibus; aut cum fœnore redit, et beneficentia non erit. Quod et si gratum est iis, quibus datur, justum tamen non est, quia si non fiat, nihil mali sequitur. Unum igitur certum et verum liberalitatis officium est, egentes atque inutiles alere.

CAPUT XII.

De generibus beneficentiæ, et operibus misericordiæ.

Hæc est illa perfecta justitia, quæ custodit humanam, de qua philosophi loquuntur, societatem. Hic divitiarum maximus ac verissimus fructus est, non uti opibus ad propriam unius voluptatem, sed ad multorum salutem, non ad præsentem suum fructum, sed ad justitiam, quæ sola non interit. Tenendum est igitur omni modo, ut ab officio misericordiæ spes recipiendi absit omnino. Hujus enim operis et officii merces a Deo est expectanda solo: nam si ab homine expectes, jam non humanitas erit illa, sed beneficii fœneratio; nec potest videri bene meruisse, qui quod facit, non alteri, sed sibi præstat; et tamen res eodem

VARIORUM NOTÆ.

Vel magnis urbibus suffecturas opes, etc. Mirum est quantum veteres impenderint in Ludis Theatrallibus et scenicis; id etiamnum hodie patet ex variis theatris magno sumptu ædificatis, quæ supersunt in variis Orbis partibus, Romæ, Patavii, Nemausi, Avenione, aliisque urbibus. De his scenicis sumptibus vide Budæum de Asse lib. II. — *Magnis urbibus suffecturas opes.... muneribus.* Hæc illustrat Lipsius de Magnit. Rom. l. II, c. 11. Ad Cyprianum de opere et Eleemosyna ed. Oxon., f. 206: *Munera... quam grandia, quam pretiosa, quam nimio et longo labore quæsita sumptuosissimis adparatibus comparant, rebus suis vel obligatis in muneris comparatione, vel venditis*, etc. Bun.

Exhibendis muneribus. Scilicet ludis gladiatoriis et aliis edendis. Vide Tertullianum de Spectaculis, Lactantium nostrum Div. Institut. lib. VI, cap. 20, Epitom. cap. 63, al. 6, et Lipsium lib. I Saturn. cap. 7. *Munerarius et Munerator* appellabatur, qui hos ludos edebat, quandoque *Editor*. Walch.

Quod et ipsi perdant et nemo.... accipiat. Imitatur Cyprianum ad Donatum ed. Oxon., f. 8: *Quibus* (damnis) *redemptus favor vulgi, et...* popularis aura *quæsita est. Stulta prorsus et vana jactura, frustrantis spectaculi voluptate id parare voluisse, quod nec populus acciperet, et perderet magistratus.* Bun.

Aut si adeo placuerunt. Sic lego cum mss. 2 Reg. antiquissimis, 3 Colbert., 2 Brun., edit. Paris. 1525, et Betul. In 12 scriptis recent. et 3 excusis *placuerint;* in 1 Lips., *placaverint;* 1 Reg., 1 Colb., 1 Clar. et 5 edit. *placuerint;* 1 Reg., 1 Colb., *et si adeo placuerint.*

Patrimonia... prodiguntur. Ven. 1493, 97, *patrocinia*, prave. Mihi occurrit in Tertull. de Pudic. cap. 8: *Prodacta substantia Dei;* cap. 9. *Omni substantia prodacta.* Hieronym. ep. ad Sabinian. f. 228: *Prodacta patris substantia.* Bun.

Qui publicis operibus exstructis, etc. De hoc vide Inscriptiones Gruteri, qui prolixe hanc vanitatem a pag. 158 usque ad p. 225, multis exemplis et Inscriptionibus ostendit. Gallæus.

Ne isti quidem recte: bona. Hic locus adhuc male distinctus fuit: legerunt enim omnes una serie: *Ne isti quidem recte bona sua in terra sepeliunt.* Quid vero est *bona sua recte in terra sepelire?* Unde ita distinguo: *Ne isti quidem recte* (scilicet *faciunt.*) Præcessit enim: *Num ergo illi sapientius* (sc. faciunt) qui... quærunt? Resp. *Ne isti quidem recte.* Hinc sequitur inf. *Illi ergo melius*, sc. faciunt. Cap. 15: *Peripatetici ergo rectius.* Bun.

In terra sepeliunt. Sic reposui ex 5. impressis et omnibus mss. præter 2 Reg. rec. qui, ut multi editi, habent *in terram.*

Opere et manu factum, quod non conficiat et consumat vetustas. Ita omnes mss. et editi. Apud Ciceronem legitur: *Nihil enim est opere aut manu factum, quod non aliquando conficiat et consumat vetustas.* Et statim, *At hæc justitia et lenitas animi florescit.* Cicero pro Marcello n° 10. Quo loco docet Cæsaris clementiam immortalem fore, si cum aliis rebus fluxis et caducis conferatur.

At hæc justitia et lenitas florescit. Plures mss. et editi. *Ad hæc*, male. Cæteri ut in textu, præter Brun. et 1 Clarom. quibus est *florescet quotidie magis*, ut apud Ciceronem Orat. pro Marcello, n. 11.

Tribulibus suis. Ita cum editis quam plurimi mss. In 1 Reg. rec., 1 Colb., Ultr. Brun. legitur *contribulibus suis*, id est, ejusdem tribus consortibus. 1 Bonon. antiquior, *qui indigentibus amicis suis.*

Nulla est. De beneficentia lege Senecam in libris de Beneficiis, in quibus tam bene, tam præclare de ea disserit, quam homo ethnicus et a Christo alienus potest.

Tenendum est igitur. 1 Bon. antiq. *Tenenda.* — *Tenendum est.* Id est, sciendum et pro certo habendum. Non, ut Bon., *Tenenda est.* Bun.

Omni modo. Mss. 6 rec. et 5 vet. edit., *omnino*, quod est in hujus periodi clausula.

Expectanda. Sic emendavi ex omnibus mss. præter 3 Colb., 1 Clarom. et edito Fasitel. in quibus est *expectenda*, mendose; et 2 Reg. rec. et 1 Colb., *expetenda*, ut in excusis.

Beneficii fœneratio. mss. 2 Goth. 2 Colb. et 2 vet. edit. Rom. *remuneratio.*

Qui quod facit. Ita restitui ex antiquissimis mss. 1

Digitized by Google

redit; ut quod alteri quisque præstiterit, nihil ab eo commodi sperans, vere sibi præstet, quia mercedem capiet a Deo. Idem Deus præcepit, ut si quando cœnam paraverimus, eos in convictum adhibeamus, qui revocare non possint et vicem reddere; ut omnis actus vitæ nostræ non careat misericordiæ munere. Nec tamen quisquam interdictum sibi putet, aut communione cum amicis, aut charitate cum proximis. Sed notum nobis Deus fecit, quod sit verum et justum opus, ita nos oportet cum proximis vivere, dummodo sciamus illud ad hominem, hoc ad Deum pertinere.

Præcipua igitur virtus est hospitalitas; quod philosophi quoque aiunt: sed eam detorquent a vera justitia, et ad commodum rapiunt. « Recte, inquit Cicero, a Theophrasto est laudata hospitalitas. Est enim (ut mihi quidem videtur) valde decorum, patere domos hominum illustrium hospitibus illustribus. » Eodem modo rursus erravit, quo tum, cum idoneis esse diceret largiendum. Non enim justi et sapientis viri domus illustribus debet patere, sed humilibus et abjectis. Nam illustres illi ac potentes nulla re possunt indigere; quos opulentia sua et munit, et honorat. Nihil autem a viro justo faciendum est, nisi quod sit beneficium. Beneficium autem si refertur, interit, atque finitur; nec enim possumus id habere integrum, cujus pretium nobis persolutum est. In his itaque beneficiis justitiæ ratio versatur, quæ salva et incorrupta permanserint: permanent autem non aliter, quam si præstentur hominibus iis, qui prodesse nullo modo possunt. At ille in recipiendis illustribus nihil spectavit aliud, nisi utilitatem; nec dissimulavit homo ingeniosus, quid ex eo commodi speraret. Ait enim, qui id faciat, potentem apud exteros futurum per gratiam principum, quos sibi hospitii et amicitiæ jure constrinxerit. O quam multis argumentis Ciceronis inconstantia, si id agerem, coargui posset! Nec tam nostris, quam suis verbis refelleretur. Idem quippe ait, ut quisque maxime ad suum commodum referat, quæcumque agit, ita minime esse virum bonum. Idem etiam negat, simplicis et aperti hominis esse, ambire, simulare aliquid, et prætendere, aliud agere videri, cum aliud agat; præstare se alteri fingere, quod sibi præstet: sed malitiosi potius, et astuti, et fallacis, et subdoli. Quomodo ergo defenderet, quominus ambitiosa illa hospitalitas malitia esset? « Tu mihi per omnes portas circumcurses, ut advenientes populorum atque urbium principes domum tuam invites, ut per eos apud cives eorum potentiam consequare; velisque te justum, et humanum, et hospitalem videri, cum studeas utilitati tuæ. » Verum hoc ille non potius incaute? Quid enim minus in Ciceronem convenit? Sed ignorantia veri juris, prudens ac sciens in hos se laqueos induit. Quod ut ei possit ignosci, testificatus est non ad veram justitiam, quam non teneat, præcepta se dare; sed ad umbram imaginemque justitiæ, ignos-

VARIORUM NOTÆ.

Bonon., 2 Reg., 17 aliis et 5 impressis. Scripti Cauc. et 5 alii, necnon 15 vulgati, *fecit*.

Eodem redit. *Eodem* restitutum ex mss. veterrimis 2 Bonon., 2 Reg. et 5 aliis. Cæteri cum editis, *eo redit*.

Idem Deus. Mss. 14 rec. et 5 edd., *Item*.

Qui revocare non possint. Scilicet ad convictum, *Revocare* est verbum invitatorium, et absolute significat, eum, qui antea nos convivio excepit, vicissim vocare. WALCHIUS.

Interdictum sibi putet, aut communione cum amicis. Ita antiquiores et meliores mss. 1 Bonon., Regio-Put., 3 al. Reg., Tax., 1 Colb. 1 Clarom. cum 4 editis. Et recte. *Interdicere* enim sæpius cum dativo et ablativo construitur. Frustra scripti Cauc., 1 Reg. rec., Jun., 2 Lips. atque impressi 12, *interdictum... communionem... aut charitatem;* 1 Reg. antiq. et 15 alii rec. et edit. Sublac., *interdictum.. communionem.. aut charitatem*, etc. Buneman. quoque habet *charitatem*. — *Interdictum.. communionem... charitatem*. Ut antiquis futura in RUM. fuere sæpe immobilia, e. g., Cic., lib. v, in Verrem c. 65: *Hanc sibi rem præsidio futurum;* ita idem præteritis passivis interdum accidit. BUN.

Verum et justum. Heumannus scribit, *vere justum*. At pro recepta sunt omnes libri; et c. 11: *Sed non est illa vera et justa largitio*. BUN.

Oportet. Sic reposui ex omnibus mss. ac edit. Rom. 1470. et Betul. Omnes fere editi, *oportere*. — *Ita nos oportet*. Ego ita intelligo: Benefacere amicis et proximis, id est, cognatis, pertinet ad hominem, id est, est mere humanum opus; at benefacere iis, qui non possunt vicem reddere, est divinum opus, ejusque beneficentiæ merces a Deo exspectanda. Vid. supra et cap. 10. BUN.

Hospitalitas. Rom. XII, Hebr. XIII, I Petr. IV, Matth. XXV.

Cicero. Lib. II de Officiis a *Theophrasto* cap. de Divitiis in libro de Moribus.

Idoneis. De *idoneis*, vide supra Not. ad caput 11.

Quid id faciat. Ita editiones Parisienses annorum 1513 et 1525, atque ita legendum monent Betuleius et Isæus. Vulgatæ editiones habent *quid faciat*, etc. at 1 Reg. recent. *faciat;* 2 Reg. a secunda manu et Brun., *quid faciat potentem;* Jun., *qui faciat*. Hæc Cicero de Officiis circa finem. — *Quid id faciat*. Exprimit hic vero mentem potius, quam verba Ciceronis, quæ sunt I. III Off., cap. 18: *Est... vehementer utile iis, qui honeste posse multum volunt, per hospites apud externos populos valere opibus et gratia*. BUN.

Coargui posset. Ita restitui ex omnibus mss. præter 2 Reg. rec. in quibus, ut in editis, est *redargui*.

Idem etiam negat simplicis et aperti. In hunc fere modum disserit de simplice et aperto homine, lib. I de Offic., cap. 30. CELL.

Mihi. Abundat eleganter *mihi* pari modo,, ut *tibi*, lib. III, c. 14: *Cur non* tibi *verum confiteare?* Commode Cicer. lib. VII, Fam. epist. 1: *Tu mihi istam imbecillitatem valetudinis tuæ sustenta*.

Tu mihi.. utilitati tuæ. Heumannus in sua editione sex versus typis diversis imprimendos curavit, et *sunt*, inquit, *hæc verba Ciceronis, vel potius ei afficta a Lactantio*. Imo vero Lactantius his verbis Ciceroni ironice quasi insultat. Conf. sup. unde nulla hic typorum diversitas esse debet. BUN.

Te justum. In aliquot excusis deest *humanum*.

Prudens ac sciens. Etiam in his apparet Cicero pro Marcello c. 5: *Ut prudens et sciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium*. L. 6 ad Famil. 6: *Sic ego prudens et sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus*. BUN.

In hos se laqueos induit. Ita mss. antiq., 1 Bonon., 2 Reg., 3 al. Reg., Cauc. et 9 alii, edd. Rom. 1470, Is. ac Cellar. In 3 scriptis rec. *injecit*. At 9 scripti rec. et 14 impressi, *induxit*. Vide infra c. 24, *in laqueos inducatur*. Cic. IV Verr., c. 24, *in quos se laqueos induerit*. Falsum ergo quod Thomasius ait, neminem dixisse: *se in laqueos induere*.

Digitized by Google

cendum est igitur umbratico et imaginario præceptori; nec ab eo veritas exigenda est, qui se nescire fatealur.

Captivorum redemptio magnum atque præclarum justitiæ munus est: quod idem ipse Tullius approbavit. « Atque hæc benignitas, inquit, etiam reipublicæ est utilis, redimi e servitute captos, locupletari tenuiores. Hanc ego consuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono. Hæc est gravium hominum, atque magnorum. » Proprium igitur justorum opus est, alere pauperes, ac redimere captivos, cum apud injustos, si qui hæc faciant, graves et magni appellentur. Iis enim maximæ laudis est benefacere, quos nemo speravit esse facturos. Nam qui bonum facit vel consanguineo, vel proximo, vel amico; aut nullam, aut certe non magnam laudem meretur; quia facere debet, sitque impius ac detestabilis, nisi fecerit id, quod ab eo et natura ipsa, et necessitudo exigit; et si facit, non tam gloriæ assequendæ, quam reprehensionis vitandæ gratia facit. Qui autem fecit alieno, et ignoto, is vero dignus est laude; quoniam, ut faceret, sola ductus est humanitate. Ibi ergo justitia est, ubi ad benefaciendum necessitatis vinculum nullum est. Hoc igitur officium benignitatis ne anteponere quidem largitioni munerum debuit, quod est comparantis, et e duobus bonis id, quod sit melius, eligentis. Illa enim largitio hominum patrimonia sua in mare abjicientium inanis, et levis, et ab omni justitia remotissima est. Itaque ne dici quidem munera oportet, in quibus nemo accipit, nisi qui accipere non meretur.

Non minus magnum justitiæ opus est, pupillos et viduas destitutos, et auxilio indigentes tueri, atque defendere. Quod adeo universis divina lex illa præscribit; quando quidem boni quique judices ad officium suum judicant pertinere, ut eos naturali humanitate foveant, ac iisdem prodesse nitantur. Verum hæc opera proprie nostra sunt, qui legem, qui verba ipsius Dei præcipientis accepimus. Nam illi sentiunt quidem natura esse justum tueri eos, qui tutela carent: sed, cur ita sit, non perspiciunt. Deus enim, cujus perpetua clementia est, idcirco viduas pupillosque defendi ac foveri jubet, ne quis respectu ac miseratione pignorum suorum retardetur, quominus mortem pro justitia fideque suscipiat; sed incunctanter ac fortiter subeat, cum sciat se caros suos Deo relinquere, nec his unquam præsidium defuturum. Ægros quoque, quibus defuerit qui assistat, curandos fovendosque suscipere, summæ humanitatis et magnæ operationis est: quod qui fecerit, vivam hos-

VARIORUM NOTÆ.

Umbratico præceptori. Per lusum eum vocat *umbraticum*, dixerat enim *ad umbram imaginemque justitiæ.. præcepta se dare.* BUN.

Atque hæc benignitas. Atque restitutum ex omnibus mss. et 7 vet. edd. cæteris est, *Itaque.*

Pauperes. Tob. IV, Eccles. IV, Matth. XXV.

Iis enim maximæ laudis est. 1 ms. Reg. antiq., *maximæ laudi*, nec male. BUN.

Quos nemo speravit esse facturos. Davisius ad c. l. tentat, *Queis nemo speravit esse facturos.* Non displicet, sed sine libris non recepimus. BUN.

Non magnam laudem. Hic alludere videtur Lactantius ad illud verbum Dominicum Matth. V, 46: *Si dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?*

Patrimonia sua. Hic notatur Crates, de quo supra libro III, cap 23.

Abjicientium. Copiæ causa hic dixit, *abjicere.* Cap. 11: *Patrimonia sua effundere*; infra, *In res supervacuas* prodigere; Ibid. *In terra sepelire.* Cap. 12: *In supervacua* impendere. Voce cognata Cic. I. II Off., c. 17: *Periclem vituperat... qui tantam pecuniam in... propylæa* conjecerit.

Divina lex. Exod. XXII, Job. XXIX et XXXI, Psalm. LXVII, Eccl. IV, Jacobi I. Commendantur pupilli et viduæ in multis Davidicis Psalmis. Esaias cap. X, numine divino afflatus, invehitur in legislatores, sive νομοφύλακας, quorum negligentia, sive iniquitate atque avaritia fiebat, ut pupilli atque viduæ ipsis quasi præda exponerentur. Duo sunt apud Ciceronem injustitiæ genera: unum, eorum qui inferunt; alterum, eorum qui ab iis quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam. Iniqui autem judices, non modo non propulsant a pupillis et viduis injuriam: sed etiam ipsis, quos defendere deberent, veluti prædæ inhiant. BETULEIUS.

Boni quique judices, etc. Non hic parentum, non patronorum, non fiduciariam tutelam intelligit; nec eam quæ lege Hebræorum divina, commissa judicibus et magistratui fuit: sed eam, quæ jure Romanorum civili lege Attilia (unde etiam Attiliani tutores dicebantur, quos Prætor urbanus dare consueverat) lege item Julia et Titia dabatur: qua de re lege cap. 20 libri primi in Institutionibus Imperialibus. Justinianus igitur hoc nomine mihi reprehendendus videtur, quod pupillo ea conditione tutorem dari publice jussit, si facultates ejus ad quingentos solidos valeant. Quasi vero pupillus non gravius periclitetur, qui de unius solidi summa in periculum veniat, quam qui de centum. Itaque verum esse apparet, quod Lactantius ait illos non perspexisse, cur tutores pupillis dari debeant. Vituperandi propterea etiam nostri municipales mores sunt, quibus habentibus dumtaxat tutores dantur, et non potius inopia oppressis: quasi vero eos, qui semel miseri esse cœperunt, ad extremum usque miseros esse oporteat. BETULEIUS.

Ut eos naturali humanitate foveant. Ita quamplurimi mss. et omnes fere impressi. In 2 Bonon., 5 Reg., Cauc. et 11 aliis, *ut his... faveant.* Sed verbum *foveri* infra est eodem sensu.

Proprie nostra sunt. Goth. et Rom., *propria.* Sed etiam recepta lectio bona et laudanda. Cicero lib. IX, ep. 15, ad Pætum: *Quod tu ipse tam amandus es, tamque dulcis, tamque in omni genere jucundus, id est proprie tuum.* CELL.

Nostra sunt, qui legem. Hæc duo ultima verba, quæ in nonnullis editis desunt, addidi ex omnibus mss. et plurimis impressis. De his operibus vide Deuter. XXVII, et Isaiæ I.

Defendi ac foveri jubet. Mss. 12 rec. et 6 vet. editi, pro *foveri*, habent *tueri*, quod mox præcessit: sed male (ut opinor) verbum activum, seu deponens jungitur cum passivo: in 6 Reg. antiquioribus aliisque, et in 10, excusis est *foveri.*

Pignorum. Pignora ponuntur pro liberis. — *Pignorum suorum.* Aliquoties Cyprianus de opere et eleemos. ed. Oxon. f. 205: *Multorum pignorum pater,.. alendis sustinendisque pignoribus... quo amplior... pignorum copia... pignorum numerus.* BUN.

Quibus defuerit qui assistat. Mss. Jun., 3 Colbert. et 5 edit., *quibus defuerint qui assistant.*

Magnæ operationis est. In Psychomach. v. 575: *Avaritiæ* opponitur operatio, ubi ab Aldo, Ant., Ne-

Digitized by Google

tiam Deo acquiret; et quod alteri dederit ad tempus, ipse a Deo accipiet in æternum. Ultimum illud et maximum pietatis officium est, peregrinorum et pauperum sepultura: quod illi virtutis justitiæque doctores prorsus non attigerunt. Nec enim poterant id videre, qui utilitate omnia officia metiebantur. In cæteris enim, quæ supra dicta sunt, quamvis verum limitem non tenuerint; tamen, quoniam commodi aliquid in his deprehenderunt, quasi odore quodam veritatis retenti, propius oberrarunt: hoc autem, quia nihil videre in eo commodi poterant, reliquerunt.

Quin etiam non defuerunt, qui supervacaneam facerent sepulturam; nihilque esse dicerent mali, jacere inhumatum atque abjectum: quorum impiam sapientiam, cum omne humanum genus respuit, tum divinæ voces, quæ id fieri jubent. Verum illi non audent dicere, id non esse faciendum: sed, si forte non fiat, nihil esse incommodi. Itaque in ea re non tam præcipientium, quam consolantium funguntur officio, ut si forte id sapienti evenerit, ne se ob hoc miserum putet. Nos autem non quid sapienti ferendum sit dicimus: sed quid facere ipse debeat. Itaque non quærimus nunc utrumne tota sepeliendi ratio sit utilis, necne: sed hæc, etiamsi sit inanis (ut illi existimant), tamen facienda est, vel ob hoc solum, quod apud homines bene et humane fieri videtur. Animus enim quæritur, et propositum ponderatur. Non ergo patiemur, figuram et figmentum Dei feris ac volucribus in prædam jacere: sed reddemus id terræ, unde ortum est; et quamvis in homine ignoto necessariorum munus implebimus, in quorum locum, quia de sunt, succedat humanitas, et ubicumque homo desiderabitur, ibi exigi officium nostrum putabimus. In quo autem magis justitiæ ratio consistit, quam in eo, ut quod præstamus nostris per affectum, præstemus alienis per humanitatem; quæ est multo certior justiorque? Quæ cum fit, jam non homini præstatur, qui nihil sentit; sed Deo soli, cui carissimum sacrificium est opus justum. Dicet aliquis fortasse: Si hæc omnia fecero, nihil habebo. Quid enim, si magnus hominum numerus egebit, algebit, capietur, morietur, ut hæc facientem vel uno die patrimonio exui sit necesse, perdamne rem familiarem, meo, aut majorum labore quæsitam, ut jam ipsi mihi aliena misericordia vivendum sit?

Quid tu tam pusillo animo paupertatem times? quam etiam vestri philosophi laudant: nihil hac tutius, nihilque tranquillius esse testantur. Hoc quod times, sollicitudinum portus est. An ignoras, quot periculis, quot casibus cum his malis opibus subjaceas? Quæ

VARIORUM NOTÆ.

brissensi et Ge. Fabricio simili glossa *miseratio*, contra fidem mss. teste Rosweydo et N. Heinsio, fuerat subornata. Egregie Prudentius c. 1.

Peregrinorum et pauperum sepultura. Illud maximum (ut vocat Lactantius) *pietatis officium in peregrinorum et pauperum sepultura.* Sepultura, res sacra fuit semper. Achab tanto infelicior habitus fuit, quod sepultura caruerit; et Joakim, quod asini sepulcrum sortitus fuerit. Isaias, cap. IV, Regi Babylonis ominatur, ipsum de sepulcro suo abjiciendum esse. An Christianorum corporibus officiat, si inhumata abjiciantur, disputat S. August. lib. I de Civitate Dei cap. 12 et 13. Nunc etiam vulgatum est, ut magnorum sceterum rei sepultura priventur. De pietate circa sepulturam sic ait Servius in lib. VI Æneid.: *Qui de pietatis generibus scripserunt*, inquit, *primum locum in sepultura esse voluerunt. Unde cum pontificibus nefas esset cadaver videre, magis tamen nefas fuit, si visum insepultum relinquerent.* De sepultura porro exhibenda benignissime impendit cathedralis ecclesia Viennensis in Delphinatu. Si quis enim peregrinus et pauper Viennæ ægrotans, divinis munitus sacramentis, in mortis articulo requisierit humari in cathedralis ecclesiæ cœmeterio, quod est in medio claustri, mortuus terræ ibi mandatur, pulsantibus campanis, sicut in canonici exequiis. Illius funeris exequias prosequuntur, non solum canonici et ejusdem ecclesiæ clerus, verum etiam archiepiscopus ipse, si tunc sit in urbe, præcedentibus cruce et candelabris argenteis; iique amplum faciunt funus.

Omnia officia. Mss. 12 rec. et 7 edit. addunt *sua.* Verum Cellarius et Heumannus recte judicant non addendum esse *sua.*

Propius oberrarunt. Ita mss. 5 Reg. quorum duo sunt antiquissimi, 1 Colb., 2 Clarom., 2 Brun. ut non tam longe a recta via fuerint. Hoc vult particula *propius*, inquit Walchius, 3 Reg. rec., 3 Colbert., Em. et 8 edit. *oberraverunt;* 1 Reg., Jun., Pal., 2 Lips. *aberraverunt;* 3 Reg., 2 Colb., 1 Lips., Cant. et 2 vet. edit. Rom. *aberrarunt.* Quod verbum Heumannus rectius putat quam aliorum *oberraverunt.*

Supervacaneam facerent sepulturam. 1 Reg., 1 Colb. et Brun., *supervacuam.* Em., *supervacaneam dixerunt esse sepulturam.* Inutilem porro sepulturam opinati sunt Diogenes Cynicus, Menippus, Theodorus Cyrenæus: de quibus Ludovicus Vives in commentario ad S. Augustinum de Civitate Dei.

Inhumatum. Id est, sine sepultura.

Divinæ voces. Item lib. IV, cap. 26, *Scriptura sacra.*

Non ergo patiemur. Sic restitui ex antiquissimis mss. 2 Bonon., 8 Reg., 5 Colb. aliisque, et ed Torn. In 2 Reg. rec. et 1 Colb. ac impressis est *enim*, quod mox præcessit. At Heumannus vult etiam deleri *enim*, et legi *ergo* sicut nos legimus.

Sed reddemus id terræ. Ita restitutum ex 4 Reg., 4 Colb., Em., Cant., Pen. ac 10 editis; et sequentia postulant, *necessariorum munus implebimus.* In 11 mss. et 6 excusis est, *sed reddamus.*

Quamvis in homine ignoto, etc. Hæc perfectum omnino reddunt sensum; et sic ferunt mss. 2 Bon., Canc. et 2 Reg. antiquissimi, Tax. et Marm. a prima manu. Alii tum mss. tum editi varie inserunt, quæ ut glossemata ex ora libri in textum irrepsisse videntur, ideoque rejeci. Post *necessariorum*, 19 scripti rec., edit. 2 vet. Rom., Juntar., Parrhas., Gymn., Is. addunt, *sepulturam nulli negandam.* Mss. sequendo Heumannus æque ac nos cum doctiss. Cellario hæc tria verba eradenda esse putat: at, inquit, recte Thomasius ea omisit in sua editione 5 Oxon. et 7 excusi, *nulli negandum munus.* Manu exarati 4 et edit. Betul. *sepulturam nulli negandam impendemus;* 1 Reg. rec. et Gat. *necessariorum et amicorum sepulturam nulli denegandam impendendo, munus et officium implebimus.*

Desiderabitur. 1 Colb., Em., Cant., et ed. Rom. 1470, *desiderabit.*

Quæ cum fit. Hæc verba *quæ fit*, sunt ex 2 mss. Bononiensibus et nonnullis editis, desunt in aliis. Id est cum fit id quod ad humanitatem pertinet: illa vero dictio *quæ* relativa fuit omissa in multis, propter conjunctionem *qne* adjunctam dictioni *justior.* Ex Thomas.

Sacrificium. Misericordiam enim a nobis Deus exigit potius, quam sacrificium.

Quam etiam vestri philosophi laudant. Vide Senecæ epist. 17, 20 et alibi.

Digitized by Google

tecum bene agent, si sine tuo cruore transierint. Tu A vero præda onustus incedis, et spolia geris, quæ irritent animos etiam tuorum. Quid ergo dubitas bene collocare id, quod tibi forsan eripiet aut unum latrocinium, aut existens repente proscriptio, aut hostilis aliqua direptio? Quid verere fluxum et fragile bonum facere sempiternum, aut thesauros tuos custodi Deo credere, ubi non furem prædonemque timeas, non rubiginem, non tyrannum? Qui aqud Deum dives est, pauper esse nunquam potest. Si justitiam tanti putas, sequere, abjectis oneribus quæ te premunt: libera te ipsum compedibus et catenis, ut expeditus ad Deum curras. Magni et excelsi animi est despicere et calcare mortalia. Sed si hanc virtutem non capis, ut divitias tuas in aram Dei conferas, ut fragilibus tibi compares firmiora, liberabo te metu. Omnia ista B præcepta non tibi soli dantur, sed omni populo, qui mente conjunctus est, et cohæret sicut homo unus. Si solus magnis operibus non sufficis, pro virili parte operare justitiam, sic tamen, ut quantum divitiis inter cæteros, tantum opere præcellas. Neque nunc suaderi tibi putes, ut rem familiarem tuam minuas, vel exhaurias: sed quæ in supervacua fueras impensurus, ad meliora convertas. Unde bestias emis, hinc captos redime; unde feras pascis, hinc pauperes ale; unde homines ad gladium comparas, hinc innocentes mortuos sepeli. Quid prodest perditæ nequitiæ bestiarios facere locupletes, et instruere ad flagitia? Transfer ad magnum sacrificium male peritura; ut pro his veris muneribus habeas a Deo munus æternum. Magna est misericordiæ merces, cui Deus pollicetur peccata se omnia remissurum. Si audieris, inquit, preces supplicis tui, et ego audiam tuas. Si misertus laborantium fueris, et ego in tuo labore miserebor. Si autem non respexeris, nec adjuveris, et ego animum tuum contra te geram, tuisque te legibus judicabo.

CAPUT XIII.

De pœnitentia, de misericordia, ac peccatorum venia.

Quoties igitur rogaris, tentari te a Deo crede, an sis dignus audiri. Circumspice conscientiam tuam et, quantum potes, medere vulneribus. Nec tamen quia peccata largitione tolluntur, dari tibi licentiam peccandi putes. Abolentur enim, si Deo largiare, quia peccaveris; nam si fiducia largiendi pecces, non abolentur. Deus enim purgari homines a peccatis maxime cupit, ideoque agi pœnitentiam jubet. Agere autem pœnitentiam, nihil aliud est, quam profiteri et affirmare, se ulterius non peccaturum. Ignoscitur

VARIORUM NOTÆ.

Forsan. 3 Reg. rec. et 16 edit. *forsitan.*

Thesauros tuos custodi Deo credere. Hoc est, apud C Deum deponere. Nam Tertullianus in Apolog. cap. 39, ubi de Christianorum disciplina verba facit, in hunc modum scribit: *Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec poculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, et pueris ac pupillis re ac parentibus destitutis ætateque domitis senibus, item naufragis, et si qui in metallis, et si qui in insulis, vel in custodiis duntaxat ex causa Dei sectæ alumni confessionis suæ sunt*, etc. Betul.—*Thesauros . . . custodi Deo credere*, Ven. 1493, 97, *tradere*. Nihil muto. Imitatur Cyprianum de Opere et Eleemos., ed. Oxon. f. 205: *Patrimonium* Deo creditum *nec resp. eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ* Deo custode *servatur*. Conf. Lact. Epit. cap. 65. Bun.

Rubiginem. Matth. VI, Luc. XII.

Potest. Mss. Cauc. et Jun. et 5 edd., *poterit.*

Divitias tuas in aram Dei conferas. Sic lego ex antiquissimis codicibus mss. 2 Bonon., 6 Reg. et Tax. In 1 Colb. est *iram*, pro *aram*. In aram vero confert divitias, inquit Thomasius, qui illas dando pauperibus, Deo donat et offert: *in arcam* vero cum 12 editis rec. et excusis legi non potest, quia non eas accipit Deus ut recondat.

Firmiora. Subl., *Meliora.*

Captos redime. Mss. 7 rec., *captivos.*

Unde homines ad gladium comparas. A lanista gladiatores emis, ut populi voluptati committas. Cellar. — Lanista autem erat ille, qui gladiatores in arte gladiatoria exercebat.

Bestiarios. Bestiarii erant, qui ludis publicis in amphitheatro cum bestiis pugnabant, vel ad id mercede conducti, vel pœna damnati. Walchius.

Pro his veris muneribus. In 1 Reg. rec. deest *his.* Malim legere *pro his vanis muneribus;* vel *his terræ*, ut in 1 Clarom.

Si audieris. Matth. V, Luc. VI, ubi hæc non ad verbum, sed quoad sensum.

Et ego animum tuum contra te geram. Adversus te immisericors ero, sicut tu erga alios fuisti. 7 Scripti totidemque excusi omittunt *tuum*, quod in cæteris legitur, et necessarium est utique. *Ex* Thomasio *et* Cellario.

Dignus audiri. Ita omnes ferme mss. quod elegantius est, quam *exaudiri* editorum, et 3 mss. rec. *Dignus* cum infinitivo, more poetarum. — *Dignus audiri.* De Mort. Pers., cap. 1 et cap. 52: *Qui a Deo mereris audiri;* ut sæpe Cyprianus de Orat. Dominica ed. Ox., pag. 427: *Cornelius Centurio quum oraret*, meruit audiri; et pag. 428: *Ipsi quoque a Deo* merentur audiri. Bun.

Quia peccaveris. Sic habent 3 veterr. mss. ac 9 alii, cum 3 editis. Recentiores, *peccaveras.*

Agi pœnitentiam jubet. Ita scribo cum antiquissimis Bonon., 2 Reg. et 12 aliis, ac 7 editis. In 6 scriptis rec. et 8 vulgatis legitur *agere*. Jerem. XVIII, Ezech. D XVIII, Luc. V.

Agere pœnitentiam . . . est affirmare, se ulterius non peccaturum. Id prolixe explicat Lactantius cap. 24: *Is enim quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit . . . quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, et confirmat animum suum ad melius vivendum, tum illud ipsum maxime cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur.* Et alibi lib. IV, cap. 17: *Si cor nudaverimus, id est, si peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus, veniam consequemur. Nemini* autem, *qui aut cupiditate victus, aut libidine impulsus, aut vi coactus ad injustitiæ viam lapsus est*, ait de salute sua desperandum, *si eum pœniteat actorum, et ad meliora conversus, Deo satisfaciat*: ubi vides pœnitentiam a satisfactione aperte distinctam. Et ante Lactantium, dixerat Tertullianus: *Ubi emendatio nulla, ibi pœnitentia necessario vana est.* Etenim, ut ait Gregorius magnus Pastoralis lib. III, Admonitione 51: *Qui admissa deserunt, nec tamen plangunt, ne jam relaxatas æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis*

Digitized by Google

itaque iis qui ad peccatum imprudenter incauteque labuntur: veniam non habet, qui sciens peccat. Nec tamen si aliquis fuerit purificatus ab omni labe peccati, temperandum sibi ab opere largitionis existimet, quia non habeat peccata, quæ deleat. Imo vero tum magis justitiam debet operari, cum factus est justus, ut quod ante in medelam vulnerum fecerat, postmodum faciat in laudem gloriamque virtutis. Eo accedit, quod nemo esse sine delicto potest, quandiu indumento carnis oneratus est. Cujus infirmitas triplici modo subjacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus.

Per hos gradus ad summum culmen justitia procedit. Primus est virtutis gradus malis operibus abstinere; secundus, etiam malis verbis; tertius, etiam cogitatione rerum malarum. Qui primum gradum ascendit, satis justus est; qui secundum, jam perfectæ virtutis: siquidem neque factis, neque sermone delinquat: qui tertium, is vero similitudinem Dei assecutus videtur. Est enim pene supra humanum modum, ne in cogitationem quidem admittere, quod sit vel factu malum, vel improbum dictu. Itaque etiam justi homines, qui frænare se possunt ab omni opere injusto, nonnunquam tamen ipsa fragilitate vincuntur, ut vel in ira malum dicant, vel in aspectu rerum delectabilium tacita cogitatione concupiscant. Quod si mortalis conditio non patitur esse hominem ab omni macula purum, debent ergo largitione perpetua peccata carnis aboleri. Unum est enim sapientis, et justi, et vitalis viri opus, divitias suas in sola justitia collocare: qua profecto qui eget, licet ille Crœsum, aut Crassum divitiis superet, hic pauper, hic nudus, hic mendicus putandus est. Danda igitur opera, ut indumento justitiæ pietatisque velemur, quo nos exuat nemo, quod nobis sempiternum præbeat ornatum. Nam si deorum cultores simulacra insensibilia excolunt, et quidquid pretiosi habent, in ea conferunt, quibus nec uti possunt, nec gratias agere, quod acceperint: quanto justius est, et verius, viventia Dei simulacra excolere, ut promereare viventem? Quæ sicut usui habent quidquid acceperint, et gratias agunt: ita Deus, in cujus conspectu bonum feceris, et probabit, et mercedem pietatis exsolvet.

CAPUT XIV.

De affectibus, ac de iis Stoicorum sententia, et de virtute, vitiis et misericordia.

Si ergo in homine præclarum et excellens est bonum misericordia, idque divinis testimoniis, et bonorum malorumque consensu optimum judicatur:

VARIORUM NOTÆ.

tamen fletibus mundant. Neque enim scriptor si a scriptione cessaverit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat delevit: nec qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfecit, cum profecto necesse sit, ut verba præmissæ superbiæ verbis subjunctæ humilitatis impugnet: nec debitor absolutus est, quia alia non multiplicat, nisi et illa quæ ligaverat solvat. Neque enim, ait S. Joan. Chrysostomus, *vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore evellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus.*

Peccatum. Sublac. addit *ignoranter.*

Veniam non habet, qui sciens peccat. Puta, qui post susceptum baptismum, maligna et nocenti improbitate, seu mala mente admittit peccata, veluti calumniæ, meditatæ cædis, ille veniam a Deo difficulter admodum obtinet. *Nam,* inquit Basilius M., serm. ad adolescentes, Quomodo ex græcis auctoribus utilitas capienda sit: *Involuntarie quidem ab officio conveniente delinquenti venia aliqua a Deo contigerit: de industria vero deteriora eligenti nulla excusatio contingere potest, ut non mutiplex supplicium subeat.* Valde enim difficile est, ut per pœnitentiam restituantur, qui post baptismum talia perpetraverunt scelera (quæ nec ignorantiæ, nec humanæ sunt infirmitatis), tum quia difficile est, ut veram ac sinceram agant pœnitentiam, dignos faciant (juxta Evangelium) pœnitentiæ et satisfactionis fructus, tum quia duram ac difficilem pœnitentiæ actionem a talibus exigit christianæ severitas disciplinæ. Et quidem Ambrosius lib. II de Pœnitentia cap. 10, n° 96, ait se *facilius invenisse qui innocentiam servaverint, quam qui congrua egerint pœnitentiam.* Ad eam tamen peccatores ille hortatur duobus libris, et præcipue lib. I, cap. 16, n. 90: *Si quis,* inquit, *occulta crimina habens, propter Christum tamen studiose pœnitentiam egerit... volo veniam reus speret: petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus ut ignoscatur obsecret,* etc.

Quæ deleat. Id est, quæ debeat redimere.

In medelam vulnerum. Id est, peccatorum. Cyprianus, de Lapsis, c. 13: *Census omnis in medelam vulneris erogetur.* Eidem in fine de Opere et Eleem. ed. Oxon., fol. 209: *operatio* (id est, eleemosyna) ipsi dicitur *medela peccati.* Bun.

Nemo esse. III Reg. cap. VI, 2; Paral. cap. VI; Eccl. VII; Proverb. XX et XXIV, 1; Joan. cap. I.

Abstinere. III Joan., vers. 10; Ps. XXXIII, 1; Petr. III, vers. 11.

Cogitatione. Isai. I; Jerem. IV, 1; Cor. XIII.

Qui primum gradum ascendit, satis justus est. Non ille satis justus est, si ab operibus malis abstinens, male tamen aut loquatur, aut cogitet; id quod vel ipse Lactantius et confitetur, et docet infra, cap. 23, et lib. VII, cap. 27, ubi ait Deum judicaturum esse etiam pravas cogitationes. Isæus.

Ne in cogitationem quidem admittere, etc. Mss. 15 rec. et 2 edit., *ne in cogitatione;* edit. 4, *nec cogitatione.*

Vitalis viri. Hoc est, hominis vita digni, frugi et ad rem attenti: sic Horatius lib. II, Satyra 7:

Amicus
Mancipium Domino et frugi, quod sit satis, hoc est,
Ut vitale putes.

Ac Seneca libro V, Epistola 39: *Magni animi magna contemnere, ac mediocra malle, quam nimia. Illa enim utilia, vitaliaque sunt.* Vide Turnebum in Adversariis lib. XXVIII, caput 27.

Insensibilia. Sensu carentia. Francius.

Nec gratias agere, quod acceperint. Restitui *quod* ex vet. edit. Rom. omnibusque mss. præter I Reg. rec. et 16 editos quibus est, *qui acceperint;* I al. Reg., *qui acceperunt.*

Viventia Dei simulacra. Homines scilicet.

Promereare viventem. Ita mss. antiquissimi Bon., 4 Reg., Cauc., Jun. et 3 excusi. At mss. recentiores et omnes pene edit. ferunt, *ut promereare invenire viventem.* Scripti 2 Reg., 2 Colb., Tornes., 2 Clarom., *ut promereare videre viventem.* — *Ut promereare viventem.* Eodem pertinent Cypriani de Opere et Eleemos. ed. Oxon., f. 203. *Ut intelligamus hæc opera Deo dari,* et eum, quisquis hæc faciat, *Dominum promereri.* Ibidem f. 209: *Promeretur Christum judicem.* Bun.

Et probabit. Addita vocula *et* ex omnibus mss. et plurimis impressis.

Digitized by Google

apparet philosophos longe abfuisse ab humano bono qui neque præceperunt ejusmodi quidquam, neque fecerunt; sed virtutem, quæ in homine propemodum singularis est, pro vitio semper habuerunt. Libet hic interponere unum de philosophia locum, ut illorum plenius coarguamus errores, qui misericordiam, cupiditatem, metum, morbos animi appellant. Conantur illi quidem virtutes a vitiis distinguere, quod est sane facillimum. Quis enim non possit liberalem a prodigo separare (ut illi faciunt) aut parcum a sordido, aut quietum ab inerti, aut cautum a timido? quod hæc, quæ sunt bona, fines suos habeant; quos si excesserint, in vitia labuntur: ita ut constantia, nisi pro veritate suscepta sit, fit impudentia; item fortitudo, si nulla necessitate cogente, aut non pro causa honesta certum periculum subierit, in temeritatem convertitur. Libertas quoque, si alios insectetur, potius quam insectantibus resistat, contumacia est. Severitas etiam, nisi se intra congruentes nocentium pœnas coerceat, fit sæva crudelitas.

Itaque dicunt, eos, qui mali videantur, non sua sponte peccare, nec mala potius eligere: sed bonorum specie lapsos, incidere in mala, dum bonorum ac malorum discrimen ignorant. Hæc quidem falsa non sunt: sed ad corpus cuncta referuntur. Nam parcum esse, aut constantem, aut cautum, aut quietum, aut fortem, aut severum, virtutes sunt quidem, sed hujus temporariæ vitæ. Nos autem, qui hanc vitam contemnimus, alias nobis virtutes propositas habemus, de quibus philosophi ne suspicari quidem ulla ratione potuerunt. Itaque et virtutes quasdam pro vitiis, et vitia quædam pro virtutibus habuerunt. Nam Stoici affectus omnes, quorum impulsu animus commovetur, ex homine tollunt; cupiditatem, lætitiam, metum, mœstitiam, quorum duo priora ex bonis sunt aut futuris, aut præsentibus, posteriora ex malis. Eodem modo hæc quatuor, morbos (ut dixi) vocant, non tam natura insitos, quam prava opinione susceptos. Et idcirco eos censent extirpari posse radicitus, si bonorum malorumque opinio falsa tollatur. Si enim nihil censeat sapiens bonum, nihil malum; nec cupiditate ardescet, nec lætitia gestiet, nec metu terrebitur, nec ægritudine contrahetur. Mox videbimus, an efficiant, quod velint, aut quid efficiant: interim propositum arrogans, ac pene furiosum, qui se putent mederi, et eniti posse contra vim rationemque naturæ.

CAPUT XV.

De affectibus ac de iis Peripateticorum sententia.

Hæc enim naturalia esse, non voluntaria, omnium viventium ratio demonstrat, quæ iisdem omnibus quatitur affectibus. Peripatetici ergo rectius, qui hæc omnia detrahi posse negant, quia nobiscum simul nata sint; et conantur ostendere, quam providenter, et quam necessario Deus, sive natura (sic enim dicunt) his nos armarit affectibus: quos tamen, quia vitiosi plerumque fiunt, si nimii sint, posse ab homine, adhibito modo, salubriter temperari, ut tantum homini, quantum naturæ satis est, relinquatur. Non insipiens disputatio, si (ut dixi) non ad hanc vitam omnia referrentur. Stoici ergo furiosi, qui ea

VARIORUM NOTÆ.

Ab humano bono. Nihil invitis libris mutandum: *ab humano bono est, a bono hominibus proprio, ab humanitate, a misericordia.* Bun.

Sed virtutem. Omnes fere editi articulum *hanc* interponunt, quem cum mss. respuunt editi Rom. 1470 ac Cellar., et expunxi ut inutilem. Contra Stoicorum de affectibus sententiam disputavit S. Augustin. de Civit. Dei lib. XIV, cap. 8 et 9.

Liberalem a prodigo. Liberalitatis (inquam) rationem Philosophus in IV Moralium suis extremis hoc modo circumscribit: Prodigalitas, liberalitas, sordes, avaritia. Parcimonia igitur, quæ Ciceroni, ubi stoicam tuetur personam, ingens vectigal esse dicitur, parcos, tenaces, , aridos, pro vitiosis habet, eo quod dando deficiunt. Sed Lactantius videtur parci nomine frugalem intelligere. Betuleius.

Parcum. Mss. 3 rec. *purum;* 1 Colbert. *a splendido.*

Quietum ab inerti. Quietus est, deficiens, iners, exuperans, succensens, Puto enim prorsus id esse, quod Arist. l. v Moral., c. 4, tradidit. Videtur, inquam, pro mansueto quietum dixisse, pro stolido inertem. Betul.

Aut cautum a timido. Arist. timiditatem defectum fortitudinis facit, sicut audaciam exuperantiam. Cicero in IV Tuscul. Stoicorum εὐλάβειαν interpretatur cautionem, eam a metu hoc nomine separans, quod hic contra rationem, illa cum ratione pericula vitat. Betuleius.

Fit impudentia. Ita antiquiores mss. et quamplures editi. Et sic *ut*, quod mox præcessit, ponitur pro *quemadmodum*, ut apud Ciceronem, quod Cellarius non animadvertit, nec Francius, qui legere volebant *sit impudentia*, ut est in mss. 1 Reg., Brun. et Marm. a prima manu.

Convertitur. Sic reposui ex multis excusis et omnibus mss. præter 1 Colb. cui est *convertatur*; edit. 4, *convertetur*. Vide seq. *contumacia est; fit sæva crudelitas.*

Libertas quoque, etc. Παρρησία, quam Erasmus in Novo Testamento sæpe fiduciam transfert, cujus exempla clarissima sunt in ipso Domino Christo, in Petro, in Paulo, qui Pharisæis et Sacerdotibus sibi infestis fortiter restiterunt. Ergo fortitudinis species est, eadem fortassis, quam Cicero fidentiam, Græci καρτερίαν appellant. Plutarchus, in eo libro cui titulum fecit: *De discrimine adulatoris et amici*, docet τὴν παρρησίαν amici esse propriam, et quomodo ea, ne acerbior offendat, sit condienda. Betuleius.

Libertas. Huc pertinet egregius locus Valerii Maximi l. VI, c. 2: *Quæ (libertas) inter virtutem vitiumque posita, si salubri modo se temperaverit, laudem: si, quo non debuit, profuderit, reprehensionem meretur.* Bun.

Contumacia. Opponitur *libertati.* Hæc illustrat locus Macrob. II Saturn. c. 5. (Augustus) *etiam militis non* libertatem *tantum*, *sed et temeritatem... quis non miratus est, non offenso Cæsare abiisse militem* contumacem? Suetonius in August. c. 52: *Nec ideo* libertas *aut* contumacia *fraudi cuiquam fuit.* Ubi Grævio *contumacia* est *contradicendi studium*, *et libido in censendo.* Bun.

Sæva crudelitas. Juxta illud dictum: Summum jus summa injuria.

Quæ... quatitur. Nempe *omnium viventium ratio.* Phrasi, *quati affectibus*, usus quoque Augustinus l. XIV de Civ. Dei, c. 9 exeunte; uterque duce Cicerone l. III Tuscul. c. 6: *Ægritudine, quasi tempestate quati.*

Fiunt. Ita restitui ex omnibus mss. et multis editis. In 8 vulgatis legitur, *sunt.*

Digitized by Google

non temperant, sed abscindunt, rebusque a natura insitis castrare hominem quodammodo volunt. Quod tale est, quale si velint, aut metum detrahere cervis, aut venenum anguibus, aut iram feris, aut placiditatem pecudibus. Nam quæ singula mutis animalibus data sunt, ea vero universa homini simul. Quod si, ut medici affirmant, lætitiæ affectus in splene est, iræ in felle, libidinis in jecore, timoris in corde; facilius est interficere animal ipsum, quam ex corpore aliquid evellere : quod est animantis naturam velle mutare. Sed homines prudentes non intelligunt, cum vitia ex homine tollunt, etiam se virtutem tollere, cui soli locum faciunt. Nam si virtus est, in medio iræ impetu seipsum cohibere ac reprimere, quod negare non possunt; caret ergo virtute, quisquis ira caret. Si virtus est, libidinem corporis continere; virtute careat necesse est, qui libidinem quam temperet, non habet. Si virtus est, cupiditatem ab alieni appetitione frænare; nullam certe virtutem potest habere, qui caret eo ad quod cohibendum virtutis usus adhibetur. Ubi ergo vitia non sunt, nec virtuti quidem locus est : sicut nec victoriæ quidem, ubi adversarius nullus est. Ita fit, ut bonum sine malo esse in hac vita non possit. Affectus igitur, quasi ubertas A est naturalis animorum. Nam sicut in sentes ager, qui est natura fœcundus, exuberat : sic animus incultus, vitiis sua sponte invalescentibus, velut spinis obducitur. Sed cum verus cultor accesserit, statim, cedentibus vitiis, fruges virtutis oriuntur.

Deus itaque, cum hominem primum fingeret, mirabili providentia ingeneravit ei prius istas animi commotiones, ut posset capere virtutem, sicut terra culturam; posuitque materiam vitiorum in affectibus, virtutis, in vitiis. Quæ profecto aut nulla erit, aut in usu esse non poterit, si desint ea, per quæ vis ejus aut apparet, aut constat. Videamus nunc, iidem illi, qui vitia penitus excidunt, quid effeceriut. Quatuor illos affectus, quos ex opinione bonorum malorumque nasci putant; quibus evulsis, sanandum esse animum B sapientis existimant : quoniam intelligunt et natura insitos esse, et sine his nihil moveri, nihil agi posse; alia quædam in eorum locum vicemque supponunt : ut pro cupiditate, substituunt voluntatem : quasi vero non multo sit præstabilius, bonum cupere, quam velle. Item pro lætitia gaudium, pro metu cautionem. At in illo quarto immutandi nominis eos ratio defecit. Itaque ægritudinem penitus, id est, mœstitiam doloremque animi sustulerunt : quod fieri nequaquam

VARIORUM NOTÆ.

Rebusque a natura insitis. Mss. 11 rec. carent præpositione. — *Natura insitis.* Reimm. cum editis, *A natura insitis.* At solet sine præpositione ponere, ut infra, *Natura insitos*; cap. 14 : *Morbos vocant non tam natura insitos.* Epitom. cap. 61 : *Siquidem natura insiti.* Cicero pro Sulla c. 30: *Hoc natura est insitum.* Bun. C

Metum cervis. Poetæ cervos timidos fingunt. Sic Ovid. lib. v Tristium :

Usque tamen timidæ nactum vestigia cervæ.

Placiditatem pecudibus. Dixit l. III, cap. 26 : *Da mihi virum qui sit iracundus... tam placidum quam ovem reddam :* ubi notavi Terentium exprimi. Item de Opif., c. 14 : *placidiora quæque animalia.* Seneca l. II de Ira c. 8 : *Ferarum iste conventus est, nisi quod iltæ inter se* placidæ *sint.* Imo ipsa vox *placiditas* est aureæ ætatis; ea enim usus Varro de Ovibus l. II, R. R. c. 1, n. 4 : *Putant oves assumptas et propter utilitatem, et propter* placiditatem. *Maxime enim... quietæ.* etc. Bun.

Medici affirmant. Ita restitui ex mss. In 3 rec. et in editis est *dicunt*; in 1 Reg., *afferunt.*

In splene. Sunt qui putent, adimi risum simul homini, intemperantiamque joci constare lienis magnitudine. Plin. lib. II, cap. 37 : *Caussa est, quod melancholicum ad se trahit humorem, quo sanguis purus* D *ad cerebrum ac cæteras partes permeet.* Betuleius.

Iræ in felle. Plin. ibidem : *Sed in felle,* inquit, *nigro insaniæ caussa homini, morsque toto reddito. Hinc et in mores crimen, Bilis nomine. Adeo magnum est in hac parte virus, cum se fundit in animum.* Hinc fel iræ symbolum est. Betuleius.

Libidinis in jecore. Tityrus apud poetas propterea jecore pœnam luere fingitur, quod eo libidine accensus, Latonam ad stuprum sollicitare ausus fuit, auctore Heraclide Pontico. Alexander Aphrodiseus in Problem. ait, sues ob id voluptati tam deditos esse, quod jecore sunt grandiore. Affectuum sedes Ovidius in Tristibus disticho complexus est :

Cor sapit, et pulmo loquitur, fel commovet iras,
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Betuleius. Vide Lactantii librum de Opificio Dei c. 14.

Timoris in corde. Plin. loco jam sæpius citato : *Bruta,* inquit, *existimantur animalium, quibus durum riget : audacia quibus parvum est : pavida, quibus prægrande.* Unde Ulyss. Odyss., teste eodem Heraclide, procis iratus, cor pulsat, ceu domicilium quoddam τῆς μισοπονηρίας. Sed si rem rectius considerabimus, cor principale est organon omnium affectuum. De his lege cap. 14 de Opificio Dei. Betul.

Nam si virtus est, etc. Hæc sequentia cante sunt intelligenda; non absolute enim vera esse hæc, patet in sanctis glorificatis : sed in hac vita.

Cedentibus vitiis. Mss. Cant. et edit. Rom. 1470, cadentibus vitiis; 1 Colb., *cadentibus spinis.*

Posuit... materiam vitiorum... in vitiis. Hæc incommodius dicta emolliri quidem possunt ex Epit. c. 61, ubi *de affectibus* agit : *Non enim per se mala sunt, quæ Deus homini rationabiliter insevit... male utendo fiunt mala;* at non videtur noster undequaque sanus fuisse in doctrina de origine mali, ut ad Epit. cap. 29, notabitur. Bun.

Aut apparet, aut constat. Mss. Jun. et 5 edit. *aut appareat, aut constet;* 1 Colbert., 1 Clarom. *aut appareat, aut constat,* mendose.

Ex opinione bonorum. Δοκούντα Græci, Cicero opinata vocat. Verum sapiens non opinionibus ducitur. Quare cupit ea quæ oportet : lætatur in rebus honestis, timet vere mala : dolet etiam, et ægro animo fert, quidquid dolendum acciderit. Quare multo rectius Ludovicus Vives, qui in lib. III de Philosophia præclare de his rebus disserit. Betuleius.

Ut pro cupiditate. Ita 1 Bon. antiq. et plures editi.

Quam velle. Expunxi *malum :* quæ vox abest a ms. Betuleii codice; neque enim sano sensu retineri potest. Lactantio quippe cum Stoicis res est, quibus Solenne erat in verbis ludere; et proinde asserit *cupiendi* verbum adeo in se nihil vitii continere, ut longe præstet *cupere* quam velle, si modo circa bonum versetur hic affectus. Spark. — *Bonum cupere, quam velle.* Major vis inest in verbo *cupere,* et *cupiditas,* quam in *velle* et *voluntas.* Patet ex lib. VI, cap. 17 : *Dicet Stoicus,* voluntate *opus esse ad hæc consequenda, non* cupiditate. Imo vero *parum est velle.* Multi *enim* volunt : sed quum dolor visceribus accesserit, voluntas *cedit,* cupiditas perseverat. Bun.

Immutandi nominis eos ratio defecit. Ita emendavi ex vetustiss. mss. 2 Bon., Reg.-Put., Cauc., Tax,

Digitized by Google

potest. Quis enim possit non dolere, si patriam aut pestilentia exhauserit, aut hostis everterit, aut tyrannus oppresserit? Potest aliquis non dolere, si sublatam viderit libertatem; si proximos, si amicos, si bonos viros aut exterminatos, aut crudelissime trucidatos? nisi cujus mens ita obstupuerit, ut sit ei sensus omnis ereptus. Quare aut omnia tollere debuerunt, aut implenda fuerat curta hæc et debilis disputatio; id est, etiam pro ægritudine aliquid reponendum, quoniam, superioribus ita ordinatis, hoc consequens erat.

Ut enim præsentibus lætamur bonis: sic malis angimur, ac dolemus. Si ergo lætitiæ, quoniam vitiosam putabant, nomen aliud indiderunt: sic ægritudini, quoniam et ipsam vitiosam putabant, aliud vocabulum tribui congruebat. Unde apparet non illis rem defuisse, sed verbum; cujus indigentia eum totum affectum, qui est vel maximus, contra quam natura pateretur, auferre voluerunt. Nam illas nominum commutationes poteram coarguere pluribus, et ostendere, aut sermonis ornandi, augendæque copiæ gratia, multa nomina iisdem rebus imposita, aut certe non multum inter se illa distare. Nam et cupiditas a voluntate incipit; et cautio a metu oritur; et lætitia nihil aliud est, quam professum gaudium. Sed putemus, ut ipsi volunt, esse diversa. Nempe igitur cupiditatem esse dicent, perseverantem ac perpetuam voluntatem; lætitiam vero, insolenter se efferens gaudium; metum autem, nimiam et excedentem modum cautionem. Ita fit, ut ea, quæ tollenda esse censent, non tollant, sed temperent; siquidem nomina tantummodo immutant, res ipsæ manent. Eo igitur imprudentes revolvuntur, quo Peripatetici ratione perveniunt; ut vitia, quoniam tolli non possunt, me- A die temperanda sint. Ergo errant, quia non efficiunt, quod volunt, et longo asperoque circuitu in eamdem viam redeunt.

CAPUT XVI.

De affectibus, ac de iis Peripateticorum eversa sententia: quis sit verus affectuum, quique eorum malus usus.

At ego ne Peripateticos quidem accessisse ad veritatem puto, qui vitia esse concedunt, sed ea mediocriter temperant. Carendum est enim vitiis etiam mediocribus: quin potius efficiendum fuit primum, ne vitia essent. Nec enim quidquam vitiosum nasci potest: sed vitia fieri, si male utamur affectibus; si bene, virtutes. Deinde monstrandum est, non ipsos affectus, sed eorum causas esse moderandas. Non est, inquiunt, lætitia nimia gestiendum; sed modice, ac moderate. Hoc vero tale est, quale si dicerent, non esse currendum concitate, sed gradiendum quiete. At potest et qui graditur, errare; et qui currit, rectam viam tenere. Quid si ostendo esse aliquid, ubi non tantum modicum, sed vel punctum gaudere, vitiosum sit; et aliud contra, in quo vel exultare lætitia minime criminosum? Quid tandem nobis ista mediocritas proderit? Quæro utrumne sapienti lætandum putent, si quid inimico suo mali videat accidere; aut utrumne lætitiam frænare debeat, si victis hostibus, aut oppresso tyranno, libertas et salus civibus parta sit?

Nemo dubitat quin et in illo exiguum lætari, et in hoc parum lætari sit maximum crimen. Eadem de cæteris affectibus dicere licet. Sed, ut dixi, non in his moderandis sapientiæ ratio versatur, sed in causis eorum: quoniam extrinsecus commoventur; nec

B C

VARIORUM NOTÆ.

Pen. et edd. Betul. In 6 aliis *deficit*. In aliis 9 legitur, *nominis eis ratio deficit*; in 5 rec. et in excusis, *nominis ejus ratio deficit*. Sed et infra in præterito, *non illis rem defuisse, sed verbum*.

Hostis everterit. Mss. 4 et 5 edd. *invaserit*.

Bonos viros. 1 Bonon. antiq. *vicinos*.

Imposita, aut certe non multum. Cauc., Jun. et 8 edit. interponunt, *aut nihil*, male; quia totam hanc orationem perturbat, ut ait Thomasius.

Professum gaudium. Mss. 3 rec. et editi, *profusum gaudium*. At scripti prope omnes melius *professum*, id est, apertum et externis signis demonstratum. Ed. Is. *perfusum*.

Medie temperanda sint. Ita restitui ex omnibus mss. (præter 7) et ex ed. Rom. 1470, et Gymnic. Quæ lectio et infra sequentibus confirmatur, *mediocriter temperant*. *Medie* est *modice, mediocriter*, ut habet 1 Reg. rec. In 7 scriptis rec. et excusis legitur *medio temperanda sint*: cum vox *medie* parum usitata videretur, fecerunt *medio*. Est tamen *medie* apud Apuleium de Doctrina Plat. lib. II, pag. 22, *medie morati*; et apud Eutropium lib. VII, cap. 8, in Claudio, *medie imperavit*. In Gryphiana et Betuleiana, legitur *temperanda*, sicut et in Tornesiana: sed hæc ultima monet in suo ms. esse *medie temperanda*. At si *medie* supprimas, recta æque et concinna erit oratio.

Nec enim quidquam vitiosum nasci potest. Caute hæc legenda sunt. Nam David confitetur se in iniquitatibus conceptum. Interim tamen verum est, affectus ex sui natura peccata non esse, nisi malis affectibus adsit consensus. Adeas Sanctum Augustinum. BETUL.

Gradiendum quiete. Recte. ms. 1 rec. et 7 edd. *moderate*.

Quid si ostendo. Ita scribo in præsenti cum editis 3 vet. Rom. et Betul., Gymnic. omnibusque mss. præter 2 Reg. rec. et 1 Clarom. in quibus legitur *ostendero*, ut in 15 editis.

Punctum gaudere. Id est, per punctum, seu momentum temporis. Sic supra dixit lib. VIII, cap. 17: *Ergo nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere nobis sine voluptate patiamur*. Item lib. VII, cap. 12.

Frænare debeat. Sic emendavi ex mss. 5 Reg. inter quos sunt duo veterrimi, multisque aliis; favent ibus 9 aliis rec. in quibus est *refrænare debeat*. In 2 Reg. rec. editis *refrænare debeant*; et in 7 vulgatis *frænare debeant*; mendose. Vide supra *sapienti... videat*.

Quin et in illo exiguum lætari, etc. Loquitur juxta opinionem Gentilium Philosophorum, contra quos erat disputatio, ut eos suis ipsis positionibus arguat, quod hisce in libris professus est se esse facturum lib. v, cap. 4, non autem juxta dogmata Christianæ sapientiæ, qua docemur, vel ipsis hostibus bona omnia cupienda: de quo et ipse præclare disserit infra cap. 18. ISÆUS. — *Quin et in illo exiguum lætari*. Hæc est mens Lactantii: *Nemo dubitat, quin et in illo*, si inimico quid mali accidat, *exiguum*, id est, vel tantillum *lætari* sit gravissimum peccatum, quia inimico suo vere sapiens bene vult, nec est εὐχαιρίκακος: contra vero *in hoc*, si libertas et salus civibus parta sit, *parum*, id est, non satis, frigide lætari, æque magnum crimen sit; talis enim proderet, se malle servitium iniquum et interitum civitatis. Sole clarius est ex supra: *Quid si ostendo, ubi non tantum modicum, sed* vel punctum *gaudere vitiosum sit*, etc. BUN.

D

Digitized by Google

ipsis potissimum frænos imponi oportuit, quoniam et exigui possunt esse in maximo crimine, et maximi possunt esse sine crimine. Sed assignandi fuerunt certis temporibus, et rebus, et locis; ne vitia sint, quibus uti recte licet. Sicut enim recte ambulare bonum est, errare autem malum : sic moveri affectibus in rectum, bonum est; in pravum, malum. Nam libido, si extra legitimum torum non evagetur, licet sit vehemens, tamen culpa caret. Sin vero appetit alienum, licet sit mediocris, vitium tamen maximum est. Non est itaque morbus irasci, nec cupere, nec libidine commoveri : sed iracundum esse, morbus est, cupidum, libidinosum. Qui enim iracundus est, etiam cui non debet, aut cum non oportet, irascitur. Qui cupidus, etiam quod non opus est, concupiscit. Qui libidinosus, etiam quod legibus vetatur, affectat. Omnis igitur ratio in eo versari debuit, ut quoniam earum rerum impetus inhiberi non potest, nec debet, quia necessario est insitus ad tuenda officia vitæ, dirigeretur potius in viam rectam, ubi etiam cursus offensione ac periculo careat.

CAPUT XVII.

De affectibus ac eorum usu; de patientia et summo bono Christianorum.

Sed evectus sum coarguendi studio longius; cum sit mihi propositum, ea, quæ vitia philosophi putaverunt, ostendere non tantum vitia non esse, verum etiam magnas esse virtutes. Ex aliis docendi gratia sumam, quæ pertinere ad rem maxime puto. Metum, seu timorem in maximo vitio ponunt, summamque imbecillitatem esse animi putant; cui sit contraria fortitudo, quæ si sit in homine, locum timori esse nullum. Creditne ergo aliquis, fieri posse, ut idem metus summa sit fortitudo? Minime. Neque enim videtur capere natura, ut aliquid in contrarium recidat. Atqui ego non arguta aliqua conclusione, ut apud Platonem Socrates facit, qui eos, quos contra disputat, cogit ea, quæ negaverant, confiteri; sed simpliciter ostendam summum metum summam esse virtutem. Nemo dubitat, quin timidi et imbecilli sit animi, aut dolorem metuere, aut egestatem, aut exilium, aut carcerem, aut mortem : quæ omnia quisquis non exhorruerit, fortissimus judicatur. Qui autem Deum metuit, illa universa non metuit. Ad quod probandum argumentis opus non est; spectatæ sunt enim semper, spectanturque adhuc per orbem pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis nova et inusitata tormenta excogitata sunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari; cum immanium bestiarum, ultra ipsam mortem, carnificina sævierit. Has tamen execrabiles corpórum lacerationes felix atque invicta patientia sine ullo gemitu pertulit. Hæc virtus omnibus populis, atque provinciis, et ipsis tortoribus miraculum maximum præbuit; cum patientia crudelitas vinceretur. Atqui hanc virtutem nihil aliud, quam metus Dei fecit. Itaque (ut dicebam) non evellendus, ut Stoici, neque temperandus timor, ut Peripatetici volunt; sed in veram viam dirigendus est, auferendique sunt metus; sed ita, ut hic solus relinquatur, qui quoniam legitimus ac verus est, solus efficit, ut possint cætera omnia non timeri. Cupiditas quoque inter vitia numeratur : sed si hæc

VARIORUM NOTÆ.

Frænos imponi. Ita plerique editi cum omnibus mss. præter Jun. in quo, ut in 4 vulgatis, est fræna imponi. Utraque lectio recepta, vide infra *frænos imponere* cap. 23, paulo ante finem; et cap. 18, post med. *fræna permittere.* Sequor mss. codices.

Possunt. Sic emendavi ex omnibus mss. et multis editis; in nonnullis *possint.* Sed *possunt*, recte. Vide seq. *et maximi possunt.*

Sin vero appetit alienum. Scilicet *torum* de quo supra. 1 Reg., 1 Colb., 1 Lips. et ed. Torn. ac Soubron., *aliena.* — *Appetit aliena. Alienum* in neutro sumas in nostro loco; non enim debet ad torum referri, quia omnem libidinem legibus vetitam, non tantum adulterium proscribit. Bun.

Sed iracundum esse. Habitus ergo vitiosus est : subitus animi motus, præsertim ex justa caussa, vitio caret, juxta illud : *Irascimini, et nolite peccare*, etc. Animadvertis ergo circumstantias ad caussæ defensionem plurimum facere. *Racha* fratri imprecari, peccatum est : sed videmus Apostolos præceptoris sui exemplo sine crimine non semel in iras exarsisse in vitia. Betul.

Aut cum non oportet. In 7 scriptis et 12 vulgatis est, *aut cui.*

Earum rerum impetus. Addidi *rerum*, ex mss. quod in Thys. et Gall. deest.

Careat. Mss. 3 rec. et 5 edit., *caret.*

Summum metum. Summum non in se; est enim cum amore et lætitia conjunctus : sed respectu ejus, qui metuitur, qui utique summus est. Timorem enim Dei intelligit, quem verius *reverentiam* dicas. Cell.

Qui autem Deum metuit, etc. Non ut judicem severum, qui timor servilis a theologis nominatur. Sed timor de quo hic Lactantius, nihil aliud est, quam amor, quo filii boni parentes prosequi solent : quia hic amor timore aliquo permixtus est, tunc reverentia Latinis, sive etiam veneratio dicitur.

Spectatæ sunt enim semper, spectanturque adhuc. Ita omnes prope mss. In 2 Bonon. et Tax. est *semperque spectantur;* in Cauc. et 1 Colb. et 9 editis deest *semper.*

Horret animus recordari. Antiqua elegantia, optimis quibusque solemni. Livius, lib. II, c. 37 : *Horret animus, ne quid inconsulte ac temere fiat.* Plinius, l. VI, epist. 20 : *Animus meminisse horret.* Lact., l. VII, c. 15: *Horret animus dicere.* Buneman.

Immanium bestiarum. Hic intelligit crudelissimos homines tyrannos, aliosque quorum ministerio imperatores in vexandis Christianis utebantur; multoties enim in cineres martyrum sævitum est, ut novo hoc crudelitatis commento omnem Christiano resurgendi spem præciderent. Vide caput 2 libri de Mort. persecut. ubi legere est, *ossa* (martyrum) *in pulverem comminuta in flumen aut mare* projecta fuisse.

Metus Dei. Id est, reverentia vel *metus* hominis ne Deo displiceat.

Auferendi sunt metus. Pluralis nostro frequens. Lib. V, cap. 20; lib. VII cap. 16; Seneca epist. 13 : *Nulli tam perniciosi, tam irrevocabiles, quam lymphatici metus sunt.* Epist. 24 : *Vanos esse inferorum metus.* Bun.

Ut hic solus relinquatur. Sic restitui ex antiq. 2. Bonon., 7 Reg., 4 Colb. aliisque et 3 excusis. 7 Script. rec. et 12 vulgati habent *ut is;* ed. Rom. 1470, *ut his.*

Cupiditas. Est *desiderium;* sic apud Celsum *reverti ℓ cupiditas cibi;* et apud Quintilian. *lucis cupiditas. Cupiditas* non est vitium nisi cum malo adhæret.

Digitized by Google

quæ terrena sunt, concupiscat, vitium est; virtus autem, si cœlestia. Qui enim justitiam, qui Deum, qui vitam perpetuam, qui lucem sempiternam, eaque omnia, quæ Deus homini pollicetur, consequi cupit, opes istas, et honores, et potentatus, et regna ipsa contemnet.

Dicet fortasse Stoicus, voluntate opus esse ad hæc consequenda, non cupiditate : imo vero parum est velle. Multi enim volunt : sed cum dolor visceribus accesserit, voluntas cedit, cupiditas perseverat; quæ si efficit, ut contemptui sint omnia, quæ a cæteris appetuntur, summa virtus est, siquidem continentiæ mater est. Ideoque illud potius efficere debemus, ut affectus, quibus prave uti vitium est, dirigamus in rectum. Nam istæ concitationes animorum juncto currui similes sunt; in quo recte moderando summum rectoris officium est, ut viam noverit : quam si tenebit, quamlibet concitate ierit, non offendet. Si autem aberraverit, licet placide ac leniter eat, aut per confragosa vexabitur, aut per præcipitia labetur, aut certe, quo non est opus, deferetur. Sic currus ille vitæ, qui affectibus, velut equis pernicibus ducitur, si viam rectam teneat, fungetur officio. Metus igitur, et cupiditas, si projiciantur in terram, vitia fient; virtutes autem, si ad divina referantur. Parcimoniam contra virtutis loco habent : quæ si studium est habendi, non potest esse virtus; quia in augendis, vel tuendis terrestribus bonis tota versatur. Nos autem summum bonum non referimus ad corpus; sed omne officium solius animæ conservatione metimur. Quod si (ut supra docui) patrimonio minime parcendum est, ut humanitatem, justitiamque teneamus; non est virtus frugi esse : quod nomen virtutis specie fallit ac decipit. Est enim frugalitas, abstinentia quidem voluptatum : sed eo vitium, quia ex habendi amore descendit; cum sit et voluptatibus abstinendum, et pecuniæ minime temperandum. Nam parce, id est, mediocriter uti pecunia, quasi quædam pusillitas animi est, aut prætimentis, ne sibi desit; aut desperantis, posse se illam reparare; aut contemptum terrestrium non capientis. Sed illi rursus eum, qui rei familiari suæ non parcat, prodigum vocant. Nam ita liberalem distinguunt a prodigo, quod is liberalis sit, qui et bene meritis, et cum oportet, et quantum satis est, largiatur; prodigus vero, qui et non meritis, et cum opus non est, et sine respectu rei familiaris effundat.

Quid ergo? Prodigumne dicemus eum, qui misericordiæ causa tribuat egentibus victum? Atqui multum refert utrumne scortis propter libidinem largiare, an miseris propter humanitatem : utrum pecuniam tuam perductores, aleatores, lenonesque diripiant; an illam pietati ac Deo præstes : utrumne illam ventri ac gulæ ingeras, an in thesauro justitiæ reponas. Ut ergo vitium est, effundere in malam partem : sic in bonam, virtus. Si virtus est, non parcere opibus, quæ possunt reparari, ut hominis vitam sustentes, quæ reparari non potest; vitium igitur parcimonia est. Quare nihil aliud dixerim, quam insanos, qui hominem, mite ac sociale animal, orbant suo nomine; qui evulsis affectibus, quibus omnis constat humanitas, ad immobilem stuporem mentis perducere volunt; dum student animum perturbationibus liberare, et (ut ipsi dicunt) quietum tranquillumque reddere. Quod fieri non tantum non potest, quia vis et ratio ejus in motu est; sed ne oportet quidem. Quia sicut aqua semper jacens et quieta insalubris et magis turbida est : sic animus immotus ac torpens inutilis est etiam sibi; nec vitam ipsam tueri poterit, quia nec faciet quidquam, nec cogitabit : cum cogi-

VARIORUM NOTÆ.

Potentatus. Rarius verbum; nec tamen ideo minus Latinum. Cæsar Bell. Gallic., lib. I, cap. 31 : *Hi cum tantopere de potentatu inter se multos annos contenderent.* Et Livius, l. VI, c. 38 : *Æmulo potentatus inimicus.*

Parum est velle. Eleganter exprimit illa Ovidii l. III, de Ponto I, 55 :

Velle parum est; cupias, *ut re potiaris, oportet.*

Adde not. ad Lact. VI, c. 15 : *præstabilius bonum* cupere, *quam* velle. BUN.

Quamlibet concitate ierit. 1 Reg. vet., 1 Colb. et 7 edd. *licet quam concitate ierit.*

Per confragosa. Supra cap. 7 et 3, *viam confragosam.* Id est, *asperam.*

Sic currus ille vitæ. Ita meliores mss. Vide supra *currui;* et hic, *equis pernicibus ducitur.* Alii, *cursus.*

Animæ conservatione. Mss. 2 Colb. et edit. Rom. 1740, *conversatione.*

Est enim frugalitas, etc. Sunt qui σωφροσύνην græce dictam putant : quam tamen Cicero tum temperantiam, tum moderationem solet appellare, nonnunquam etiam modestiam. Certe frugalitatis apud Lactantium definitio congruit cum ea, qua Græci τὴν σωφροσύνην definiunt. BETUL.

Prætimentis. Sic restitui ex 4 editis et mss. 8 Reg., 3 Colbert. aliisque plurimis. Quod verbum est Plauto usitatum in Prologo Amphitr. V, 29. Scripti 7 rec. cum pluribus editis habent *pertimentis.*

Rursus. Mss. 2 Reg. rec. Brun. et ed. Betul., *prorsus.*

Qui et bene meritis. Sic lego cum mss. 10 Reg., 2 Bonon., 5 Colbert. aliisque pluribus, et cum 7 editis. Scripti Cauc., Pen., Jun., Lips., Pal., 1 Colb. et 8 vulgati interponunt *cibum :* quæ vox addita videtur.

Perductores. Ita restitui ex mss. 10 Reg., 3 Colb., 2 Clarom., Brun. et 11 editis. In 2 Colb. et in quibusdam excusis est *productores.* Vox *perductores* extat apud Ciceronem in in Verrem de Præt. urb. cap. 12 : *Lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat.* Ubi Asconius Pedianus : *Lenones sunt scortorum; perductores etiam invitarum personarum, et in quibus stupra exercita legibus vindicantur.* Tertullianus, Apolog. cap. 43 : *Lenones, perductores, aquarioli. Ex* WALCH.

Ad immobilem stuporem. Ven. 1471, et Rost. *ad mobilem stuporem*, perperam. Vid. infra. *Stupor immobilis :* est idem, qui de Ira, c. 17, *Stupor insensibilis*, ubi paulo ante dixit : *Deum faciunt immobilem*, id est, insensibilem. BUN.

Animum perturbationibus liberare. Ita mss. omnes. In cunctis fere editis legitur, *a perturbationibus.*

Sicut aqua, etc. Similitudines satis probabiles. Plin. lib. XXXI, cap. 3. Quæritur inter medicos, cujus generis aquæ sint utilissimæ. Stagnantes pigrasque merito damnant, utiliores quæ profluunt existimantes. Et Varro de Re rustica aquam vivam cæteris præfert, lib. I, cap. 1 BETUL.

Digitized by Google

tatio ipsa nihil aliud sit, quam mentis agitatio. Denique qui hanc immobilitatem animi asserunt, privare animum vita volunt: quia vita actuosa est, mors quieta. Quædam etiam recte pro virtutibus habent: sed earum modum non tenent.

Virtus est constantia: non ut inferentibus injuriam resistamus, his enim cedendum est; quod cur fieri debeat, mox docebo: sed ut jubentibus facere nos contra Dei legem contraque justitiam, nullis minis, aut suppliciis terreamur, quominus Dei jussionem hominis jussioni præferamus. Item virtus est, mortem contemnere: non ut appetamus, eamque ultro nobis inferamus, sicut philosophorum plurimi et maximi sæpe fecerunt; quod est sceleratum ac nefarium: sed ut coacti Deum relinquere, ac fidem prodere, mortem suscipere malimus, libertatemque defendamus adversus impotentium stultam vecordemque violentiam, et omnes sæculi minas atque terrores fortitudine animi provocemus. Sic ea, quæ alii timent, excelsa et insuperabili mente dolorem mortemque calcamus. Hæc est virtus, hæc vera constantia, in hoc tuenda et conservanda solo, ut nullus nos terror, nulla vis a Deo possit avertere. Vera igitur Ciceronis illa sententia est: « Nemo, inquit, justus potest esse, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet. » Item Senecæ in libris moralis Philosophiæ dicentis: « Hic est ille homo honestus, non apice, purpurave, non lictorum insignis ministerio, sed nulla re minor, qui cum mortem in vicinia videt, non sic perturbatur, tanquam rem novam viderit; qui, sive toto corpore tormenta patienda sunt, sive flamma ore rapienda est, sive extendendæ per patibulum manus, non quærit quid patiatur, sed quam bene. » Qui autem Deum colit, hæc patitur, nec timet. Ergo justus est. His rebus efficitur, ut neque virtutes, neque virtutum exactissimos limites nosse aut tenere possit omnino, quisquis est a Religione Dei singularis alienus.

CAPUT XVIII.

De quibusdam Dei mandatis et patientia.

Sed omittamus philosophos, qui aut omnino nihil sciunt, idque ipsum pro summa scientia præferunt; aut qui non perspiciunt etiam quæ sciunt; aut qui, quoniam se putant scire quæ nesciunt, inepte arroganterque desipiunt. Nos ergo (ut ad propositum revertamur) quibus solis a Deo veritas revelata, et cœlitus missa sapientia est, faciamus quæ jubet illuminator noster Deus: sustineamus invicem, et labores hujus vitæ mutuis adjumentis perferamus: nec tamen, si quid boni operis fecerimus, gloriam captemus ex eo. Monet enim Deus, operatorem justitiæ non oportere esse jactantem; ne non tam mandatis cœlestibus obsequendi, quam studio placendi, humanitatis officio functus esse videatur; habeatque jam pretium gloriæ, quod captavit; nec præmium cœlestis illius ac divinæ mercedis accipiat. Cætera, quæ observare cultor Dei debet, facilia sunt, illis virtutibus comprehensis; ut non mentiatur unquam decipiendi aut nocendi causa. Est enim nefas, eum, qui veritati studeat, in aliqua re esse fallacem; atque ab ipsa, quam sequitur, veritate discedere. In hâc justitiæ virtutumque omnium via, nullus mendacio locus est. Itaque viator ille verus ac justus non dicet illud Lucilianum:

Homini amico ac familiari non est mentiri meum,

sed etiam inimico atque ignoto existimabit non esse mentiri suum; nec aliquando committet, ut lingua, interpres animi, a sensu et cogitatione discordet. Pecuniam si quam crediderit, non accipiet usuram,

VARIORUM NOTÆ.

Mentis agitatio. Mens, ut ait Thales, est substantia quæ semper, et ex se ipsa movetur; id est Deo motus principium dante.

Immobilitatem animi. Mss. Cant. et 5 edd. vet. *immutabilitatem.*

Et omnes. ms. Cant. et 9 edit. *ut:* quæ particula mox præcessit.

Hæc vera constantia. Mss. 2 Reg. rec. Jun., 2 Colbert. Brun., *Hæc est vera constantia.*

Ciceronis, etc. Ab auctoritate. Eodem modo idem Cicero in III Offic. cap. 8, ait *detrahere alteri sui commodi causa magis esse contra naturam, quam mortem, quam dolorem, quam cætera.* Senecæ nullus liber hoc titulo extat: periit procul dubio.

Flamma ore rapienda est. Sic ferunt edd. Rom. 1470, et Cellar. cunctique mss. præter 1 Reg. in quo, sicut in multis editis, legitur *recipienda est.*

Hæc patitur. Pierr., Parrh., Ald., Crat., Gymn.: *Nec patitur*, perperam. Rectius mss. et Rost., Ven. 1471, 97, Paris., Fasit. Gryph., reliqui, *Hæc patitur.* Reimm. *Hoc patitur.* Bun.

Ergo justus est. Ex mss. vetustissimo Regio-Put., 5 al. Reg., 4 Colb. aliisque 5 et edit. 3 addidi *est*, quod necessarium videtur.

Nihil sciunt. Academicos intelligit.

Pro summa scientia. Redolent hæc stylum Lactantii; ita enim de Ira, cap. 1: *Ut id ipsum*, pro summa doctrina *profiteretur, quod nihil scire didicisset. Pro summa scientia*, idem est ac, *tanquam summam scientiam*, quod nostro solemne e. g., lib. III, cap. 3: *Sapientiam pro summa stultitia computat.* Bun.

Præferunt. Ita restitui ex mss. antiquissimis 2 Bon., Canc., 8 Reg., 5 Colb., 3 Lips. et 8 aliis. Scripti 2 Reg. rec. ac editi 12. *præ se ferunt:* quod idem valet.

Perspiciunt. Mss. 2 Reg. rec. *prospiciunt.* 2 Bonon., 3 Reg., Jun., Tax., 1 Colb., 2 Clarom. et 4 edit., *percipiunt.*

Comprehensis; ut, Non mentiatur. Ita distinxi. *Ut* enim h. l. idem est quod *exempli gratia*, si genuinum est. Bun.

Nullus mendacio locus est. Apage itaque officiosum mendacium homine Christiano indignum. Vide Augustinum, lib. de Mendacio, et contra Mendacium; nec non Jonam Aurelianensem episcopum, lib. II de Institutione laicali, cap. 27.

Accipiet. Buneman. legit *Accipiat*, suamque sic confirmat lectionem: — « *Legendum*, inquit Heumannus, *accipiet*, quia præcessit, *dicet, existimabit, committet.* At nihil mutandum: ea, quæ cultori Dei dicit observanda, effert in præsenti conjunctivi; quæ cum illustrat, variat in temporibus. Præcepta talia sunt: *Non mentiatur*, supra: *Non accipiat usuram*, inf. *Munus non accipiat a paupere*, ibid. *Male dicenti benedicto respondeat*, ibid. *Caveat ne... inimicum faciat*, ibid. *Innocentiam... custodiat*, etc. Bun. — *Pecuniam si quam crediderit, non accipiet usuram.* Sic lego cum mss. 9 Reg. quorum duo sunt veterrimi, 2 Bonon., 5 Colb., Jun., multisque aliis. Eodem

Digitized by Google

ut et beneficium sit incolume, quod succurrit necessitati, et abstineat se prorsus alieno. In hoc enim genere officii debet suo esse contentus, quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat; plus autem accipere, quam dederit, injustum est. Quod qui facit, insidiatur quodammodo, ut ex alterius necessitate prædetur.

At justus nunquam prætermittet quominus aliquid misericorditer faciat; nec inquinabit se hujusmodi quæstu: sed efficiet, ut sine ullo suo damno, id ipsum, quod commodat, inter bona opera numeretur. Munus non accipiat a paupere; ut si quid ipse præstiterit, eo bonum sit, quo fuerit gratuitum. Maledicenti benedicto respondeat: numquam ipse maledicat; ne verbum malum procedat ex ore hominis, qui colit Verbum bonum. Quin etiam caveat diligenter, ne quando inimicum sua culpa faciat; et si quis extiterit tam protervus, qui bono et justo faciat injuriam, clementer ac moderate ferat, et ultionem suam sibi non assumat, sed judici Deo reservet. Innocentiam semper et ubique custodiat. Quod præceptum non ad hoc tantum valet, ut ipse injuriam non inferat: sed ut illatam sibi non vindicet. Sedet enim maximus et æquissimus judex, speculator ac testis omnium. Hunc homini præferat; hunc malit de causa sua pronuntiare, cujus sententiam nemo effugere potest, nec defensione cujusquam, nec gratia. Ita fit, ut homo justus contemptui sit omnibus; et A quia putabitur semetipsum defendere non posse, habebitur pro segni et inerte. Qui autem fuerit ultus inimicum, hic fortis, hic strenuus judicatur: hunc colunt, hunc omnes verentur. Bonus vero ille tametsi prodesse pluribus possit, illum tamen suspiciunt, qui nocere, quam qui prodesse possit. Sed justum pravitas hominum depravare non poterit, quominus Deo studeat obtemperare; malitque contemni, dummodo semper boni fungatur officio, mali nunquam. Cicero in iisdem illis Officialibus: « At vero si quis voluerit, inquit, animi sui complicitam notionem evolvere, jam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus injuria. »

O quam simplicem veramque sententiam duorum verborum adjectione corrupit! Quid enim opus fue- B rat adjungere, nisi lacessitus injuria? ut vitium bono viro quasi caudam turpissimam apponeret; patientiæque, quæ omnium virtutum maxima est, faceret expertem. Nociturum esse dixit bonum virum, si fuerit lacessitus: jam ex hoc ipso boni viri nomen amittat necesse est, si nocebit. Non minus enim mali est, referre injuriam, quam inferre. Nam unde certamina inter homines, unde pugnæ contentionesque nascuntur, nisi quod improbitati opposita impatientia magnas sæpe concitat tempestates? Quod si patientiam, qua virtute nihil verius, nihil homine dignius inveniri potest, improbitati opposueris, extinguetur protinus, tanquam igni aquam superfu-

VARIORUM NOTÆ.

loquendi modo usum fuisse Lactantium aliosque auc- C tores puto me vidisse, saltem in Vulgata Psalm. CXVII, v. 22: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli;* et Joan. XIV, 24: *Sermonem quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me Patris.* In 1 Reg. rec. et 3 aliis est *pecuniæ;* in Ultr. et Brun., *pecuniæque.* In Goth. et Lips. *pecuniam si qui crediderit: si qui,* est pro *si quis* ut in mss. Ciceronis sæpe legitur. Scripti 11 habent *accipiat.* Sed mox præcessit *dicet, existimabit, committet;* et sequitur, *prætermittet, inquinabit, efficiet.* Quoad usuram ex hoc loco et lib. I, cap. 15, a Gallæo intellectam, consule si lubet librum gallice Parisiis editum an. 1677, cui titulus est: *Défense des sentiments de Lactance sur le sujet de l'Usure.* Vide et Levitici capite XXV, Deuteron. XXIII, Psalm. IV, et Ezechiel. cap. XVIII.

Quod succurrit. Sic restitui ex omnibus mss. et quamplurimis editis. Vulgati 5 habent, *succurrat.*

Accipiat. Ita complures mss. et 9 editi, et sequentia illud postulant. Scripti Cauc., Jun., 1 Colb. et 6 impressi ferunt *accipiet.* De muneribus non suscipiendis lege Exod. XXIII, Proverb. XV, Deuteron. XVI, Luc. VI, ad Romanos XV.

Respondeat. Vide Matth. V, Lucæ VI, et ad Roman. XII.

Ne verbum malum. Ita cum omnibus mss. edit. vet. Rom. et Cellar. Cæteri vulgati, *nec.*

Qui colit Verbum bonum. Id est, Jesum Dei Filium, qui est Verbum Patris.

Et ultionem suam sibi non assumat. Pronomen *suam,* quod abest a mss. 1 Bon. antiq. et 4 editis, addidi ex cæteris.

Judici Deo reservet. Sic lego cum 2 Reg. antiquissimis, quod præstantius est, quam *judicio Dei reservet,* in cæteris tam mss. quam editis, præter 1 Bonon. antiq. et 5 edit. in quibus est *servet.* De non ulciscendo, vide Deuteron. cap. XXXII, et ad Hebræos cap. X, Roman. XII.

Speculator ac testis omnium. Sequitur Minucium cap. 32: *Quanto magis Deus auctor omnium ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum,* etc. Plura talia Lact. l. II, c. 16; l. VI, c. 24: *Scit ille omnia... putemus... desuper specturi ab eo qui et judex, et testis ipse futurus est,* etc. De Ira c. 8. Bun.

Pro segni et inerte. Ita ferunt mss. Regio-Put., 4 al. Reg., 5 Colbert., 3 Lips. aliique, et sic infra. In 3 Reg., 1 Colb. et 16 excusis est *inerti.*

Tametsi prodesse pluribus possit. Sic reposui ex omnibus prope mss. et editis Cellar. et Walch. expunctis *omnibus vel,* quæ non extant nisi in margine unius ms. Colb. et in 10 editis. *Pluribus* vero deest etiam in 4 Reg. quorum unus est antiquissimus, in 1 Colb. et Brun.

Officialibus. Mss. duo rec. et 15 impressi addunt *libris,* quæ vox deest in cæteris; neque necessaria est, siquidem supra ante finem capitis 17, præcessit sententia Ciceronis, petita ex secundo libro de Offi- D ciis.

Nisi lacessitus injuria. Post hæc verba sequitur hæc sententia in mss. Lat. *Ubi male adjecit Tullius, non lacessitus injuria.*

Caudam turpissimam. Forte nonnulli præ castitate noluerunt *caudam* nominare, ut Lact. l. I, cap. 17, et Epit., c. 9; *Semen* in mss. omiserunt. Reliqui et Fasit., Gryph. legunt recte *caudam.* Bun.

Quod si patientiam. Sic emendavi ex omnibus mss. et pluribus editis: in nonnullis est, *sapientiam.* Certa emendatio. Vide præced. et seqq.

Tanquam. Mss. 1 Reg. rec. et 1 Colb. novemque edit. perperam addunt *si,* quod a cæteris abest, et merito. Infra cap. 19 initio, *tanquam nemo possit adversus hostes fortiter dimicare.* — *Tanquam igni.* Cicero quoque improbitatem cum incendio comparat l. I, in Verrem c. 58: *Communi præsidio talis improbitas tanquam aliquod incendium restinguenda est.*

Buneman.

Digitized by Google

deris. Sin autem provocatrix illa improbitas impatientiam sibi comparem nacta est, tanquam perfusa oleo, tantum excitabit incendium, ut id non flumen aliquod, sed effusio cruoris extinguat. Magna itaque patientiæ ratio est, quam sapiens homo ademit bono viro. Ut enim nihil malorum fiat, hæc sola efficit: quæ si detur omnibus, nullum scelus, nulla fraus in rebus humanis erit. Quid igitur bono viro potest esse tam calamitosum, tamque contrarium, quam iræ fræna permittere; quæ illum non modo boni, sed etiam hominis appellatione dispoliet? Siquidem nocere alteri, ut ipse verissime ait, non est secundum hominis naturam. Nam et pecudes si lacessas, aut calce aut cornu repugnant; et serpentes ac feræ, nisi persequaris ut occidas, negotium non exhibent; et (ut ad hominum exempla redeamus) imperiti quoque et insipientes, si quando accipiunt injuriam, cæco et irrationabili furore ducuntur, et iis, qui sibi nocent, vicem retribuere conantur. In quo igitur sapiens ac bonus vir a malis et insipientibus differt; nisi quod habet invictam patientiam, qua stulti carent; nisi quod regere se ac mitigare iram suam novit, quam illi, quia virtute indigent, refrænare non possunt? Sed videlicet hæc illum res fefellit, quod cum de virtute loqueretur, in quacumque contentione vinceret, putavit esse virtutis; nec videre ullo modo potuit hominem dolori et iræ succumbentem, et iis affectibus indulgentem, quibus debet potius reluctari, et ruentem quacumque improbitas provocarit, virtutis officium non tenere. Qui enim referre injuriam nititur, eum ipsum, a quo læsus est, gestit imitari. Ita qui malum imitatur, bonus esse nullo pacto potest.

Duobus igitur verbis duas virtutes maximas bono et sapienti viro, innocentiam patientiamque detraxit. Sed quia ipse caninam illam facundiam (sicut Sallustius ab Appio dictum refert) exercuit, voluit quoque hominem canino modo vivere, ut remordeat lacessitus. Quæ retributio contumeliæ quam perniciosa sit et quas edere soleat strages, unde opportunius petetur exemplum, quam ex ipsius præceptoris tristissimo casu; qui dum his philosophorum præceptis obtemperare gestit, ipse se perdidit? Quod si lacessitus injuria patientiam tenuisset; si dissimulare, si ferre contumeliam boni viri esse didicisset; nec illas nobiles orationes alieno titulo inscriptas, impatientia, et levitas, et insania profudisset: nunquam capite suo rostra, in quibus ante floruerat, cruentasset; nec rempublicam funditus proscriptio illa delesset. Sapientis ergo ac boni viri non est velle certare, ac se periculo committere: quoniam et vincere non est in nostra potestate, et est anceps omne certamen: sed est sapientis atque optimi viri, non adversarium velle tollere; quod fieri sine scelere ac periculo non potest: sed certamen ipsum, quod fieri et utiliter, et juste potest. Summa igitur virtus habenda patientia est: quam ut caperet homo justus, voluit illum Deus (ut supra dictum est) pro inerte contemni. Nisi enim contumeliis fuerit affectus, quantum habeat fortitudinis in seipso cohibendo, ignorabitur. Si autem lacessitus injuria lædentem persequi cœperit, victus est. Si vero motum illum ratione compresserit, hic plane imperat sibi; hic regere se potest. Quæ sustentatio sui, recte patientia nominatur: quæ una virtus omnibus est opposita vitiis et affectibus. Hæc perturbatum ac fluctuantem animum ad tranquillitatem suam revocat: hæc mitigat, hæc hominem sibi reddit.

Ergo quoniam naturæ repugnare impossibile est et inutile, ut non commoveamur omnino; prius tamen, quam commotio illa prosiliat ad nocendum, quoad fieri potest, maturius sopiatur. Præcepit Deus

VARIORUM NOTÆ.

Comparem. Improbitas et impatientia hic ut *par* gladiatorum componuntur. Vid. l. VI, c. 20 et de Opif. c. 19, in notis: *Nisi fuerit* compar aliquis. BUNEMAN.

Quid igitur. Mss. 5 rec. et 20 edit. *Quid ergo.* 1 Bonon. antiq. Cauc., 1 Colb., pro *igitur*, habent *enim*, quod mox præcessit. Cæteri maximo numero ut in textu.

Quod cum de virtute. Reposui *quod* ex cunctis fere mss. In 3 rec. et in editis legitur *quia.*

Loqueretur. Sic restitui ex mss. 1 Bonon. et 1 Reg. antiquissimis, 2 al. Reg. rec. quorum unus est optimæ notæ, Lips., Pal., 1 Colbert. Marm. a prima manu. Scripti 8 et 10, editi habent *quæreretur;* 11 mss. rec. et 7 vulgati, *quæritur.*

Et ruentem quacumque improbitas provocarit. Ita mss. ferme omnes. Brun. *provocaverit.* Subaudiendum *parte*, quod ex glossa forsan. mss. 2 Reg. rec. Cantabrig. et edit. 3 vet. Rom. receperunt, *quacumque in parte*, referentes, et 1 Colb. in marg. In vulgatis 8 est *quamcumque in partem.* Explica (inquit Walchius) *et* per *etiam;* sensus carebit obscuritate.

Caninam... facundiam. Plures ad hoc Appii dictum provocant de quo uberius Wasse ad Sallust. Frag. l. VI, c. 11, p. 88. Omnes prætermiserunt locum Hieronymi Lactantiano proximum in epist. ad Rusticum Mon. f. 47: *Procedunt in publicum, ut caninam exerceant facundiam.* Isidorus, l. III de Summo Bono, c. 60: *Antiqui forensem eloquentiam* caninam facundiam *nuncupabant, eo quod causidici in certaminibus causarum omissis quæ agunt, veluti canes alterutrum se latrant,* jurgiaque causarum ad injurias *suas commutant.* BUN.

Refert. Apud Nonium in Rabula. Quintilian., l. XII, cap. 9.

Canino modo. Mss. 3 rec. *canino more.*

Petetur exemplum. Mss. 3 rec. et 3 edd. *Peteretur.*

Præceptoris. In 1 Reg. et in editis est *doctoris*, id est, Ciceronis ipsius morte.

Quod si lacessitus. Mss. Jun. et 5 edd. *Qui.*

Orationes alieno titulo inscriptas. Philippicarum, quas ad imitationem Demosthenis hoc modo inscripsit. Historiam lege apud Plut. in Vita Cicer. et Antonii: apud Appianum lib. IV Bellorum Civilium. Vix potest excusari Cicero, qui illatam sibi ab Antonio potius, quam publicam injuriam tam acriter vindicavit.

Quam ut caperet homo justus. Ita restitui ex mss. antiquissimis 1 Bonon., 2 Reg. aliisque 18 ac 7 vet. editis: id est, quam ut posset continere homo justus. Scripti 10 totidemque vulgati legunt, *qua ut non careret homo justus.*

Victus est. 1 Clarom. *victus erit;* Jun. *virtus non est;* 1 Bonon. antiquior, *virtus nulla est.* Cæteri ut in textu.

Imperat sibi. 1 Reg. rec. et 12 editi addunt conjunctionem *et*, quam respuunt cæteri ut superfluam. Idem in fine, cap. 19, *hic patiens, hic fortis, hic justus est.*

Digitized by Google

non occidere Solem super iram nostram, ne furoris nostri testis abscedat. Denique Marcus Tullius contra suum præceptum, de quo paulo ante dixi, oblivionem injuriarum in magnis laudibus posuit. « Spero, inquit, Cæsar, qui oblivisci nihil soles, nisi injurias. » Quod si hoc ille faciebat, homo non a cœlesti tantum, sed a publica quoque civilique justitia remotissimus; quanto magis id nos facere debemus, qui immortalitatis velut candidati sumus?

CAPUT XIX.

De affectibus eorumque usu, atque de tribus furiis.

Stoicis, cum affectus ex homine, tanquam morbos, conantur evellere, Peripatetici se opponunt; eosque non modo retinent, sed etiam defendunt; nihilque in homine esse dicunt, quod non magna ratione ac providentia sit innatum. Recte id quidem, si singularum rerum veros terminos scirent. Itaque hanc ipsam iram, cotem dicunt esse virtutis, tanquam nemo possit adversus hostes fortiter dimicare, nisi fuerit ira concitatus. Quo plane ostendunt, nec quid sit virtus scire se, nec cur homini tribuerit iram Deus. Quæ si nobis ideo data est, ut ea utamur ad occidendos homines, quid immanius homine? quid similius feris belluis existimandum est, quam id animal, quod ad communionem et innocentiam Deus fecit? Tres sunt igitur affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agant; ira, cupiditas, libido. Propterea poetæ tres Furias esse dixerunt, quæ mentes hominum exagitent: ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates. Sed his omnibus Deus certos limites statuit: quos si transcenderint, majoresque esse cœperint, necesse est naturam suam depravent, et in morbos ac vitia vertantur. Qui autem sint isti limites, non est magni laboris ostendere.

Cupiditas ad ea comparanda nobis data est, quæ sunt ad vitam necessaria; libido, ad sobolem propagandam; iræ affectus, ad coercenda peccata eorum, qui sunt in nostra potestate, id est, ut arctiore disciplina minor ætas ad probitatem justitiamque formetur: quæ nisi metu cohibeatur, licentia pariet audaciam, quæ ad omne flagitium et facinus evadet. Itaque ut ira uti adversus minores et justum est, et necessarium: sic et adversus pares et perniciosum est, et impium. Impium, quod violatur humanitas; perniciosum, quod, illis repugnantibus, aut perdere necesse est, aut perire. Hanc autem quam dixi esse rationem, cur homini sit iræ affectus datus, ex ipsius Dei præceptis intelligi potest, qui jubet uti maledicis et lædentibus non irascamur; manus autem nostras supra minores semper habeamus; hoc est, ut peccantes eos assiduis verberibus corrigamus; ne amore inutili et indulgentia nimia educentur ad malum, et ad vitia nutriantur. Sed rerum imperiti et

VARIORUM NOTÆ.

Immortalitatis velut candidati sumus. Sic emendavi ex 12 mss. et 4 editis. Ita legunt veteres editiones XV sæculi, quod etiam probat Thomasius ex veter. mss. Gallæus in editione sua rescripsit, *immortalitatis velamine canditati;* et sic habent mss. 2 Reg. rec., 1 Colb. a secunda manu, Jun. et Cantabrig. ac nonnulli recentiores editi. In mss. 1 Colb., Nav., Marm. et Victor., *immortalitatis velo canditati.* At optimi et antiqui codices mss. 4 Reg., 1 Bon., Tax., Cauc., Pal., Brun., Emmanuel., 1 Colbert. a prima manu, ed. Betul., Is., Spark., Walch., *immortalitatis velut candidati sumus.* Recte; faventibus mss. 5 Reg., Gat., Tornes., 1 Sorbon., 2 Clarom., Cott., Bodl. qui habent *immortalitate velut candidati sumus*; 1 Bon. antiq. *immortalitate candidati sumus.* Et profecto *candidatos immortalitatis* dixit Lactantius eodem sensu, quo Cyprianus virgines *integritatis et pudoris candidatas*, quo Tertullianus profligatæ conscientiæ homines *candidatos diaboli* vocat, sumpta a Romanorum more similitudine, apud quos alba toga induti procedebant, qui magistratus officium ambiebant, et sic induti ad comitia veniebant, et in colle considebant, ut ab omnibus possent videri. Candidatos igitur immortalitatis appellat Christianos; quemadmodum candidati consulatus vel præturæ dicebantur, ii qui consulatum vel præturam petebant. Hoc cum non intelligerent scribæ quidam amanuenses, ex illa vocula *velut*, fecerunt velamine, quod plane ineptum est, juxta Thomasium.

Stoicis. Veteres editiones XV sæculi habent *Stoici.*

Recte id quidem. Ita mss. et edd. Francius mallet, *Recte ii quidem.* Verum in hoc capite improbat Lactantius Peripateticorum doctrinam, qui affectus in homine tanquam necessarios esse contendebant. Lactantii doctrina toto in hoc capite apprime congruit cum catholica veritate.

Cotem dicunt esse virtutis. Hæc lectio est manuscriptorum 1 Regio-Put., 4 Colb., Jun., Ultr., Nav., Vict., Marm., 2 Lips., Em., Brun. et codicis quo usus est Janus Guilielmi et 4 editorum. Et recte. Haud dubie enim auctor noster expressit illud Ciceronis Academic. Quæst. lib. IV, cap. 44: *Iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant*, puta veteris Academiæ sectatores. 1 Reg. antiq., 2 Colbert., 1 Sorb., Gat., Cant., ed. 2 vet., Rom., Veneta 1490, Fasit., Thys. legunt *comitem.* Longius abeunt Ald., Parrhas. et 9 al. edit., *fomitem* præferentes.

Quæ si nobis ideo data est. Reprehendit caussam finalem, quæ novam gignit quæstionem, utrum Christiano bella gerere liceat: quam suspensam in medio brevitatis causa relinquimus; homo enim animal est paci natum. Videtur autem Lactantius hic ea reprehendere, quæ sunt apud Aristotelem in III Moralium, cap. 7. BETULEIUS.

Agant. Sic reposui ex antiq. mss. Regio-Put., Cauc., Jun. aliisque septem, ac 5 editis vet. In 12 scriptis et 14 vulgatis est *agunt;* in 1 Brun. *faciunt.*

Dixerunt. Orph. in hymn. Eumenid., Virgil. lib. XII Æn.

Exagitent. Ita restitutum ex cunctis ferme mss. et editis, ut supra *agant.* Sic etiam editiones sæculi decimi quinti. Mss. 2 Reg. rec., 2 Colb., 1 Clarom. cum 5 excusis *exagitant;* alter Clarom. *agitant.*

Libido, ad sobolem propagandam. De Ira c. 18: *Libidinem producendæ sobolis gratia dedit.* Epit. c. 61: *Libidinis affectus ad procreandos liberos insitus et innatus est:* inde cognoscas copiam. Isæus legit, *libido ad sobolem procreandam.* Non male quidem; nam ita dixit l. VII, c. 5: *Procreare sobolem:* at libri omnes, *ad sobolem propagandam;* ut noster dixit, l. I, c. 8. BUR.

Id est. Restitui ex omnibus mss. et 8 editis.

Maledicis. Matth. IX. Sic emendavi ex antiquissimis mss. Regio-Put., Cauc. et 16 aliis, ac 9 editis, cum antea esset *maledictis*, mendose, in 8 scriptis rec. et 15 impressis. In 1 Bonon. et 3 Reg. pro *maledicis* est *inimicis;* idque dictum est juxta Christi Domini præceptum de inimicis diligendis.

Digitized by Google

rationis ignari, eos affectus, qui sunt homini ad usus bonos dati, exterminaverunt; et latius, quam ratio postulat, evagantur. Inde injuste atque impie vivitur. Utuntur ira contra pares : hinc dissidia, hinc expulsiones, hinc bella contra justitiam nata sunt. Utuntur cupiditate ad congerendas opes : hinc fraudes, hinc latrocinia, hinc omnia scelerum genera exorta sunt. Utuntur libidine ad capiendas tantum voluptates : hinc stupra, hinc adulteria, hinc corruptelæ omnes extiterunt. Quicumque igitur illos affectus intra fines suos redegerit (quod ignorantes Deum facere non possunt) hic patiens, hic fortis, hic justus est.

CAPUT XX.

De sensibus et eorum voluptatibus brutorum et hominis; atque de oculorum voluptate et spectaculis.

Restat ut contra quinque sensuum voluptates dicam breviter; nam et ipsius libri mensura jam modum flagitat : quæ omnes, quoniam vitiosæ ac mortiferæ sunt, virtute superari atque opprimi debent; vel (quod paulo ante dicebam de affectibus) ad rationem suam revocari. Cæteræ animantes præter unam voluptatem, quæ ad generandum pertinet, nullam sentiunt. Utuntur ergo sensibus ad naturæ suæ necessitatem : vident, ut appetant ea, quibus opus est ad vitam tuendam : audiunt invicem, seque dignoscunt, ut possint congregari. Quæ utilia sunt ad victum, aut ex odore inveniunt, aut ex sapore percipiunt; inutilia respuunt, aut recusant. Edendi ac bibendi officium ventris plenitudine metiuntur. Homini vero solertissimi artificis providentia dedit voluptatem infinitam, et in vitium cadentem; quia proposuit ei virtutem, quæ cum voluptate semper, tanquam cum domestico hoste pugnaret. Cicero in Catone majore : « Stupra vero, inquit, et adulteria, et omne flagitium nullis excitari aliis illecebris, nisi voluptatis. Cumque homini sive natura, sive quis Deus nihil mente præstabilius dedisset, huic divino muneri ac dono nihil tam inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante, temperantiæ locum esse; neque in voluptatis regno virtutem posse consistere : » sed e contrario Deus idcirco virtutem dedit, ut expugnaret ac vinceret voluptatem; eamque egredientem fines sibi datos intra præscriptum coerceret, ne hominem suavitatibus delinitum atque captum ditioni suæ subjiceret, ac sempiterna morte multaret.

Voluptas oculorum varia et multiplex est, quæ capitur ex aspectu rerum quæ sunt in usu hominum, vel natura, vel opere delectabiles. Hanc philosophi rectissime sustulerunt. Aiunt enim multo esse præclarius et homine dignius, cœlum potius, quam cælata intueri : et hoc pulcherrimum opus intermicantibus astrorum luminibus, tanquam floribus adornatum, quam picta, et ficta, et gemmis distincta mirari. Sed cum diserte ad contemptum terrestrium nos exhortati sunt, et ad cœli spectaculum excitaverunt, tamen spectacula hæc publica non contemnunt. Itaque his et delectantur, et libenter intersunt. Quæ, quoniam maxima sunt irritamenta vitiorum, et ad corrumpendos animos potentissime valent, tollenda sunt nobis, quia non modo ad beatam vitam nihil conferunt, sed etiam nocent plurimum. Nam qui hominem, quamvis ob merita damnatum, in conspectu suo jugulari pro voluptate computat, conscientiam suam polluit, tam scilicet, quam si

VARIORUM NOTÆ.

Exterminaverunt. Id est, extra terminos miserunt. Novo quidem sensu *exterminare*, pro *extra terminos suos mittere*. Hinc Nonius, *exterminatus*, inquit, *est extra terminos missus.*

Utuntur ira. Mss. 1 Bon. antiq. interponit *impie*, quod mox præcessit, nec est in sequentibus membris.

Congerendas. Sic editiones decimi quinti sæculi. Vulgares editi habent *congregandas*, alii *cogendas.*

Exorta sunt. Cum editis Torn. Soubron. et Cellar. sic ferunt mss. omnes præter 1 Reg. rec. in quo, ut in excusis, legitur *orta sunt.*

Corruptelæ. Id est, vitiationes Virginum; quo sensu eadem vox apud Ciceron. lib. 1 de Divinatione, cap. 53, et Sueton. in Claudio, capite 16.

Contra quinque sensuum voluptates. Mss. 2 Vatic. habent, *contra quinque sensuum corporis voluptates*; 1 Bon. antiq., *contra iniquos sensus voluptatis.* Magis tamen Thomasio placet *contra iniquos sensus voluptatis* vel *voluptatum* : « Nimis, inquit, scolastice ac pueriliter dicitur, *contra quinque sensuum voluptates.* »

Cæteræ animantes, etc. Hallucinatur Lactantius nonnihil in rei naturalis cognitione. Nam ex Aristotele atque Gellio evidenti demonstratione indicatur, quod visus, auditus et olfactus hominis proprii sint, tactus et gustus cum belluis communes : quanquam interim exemplis evidentissimis ostendere possem, animantium mutorum quædam etiam ex olfactu voluptatem capere; atque adeo etiam, si necesse sit, ex auditu et visu. Betul.

Recusant. Edendi. Has inter voces lepide et barbare interserunt Lips. 2 et Reimm. *recusant.* Et multi homines, quos ipse novi, *edendi ac bibendi officium ventris plenitudine metiuntur.* Bun.

Quia proposuit. Ita omnes mss. et cuncti fere editi; nonnullis est *qui.*

Domestico hoste. Lex carnis, quæ etiam lex mortis et peccati dicitur, *hostis domesticus* est atque intestinus.

Stupra, etc. Hæc addita putat Heumann. atque ex margine in textum Lactantii inducta fuisse.

Omne flagitium. 1 Bonon. antiq., *omnia flagitia.*

Voluptatis regno. Hæc apud Ciceronem non leguntur.

Cicero... consistere. Ita omnes libri. Heumannus putat hæc omnia olim fuisse margini inscripta, nec Lactantii esse, orationem iis omissis melius cohærere, relictis iis impeditiorem esse; nec putat Lactantium ita fuisse scripturum, Cicero *stupra*, inquit, *excitari*; sed ita, Cicero : *stupra*, inquit, *excitantur.* Imo non Ciceroni tributurum fuisse hæc verba, sed cujus sunt, Archytæ Tarentino. Bun.

Sed e contrario. Huc usque Cicero.

Suavitatibus. Voluptas esca malorum, juxta Platonem.

Ditioni suæ subjiceret. Voluptas non Deus. Illi enim, qui subjecti sunt ditioni voluptatis, eique unice serviunt, sempiterna morte damnantur. Cell.

Philosophi. Architas, Cato, Cicero.

Cœlum potius, quam cælata. Prosonomasia. Alludit autem dubio procul ad eam cœli etymologiam, quam Varro et Plinius afferunt, quod nimirum a cælando sit dictum. Betuleius.

Digitized by Google

homicidii, quod fit occulte, spectator et particeps fiat. Hos tamen ludos vocant, in quibus humanus sanguis effunditur. Adeo longe ab hominibus secessit humanitas; ut cum animas hominum interficiant, ludere se opinentur, nocentiores iis omnibus, quorum sanguinem voluptati habent.

Quæro nunc, an possint pii et justi homines esse, qui constitutos sub ictu mortis, ac misericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, sed et flagitant, feruntque ad mortem crudelia et inhumana suffragia, nec vulneribus satiati, nec cruore contenti: quin etiam percussos jacentesque repeti jubent, et cadavera ictibus dissipari, ne quis illos simulata morte deludat. Irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter e duobus alter occisus est; et tanquam humanum sanguinem sitiant, oderunt moras. Alios illis compares dari poscunt recentiores, ut quamprimum oculos suos satient. Hac consuetudine imbuti, humanitatem perdiderunt. Itaque non parcunt etiam innocentibus: sed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt. Hujus igitur publici homicidii socios et participes esse non convenit eos, qui justitiæ viam tenere nituntur. Non enim cum occidere Deus vetat, latrocinari nos tantum prohibet; quod ne per leges quidem publicas licet: sed ea quoque ne fiant monet, quæ apud homines pro licitis habentur. Ita neque militare justo licebit, cujus militia est ipsa justitia; neque vero accusare quemquam crimine capitali: quia nihil distat utrumne ferro, an verbo potius occidas; quoniam occisio ipsa prohibetur. Itaque in hoc Dei præcepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas, quem Deus sanctum animal esse voluit.

Ergo ne illud quidem concedi aliquis existimet, ut recens natos liceat oblidere, quæ vel maxima est impietas; ad vitam enim Deus inspirat animas, non ad mortem. Verum homines, ne quod sit facinus, quo manus suas non polluant, rudibus adhuc et simplicibus animis abnegant lucem non a se datam. Expectet vero aliquis ut alieno sanguini parcant, qui non parcunt suo: sed hi sine ulla controversia scelerati et injusti. Quid illi, quos falsa pietas cogit exponere? Num possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus objiciunt, et quantum in ipsis est, crudelius necant, quam si strangulas-

VARIORUM NOTÆ.

Adeo longe ab hominibus recessit. Scribo *recessit* ex Lips. 2, 3, Reimm., Torn., 1587, 1613, Gen. 1630 et Walchio, ubi plures editi *secessit.* Bun.

Sanguinem voluptati habent. Cyprian. l. II, ep. 2: *Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet... homo occiditur in hominis voluptatem.* Bun.

Quæro nunc. Mss. 10, *Quære.*

Sed et flagitant. Restitutum *et* ex Mss. ac 2 edd. quod *non tantum* postulat. *Et*, pro *etiam.* 2 Reg. et 16 edit., *sed efflagitant.*

Nec cruore contenti. Adde quæ Plinius scribit lib. XXVIII, cap. 1, quod Gladiatorum sanguinem spectatores bibere soliti erant.

Percussos jacentesque repeti jubent. Aliquando ictus *repetebant* gladiatores, et manus mittebant in vulnus, *ne quis spectatores simulata morte deludat.*

Et participes esse non convenit. Salvian. de Provid. VI conqueritur, in spectaculis olim expletos fuisse ferarum alvos humanis carnibus, cum lætitia circumstantium; hocque esse ait non minus pene hominum aspectibus, quam *bestiarum* dentibus devorari. Hieronym. contr. Rufin.: *Procul*, inquit, *sit a moribus Christianis, ut sine gladio, voluntate sint homicidæ.* Et ad D. Augustin. scribens, *Hæretici*, inquit, *quos gladio nequeunt voto interficiunt.* Minut. in Octav. diserte profitetur, Christianis fas non esse homicidium videre, aut audire, tantumque ab humano sanguine illos cavere olim solitos, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem novissent. Juretus. — Vide Tertullianum in libro de Spectaculis, Cyprian. Epist. 1 ad plebem, August. lib. III de Civit. Dei, c. 8 et seqq.

Ita neque militare justo licebit. Anabaptisticum dogma sequitur Lactantius tantum pro tempore illo primitivæ et adolescentis Ecclesiæ, quæ nec gladium habebat, nec decebat illam armis uti, sed dumtaxat per passiones et miracula augeri. Cæterum et hominem justum militare posse, et militiam aliquando justam esse, ex SS. Ambrosio, Augustino, Gregorio, cæterisque Patribus prodit Gratianus in Decret. tota causa 23, quæst. 1, 2, 3, et Sixt. Senens. l. VI Bibliothec. annot., 156. Isæus.—Hæc de injustis tantum bellis et cædibus sunt intelligenda, quod et capite 19 vocat bella contra justitiam. Vide S. Thomam 2-2 quæst. 40, l. 1, et Bellarmin. lib. III de Laicis, cap. 14.

Neque vero accusare quemquam crimine capitali. Non est hoc simpliciter verum. Possunt enim justæ accusandi causæ subesse, vel cum accusator vocatur in judicium, vel cum intellexerit scelus in reipublicæ perniciem cessurum. S. Gregor. apud Gratian. in can. *Si quis super his;* in can. *Metropolitanum*; et Gelas. in can. *Qua propter secunda*, quæst. 7, S. Thom. 2-2 quæst. 68, art. 1. Isæus.—Quod Christiano non licet, ut totus feratur in privatam vindictam. Vide Bellarminum lib. III de Laicis, cap. 12 et 13.

Sanctum animal esse voluit. Sanctum in propria significatione hic accipit Lactantius, ab injuria hominum munitum atque defensum. Donatus: *Sanctum dicitur, quod omni observatione inviolatum est:* sic leges *sanctæ* dicuntur, etc. Isæus.

Ut recens natos. Ex antiquiss. mss. 2 Reg., 1 Bonon. aliisque octo, et vet. editis Rom., Betul., Is. restitui *recens*, instar adverbii. Mss. 10 rec. et 15 edit. legunt *recentes;* septem scripti *recenter.* Vide Tertullian. Apologet. cap. 2 et 9.

Oblidere. Est frangendo, vel premendo præfocare. *Oblidere* est apud Arnobium et in omnibus fere Lactantii mss. et editis codicibus: in Merton. Christ. Em. est *elidere;* in 1 Bonon. antiqu. *allidere.* Veteres sæculi XV Edit. concordant cum textu.

Animis. Pro *animabus;* sic Cicero Epistolar. lib. XIV, epist. 14.

Abnegant lucem, etc. Loquitur de immanitate illa, qua mulierculæ potiones bibunt ad abortum procurandum. Paulus JC., lib. V Sentent., c. 23: *Qui abortionis aut amatorium poculum, etiamsi id dolo non faciant, tamen mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur. Quod si ex hoc homo aut mulier perierit, summo supplicio afficiuntur.* Elmenhorst.

Falsa pietas. Sed nisi me fallunt omnia, falsa pietas hæc erat, quod putarent *esse magis pium* et innocentius *exponere, quam strangulare.* Patet ex l. V, cap. 9: *Qui natos ex se pueros aut strangulent, aut, si nimium pii fuerint exponant.* Bun.

Viscera sua. Id est, liberos suos. Sic sumitur a Statio, Thebaid. VII, 751, vide Barthium ad hunc

Digitized by Google

sent? Quis dubitet, quin impius sit, qui alienæ misericordiæ locum tribuit? qui etiamsi contingat ei, quod voluit, ut alatur, addixit certe sanguinem suum, vel ad servitutem, vel ad lupanar. Quæ autem possint, vel soleant accidere in utroque sexu per errorem, quis non intelligit? quis ignorat? Quod vel unius Œdipodis declarat exemplum, duplici scelere confusum. Tam igitur nefarium est exponere, quam necare. At enim parricidæ facultatum angustias conqueruntur; nec se pluribus liberis educandis sufficere posse prætendunt: quasi vero aut facultates in potestate sint possidentium, aut non quotidie Deus ex divitibus pauperes, et ex pauperibus divites faciat. Quare si quis liberos ob pauperiem non poterit educare, satius est, ut se ab uxoris congressione contineat, quam sceleratis manibus Dei opera corrumpat.

A Ergo si homicidium facere nullo modo licet, nec interesse omnino conceditur, ne conscientiam perfundat ullus cruor: siquidem populo sanguis ille præstatur. In scenis quoque nescio an sit corruptela vitiosior. Nam et comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum; et quo magis sunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, eo magis sententiarum elegantia persuaderit, et facilius inhærent audientium memoriæ versus numerosi et ornati. Item tragicæ historiæ subjiciunt oculis parricidia, et incesta regum malorum, et cothurnata scelera demonstrant. Histrionum quoque impudentissimi motus quid aliud, nisi libidines et docent, et instigant? quorum enervata corpora, et in muliebrem incessum habitumque mollita, impudicas fœminas inhonestis gestibus mentiuntur. Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam? qui docent

B

VARIORUM NOTÆ.

locum pag. 730.— *Viscera sua.* H. l. infantes, liberos tantum. Alibi enim etiam parentes et amici ita dicti, nobis cari, pro visceribus, uti ostendit Pitiscus ad Curt. l. IV, c. 14. Bun.

Num possunt... strangulassent? Num cum interrogatione, velut acrius et validius, reposui ex mss. veterrimis 2 Reg., 1 Bonon. aliisque 12, nisi quod in 4 Reg. et 2 aliis est, *Num possint;* in 1 Colb., *extrangulassent.*

Alienæ misericordiæ. Rost. *alieni misericordiæ.* At illa solemnia in hac re verba. Tertull. l. I Nation. 16: *Qui infantes alienæ misericordiæ exponitis.* Minuc. Fel. c. 30: *Domi natos frequenter* alienæ misericordiæ *exponitis.* Bun.

Qui alienæ misericordiæ locum tribuit. Expunxi *non* ex mss. 2 antiquissimis Reg. aliisque 9 qui negationem respuunt; nec illa admitti debet: alioquin perverteretur auctoris nostri sententia. Sequitur enim, *Si contingat ei, quod voluit, ut alatur.* Hæc vero aliena est misericordia.— *Locum tribuit.* Lips. 2, 3, Reimm. et omnes ante Cellarium editiones perperam, *locum non tribuit.* At exponere erat certo respectu alienæ misericordiæ locum tribuere; unde Paulus, l. IV D. de agnosc. et alendis lib. scite dicit: *Necare videtur non tantum is, qui partum* præfocat (Lact. *elidit, oblidit*) *sed et is, qui publicis locis, misericordiæ causa, exponit, quam ipse non habet.* Bun.

Ad servitutem. Si sit masculus.

Ad lupanar. Si sit femella.

Ædipodis. Qui Laium patrem, a quo infans fuerat expositus, cum adolevisset, imprudens interfecit, et matrem Jocastam uxorem duxit.— *Ædipodis.* Historia tragica est, celebrata ab ipso Sophocle, in ea fabula quæ Œdipi sive Tyranni nomine inscripta est; a Seneca in Thebaide et Œdipo; a Statio in II et XII Thebaidos. Scribitur etiam ab Hygino fabul. 67. Betul.

Duplici scelere confusum. Imo quadruplici; nam patris interfector fuit, matris maritus, suus proinde vitricus, et filiorum frater. Oros. lib. I, c. 12. Vide Platonem lib. VIII de Legibus, et Plutarchum de Curiositate.

In potestate. Addidi ex omnibus mss. et cunctis fere editis.

Pauperiem. Editi XV sæculo, *Paupertatem.*

Nec interesse omnino conceditur, ne conscientiam perfundat ullus cruor. Non licet justo interesse homicidio hominis: adeo abhorret Ecclesia a cruore, de qua re vide Minucium Felicem in Octavio jam supra laudatum col. 707, not. *Et participes.*

Sanguis... præstatur. Id est, cædes fit populo ad eum oblectandum. Lact. l. V, cap. 5, fin.: *Gloriam ex* sanguine *comparare.* Bun.

Nescio an sit. Nescio an, haud scio an, dubito an, speciem dubitationis, sed plerumque significationem affirmandi habent..... Interdum tamen simpliciter *significatione dubitandi dicuntur.* Prius hic obtinere credo. Hinc Epit. cap. 63: *Quid scena? Num sanctior?* Cicero, lib. II de Nat. deor., c. 4: *Vir sapientissimus, atque* haud scio, *an omnium præstantissimus, peccatum suum, quod celari posset, confiteri maluit,* etc. Val. Max. lib. II, cap. 9: *Hoc crimen nescio an superiore majus.* Lib. IV, c. VI: *Sed nescio an hoc fortius.* Bun.

In scenis nescio an sit corruptela vitiosior. Idem Lactantius infra: *Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam, qui docent adulteria dum fingunt.* Ludos scenicos et turpes, et quæcumque spectacula Ecclesiasticis viris omnibusque Christianis interdicta semper fuisse, testantur Patres et Concilia. Laodicenum can. 54: *Non oportet Sacerdotes aut Clericos quibuscumque spectaculis in scenis interesse.* Item Concil. Turon. III, can. 7, Carthaginense III, can. 11, addit, *quandoquidem a spectaculo et omnes laici prohibeantur. Semper enim Christianis omnibus hoc interdictum est, ut ubi blasphemi sunt, non accedant.* Videndi Tertullianus, lib. de Spectaculis, ubi ea christianis omnibus interdicit: vocat ea *diaboli negotium* Cyprian., epist. 1; Minutius in Octav.: *in scenicis non minor furor, turpitudo prolixior: nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monstrat;* Arnob. p. 172; Augustinus, lib. de Catechizandis rudibus cap. 16, Homil. 21, lib. L Homiliar., et lib. II de Civit. Dei, cap. 8, 9; et Ludovicus Vives in hunc Augustini locum.

C

Comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, Tertullianus, lib. de Spectaculis, comœdias et tragœdias vocat, *libidinum et scelerum auctrices cruentas, lascivas, impias et prodigas.*

D

Aut amoribus meretricum. 2 Reg. et Brun., *amatoribus.*

Cothurnata scelera. Scilicet mimorum, quorum calcei sublevato subere altiores erant, ut Regum et Principum personam agentes, grandioris staturæ apparerent. Itaque Lactantius cothurnata scelera appellat, grandia et elata, quæ a tragœdis exhibebantur. Nourry.

Et docent. Ita scribo cum omnibus mss. præter 3 Reg. rec. in quibus deest conjunctio *et*, ut in excusis.

Fœminas... gestibus mentiuntur. Colum. præf. lib. I: *Attoniti miramur gestus effœminatorum, quod a natura sexum viris denegatum muliebri motu mentiantur, decipiuntque oculos spectantium.*

Quid de mimis. De his vide caput 20, lib. I, et Epitom. cap. 6, atque Tertullianum Apologetici cap. 15.

Digitized by Google

adulteria, dum fingunt, et simulatis erudiunt ad vera? Quid juvenes aut virgines faciant, cum hæc et fieri sine pudore, et spectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utique quid facere possint, et inflammantur libidine, quæ aspectu maxime concitatur; ac se quisque pro sexu in illis imaginibus præfigurat, probantque illa, dum rident, et adhærentibus vitiis, corruptiores ad cubicula revertuntur; nec pueri modo, quos præmaturis vitiis imbui non oportet: sed etiam senes, quos peccare jam non decet.

Circensium quoque ludorum ratio quid aliud habet, nisi levitatem, vanitatem, insaniam? Tanto namque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur; ut jam plus spectaculi exhibeant, qui spectandi gratia veniunt, cum exclamare, et efferri, et exilire cœperint. Vitanda ergo spectacula omnia, non solum ne quid vitiorum pectoribus insidat, quæ sedata et pacifica esse debent: sed ne cujus nos voluptatis consuetudo deliniat, et a Deo atque a bonis operibus avertat. Nam ludorum celebrationes, deorum festa sunt; siquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes sunt constituti. Et primitus quidem venationes, quæ vocantur munera, Saturno sunt attributæ; ludi autem scenici Libero; circenses vero Neptuno. Paulatim tamen et cæteris diis idem honos tribui cœpit; singulique ludi nominibus

VARIORUM NOTÆ.

Qui (mimi) docent adulteria, etc. Egregie Val. Max. l. II, c. 6, n. 7 ext.: *Massilia severitatis custos acerrima est, nullum aditum in scenas mimis dando, quorum argumenta majore ex parte stuprorum continent actus, ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumat.* Conf. Tertull. de Spectac. c. 17 et Salvian. lib. VI Gubern. D. pag. 108. Bun. — *Docent adulteria, dum fingunt.* Cyprianus, de Gratia ad Donatum p. 6: *Adulterium discitur, dum videtur, et lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo revertitur impudica.* Et Minucius Felix, p. 345: *Histrio amorem dum fingit, infligit.*

Quæ aspectu, etc. Atque nescio qui fiat, quod ne in nostris quidem dramatibus quidquam salvum atque sacrum satis sit. Multo siquidem majori applausu excipitur, cum senes Susannam se lavaturam, et jam crura sandalibus induentem speculantur, quam quando ad supplicium accessura pignoribus valedicit: cum Judith Holopherni libidinosis gestibus blanditur, quam cum cilicio induta preces ad Dominum fundit, cum Sara suam marito ancillam permittit, quam cum de filii sacrificio sollicitus pater ad Deum orat: cum Putiphari conjux Josephum de stupro sollicitat, quam cum Jacob annonæ penuria premitur. Usque adeo sunt oculi rebus vanis, quam seriis spectandis promptiores. Betul.

Præfigurat. Conf. Epit., c. 12, pr. Lexica in auctoritate Lactantii subsistunt. Ante eum usi hoc verbo Tertull. Præscr. Hær. cap. 20, *Præfiguraverat.* Cyprianus, l. II, ep. 3: *Sacramentum præfiguratum... veritas præfiguratæ imaginis.* Bun.

Præmaturis vitiis. Ita mss. et impressi. Francius legere malebat *præmaturos vitiis*: non male. Sed tamen mox præcessit, *adhærentibus vitiis.*

Quos peccare jam non decet. Post hæc verba, mss. 2 Reg. rec., Jun., Cant. et 1 Colb. in marg. ac 9 editi adduni, *in talem vitiorum semitam dilabuntur:* quæ cæteri respuunt.— *Peccare jam.* Id est, amplius. Vid. Passeratium ad Cic. pro Quint. cap. 1: *Mihi est* jam *sanctum atque sincerum in civitate.* Conf. Vorst., Lat... Neglecta, pag. 230. Lactantius sæpe, e. g., l. III, c. 17: *Est tempus... quo et nos jam non sumus.* L. V, cap. 13: *Ut videatur is* jam *Christianus non esse.* Bun.

Circensium. Tarquinius Priscus Circum Romæ, qui Maximus dicitur, primus instituit, in quo ludos opulentius instructiusque quam cæteri reges fecit: auctor Livius lib. I: Fuit autem Circus (*ἱππικὰ θέατρα* Plutarchus vocat) inter Palatinum et Aventinum montem: de quo vide Pomp. Lætum de Antiquitatibus Romæ. Varro de Lingua Lat. IV: *Armilustrum*, inquit, *ab ambitu lustri: locus idem Circus Max. dictus, quod circumspectaculis ædificatus, ibi ludi fiunt, et quod ibi circum metas fertur pompa, et equi currunt. Fuerunt autem metæ* 7. *Propertius:*

> Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
> Septima quam metam triverit ante rota.

In ludis circensibus nobilissimi juvenes, ut ex Tranquillo manifestum est, quadrigas, bigas, et equos desultorios agitabant. Hunc tamen morem non vetustissimum fuisse, vel ex Livio patet. Nam in quarto loco lib. V Decadis, scribens gesta anni D. LXXXIII: *Mos erat tum*, inquit, *nondum hac effusione inducta, bestiis omnium gentium circum complendi varia spectaculorum conquirere genera: nec semel quadrigis, semel desultore misso vix unius horæ tempus utrumque curriculum complebat.* Circenses ludi a scriptoribus aliquoties Magni, nonnunquam etiam Romani appellantur; dicti autem circenses, si Servio credimus, vel a circuitu, vel ab ensibus circa quos circumibant. Betul.

Insidat. Ita omnes pene mss. et 4 edd. In 2 Reg. est *insidiat;* in 5 Reg., 1 Colbert. et 14 excusis *insideat.* Itidem infra sequenti cap. post initium ex quamplurimis mss.

Et primitus quidem venationes. Non memini me hæc alibi legere, quam apud Alexandrum, qui hæc sua procul dubio ex Lactantio transcripsit: nisi quod Comœdias atque Tragœdias Libero patri sacras fuisse, Donatus in Terentii prolegomenis testatur etiam. Sed in Andriæ commentario, Comœdiam Apollini, Tragœdiam Baccho constitui solitas testatur. Servius in VIII Æneid., Circenses ait Conso, hoc est Neptuno equestri sacros fuisse. Consum autem dictum, quod consultorum sit deus. Tertullianus quoque sub finem libri de Muliebri habitu testatur, se de sæcularibus Spectaculis volumen edidisse. Betul.

Munera. Munerum appellatio non ad gladiatores tantum, sed et ad ferarum confectores, apud Plin. libro LXXXIV, cap. 3, haud dubie pertinet, imo et apud alios plerosque. Sueton. in Julio cap. 75, et Calig., capite 27, bestiarum, ad munus populi comparatarum alicubi commeminit. Vid. Sen. lib. de Benef. cap. 12.

Circenses vero Neptuno. Paulatim tamen. Sic emendavi ex mss. 6 Reg. quorum duo sunt veterrimi, 5 Colb., 3 Lips., Em., Brun. et editis Cellar., Walch. In edit. Rom. 1470 bis *vero;* in 1 Colb. *Circenses vota Neptuno. Paulatim tamen;* corrupte *vota*, pro *vero.* In 4 Reg. rec. et 12 vulgatis, *Circenses Neptuno.*

Singulique ludi, etc. Arnobius lib. VII contra Gentes: *Vos æris tinnitibus et tibiarum sonis, vos equorum curriculis et theatralibus ludis persuasum habetis deos delectari et affici, irasque aliquando conceptas eorum satisfactione molliri.*

Nominibus. Ita restitui ex cunctis mss. et edit. Rom. 1470. Editi fere omnes *numinibus.* Sed quid sibi vult: *Cæteris diis honorem tribuere, et numinibus eorum consecrare ludos?* Ex mss. multo melius *nominibus*, scilicet qui suam habent denominationem a fictorum deorum nominibus, veluti Saturnales a Saturno, Martiales a Marte, Apollinares ab Apolline, Cereales a Cerere, Florales a Flora, etc.

Digitized by Google

eorum consecrati sunt, sicut Sisinius Capito in libris Spectaculorum docet. Si quis igitur spectaculis interest, ad quæ religionis gratia convenitur, discessit a Dei cultu, et ad deos se contulit, quorum natales et festa celebravit.

CAPUT XXI.

De aurium voluptatibus, et sacris Litteris.

Aurium voluptas ex vocum et cantuum suavitate percipitur; quæ scilicet tam vitiosa est, quam oblectatio illa, de qua diximus, oculorum. Quis enim non luxuriosum ac nequam putet eum, qui scenicas artes domi habeat? Atqui nihil refert, utrumne luxuriam solus domi, an cum populo exerceas in theatro. Sed jam de spectaculis dictum est. Restat unum, quod est nobis expugnandum; ne capiamur iis, quæ ad sensum intimum penetrant. Nam illa omnia, quæ verbis carent, id est aeris et nervorum suaves soni, possunt facile contemni, quia non adhærent, nec scribi possunt. Carmen autem compositum, et oratio cum suavitate decipiens, capit mentes, et quo voluerit impellit. Inde homines litterati cum ad Dei religionem accesserint, si non fuerint ab aliquo perito doctore fundati, minus credunt. Assueti enim dulcibus et politis sive orationibus, sive carminibus, divinarum litterarum simplicem communemque sermonem pro sordido aspernantur. Id enim quærunt, quod sensum A demulceat. Persuadet autem quidquid suave est, et animo penitus, dum delectat, insidit. Num igitur Deus et mentis, et vocis, et linguæ artifex diserte loqui non potest? Imo vero summa providentia carere fuco voluit ea quæ divina sunt, ut omnes intelligerent quæ ipse omnibus loquebatur.

Ergo qui veritati studet, qui non vult se ipse decipere, abjiciat inimicas ac noxias voluptates, quæ animam sibi vinciant, ut corpus cibi dulces: præferantur vera falsis, æterna brevibus, utilia jucundis. Nihil aspectu gratum sit, nisi quod pie, quod juste fieri videas; nihil auditu suave, nisi quod alit animam, melioremque te reddit. Maximeque hic sensus non est ad vitium detorquendus, qui nobis ideo datus est, ut doctrinam Dei percipere possemus. Itaque si voluptas est, audire cantus et carmina, Dei laudes canere et audire jucundum sit. Hæc est voluptas vera, B quæ comes et socia virtutis est. Hæc est non caduca et brevis ut illæ quas appetunt, qui corpori, ut pecudes, serviunt; sed perpetua, et sine ulla intermissione delectans. Cujus terminos si quis excesserit, nihilque aliud ex voluptate petierit, nisi ipsam voluptatem; hic mortem meditatur, quia sicut vita perpetua in virtute est, ita mors in voluptate. Qui enim temporalia maluerit, carebit æternis; qui terrena prætulerit, cœlestia non habebit.

VARIORUM NOTÆ.

Sisinius Capito. Heumannus putat legendum esse C *Asinius Capito*, cujus doctissimi viri mentionem facit Aulus Gellius lib. v, cap. 20, idemque Festus. Eumdem tamen Sisinnium Capitonem vocat S. Hieronymus, Quæst. in Genesim ad cap. x.

Convenitur. Soli mss. antiq. 1 Bon. et 1 Reg. *convenit.*

Intimum. Mss. 8 rec. et ed. Rom. 1470, *integrum.* — *Sensum intimum.* Goth., Ven. 1471, Rost.: *sensum integrum.* Prius aptius, cujus elegantiam et vim ex Cicerone Gronovius ad Minucii Fel. cap. 1, pag. 4, *Intimis sensibus*, illustrat. Sic Lact. lib. I, cap. 20: *Quæ sensibus intimis horrere debuerant.* Bun.

Inde homines litterati. Quare in proœmio tertii, Tullianam sibi optavit eloquentiam: non quod veritas, cujus sermo simplex est, lenocinio verborum indigeat, sed propter eos qui omnem orationem nisi dulce quiddam tinnientem fastidiunt. Verum illic de hoc satis est dictum. Betuleius.

Cum ad Dei religionem accesserint. Ex antecedentis capitis 20, fin., *ad Dei religionem accedere*, idem est quod *discedere a deorum cultu, et ad* Deum (Dei *Religionem*) *se conferre;* aut inversis verbis in Epit. cap. 63, pr.: *Relectis profanis ritibus, ad Dei cultum transire;* aut ex lib. VII, cap. 22: *Deos relinquere, et ad unius se Dei cultum religionemque convertere*; aut denique idem quod lib. VII, cap. 11: *Cœlestem religionem Dei* (justitiam) *sequi.* Buneman. D

Si non fuerint ab aliquo perito doctore fundati. De his, qui minus solida fundamenta posuerunt, dixit elegantius lib. v, cap. 1: *Quorum non est stabilis ac solidis radicibus fundata et fixa sententia. Nutant enim plurimi, ac maxime qui litterarum aliquid attigerunt.* Buneman.

Accesserint, si non fuerint ab aliquo perito doctore fundati, minus credunt. Si non, etc. Hæc verba delet Heuman. Verum hunc locum ita restitui ex mss. antiquissimis 1 Bonon. et 1 Reg., consentientibus 1 Regio-Put., 1 al. Reg., 2 Colb., 1 Clarom., 2 Lips., ed. Rom. 1468, in quibus est *accesserint, ab aliquo perito doctore fundati*: deest *si non fuerint.* Mss. Cauc., Jun., 16 alii et 14 editi, *accesserint, ab aliquo imperito doctore fundati;* 2 Reg. *in aliquo imperito*, Ms. Cant. et edd. Thom., Thys. et Gall., *accesserint, si non fuerint ab aliquo imperito*, etc., omnino male. Quæ omnia cum satis non sint enodata in hac Dom. Joan. Bapt. le Brun annotatione, ea paulo fusius explicanda esse credidimus, ut lectio, quam textus noster repræsentat, melius ac dilucidius confirmetur. Sensus vero hic est, ut dicat Lactantius, homines litteratos et politis litteris imbutos, cum ad religionem accedunt, minus solere credere, quod despiciant simplicitatem sermonis sacrarum Litterarum. Id tamen non eveniet, si accedentes ad veram religionem, habeant doctorem religionis exercitatum in rebus sacris, peritum et litteris imbutum. Vulgaris lectio habebat prius: *Inde homines litterati, cum ad Dei religionem accesserint, ab aliquo imperito doctore fundati minus credunt.* Quæ quidem eumdem fere sensum repræsentat, ac ille qui in textu nostro legitur: sed oratio minus elegans, atque obscurior est. Illæ vero voces *doctore fundati*, quæ sæpe non leguntur in veteris eloquii latini sermonis auctoribus, videntur tamen in jurisconsultis, qui *fundatos in jure* dicunt. *Fundo* igitur idem est ac *doceo.* Sic apud Livium legitur *leviter fundata fides.*

Insidit. Ita cuncti fere mss. et ed. Rom. 1470. In 2 rec. est *insistit;* in 1 Colb. *et sedit;* in 4 rec. et 11 vulgatis *insidet.*

Et mentis, et vocis. Neque vox sine mente est. Dicitur abusive vox de inanimis quoque ac mutis, strepitus atque sonitus, Latinis. Quamquam Aristoteles mutis etiam vocem tribuit. Betuleius.

Carere fuco. De simplicitate SS. Scripturarum vide Isidor. Pelus. lib. XI, Ep. 5.

Quæ animam sibi vinciant. Mss. 1 Bon. antiq., 1 Lips. et Brun. *subjiciunt.* Sic legitur apud Buneman.: — *Animam sibi subjiciunt.* Conjeci legendum *viciant*, id est *vitiant* (nam Rost. fere semper, e. g. lib. II, cap. 2, *viciant* pro *vitiant* scribit). Huc igitur perti-

Digitized by Google

CAPUT XXII.

De saporis et odoris voluptatibus.

Ad voluptates autem saporis et odoris, qui duo sensus ad solum corpus pertinent, nihil est quod a nobis disputetur; nisi forte quis exigit ut dicamus, turpe esse sapienti ac bono, si ventri et gulæ serviat; si unguentis oblitus, ac floribus coronatus incedat: quæ qui facit, utique insipiens, ineptus, et nihili est, et quem ne odor quidem virtutis attigerit. Fortasse quispiam dixerit: Cur ergo illa facta sunt, nisi ut iis fruamur? Atenim jam sæpe dictum est, virtutem nullam futuram fuisse, nisi haberet quæ opprimeret. Itaque fecit omnia Deus ad instruendum certamen rerum duarum. Ergo illecebræ istæ voluptatum arma sunt illius, cujus opus unum est, expugnare virtutem, justitiamque ab hominibus excludere. Iis blandimentis et suavitatibus titillat animas. Scit enim quia mortis est fabricatrix voluptas. Nam sicut Deus hominem ad vitam, non nisi per virtutem ac laborem vocat: ita ille ad mortem per delicias ac voluptates; et sicut ad verum bonum per fallacia mala, sic ad verum malum per fallacia bona pervenitur. Cavenda sunt igitur oblectamenta ista, tanquam laquei et plagæ; ne suavitudinum mollitie capti, sub ditionem mortis cum ipso corpore redigamur, cui nos mancipavimus.

CAPUT XXIII.

De tactus voluptate et libidine, atque de matrimonio et continentia.

Venio nunc ad eam, quæ percipitur ex tactu, voluptatem: qui sensus est quidem totius corporis. Sed ego non de ornamentis, aut vestibus, sed de sola libidine dicendum mihi puto; quæ maxime coercenda est, quia maxime nocet. Cum excogitasset Deus duorum sexuum rationem, attribuit iis, ut se invicem appeterent, et conjunctione gauderent. Itaque ardentissimam cupiditatem cunctorum animantium corporibus admiscuit, ut in hos affectus avidissime ruerent, eaque ratione propagari et multiplicari genera possent. Quæ cupiditas et appetentia in homine vehementior et acrior invenitur; vel quia hominum multitudinem voluit esse majorem, vel quoniam virtutem soli homini dedit, ut esset laus et gloria in coercendis voluptatibus, et abstinentia sui. Scit ergo adversarius ille noster, quanta sit vis hujus cupiditatis, quam quidam necessitatem dicere maluerunt; eamque a recto et bono, ad malum et pravum transfert. Illicita enim desideria immittit, ut aliena contaminent, quibus habere propria sine delicto licet. Objicit quippe oculis irritabiles formas, suggeritque fomenta, et vitiis pabulum subministrat: tum intimis visceribus stimulos omnes conturbat et commovet, et naturalem illum incitat atque inflammat ardorem, donec irretitum hominem implicatumque decipiat. Ac ne quis esset, qui pœnarum metu abstineret alieno, lupanaria

VARIORUM NOTÆ.

nerent supra, *voluptas... vitiosa*. Verbum *vitiant* itaque textui integro aptum, quia et de animo et corpore dicitur. Bun.

Ad voluptates. *Ad*, pro *quod attinet*, usurpatur. Nihil hic supplendum. Eleganter Veteres, etsi rarius, *disputare ad aliquid, disserere ad aliquid*. Iterum Lactantius ex Gellio in Epit. cap. 29: *Ad ea Chrysippus cum dissereret*. Bun.

Nihil est quod a nobis disputetur. Mss. Cauc., Jun. et edit. 7, *nihil est aliud quod*, etc.

Ventri et gulæ. Hos fugiendos docet Paulus ad Philippenses III, 19, *quorum deus venter est*.

Si unguentis oblitus, etc. Arnobius lib. v: *Quid compti violaceis coronis?* Unguentum olere, et satyris et scenis explosum est, tanquam molle, et virili decoro adversum. Aristoteles in III Moral. cap. 10, eos ponit in numero τῶν ἀκολάστων, qui odoribus et suavi musices concentu supra modum delectantur; intemperantes tamen magis accedere affirmat τοὺς τῶν μύρων ὄσμαῖς Χαίροντας. Verum Aristoteles reprehensione dignissimus est, quod temperantiam corpori, atque non item animo assignat. Quid quod scriptores ecclesiastici florum odorem, sertorumque usum damnant. Nam Tertullianus in eo libro quem de Corona militis inscripsit, florum in coronis usum execratur. Et in Apologet. cap. 46, probat, christianos nihilominus portionem suam ad vitæ consociationem adferre, etiamsi flores naribus non admoveant, si spectacula nulla spectent. Minucius: *Quot caput non coronamus, ignoscite; nec mortuos coronamus, cum beatus non egeat, et miser non gaudeat floribus*.

Itaque fecit omnia. 1 Bonon. antiq. *Idque fecit omne*.

Ab hominibus. Ita restitui ex editis Torn. ac Soubron. cunctisque mss. præter 2 Reg. rec. et 1 Colb., in quibus, velut in impressis, est *ab hominibus*, vel *ex omnibus*; 1 Brun. et edit. Betul. *ab aliis*.

Quia. Est pro *quod*. Et sic alibi passim Lactantius, aliique auctores; ut passim videre est.

Ex tactu voluptatem. Tactus (ἅφη) totius corporis organo utitur, cum reliqui sensus singuli singula sua instrumenta habeant. Atque sic pro portione libido omnium maxima est et suavitate quæ ex coitu capitur (nam cætera totus hic sensus vitio caret), totum corpus hiat. De quo vide Aristot. lib. de Generatione animal. primo, cap. 18. Betul.

Cupiditas. De qua vide Plinium lib. x, cap. 63.

Ut esset laus. 1 Colb. a prima manu, et edit. Is. in marg.: Forte, *ut esset ei laus*.

Quam quidam necessitatem. Mihi videtur Hermetem Trismegistum et Apuleium, quem legerat, intellexisse. Apul. in Apolog. p. 327: *Nubendi... seu rationem seu necessitatem fato adscribit*. Bun.

Objicit, etc. Sic emendavi ex omnibus prope mss. et 12 impressis. Reg. 1 rec. et Goth., *Objicit itaque oculis*; 1 Bonon. antiq. *Objicitque præ oculis*. Editi nonnulli, *Objicitque oculis*, male; mox enim sequitur, *suggeritque*.

Tum in intimis visceribus. Præpositionem, quam in plurimis libris absorbuit syllaba sequens, addidi ex Reimm., Torn. 1587, 1615.

Lupanaria quoque constituit. Per suos nimirum satellites. Nam in historiis de Caligula et Heliogabalo legimus, quod lupanaria constituerint. Cæterum de lupanaribus, lib. I dictum est, cap. 20. Tertul. in Pallio: *Aspice lupas popularium libidinum nundinas*.

Digitized by Google

quoque constituit; et pudorem infelicium mulierum publicavit, ut ludibrio haberet tam eos qui faciunt, quam quas pati necesse est.

His obscœnitatibus animas, ad sanctitatem genitas, velut in cœni gurgite demersit, pudorem extinxit, pudicitiam profligavit. Idem etiam mares maribus admiscuit; et nefandos coitus contra naturam contraque institutum Dei machinatus est : sic imbuit homines, et armavit ad nefas omne. Quid enim potest esse sanctum iis, qui ætatem imbecillam et præsidio indigentem, libidini suæ depopulandam fœdandamque substraverint? Non potest hæc res pro magnitudine sceleris enarrari. Nihil amplius istos appellare possum, quam impios et parricidas, quibus non sufficit sexus a Deo datus, nisi etiam suum profane ac petulanter illudant. Hæc tamen apud illos levia, et quasi honesta sunt. Quid dicam de iis, qui abominandam non libidinem, sed insaniam potius exercent! Piget dicere: sed quid his fore credamus, quos non piget facere? et tamen dicendum est, quia fit. De istis loquor, quorum teterrima libido et execrabilis furor ne capiti quidem parcit. Quibus hoc verbis, aut qua indignatione tantum nefas prosequar? Vincit officium linguæ sceleris magnitudo. Cum igitur libido hæc edat opera, et hæc facinora designet, armandi adversus eam virtute maxima sumus. Quisquis affectus illos frænare non potest, cohibeat eos intra præscriptum legitimi tori, ut et illud, quod avide expetit, consequatur, et tamen in peccatum non incidat. Nam quid sibi homines perditi volunt? Nempe honesta opera voluptas sequitur : si ipsam per se appetunt, justa et legitima frui licet.

Quod si aliqua necessitas prohibebit, tum vero maxima adhibenda virtus erit, ut cupiditati continentia reluctetur. Nec tantum alienis, quæ attingere non licet, verum etiam publicis vulgatisque corporibus abstinendum, Deus præcepit; docetque nos, cum duo inter se corpora fuerint copulata, unum corpus efficere. Ita qui se cœno immerserit, cœno sit oblitus necesse est; et corpus quidem cito ablui potest: mens autem contagione impudici corporis inquinata non potest, nisi et longo tempore, et multis bonis operibus, ab ea quæ inhæserit colluvione purgari. Oportet ergo sibi quemque proponere, duorum sexuum conjunctionem generandi causa datam esse viventibus, eamque legem his affectibus positam, ut successionem parent. Sicut autem dedit nobis oculos Deus, non ut spectemus, voluptatemque capiamus, sed ut videamus propter eos actus, qui pertinent ad vitæ necessitatem, ita genitalem corporis partem, quod nomen ipsum docet, nulla alia causa nisi efficiendæ sobolis accepimus. Huic divinæ legi summa devotione parendum est. Sint omnes, qui se discipulos Dei profitebuntur, ita morati et instituti, ut imperare sibi possint. Nam qui voluptatibus indulgent, qui libidini obsequuntur, ii animam suam corpori mancipant, ad mortemque condemnant: quia se corpori addixerunt, in quod habet mors potestatem. Unusquisque igitur, quantum potest, formet se ad verecundiam, pudorem colat, castitatem conscientia et mente tueatur; nec tantum legibus publicis pareat: sed sit supra omnes leges, qui legem Dei sequitur. Quibus bonis si assueverit, jam pudebit eum ad deteriora desciscere: modo placeant recta et honesta, quæ melioribus jucundiora sunt quam prava et inhonesta pejoribus.

VARIORUM NOTÆ.

Pudicitiam profligavit. Sic editio Cellarii et Heumanni, et quidem recte, ut sit gradatio, *demersit, extinxit, profligavit.* Alii *flagitavit*, quasi diceres, ardenter ad stupra et flagitia sollicitare, vel de stupro instantius aliquam virginem appellare. Mss. 6 Vaticani, 1 Reg. rec., 1 Lips., 1 Clarom. et Aldus inter emendanda errata suæ editionis habent *flagitiavit;* insolens verbum. Marm. et 1 Reg. a secunda manu *profugavit;* 2 Reg. rec. *fugavit.* At non mihi placent variantes istæ lectiones, nec Betuleii nec Isæi correctiones. *Pudicitiam flagitavit*, in multis mss. Et sic Ulpianus de privat. delic., cap. 2, et lege 2 Digest. de priv. delic., § 5, *ancillam alienam flagitare.* Sed hæc satis ad rem facere non videntur. — *Pudicitiam.* Hic perpende illa lib. 1, cap. 20 : Nulla pudicitia, *libidinibus effrænatis* omnem *sexum et* omnes corporis *partes contaminantibus.* Bun.

Mares maribus admiscuit. 1 Bon. antiq. *applicuit.* Crimen sodomiticum. Vide Epistol. ad Romanos, c. 1.

Institutum Dei. Sic restitui ex 14 vet. editis cunctisque mss., exceptis Em. et 1 Clarom., in quibus est *justitiam Dei*, ut in 5 vulgatis.

Nisi etiam suum profane, etc. Ita mss. 2 Bonon., Tax., Pen. In Cauc., Jun. et 8 editis, pro *etiam*, est *et*. Scripti 7 Reg., inter quos sunt duo veterrimi, et 11 alii rec. habent, *nisi etiam suum sexum profane;* 5 rec. totidemque editi, *nisi et suum sexum profane*, perperam repetentes vocem *sexum*, quæ mox præcessit.

Ne capiti quidem parcit. De hoc peccato propter ejus obscœnitatem nihil dicimus. Vide, si potes salva verecundia, quæ refert Suetonius de monstro hominis Tiberio; nam in hac re scelus fuerit eruditum esse. De hoc peccato abunde tractat Hieron. Magius, ut videre est in Thesauro Critic. Gruteri tom. II, p. 1353. Ex Gallæo.

Consequatur. Restitui ex ed. Torn. Soubron. et omnibus mss. præter 1 Reg. cui est *exequatur.* 2 Reg. rec. et 3 Colb. ac 16 editi, *assequatur.*

Prohibebit. Ms. 1, Reg. *cohibebit;* alii 8 rec. et 6 edd. *prohibet;* 1 Colb. *prohiberet.* Cæteri, ut in textu.

Alienis, quæ. Post *alienis*, multi mss. cunctique fere editi addunt *toris*, quod stare non potest cum relativo *quæ.* 1 Reg. rec. *quos.*—Attamen Buneman. habet *alienis toris* et notam sequentem exhibet in hanc vocem:—*Alienis toris, quæ.* Constanter ita libri; ut dicatur utroque genere torus, *torum, tori, tora*, ut *forus, forum, lectus, lectum.* Bun.

Proponere. Sic emendavi ex edit. Cellar. cunctisque mss. præter 2 Reg. rec. et 1 Clarom. qui ferunt *præponere*, ut 18 edit.

Huic. ms. 1 Bonon. antiq. *Cui.*

Ad mortemque condemnant. Ita restitui ex mss. et omnibus fere editis. 1 Bonon. antiq. solus, et nonnulli typis excusi habent, *morteque condemnant.*

In quod habet mors potestatem. Reposui *quod* ex mss. 2 antiquissimis Reg., 1 al. Reg. optimæ notæ, et 2 Brun. In 7 Reg., 6 Colb., 2 Clarom. et 17 edit. legitur *in quo.*

Pudorem. Scripti 16 et 12 edit. addunt *que*, sed frustra; a sequenti enim membro abest.

Ad deteriora desciscere. Sic restitui ex mss. 1 Bonon. antiq., Pal., 2 Reg., favente antiquissimo Regio, in quo legitur *desuescere;* corrupte pro *desciscere.* In 16 scriptis et 19 editis est *descendere.*

Digitized by Google

Nondum omnia castitatis officia executus sum: quam Deus non modo intra privatos parietes, sed etiam præscripto lectuli terminat; ut cum quis habeat uxorem, neque servam, neque liberam habere insuper velit, sed matrimonio fidem servet. Non enim, sicut juris publici ratio est, sola mulier adultera est, quæ habet alium, maritus autem, etiam si plures habeat, a crimine adulterii solutus est. Sed divina lex ita duos in matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diversa distraxerit. Nec ob aliam causam Deus, cum cæteras animantes suscepto fœtu maribus repugnare voluisset, solam omnium mulierem patientem viri fecit; scilicet ne fœminis repugnantibus, libido cogeret viros aliud appetere, eoque facto, castitatis gloriam non tenerent. Sed neque mulier virtutem pudicitiæ caperet, si peccare non posset. Nam quis mutum animal pudicum esse dixerit, quod suscepto fœtu mari repugnat? Quod ideo facit, quia necesse est in dolorem atque in periculum veniat, si admiserit. Nulla igitur laus est, non facere quod facere non possis. Ideo autem pudicitia in homine laudatur, quia non naturalis est, sed voluntaria. Servanda igitur fides ab utroque alteri est; immo exemplo continentiæ docenda uxor, ut se caste gerat. Iniquum est enim, ut id exigas, quod præstare ipse non possis. Quæ iniquitas effecit profecto, ut essent adulteria, fœminis A ægre ferentibus præstare se fidem non exhibentibus mutuam charitatem. Denique nulla est tam perditi pudoris adultera, quæ non hanc causam vitiis suis prætendat; injuriam se peccando non facere, sed referre. Quod optime Quintilianus expressit: Homo, inquit, neque alieni matrimonii abstinens, neque sui custos, quæ inter se natura connexa sunt. Nam neque maritus circa corrumpendas aliorum conjuges occupatus potest vacare domesticæ sanctitati; et uxor, cum in tale incidit matrimonium, exemplo ipso concitata, aut imitari se putat, aut vindicari.

Cavendum igitur, ne occasionem vitiis nostra intemperantia demus: sed assuescant invicem mores duorum, et jugum paribus animis ferant. Nos ipsos in altero cogitemus. Nam fere in hoc justitiæ summa B consistit, ut non facias alteri, quidquid ipse ab altero pati nolis. Hæc sunt quæ ad continentiam præcipiuntur a Deo. Sed tamen ne quis divina præcepta circumscribere se putet posse, adduntur illa, ut omnis calumnia, et occasio fraudis removeatur, adulterum esse, qui a marito dimissam duxerit, et eum qui præter crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alteram ducat; dissociari enim corpus et distrahi Deus noluit. Præterea non tantum adulterium esse vitandum, sed etiam cogitationem; ne quis aspiciat alienam, et animo concupiscat: adulteram enim fieri mentem, si vel imaginem voluptatis sibi ipsa depinxerit. Mens est enim profecto quæ peccat; quæ immoderatæ li-

VARIORUM NOTÆ.

Neque servam, neque liberam, etc. Quare repre- C hendenda est in jure civili Romanorum lex Julia, quæ inter liberas tantum personas adulterium stuprumve passas locum habet; cæterum injuriarum, vel servi corrupti actionem relinquat actori adversus eum, qui cum serva consuetudinem habeat. Lib. Inter liberas, ff. ac lib. Jul. de Adul. Non levior error est eorumdem jureconsultorum, qui adulterium et stuprum eum fecisse dicunt, qui vel cum conjuge tua consuetudinem habuit, vel filiam vitiavit; et tu, licet fidem uxori fefelleris, adulter non eris, nisi te altera pars reum fecerit: atque ita adulterium ex passis, non ex inferentibus metiuntur. Adulter ipsis est, qui cum alterius uxore consuetudinem habet, etiam si maritus non sit. Stuprum intulisse dicitur, licet maritus, si rem cum virgine viduave habuerit. Sed sacræ litteræ eum adulterii teneri dicunt, qui fidem conjugalem fefellit. Betuleius.

Sola mulier adultera est, etc. Hoc non ita est ac- D cipiendum. quasi vel contra conjugis tuæ adulterum, vel quasi filiæ stupratorem (si modo hæc Modestini differentia admittenda est, quam Ulpianus καταχρηστικώτερον confundi fatetur) actio data non sit: sed quod mulieri lex Julia non permittat in publico judicio adulterii accusationem, ut Impp. Severus et Antoninus Cassiæ rescripserunt, leg. prima, Cod. ad leg. Juliam de Adult. Betul.

Maritus autem, etc. Ex Petito lex Solonis, quæ partim extat apud Lysiam, partim apud Plutarch. ita habet: *Ne quis pro mœcho prehenditor in ea, quæ vel in lupanari, vel publice prostat. Quæ publice prostant, etiam servorum injuriæ obnoxiæ sunto; per lupanaria namque atque ancillulas libido permittitur.* Hieronym. in Vita Fabiolæ: vide et August. de Civ. Dei lib. xiv, cap. 17. Hinc apud Quintilian. lib. vii, cap. 4, quæritur an deprehensus cum alterius uxore adulter sit: quia non de appellatione, sed de vi facti ejus ambigitur, an omnino peccaverit.

Divina lex. Matth. xix, Marc. x, I Cor. vii, Ephes. v.

Solam omnium mulierem, etc. Plinius ait lib. vii, cap. 11: *Præter mulierem pauca animalia coitum novere gravida.* In paucis iis sunt equa et sus, ut idem Plinius ait extremo cap. 63 lib. x; sed solius equæ meminit Aristot. lib. iv de Gen. Anim., cap. 5.

Libido cogeret viros aliud appetere. Ms. Brun *alias;* Francius, *aliam.*

Iniquum est enim, etc. Ulpian in lib. Si uxor., § Judex, ff. ad leg. Jul. de adult. « Judex, inquit, ante oculos habere debet, et inquirere, an maritus pudice vivens mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit. Periniquum enim videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat. Quæ res potest et virum damnare, non rem ob compensationem mutui criminis inter utrosque communicare. » Betul.

Effecit. Mss. 10 rec. et 4 vet. edit. *id effecit*, 5 alii, *id efficit.*

Exemplo ipso concitata. Sic reposui ex mss. 10 Reg., 5 Colb. et 8 aliis. 1 Colb. et 1 Clarom. habent, *exemplo ipsa concitata;* edit. 12, *exemplo ipso incitata;* in 4 aliis excusis deest *ipso.*— *Exemplo... concitata.* Cic., l. ii de Fin., c. 19, *animi ardore... concitati*, et Lactant., l. i, c. 10, *concitatus dolore injuriæ;* sed plane, ut hic, in l. de Mortibus Persec., c. 9, *concitatus domesticis exemplis* dixerit.

Vindicari. Ex edit. Rom. 1470, cunctisque mss. est, præter 1 Colb., in quo, sicut et in 17 vulgatis, legitur *vindicare.*

Adduntur illa. Ita correxi ex mss. 2 antiquissimis Reg. aliisque sex. In 13 totidemque editis est *addantur;* in 1 Bon. antiq. et 4 aliis *adducuntur.*

Dimissam duxerit. 1 Colb. *divisam;* 1 Bon. antiq. *duxerit ejectam;* Luc. vi.

Adulteram fieri mentem. Ovid., *adultera mens est.*

Francius.

Digitized by Google

bidinis fructum cogitatione complectitur: in hac crimen est, in hac omne delictum. Nam etsi corpus nulla sit labe maculatum, non constat tamen pudicitiæ ratio, si animus incestus est; nec illibata castitas videri potest, ubi conscientiam cupiditas inquinavit. Nec vero aliquis existimet, difficile esse frænos imponere voluptati, eamque vagam et errantem castitatis pudicitiæque limitibus includere; cum propositum sit hominibus etiam vincere, ac plurimi beatam atque incorruptam corporis integritatem retinuerint; multique sint qui hoc cœlesti genere vitæ felicissime perfruantur. Quod quidem Deus non ita fieri præcepit, tamquam astringat, quia generari homines oportet: sed tamquam sinat. Scit enim quantam his affectibus imposuerit necessitatem. Si quis hoc, inquit, facere potuerit, habebit eximiam incomparabilemque mercedem. Quod continentiæ genus quasi fastigium est, omniumque consummatio virtutum. At quam si quis eniti atque eluctari potuerit, hunc servum dominus, hunc discipulum magister agnoscet; hic terram triumphabit; hic erit consimilis Deo, qui virtutem Dei cœpit. Hæc quidem difficilia videntur: sed de eo loquimur, cui calcatis omnibus terrenis, iter in cœlum paratur. Nam quia virtus in Dei agnitione consistit, omnia gravia sunt, dum ignores; ubi cognoveris, facilia. Per ipsas difficultates nobis exeundum est, qui ad summum bonum tendimus.

CAPUT XXIV.

De pœnitentia, de venia, ac præceptis Dei.

Nec tamen deficiat aliquis, aut de se ipse desperet, si aut cupiditate victus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus, ad injustitiæ viam lapsus est. Potest enim reduci, ac liberari, si eum pœniteat actorum, et ad meliora conversus, satisfaciat Deo. Quod fieri posse Cicero non putavit, cujus hæc in Academico tertio verba sunt: « Quod si liceret ut iis qui in itinere deerravissent, sic viam deviam secutos corrigere errorem pœnitendo, facilior esset emendatio temeritatis. » Licet plane. Nam si liberos nostros, cum delictorum suorum cernimus pœnitere, correctos esse arbitramur, et abdicatos abjectosque rursus tamen suscipimus, fovemus, amplectimur: cur desperemus clementiam Dei patris pœnitendo posse placari? Ergo idem Dominus ac parens indulgentissimus remissurum se pœnitentibus peccata promittit, et oblitteraturum omnes iniquitates ejus, qui justitiam denuo cœperit operari. Sicut enim nihil prodest male viventi ante actæ vitæ probitas, quia superveniens nequitia justitiæ opera delevit: ita nihil officiunt peccata vetera correcto, quia superveniens justitia labem vitæ prioris abolevit. Is enim quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit; ideoque Græci melius et signifi-

VARIORUM NOTÆ.

Libidinis fructum cogitatione complectitur. Augustin. contra Manich.: *Justitia tenet sola mala voluntate, quamvis quod voluerint, implere nequiverint.* Salvian., VI: *Ipsa rei turpis cupiditas pro actione damnatur.* Ambros., I. I de Offic.: *Adulterium non solum facti colluvione, sed et aspectus attentione committitur.* PRICÆUS.

Cum propositum sit hominibus. Scripti 9 rec. et 10 edit. vet., *omnibus hominibus.*

Etiam vincere. Sic reposui ex 5 vet. impressis, et omnibus fere mss. præter 1 Lips. cui est *et eam vincere;* 1 Colb. et 8 edit., *eam vincere.*

Hoc cœlesti genere vitæ. Id est cælibatu. FRANCIUS, in ora libri sui.

Sed tamquam sinat. In solo mss. Regio antiquiore, *sed tamquam qui libertatem arbitrio largiatur*: quod est glossema.

Terram triumphabit. In quarto casu, sicut alibi dixit, *vitam vivere, mortem occumbere, militiam militare.* Per *terram triumphare*, intelligit Lactantius, de terrenis bonis et voluptatibus triumphare. Vide Epitom., cap. 51 et 66.

Cepit. Jun., 1 Colb. et 5 edit., *ceperit.*

Nam quia virtus. 1 Reg. antiq., *nam si;* Bon., 8 Reg., Tax., Pen., 2 Colb., 2 Clarom., *namque virtus;* Brun., *nam quoniam virtus.* Cæteri cum omnibus editis, ut in textu: quod videtur aptius.

Nobis exeundum est. Exire, de opere dicitur studio et labore ad finem perducto. CASAUB.

Aut de se ipse desperet. 1 Reg. antiq., *ac;* Brun., *de se ipso.* In 8 scriptis rec. et 6 edd. deest *ipse.*

Ad injustitiæ viam lapsus est. 2 Colb. *justitiæ*, vitiose; 6 rec. et ed. Betul., *a justitiæ via lapsus est.*

Academico tertio. Cicero ad Atticum monet quatuor se de Academicis Quæstionibus libros ad duos contraxisse. Citatur tamen liber quartus a Nonio Marcello, qui alter ex duobus est qui extant, sicut tertius a Lactantio. Hic tamen cum aliis plerisque interiit.

Quod si liceret ut iis, etc. Hic Ciceronis locus non extat hodie. ISÆUS.

Viam deviam. Ita emendavi ex pluribus mss. et editis. Gallice, *la mauvaise voie:* aptior lectio, quam *vitam deviam* aliorum 10. Etenim nostra confirmatur ex aliis Lactantii locis, I. IV Div. Inst., c. 30, *vias sibi devias condiderunt*, et I. V, c. 1, *ab illo itinere devio.* In iis scilicet Ciceronem imitatus est. — Legitur apud Bunem.: — *Vitam deviam.* Gothan., Rost., Ven. 1471, 1515, Paris., Crat., Gymn., Tornes., *sic viam deviam. Via* hic non habet locum et hinc melius Lips., Reimm., Fasit., Gryph., Betul., Thomas. reliqui, *vitam deviam. Sic vita devia est vita a vera via virtutis aversa*, auctore Grævio ad Cicer., Amicit., cap. 25. Plura ad Lact., lib. III, cap. 11.

Facilior. Sic restitui ex omnibus mss. et compluribus editis; *felicior* est in 9 excusis.

Liberos nostros. Quæ res eleganter effecta est in filio prodigo, Lucæ XV.

Suscipimus, fovemus, amplectimur. Mss. 12 rec. et edit. Gymnic. præponunt *sustentamus;* 2 Reg. quorum unus est antiquissimus, respuunt *fovemus;* in 2 aliis Reg. et Brun. legitur *suscipiamus, foveamus, amplectamur.*

Pœnitendo posse placari. 1 Bonon. antiq., *non posse.*

Oblitteraturum. Hæc lectio est antiquissimorum mss. codicum, 2 Bon., 7 Reg., Cauc. 3, Colb., 1 Clarom., Ultr., 2 Lips., 2 Brun. et 16 edit. In mss. 11 rec. et 4 vulgatis est *oblituram.* An respicit Isaiæ locum, XLIII, 25: *Qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor.*

Peccata vetera correcto. 1 Reg. rec. *correcta*, male. 1 al. Reg. *correpta*, pejus; 1 Reg., Tornes., 1 Clarom. habent *vetera correpto;* 1 Reg. antiquissimus, *et vitia correcto.*

Is enim quem facti sui pœnitet. Ita mss. veterrimi

Digitized by Google

cantius μετάνοιαν dicunt, quam nos latine possimus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget; castigatque seipsum dementiæ, et confirmat animum suum ad rectius vivendum : tum illud ipsum maxime cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur. Denique muta quoque animalia, cum fraude capiuntur, si aliquo se modo in fugam extricaverint, fiunt postmodum cautiora, vitantque semper ea omnia, in quibus dolos insidiasque senserunt. Sic hominem pœnitentia cautum ac diligentem facit ad evitanda peccata, in quæ semel fraude deciderit.

Nemo enim potest esse tam prudens, tam circumspectus, ut non aliquando labatur. Et idcirco Deus imbecillitatem nostram sciens, pro sua pietate aperuit homini portum salutis ; ut huic necessitati, cui fragilitas nostra subjecta est, medicina pœnitentiæ subveniret. Ergo quicumque aberraverit, referat pedem, sequè quamprimum recipiat ac reformet :

Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

A Degustatis enim male jucundis voluptatibus, vix divelli ab his possunt : facilius recta sequerentur, si earum suavitates non attigissent. Sed si eripiant se malæ servituti, condonabitur his omnis error, si errorem suum vita meliore correxerint. Nec lucrari se quisquam putet, si delicti conscium non habebit : scit enim ille omnia, in cujus conspectu vivimus ; nec si universos homines celare possumus, Deum possumus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum. Exhortationes suas Seneca mirabili sententia terminavit. « Magnum, inquit, nescio quid, majusque quam cogitari potest, numen est, cui vivendo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodest inclusam esse conscientiam : patemus Deo. » Quid verius dici potest ab eo qui Deum nosset, quam B dictum est ab homine veræ religionis ignaro ? Nam et majestatem Dei expressit, majorem esse dicendo, quam ut eam cogitatio mentis humanæ capere posset ; et ipsum veritatis attigit fontem, sentiendo vitam hominum supervacuam non esse, ut Epicurei volunt, sed Deo ab his operam vivendo dari, siqui-

VARIORUM NOTÆ.

Regio-Put., Cauc., Jun., et 7 alii ac 13 vulgati. In antiquissimis 1 Reg., 1 Bon., 12 aliis rec. et 7 editis est ; *quem enim*, etc. In 1 Colb., *quem enim peccati sui pœnitet.*

Μετάνοιαν. **Dissimulandum non est Tertullianum**; lib. adversus Marcionem II, τὴν μετάνοιαν Deo impertinenter tribuisse, cum ea stultorum tantum sit, juxta illud Hesiodicum : Damno accepto stultus sapit ; unde etiam Epimethei nomen fluxit. Neque etiam ἡ μετάνοια, ut ille inquit, simplex sententiæ prioris conversio est, quæ etiam sine reprehensione vel in homine possit admitti, nedum in Deo : quasi ullus in Deo resipiscendi locus esse possit, cum nemo nisi stultus resipiscat. Quid quod in Genesin non verbum μετάνοεῖν, sed τὸ ἐνθυμεῖσθαι legitur; quod indignationem, non pœnitudinem significat. Sic enim in cap. 6, ubi Dei de humano genere delendo consilium, scriptum sic legitur : Καὶ ἐνθυμήθη ὁ Θεὸς, ὅτι ἐποίησε τὸν ἄνθρωπον ἐπὶ τῆς γῆς, Cogitavit Deus quod fecisset *hominem super terram.* Et postea, subdit : Καὶ διενοήθη, *et recogitavit*, etc. Nec aliter Augustinus, l. xv de Civit. Dei, c. 24, et de Locut. Sed verbum Διανοεῖσθαι consultationem in se continet, non pœnitudinem. Verbum igitur *pœnitendi* nec culpa caret (utar enim ipsius verbis), nec græco sono *pœnitentiæ* nomen ex animi demutatione, sed ex delicti confessione compositum est. Unde Laur. Valla in posteriorem ad Corinth., c. VII, Lactantii nostri interpretationem probat ; et Erasm. in suis ad eumdem locum, atque item ad cap. III Matthæi, Vallæ adstipulatur. Cæterum de Pœnitentia ejusdem Tertulliani egregius extat liber. Betul.

Quam nos latine possumus, etc. Ex mss. 10 Reg., Cauc., 5 Colb. multisque aliis et 11 edd. addidi *latine*, quod desideratur in 1 Bonon. antiq. et 8 editis, in quorum tribus est *possimus*, ut in mss. 6 rec.

Diligentem facit. Ita omnes mss. et 10 editi. In quibusdam excusis est, *faciat.*

Ut non aliquando. Septies enim cadit Justus. Prov. XXIV, Joan. I, Jac. III.

Pro sua pietate. Augustin., de Civit. Dei, l. x, c. 1: *Pietas quoque proprie de Dei cultu intelligi solet, quam Græci* εὐσέβειαν *vocant : hæc tamen et erga parentes officiose haberi dicitur. More autem vulgi, hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur : quod ideo arbitror evenisse, quia hæc fieri præcipue mandat Deus; eaque sibi vel pro sacrificiis, vel præ sacrificiis placere testatur : ex qua loquendi consuetudine factum est, ut et Deus ipse dicatur pius. Quem sane Græci, nullo suo sermonis usu,* εὐσεβῆ *vocant, quamvis* εὐσέβειαν, *pro misericordia, illorum etiam vulgus usurpet.* Hactenus ille. Cujus ex oratione colligimus obtinuisse usum (qui magister loquendi est) ut Deum clementem, ut misericordem hominem, alio quoque latino vocabulo pium, atque εὐσεβῆ græco designemus. C

Petr. Faber.

Portum salutis. Idem *virtutis portum*, supra, c. 18, circa med.

Quicumque aberraverit, etc. Mss. Brun., *aberraverint ...referant pedem, recipiant ac reforment*, quod melius cohæret sequentibus, *vix divelli possunt... sequerentur... attigissent.*

Sed revocare. Ex Virg. Æneid. VI. Verba sunt Sibyllæ, quæ Lactantius ad suum detorquet sensum.

Male jucundis. Male, id est, in perniciem. D

Francius.

Exhortationes suas Seneca, etc. Ita omnes fere mss., edd. Rom. 1470, et Cellar. Scripti 2 Bonon., Tax., Pen., edit. Is. : *Qua exhortationes suas.* Ms. Jun. et 10 excusi, *quod in exhortationibus suis ;* 4 Vulgati, *quod exhortationibus suis.* Sensus tamen textus nostri is est, ut velit dicere, ea sententia, quam antea retulit, Senecam exhortationes suas terminasse : quod adductis etiam Senecæ verbis ostendit.

Nihil prodest inclusam esse conscientiam. Patemus Deo. Sic emendavi ex omnibus mss. et excusis, præter 1 Bonon. antiq. et 4 editos, in quibus legitur, *nihil prodest inclusa conscientia.* Augustinus, ep. LXXXIII : *Quid prodest ab homine aliquid esse secretum ? nihil Deo clausum est : interest animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit.*

Veræ religionis ignaro. Hieronymus tamen eum in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum recenset, argumento sumpto ab epistolis ab ipso atque Paulo mutuo scriptis, ut falso crediderunt nonnulli. Augustini, l. x Civit., c. 6, ipsum inter christianos non numerat, quia hoc coluit, quod reprehendere fuit ausus. Betul.

Digitized by Google

dem juste ac pie vixerint. Potuit esse verus Dei cultor, si quis illi monstrasset; ac contempsisset profecto Zenonem, et magistrum suum Sotionem, si veræ sapientiæ ducem nactus esset. « Huic nos, inquit, approbemus. » Cœlestis prorsus oratio, nisi antecederet ignorantiæ confessio; nihil prodest inclusam esse conscientiam: patemus Deo. » Nullus ergo mendacio, nullus dissimulationi locus est; quia parietibus oculi hominum submoventur: Dei autem divinitas nec visceribus submoveri potest, quominus totum hominem perspiciat, et norit. Idem in ejusdem operis primo: « Quid agis, inquit? quid machinaris? quid abscondis? Custos te tuus sequitur; alium tibi peregrinatio subduxit, alium mors, alium valetudo: hæret hic, quo carere numquam potes. Quid locum abditum legis, et arbitros removes? Putas tibi contigisse, ut oculos omnium effugias? demens! Quid tibi prodest non habere conscium habenti conscientiam? »

Non minus mirabiliter de conscientia et Deo Tullius. « Meminerit, inquit, Deum se habere testem; id est, ut ego arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit Deus ipse divinius. » Item cum de justo ac bono viro loqueretur: « Itaque talis vir, inquit, non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat prædicare. » Purgemus igitur conscientiam, quæ oculis Dei pervia est; et, ut alt idem, « semper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur; » putemusque nos mentis omnibus non in aliquo ut ille dixit, orbis terræ theatro ab hominibus, sed desuper spectari ab eo, qui et judex, et testis idem futurus est; cui rationem vitæ reposcenti, actus suos inficiari non licebit. Ergo satius est aut effugere conscientiam, aut nos ipsos ultro aperire animum, et perniciem rescissis vulneribus effundere: quibus nemo alius mederi potest, nisi solus ille, qui gressum claudis, visum cæcis reddidit, maculata membra purgavit, mortuos excitavit. Ille ardorem cupiditatis extinguet, extirpabit libidines, invidiam detrahet, iram mitigabit. Ille reddet veram et perpetuam sanitatem. Appetenda est hæc omnibus medicina, quoniam majori periculo vexatur anima, quam corpus; et quamprimum latentibus morbis adhibenda curatio est. Neque enim si utatur aliquis oculorum acie clara, membris omnibus integris, firmissima totius corporis valetudine; tamen eum dixerim sanum, si efferatur ira, superbia tumidus inflatur, libidini serviat, cupiditatibus inardescat: sed eum potius, qui ad alienam felicitatem non attollat oculos, opes non admiretur, alienam mulierem sancte videat, nihil omnino appetat, non concupiscat alienum, non invideat ulli, non fastidiat quemquam; sit humilis, misericors, beneficus, mitis, humanus; pax in animo ejus perpetua versetur.

Ille homo sanus, ille justus, ille perfectus est. Quisquis igitur his omnibus præceptis cœlestibus obtemperaverit, hic cultor est verus Dei, cujus sacrifi-

VARIORUM NOTÆ.

Verus Dei cultor. Ita mss. et edd. Francius malebat, *veri.*

Si quis illi monstrasset. Verum Deum.

Zenonem. Is erat Stoicæ factionis princeps.

Et magistrum suum Sotionem. Hieronymus Chronico Eusebiano extremo Augusti imperio: *Sotio philosophus, Alexandrinus, præceptor Senecæ, clarus habetur.* Et ipse Seneca ep. XLIX: *Modo apud Sotionem philosophum puer sedi, modo causas agere cœpi.* BUNEM. — *Sotionem.* Philosophum Hispanum, qui Senecæ magister fuit.

Ignorantiæ confessio. Em. *ignorantis confessio.*

Nihil prodest inclusam esse conscientiam. Ita restitui ex omnibus ferme mss. et edit. Is. In mss. Canc., 2 Reg. rec., Em., Cant., et 13 impressis est *inclusam habere conscientiam.*

Dei autem divinitas nec visceribus submoveri potest. Est enim *scrutans corda et renes Deus*, psal. VII, 10. Minucius in Octavio, *tenebris interest, interest cogitationibus nostris.*

Numquam potes. Mss. 10 Reg., 2 Colb., ed. Betul., *potest*, male.

Puta, tibi contigisse, ut oculos omnium hominum effugias demens. Seneca, l. I; Clem., c. 26: *Sed puta tutam esse crudelitatem.* L. III Benef., c. 30: *Puta me vitam pro vita reddidisse.* Ep. LXIV: *Puta, relicta nobis medicamenta.* BUN.

Non habere conscium habenti conscientiam. Habere conscium abest a nonnullis editis, in quibus est *habenti scientiam.* Hæc emendatio est Nicolai le Nourry, in suo Bibliothecæ Patrum Apparatu, tomo II.

Tullius. Cicero, l. III de Offic., c. 3.

Mentem suam, etc. Antoninus, l. XII, § 26, ὁ ἑκάστου νοῦς θεός. Hermes Pimand. cap. 12, ὁ νοῦς ἐν ἀνθρώποις θεός ἐστιν. Atque inde Synes., *in Calvit. encom.* de capite, *Dei templum caput*, quia mentis sedes. Cicer., Offic., l. III, § 44, a Lactant. laudat. Institut., l. VII, et Euripid. apud Theon. Soph. in Progymn. GATAKER.

Ut rationem reddendam. Seneca, ep. XII: *Mors tam juveni ante oculos esse debet, quam seni.* Epictet. Enchirid., c. 28, vide ibi totum. Augustin., Homil. 13: *Ultimum diem latere voluit, ut omnes observarentur.* Gregor. Rom. in Job., l. XXII: *Dies ultimus salubriter ignoratur, ut semper proximus esse credatur. Quomodo enim de die in diem differendo peccas, cum extremum diem, an iste sit nescias?* Horat., lib. I, epist. IV:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Et Hieronym. in Matth. c. XXIV: *Sic vivamus quotidie, quasi die illa judicandi simus.* GATAKER.

Dixit. Actione ult. in Verr.

Testis idem. Mss. 16 rec. et 6 edit. legunt *testis ipse.*

Invidiam detrahet. Ita vetustissimi mss. 2 Reg., 1 Bonon., Jun., Em., Cant. cum edit. Betul. In mss. 18 Reg. et 17 vulgatis est *distrahet.*

Superbia tumidus inflatur. 1 Bon. antiq., Em., Cant., *superbia tumore inflatur.*

Alienam mulierem sancte videat. Horat. *oculo irretorto.* FRANCIUS.—Curtius, l. III, c. 12, de Alexandro: *Virgines excellenti forma tam sancte habuit, quam si eodem quo ipse parente genitæ forent.*

Non concupiscat alienum. Sic lego cum Regio-Put., 3 al. Reg., 3 Colb., 1 Clarom., Em., Cant. et 4 vet. editis. In 11 scriptis et 13 excusis, pro *non*, est *nihil.*

Hic cultor est verus Dei. Ita ferunt antiquissimi mss. 1 Bon., 1 Reg., 3 alii et edit. Is. Vide supra, *potuit esse verus Dei cultor.* In 21 mss. et 18 vulgatis legitur, *hic cultor est veri Dei.*

Digitized by Google

cia sunt, mansuetudo animi, et vita innocens, et actus boni. Quæ omnia qui exhibet, toties sacrificat, quoties bonum aliquid ac pium fecerit. Deus enim non desiderat victimam, neque muti animalis, neque mortis ac sanguinis, sed hominis et vitæ. Ad quod sacrificium neque verbenis opus est, neque februis, neque cespitibus, quæ sunt utique vanissima : sed iis quæ de intimo pectore proferuntur. Itaque in aram Dei, quæ vere maxima est, et quæ in corde hominis collocata, coinquinari non potest sanguine, justitia imponitur, patientia, fides, innocentia, castitas, abstinentia. Hic est verissimus ritus : hæc illa lex Dei, ut a Cicerone dictum est, præclara et divina, semper quæ recta et honesta jubet, vetat prava et turpia ; cui parentem sanctissimæ ac certissimæ legi, juste ac legitime necesse est vivere. Cujus legis pauca equidem capita posui, quod sum pollicitus ea tantummodo esse dicturum, quæ summum fastigium virtuti et justitiæ imponerent. Si quis volet cætera omnia comprehendere, ex fonte ipso petat, unde ad nos rivus iste manavit.

CAPUT XXV.

De sacrificio, et de dono Dei digno ; atque de forma laudandi Deum.

Nunc de sacrificio ipso pauca dicemus. « Ebur, inquit Plato, non castum donum Deo. » Quid ergo ? Picta scilicet et texta pretiosa ? Immo vero non castum donum Deo, quidquid surripi, quidquid corrumpi potest. Sed sicut hoc vidit, non oportere viventi offerre aliquid, quod sit ex mortuo corpore ; cur illud non vidit, non debere incorporali corporale munus offerri ? Quanto melius Seneca, et verius? « Vultisne vos, inquit, Deum cogitare magnum et placidum, et majestate leni verendum amicum, et semper in proximo ? Non immolationibus et sanguine multo colendum (quæ enim ex trucidatione immerentium voluptas est ?) : sed mente pura, bono

VARIORUM NOTÆ.

Deus enim non desiderat victimam. Pluribus editis deest *non*, quod reposui ex omnibus mss. et multis editis.

Neque verbenis opus est, neque februis, neque cespitibus, etc. *Februis* ait pro intestinis, pars pro toto. Sacra facturi super aras cespitem ex gramine, seu verbenas apponebant. Verbena item et laurus suffitionibus frequentes erant. Virg., eclog. VIII :

Molli cinge hæc altaria vitta;
Verbenasque adole pingues, etc. ISÆUS.

Verbenam Donatus in Andria dictam ait, quasi herbenam ; verbenasque esse omnes herbas atque frondes festas, ad aras coronandas. Nulla herba plus nobilitatis Romæ habuit, teste Plinio, l. XXV, c. 9. Hac (inquit) Jovis mensa verritur, domus purgatur, lustraturque. Hinc Dioscorides, l. IV, ἱεροβοτάνην, id est, *sacram herbam* dictam ait. BETUL. — *Februis*. Sic lego ex antiquissimo ms. Regio, suffragante altero Regio-Puteano, codice item vetustissimo et optimo, cui est *febris* pro *februis*. Alii ferunt *fibris*. At legendum esse *februis*, probant ista Varronis verba : *Februum Sabini purgamentum, et id iis sacris nostris verbum*. Nec minus diserte Festus : *Quæcumque purgamenti causa* (inquiebat) *in quibusque sacrificiis adhibentur, februa appellantur : id vero quod purgatur, dicitur februatum ;* sicut et Augustinus, l. VII de Civit. Dei, c. 7, atque Ovidius.

De intimo pectore. Sic restitui ex omnibus mss. præter 4 rec. et edit., quibus est *corde :* sed mox sequitur.

In aram Dei, quæ vere maxima est. Alludit ad aram Herculis maximam. Virg., VIII Æneid., 2, 271 et 272. —*Quæ vere maxima.* Recte monuit Heumannus, nostrum respexisse ad *aram maximam*, de qua Livius, l. I, c. 7, et Virg., l. VIII Æn., v. 271. Conf. de eadem Macrob., lib. III Saturn., 12. Romanæ aræ maximæ hanc *vere maximam* quasi opponit.

Ut a Cicerone dictum est. Addidi *est*, ex omnibus mss. multisque editis. Hoc Ciceronis est in I libro de Legibus.

Nunc de sacrificio ipso pauca dicemus. Non satis cordate disputat hoc capite Lactantius de externo Dei cultu, templis eorumque ornatu, donariis, sacrificio. Videtur enim omnem externum Dei cultum improbare. Equidem præcipuum Ecclesiæ sacrificium eucharistiæ externum quoque magna ex parte est, et externo ritu mactatur. Insuper etsi cultus internus mentis et spiritus sit præcipuus, et quem magis ab unoquoque nostrum requirit Deus ; nam ille externus sine interno non affert salutem christiano : at noster externus Dei cultus ex se pius, sanctus, bonus, atque Deo gratus est ; externaque ornamenta ecclesiarum, quæ partim in fabricis, partim in vasis aureis, vestibus sericis, etc. consistunt, ex ipso sui genere conferunt ad pium et sanctum Dei cultum ; et contrarium sentire, hæresis est Petrobrusianorum, Wiclefistarum, ac Novatorum nostri temporis. Vide Bellarminum, l. III de Cultu Sanctorum, c. 6, et Baron., tom. I Annal. anno 57. Quod vero attinet ad mentem Lactantii hoc capite, eam in bonum sensum recte sic reducit Thomasius, adversus eos enim loquitur qui religionem in solo cultu externo positam putabant. Attamen Lactantius minus caute loquitur.

Ebur, inquit, Plato, non castum donum Deo. Plato, l. XII de Legibus circa medium. Plinius, l. VIII, c. 10, indicat eboris maximum in sacris usum fuisse. *Dentibus*, inquit, *ingens pretium, et deorum simulacris laudatissima ex iis materia. Invenit luxuria commendationem et aliam ; expetit in collo manus vim saporis : haud alio de causa, credo, quam quia ipsum ebur sibi mandere videtur. Magnitudine dentium videtur quidem in templis præcipua*, etc. Idem, Plin., lib. XII, c. 1 : *Arbore sulcamus maria, terrasque admovemus : arbore ædificamus tecta. Ex arbore et simulacra numinum fuere, nondum pretio excogitato belluarum cadaveri, antequam ut a diis nato jure luxuriæ, eodem ebore numinum ora spectarentur, et mensarum pedes.* BETUL.

Incorporali. Cicero, l. I, de Nat. deor.

Seneca. Libro de Superstitionibus, qui liber etiam a Tertulliano et S. Augustino laudatur.

In proximo. Id est, proximum. Cyprian., lib. III Test. ad Quir., c. 23, *jam tempus in proximo est ;* aut, ut Elmenhorst. in indice ad Apuleium, *in proximo*, in vicinia.

Sed mente pura, etc. Paulinus, ep. XXXII :

Corpore, mente, fide, castissimus incola Christi,
Condidit ista Deo tecta Severus ovans.
Totus ut ipse Dei templum viget, hospite Christo,
Gaudentemque gerit corde humili Dominum.

Sed matris in pectore jam inchoaverat Christus templum suum, et exordium sanctæ habitationis. Augustin., l. II Confess., c. 3. — *Mente pura.* Cic., l. II de Nat. deor. : *Cultus deorum est optimus idemque castissimus, atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta mente et voce veneremur.*

Digitized by Google

honestoque proposito. Non templa illi congestis in altitudinem saxis extruenda sunt : in suo cuique consecrandus est pectore. » Vestes igitur, gemmas, et cætera, quæ habentur in prætio, si quis putet Deo chara, is plane, quid sit Deus, nescit, cui putat voluptati esse eas res, quas etiam homo si contempserit, jure laudabitur. Quid ergo castum, quid Deo dignum, nisi quod ipse in illa divina lege sua poposcit ?

Duo sunt, quæ offerri debeant, donum, et sacrificium : donum in perpetuum, sacrificium ad tempus. Verum apud istos, qui nullo modo rationem divinitatis intelligunt, donum est, quidquid auro argentoque fabricatur ; item quidquid purpura et serico texitur. Sacrificium est victima, et quæcumque in ara cremantur. Sed utroque non utitur Deus ; quia et ipse incorruptus est, et illud totum corruptibile. Itaque Deo utrumque incorporale offerendum est, quo utitur. Donum est integritas animi ; sacrificium, laus, et hymnus. Si enim Deus non videtur, ergo his rebus coli debet, quæ non videntur. Nulla igitur alia religio est vera, nisi quæ virtute ac justitia constat. Quomodo autem Deus justitia hominis utatur, intellectu facile est. Si enim justus fuerit homo, accepta immortalitate, in æternum Deo serviet. Homines autem non nisi ad justitiam nasci, cum philosophi veteres, tum etiam Cicero suspicatur. Disserens enim de legibus : « Sed omnium, inquit, quæ in hominum doctorum disputatione versantur, nihil est profecto præstabilius, quam plane intelligi nos ad justitiam esse natos. » Id ergo solum Deo exhibere atque offerre debemus, ad quod capiendum nos ipse generavit. Hoc autem duplex sacrificii genus quam sit verissimum, Trismegistus Hermes idoneus testis est ; qui nobiscum, id est, cum prophetis, quos sequimur, tam verbis quam re congruit ; sicque de justitia locutus est : «Hoc verbum, o fili, adora et cole.» Cultus autem Dei unus est, malum non esse. Item in illo sermone perfecto, cum exaudisset Asclepium quærentem a filio suo, utrum placeret patri ejus offerri thus, et alios odores ad sacrificium Dei, exclamavit : «Bene, bene ominare, o Asclepi. Est enim maxima impietas, tale quid de uno illo ac singulari bono in animum inducere. Hæc et his similia huic non conveniunt. Omnium enim quæcumque sunt, plenus est, et omnium minime indigens. Nos vero gratias agentes adoremus. Hujus enim sacrificium, sola benedictio. » Et recte.

Verbo enim sacrificari oportet Deo ; siquidem Deus verbum est, ut ipse confessus est. Summus igitur colendi Dei ritus est, ex ore justi hominis ad Deum directa laudatio : quæ tamen ipsa ut Deo sit accepta, et humilitate, et timore, et devotione maxima opus est ; ne quis forte integritatis et innocentiæ fiduciam gerens, tumoris et arrogantiæ crimen incurrat, eoque facto gratiam virtutis amittat. Sed ut sit Deo carus,

VARIORUM NOTÆ.

Consecrandus est pectore. Ita Minucius, omnes editi, et cuncti pene mss. Simili locutione usus est Lactantius ad hujusce capitis finem, *habeat Deum semper in corde suo consecratum.* Mss. 2 Bonon., Jun., 3 Reg. rec., 1 Colb., Tax., *consecrandum est.*

Quid sit Deus. Bonon., 1 Reg. rec. et Tax., *quis ;* 1 Reg. *qui.*

Quas etiam homo si contempserit. Omnes edit. præter vet. Rom. post *si* addunt *quis*, quod expunxi, et respuunt manu exarati codices.

Divina lege. De Sacrificiis in Levitico agitur ; ac de donariis in Exodo, c. xxv, etc.

Verum apud istos... donum est, etc. Errat Lactantius ; quam enim ille refutat, ipsa est vera et propria differentia inter donum et sacrificium, ut docent Chrysost., homil. 18, in Ep. ad Hebræos ; Theophylact., ad cap. VIII ejusdem Epistolæ ; S. Thomas 2-2, quæst. 85, art. 3. Isæus.

Trismegistus. Trismeg. in Pimand., c. 12.

Cultus autem Dei unus est, malum non esse. Non solum a malo abstinere debent christiani, sed operari bonum, ut testantur et exigunt Christus, Prophetæ, Apostoli, et SS. Ecclesiæ Patres.

In illo sermone perfecto, etc. Ἐν λόγῳ τελείῳ, qui etiam supra, l. IV, c. 6, citatus est. Est autem hoc testimonium in fine Asclepii. Unde ego Apulei translationem, quia Græca nobis desunt, adscribam verbis paulo altius repetitis : *De adyto vero egressi cum Deum orare cœpissent, in austrum respicientes erant. Sole enim occidente, cum quis Deum orare voluerit, illuc debet respicere : sicut et sole oriente, in eum qui subsolanus dicitur. Jam ergo dicentibus precationem, Asclepius ait : Submissa voce oranti suggeramus Patri, quod jusserit, ut thure addito et pigmentis, precem dicamus Deo. Quem Trismegistus audiens, atque commotus ait : Melius, melius ominare, o Asclepi. Hoc enim sacrilegiis simile est, cum Deum roges, thus atque cætera incendere ; nihil enim deest ei, qui ipse est omnia. Sed nos agentes gratias, adoremus. Hæc enim sunt summæ incensiones Dei, cum aguntur grates a mortalibus. Deinde sequitur gratiarum actio.* Betul.

Asclepium quærentem a filio suo. Ex mss. et omnibus fere editis restitui *quærentem.* In editis Thys. et Gall. *quæ*, male.

Bene, bene ominare, o Asclepi. Sic profecto legendum est ex mss. codicibus Regio-Put., Bononiensi antiquo, ac ipsomet Hermetis Trismegisti Asclepio in præcedenti observatione relato, necnon ex Apuleiana versione. Regio et Bononiensi mss. concordant Lips., Pal. et editi Spark., Walch. legitur *o mi nate*, in 25 scriptis et 18 excusis. Litterarum *r* et *t*, eadem fere figura est in mss. Corrupte legitur in mss. Bononiensi antiquo, *o Asclepiades.* In Asclepio, cap. ultimo.

Impietas. Verum quidem, si solo thure et solis odoribus velimus eum colere ; quod videtur sequentibus verbis.

Indigens. 1 Bon. antiq., *indiget.*

Hujus enim sacrificium, sola benedictio. Et recte. Verbo enim sacrificari. Mss. Brun. addunt *est*, post *benedictio ;* mss. Oxonienses post *Et recte.* In 5 editis, *hujus sacrificium sola benedictio ; recte est. Verbo ergo sacrificari.* Ms. 1 Bon. antiq., *cujus sacrificium est sola benedictio. Recte ergo.* Eo loci doctrina Lactantii vera est, quia contra Gentiles disputat, quorum totum sacrificium erat in donis pretiosis, nulla ratione habita interni sacrificii, scilicet innocentiæ, honestæ ac piæ vitæ, humilitatis, timoris et integritatis. Atque hic est scopus Trismegisti, cujus verba refert Lactantius. Sic et S. Paulinus, ep. XII. Ita sensit et Thomasius. —*Benedictio. Et recte.* Epitom. c. 68 : *Stoici aiunt hominum causa factum esse. Et recte.* Ipse Cicero in Bruto, c. 51 : *Plato*, inquit Antimachus, *mihi unus instar est omnium millium. Et recte.* Bun.

Et humilitate. Præposui *et* ex 9 vet. editis, cuntisque mss. præter 2 Bon. et 2 Reg. rec.

Digitized by Google

omnique macula careat, misericordiam Dei semper imploret, nihilque aliud precetur, nisi peccatis suis veniam, licet nulla sint. Si quid aliud desideraverit, non est opus dicto scienti quid velimus. Si quid ei boni evenerit, gratias agat ; si quid mali, satisfaciat, et id sibi ob peccata sua evenisse fateatur ; et nihilominus etiam in malis gratias agat, et in bonis satisfaciat : ut idem sit semper, et stabilis, et immutabilis et inconcussus. Nec tantum hoc in templo putet sibi esse faciendum, sed et domi, et in ipso etiam cubili suo. Secum denique habeat Deum semper in corde suo consecratum ; quoniam ipse est Dei templum. Quod si Deo, patri ac domino, hac assiduitate, hoc obsequio, hac devotione servierit, consummata et perfecta justitia est ; quam qui tenuerit, hic (ut ante testati sumus) Deo paruit, hic religioni atque suo officio satisfecit.

VARIORUM NOTÆ.

Licet nulla sint. Nempe sibi cognita. Et quot nobis sunt occulta ! Unde Psalmista ait : *Ab occultis meis munda me, Domine.* Psalm. XVIII, 13. Quis enim potest mundus esse ab omni peccato ? Vide supra Lactantium, c. 13. Et *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus ; et veritas in nobis non est.* I Joan. Ep., I, 8.

Satisfaciat. Faciendo dignos pœnitentiæ fructus, Luc. III. *Ad agendum* enim *pœnitentiam*, juxta Augustinum, l. de Pœnitentia, *non sufficit mores in melius commutare, et a malefactis recedere ; nisi et de his quæ facta sunt, satisfacias Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis genitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.*

Id sibi ob peccata sua evenisse fateatur. Mss. 2 rec. et edd. habent *illud ;* 1 Bon. et 1 Reg. rec. *venisse.* Cæteri ut in textu.

Etiam in malis gratias agat. Ms. 1 Bon. antiq. addit *suis.* Deest *etiam* in 2 Reg. rec. et 5 editis, cujus vice est *et* in Brun. — *Etiam in malis gratias agat.* Id est, in adversis, in calamitatibus, l. II, c. 11 : *Nunquam Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt.* Bun.

Quod si Deo, patri ac domino. Qui est pater ac dominus omnium. Francius.

ANALYSIS LIBRI SEPTIMI,

DE VITA BEATA.

Partes libri septimi novem sunt :

Prima indagat summum bonum, sive præmium virtutis, a cap. 1 usque ad 7, idque immortalitatem esse statuit.

Secunda de immortalitate animæ disserit, a c. 7 usque ad 14.

Tertia docet, quatenus homini tribuatur beatitas, cap. 14.

Quarta docet de tempore, quando ei tribuatur : ubi disserit de fine mundi, et signis antecedentibus, tum remotioribus, tum propioribus (*Cap.* 15, 16, 17, 18, 19).

Quinta agit de judicio novissimo (*Cap.* 20, 21, 22, 23).

Sexta agit de imperio Christianorum in terra per mille annos (*Cap.* 24).

Septima rursum de tempore finis mundi, et quidem specialius disserit (*Cap.* 25).

Octava docet quid, exactis mille annis, futurum sit (*Cap.* 26).

Quibus omnibus subjicitur generalis totius operis conclusio, quæ nona hujus libri pars est.

Summam PRIMÆ PARTIS Lactantius ipse colligit sub initium capitis sexti. Idcirco, inquit, mundus factus est, ut nascamur : ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum : ideo agnoscimus, ut colamus : ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus : ideo præmio immortalitatis afficimur, ut similes angelis effecti, summo Patri in perpetuum serviamus. Hanc summam esse dicit theologiæ, quam philosophi non comprehenderunt, licet quælibet secta aliquid viderit. Summum igitur bonum immortalitas statuitur.

ALTERA parte immortalitas animæ defenditur negarunt, quam philosophorum alii asseruerunt, alii (*cap.* 8). Argumentis utitur subsequentibus.

I. Si dii sunt expertes corporum, necesse est humanas animas eadem ratione subsistere.

II. Æternitas animæ ex eo dignoscitur, quia nullum est aliud animal, quod habeat notitiam Dei.

III. Homo solus cœlesti elemento utitur, igni scilicet, elemento lucis et vitæ. Igitur immortalem sortitus est conditionem.

IV. Virtus soli homini data nocet præsenti vitæ ; proderit igitur vitæ futuræ (*Cap.* 9).

V. Ipsa virtutis perpetuitas indicat humanum animum, si virtutem ceperit, permanere.

VI. Cicero ipse in Tusculanis sensit summum homini bonum non nisi post mortem contingere (*Cap.* 10).

VII. Sicut Deus sempiternus est : sic et bona, quæ piis tribuit.

VIII. Ut corporis opera ideo mortalia sunt, quia ipsum mortale est : ita anima ex eo immortalis apparet, quia videmus opera ejus non esse mortalia.

IX. Animus desiderat non fragilia, sed æterna ; credibile est igitur, ipsum quoque esse æternum.

X. Si ideo mortale est corpus, quia visui pariter et tactui subjacet ; ergo et anima idcirco immortalis est, quia nec tangi potest, nec videri (*Cap.* 11).

Objicit Lucretius lib. III, *animam cum corpore nasci : ergo et interire.*

Respon.—Non est par utriusque ratio, quia corpus ex terra, anima ex cœlesti spiritu constat. Immo nec corpus post secessum animæ statim diffluit ; manet igitur multo magis anima.

Objicit idem : *Sensus in pueris et in juvenibus viget, et in senibus diminuitur : ergo anima est mortalis.*

Respon. — Differunt mens et anima. Illa augetur, vel minuitur pro ætate ; hæc in statu suo semper est.

Objicit : *Animam dolori et luctui esse obnoxiam ; igitur et mortalitati.*

Respon.—Idcirco virtus necessaria est, ut mœror repellatur, et voluptas abstinentia superetur.

Objicit : *Oculum evulsum a corpore nihil videre ; igitur et animam separatam nihil sentire.*

Respon.—Dissimilitudo est. Anima enim non pars

Digitized by Google

corporis est, sed in corpore (*Cap.* 12).

Reliquæ objectiones non sunt magni momenti, ideoque hic omissæ.

XI. Hermes quoque et Sibyllina carmina immortalitatem animæ docuerunt (*Cap.* 13).

TERTIA parte libri docet, quatenus homini immortalitas tribuatur; aitque solam justitiam esse, quæ vitam homini pariat æternam, et solum Deum, qui æternæ vitæ præmium largiatur. Qui autem suis meritis immortales facti esse dicuntur, quia vera justitia caruerint, non immortalitatem sibi, sed mortem peccatis quæsivisse.

QUARTA parte disserit de fine mundi, et finis illius signis.

De fine audaciter pronuntiat, expletis sex millè annis consummationem futuram; quia sex dierum spatio omnia Deus condiderit et perfecerit (*Cap.* 14).

Signa antecedentia, tum remotiora, tum proximiora enumerat.

Remotiora: summam hominum impietatem, et romani imperii destructionem (*Cap.* 15). Atque hic B miras conjecturas Lactantii legere est, de tempore et modo destructionis imperii romani, per totum cap. 16, 17 et 18.

Proximiora signa hæc recenset: casurum dicit gladium e cœlo, et Christum descensurum comitantibus angelis in medium terræ, et virtutem Angelorum in manus justorum tradituram reprobos (*Cap.* 19).

QUINTA parte agit de judicio, novissimo, cujus formam breviter describens, judicabuntur, inquit, qui Deum scierunt, et facinora eorum, id est, mala opera cum bonis collata ponderabuntur: ut si plura et graviora fuerint bona, justificentur ad vitam beatam; si autem mala superaverint, condemnentur ad pœnam. Hoc loco quæstionem illam discutit: Quomodo anima affligatur, quæ est immortalis. Ac A Stoicos quidem impiorum animas mediam quamdam inter immortalem mortalemque naturam gerere, scribit asseverare (*Cap.* 20). Ipse autem potestatem Dei advocat, quæ incorporalia etiam comprehendat, et quemadmodum velit, afficiat. Deinde modum afflictionis exponens, ignis divinus, inquit, una eademque vi cremabit impios et recreabit; et quantum a corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit. Sed et justos cum judicaverit, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata, vel pondere, vel numero prævaluerint, perstringentur igni, atque amburentur. Quos autem plena justitia incoxerit, ignem illum non sentient (*Cap.* 21). Addit his Lactantius, quæ poetæ de novissimo judicio, quæque philosophi de resurrectione scripserunt (*Cap.* 22, 23).

SEXTA parte, Chiliastarum somnium secutus, docet Christum mille annis inter homines versaturum, eosque justissimo imperio gubernaturum (*Cap.* 24).

SEPTIMA parte specialius definit tempus finis mundi. Omnis exspectatio, inquit, non amplius quam ducentorum videtur annorum (*Cap.* 25).

OCTAVA, quid, exactis mille annis, futurum sit, enarrat. Renovabitur mundus, inquit, a Deo, et cœlum complicabitur, et terra mutabitur; et transformabit Deus homines in similitudinem angelorum, et erunt candidi, sicut nix, et versabuntur semper in conspectu Omnipotentis, et Domino suo sacrificabunt, et servient in æternum. Eodem tempore fiet secunda illa et publica omnium resurrectio, in qua excitabuntur injusti ad cruciatus sempiternos (*Cap.* 26).

CONCLUSIO totius operis sequitur, qua gratulatur Ecclesiæ de pace per Constantinum facta; et universos ac singulos hortatur, ut abjectis deorum cultibus, Deo vero se dedant, atque ita pœnas venturas effugiant. SCULTETUS.

LIBER SEPTIMUS.

DE VITA BEATA.

CAPUT PRIMUM.

De mundo; et qui sint crediturі, qui vero non, atque ibi reprehensio perfidorum.

Bene habet; jacta sunt fundamenta, ut ait eximius Orator. Verum nos non fundamenta solum jecimus, quæ firma et idonea essent operi perforendo; sed magnis robustisque molibus ædificium totum pene usque ad summa perduximus. Restat, id quod est C multo facilius, vel tegere, vel ornare; sine quo tamen priora opera et inutilia sunt, et ingrata. Nam quid prodest, aut falsis religionibus liberari, aut intelligere veram? quid aut vanitatem falsæ sapientiæ pervidere, aut quæ sit vera cognoscere? Quid, inquam; prodest cœlestem illam justitiam defendere? quid cum magnis difficultatibus cultum Dei tenere, quæ est summa virtus? nisi eam divinum

VARIORUM NOTÆ.

De Vita beata. In cap. 5, et in vet. edit. Rom. et in manuscriptis, titulus hujus septimi libri est *de Vita beata*, præter 1 Colbert., 2 Reg. in quibus est *de præmio virtutis*: in plerisque editis est *de divino præmio et ultimo futuro judicio*. Priorem lectionem tuetur cap. 1, in quo legitur, *divinum præmium beatitudinis perpetuæ*; posteriorem, caput 2 *superest ut de judicio Dei disseramus*, etc., cap. 15. Prudenter monet Thomasius, in hoc septimo libro Lactantii multos esse errores, partim a philosophis, iisque Platonicis, partim ab Origene desumptos; nam et iidem in antiquis libris reperiuntur. Hoc igitur monere sufficiat initio libri.

Bene habet: jacta sunt fundamenta. Lips. 2, 3 Reim.: *Bene hactenus.* Ven. 1493, 77: *Bene habeat.* Camerarius ad Ciceronem li. l. subaudit, *bene habet se res.* At Cicero et alii veteres voces *se res* non addunt. Seneca Herc. Fur. IV, 10, 35: *Bene habet: pudendi regis excisa est domus.* Œdip. V, 998: *Bene habet: peractum est.* BUNEMAN.

Operi perferendo. Optime; fundamenta enim perferunt opus seu ædificium, non perficiunt. Itaque male immutarunt in *perficiendo* librarii, 5 mss. rec. et edit. Rom. 1468, 1470.

Falsis religionibus. De falsis religionibus dictum est libro I et II.

Veram. De qua Lactantius agit libro VI.

Falsæ sapientiæ. De hac agitur libro III.

Quæ sit vera. Hanc docet auctor libro IV.

Cœlestem justitiam. De qua vide libro V.

Nisi eam. Sic restitui ex antiquioribus et potioribus mss., 2 Bonon., Regio-Put., Tax., 2 Claromontanis.

Digitized by Google

præmium beatitudinis perpetuæ subsequatur. De qua nobis est in hoc libro disserendum; ne priora omnia irrita et infructuosa videantur, si hoc, cujus causa illa suscepta sunt, in incertum relinquamus; ne quis forte arbitretur, tantos labores incassum suscipi, dum eorum cœlesti mercedi diffidit, quam Deus statuit ei, qui hæc suavia terræ bona præ sola nudaque virtute contempserit. Satis et huic parti faciamus, cum testimoniis divinarum Litterarum, tum etiam probabilibus argumentis, ut æque clarum sit, et futura præsentibus, et divina terrenis, et perpetua brevibus esse anteponenda, quoniam temporalia sunt præmia vitiorum, sempiterna virtutum.

Exponam igitur rationem mundi, ut facile possit intelligi, et quando, et quare sit effectus a Deo: quod Plato, qui de mundi fabricatione disseruit, nec scire poterat, nec explicare; quippe qui cœleste mysterium, quod non nisi prophetis ac Deo docente discitur, ignorabat; ideoque in perpetuum dixit esse fabricatum. Quod longe secus est: quoniam quidquid est solido ac gravi corpore, ut initium cepit aliquando, ita finem capiat necesse est. Nam Aristoteles cum non videret quemadmodum posset tanta rerum magnitudo interire, et hanc præscriptionem vellet effugere, semper ait fuisse mundum, ac semper futurum. Prorsus nihil vidit; quia quidquid est, necesse est aliquando habuerit principium, nec omnino quidquam potest esse, nisi cœperit. Nam cum terram, et aquam, et ignem disperire, consumi, extinguique videamus, quæ sunt utique mundi partes, intelligitur id totum esse mortale, cujus membra sunt mortalia. Ita fit, ut natum sit quidquid potest interire. Sed et omne quod sub visum oculorum venit, et corporale, ut ait Plato, et solubile sit necesse est. Unus igitur Epicurus, auctore Democrito, veridicus in hac re fuit; qui ait, et ortum aliquando, et aliquando esse periturum. Nec tamen rationem ullam reddere potuit, aut quibus de causis tantum hoc opus, aut quo tempore solvatur. Quod quoniam nobis Deus revelavit, nec conjecturis id assequimur, sed traditione cœlesti, docebimus sedulo; ut tandem studiosis veritatis appareat, non vidisse neque comprehendisse philosophos veritatem, sed ita leviter odoratos, ut tamen unde eos odor ille sapientiæ tam suavis, tam jucundus afflaverit, nullo modo senserint.

Interim necessarium puto admonere lecturos, quod hæc nostra quæ tradimus; pravæ vitiosæque mentes aut omnino non intelligent (hebetatur enim

VARIORUM NOTÆ.

aliisque. In 3 Reg. est *eamdem;* in 2 Reg. rec. et editis *nisi eum.* In 3 Colb., Brun. et ed. Crat. *nisi cum, nisi eam*, intellige justitiam. Si legas *nisi eum*, subaudi *cultum.* — *Nisi eam.* Ita edo ex Bon., Tax., Lips. 2, 3 Reimm., *eam*, scilicet virtutem. Observes Lactantium miro artificio sectione hac tertia inscriptiones septem librorum Divin. Instit. complecti. BUNEMAN.

Divinum præmium. De quo hoc septimo libro. Paucis istis verbis dedit auctor Anacephaleosim totius operis.

In incertum relinquamus. Præpositio *in* abest a mss. 2 Bonon. et 11 aliis.

Mercedi. Sic scribo. Suadente: Tullio, *qui diffidit perpetuitati bonorum.*

Præ sola. Ita mss. antiquissimi 2 Bon., Regio-Put., 3 al. Reg. et 4 alii cum sex editis. Scripti 14 rec. et 17 typis excusi *pro. Præ sola*, etc. Eodem loquendi modo utitur Cicero lib. III Officior., n. 11.

Probabilibus argumentis, ut æque clarum sit. Hæc lectio est 27 mss. ac 3 vet. edit. Rom. et al. 12. Deest *ut* in 3 impressis. Pro *ut*, est *et* in mss. Lips. Pro *clarum sit*, Jun. legit *clare patebit.* 1 Bonon. antiq. *probabimus argumentis vatum, cum clarum sit.* Sed sat nobis non est codicis Bononiensis auctoritas, ut cum Thomasio ejus lectionem aliorum fere omnium auctoritati anteponamus.

Et quando. Reposui *et* ex omnibus mss. præter 3 Reg., quibus deest, sicut editis. Abest tamen *et* a veteribus editionibus.

Plato. Ille in Timæo existimat mundum esse genitum; sed qua ratione id factum fuerit non explicat: sed opinantur illius interpretes hujus mundi parentem, fabrum, opificem, Deum ipsum fuisse ad exemplar primigenium, quod in suprema erat intelligentia.

Nec scire poterat. Sic restitui ex mss. vetustissimis 1 Bonon., 1 Regio-Put., 5 al. Reg., 6 Colb., Pen., 1 Clarom. In editis et 5 scriptis rec. *potuit*; in 1 Reg. rec. *potuerit.*

Nam Aristoteles cum non videret. Nefariæ (inquit) impietatis insimulandi sunt, qui tantum opus Dei nihilo præstare censuerunt operibus manufactis. Apud Arist. hæc disputatio est lib. I de Cœlo, cap. 10, cum sequentibus. BETUL.

Ait. Heumannus legit *ratus.*

Unus igitur Epicurus. Philo: *Et Democritus quidem, Epicurusque, ac pleraque Stoicorum multitudo, geniturum mundi, interitumque prodiderunt, tametsi non similiter. Eorum enim partim complures mundos declinantes, ipsorum ortum attribuunt corpusculis individuis invicem offensantibus, in occursuque implicitis: interitum autem tum statuunt, cum mundi concreti, et sic enati, collisi inter se fuerint occursu et conflictati. At Stoici mundum unum ponentes, ortus ejus auctorem faciunt Deum atque causam, non item interitus.* Cæterum de philosophorum circa hanc quæstionem sententia, vide ex catholicis Euseb. lib. I, cap. 4, Præparat. Evangel., ex gentilibus Plutarchum lib. II, de Placitis. BETUL.

Auctore Democrito. Id est, Democriti sequens auctoritatem et sententiam.

Et ortum aliquando, et aliquando esse periturum. Primum *aliquando* deest in Regio-Put., Bonon. antiq. et 1 Colbert. Priori subjungunt *fuisse* 1 ms. Lips. et ed. Cellar. In 1 Clarom. et 4 editis est, *et ortum, et aliquando esse periturum.*

Aut quo tempore solvatur. Sic lego cum mss. antiquissimis 1 Bon., Regio-Put., a prima manu, 2 al. Reg. rec. sed bonæ notæ, Pal., 1 Lips. edit. Cellar. At scripti 1 Regio-Put. a secunda manu, 6 al. Reg. rec. et 12 alii rec. cum excusis habent *resolvatur:* sed *re* ex *tempore* videtur repetitum. Pen., *tempore resolvetur.*

Non vidisse neque comprehendisse. Ita mss. 2 veterrimi aliique quamplurimi. In 2 Reg. rec. et omnibus fere editis est *nec* bis.

Afflaverit. Mss. 7 et edit. Rom. 1470, *afflaret.*

Nullo modo senserint. 1 Bonon. antiq. *nullus senserit.*

Admonere lecturos. Sic restitui ex quamplurimis mss. et 9 editis. In mss. 2 Bon., Tax., Pen., 1 Lips., Pal. et edit. Florent. est *admoneri lecturos.* In 8 scriptis rec. et 9 vulgatis *admonere lectores.*

Hebetatur enim. In 1 Bon. antiq. præcedunt hæc verba, *aut non probabunt;*

Digitized by Google

acies eorum terrenis cupiditatibus, quæ sensus omnes gravant, imbecillesque reddunt); aut etiam si intelligent, dissimulabunt tamen, et hæc vera esse nolent, quia trahuntur a vitiis, et scientes malis suis favent, quorum suavitate capiuntur, et virtutis viam deserunt, cujus acerbitate offenduntur. Nam qui avaritia, et opum inexplebili quadam siti flagrant, quia non possunt, venditis aut dilargitis quæ amant, tenui cultu vitam degere, sine dubio malunt id esse fictum, quo desideriis suis renuntiare coguntur. Item, qui libidinum stimulis incitati, ut ait poeta,

In furias ignemque ruunt,

utique incredibilia nos afferre dicunt; quia vulnerant aures eorum præcepta continentiæ, quæ illos a voluptatibus suis prohibent, quibus animam suam cum corpore adjudicaverunt. Qui vero ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati, omne studium suum ad honores acquirendos contulerunt, ne si solem quidem ipsum gestemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, illos jubet omni potentia et honore contempto humiles vivere, atque ita humiles, ut et accipere injuriam possint, et referre nolint, si acceperint. Ii sunt homines, qui contra veritatem clausis oculis quoquo modo latrant. Qui autem sani sunt, vel erunt, id est, non ita vitiis immersi, ut insanabiles sint, et credent his, et libenter accedent; et quæcumque dicimus, aperta, et plana, et simplicia, et quod maxime opus est, vera et inexpugnabilia illis videbuntur.

Nemo virtuti favet, nisi qui sequi potest; sequi autem non facile est omnibus: ii possunt, quos paupertas et rerum indigentia exercuit, et capaces virtutis effecit. Nam si virtus est tolerantia malorum, non capiunt ergo virtutem, qui semper in bonis fuerunt, quia mala neque experti sunt, neque ferre possunt assuetudine ac desiderio bonorum, quæ sola noverunt. Eo fit, ut pauperes et humiles Deo credant facilius, qui sunt expediti, quam divites, qui sunt impedimentis pluribus implicati: immo vero catenati et compediti serviunt ad nutum dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretivit; nec possunt in cœlum aspicere, quoniam mens eorum in terram prona humique defixa est. Virtutis autem via non capit magna onera gestantes. Angustus admodum trames est, per quem justitia hominem deducit in cœlum. Hunc tenere non potest, nisi qui fuerit expeditus et nudus. Nam isti locupletes multis et ingentibus sarcinis onerati per viam mortis incedunt, quæ latissima est; quoniam late perditio dominatur. His acerba sunt, his venena, quæ Deus ad justitiam præcipit, quæque nos Dei magisterio de virtute ac veritate disserimus. Quibus si repugnare audebunt, necesse est hostes se esse virtutis justitiæque fateantur. Aggrediar nunc quod superest, ut finis operi possit imponi. Id autem superest, ut de judicio Dei disseramus: quod tum constituetur, cum Dominus noster redierit in terram; ut unicuique pro merito aut præmium persolvat, aut pœnam. Itaque ut in quarto libro de primo adventu ejus diximus, sic in hoc secundum referamus adventum, quem Judæi quoque et confitentur, et sperant, sed frustra, quoniam necesse est ad eos confundendos revertatur, ad quos convocandos prius venerat. Nam qui violaverunt impie humilem, sentient in potestate victorem; eaque omnia quæ legunt, et non intelli-

VARIORUM NOTÆ.

Opum inexplebili quadam siti flagrant. Mss. Jun. et 1 Colb. *quadam cupiditate flagrant;* 1 Bonon. antiq. *inexplicabili quadam cupiditate flagrant.*

Aut dilargitis 1 Colb. *delargitis;* 2 Reg. rec., Jun., 1 Colb. et 5 edit. *elargitis.* Mss. 1 Lips., Pal., *largitis.*

Vulnerant aures eorum. Quæcumque ingrata et injucunda auribus accidunt, eas dicuntur offendere, et proprio verbo *vulnerare.* Virg. VIII Æneid.:

. . . . . Gravior ne nuntius aures
Vulneret.

Hinc scribebat Artemidorus, nuntium significari injucundum, quando quis aures sibi verberari somniat. HERALD.

Ne si solem quidem ipsum gestemus, etc. Sic restituimus ex 4 antiq. ac potioribus mss. Reg. et editis Ald. 1515, Crat. et Graph. 1532. Et sic quoque scribendum lib. de Mortibus persecutorum, capp. 4 et 7 ubi *nec;* quod annotavi.

Quoquo modo latrant. Ms. Jun. *quoquo modo delatrant;* Regio-Put. *quodammodo latrant;* 1 Bonon. antiq. *canino modo latrant;* quæ etiam satis commoda lectio. Sed nihil immutandum censeo.

Qui autem sani sunt, vel erunt. Edit. Crat. *sani sunt.* Mss. 2 Reg. rec., Jun., Pal., Lips., Cant. et 2 vet. edit. *sani sunt vel erunt;* ac præcipue subl. Cauc. et 4 edd. *sanati erunt.*

Ut insanabiles sint. Mss. 1 Reg. rec., 1 Colbert. et edit. Ald., Fasit., Betul., *non sint;* Cauc., Jun., 2 Reg. rec., 4 Colbert. et 10 edit. vet., *ut sanabiles sint.* Ultr., 1 Colb., Brun., *ut sanabiles sint.*

Ii possunt. 1 Bonon. antiq. *Ii sequi possunt;* 1 Colbert. *Ii sunt.*

Pluribus. Ita reposui ex 4 vet. impressis cunctisque mss. præter 3 rec., quibus est *suis;* in cæteris editis legitur *plurimis.*

Immo vero. Deest *vero* in mss. 1 Reg. rec., Cauc., Jun. et 14 editis; in Gothano est *imo vere;* in 1 Colb. *ideo vero;* in ms. Tornes. *uno voto concatenati.*

Ad nutum dominæ cupiditatis. 3 Reg. rec., 1 Colbert. a secunda manu, et 5 vet. edit., *cupiditati. Dominam cupiditatem* dicit imitatus Horatium, qui dicit *regina pecunia,* quia utraque tum cupiditas, tum pecunia, mundum hunc universum regunt, ac ei dominantur.

Onera gestantes. Sic restitui ex cunctis mss. præter 2 Colb., qui habent, *opera gestantes,* et 2 Reg. rec. *onera portantes.*

His venena. 1 Bonon. antiq. *his venenata.*

Præcipit. Ita lego cum vetustioribus et melioribus mss., Bonon., Regio-Put. aliisque multis. In aliis 11 rec. et vulgatis est, *præcepit.*

Dei magisterio. Id est, Christi doctrina, et Epitom., cap. 44.

Aggrediar. 1 Colb., *Aggredior.* Brun., *Aggrediamur,* non male. Vide supra *disserimus,* et infra *disseramus.*

Ad eos confundendos. Sic restitui ex uno codice Bruniano; et ita sensus postulat. Vide præcedentia

Digitized by Google

gunt, Deo repensante patientur; quippe qui peccatis omnibus inquinati, et insuper sancto cruore perfusi, ab illo ipso, qui nefandas manus intulerunt, sint ad æterna supplicia destinati. Sed erit nobis contra Judæos separata materia, in qua illos erroris et sceleris revincemus.

CAPUT II.

De errore philosophorum, ac de divina sapientia; atque de aureo sæcula.

Nunc ignaros veritatis instruamus. Dispositione summi Dei sic ordinatum, ut injustum hoc sæculum decurso temporum spatio terminum sumat, extinctaque protinus omni malitia, et piorum animis ad beatam vitam revocatis, quietum, tranquillum, pacificum, aureum denique, ut poetæ vocant, sæculum, Deo ipso regnante, florescat. In primis causa eorum omnium philosophis hæc fuit, quod rationem mundi, quæ totam sapientiam continet, non comprehenderunt. Ea vero sensu proprio, et interna intelligentia non potest comprehendi, quod illi sine doctore per seipsos facere voluerunt. Itaque in varias sibique sæpe contrarias sententias iuciderunt, ex quibus exitum non haberent; et in eodem luto (sicut Comicus ait) hæsitaverunt; scilicet assumptionibus eorum non respondente ratione, cum assumpsissent quidem vera, sed quæ affirmari probarique non possent sine scientia veritatis rerumque cœlestium: quæ (ut sæpe jam dixi) non potest esse in homine, nisi Deo docente percepta. Nam si potest homo intelligere divina, poterit et facere; nam intelligere, est quasi e vestigio subsequi. Non potest autem facere quæ Deus, quia mortali corpore indutus est; ergo nec intelligere quidem potest, quæ facit Deus. Quod an fieri possit, ex immensitate rerum atque operum divinorum facile est unicuique metiri. Nam si mundum cum omnibus quæ sunt in eo contemplari velis, intelliges profecto, quantum Dei opus humanis operibus antestet. Ita quantum inter opera divina et humana interest, tantum distare inter Dei hominisque sapientiam necesse est. Nam quia Deus incorruptus, atque immortalis est, et ideo perfectus, quia sempiternus est, sapientia quoque ejus, perinde ut ipse, perfecta est; nec obstare illi quidquam potest, quia nulli rei Deus ipse subjectus est.

Homo autem quin subjectus est passioni, subjecta est et sapientia ejus errori; et sicut hominis vitam multæ res impediunt, quominus possit esse perpetua: ita sapientiam quoque ejus multis rebus impediri necesse est, quominus in perspicienda penitus veritate perfecta sit. Ergo nulla est humana sapientia, si per se ad notionem veri scientiamque nitatur; quoniam mens hominis cum fragili corpore illigata, et in tenebroso domicilio inclusa, neque liberius evagari, neque clarius perspicere veritatem potest; cujus notitia divinæ conditionis est. Deo enim soli opera sua nota sunt. Homo autem non cogitando, aut disputando assequi eam potest, sed discendo, et audiendo ab eo, qui scire solus potest, et docere. Ideo Marcus Tullius sententiam Socratis de Platone transferens dicentis, venisse tempus, ut ipse migraret e vita, illos autem, apud quos causam suam perorabat, agere vitam: Utrum melius sit, inquit, dii immortales sciunt; hominem arbitror scire neminem. Quare necesse est omnes philosophiæ sectas alienas esse a veritate; quia homines erant, qui eas constituerunt, nec ullum fundamentum aut firmitatem possunt habere, quæ nullis divinarum vocum fulciuntur oraculis.

CAPUT III.

De natura et de mundo; atque reprehensio Stoicorum et Epicureorum.

Et quoniam de philosophorum erroribus loquimur,

VARIORUM NOTÆ.

et sequentia. In altero Brun. cæterisque mss. et editis est *consolandos*, præter 1 Colb. a prima manu, in quo est *tollendos*. Vide seqq.

Deo repensante. 1 Bonon. antiq. *rependente*; Cauc. et 5 rec. totidemque editi, *compensante*.

Revincemus. Ita restitui ex omnibus mss. præter 5 rec., in quibus est *convincemus*, ut in vulgatis.

Sic ordinatum. Mss. 4 Reg. rec., 1 Colb. et Brun. addunt, *est*.

Decurso temporum spatio, etc. Supra lib. IV, cap. 16, decursam vitam dixit. Cic. in Catone: *Nec vero velim, quas decurso spatio ad carceres a calce revocari.* BETUL.

Interna intelligentia. Interna dicitur, quam homo *in se et a se habeat*, sine doctore. Lib. III, cap. 3: *In se ipso habere propriam scientiam non hominis, sed Dei est. Mortalis natura non capit scientiam, nisi quæ veniat extrinsecus.* BUNEMAN.

Comicus. Terent. Phormion., act. V, scen. 2, ut sup. lib. II, cap. 9.

Poterit. Sic reposui ex mss. quamplurimis et edit. Tornes. Soubron. In 5 rec. et editis legitur, *potest*.

Nam intelligere, est quasi e vestigio subsequi. « Puto, inquit Heuman., hoc esse glossema. Habent hæc libri omnes; et videntur glossatoris captum excedere. Ita Noster lib. VI, cap. 5: *Nihil prodest cognitio nisi et actio* subsequatur; et lib. II, cap. 8, *intelligentia subsequi.* » BUN.

Quæ facit Deus. Hæc lectio est omnium fere mss. codicum et vet. edit. Rom. In editis, ut in 2 Reg. rec., 1 Colb., 1 Clarom. est, *fecit*.

Quod an fieri possit. Ita emendavi ex mss. 2 Bonon. Regio-Put. et 10 aliis. At Cauc. et 5 alii *non* interserunt ante *possit*. Mss. 4 rec. et edit. 14, *Quod autem fieri non possit;* item edit. 4 expuncta negatione: quod male cum sequentibus cohæret.

Cujus notitia. Sic restitui ex mss. quamplurimis, inter quos sunt antiq. 2 Bon., Regio-Put., Jun. In 8 rec. et 18 editis est *notio*. Infra, cap. 9, post med. legitur *notitia Dei*.

Ideo Marcus Tullius. In 1 Tuscul. Quæst. ex Apologia Socratis, sub finem apud Platonem.

Causam suam perorabat. Addidi *suam* ex omnibus mss. et 13 editis: deest in pluribus excusis.

Hominem arbitror. 1 Reg., rec. Cant. et 13 edit. interponunt *autem*. Cicero *quidem*.

Homines erant, qui. Ita emendavi ex maximo manuscriptorum numero, inter quos est Regio-Put. In 10 rec. et 5 edd. legitur *errant*.

Digitized by Google

Stoici naturam in duas partes dividunt: unam, quæ efficiat; alteram, quæ se ad faciendum tractabilem præbeat. In illa prima esse vim sentiendi; in hac, materiam; nec alterum sine altero posse. Quomodo potest idem esse quod tractat, et quod tractatur? Si quis dicat idem esse figulum quod lutum, aut lutum idem esse quod figulum, nonne aperte insanire videatur? At isti uno naturæ nomine duas res diversissimas comprehendunt, Deum et mundum, artificem et opus; dicuntque alterum sine altero nihil posse, tanquam natura sit Deus mundo permixtus. Nam interdum sic confundunt, ut sit Deus ipse mens mundi et mundus sit corpus Dei. Quasi vero simul esse cœperint mundus, et Deus; ac non ipse mundum fecerit: quod et ipsi fatentur alias, cum hominum causa prædicant esse fabricatum, et sine mundo esse, si velit, possit; siquidem Deus est divina et æterna mens a corpore soluta et libera. Cujus vim majestatemque quoniam intelligere non poterant, miscuerunt eum mundo, id est, operi suo. Unde est illud Virgilianum:

Totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Ubi est ergo illud, quod iidem ipsi aiunt, et factum esse divina providentia, et regi? Si enim fecit mundum, fuit ergo sine mundo. Si regit, non utique sicut mens corpus regit, sed tanquam dominus domum, navim gubernator, auriga currum. Nec tamen mixti sunt iis rebus, quas regunt. Nam si hæc omnia, quæ videmus, Dei membra sunt, jam insensibilis ab his constituitur Deus, quoniam membra sensu carent, et mortalis, quoniam videmus membra esse mortalia.

Possum enumerare, quoties repentinis quassatæ motibus vel hiaverint terræ, vel desederint in abruptum; quoties demersæ fluctibus, et urbes, et insulæ abierint in profundum; frugiferos campos paludes inundaverint; flumina et stagna siccaverint; montes

VARIORUM NOTÆ.

Stoici naturam. Apud Ciceronem in primo Academ. quæst. hanc Naturæ divisionem non Stoicis, sed veteri Academiæ assignat, etc. Adde his, quod Arist. lib. II Phys. naturam duplicem facit, materiam scilicet et formam, formam autem esse causam finalem. Macrob. in Somnium Scip. l. I, c. 2: *Alii*, inquit, *mundum in duo diviserunt: quorum alterum facit, alterum patitur*, etc. Quid quod Augustinus quoque lib. de Anima et ejus orig. ad Petrum presbyterum, II, cap. 3, duas etiam naturas agnoscit: creatorem unam, Deum scilicet; alteram, creaturam ex Deo. BETUL.

Unam, quæ efficiat, etc. Seneca epist. 61: *Dicunt Stoici nostri duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant, causam et materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatura si nemo moveat. Causa autem, id est, ratio, materiam format, et quocumque vult, versat: ex illa varia opera producit.* Et paulo post aliis verbis: *Nempe universa ex materia et ex Deo constant. Deus ista temperat, quæ circumfusa rectorem sequuntur et ducem. Potentius autem est quid facit, quod est Deus, quam materia patiens Dei.* GATAKERUS.

Nec alterum sine altero posse. Ita cum vet. edit. Rom. omnes mss. præter 2 Reg. rec. In 2 al. Reg. rec. *nec alteram sine altera esse posse.* Et Lactantius paulo inferius, *dicuntque alterum sine altero nihil posse.*

Mundo permixtus. Mss. 12, inter quos sunt antiq. 1 Bonon. et Cauc. ferunt, *mundo terminatus*, sed citra censum, inquit Betuleius. *Permixtus*, vera lectio. Vide infra, *miscuerunt eam mundo.*

Ut sit Deus ipse mens mundi. De hoc dictum est lib. I, cap. 5. Epiphanius hoc dogma inter Zenonis errores recenset libro III, tomo II. Memini me alibi ex Hermete retulisse Deum nec mentem, nec spiritum, nec lumen esse, sed causam ut illa sint. BETUL.

Et mundus sit corpus Dei. Plato in Timæo, τὸν κόσμον ait ζῶον ἔμψυχον καὶ ἔννουν. Mundum autem Plato corpus Dei facit, non primi illius creatoris, sed futuri cujusdam. Hinc fortassis Plinius quoque mundum numen credi par esse censuit. BETUL.

Ac non ipse mundum fecerit. Ipse, quod addidi ex omnibus mss. et quamplurimis editis, deest in nonnullis rec.

Hominum causa. Id verum est etiam apud Gentiles. Plinius in proœmio libri XXXVI, ait, omnia hominis causa esse creata.

Siquidem Deus est divina et æterna mens a corpore soluta. Desideratur est in ms. 1 Bonon. antiq. et 4 edd. rec., sed legunt, *mens dicatur corpore soluta.* Similis Dei definitio ex Socratis atque Platonis doctrina est apud Plut. in Placitis lib. I, cap. 1. Cæterum Stoicorum hoc dogma Laert. ad Chrysippum et Possidonium auctores refert. BETUL. — Vide etiam Ciceronem in fragmentis Consolationis, et libro I Tusculanar. quæst., cap. 5, idque ex Platone.

Virgilianum. Ex Virg. VI Æneid., vs. 726, sup. cap. 5, et de Ira Dei, cap. 11.

Sicut mens corpus regit. Macrob. lib. II, cap. 12, de Somnio Scipionis: *Anima*, inquit, *qui verus homo est, ab omni conditione mortalitatis aliena est: adeo ut ad imitationem Dei mundum regentis, regat et ipsa corpus, dum a se animatur. Ideo physici mundum magnum hominem, et hominem brevem mundum esse dixerunt*, etc. BETUL.

Et mortalis. Recte. Vide supra mss. 11 et edd. 9 addunt *est*.

Membra esse mortalia. Macrob. eodem loco, tam ex antiquorum philosophorum, quam ex Ciceronis doctrina monet, mundum quadam parte mortalem videri, ut animal exanimatum, vel ignis extinctus, vel siccatus humor. BETUL.

Hiaverint terræ. Vide Plinium lib. II, cap. 80, 92, 106.

Desederint. Mss. 3 rec. et 15 excusi *descenderint*; 7 Reg., Jun., 2 Colb. habent *deciderint*; 1 Reg. *ceciderint*. At *desederint* est quamplurimorum mss. inter quos sunt antiquissimi 2 Bonon. Cauc. et edit. 2 vet. Rom. Eaque lectio est genuina, et Ciceroniana: *desidere* enim est *descendere*. Cicer. I de Div. 97: *Labes agri Privernatis, cum ad infinitam altitudinem terra desedisset.* Ibid. 78: *Multa oppida corruerint, multis locis labes facta sit, terræque desederint.* Vide Plinium, lib. II, cap. 91.

Frugiferos campos. Exemplum est mare Mortuum. Ovid. lib. XV:

Vidi ego quod fuerat quondam solidissima terra,
Esse fretum: vidi factas ex æquore terras
Et procul a pelago conchæ jacuere marinæ,
Et vetus inventa est in montibus anchora summis, etc.

Vide plura apud Philonem de Mundo, et apud Vadianum in Melam lib. I, in cap. de Numidia. BETUL.

Stagna siccaverint. Ita mss. et editi. *Siccare* neutra significatione accipi, inauditum.—*Siccaverint.* Sparkius: *Tacentibus mss.*, inquit, *mea utar conjectura, donec melior se obtulerit, et rescribo: Sicca aruerint. Neutra enim significatione accipi, id est inauditum.* Sed

Digitized by Google

etiam vel deciderint abrupti, vel planis fuerint adæquati. Plurimas regiones, et multorum fundamenta montium latens et internus ignis absumit. Et hoc parum est, si membris suis non parcit Deus, nisi etiam homini liceat aliquid in Dei corpus: maria extruuntur; montes exciduntur, et ad eruendas opes interiora terræ viscera effodiuntur. Quid quod ne arari quidem sine laceratione divini corporis potest? ut jam scelerati et impii simus, qui Dei membra violemus. Patiturne ergo vexari corpus suum Deus, et debilem se vel ipse facere, vel ab homine fieri sinit? nisi forte divinus ille sensus, qui mundo et omnibus mundi partibus permixtus est, primam terræ faciem reliquit, ac se in ima demersit, ne quid doloris de assidua laceratione sentiret. Quod si hoc vanum et absurdum est, tam igitur ipsi eguerunt, quam hæc indigent sensu, qui non perspexerunt divinum quidem spiritum esse ubique diffusum, eoque omnia contineri, non tamen ita, ut Deus ipse, qui est incorruptus, gravibus et corruptibilibus elementis misceatur. Illud ergo rectius, quod a Platone (*in Timæo*) sumpserunt, a Deo factum esse mundum, et ejusdem providentia gubernari. Oportebat igitur et Platonem, et eos qui idem senserunt, docere atque explicare, quæ causa, quæ ratio fuerit tanti operis fabricandi; quare hoc, aut cujus gratia fecerit.

At iidem Stoici, hominum, inquiunt, causa mundus effectus est. Audio. Sed Epicurus ignorat, ipsos homines quare, aut quis effecerit. Nam Lucretius, cum diceret mundum non esse a diis constitutum, sic ait (*lib.* v *de Natura rerum*):

Dicere porro hominum causa voluisse parare;
Præclaram mundi naturam

Deinde intulit:

Desipere est. Quid enim immortalibus atque beatis
Gratia nostra queat largirier emolumenti,
Ut nostra quidquam causa gerere aggrediantur?

Et merito. Illi enim nullam rationem afferebant, cur humanum genus vel creatum, vel constitutum esset a Deo. Nostrum hoc officium est, sacramentum mundi et hominis exponere, cujus illi expertes, sacrarium veritatis nec attingere, nec videre potuerunt. ergo (ut paulo ante dicebam) cum assumpsissent id quod erat verum, id est, mundum a Deo factum, et hominum causa esse factum; tamen, quoniam eos in consequentibus ratio defecit, non potuerunt defendere id quod assumpserant. Denique Plato, ne Dei opus imbecillum et ruinosum faceret, in æternum dixit esse mansurum. Si hominum causa factus est, et ita factus est ut esset æternus, cur ergo ipsi quorum causa factus est, non sunt sempiterni? Si mortales, propter quos factus est, ergo et ipse mortalis atque solubilis. Neque enim pluris est ipse, quam ii, quorum gratia factus est. Quod si ei ratio quadraret, intelligeret periturum esse, quia factus est; nec posse in æternum manere, nisi quod tangi non potest.

Qui autem negat hominum causa factum, hic nullam rationem tenet. Si enim dicit, ipsum fabricatorem sua causa tanta hæc opera esse molitum, cur ergo nos nati sumus? cur mundo ipso fruimur? Quid sibi vult humani generis cæterorumque animantium fictio? Cur aliena commoda intercipimus? Cur denique augemur, minuimur, interimus? Quid habet rationis ipsa generatio? quid perpetua successio? Nimirum videri nos Deus voluit, et suis variis imaginibus tanquam sigilla confingere, quibus se oblectaret; et

VARIORUM NOTÆ.

cui ignotum est, activa verba passive sæpe usurpari? Hoc ipso verbo Apicius de Arte culinaria, lib. IV, c. 2: *Cum siccaverint superadsperges piper tritum.* Lib. IX, cap. 1: *In craticula assantur locustæ: cum siccaverint, adjicies eis in craticula quoties siccaverint.* Bun.

Montes etiam. Plinius inter miracula refert, montes etiam concucurrisse; quem vide, lib. II, cap. 83.

Absumit. Ita fere omnes mss. in præsenti. Et recte. Plures enim ignes interni etiamnum supersunt in Italiæ montibus, Ætna et Vesuvio, in insula Lipara, etc. Mss. 1 Bonon. antiq., Tax., 1 Colb. *absumpsit;* quod tamen Heumanno probatur.

Maria extruuntur. Exemplum est Tyrus. Plin. lib. v, cap. 19: *Tyrus*, inquit, *quondam insula prœalto mari septingentis passibus divisa, nunc vero, Alexandri oppugnantis operibus, continens.* De quo Curtius lib. IV copiose. Betul.

Montes exciduntur. Videtur alludere ad Isthmum, quem quidam irrito labore (ut Proverb. habet) perfodere sunt conati: vel ad Athon montem, de cujus latitudine MD passuum Xerxes abscidisse legitur apud Plinium cap. 10 lib. IV; Historia apud Herod. lib. VII. Betul.

Eruendas opes. Sic Ovidius de ferreo sæculo:

Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Sic Plinius in procœmio libri XXXIII: *Imus in viscera ejus, et in sede Manium opes quærimus, tanquam parum benigna fertilique quaqua calcatur.*

Non tamen, ita ut Deus ipse. Mss. Jun. legunt *nec*; pro *non*. Abest *ita* ab uno Bononiensi antiq., a 4 Colb. et 1 Clarom.; *ita ut* a Pen.

Constitutum. In antiquis editionibus, *institutum*, quod Heumanno probatur.

Sacramentum mundi et hominis. Sic infra cap. 5, ad initium, *si sacramentum hominis omne cognovissent.*

Mundum a Deo factum, et hominum causa esse factum. Deest et in 1 Bon. antiq., scripti 9 rec. et 9 edit. habent, *mundum a Deo factum, et hominum causa esse factum.*

Si mortales. Pro *si ii sunt mortales.* Ita Heuman.

Ipse mortalis. Minuc. Fel. cap. 34: (*Plato*) *cum ipsum mundum perpetuum et insolubilem diceret esse fabricatum, addit tamen, ipsi artifici, Deo soli et solubilem et esse mortalem.* Bun.

Ratio quadraret. Sic cap. 5, initio, *non quadrare rationem;* et in fine capitis 7, *ratio non quadraret.*

Sua causa. Lib. III, cap. 17: *Omnia sua causa facere sapientem.* Lib. V, cap. 17: *Virtutem... expetendam esse aiunt sua causa.* Bun.

Tanta hæc opera. Elegantem hanc lectionem confirmant Bonon., Isæus et ipse Lactantius lib. II, cap. 8: *Qua molitione hoc tantum opus fecerit.* Bun.—*Tanta hæc opera esse molitum.* Mss. 24 et 3 edit. in quibusdam *tantum:* sed male.

Cæterorumque animantium. Ita Cicero lib. II de Nat. Deor., cap. 53: *Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? Eorum* scilicet *animantium* quæ *ratione utuntur. Hi sunt dii et homines.* Bun.

Videri nos Deus voluit. Sic veteres editiones. In ms. 1 Bonon. antiq. et 5 edit. est *videre.* In cæteris deest *nos.*

Sigilla. Id est, parva simulacra. Est enim homo, servata proportione, ad imaginem Dei creatus.

Digitized by Google

nihilominus tamen, si ita esset, curæ haberet animantes, præcipueque hominem, cujus imperio cuncta subjecit. Qui autem dicunt semper fuisse mundum, omitto illud, quod esse ipse sine aliquo principio non potest, unde extricare se nequeunt; sed hoc dico : si mundus semper fuit, nullam potest habere rationem. Quid enim potuit in eo ratio moliri, quod nunquam sumpsit exordium? Nam prius quam fiat aliquid, aut struatur, opus est consilio, ut disponi possit quemadmodum fiat, nec incipi quidquam potest sine provisione rationis. Itaque omne opus ratio præcedit. Non habet ergo rationem, quod factum non est. Atqui mundus rationem habet, qua et constat, et regitur; ergo et factus est : si factus est, et resolvetur. Reddant ergo isti rationem, si possunt, cur aut factus in principio sit, aut postea resolvatur.

Quod quia docere non poterat Epicurus, sive Democritus, sua sponte natum esse dixit, seminibus inter se passim coeuntibus, quibus iterum resolutis, dissidium atque interitum secuturum. Corrupit ergo quod recte viderat, et totam rationem penitus ignorantia rationis evertit; redegitque mundum, et omnia quæ in eo geruntur, ad similitudinem cujusdam vanissimi somnii, siquidem rebus humanis ratio nulla subsistat. Cum vero mundum, omnesque partes ejus, ut videmus, mirabilis ratio gubernet; cum cœli temperatio, et æqualis in ipsa varietate cursus astrorum luminumque cœlestium, temporum constans ac mira descriptio, terrarum varia fœcunditas, plana camporum munimenta, et aggeres montium, viriditas ubertasque silvarum, fontium saluberrima eruptio, fluminum opportuna inundatio, maris opulenta et copiosa interfusio, ventorum diversa et utilis aspiratio, cæteraque omnia ratione summa constent : quis tam cæcus est, ut existimet sine causa esse facta, in quibus mira dispositio providentissimæ rationis elucet? Si ergo sine causa nec est, nec fit omnino quidquam : si et providentia summi Dei ex dispositione rerum, et virtus ex magnitudine, et potestas ex gubernatione manifesta est : hebetes ergo et insani, qui providentiam non esse dixerunt. Non improbarem; si deos idcirco non esse dicerent, ut unum dicerent : cum autem ideo ut nullum, qui eos delirasse non putat, ipse delirat.

CAPUT IV.

Quod omnia in aliquem usum creata sunt, etiam quæ mala videntur : quare homo in tam fragili corpore ratione fruatur.

Sed de providentia satis in primo libro diximus. Quia et si est, ut apparet ex mirabilitate operum suorum, necesse est etiam hominem, cæterasque animantes, eadem providentia creaverit. Videamus ergo, quæ ratio fuerit fingendi generis humani; quoniam constat, id quod Stoici dicunt, hominum causa mundum esse fabricatum : quanquam in hoc ipso non mediocriter peccent, quod non hominis causa dicunt, sed hominum. Unius enim singularis appellatio totum comprehendit humanum genus. Sed hoc ideo, quia ignorant unum hominem a Deo esse formatum, putantque homines in omnibus terris et agris tanquam fungos esse generatos. At Hermes non ignoravit hominem, et a Deo, et ad Dei similitudinem fictum. Sed redeo ad propositum. Nihil est (ut opinor) quod sit propter seipsum factum : sed quidquid omnino fit, ad usum aliquem fieri necesse est. Quis est enim vel tam ineptus, vel tam otiosus, ut aggrediatur aliquid facere frustra, ex quo nullam utilitatem, nullum commodum speret? Qui domum ædificat, non idcirco ædificat, ut tantummodo domus sit : sed ut in ea possit habitari. Qui navem fabricat, non ideo insumit operam, ut tantum navis appareat :

VARIORUM NOTÆ.

Ipse. Sic Aldina editio; aliæ multæ *ipsum*.

Quod esse ipsum sine aliquo principio non potest. Subest his antiqua elegantia quam editores quoque corruperunt in Epitome cap. 67, ubi recte Pfaffius ex ms. Taurin. : *Semper fuisse non potest quod et est et visui subjacet;* ipsum *enim* esse *sine aliquo initio non potest.* Bun.

Nullam potest habere rationem. Id est, ut recte Sparkius ex sequent., nulla in eo dispositio providentissime rationis eluceret. Bun.

Quid enim. Sic lego cum 2 vet. edit. Rom. et 2 rec. cunctisque mss. præter Cauc. in quo, ut in 9 editis, est *Qui enim;* 2 Colbert. *Quomodo.*

Seminibus. Id est, Atomis.

Dissidium. Ejeci *dissidium*, quod plurimos libros adhuc occupaverat, et restitui ex Lips. tert., Reimm., Ven. 1471, utraque 78, *dissidium.* Reddidi quoque lib. IV, cap. 30, ubi plura; et ad lib. VIII, cap. 6, in nota, corporis *animæque dissidium.* Bun.

Subsistat. Mss. 2 Clarom. *subsistit;* Cant. *substat.*

Omnesque partes ejus, ut videmus, mirabilis ratio gubernet. Ita restitui ex 13 editis cunctisque mss. In Bonon. antiq. in quo *ut* deletur, legitur *videamus quemadmodum;* in ed. Thys. et Gall. *videmus quemadmodum.*

Æqualis in ipsa varietate. Harmonia est æqualis varietas, quæ in siderum cursu maxime animadvertitur; et hæc est Sylva signorum cœlestium, quibus Gentiles cognitionem veri Dei habere potuerunt, ut habet Apostolus ad Roman. cap. 1, v. 20, et Plutarchus ipse libro I de Placitis Philosophorum, cap. 6.

Si et providentia. Sic lego cum omnibus prope mss. et excusis. *Si* repetitum facit illustriorem sensum. Deest *et* in 1 Bonon. In 4 Colb., 1 Clarom. et Brun est *si et prudentia;* male. Vide præced. et seqq. *Sed de providentia satis in primo libro diximus.*

Quia et si est. In 1 Bon. antiq. et 3 edd. legitur *quia si est;* in multis impressis, *quæ.*

Stoici. Apud Cicer. Lucull. Vide inf. cap. 7 et lib. de Ira Dei cap. 13.

Homines. Vide supra lib. II, c. 21.

Tanquam fungos. Jam supra lib. VI, cap. 10, negavit homines sparsim natos esse, tanquam ex draconis Cadmæi dentibus.

At Hermes. In Pœmandro, non longe a principio. Adscribam Marsilii translationem : *At pater omnium intellectus, vita et fulgor existens, hominem sibi similem creavit, atque ei tanquam filio suo congratulatus est. Pulcher enim erat, patrisque sui ferebat imaginem. Deus enim revera propria forma nimirum delectatus, opera ejus omnia usui concessit humano.* Idem.

Fictum. Sed redeo, etc. Mss. 8 rec. et 6 editi, *factum.*

Idcirco. Sic reposui ex 5 vet. editis et mss. præter 6 rec., quibus est *et ideo*, ut in 10 vulgatis.

Insumit operam. Mss. Jun., Colb., edd. Ald. 1515, Paris. 1525, Gymnic. 1539, *Assumit.*

Digitized by Google

sed ut in ea navigetur. Item qui vas aliquod instituit ac formet, non propterea id facit, ut tantum fecisse videatur : sed ut vas illud effectum capiat aliquid necessarium. Simliter cætera, quæcumque fiunt, non utique in supervacuum, sed ad usus aliquos utiles laborantur.

Mundus igitur a Deo factus est, non utique propter ipsum mundum ; neque enim aut calore solis, aut lumine, aut aspiratione ventorum, aut humore imbrium, aut alimonia frugum, cum sensu careat, indiget. Sed ne illud quidem dici potest, quod Deus propter seipsum fecerit mundum ; quoniam potest esse sine mundo, sicut fuit antea, et iis omnibus quæ in eo sunt, quæque generantur, Deus ipse non utitur. Apparet ergo animantium causa mundum esse constructum ; quoniam rebus iis, quibus constat, animantes fruuntur : quæ ut vivere, ut constare possint, omnia his necessaria temporibus certis subministrantur. Rursum cæteras animantes hominis causa esse fictas, ex eo clarum est, quod homini serviunt, et tutelæ ejus atque usibus datæ sunt ; quoniam sive terrenæ sunt, sive aquatiles, non sentiunt mundi rationem, sicut homo. Respondendum est hoc loco philosophis, maximeque Ciceroni, qui ait : « Cur Deus omnia nostri causa cum faceret, tantam vim natricum viperarumque fecerit ? cur tam multa pestifera terra marique dispersit ? » Ingens ad disputandum locus : sed ut in transcursu breviter stringendus est. Quoniam homo ex rebus diversis ac repugnantibus configuratus est, anima et corpore, id est, cœlo atque terra, tenui et comprehensibili, æterno ac temporali, sensibili atque bruto, luce prædito atque tenebroso : ipsa ratio ac necessitas exigebat, et bona homini proponi et mala ; bona, quibus utatur, mala, quæ vitet et caveat.

Idcirco enim data est illi sapientia, ut cognita bonorum malorumque natura, et in appetendis bonis, et malis declinandis, vim suæ rationis exerceat. Nam cæteris animalibus quia sapientia non data est, et munita indumentis naturalibus, et armata sunt : homini autem pro his omnibus, quod erat præcipuum, rationem solam dedit. Itaque nudum formavit et inermem, ut eum sapientia et muniret, et tegeret. Munimenta et ornatum ejus non foris, sed intus, non in corpore, sed in corde constituit. Nisi ergo essent mala quæ caveret, quæ a bonis utilibusque distingueret, non esset ei sapientia necessaria. Sciat ergo Marcus Tullius, aut ideo homini datam esse rationem, ut et pisces caperet usus sui gratia, et natrices viperasque vitaret salutis suæ causa : aut idcirco ei bona malaque proposita, quia sapientiam acceperat, cujus vis omnis in discernendis bonis malisque versatur. Magna igitur, et recta, et admirabilis est vis, et ratio, et potestas hominis, propter quem mundum ipsum, et universa quæcumque sunt, Deus fecit ; tantumque honoris illi habuit, ut eum præficeret universis, quoniam solus poterat Dei opera mirari. Optime igitur Asclepiades noster de providentia summi Dei disserens, in eo libro quem scripsit ad me : « Atque ideo, inquit, merito quis arbitretur,

VARIORUM NOTÆ.

Vas aliquod instituit. Ex Horatio, *Amphora cœpit institui.* Francius.

Calore solis aut lumine. Recte. At 7 vet. edit. *aut lunæ lumine.* In 1 Bonon., 2 Reg., Ultr., Lips., 1 Colbert., ed. Florentina Juntarum legitur, *calore solis aut lunæ.* Posterior lectio non inepta videtur ils, qui lunam æque ac solem calefacere corpora censent. Suidas in σελήνη ; et psalm. CXX : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* At Heumannus putat legendum esse, *aut calore solis, aut lumine lunæ.*

Aut alimonia frugum. Sic infra, c. 5 : *Cuique generi alimoniam administraret.* Varro apud Nonium : *Habens antepositam alimoniam sedens altus alieno stratu.* Arnob., lib. IV : *Et ex alieni uberis alimonia mox traditam retinuisse vitam.* Herald.

Sed ne illud quidem dici potest, quod Deus, etc. Immo hoc dici debere patet ex Proverb., c. XVI.

Possint. Mss. 8 totidemque vulgati, *possent.* Melius *possint*, ex cæteris mss. et editis. Vide seq. *subministrantur.*

Data sunt. Procul dubio legendum est *datæ sunt.*

Maximeque Ciceroni, etc. Lib. Acad. quæst. 4. Augustinus respondet Manichæis ad eamdem objectionem, l. de Genesi, I, c. 16. Lege præterea Basil., homil. 8 in Hexameron. Lactantius in Epitome hanc objectionem Theodoro Atheo tribuit. Quo consilio Deus dracones, pulices, etc. creaverit, docet Augustinus in cap. 1 Evangel. Joannis et in Psal. CXLVIII. Betul.

Tantam vim natricum viperarumque fecerit. Ciceroni in Lucull. et Lucretio, l. V, respondet Basilius, homil. 6, in Hexamer. : *Nec vero est quod quisquam accusare parentem rerum debeat ob eam causam, quod animalia quæ virus mittunt, perniciosa et inimica, vitæ nostræ procreaverit ; isto enim pacto prædagogum etiam accusare licebit, quod adolescentiæ facultatem et proclivitatem in officio contineat, plagisque ac verberibus intemperantiam castiget*, etc. Idem, homil. 5, non longe a principio. Augustinus, lib. de Hæres. contra Manich. I, c. 16.

Viperarumque. Nemo ignorat viperas dictas esse, quod vi pariant. Epiphanius Gnosticos huic animali confert. Præter Nicandrum, Plinius etiam de Viper., l. X, c. 62. Betul.

Anima et corpore. Ita cum edit. Rom. 1470. Mss. omnes, præter 1 Reg., 1 Colb. qui cum editis habent *animo.*

Et munita. Heumann. delet *et.*

Rationem solam dedit. Itaque nudum. Ita cum editis omnes prope mss. 1 Reg. rec. et Goth. *rationem dedit. Solum itaque nudum.* Vide Anacreont., ode II.

Tantumque honoris illi habuit. Sic et infra, c. 5, post initium, *si tantum honoris homini habuit ;* 1 Bonon. antiq. *tribuit.*

Præficeret universis. Juxta illud Psalm. *Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.*

Asclepiades noster. Lactantii tempore Asclepiades quidam christianus floruit, qui ad Lactantium scripsit librum de Providentia Dei ; Lactantius vicissim ad illum libros duos, ut referunt Hieronymus, Honorius Augustodunensis, et alii. Hic autem Asclepiades est profecto alius ab Asclepiade Antiocheno episcopo et martyre, qui toto sæculo anterior est Lactantio ; quique annum 222 non excessit. Vide Tillemontium Eccles. Hist., t. III, p. 648 et 649, et t. VI, p. 730, col. 2. not. 5. De hoc Asclepiade vide S. Hieronym. de Scriptor. eccles., c. 38.

Digitized by Google

proximum sibi locum divinam providentiam dedisse ei, qui poterat intelligere ordinationem suam. Nam sol iste est; quis eum videt ita, ut intelligat quia sol est, et quantum gratiæ afferat cæteris institutis? hoc cœlum est; quis id suspicit? terra hæc; quis eam colit? hoc pelagus; quis in eo navigat? hic ignis est; quis eo utitur? » Instituit ergo summus Deus non propter se, quia nihilo indiget, sed propter hominem, qui his congruenter uteretur.

CAPUT V.

De hominis creatione, atque de dispositione mundi, et de summo bono.

Reddamus nunc rationem, quare hominem ipsum fecerit Deus. Quod si philosophi scissent, aut defendissent illa, quæ vera invenerant, aut in maximos errores non incidissent. Hæc enim summa, hic cardo rerum est. Quem qui non tenuerit, veritas illi omnis elabitur. Hoc est denique, quod efficiat illis non quadrare rationem: quæ illis si affulsisset, si sacramentum hominis omne cognovissent, numquam disputationes eorum, et omnem philosophiam de transverso academia jugulasset. Sicut ergo mundum non propter se Deus fecit, quia commodis ejus non indiget, sed propter hominem, qui eo utitur; ita ipsum hominem propter se. Quæ utilitas Deo in homine, inquit Epicurus, ut cum propter se faceret? Scilicet, ut esset, qui opera ejus intelligeret, qui providentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi et sensu admirari, et voce proloqui posset. Quorum omnium summa hæc est, ut Deum colat. Is enim colit, qui hæc intelligit: is artificem rerum omnium, is verum patrem suum debita venerA ratione prosequitur, qui virtutem majestatis ejus de suorum operum inventione, inceptione, perfectione metitur. Quod planius argumentum proferri potest, et mundum hominis, et hominem sui causa Deum fecisse, quam quod ex omnibus animantibus solus ita formatus est, ut oculi ejus ad cœlum directi, facies ad Deum spectans, vultus cum suo parente communis sit, ut videatur hominem Deus, quasi porrecta manu allevatum ex humo, ad contemplationem sui excitasse? « Quid ergo, inquit, Deo cultus hominis confert, beato, et nulla re indigenti? vel si tantum honoris homini habuit, ut ipsius causa mundum fabricaret, ut instrueret eum sapientia, ut dominum viventium faceret, eumque diligeret tamquam filium, cur mortalemque fragilemque constituit? cur omniB bus malis, quem diligebat, objecit? cum oporteret et beatum esse hominem, tamquam conjunctum et proximum Deo, et perpetuum, sicut est ipse, ad quem colendum et contemplandum figuratus est. »

Quamquam hæc fere in prioribus libris sparsim docuimus: tamen quoniam proprie id materia nunc exigit, quia de vita beata disserere propositum est, explicanda sunt ista diligentius et plenius, ut dispositio Dei, et opus voluntasque noscatur. Cum posset semper spiritibus suis immortalibus innumerabiles animas procreare, sicut angelos genuit, quibus immortalitas sine ullo malorum periculo ac metu constat; excogitavit tamen inenarrabile opus, quemadmodum infinitam multitudinem crearet animarum, quas primo fragilibus et imbecillis corporibus illigaC tas constitueret inter bonum malumque medias, ut constantibus ex utrisque naturis virtutem proponeret; ne immortalitatem delicate assequerentur ac molliter: sed ad illud æternæ vitæ ineloquibile præmium

VARIORUM NOTÆ.

Poterat intelligere. Ita lego cum optimo et antiquissimo ms. Regio-Put. Sic et supra Lactant. *solus poterat Dei opera mirari.* In 1 Reg. rec. est, *poterit*; in 5 rec. et 11 editis *potuerit*; in cæteris *potuit.*

Quis in eo navigat? Ex quamplurimis mss. et editis restitui *in eo*, quod præcedentia et sequentia membra postulant. Deest in 3 Reg. rec., 1 Colb., 1 Clarom. et 6 impressis.

Scissent. 5 Reg., Jun., 3 Colb., 2 Clarom., Em., Cant., et edit. 7 *fecissent*; male.

Cardo rerum. Proverbium est, quo jam usus est Lactantius, lib. II, c. 9.

Hoc est denique, quod efficiat, illis non quadrare rationem. Vim phraseos cognoscas ex lib. III, c. 28: *Quoniam ratio illis non quadrabat, per ignorantiam rerum tam varii, tam incerti fuerunt, sibique sæpe contraria disserentes, ut quid sentirent, quid vellent satis statuere ac dijudicare non possis.* Bun.

Omnem philosophiam. Omnes philosophorum hæreses sua dogmata, quantumvis falsa, defendere voluerunt. Academici nihil certi affirmantes, reliquis omnibus repugnarunt: id quod in hoc saltem negotio, lit in 4 Academ. quæst. apud Ciceronem eo loco, quem ipse Lactantius paulo superius citavit. Betul.

Sui causa. Ita quamplurimi impressi cum mss. quibusdam: alii *sua causa*; et sic sæpe loquitur Cicero, *sua causa, nostra causa, vestra causa.*

Ad cœlum directi. Mss. 6 rec. et quidam edd. *erecti.*

Ut videatur hominem. Mss. 4 et 3 edit. *videaturque*; Latinius atque Heuman. censent delendum *que.*

Si tantum honoris homini habuit. Recte: supra c. 4 hujusce libri circa finem, *tantum honoris illi habuit*; et lib. III, c. 1, in fine. Mss. Em. *si tanti honoris hominem habuit.*

Spiritibus suis. Id est spirationibus. Vid. lib. IV, c. 8: *Spiritus suos in angelos figuravit*, etc. Epitom., c. 42: *Angelos... de suis spiritibus figuravit.* Conf., l. VIII, c. 6, *ventorum spiritus.* Bun.

Cum posset semper spiritibus suis immortalibus. Videtur Lactantius in ea fuisse sententia, quæ animas habet quasi tot particulas *de Deo* decerptas, quod infra non obscure innuit, cum dicat, Deum *Spiritum suum terreno corpore induisse.* Porro *infinitam animarum multitudinem*, quam hic a Deo *creari* asserit, illic *gigni* ait; quæ duo secum non cohærent. In qua opinione quamquam Betuleius nihil videat, quod a fide catholica sit alienum; notius tamen est, quam ut referri debeat, nonnullos e philosophis christianos factos platonicorum dogmata, non sine Ecclesiæ malo, fidei christianæ admiscuisse: qualia erant animarum præexistentia, et a divina essentia delibatio quædam, quas tamen non *de Deo*, sed *a Deo* esse saniores omnes consentiunt. Spark. — Heuman. legit *simul* pro *semper.*

Infinitam multitudinem crearet animarum. Vide supra not. ad l. II Institut., c. 11.

Constantibus. Subaudi *hominibus.*

Ineloquibile. Ita omnes scripti et editi, et iterum

Digitized by Google

summa cum difficultate ac magnis laboribus pervenirent. Ergo ut eas gravibus et vexabilibus membris indueret, quoniam consistere in medio inani non poterant, ponderibus et gravitate corporis deorsum premente, sedem illis ac domicilium primo condendum esse decrevit. Itaque ineffabili virtute ac potentia præclara mundi opera molitus est, suspensis in altitudinem levibus elementis, et gravibus in ima depressis; et cœlestia firmavit, et terrena constituit. Non est necesse nunc exequi singula, quoniam in secundo libro universa executi sumus.

Lumina igitur posuit in cœlo, quorum moderatio, et claritas, et motus aptissime ad utilitates viventium temperatus est. Terræ autem, quam sedem voluit esse, fœcunditatem varia gignendi ac proferendi dedit, ut ubertate frugum et herbarum virentium, pro natura et usu cujusque generis, alimoniam administraret. Tum perfectis omnibus, quæ ad conditionem mundi pertinebant, hominem finxit ex ipsa terra, quam illi a principio in habitaculum præparavit; id est spiritum suum terreno corpore induit et involvit, ut et compactus ex rebus diversis ac repugnantibus, A bonum ac malum caperet; et sicut terra ipsa fecunda est ad fruges pariendas: ita corpus hominis, quod assumptum est e terra, generandi copiam, facultatemque procreandæ sobolis accepit, ut quoniam fragili materia formatus in æternum manere non poterat, peracto temporalis vitæ spatio cederet, et illud, quod fragile atque imbecillum gerebat, perpetua successione renovaret. Cur igitur eum mortalem finxit et fragilem, cum illius causa mundum ædificasset? Primum, ut infinita vis animarum gigneretur, omnemque terram multitudine oppleret: deinde, ut proponeret homini virtutem, id est, tolerantiam malorum ac laborum, per quam posset præmium immortalitatis adipisci. Nam quia homo ex duabus rebus constat, corpore atque anima, quorum alterum terrenum B est, alterum cœleste, duæ vitæ homine attributæ sunt: una temporalis, quæ corpori assignatur; altera sempiterna, quæ animæ subjacet. Illam nascendo accipimus, hanc assequimur laborando ne immortalitas homini (ut ante diximus) sine ulla difficultate constaret. Illa terrena est, sicut corpus, et ideo finitur; hæc vero cœlestis; sicut anima, et ideo terminum non

VARIORUM NOTÆ.

cap. 11, Irenæi versio antiquiss., l. I, c. 10, *inenarrabiles* et *ineloquibiles*. Bun.—*Æternæ vitæ ineloquibile præmium*. Sic auctor noster infra c. 11, initio, *ineloquibiles immortalitatis suæ fructus capit*. *Ineloquibilis*, pro *ineffabilis*.

Et vexabilibus membris. Ita reposui ex omnibus mss. edit. 2 vet. Rom., Florent., Crat., Is., Cellar. C In 12 excusis legitur *nexibilibus*, quam vocem non esse latinam autumo: in ed. Gymnic. *nexilibus*; in ed. Paris. 1525, et Graph. *exibilibus*, male. *Vexabilia membra*, sunt membra laboriosa, ut aiunt medici; vel apta ad vexandum, ut sunt crura, brachia, pedes et manus.

Consistere in medio inani non poterant. Leucippus et Democritus prima corpora in vacuo agitari crediderunt, ut Aristoteles refert, l. II, de Cœlo; cum tamen nihil inane sive vacuum sit infra æthera. Vacui quæstio est apud Aristotelem in IV Physic., cap. 6 et sequentibus. Lege Philosophorum placita apud Plut., l. I, c. 18. Betul.—Vide etiam Cartesium.

Præclara mundi opera molitus est. Sic cum omnibus editis cuncti fere mss. Ita et Lactantius supra, c. 3, *hæc opera esse molitum*; et infra c. 9, *cum opera ejus præclara et miranda videamus*. Mss. tamen 2 Reg. rec. sed bonæ notæ, 1 Colb. et Brun. habent, *præclaram mundi operam*; idemque alicubi (ni fallor) me legisse memini apud Ciceronem. D

Suspensis in altitudinem. Siquidem juxta naturæ leges omne leve sursum et omne grave deorsum. Hanc dispositionem eleganter descripsit Ovidius his verbis:

> Dissociata locis concordi pace ligavit:
> Ignea convexi vis et sine pondere cœli
> Emicuit, summaque locum sibi legit in arce;
> Proximus est aer illi levitate, locoque:
> Densior his tellus, elementaque grandia traxit,
> Et pressa est gravitate sui. Circumfluus humor
> Ultima possedit, solidumque coercuit orbem.

Quorum moderatio, et claritas, et motus... temperatus est. Mss. 5 et 8 edd. rec., *quorum moderationes, et claritates, et motus... temperavit*: sed in 3 legitur, *temperatus est*.

Fœcunditatem varia gignendi. Mss. 14 rec. et 5 edd. *variam*; 1 Colb. *fœcundam ubertatem varia gignendi*.

Ut ubertate frugum. Jun. et 5 edd. *ut ubertas*.

Et herbarum virentium. Ita 5 editi, omnesque mss. præter 5 et edit. 4 quibus est, *viventium*.

Cujusque generis. Ita reposui ex 10 editis et cunctis mss. præter Cauc. in quo est *cuique generi*, ut in 9 impressis.

Alimoniam ministraret. Fasit., Gryph., Betul., Tom., Thys., Gall., Spark., Celf., *administraret*. De Opif. cap. 6: *Ut... alimentum lactis fœtibus ministretur*. Epitom. cap. 72: *Deus... victum ministrabit. Administrare* noster hoc sensu non posuit. Alibi Lucret. II, 1149:

> Quod satis est..... natura ministrat. Bun.

Et compactus. Humannus delendum putat *et*.

In æternum manere non poterat, etc. Neque hoc verum est. Si enim innocens perstitisset, immortalis utique esset futurus: *stipendia enim peccati, mors est*. Quare concilium Carthaginense anno Domini 418 celebratum, can. I, eos anathemate ferit, quicumque affirmaverint Adamum, utcumque non peccasset, moriturum tamen μὴ τῇ ἀξίᾳ τῆς ἁμαρτίας, ἀλλὰ τῇ φύσεως ἀνάγκῃ.

Cur... mortalem finxit. Gall. et Spark. adfingunt Lactantio gravissimum errorem, quia dixerat non in æternum manere, et mortalem fictum (*Vid. sup. et de Ira, cap.* 15): sed explicari debet ex lib. II, cap. 12, *immortalis maneret*; et de Opif. cap. 4, ubi fatetur, *animal quod* Deus *fecerat sua sponte ad mortem transisse*, et Epit. cap. 27. Bun.

Tolerantiam malorum ac laborum. Quæ hoc capite de perferendis ærumnis atque laboribus, et lib. VI, cap. 11, de misericordiæ operibus exercendis disserit, observanda sunt adversus Lutherum et sectatores, qui bona opera ad salutem necessaria negant. Isæus.—Mss. 1 Reg. et 1 Brun. habent *ac dolorum*; 4 scripti rec. et 6 edit. *ac bonorum*.

Duæ vitæ. In Ald., Crat., Gymn., *Duæ viæ*, vitiose. Lib. VII, c. 10: *Duæ vitæ propositæ sunt homini, quarum altera est animæ, altera corporis*. Bun.

Illam nascendo accipimus. Sic Tertullianus adversus Marcionem ait: *Vivere homini Deus præstiterat, facto in animam vivam: recte vero vivere demandarat, admonito in legis obsequium*. Mss. 6 rec. et 12 edd. *habent accepimus*.

Ne immortalitas homini. Ex omnibus mss. et multis editis addidi *homini*.

Digitized by Google

habet. Illam primam nescientes accipimus; hanc secundam scientes; virtuti enim, non naturæ datur, quia voluit nos Deus vitam nobis in vita comparare.

Idcirco hanc nobis præsentem dedit, ut illam veram et perpetuam aut vitiis amittamus, aut virtute mereamur. In hac corporali non est summum bonum; quoniam sicut necessitate divina nobis data est, ita rursum divina necessitate solvetur. Ita quod finem habet, summum bonum non habet. In illa vero spiritali, quam per nos ipsi acquirimus, summum bonum continetur; quia nec malum potest habere, nec finem. Cui rei argumentum natura et ratio corporis præbet. Cætera namque animalia in humum vergunt, quia terrena sunt; nec capiunt immortalitatem, quæ de cœlo est. Homo autem rectus in cœlum spectat, quia proposita est illi immortalitas; nec tamen venit, nisi tribuatur homini a Deo. Nam nihil interesset inter justum et injustum, siquidem omnis homo natus immortalis fieret; ergo immortalitas non sequela naturæ, sed merces præmiumque virtutis est. Denique homo non statim quam natus est, rectus ingreditur: sed quadrupes primo, quia ratio corporis et hujus præsentis vitæ communis est nobis cum mutis animalibus; post deinde confirmatis viribus erigitur, et lingua ejus in eloquium solvitur, et mutum animal esse desinit. Quæ ratio docet, mortalem nasci hominem; postea vero immortalem fieri, cum cœperit ex Deo vivere, id est, justitiam sequi, quæ continetur in Dei cultu, cum excitaverit hominem Deus ad aspectum cœli ac sui. Quod tum fit, cum homo cœlesti lavacro purificatus, exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris, et incremento divini vigoris accepto, fit homo perfectus ac plenus.

A Ergo quia virtutem proposuit homini Deus, licet anima et corpus consociata sint; tamen contraria sunt, et impugnant invicem. Animi bona, mala sunt corporis; id est, opum fuga, voluptatum interdictio, doloris mortisque contemptus. Item corporis bona, mala sunt animi; hoc est, cupiditas, et libido, quibus et opes appetuntur et suavitates variarum voluptatum, quibus enervatus animus extinguitur. Ideo necesse est, justum et sapientem in omnibus malis esse, quoniam malorum victrix est fortitudo; injustos autem in divitiis, in honore, in potestate. Hæc enim bona corporalia et terrena sunt. Illi autem terrenam vitam agunt, nec assequi immortalitatem queunt, quia se voluptatibus dediderunt, quæ sunt virtutis inimicæ. Itaque vita hæc temporalis illi æternæ debet esse B subjecta, sicut corpus animæ. Quisquis ergo animæ vitam maluerit, vitam corporis contemnat necesse est; nec aliter eniti ad summum poterit, nisi quæ sunt ima despexerit. Qui autem corporis vitam fuerit amplexus, et cupiditates suas in terram dejecerit, illam superiorem vitam consequi non potest. Sed qui mavult bene vivere in æternum, male vivet ad tempus, et afficietur omnibus molestiis et laboribus, quandiu fuerit in terra, ut habeat divinum et cœleste solatium. Et qui maluerit bene vivere ad tempus, male vivet in æternum; damnabitur enim sententia Dei ad æternam pœnam, quia cœlestibus bonis terrena præposuit. Propterea igitur coli se Deus expetit, et honorari ab homine tanquam pater, ut virtutem ac sapientiam teneat, quæ sola immortalitatem parit. C Nam quia nullus alius præter ipsum donare eam potest, quia solus possidet, pietatem hominis, qua Deum

VARIORUM NOTÆ.

Nescientes accipimus. Mss. 4 rec. et 14 edd. *accepimus.*

In vita comparare. 1 Colbert. *in vitam;* 1 Lips. et Brun. *in hac vita.*

Aut virtute mereamur. Quamvis Deus ante nos posuerit ignem et aquam, et in nobis sit ad utrumque manum porrigere: tamen non est proposita mors secunda, nisi ut eam vitemus; at auxilium dat Deus ut vitam secundam mereamur.

Divina necessitate. Ego interpretor, divina necessitate, id est, divina lege. Pari modo lib. II, c. 2: *quod functi... divinæ necessitati morte concesserint.* De Ira c. 15: *Consideremus* divinam necessitatem; *nolo enim naturam dicere.* Chrysippus Deum, nuncupavit *divinam necessitatem.* Bun.

Solvetur. Sic reposui ex 7 vet. editis cunctisque mss. præter 1 Reg. rec. cui est *solvitur*, ut cæteris impressis.

Cui rei. Ita omnes prope mss. In Cauc. et 8 aliis rec. est *cujus rei*, ut in cunctis fere editis.

Natura et ratio corporis præbet. Mss. 1 Bonon. antiq. et 4 edit. rec. *naturæ ratio et natura corporis præbet.* Lectionem porro textus sic interpretandam puto: *Cui rei*, nempe quod in vita spirituali sit summum bonum, *argumentum natura et ratio corporis præbet*, quia nimis fluxum est corpus, ut in eo possit summum bonum collocari.

Immortalitas non sequela naturæ. Intellige: *immortalitas* beata *non sequela naturæ.* Bun.

Quam. Vel potius *quum*, vel *cum.*

Non statim quam natus est. Mss. 8 rec. et totidem editi, *non statim quando.* Alii 3 scripti rec. *quo.*

Communis est nobis cum mutis animalibus. Quasi vero infantes statim a nativitate non essent baptismi capaces, cum primitiva Ecclesia ante Lactantii tempora longe aliter senserit. Cyprianus enim in epistola ad Fidum, pag. 159. edit. Oxon., cum Fidus ei quæstionem moveret de infantibus intra triduum ad lavacrum admittendis, sic epistolam claudit: *et idcirco, frater charissime, hæc fuit in concilio nostra sententia, a baptismo atque a gratia Dei, qui omnibus misericors, et benignus, et pius est, neminem per nos debere prohiberi.* D *Quod cum circa universos observandum sit atque retinendum, magis circa infantes ipsos et recens natos observandum putamus*, etc. Lege ad hæc Irenæum lib. II, cap. 10.

Id est. Additum ex omnibus mss. præter 1 Reg. in quo desideratur, sicut et in nonnullis editis.

Suavitates. Sic et infra plurali numero cap. sequenti. In 2 mss. rec. et 4 edit. *suavitas.*

Quia. Mss. 2 Reg. rec. *qui se.*

Eniti ad summum. Sic mss. fere omnes, editiones XV sæculi, 1 Colbert., 2 Clarom. *niti;* 1 Brun. *elevari;* alter ut in textu. Expunxi *bonum*, quod sequebatur in 3 mss. rec. ac 7 editis, et abest a cæteris.

Male vivet ad tempus. Id est, incommode, malis obnoxius; et infra, *bene vivere*, hoc est commode, luxuriose.

Qua Deum honoraverit, hoc afficiet præmio. Sic 1 Bonon., Regio-Put., 2 alii Regii et editio Isæi. In 12 mss. recent. est, *Qui Deum honoraverit, hoc afficit*

Digitized by Google

honoraverit, hoc afficiet præmio, ut sit in æternum beatus, sitque apud Deum, et cum Deo semper.

Quæ sequuntur in quibusdam manuscriptis ac in antiquis editionibus reperi. Ea tamen Lactantio abjudicant recentiores interpretes : sed ne aliquid desit, hic apponere visum est; ac monemus ea non esse apprime catholica : sic autem habent.

« Neque nunc aliquis eo confugiat, ut dicat ad ipsius culpam pertinere, qui et bonum instituit, et malum. Cur enim malum voluit esse, si id odio habet? Cur non bonum tantum fecit, ut nemo peccaret, nemo faceret malum? Quanquam hoc in omnibus fere prioribus libris docuerim, et id jam superius, quamvis leviter, attigerim; tamen subinde admonendum est, quia omnis ratio in eo posita est. Nulla enim virtus esse poterat, nisi diversa fecisset; nec omnino apparere vis boni potest, nisi ex mali comparatione. Adeo malum nihil aliud est, quam boni interpretatio. Sublato igitur malo, etiam bonum tolli necesse est. Si lævam manum, aut pedem amputaveris, nec corpus erit integrum, nec vita ipsa constabit. Adeo ad compagem corporis temperandam, aptissime cum dextris sinistra junguntur. Item si pares calculos feceris, nemo ludet. Si unum colorem Circo dederis, nemo spectandum putabit, sublata omni Circensium voluptate. Quos profecto qui prius instituit, amator unius coloris fuit : sed alterum ei, quasi æmulum posuit, ut posset esse certamen, et aliqua in spectaculo gratia. Sic Deus, quum bonum constitueret, quum virtutem daret, statuit etiam diversa, cum quibus illa confligerent. Si desit hostis, et pugna, nulla victoria est. Tolle certamen, ne virtus quidem quidquam est. Quam multa sunt hominum inter se, et quam variis artibus constituta certamina? Nemo tamen fortior, velocior, præstantior haberetur, si adversarium, cum quo contenderet, non haberet. Unde autem abest victoria, abesse hinc et gloriam simul, et præmium necesse est. Ut igitur virtutem ipsam exercitatione assidua roboraret, eamque faceret de malorum conflictatione perfectam, utrumque simul dedit, quia utrumque sine altero retinere vim suam non potest. Ergo diversitas est, cui omnis ratio veritatis innititur.

« Non me præterit, quid hoc loco a peritioribus possit opponi. Si bonum sine malo esse non potest, quomodo primum hominem dicis ante offensum Deum in solo bono fuisse, aut postea in solo bono futurum? Discutienda nobis hæc quæstio est : quod in prioribus libris prætermisi, ut hic implerem. Diximus superius, ex elementis repugnantibus hominis constare naturam. Corpus enim, quia terra est, comprehensibile est, temporale, brutum, atque tenebrosum est. Anima vero, quia de cœlo est, tenuis, æterna, sensibilis, illustris est. Quæ quia inter se contraria sunt, necesse est, hominem bono et malo esse subjectum. Animæ adscribitur bonum, quia indissolubilis est : corpori malum; quia fragile est. Quoniam igitur sociata et conjuncta sunt corpus et anima, æque bonum et malum cohæreat necesse est; nec separari alterutro possunt, nisi quum illa separata sunt. Denique boni malique notitia simul homini primo data est. Qua percepta, statim de loco sancto pulsus est, in quo malum non est. Ubi cum esset in bono tantum, id ipsum bonum esse, ignorabat. Postquam vero accepit boni malique intelligentiam, jam nefas erat, eum in beatitudinis loco morari, relegatusque est in hunc communem orbem, ut ea utraque simul experiretur, quorum naturam pariter agnoverat. Apparet ergo idcirco datam esse homini sapientiam, ut bonum discernat a malo; ut ab incommodis commoda, ab inutilibus utilia distinguat; ut habeat judicium, et considerantiam, quid cavere, quid appetere, quid fugere, quid sequi deheat. Sapientia igitur constare sine malo non potest; vixitque ille princeps generis humani, quamdiu in solo bono fuit, velut infans, boni ac mali nescius. At enim postea hominem necesse est et sapientem esse, et sine ullo malo beatum. Sed id fieri non potest, quamdiu anima domicilio corporis induta est.

« Quum vero factum fuerit corporis animæque dissidium, tunc malum a bono separabitur. Et sicut corpus interit, anima manet : ita malum interibit, et bonum permanebit. Tunc homo accepto immortalitatis indumento, erit sapiens, expers mali, sicut Deus. Qui ergo vult nos in bono esse tantum, id potissimum desiderat, ut sine corpore vivamus, in quo est malum. Quod si tollatur, aut sapientia homini, ut dixi, aut corpus adimetur : sapientia, ut ignoret malum; corpus, ut non sentiat. Nunc autem cum homo et sapientia sit instructus, ut sciat, et corpore, ut sentiat, utrumque pariter in hac vita Deus esse voluit, ut ratio virtutis sapientiæque constaret. Posuit itaque hominem inter utrumque medium, ut haberet licentiam vel mali, vel boni sequendi. Sed malo admiscuit apparentia quædam bona, id est varias et delectabiles suavitates, ut earum illecebris in-

VARIORUM NOTÆ.

præmio. Cellarius vero et Walchius cum nostra editione concordant.

Et cum Deo semper. Mss. Marm. 500 annor. et 1 Reg. 400, n. 3976, Gryphius, Tornes., Betul., Antuerp. 1570, Soubron. 1594, longam post hæc verba attexunt orationem, quam nec in melioribus mss. nec in reliquis editis reperio; ideoque illam admittere nolui ut veram. Multa etiam continet hæc oratio parum apposite, immo falsa enuntiata. Quæ Manetis hæresim redolent, cujus tamen nec Hieronymus, nec S. Augustinus Lactantium insimulant.

Neque, etc. Monet Thomasius, hanc longam orationem usque ad finem hujus quinti capitis deesse in duobus Bononiensibus mss. ac post Thomasium Isæus docet, eam quoque desse in duodecim Vaticanis codicibus. Ea vero non legitur in omnibus fere Gallicanis mss., duobus tantum exceptis. Fatendum igitur est, hanc totam periodum ab aliquo, eoque subtilissimo et perito Manichæo, fuisse suppositam, ut errorem suum Lactantii auctoritate fulciret. In hoc igitur consentiunt editores omnes, hanc eradendam esse. At ne desit aliquid in hac nostra editione, eam hic adjungimus, sed ad marginem virgatam, ut a textu Lactantiano distinguatur.

Digitized by Google

duceret hominem ad latens malum. Bono autem admiscuit apparentia quædam mala, id est, ærumnas, et miserias, et labores, quorum asperitate ac molestia offensus animus refugeret a bono latenti. Hic ergo sapientiæ officium desideratur, ut plus mente videamus, quam corpore : quod pauci admodum facere possunt; quia et virtus difficilis ac rara est, et voluptas communis ac publica. Ita necesse est, sapientem pro stulto haberi, qui dum appetit bona, quæ non cernuntur, dimittit e manibus, quæ videntur; et dum vitat mala, quæ non aspiciuntur, incurrit in mala, quæ ante oculos sunt. Quod accidit nobis, cum neque cruciatum, neque mortem pro fide recusamus : quando ad summum nefas compellimur, ut prodita fide atque abnegato Deo vero, diis mortuis mortiferisque libemus. Hæc ratio est, cur hominem Deus et mortalem fecerit, et malis subjecerit; licet ipsius causa mundum ædificasset, scilicet ut virtutem caperet, et ei virtus sua immortalitatem daret. Virtus autem, sicut ostendimus, veri Dei cultus est. »

CAPUT VI.

Quare mundus et homo creati sunt; quam sit inanis cultus deorum.

Nunc totam rationem brevi circumscriptione signemus. Idcirco mundus factus est, ut nascamur : ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum : ideo agnoscimus, ut colamus : ideo colimus, ut immortalitatem pro mercede laborum capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei constat : ideo præmio immortalitatis afficimur, ut similes angelis effecti, summo patri ac Domino in perpetuum serviamus, et simus æternum Deo regnum. Hæc summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi : a quo sunt alieni, qui sequentes præsentem voluptatem, terrestribus et fragilibus se bonis addixerunt, et animas ad cœlestia genitas suavitatibus mortiferis tanquam luto cœnove demerserunt.

Quæramus nunc vicissim, an in cultu deorum ratio ulla subsistat : qui si multi sunt, si ideo tantum ab hominibus coluntur, ut præsteut illis opes, victorias, honores, et quæque alia quæ non nisi ad præsens valent; si sine causa gignimur; si in hominibus procreandis providentia nulla versatur; si casu nobismetipsis, ac voluptatis nostræ gratia nascimur; si nihil post mortem sumus : quid potest esse tam supervacaneum, tam inane, tam vanum, quam humana res, et quam mundus ipse? qui cum sit incredibili magnitudine, tam mirabili ratione constructus, tamen rebus ineptis vacet. Cur enim ventorum spiritus citent nubes? Cur emicent fulgura? tonitrua mugiant? imbres cadant, ut fruges terra producat, ut varios fœtus alat? Cur denique omnis natura rerum laboret, ne quid desit earum rerum, quibus vita hominis sustinetur, si est inanis, si ad nihilum interimus, si nihil est in nobis majoris emolumenti Deo? Quod si est dictu nefas, nec putandum est fieri posse, ut non ob aliquam maximam rationem fuerit constitutum, quod videas maxima ratione constare; quæ potest esse ratio in his erroribus pravarum religionum, et in hac persuasione philosophorum, qua putant animas interire? Profecto nulla. Quid enim habent dicere, cur dii hominibus tam diligenter suis quæque temporibus exhibeant? An ut illis far et merum demus, et odorem thuris, et sanguinem pecudum? quæ neque immortalibus grata esse possunt, quia sunt fragilia; neque usui esse expertibus corporum, quia hæc ad usum corporalium data sunt. Et tamen si ea desiderarent, sibi ipsi possent exhibere cum vellent. Sive igitur intereunt animæ, sive in æternum manent, quam rationem continet cultus deorum, aut a quo mundus constitutus est? cur, aut quando, aut quousque, quatenus homines, aut quamobrem procreati? cur nascuntur, intereunt, succedunt, renovantur? Quid dii ex cultibus eorum assequuntur, qui post mortem nihil futuri sunt? quid præstant? quid pollicentur? quid minantur aut hominibus, aut diis dignum? Vel si manent animæ post obitum, quid de his faciunt, facturive sunt? quid illis opus est thesauro animarum? ipsi illi ex quo fonte oriuntur? quomodo, aut quare, aut unde multi sunt? Ita fit, ut si ab illa rerum summa, quam superius comprehendimus, aberraveris, omnis ratio intereat, et ad nihilum omnia revolvantur.

CAPUT VII.

De philosophorum varietate, eorumque veritate.

Quam summam quia philosophi non comprehen-

VARIORUM NOTÆ.

Deo regnum. Apocal., I et V.

Qui si multi sunt, si ideo tantum... et quæque alia quæ, etc. Ita mss. 7 Reg. antiquiores, aliique nec non editi sex. In 9 scriptis rec. est *qui simulati sunt... quæque alia*, etc.; in 6 mss. rec. et ed. Rom. 1468, *qui si multi nati sunt..., fingimur*; in 2 mss. rec. et 5 impressis, *qui si multi sunt*, etc. ut in textu.

Tam vanum. Nam juxta mentem apostoli, si nulla sit resurrectio, supervacua atque inanis est tota religio christiana.

Quam humana res, et quam mundus ipse. Sic lego cum 2 editis et quam plurimis mss. inter quos sunt veterrimi 1 Bonon. et 6 Reg. Editi octo et 1 ms. Colbert. habent *quam*. Scripti 8 rec. ac 5 vulgati, *et quam mundus iste.*

Tam mirabili. 1 Bonon. antiq., 1 Lips. *tum mirabili;* 1 Reg. rec. *et mirabili;* 1 Reg. et Goth. *et admirabili.*

Constructus. 1 Colbert. et 5 edd. *constitutus.*

Videas. Mss. 14 rec. et 5 edit. *videamus;* 1 Reg. *videmus.*

Habent dicere. Habeo dicere, pro *possum*, et pro *debeo dicere.* Est phrasis Græca, qua et alibi utitur Lactantius, scilicet lib. IV, cap. 12, circa med. et cap. ultimo ubi vide Not.

Ut illis far. Far est vocabulum generale quo omnia frumenti genera designantur : *ut far triticeum, far hordeaceum*, etc. GALLÆUS.

Constitutus est. Mss. 11 rec. et 7 edd. *factus est.*

Procreati? cur nascuntur. Ex mss. et editis addidi *cur*, quod deest in 1 Colb. et nonnullis editis.

Qui post mortem. 1 Lips. et ed. Rom. 1474. *Qui post obitum.*

Animæ post obitum. Hæc lectio est 5 vet. impressorum cunctorumque mss. præter 2 Reg. et 9 edit. in quibus est *post mortem :* sed mox præcessit illa vox.

Revolvantur. Mss. 4 rec. *resolvantur.*

Digitized by Google

derunt, nec veritatem comprehendere potuerunt, quamvis ea fere, quibus summa ipsa constat, et viderint, et explicaverint. Sed diversi, ac diverse illa omnia protulerunt, non annectentes nec causas rerum, nec consequentias, nec rationes; ut summam illam, quæ continet universa, et compingerent, et implerent. Facile est autem docere, pene universam veritatem per philosophos sectas esse divisam. Non enim sic philosophiam nos evertimus, ut Academici solent, quibus ad omnia respondere propositum est, quod est potius calumniari et illudere : sed docemus, nullam sectam fuisse tam deviam, nec philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subvertunt, non tantum elapsa illis veritas est, quam se quærere simulabant : sed ipsi eam potissimum suo vitio perdiderunt. Quod si extitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis. Sed hoc nemo facere, nisi veri peritus ac sciens potest. Verum autem scire, non nisi ejus est, qui sit doctus a Deo. Neque enim potest aliter repudiare quæ falsa sunt, eligere ac probare quæ vera : sed si vel casu id efficeret, certissime philosopharetur; et quamvis non posset divinis testimoniis illa defendere, tamen se ipsa veritas illustraret suo lumine. Quare incredibilis est error illorum, qui cum aliquam sectam probaverint, eique se addixerint, cæteras damnant tanquam falsas et inanes, armantque se ad præliandum, nec quid defendere debeant scientes, nec quid refutare; incursantque passim sine delectu omnia, quæ afferunt quicumque dissentiunt.

Ob has eorum pertinacissimas contentiones nulla extitit philosophia, quæ ad verum propius accederet; nam particulatim veritas ab his tota comprehensa est. Factum esse mundum a Deo, dixit Plato (*in Timæo*). Idem prophetæ loquuntur; idemque ex Sibyllæ carminibus apparet (*sermone* 1). Errant igitur qui vel omnia sua sponte nata esse dixerunt, vel minutis seminibus conglobatis; quoniam tanta res, tam ornata, tam magna, neque fieri, neque disponi et ordinari sine aliquo prudentissimo auctore potuit; et ea ipsa ratio, qua constare ac regi omnia sentiuntur, solertissimæ mentis artificem confitetur. Hominum causa mundum, et omnia quæ in eo sunt esse facta, Stoici loquuntur : idem nos divinæ Litteræ docent. Erravit ergo Democritus, qui vermiculorum modo putavit effusos esse de terra nullo auctore, nullaque ratione. Cur enim formatus sit homo, divini sacramenti est : quod quia ille scire non poterat, humanam vitam deduxit ad nihilum. Ad virtutem capessendam nasci homines Ariston disseruit : idem nos monemur ac discimus a prophetis. Falsus igitur Aristippus, qui hominem voluptati, hoc est malo tanquam pecudem subjugavit. Immortales esse animas Pherecydes et Plato disputaverunt : hæc vero propria est in nostra religione doctrina. Ergo Dicæar-

VARIORUM NOTÆ.

Consequentias. Hanc vocem etiam Cicero habet I de Divin. 128, et IV, ad Her. Mss. 1 Reg. et Bonon. *consequentia.*

Et implerent. Mss. 8 rec. *complerent.*

Per philosophos et sectas. Ita sex editi et mss. omnes, præter rec. 1 Reg. et Goth. et 10 edit. quibus est *philosophorum sectas.* Rectius, *per philosophos et sectas;* sic enim ait infra : *Quod si extitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos (philosophos) per sectasque diffusam colligeret in unum.*

Ut Academici solent. Qui ad quamlibet quæstionem, Socratico more in utramque partem disputare soliti erant.

Calumniari et illudere. Mss. 4 Reg. rec., 3 Colb., Torn., Em., Cant., Brun., *calumniari et invidere;* Pal., Lips. *et invideri.*

Verum autem scire, non nisi ejus est. Hæc lectio est omnium prope mss. et 7 vet. editorum. In Regio-Put. deest *scire;* in 1 Reg. rec. et 6 excusis legitur *ejus scire est.*

Neque enim potest. Mss. 9 rec. et 7 edit. *Nemo enim potest.*

Se ipsa veritas illustraret. Mss. 12 et 8 edd. *se ipsam.*

Prophetæ loquuntur. Genes. I, Ps. XXXII, Eccl. XVIII.

Res, tam ornata. Addidi *tam* ex mss. et pluribus editis.

Ea ipsa ratio. Mss. 2 rec. et ed. Rom. 1470, *ratione.* Hanc rationem Paulus ad Romanos I, legem naturæ appellat.

Confitetur. Mss. 3 rec. et ed. Rom. 1470, *confitentur.*

Hominum causa. Vide Ciceronem in Lucullo, et librum de Ira Dei, cap. 13.

Stoici. De quibus vide supra cap. 4.

Divinæ litteræ. Genes. I, Psalm. VIII, I ad Corinth. XV, ad Hebr. II.

Democritus. Sicut supra, fungos, atque ex draconis dentibus natos passim homines quidam prodiderunt. Democriti hoc dogma apud nullum legi auctorem : sed non dissimilia sunt, quæ ex Diodoro, atque adeo ex Euripide recitat Euseb. lib. I, de Præparat. Evang. cap. 4. BETULEIUS.

Putavit. Ms. Em. addit *homines.* Atque Heumannus putat hanc vocem excidisse, quamvis non legatur in editis XV sæculi.

Ad virtutem capessendam nasci homines Ariston disseruit. Sic emendavi ex mss. veterrimis Bonon., Regio-Put., Canc., Jun., 6 Colbert., 3 Lips., Goth., Ultr., Em., Cant., 2 Clarom., Brun. et cunctis editis, præter quatuor in quibus, sicut et in 1 Reg. rec. et 2 Colbert. a secunda manu, legitur *Aristoteles,* et in 1 Reg. antiq. *Aristoteleo;* corrupte. Non enim id extat apud Aristotelem, sed apud Ciceronem de Finibus lib. II et III, ubi citatur hac de re *Ariston,* non *Aristoteles. Ariston* fuit Chius, philosophus Stoicus, de quo alibi Lactant. libro de Ira Dei cap. 22.

Aristippus, qui hominem voluptati... subjugavit. Apud Ciceronem lib. II de Finibus, et III de Officiis, et apud Laertium in Aristippo. Vide supra lib. III, cap. 7.

Immortales animas Pherecydes. Vide Ciceronem lib. I Tusculanar. quæst. De *Pherecyde* capite sequenti.

Plato. Scilicet in Phædro, in Phædone, et lib. X de Repub. apud Ciceron. lib. I, Tusculanar.

Doctrina. Vide Sapient. III et II; Matth. XXV; Apocalyps. VI.

Dicæarchus. Dicæarchus, inquit Suidas, Phidiæ filius, Siculus, ex urbe Messene (Mamertinum alii fuisse dicunt) Aristotelis auditor, philosophus, rhetor et geometra, etc. Hic (ut Cicer. in I Tuscul.

Digitized by Google

chus cum Democrito erravit, qui perire cum corpore ac dissolvi argumentatus est. Esse inferos Zenon Stoicus docuit, et sedes piorum ab impiis esse discretas; et illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones, hos vero luere pœnas in tenebrosis locis, atque in cœni voraginibus horrendis: idem nobis prophetæ palam faciunt. Ergo Epicurus erravit, qui poetarum id esse figmentum putavit, et illas inferorum pœnas, quæ ferantur, in hac esse vita interpretatus est. Totam igitur veritatem, et omne divinæ Religionis arcanum philosophi attigerunt. Sed aliis refellentibus, defendere id quod invenerant, nequiverunt; quia singulis ratio non quadravit, nec ea, quæ vera senserant in summam redigere potuerunt, sicut nos superius fecimus.

CAPUT VIII.

De immortalitate animæ.

Unum est igitur summum bonum immortalitas, ad quam capiendam, et formati a principio, et nati sumus. Ad hanc tendimus; hanc spectat humana natura; ad hanc nos provehit virtus: quod bonum quia deprehendimus, superest etiam ut de ipsa immortalitate dicamus. Platonis argumenta, quamvis ad rem multum conferant, tamen parum habent firmitatis ad probandam et implendam veritatem; quoniam nec rationem totius mysterii magni consummaverat, in unumque collegerat, nec summum bonum comprehenderat. Nam licet verum de animæ immortalitate sentiret, tamen non ita de illa tanquam de summo bono disserebat. Nos igitur certioribus signis elicere possumus veritatem, qui eam non ancipiti suspicione collegimus, sed divina traditione cognovimus. Plato autem sic argumentatus est, immortale esse quidquid per seipsum et sentit, et semper movetur; quod enim principium motus non habet, nec finem habiturum, quia deseri a semetipso non potest. Quod argumentum etiam mutis animalibus æternitatem daret, nisi adjectione sapientiæ discrevisset. Addidit igitur, ut effugeret hanc communitatem, fieri non posse, quin sit immortalis animus humanus, cujus miranda solertia inveniendi, et celeritas cogitandi, et facilitas percipiendi atque discendi, et memoria præteritorum,

VARIORUM NOTÆ.

quæst. et in Academ. quæst. meminit) contra immortalitatem animi disseruit. Is, inquit, tres libros scripsit, qui Lesbiaci vocantur, quod Mitylenis sermo habetur, in quibus vult efficere animos esse mortales. Sed scripsit idem Dicæarchus (ut in eodem Ciceronis libro legimus) sermonem, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, in quibus disserit nihil esse omnino animum, et hoc esse nomine totum inane, frustraque et animalia et animantes appellari; neque in homine inesse animum vel animam, nec in bestia. Meminit hujus idem Cic. etiam in Acad. quæst. Sed ut Plut. in Placitis refert, censuit Dicæarchus animam esse quatuor elementorum. BETUL.

Cum Democrito. Democritus et Epicurus animam una cum corpore mori aiunt. Plut., Cicero. I, Tuscul.

Esse inferos Zenon docuit. De Zenone nihil tale comperio apud Scriptores, sed de Socrate apud Cicer. I Tusc., circa medium. ISÆUS. — Constat hoc quidem de Epicureis: imo non de Stoicis modo, sed de ipso quoque Cicerone, qui in I Tusc. quæst. poetarum de inferis fabulas explodit. Quin imo hoc idem facit Seneca Stoicus ad Marciam de Consolatione. Excutitur hæc quæstio a Lucretio lib. III, a Macrobio de Somnio Scip. lib. I, cap. 11. Sed lege tu ex Ecclesiasticis Augustinum lib. XII, cap. 33, de Genesi ad litteram. BETULEIUS.

Prophetæ. Psalm. XXX, Lucæ XIII, 3; II ad Corinth. V.

Poetarum. Vide Lucret. lib. III, circa finem. *Poetarum*, etiam tragicorum maxime. Homerus inferos describit Odyss. λ. quem secutus est Virg. in VI, Ovid. in IV Met., Silius in Lucian. in Charonte. BETUL.

Argumenta. Mss. 2 rec. et 10 excusi, *documenta;* cæteri ut in textu. Vide seqq. et initio cap. 9.

Tamen parum habent firmitatis. Ut philosophica omnia sunt δοκοῦντα dumtaxat, nec certo ipsis auctoribus constant: ita in disputationibus theologicis pronuntiati auctoritatem non habent ullam, et ob id nec Platoni, nec Pythagoræ, licet ipse dixerit, et veritatem adeo dixerit, credendum propterea est, quia dixit, sed quia verum est, et convenit cum auctoritate cœlesti. Oraculorum enim divinorum tanta virtus est, ut ipsa etiam oratio rei τὸ εἶναι afferat; et ob idipsum verum sit, vitam esse sempiternam, quia hoc sacræ prodideruut Scripturæ, nec id minus vere, quam si dicas: Caro resurget; ergo sacra doctrina vera est. Quia vox cœlestis rei causam præbet, ut sit. BETUL.

Elicere possumus veritatem. Sic lego cum mss. Bonon., II Reg. bonæ notæ, Brun. ac edit. Betul. Et recte. Sic *verum elicere* apud Plautum, et apud Ciceronem IV Academic.; 7 aliis est, *eligere.*

Plato autem sic argumentatus est. In Phædone, in Menone, de Republica I, de Legibus XII. Apud Lactantium *Sentiendi* verbum irrepsit, nescio unde, quod ne apud Ciceronem quidem est, qui hæc eadem verba in primo Tusc. quæst. transtulit hoc modo: *Quod semper movetur, id æternum est: quod autem motum adfert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi quoque finem habeat necesse est. Solum igitur quod seipsum movet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri quidem desinit.* BETUL. — De hoc Platonis argumento videndi Macrob. lib. II in Somn. Scipion. cap. 13 et seqq.; S. Athanas. in Orat. contra Idol.; S. Thomas II contra Gent., cap. 82.

Et sentit. Deest in Phædone et apud Ciceronem in Tusculan. Quæst.

Deseri a semetipso. Ms. I Bonon. antiq. *desiderari a seipso non potest;* sed, ut recte monet Thomasius, utriusque lectionis optima est sententia. — *Deseri a semetipso non potest.* Expressit Ciceronem l. I Tusc., c. 23: *Quod se ipsum movet, quia nunquam* deseritur a se, *nunquam ne moveri quidem desinit.... sentit animus se moveri....* Se vi sua non aliena moveri, nec accidere... posse, ut ipse unquam a se deseratur. BUN.

Quod argumentum, etc. Quia universalis propositio est, πᾶσα ψυχὴ ἀθάνατος. Sed Platonem forte a Lactantii reprehensione defendet τὸ καλὸν (sic enim oratio inscribitur) quod non in bestiis, sed in hominibus, adeoque in anima rationali locum habet.

Addidit. Vide Plat. apud Cic. I Tuscul. et ad finem Caton. major. sive de Senect. et I Consol. ut inf. lib. de Ira Dei cap. 10 ad fin.

Cujus miranda solertia. Hæc verba non a Platone, sed ab ipso Cicerone addita sunt.

Discendi. In 6 mss. et edd. 4 est *discernendi.* Vide infra cap. 22. in fine: *In pueris sunt ingenia ad percipiendum facilia; quod ea quæ discant, ita celeriter rapiant, ut non tunc primum discere illa videantur, sed recognoscere atque reminisci.*

Digitized by Google

et providentia futurorum, et artium plerumque innumerabilium scientia, qua cæteræ careant animantes, divina et cœlestis apparet : quia et origo animi, qui tanta capiat, tanta contineat, nulla reperiatur in terra ; siquidem ex concretione terrena nihil habeat admistum ; sed necesse esse in terram resolvi, quod est in homine ponderosum et dissolubile; quod autem tenue atque subtile, id vero esse individuum, ac domicilio corporis velut carcere liberatum, ad cœlum et ad naturam suam pervolare. Hæc fere Platonis collecta breviter, quæ apud ipsum late copioseque explicantur.

In eadem sententia fuit etiam Pythagoras antea, ejusque præceptor Pherecydes, quem Cicero tradit primum de æternitate animarum disputavisse. Qui omnes licet eloquentia excellerent; tamen in hac duntaxat contentione non minus auctoritatis habuerunt, qui contra hanc sententiam disserebant, Dicæarchus primo, deinde Democritus, postremo Epicurus : adeo ut res ipsa, de qua inter se pugnabant, in dubium vocaretur. Denique et Tullius, expositis horum omnium de immortalitate ac morte sententiis, nescire se quid sit verum, pronuntiavit. « Harum, *inquit*, sententiarum quæ vera sit, Deus aliquis viderit. » Et rursus alibi : « Quoniam utraque, *inquit*, earum sententiarum doctissimos habuit auctores; nec quid certi sit divinari potest. » Verum nobis divinatione opus non est, quibus veritatem divinitas ipsa patefecit.

CAPUT IX.

De æternitate animæ, atque de virtute.

His itaque argumentis, quæ nec Plato, nec ullus alius invenit, animarum æternitas probari ac perspici potest : quæ nos breviter collegimus; quoniam properat oratio ad enarrandum judicium Dei maximum, quod in terra propinquante sæculorum fine celebrabitur. Ante omnia, quoniam Deus ab homine videri non potest, ne quis tamen ex eo ipso putaret Deum non esse, quia mortalibus oculis non videretur, inter cætera institutorum miracula, fecit etiam multa, quorum vis quidem apparet, substantia tamen non videretur, sicut est vox, odor, ventus; ut harum rerum argumento et exemplo, etiam Deum, licet sub oculos non veniret, de sua tamen vi; et effectu, et operibus cerneremus. Quid voce clarius? aut vento fortius? aut odore violentius? Hæc tamen, cum per aerem feruntur, ad sensusque nostros veniunt, et eos potentia sua impellunt, non cernuntur acie luminum : sed aliis corporis partibus sentiuntur. Similiter Deus non aspectu nobis aliove fragili sensu comprehendendus est : sed mentis oculis intuendus, cum opera ejus præclara et miranda videamus. Nam illos, qui nullum omnipo Deum esse dixerunt, non modo philosophos, sed ne homines quidem fuisse dixerim, qui mutis simillimi ex solo corpore constiterunt, nihil omnino cernentes animo,

VARIORUM NOTÆ.

Plerumque. Heumannus legit *rerumque*, nec male. Buneman. admittit quoque hanc ultimam lectionem.

Nulla reperiatur in terra. Abest *in terra*, ab uno Bonon. antiquiore et Tax.

Ex concretione. Ven. 1493, 97, Pier. Paris. *ex concreatione*, vitiose. Epitom. cap. 70 : *Si quidem (animus) nihil habeat in se terreni ponderis labe* concretum. L. VIII, c. 12 : *Anima in se nihil* concreti, nihil terreni ponderis habet. Infra : *De terrena concretione.* BUNEMAN.

Sed necesse esse. Ita legendum esse probant præced. et seqq. In 11 mss. et 6 edd. *necesse est.*

Velut carcere liberatum. Ex Platone Cicero corpus vocat vas, receptaculum, domicilium, custodiam : Seneca insuper ergastulum, atque vincula. Methodius apud Epiphanium contra Origenistas docet, corpus animæ nec vinculum, nec carcerem esse. Petrus interim σκήνωμα appellat; et in Job domus lutea nominatur humanum corpus. Verba, quibus hoc loco Lactantius Platonica extulit, Ciceronis sunt ex Lælio, de Scipionis morte, sub Lælii persona verba facientis : *Id*, inquit, *si ita est, ut optimi cujusque animus in morte facillime evolet, tanquam e custodia vinculisque corporis, cui censemus cursum ad deos faciliorem fuisse, quam Scipioni?* BETULEIUS.

Pherecydes, etc. Hæc tota Platonis, Pythagoræ, Pherecydis de immortalitate animæ doctrina, non sincera fuit, sed metempsychosi quasi hæreditario quodam morbo infecta. De hoc Cic. in primo Tusc. quæst. *Pherecydes Syrius in primum dixit, animos hominum esse sempiternos, antiquus sane. Fuit enim meo regnante Gentili* (Servium Tullium intelligit). *Hanc opinionem discipulus ejus Pythagoras maxime confirmavit, qui cum regnante Tarquinio Superbo in Italiam venisset, tenuit magnam illam Græciam cum honore et disciplina, tum etiam auctoritate; multaque sæcula postea sic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur.* Hactenus Cicero. Vitæ ipsorum extant apud Laert. De Pherecyde Augustinus contra Acad. libro tertio cap. 17 et ad Volusianum epist. 3. BETUL.

Dicæarchus. De hoc capite superiori dictum est. Vide supra lib. III, cap. 17.

Inquit. Cicero lib. I Tusculanar. quæstion.

Deus aliquis viderit. Goth. *Aliquid :* sed merito alius superscripsit *aliquis*, ut est in Cicerone lib. I. Tusc. c. 11, in quo vox *aliquis* sapit dubitationem academicam. Lact. de Opif. c. 15 : *quod quidem an verum sit*, Deus *Artifex* viderit. BUNEMAN.

Quoniam utraque, etc. Non extat, et ex quo Ciceronis libro ceciderit, incertum est. Ideoque hæc verba leguntur in fragmentis. ISÆUS.

Breviter collegimus. Hæc lectio est quamplurimorum mss. et 6 vet. edit. in 2 Reg., 1 Colbert. et 12 edit. est *colligemus*; in 4 aliis scriptis *colligimus.*

Ad enarrandum. Ita cum edit. Tornes. et Soubron. omnes mss. In 2 Reg. rec. et vulgatis *ad narrandum.*

Institutorum. Mss. 13. rec. et 14 edit. addunt *suorum*, quod abjecimus, quia ab antiquioribus et melioribus scriptis abest.

Quorum vis quidem apparet. In 10 mss. r. *appareret*; in 1 Bonon. antiq. *quorum multa vis quidem apparet.*

Non videretur. Ita omnes fere mss. inter quos sunt antiquissimi, et 5 vet. edd. In 8 rec. scriptis totidemque editis est, *non videtur.* Vide seqq. *veniret... cerneremus.*

Non modo philosophos. Sic ferunt omnes mss. et editi codices. Francius legebat, *non modo non Philosophos ;* et sic cum eo legere mallem.

Ex solo corpore constiterunt. Præpositio abest a ms. Cauc. et 5 editis.

Nihil omnino cernentes animo. Sic. mss. Cauc., 4 alii

Digitized by Google

sed ad sensum corporis cuncta referentes, qui nihil putabant esse, nisi quod oculis contuebantur. Et quia videbant aut bonis accidere adversa, aut malis prospera, fortuitu geri omnia crediderunt, et natura mundum, non providentia constitutum.

Hinc jam prolapsi sunt ad deliramenta, quæ talem sententiam necessario sequebantur. Quod si est Deus et incorporalis, et invisibilis, et æternus; ergo non ideirco interire animam credibile est, quia non videtur, postquam recessit a corpore, quoniam constat esse aliquid sentiens ac vigens, quod non veniat sub aspectum. At enim difficile est animo comprehendere, quemadmodum possit anima retinere sensum sine iis partibus corporis, in quibus inest officium sentiendi. Quid de Deo? num facile est comprehendere, quemadmodum vigeat sine corpore? Quod si deos esse credunt, qui si sunt, utique sunt expertes corporum, necesse est, humanas animas eadem ratione subsistere; quoniam ex ipsa ratione ac prudentia intelligitur esse quædam in homine ac Deo similitudo. Denique illud argumentum, quod etiam Marcus Tullius vidit, satis firmum est: ex eo æternitatem animæ posse dignosci, quia nullum sit aliud animal, quod habeat notitiam aliquam Dei; Religioque sit pene sola, quæ hominem discernat à mutis: quæ cum in hominem solum cadat, profecto testatur, id affectare nos, id desiderare, id colere, quod nobis familiare, quod proximum sit futurum.

An aliquis, cum cæterarum animantium naturam consideraverit, quas pronis corporibus abjectas in terramque prostratas summi Dei providentia effecit; ut ex hoc intelligi possit, nihil eas rationis habere cum cœlo, potest non intelligere, solum ex omnibus cœleste ac divinum animal esse hominem, cujus corpus ab humo excitatum, vultus sublimis, status rectus originem suam quærit, et quasi contempta humilitate terræ, ad altum nititur, quia sentit summum bonum in summo sibi esse quærendum, memorque conditionis suæ, qua Deus illum fecit eximium, ad artificem suum spectat? Quam spectationem Trismegistus θεώπιδα rectissime nominavit: quæ in mutis animalibus nulla est. Cum autem sapientia, quæ soli homini data est, nihil aliud sit quam Dei notitia, apparet animam non interire, neque dissolvi, sed manere in sempiternum, quia Deum, qui sempiternus est, et quærit, et diligit, ipsa cogente natura, sentiens vel unde orta sit, vel quo reversura. Præterea non exiguum immortalitatis argumentum est, quod homo solus cœlesti elemento utitur. Nam cum rerum natura his duobus elementis, quæ repugnantia sibi atque inimica sunt, constet igne, et aqua, quorum alterum cœlo, alterum terræ adscribitur: cæteræ animantes, quia terrenæ mortalesque sunt, terreno et gravi utuntur elemento; homo solus ignem in usu habet, quod est elementum leve, sublime, cœleste. Ea vero quæ ponderosa sunt, ad mortem deprimunt, et quæ levia sunt, ad vitam sublevant, quia vita in summo est, mors in imo. Et ut lux esse sine igne non potest, sic vita sine luce. Ignis igitur elementum est lucis ac vitæ: unde apparet hominem, qui eo utitur, immortalem sortitum esse conditionem, quia id illi familiare est, quod facit vitam.

Virtus quoque soli homini data magno argumento est immortales esse animas. Quæ non erit secundum naturam, si anima extinguitur; huic enim præsenti vitæ nocet. Nam vita ista terrena, quam communem

VARIORUM NOTÆ.

rec. et 6 typis excusi: alii quidam *nihil*; editi 3, *nihil omnino eruentes animo*; Jun. *nihil cernentes*.

Sed ad sensum. In 16 mss. et 6 editis, pro *sed*, legitur *et*.

Videbant. Hic Epicureos notat.

Fortuitu. 1 Reg. antiq. et 6 rec. Habent *fortuito*; 1 Lips. *fortuite*. Quamplurimi mss. et omnes editi ut in textu.

Constat esse aliquid sentiens ac vigens. Mss. Cauc., 1 Reg. rec. et 4 edit. *constat esse aliquid constans*; in 3 excusis est *vivens*; male. Vide infra cap. 12, *constat ac viget semper*. At lectio nostra, quæ etiam reperitur in duobus mss. Bononiensibus, monente Thomasio, multo elegantior est ea, quæ est quarumdam editionum, ubi legitur, *constat esse aliquid constans et sentiens ac vivens*. — *Constat aliquid esse sentiens ac vigens.* Cicero, pro Milone, cap. 31: *In hac imbecillitate nostra inest quiddam quod vigeat et sentiat.* Bun.

Utique sunt expertes corporum. Mss. 24 cum edit. Rom. 1470, post *utique* addunt *animæ*.

Ratione ac prudentia. Ita lego cum omnibus fere mss. et edit. vet. Rom. 1474. In sex scriptis rec. et excusis est, *providentia*.

Ac Deo. Heum. legit *cum Deo*.

Marcus Tullius. Cic. 1 de Legibus, cap. 8. Vide supra lib. III, cap. 10.

Status rectus. Recte cum edit. vet. Rom., Junt., Is., legunt omnes mss. præter 1 Reg. rec. et 1 Colbert. quibus est *erectus*, ut 12 impressis.

θεώπιδα. Sic restitui ex mss. 5 Reg. inter quos sunt duo antiquissimi, 1 Lips., 1 Clarom. quod sonat *Dei contemplationem*; 1 Bonon, antiq. ὄπιδα. Hæc vox à plerisque mss. abest. Scripti rec. 2 Reg., 2 Colbert., 1 Clarom. et 16 editi habent θεωρίαν. Vide Trismegist. in Pimandro, cap. 12, 13, 14.

Homo solus cœlesti alimento utitur. Ita omnes ferme mss. et editi. In tribus Colb. et edit. Rom. 1470 legitur *solum*, quod deest in nonnullis editis. In 4 scriptis rec. et 5 excusis *utatur*.

Quorum alterum cœlo. Cœlestis ignis non hominem modo, sed et rerum universitatem fovet et servat.

Et ut lux esse sine igne non potest. Licet variæ Philosophorum de solis substantia sint sententiæ, in hoc tamen consentiunt, ut dicant ignitam esse: de quo vide Plutarch. Placita. Sol autem fons omnium est luminum. Cæterum nostra fumida et vaporantia lumina igne constare quis nescit? Betul.

Quod facit vitam. Mss., 2 Lips. *faciat*; 1 alter Lips. cum 1 Reg. rec. *quod facit ad vitam*.

Virtus soli homini. Virtutem Deo et homini communem facit Cicero, lib. 1 de Legibus.

Quæ non erit. Intellige, *virtus*. Editi nonnulli, *quæ nec erit*. Mss. 7 rec. et ed. Crat. *quod non erit*; excusi 7 *quod non erit*.

Quæ non erit secundum naturam. Hæc lectio multo aptior est, quam ea quæ habet, *quod nec erit secundum naturam*. Nostra igitur lectio verisimilior est; nam loquens de virtute, ait, *illam, si ratio tantum corporis habenda esset, non esse dicendam secundum natu-*

Digitized by Google

cum mutis animalibus ducimus, et voluptatem expetit, cujus fructibus variis ac suavibus delectatur, et dolorem fugit, cujus asperitas naturam viventium acerbis sensibus lædit, et ad mortem perducere nititur, quæ dissolvit animantem. Si ergo virtus et prohibet iis bonis hominem, quæ naturaliter appetuntur, et ad sustinenda mala impellit, quæ naturaliter fugiuntur; ergo mala est virtus, et inimica naturæ, stultumque judicari necesse est qui eam sequitur, quoniam se ipse lædit, et fugiendo bona præsentia, et appetendo æque mala sine spe fructus amplioris. Nam cum liceat nobis jucundissimis frui voluptatibus, nonne sensu carere videamur, si malimus in humilitate, in egestate, in contemptu, in ignominia vivere, aut ne vivere quidem, sed dolore cruciari, et mori, ex quibus malis nihil amplius assequamur, quo possit voluptas omissa pensari? Si autem virtus malum non est, facitque honeste, quod voluptates vitiosas turpesque contemnit et fortiter, quod nec dolorem, nec mortem timet, ut officium servet; ergo majus aliquod bonum assequatur necesse est, quam sunt illa quæ spernit. At vero morte suscepta, quod ulterius bonum sperari potest, nisi æternitas?

CAPUT X.

De vitiis et virtutibus, atque de vita et morte.

Transeamus nunc vicissim ad ea quæ virtuti repugnant, ut etiam ex his immortalitas animæ colligatur. Vitia omnia temporalia sunt; ad præsens enim commoventur. Iræ impetus recepta ultione sedatur. Libidinis voluptas corporis finis est. Cupiditatem aut satietas earum rerum, quas expetit, aut aliorum affectuum commotiones interimunt. Ambitio, postquam honores quos voluit adepta est, consenescit. Item cætera vitia consistere ac permanere non possunt: sed ipso fructu quem expetunt finiuntur. Recedunt ergo, et redeunt. Virtus autem sine ulla intermissione perpetua est, nec discedere ab ea potest, qui eam semel cepit. Nam si habeat intervallum, si aliquando ea carere possumus, redibunt protinus vitia, quæ virtutem semper impugnant. Non est igitur comprehensa, si deserit, si aliquando secedit. Cum vero sibi domicilium stabile collocavit, in omni actu versari eam necesse est; nec potest fideliter depellere vitia, et fugare, nisi pectus, quod insedit, perpetua statione munierit. Ipsa ergo virtutis perpetuitas indicat, humanum animum, si virtutem ceperit, permanere; quia et virtus perpetua est, et solus animus humanus virtutem capit. Quoniam igitur contraria sunt vitia virtuti, omnis ratio diversa et contraria sit necesse est. Quia vitia commotiones et perturbationes animi sunt, virtus e contrario lenitudo et tranquillitas animi est. Quia vitia temporalia et brevia sunt; virtus perpetua et constans, et par sibi semper. Quia vitiorum fructus, id est, voluptates, æque ut ipsa, breves temporalesque sunt; virtutis ergo fructus ac præmium sempiternum est, quia vitiorum commodum in præsenti est, virtutis igitur in futuro.

Ita fit, ut in hac vita virtutis præmium nullum sit, quia virtus adhuc ipsa est. Nam sicut vitia, cum in actu suo finiuntur, voluptas et præmia eorum sequuntur: ita virtus, cum finita est, merces ejus insequitur. Virtus autem nunquam nisi morte finitur, quoniam et in morte suscipienda summum ejus officium est. Ergo præmium virtutis post mortem est. Denique Cicero in Tusculanis, quamvis dubitanter, tamen sensit, summum homini bonum non nisi post mortem contingere. « Fidenti animo, *inquit*, si ita res feret, gradietur ad mortem; in qua aut summum bonum, aut nullum malum esse cognovimus. » Mors igitur non extinguit hominem, sed ad præmium virtutis admittit. Qui autem se (ut ait idem) vitiis ac sceleribus contaminaverit, voluptatique servierit, is vero damnatus æternam luet pœnam; quam divinæ

VARIORUM NOTÆ.

ram; nam si anima interiret, magis dicenda esset contra, quam secundum naturam, cum virtus corpus debilitet, atque variis afficiat molestiis.

Vita quam ..... ducimus. Lactantius aliquoties ea phrasi est usus, lib. VII, cap. 3: *Vitam quam in terra ducimus.* Et libri aliquot lib. VIII, cap. 22: *Ut beatam possint ducere* (al. agere) *vitam.* Lucretius lib. II, vers. 996:

Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant.

BUN.

Dissolvit animantem. Mss. 4 rec. et 5 edit. *animantes.*

Stultumque judicari. Sic reposui ex quamplurimis mss. et editis. In 8 scriptis rec. et 9 impressis est *judicare.*

Et fugiendo. Mss. 9 rec. et 10 editi *effugiendo*; 3 Reg. rec. *et effugiendo.*

Et appetendo æque mala. Mss. 1 Reg. rec. et Goth. *ea quæ mala.* Cæteri ut in textu. *Æque*, recte, pro *etiam*, vel *pariter*, ut apud Ciceronem.

Dolore cruciari. Ita meliores mss. Vid. seqq. Scripti octo totidemque editi, *dolere, cruciari.*

Et mori. Mss. Cauc. et edit. Betul. *cruciari, emori*, sine copula; 6 vulgati *et emori*; 1 Clarom. *ac mori.*

Nisi æternitas. 1 Reg. rec. et 6 edit. *nisi æternitatis*; Goth. *nisi vita æternitatis*; 1 Reg. *nisi æternum.*

Sedatur. Sic correxi ex omnibus mss. et vulgatis: sic etiam veteres sæculi decimi quinti editiones, præter mss. 1 Reg. et 4 edit. rec. quibus est *sedantur.* At *sedatur* sequentia requirunt.

Cupiditatem aut satietas. Ita omnes mss., quod est elegantius, quam *autem* 7 scriptorum rec. et editorum.

Redibunt protinus. Hæc lectio est vet. edit. Rom. Paris., Fasit., Is. omniumque mss. In Cauc., aliis 4 rec. et 12 edit. est *redeunt.*

Si deserit. Mss. 3 rec. *si desierit.*

Constans, et. Heuman. vero legit *constans est, et.*

Par sibi semper. Ita Plato lib. IV de Republica.

Virtutis fructus. Quod diserte pronuntiat Virgilius:

Vivit apud superos, et habet sua munera virtus.

Ut in hac vita virtutis præmium nullum sit. Hoc non absolute verum est, immo Deus remunerat nonnunquam bona opera etiam in hac vita: exemplum habemus in Jobo, aliisque. GALLÆUS.

Ita virtus. Heum. legit *virtutem.*

Cicero. In epilogo libri I Tusculanar. cap. 46.

Contaminaverit. Contaminare se scelere in III de Officiis. *Contaminare se vitiis*, in III Tusculan. quæst.

Digitized by Google

litteræ secundam mortem nominant, quæ est et perpetua, et gravissimis cruciatibus plena. Nam sicuti duæ vitæ propositæ sunt homini, quarum altera est animæ, altera corporis : ita et mortes duæ propositæ sunt, una pertinens ad corpus, qua cunctos secundum naturam fungi necesse est; altera pertinens ad animam, quæ scelere acquiritur, virtute vitatur ; et ut vita hæc temporalis est, certosque terminos habet, quia corporis est : sic et mors æque temporalis est, certumque habet finem, quia corpus attingit.

CAPUT XI.

De temporibus postremis, atque de anima et corpore.

Impletis igitur temporibus, quæ Deus morti statuit, terminabitur ipsa mors. Et quia temporalem vitam temporalis mors sequitur; consequens est, ut resurgant animæ ad vitam perennem, quia finem mors temporalis accepit. Rursum, sicut vita animi sempiterna est, in qua divinos et ineloquibiles immortalitatis suæ fructus capit : ita et mors ejus perpetua sit necesse est, in qua perennes pœnas et infinita tormenta pro peccatis suis pendet. Ergo in ea conditione res posita est, ut qui beati sunt in hac vita corporali atque terrena, semper miseri sint futuri; quia jam bonis, quæ maluerunt, potiti sunt : quod iis evenit, qui deos adorant, ac Deum negligunt. Deinde qui justitiam sequentes, in hac vita miseri fuerunt et contempti, et inopes, et ob ipsam justitiam contumeliis et injuriis sæpe vexati, quia nec aliter virtus teneri potest, semper beati sunt futuri; ut, quia mala jam pertulerunt, etiam bonis fruantur. Quod his utique contingit, qui contemptis terrestribus diis et fragilibus bonis, cœlestem religionem Dei sequuntur; cujus bona, sicut ipse qui tribuit, sempiterna sunt. Quid opera corporis atque animi? nonne indicant esse animam mortis expertem? Nam corpus, quia ipsum fragile est atque mortale, quæcumque opera molitur, æque caduca sunt. Nihil enim Tullius ait esse, quod sit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur, vel injuria hominum, vel ipsa confectrice rerum omnium vetustate.

At vero animi opera videmus æterna. Nam quicumque contemptui præsentium studentes, in memoriam monimenta ingeniorum factorumque magnorum reliquerunt, ii plane mentis ac virtutis suæ nomen indelebile quæsierunt. Ergo si opera corporis ideo mortalia sunt, quia ipsum mortale est, sequitur ut anima ex eo immortalis appareat, quia videmus opera ejus non esse mortalia. Eodem modo desideria quoque corporis animique declarant, alterum esse mortale, alterum sempiternum. Corpus enim nihil nisi temporale desiderat, id est, cibum, potum, indumentum, quietem, voluptatem; et tamen hæc ipsa sine nutu et adminiculo animi nec cupere, nec assequi potest. Animus autem per se multa desiderat, quæ ad officium fructumve corporis non redundent; eaque non fragilia, sed æterna sunt, ut fama virtutis, ut memoria nominis. Nam cultum Dei, qui constat abstinentia cupiditatum ac libidinum, patientia doloris, contemptu mortis, etiam contra corpus anima concupiscit. Unde credibile est, non interire animam, sed dissociari a corpore; quia corpus sine anima nihil potest, animus vero potest multa et magna sine corpore. Quid, quod ea, quæ visibilia sunt oculis, et tan-

VARIORUM NOTÆ.

Secundam mortem. De hac nonnihil est lib. II, c. 13. Hæc secunda mors non nisi post hanc vitam erit : hæc mors declaratur Apocalyps. cap. XX, v. 14 : *Infernus autem ac mors conjecti sunt in stagnum ignis, quæ est mors secunda.* De qua etiam loquitur Christus Dominus, Matth. X, v. 28.

Et ut vita hæc. Omnes fere mss. respuunt copulam, quæ in vulgatis est, et videtur necessaria.

Ut resurgant animæ ad vitam perennem. Ἀκυρολόγως loquitur auctor; carnis enim, non animæ, resurrectionem credimus Christiani : animæ ut non intereunt, ita nec resurgunt. GALL.

Accepit. Mss. 4 et 7 impressi ferunt *accipit.* De fine mortis temporalis vide I ad Corinth. XV, 26 et 54.

Ineloquibiles. Id est, *ineffabiles.* Eadem vox est supra hujus libri cap. 5.

In hac vita corporali. Mss 6 rec. et edit. 1470, *temporali.*

Quia jam bonis. Betuleius opinatur legendum esse, *qui jam bonis;* nec quidem male, quia alludere videtur ad historiam Lazari et divitis apud Lucam cap. XVI.

Semper beati sint futuri. Omnes editi perperam, *semper beati sunt* (indic. modo) Goth. et Reimm. *sint;* recte. Pendet in hoc altero membro periodi ex sectione tertia ab *ut* æque, ac illa, *semper miseri sint futuri* : Unde interpunctione alia sensum adjuvimus. BUN.

Religionem. Betuleius legit *regionem,* quod non improbo.

Tullius. Cicer. pro M. Marcel. ut sup. lib. VI, cap. 4, in fin.

Ipsa confectrice rerum omnium vetustate. 1 Colbert. *infectrice.* Abest *rerum* a mss. 2 Reg. rec., 2 Colb., Em., Cant. et ab ipso Cicerone. — *Confectrice.* Vox aliunde mihi non est nota. Suppositam enim Ciceroni consolationem, quæ habet eam c. 24, nihil moror. Conf. Davis. ad Cic. lib. I Tuscul. c. 23. Lactantius hic non verba, sed mentem Ciceronis retulit. Verba Lact. l. VII, c. 11, legas. BUN.

Nomen indelebile. Ex Ovidio Metamorph. ult. sub fin.

Nomenque erit indelebile nostrum.
FRANC.

—*Gloriæ cupiditas,* ut ait Scipio apud Livium, *longius quam quantum vitæ humanæ spatium est, extenditur, maximaque pars ejus in memoriam ac posteritatem prominet.*

Sequitur ut anima ex eo, etc. 2 Reg. rec. et 5 vet. edit. *sequitur ex eo ut anima;* Brun. *sequitur ex eo anima;* in Jun. deest *ex eo.*

Nihil nisi temporale. Ita omnes pene mss. et multi editi, præcipue sæculi decimi quinti. Verum unus Reg. rec. ac tres excusi *nihil nisi temporalia;* Cauc. et 6 impressi, *non nisi temporalia.*

Animus autem per se multa. Mens defæcata, sive (ut Chrysostomus nominat) ἔνθεος, divinis acta impulsibus, cœlestia desiderat : ut Psalm. XL : *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum,* etc., ubi apud LXX, verbum est ἐπιποθεῖν. De utroque mentis desiderio lege I Basilii epist. BETUL.

Sine anima. Mss. 14 rec. *sine animo.*

Animus vero potest. Cauc. et 7 rec. mss. cum 3 edd. *animus autem.*

Digitized by Google

gibilia manu, quia externam vim pati possunt, æterna esse non possunt. Ea vero quæ neque sub tactum, neque sub visum veniunt, sed tantummodo vis eorum et ratio, et effectus apparet, æterna sunt, quia nullam vim patiuntur extrinsecus. Corpus autem si ideo mortale est, quia visui pariter et tactui subjacet; ergo et anima idcirco immortalis est, quia nec tangi potest, nec videri.

CAPUT XII.

De anima et corpore; atque de conjunctione eorum, et discessu ac reditu.

Nunc argumenta eorum, qui contra disserunt, refellamus; quæ Lucretius tertio libro executus est. Quoniam cum corpore, inquit, anima nascitur, cum corpore intereat necesse est. At non est par utriusque ratio. Solidum enim et comprehensibile corpus est, et oculis, et manu: anima vero tenuis, et tactum visumque fugiens. Corpus e terra fictum atque solidatum est: anima in se nihil concreti, nihil terreni ponderis habet, ut Plato disserebat. Nec enim tantam posset habere solertiam, tantam vim, tantam celeritatem, nisi originem traheret e cœlo. Corpus igitur quoniam fictum ex ponderoso et corruptibili elemento, et tangibile est, et visibile, corrumpitur atque occidit; nec vim repellere potest, quia sub aspectum et sub tactum venit. Anima autem, quia tenuitate sua omnem tactum fugit, nullo ictu dissolvi potest. Ergo quamvis inter se conjuncta et sociata nascantur, et alterum, quod est de terrena concretione formatum, quasi vasculum sit alterius, quod est a cœlesti subtilitate deductum: cum vis aliqua utrumque discreverit, quæ discretio mors vocatur; tum utrumque in naturam suam recedit: quod ex terra fuit, id in terram resolvitur; quod ex cœlesti spiritu, id constat ac viget semper, quoniam divinus spiritus sempiternus est. Denique idem Lucretius oblitus quid assereret, et quod dogma defenderet, hos versus posuit:

> Cedit item retro de terra quod fuit ante
> In terram, sed quod missum est ex ætheris oris,
> Id rursus cœli fulgentia templa receptant.

Quod ejus non erat dicere, qui perire animas cum corporibus disserebat: sed victus est veritate, et imprudenti ratio vera surrepsit.

Præterea id ipsum, quod colligit, dissolvi animam, hoc est, simul cum corpore interire, quoniam simul nascantur, et falsum est, et in contrarium converti potest. Non enim simul interit: sed anima discedente, integrum per dies multos manet, et plerumque medica-

VARIORUM NOTÆ.

Ea vero quæ. Francius, *enimvero ea quæ.*

Quia nullam. Quidam editi, *qui nullam.*

Corpus. Lactantius lib. VII, cap. 21, de impiis: *Rursus carne induentur, ut in corporibus piaculum solvant.* Bun.

Corpus autem si ideo mortale, etc. Hoc argumentum si staret, sequeretur post resurrectionem corpus nec visibile, nec tangibile futurum. Rivetus.

Contra disserunt. Ita quamplurimi mss. ex quibus sunt antiquissimi et opt. Bon. et Regio-Put. In 7 rec. et 12 excusis est *contra dixerunt*; in 3 al. mss. et 5 edit. *contradixerunt*, unico vocabulo.

Lucretius. Lib. III de Natura rerum, inter cætera sic scribit:

> Nonne fatendum est,
> Corporea natura animum constare, animamque?
> Præterea pariter fungi cum corpore, et una
> Consentire animum nobis in corpore cernis.

Atque eodem libro ait:

> Præterea gigni pariter cum corpore, et una
> Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.

Et oculis, et manu. Editi octo rec. addunt, *videtur et tangitur.* Absunt a cæteris impressis et ab omnibus mss. et inutilia omnino sunt. Vide not. ad lib. de Opif. Dei c. 1.

Tenuis, et tactum visumque fugiens. Atqui Lucretius ait, animam etiam tactui subjectam esse. Claud. Mamert. Viennensis episcopus, qui medio quarto sæculo floruit, contra quemdam, qui animum (quia et quantitate determinari, et loco concludi posset) corporeum esse asseuerat, tres disertos de Statu animæ libros posteritati reliquit, ad Sollium Sidonium patricium scriptos. Betul.

Solidatum. Mss. 4 rec. totidemque editi, *consolidatum.*

Plato. Apud Cic. I Tuscul. et in fin. Caton. ut sup. cap. 8.

Nisi originem traheret e cœlo. Sic fere Lact. solet loqui: quod eorum redolet errorem, qui animam ex tertio cœlo (ibi enim paradisum statuunt) in corpora detrudi crediderunt. Sed ne temere nostrum auctorem erroris insimulemus, non ipsum ignorasse arbitrabimur; et paulo inferius confitebitur ipse, ex ore, hoc est ex virtute conditoris, animam homini inspiratam fuisse. Insufflavit enim illi (ut Scriptura inquit) spiraculum vitæ: quod tamen quosdam de anima dumtaxat vitali intelligere, non ignoro. Idem.

Quia sub aspectum et sub tactum venit. Sic lego cum mss. 24 potioribus. In 6 scriptis et 4 editis est, *sub aspectum et sub ictum venit;* in tribus rec. manu exaratis, *sub aspectu, et sub tactu.*

Quasi vasculum. Mss. 7 rec. *vehiculum.*—*Vasculum.* Lib. II, cap. 12: *est* (corpus) *quasi vasculum.* De Opif. c. 1: *Corpus vas est quodammodo fictile.* Bun.

Vocatur. Nonnulli editi, *vocetur.*

Recedit. Ita vulgati 9 et omnes mss. præter 2 rec. et 7 edit. quibus est *redit.*

Quod ex terra fuit, id in terram resolvitur. Sic 10 impressi cum omnibus mss. præter 2 rec. quibus deest *id*, et 2 Bonon. Tax. et 3 edit. in quibus est *solvitur;* in 1 Colb. *revolvitur.*

Idem Lucretius. Locus est lib. II v. 998, paulo aliter hodie scriptus in editis libris, et in Lactantii edit. Ald., Crat., Graph., in quibus est:

> Cedit item retro de terra quod fuit ante
> In terras, et quod missum est ex ætheris oris,
> Id rursus cœli fulgentia templa receptant.

Quod colligit. 2 Reg. rec., 1 Colb. Brun. et 6 edd. *quo.*

Et plerumque medicatum diutissime durat. Existimavit Tacitus, Judæos ab Ægyptiis didicisse, condere cadavera potius, quam cremare Romanorum more. In quo errasse illum sciunt, qui legerunt in scripturis Saræ, Abrahami et aliorum sepulturas. Quod si Tacitus illa scribens utrumque intellexit, condere et condire, ex parte et non in totum vera ejus fuerit sententia. Nam videntur quidem Hebræi accepisse ab Ægyptiis morem admovendi aromata cadaveribus, ut satis indicatur Genesi cap. L, v. 2. At modum ipsum condiendi cadavera Ægyptiis usurpatum, neque didicerunt Hebræi, neque unquam, ut puto, usurparunt:

Digitized by Google

tum diutissime durat. Nam si ut simul nascuntur, simul interirent, non discederet repente anima, corpusque desereret: sed uno temporis puncto utrumque pariter dissiparetur, et tam celeriter etiam corpus, adhuc spiritu in eo manente, deliquesceret ac periret, quam celeriter anima secedit; immo vero dissoluto corpore anima vanesceret, velut humor fracto vase diffusus. Nam si terrenum et fragile corpus post secessum animæ non statim diffluit, in terramque tabescit, ex qua illi origo est; ergo anima, quæ fragilis non est, in æternum manet, quoniam origo ejus æterna est. Quoniam crescit, inquit, sensus in pueris, et in juvenibus viget, et in senibus diminuitur, apparet esse mortalem. Primum non est idem mens et anima; aliud est enim quo vivimus, aliud quo cogitamus. Nam dormientium mens, non anima sopitur; et in furiosis mens extinguitur, anima manet; et ideo non exanimes, sed dementes vocantur. Mens ergo, id est intelligentia, vel augetur, vel minuitur pro ætate. Anima in statu suo semper est, et ex quo tempore spirandi accipit facultatem, eadem usque ad ultimum durat, donec emissa corporis claustro, ad sedem suam revolet. Deinde quod anima, quamvis a Deo sit inspirata, tamen quia tenebroso domicilio terrenæ carnis inclusa est, scientiam non habet, quæ est divinitatis. Audit igitur ac discit omnia, et sapientiam discendo et audiendo capit; et senectus non minuit sapientiam, sed auget, si tamen juvenilis ætas virtute decursa est. Sed si nimia senectus fregerit membra, non est animæ vitium, si visus evanuit, si lingua torpuit, si auditus obsurduit, sed corporis. At enim memoria deficit. Quid mirum, si labentis domicilii ruina premitur mens, et præterita obliviscitur, non aliter futura divina, quam si carcerem, quo cohibetur, effugerit?

Verum eadem, inquit, dolori et luctui obnoxia est, et ebrietate dementit, unde fragilis et mortalis apparet. Idirco igitur virtus et sapientia necessaria est, ut et mœror, qui contrahitur indigna patiendo ac videndo, fortitudine repellatur, et voluptas non modo potandi, sed etiam rerum cæterarum abstinentia superetur. Nam si careat virtute, si voluptatibus dedita molliatur, morti fiet obnoxia, quoniam et virtus, ut docuimus, immortalitatis est fabricatrix, et voluptas mortis. Mors autem, sicut ostendi, non funditus perimit ac delet, sed æternis afficit cruciatibus. Nam interire prorsus anima non potest; quoniam ex Dei spiritu, qui æternus est, originem cepit. Anima, inquit, etiam morbum corporis sentit, et oblivionem sui patitur, et sicut ægrescit, ita etiam sæpe sanatur. Hoc est ergo, cur maxime virtus adhibenda sit, ne

VARIORUM NOTÆ.

illorum conditura fiebat intrinsecus, corpore exenterato, et cerebro per nares extracto: atque hoc ταριχεύειν Græci dixerunt: hi unguenta et corpori aromata extrinsecus applicando, deinde fasciis involvendo (quod et Ægyptiis tribuit Herodotus), mortuos suos curabant, ut docent exempla Domini et Lazari. Is. CASAUBONUS.

Velut humor fracto vase. Quod etiam Lucret. dixit, his versibus:

Nunc igitur quoniam quassatis undique vasis,
Diffluere humorem, et laticem discedere cernis,
Et nebula ac fumus quoniam discedit in auras;
Crede animam quoque diffundi, multoque perire
Ocius, et citius dissolvi corpora prima,
Cum semel omnibus ex membris ablata recessit.
Quippe etenim corpus, quod vas quasi constitit ejus,
Quam cohibere nequit, conquassatum ex aliqua re,
Ac rarefactum detracto sanguine venis:
Aere qui credas posse hanc cohiberier ullo,
Corpore qui nostro rarus magis incohibescit?

BETULEIUS.

Quoniam crescit, etc. Sequitur apud Lucret. lib. III, de Natura rerum:

Præterea gigni pariter cum corpore, et una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo pueri teneroque vagantur
Corpore, sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde ubi robustis adolevit viribus ætas,
Consilium quoque majus et auctior est animi vis.
Post ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus, et obtusis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat, linguaque, mensque:
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.
Ergo dissolvi quoque convenit omnem animai
Naturam, ceu fumus in altas aeris auras.

BETULEIUS.

Non est idem mens. Ἀνάλυσις, qua separat partem a toto. Est enim mens pars animæ, sive δύναμις, quæ Græcis νοῦς appellatur ἀπὸ τοῦ νοεῖν, quem alii intellectum transferunt. Hac eadem solutione utitur infra de Opificio hominis, cap. 18. Cæterum ipsum non de anima dumtaxat vitali loqui, sequentia docent. BETUL.

Quo vivimus, aliud quo cogitamus. Mss. 14 rec. et 1 vet. edit. Rom. *quod vivimus, aliud quod cogitamus.*

Dormientium mens, etc. Id est, quiescit rationis usus.

Et in furiosis mens extinguitur. Mentem extingui falsum, etsi usus rationis amittatur propter organorum defectum. RIVETUS.

Vel augetur, etc. Unde, opinor, Augustino in mentem venit, quod ἀπὸ τῆς μήνης, hoc est a luna, mentis nomen deduxit lib. de Spiritu et anima cap. 11, quod lunæ instar augetur atque minuitur: non ignorans interim, quod alii a μέμνημαι, sive μνήμη, alii ab emineo deduxerunt. De Trinitate lib. XIV dicit infantis mentem se ipsam ignorare non posse, sed cogitare non posse. BETULEIUS.

Accipit facultatem. Sic reposui ex omnibus mss. præter 4 rec. quibus, ut et impressis, est, *accepit.*

Et senectus. De quo vide in Catone Ciceronis.

Memoria deficit. Mss. 2 Reg. et 15 edit. *defecit;* 1 Colb. *defuit.*

Inquit: Ita Lucretius libro III:

Huc accedit uti videamus, corpus ut ipsum
Suscipere imманes morbos durumque laborem:
Sic animum curas acres, etc.

Fabricatrix. Suggillat hic Lactantius hunc Lucretii versum;

Nam dolor ac morbus lethi fabricator uterque est.

Et oblivionem, etc. Exponit lethargum. Sic enim est apud Lucretium:

Interdumque gravi lethargo fertur in altum,
Æternumque soporem oculis, nutuque cadenti.

Ἀνάβαργος autem, ut Celsus docet lib. III, cap. 20, malum est phrenitidi contrarium: nempe mœror, et inexpugnabilis pene dormiendi necessitas. Nam ἀπὸ τῆς λαθῆς, id est, ab oblivione nomen habet; et ut ego arbitror, ἀπὸ τοῦ ἀργοῦ, id est, inerte. Latinorum quidam Veternum nominant, de quo Cælius Rhodiginus in antiquis lectionibus.

Digitized by Google

ullo corporis dolore frangatur, et oblivionem sui non anima, sed mens patiatur. Quæ quoniam certa corporis regione consistit, cum eam partem vis aliqua morbi vitiaverit, movetur loco, et quasi conquassata, de sede sua emigrat, reditura scilicet, cum medela et sanitas domicilium suum reformaverit. Nam quia juncta est anima cum corpore, si virtute careat, contagio ejus ægrescit, et imbecillitas de societate fragilitatis redundat ad mentem. Cum autem dissociata fuerit a corpore, vigebit ipsa per se, nec ulla jam fragilitatis conditione tentabitur, quia indumentum fragile projecit. Sicut oculus, inquit, evulsus ac separatus a corpore nihil potest videre : ita et anima separata nihil sentire, quia et ipsa pars est corporis. Falsum hoc, et dissimile est; anima enim non pars corporis, sed in corpore est. Sicut id, quod vase continetur, vasis pars non est, nec ea quæ in domo sunt, partes domus esse dicuntur : ita nec anima pars est corporis, quia corpus vel vas animæ est, vel receptaculum.

Jam illud argumentum multo magis inane est, quo ait animam, quia non citius emittatur ex corpore, mortalem videri, sed paulatim se ex omnibus membris explicet, a summis pedibus incipiens : tanquam si esset æterna, uno temporis momento erumperet; quod fit in iis, qui ferro intereunt. Quos autem morbus interimit, spiritum diutius exhalant, ut paulatim frigescentibus membris anima effletur. Quæ cum materia sanguinis contineatur, sicut lumen oleo, ea materia febrium calore consumpta, necesse est membrorum summa quæque frigescere; quoniam venæ exiliores in extrema corporis porriguntur, et extremi ac tenuiores rivi deficiente vena fontis arescunt. Nec tamen, quia sensus corporis deficit, animæ sensum extingui et occidere putandum est. Non enim anima corpore deficiente, sed corpus anima decedente brutescit, quia sensum omnem trahit secum. Cum autem præsens anima sensum suum tribuat corpori, et vivere id efficiat; fieri non potest, ut non ipsa per se et vivat, et sentiat, quoniam ipsa est et sensus et vita. Nam quod ait :

> Quod si immortalis nostra foret mens,
> Non tam se moriens dissolvi conquereretur :
> Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis,
> Gauderet.

Equidem nunquam vidi, qui se quereretur in morte dissolvi. Sed ille fortasse Epicureum aliquem viderat etiam dum moritur philosophantem, ac de sua dissolutione in extremo spiritu disserentem.

Quomodo sciri potest, utrum dissolvi se sentiat, an corpore liberari, cum in exitu lingua mutescat? Nam dum sentit, et loqui potest, nondum dissolutus est : ubi dissolutus est, jam nec sentire, nec loqui potest; ita queri de dissolutione aut nondum potest, aut jam non potest. At enim priusquam dissolvatur, intelligit se dissolutum iri. Quid, quod videmus plerosque morientium non dissolvi conquerentes, ut ait, sed exire se, et proficisci, et ambulare testantes; idque aut gestu significant, aut si adhuc possunt, et voce pronuntiant? Unde apparet non dissolutionem fieri, sed separationem, quæ declarat animam permanere. Cætera Epicurei dogmatis argumenta Pythagoræ repugnant disserenti, migrare animas de corporibus vetustate ac morte confectis, et insinuare se novis ac

VARIORUM NOTÆ.

De sede sua emigrat. Deest præpositio in mss. 10 et editis sex. In Bonon., Jun. et 5 vulgatis legitur, *de sede sua migrat.*

Evulsus ac separatus a corpore. Ita omnes fere scripti. At editi cum mss. 6 rec. habent, *evulsus a corpore ac separatus.* Lucret. *avulsus.* — *Sicut oculus inquit, evulsus... a corpore.* Est hic sententia poetæ, non verba sunt expressa. Scripserat lib. III, v. 562 :

> Scilicet avulsus radicibus ut nequit ullam
> Dispicere ipse oculus rem seorsum corpore toto.

BUNEMAN.

Vasis pars non est. Minus recte hæc instituitur comparatio; quamvis congruat cum Platonicorum Placitis, qui duo imaginati sunt corpora, alterum subtilius, quod animæ sit vehiculum, alterum vero, quod fert sensus, quodque tangi potest et videri.

Tanquam si esset æterna. Ms. 1 Clarom. a secunda manu, et 4 edit. *quæ si*, approbante. BETULEIO.

Ut paulatim frigescentibus membris anima effletur. Ita omnes mss. præter 1 Clarom. cui est *refrigescentibus membris;* 1 Reg. rec. et 5 edit. *et paulatim frigescentibus. Ut*, hic est *ita ut.* Vetus versio Gallica, *tellement que.*

Sicut lumen oleo. Nihil hac similitudine efficiet, qua tamen etiam hodie vulgo utimur. Nam deficiente pingui liquore, vel materia flamma, luminis evanescit in auras. Si itaque mens sive anima eodem modo extinguatur, sequetur eamdem dum exhalatur evanescere. Solutio ergo, quæ ex causis atque effectibus contrariis ducitur, firmior est. BETULEIUS.

Febrium calore consumpta. Est enim febris (definiente Galeno) nativi caloris in vehementiorem conversio.

Brutescit. Mss. 3. Reg. rec., 3 Colbert., 2 Clarom. et cuncti fere editi *putrescit*, male. Cæteri ut in textu. Supra eodem sensu corpus brutum appellavit, hoc est non sentiens : sic hoc loco *brutescit;* id est, fit sensus expers. Et ita lib. II, cap. 6.

Sensum suum. Deest *suum* in 13 mss. rec. et 16 edd.

Ut anguis. Quomodo serpentes senectam exuant, lege Plin. lib. VIII, cap. 17, Arist. lib. VIII, de hist. Animalium, cap. 17, et lib. V, cap. 17. Hi versus ex Lucretii libro III, v. 611.

Gauderet. Est et gaudium istius vernationis apud Nicandrum expressum.

Equidem. Mss. Cauc. et 7 edd. *Sed equidem;* Regio-Put. *Et quidem.*

De sua dissolutione. 1 Reg. rec. et 12 rec. edd. *de sui dissolutione.*

Quomodo sciri potest, etc. Jugulat autem eos suo ipsorum gladio. Inquit enim Epicurus apud Laert. Mors nihil ad nos. Quod enim dissolvitur, sensu privatur : quod autem sensu caret, nihil ad nos. Capiuntur igitur suo ipsorum dilemmate. BETUL.

Ubi dissolutus est. Desunt hæc in mss. 7.

At enim priusquam. Ita 7 vet. edd. et omnes mss. præter 1 rec. qui cum 12 excusis rec. addit *non*, post *enim*.

Digitized by Google

recens natis, et easdem semper renasci modo in homine, modo in pecude, modo in bestia, modo in volucre, et hac ratione immortales esse, quod sæpe variorum ac dissimilium corporum domicilia commutent. Quæ sententia deliri hominis, quoniam ridicula est, et mimo dignior quam schola fuit, ne refelli quidem serio debuit : quod qui facit, videtur vereri ne quis id credat. Prætereunda sunt igitur nobis ea, quæ pro falso contra falsum disserebantur : satis est ea refutasse quæ contra verum disputata sunt.

CAPUT XIII.

De Anima, ac testimonia de ejus æternitate.

Declaravi, ut opinor, animam non esse solubilem. Superest citare testes, quorum auctoritate argumenta firmentur. Neque nunc Prophetas in testimonium vocabo, quorum ratio et divinatio in hoc solo posita est, ut ad cultum Dei, et ad immortalitatem ab eo accipiendam creari hominem doceant : sed eos potius, quibus istos, qui respuunt veritatem, credere sit necesse. Hermes naturam hominis describens, ut doceret quemadmodum esset a Deo factus, hæc intulit : καὶ τὸ αὐτὸ ἐξ ἀμφοτέρων φύσεων τῆς τε ἀθανάτου καὶ τῆς θνητῆς μίαν ἐποίει φύσιν ἀνθρώπου, τὸν αὐτὸν τῇ μὲν ἀθάνατον τῇ δὲ θνητὸν ποιήσας, καὶ τοῦτον φέρων ἐν μέσῳ θείας καὶ ἀθανάτου φύσεως, καὶ τῆς θνητῆς, καὶ μεταβλητοῦ κατεστήσατο, ἵνα ὁρῶν ἅπαντα, ἅπαντα καὶ θαυμάσῃ. Sed hunc fortasse aliquis in numero philosophorum computet, quamvis in deos relatus Mercurii nomine ab Ægyptiis honoretur, nec plus ei auctoritatis tribuat, quam Platoni, aut Pythagoræ. Majus igitur testimonium requiramus. Polites quidam consuluit Appollinem Milesium, utrumne maneat anima post mortem, an dissolvatur ; et respondit his versibus :

Ψυχὴ μὲν μέχρι οὗ δεσμοῖς πρὸς σῶμα κρατεῖται,
Φθαρτὰ νοοῦσα πάθη, θνηταῖς ἀλγηδόσιν εἶκει.
Ἤνίκα δ' ἀνάλυσιν βροτείην μετὰ σῶμα μαραν θῇ
Ἱκέσθην εὕρηται, ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται
Ἀλίγη ἀγήραος οὖσα, μένει δ' εἰς πάμπαν ἀκηρής.
Πρωτόγονος γὰρ τοῦτο Θεοῦ διάταξε πρόνοια.

Cum vero solutionem humanam post corpus tabefactum
Velocissimam invenerit, omnis in æthera fertur
Numquam senescens, et manet in æternum sine pœna.
Primogenita enim hoc divina disposuit providentia.

Quid carmina Sibyllina ? Nonne hoc ita esse declarant, cum fore aliquando denuntiant, ut a Deo de vivis ac mortuis judicetur ? quorum exempla paulo post inferemus. Falsa est ergo Democriti, et Epicuri, et Dicæarchi de animæ dissolutione sententia : qui profecto non auderent de interitu animarum mago aliquo præsente disserere, qui sciret certis carminibus ciere ab inferis animas, et adesse, et præbere se humanis

VARIORUM NOTÆ.

Ac recens natis. Mss. 4 rec. *recenter.*

Quam schola fuit. Mss. 10 rec. *scholastico.* Scriptus Cant. *quam scholastico fuerit.* Sed male etiam, teste Heumanno.

Hæc intulit. Ita legendum est; atque idem est ac si diceretur, hæc ait : locutio Africana ; sic Tertullianus Apologetici c. 47, *ut quis sensit, ita et intulit.* Sic infra cap. 23, circa medium.

καὶ τὸ αὐτὸ. Latine : *Et idem ex utraque natura immortali atque mortali unam faciebat naturam hominis, eumdem partim immortalem, partim mortalem faciens, et hunc ferens in medio divinæ et immortalis naturæ, et mortalis mutabilisque collocavit, ut omnia videns, omnia etiam miraretur.* Pro *miraretur*, in 1 Bon. antiq. est, *mirificet.* Trismeg. in Asclepio cap. 4.

Plus ei auctoritatis tribuat, etc. Hujusmodi leguntur in Asclepio, Apuleio interprete : *Animal ergo homo non quidem est minor, quod ex parte mortalis sit : sed eo forte aptius efficaciusque compositus, ut ad certam rationem mortalitate auctus esse videatur : scilicet qui utrumque ubi ex utraque materia sustinere non potuisset, ex utraque formatus est, ut et terrenorum cultum, et divinitatis posset habere delectum ; et mirari atque orare cœlestia, et æterna incolere, atque gubernare terrena.*

Polites. Polites, per *i* legendum : a proprio civitatis nomine, ut Stephanus format, vel πολίτης, vel πολιτεύς. Est autem πόλις Stephano Ægypti civitas. Betul. Sed potius *Polites* nomen est appellativum hominis forte obscuri, quale gessit unus e filiis Priami, teste Virgilio Æneid. lib. II, v. 526 ; et l. V, v. 564.

Milesium. Milesius Apollo idem est qui Didymæus; de quo lege Plinium lib. v, cap. 29. Strabonem initio libri XIV. *Miletus* vero est Ioniæ civitas Apollini sacra, juxta Homerum.

An dissolvatur. Ita restitui ex omnibus mss. præter 2 Reg. rec. in quibus legitur *an resolvatur*, ut in editis. Vide infra *de animæ dissolutione.*

His versibus. Mss. 9 rec. *his verbis.*

Ψυχὴ, etc. Interpret. Lat.

Anima quidem quamdiu vinculis ad corpus tenetur,
Corruptibiles passiones sentiens, mortalibus cedit doloribus.

Democriti, et Epicuri, et Dicæarchi. Vide supra, cap. 7 et 8.

Carminibus ciere ab inferis animas. Defunctorum animas, ut quidem vulgo putabant, magno sacrificiorum apparatu, ac certis quibusdam ceremoniis solebant ab inferis ciere, et futura ab iis exquirere : cujus rei insigne exemplum habemus apud Lucanum, lib. VI de Erichthone Thessala, insigni venefica, quæ rogatu Cn. Pompeii militem recens occisum in vitam revocavit, ut eventum belli Pharsalici ex eo cognosceret. De hujuscemodi evocatione videndi lib. I Reg., cap. XXIX ; Prudentius lib. I, contra Symmachum, de Mercurio :

Murmure nam magico tenues excire figuras,
Atque sepulcrales scite incantare favillas,
Vita itidem spoliare alios, ars noxia novit.

Tibullus, lib. I, Eleg. 11 :

Hæc cantu funditque solum, manesque sepulcris
Elicit, et tepido devocat ossa rogo.

Propertius, lib. IV, eleg. 1 :

Umbra neque hæc magicis mortua prodit aquis.

Sed omnium clarissime dissertissimeque Tertullianus, lib. de Anima. *Publica*, inquit, *jam litteratura est, quæ animas etiam justa ætate sopitas, etiam proba morte disjunctas et prompta humatione dispunctas, evocaturam se ab inferorum incolatu pollicetur.* Videtur autem celeberrimus Afer necromantiam voluisse intelligere, vel Goetiam, quæ sic dicta ab ejulatibus, sive τῶν γόων, quos ad sepulcra exercent. Ad sepulcra igitur (in quibus animas plerumque oberrare vulgo credebatur, teste Lactantio, lib. II, cap. 2, ut sexcentos alios præteream) magica hæc sacrificia fiebant. Quæ etiam causa est cur hoc hominum genus busta solitum sit frequentare : quod de Nasamonibus et Celtis memoriæ prodidit Tertullianus de Anima, cap. 57 : *Nasamones*, ait, *propria oracula apud parentum sepulcra mansitando captare, Heraclides scribit. Celtas apud virorum fortium busta eadem de*

Digitized by Google

oculis videndas, et loqui, et futura prædicere; et si auderent, re ipsa et documentis præsentibus vincerentur. Sed quia non pervidebant animæ rationem, quæ tam subtilis est, ut oculos humanæ mentis effugiat, interire dixerunt. Quid Aristoxenus, qui negavit omnino ullam esse animam, etiam cum vivit in corpore? sed sicut in fidibus ex intentione nervorum effici concordem sonum, atque cantum, quem musici harmoniam vocant: ita in corporibus ex compage viscerum ac vigore membrorum vim sentiendi existere; quo nihil dici delirius potest. Verum ille oculos quidem habuit incolumes, cor tamen cæcum, quo vivere se, et habere mentem qua id ipsum cogitaverat, non videbat. Sed plerisque hoc philosophis accidit, ut putarent omnino non esse, quidquid oculis non apparet, cum mentis acies multo clarior debeat esse quam corporis, ad ea perspicienda, quorum vis ac ratio sentitur potius quam videtur.

CAPUT XIV.

De Mundi temporibus primis ac postremis.

Quoniam de immortalitate diximus animæ, sequitur ut doceamus quatenus homini et quando tribuatur, ut in hoc quoque pravitatis ac stultitiæ suæ perspiciant errores, qui mortales quosdam decretis placitisque mortalium deos esse factos opinantur, vel quod artes invenerant, vel quod usum quarumdam frugum docuerant, vel quod utilia vitæ hominum prodiderant, vel quod immanes bestias interemerant. Quæ merita quam longe ab immortalitate semota sint, et docuimus in prioribus libris, et nunc docebimus; ut appareat solam esse justitiam, quæ vitam homini pariat æternam, et solum Deum, qui æternæ vitæ præmium largiatur. Nam illi, qui suis meritis immortales facti esse dicuntur, quia nec justitia, nec ulla in his vera virtus fuit, non immortalitatem sibi, sed mortem peccatis ac libidinibus quæsierunt; nec cœleste præmium, sed inferna supplicia meruerunt, quæ pendent simul cum iis omnibus, qui eos coluerunt. Cujus judicii propinquare tempus ostendam, ut et justis merces digna solvatur, et pœna merita impiis irrogetur.

Plato et multi alii philosophorum, cum ignorarent originem rerum, supremumque illud tempus quo mundus esset effectus, multa millia sæculorum fluxisse dixerunt ex quo hic pulcherrimus mundi extiterit ornatus: secuti fortasse Chaldæos, qui (ut Cicero

VARIORUM NOTÆ.

causa abnoctare, *Nicander affirmat*. Et Erichthonis veneficæ domicilium in sepulcralibus fuisse monumentis, auctor est Lucanus, lib. VI:

Illi namque nefas urbis submittere tecto,
Aut laribus ferale caput, desertaque busta
Incolit et tumulos expulsis occupat umbris.

Cæterum quam gravis in hujusmodi magos sepulcrorum violatores pœna fuerit statuta, videre est ex titulo Cod. de Maleficis et Mathematicis. Quemadmodum etiam sub Constantio et Juliano Impp. si qui per monumentum transisse vespere malevolorum arguerentur indiciis, ut venefici, sepulcrorumque horrores et erranti in ibidem animarum ludibria colligens vana, pronuntiatus reus capitis interibat, teste Amm. Marcellino, lib. XIX.

Aristoxenus. Quem quia musicæ peritus erat, in hac de anima opinione dicit Cicero a suo artificio non recessisse. Vide I Tuscul. quæst. Hic porro Aristoxenus Tarentinus erat, verum Mantineæ commoratus. Philosophus et musicus fuit eximius: audivit Lamprum philosophum Erythræum, deinde Zenophilum Pythagoreum, postremo Aristotelem; cui morienti convitium dixit, quod ille Peripateticorum princeps Theophrastum ei in scholæ successione præponeret. Scripsit in omni genere doctrinæ, sed in musica præsertim, atque opinatus est animam nihil aliud esse quam harmoniam. Fuit vero Aristoxenus Dicearchi, de quo supra, et æqualis et condiscipulus. Cicero loco citato.

In fidibus ex intentione nervorum. Mss. 1 Reg., 1 Colb., Brun. *extensione*.

Quo vivere se. Sic emendavi ex omnibus mss. codicibus, præter 2 Reg. rec. quibus est, ut in 12 impressis, *qui*; Junt. et editis 4, *quia*.

D. beat. Ex cunctis mss. præter 5 rec. et 3 edit. in quibus est *debet*.

Decretis. Nam in XII Tabulis lex erat, ubi statuebatur quinam apud Romanos dii essent colendi, at ne peregrinos ullos præter Faunum colerent a Romulo interdictum erat.

Deos esse factos... vel quod artes invenerant, vel, etc. Apollinem, Pall., Cer., Bacch., Minervam, Vulcanum, Hercul. FRANCIUS. De Apotheosi dictum est supra, libro I.

Prodiderant. Mss. Cant. et 4 vet. edit. *providerant*, male; nam Cicero, de Senect., cap. 7. ait, *ea quæ a majoribus accepimus, posteris prodere debemus*.

Meruerunt Sæpe nostro idem *merere* quod *accipere*, consequi, ut lib. V, cap. 23, et alibi observatum: hæc consueta significatio meritoria locum habere potest. BUN.

Quæ pendent. Pœnas pendere, inquit, Ilenum unus, latini dicunt: *noster etiam dicere ausus est pendere supplicia*, ducem nactus poetam. Æn. VI, vers. 740. Addo hunc ipsum Virgilii locum fuisse excitatum a Lactantio, lib. VII, cap. 20, eumdemque iterum dixisse, I. II, c. 17: *Supplicia pensuros*. Eo facilius quoque Lactantius audere potuit, quum idem fecerint plures alii, e. g. Plinius, cujus verba utrumque *merere* et *supplicia pendere*, illustrant. Lib. XXIX, c. 4, sect. 14: *De anserum honore, quem meruere.... diximus. Eadem de causa supplicia annua canes pendunt..... vivi..... fixi*. BUN.

Plato. Hic in Timæo sub initium inducit Sacerdotem Ægyptium cum Solone colloquentem, qui inter cætera ait, Athenas Græcorum et Sais Ægyptiorum ab eadem Pallade esse conditas, illam novem, hanc octo annorum millibus ante sua tempora. Sed adeo sunt incertæ annorum Ægyptiacorum formæ, ut aliquid certi non possit definiri de hac supputatione. De his annorum apud antiquos myriadibus vide S. Augustinum, de Civit. Dei, lib. XII, cap. 10.

Multa millia sæculorum.... ex quo. Antiqua elegantia: *ex quo*, ellipticè, pro *ex quo tempore*. In Epit., cap. 24: non amplius, quam 1800 esse annos, ex quo.... *humanum genus inciderit in errorem*. Ita I. III, c. 16, citatus Seneca: *Nondum sunt mille anni* ex quo in tia Sapientiæ mota sunt. Cyprian. Exhort. martyr. procem.. *Sex millia annorum plene complentur, ex quo hominem* diabolus impugnat. BUN.

Ex quo hic pulcherrimus mundi extiterit ornatus. Hic addidi ex omnibus mss. et quamplurimis editis: a nonnullis excusis abest. Scripti 3 Reg. rec., 3 Colb., Tornes., 1 Clarom. habent, *ex quo hic pulcherrimus mundus extiterit ordinatus*.

Secuti fortasse Chaldæos. Ita omnes fere mss. At-

Digitized by Google

tradidit in libro de Divinatione primo) quadringenta septuaginta millia annorum monumentis comprehensa se habere deliranl. in quo quia se posse argui non putabant, liberum sibi crediderunt esse mentiri. Nos autem, quos divinæ litteræ ad scientiam veritatis erudiunt, principium mundi finemque cognovimus, de quo nunc in fine operis disseremus; quoniam de principio in secundo libro explicavimus. Sciant igitur philosophi, qui ab exordio mundi sæculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum: quo numero expleto, consummationem fieri necesse est, et humanarum rerum statum in melius reformari; cujus rei argumentum prius enarrandum est, quo ratio eluceat. Mundum Deus, et hoc rerum naturæ admirabile opus (sicut arcanis sacræ Scripturæ continetur) sex dierum spatio consummavit; diemque septimum, quo ab operibus suis requieverat, sanxit. Hic est autem dies Sabbati, qui lingua Hebræorum a numero nomen accepit, unde septenarius numerus legitimus ac plenus est. Nam et dies septem sunt, quibus per vicem revolutis orbes conficiuntur annorum; et septem stellæ, quæ non occidunt; et septem sidera quæ vocantur errantia, quorum dispares cursus, et inæqualibiles motus, rerum ac temporum varietates efficere creduntur.

Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per sæcula sex, id est annorum sex millia, manere hoc statu mundum necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, sicut indicat propheta qui dicit: *Ante oculos tuos, Domine, mille anni tanquam dies unus.* Et sicut Deus sex illos dies in tantis rebus fabricandis laboravit: ita et religio, et veritas in his sex millibus annorum laboret necesse est, malitia prævalente ac dominante. Et rursus, quoniam perfectis

VARIORUM NOTÆ.

que hanc genuinam esse lectionem recte censent Thomasius, Jo. Cauci et Isæus. In 1 Clar. et 5 vet. edit. legitur, *sicuti fortasse Chaldæos*; in 2 mss. rec. et 13 vulgatis, *sicuti fortasse Chaldæi*. Quæ lectio vitiosa est, si quidem in affirmatione propositionis non attulisset tales, de quorum assertione dubitaret; non dubitabat enim Chaldæos ejusdem sententiæ cum Platone esse: verum hos tantum, an illos, secuti essent philosophi illi. GALL.

Ut Cicero tradidit. Sub initium primi libri scribit, Ægyptios innumerabilibus pene sæculis post Chaldæos artem divinandi fuisse consecutos. Locus Ciceronis hic est: *Contemnamus etiam Babylonios, et eos qui e Caucaso cœli signa servantes, numeris et motibus stellarum cursus persequuntur. Condemnemus, inquam, hos aut stultitiæ, aut vanitatis, aut impudentiæ, qui* CCCCLXX *millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent; et mentiri judicemus, nec sæculorum reliquorum judicium, quod de ipsis futurum sit pertimescere.* Quæ illa monumenta sint, docet in secundo his verbis: *Nam quod aiunt, quadringenta septuaginta millia annorum in periclitandis experiundisque pueris quicumque essent nati, Babylonios posuisse, fallunt.* Platonis et Ciceronis vestigia invenies, c. 10, lib. II, apud Macrob. de Somnio Scip. BETUL.

Delirant. Ideo Cicero arguit eos stultitiæ et vanitatis.

In secundo libro. Scilicet cap. 9 et sequentibus.

Sextum millesimum. Hic sequitur Lactantius septuagintæ sacrorum Bibliorum interpretes, sicut fecerunt alii auctores ecclesiastici, ac etiamnum faciunt Græci et quidam Latini.

Quo numero expleto, etc. Orphei hæc prophetia de sex mundi ætatibus citatur a Platone:

Ætate in sexta cessabit machina mundi.

Hanc opinionem de mundi duratione sex millibus annorum ex veteri quadam Hebræorum traditione ortam, de qua in Thalmud. volumine tit. Sanedrin, præter Lactantium, amplexi sunt Justinus martyr, quæst. 72; Irenæus advers. hæres., cap. ult.; Hilar. in Matth., cap. XVII; Hieron. in expositione Psalm. LXXXIX, et super Michæ, cap. IV; Augustinus, lib. XX Civit. Dei, cap. 7; Germanus Constantinop. Cyrilli in lib. de Antichrist. Porro S. Augustini hæc verba sunt: *Primam resurrectionem futurum suspicati sunt corporalem, inter cætera maxime numero annorum mille permoti sunt, tanquam oporteret in sanctis eo modo velut tanti temporis fieri sabbatismum, vacatione scilicet sancta post labores annorum sex millium, ex quo creatus est homo, et magni illius peccati merito in hujus mortalitatis ærumnas de paradisi felicitate dimissus est; ut quoniam scriptum est: «Unus dies apud Dominum sunt mille anni, et mille anni sicut unus dies,» sex annorum millibus tanquam sex diebus impletis, sequatur velut sabbati septimus in annis mille postremis, ad hoc scilicet sabbatum celebrandum resurgentibus sanctis.* Contra hunc errorem extat aliorum Patrum auctoritas Ambrosii, lib. VII in Lucam de Transfiguratione; Augustini in Psalm. LXXXIX; Bedæ in lib. de Ratione temp. et ipsissimet Salvatoris Matth. XIII et Act. I.

Quo ratio eluceat. Ita mss. Reg.-Put., Cauc., 2 Colbert. pluresque alii, cum 3 edit. bonæ notæ. In 2 Bonon., 7 Reg aliisque 12 et ed. Rom. 1470 est *ut, ratio eluceat*; in 2 scriptis rec. et 5 vulgatis, *ut.... elucescat*; in 8 impressis *quo ... elucescat.*

Sanxit. Gen. II, Exod. XX, Deut. V, Hebr. IV.

Hic est autem dies Sabbati, qui lingua Hebræorum, etc. Hallucinatur Auctor noster, non enim *Sabbatum* a numero *septem*, sed a *quiete* nomen accepit.

Septem stellæ. Ursæ videlicet majoris. De his vide Aulum Gell., lib. II, cap 21.

Errantia. Πλανῆται. Sed Macrobius de Somnio Scipionis, lib. I, cap. 6, Septenarii numeri perfectionem et mysterium plenissime prosequitur, et Gellius ex Varronis sententia, lib. Noct. Attic. III, cap. 10. BETULEIUS.

Inæquabiles motus. Sic restitui ex maxima manuscriptorum parte, inter quos sunt antiquissimi et optimi, necnon edit. Cellar., Walch. In cæteris impressis et 9 rec. scriptis legitur *inæquales.*

Sex diebus. Quæ hic asserit Lactantius, uti et pleraque alia ad finem usque libri, incerta sunt, nulloque nituntur sacrarum Scripturarum fundamento.

Ante oculos, etc. Psalm. LXXXIX. Petrus epistola altera, cap. 3, v. 8, adversus impios et pseudoprophetas hæc dixit, et haud dubie adversus Cerinthum, qui fortassis hoc Davidicum in diversam sententiam torserat. Unde Chiliastæ hoc dictum (ut ex Lactantio, atque item Augustino patet) postea semper in ore habuere. Est autem locus Psalmo LXXX. Porro Lactantius hic sensum Scripturæ non attigit; David enim et Apostolus Petrus nihil aliud significari volunt, quam Deum non respicere ad tempus, atque diem unum et mille annos idem esse apud ipsum.

Et sicut Deus. Sicut 8 vet. editorum est, et omnium mss. præter 1 Reg. rec. in quo, ut in 7 impressis, *Et ut Deus.*

Laboret necesse est. Modus loquendi Lactantio perfamiliaris, quem hic restitui ex omnibus mss. et vet.

Digitized by Google

operibus requievit die septimo, eumque benedixit, necesse est, ut in fine sexti millesimi anni malitia omnis aboleatur e terra, et regnet per annos mille justitia; sitque tranquillitas, et requies a laboribus, quos mundus jamdiu perfert. Verum quatenus id eveniat, ordine suo explicabo. Sæpe diximus, minora et exigua magnorum figuras et præmonstrationes esse; ut hunc diem nostrum, qui ortu solis occasuque finitur, diei magni speciem gerere, quem circuitus annorum mille determinat.

Eodem modo etiam figuratio terreni hominis cœlestis populi præferebat in posterum fictionem. Nam sicut perfectis omnibus, quæ in usum hominis molitus est Deus, ipsum hominem sexto die ultimum fecit, eumque induxit in hunc mundum, tanquam in domum jam diligenter instructam : ita nunc sexto die magno verus homo verbo Dei fingitur; id est, sanctus populus doctrina et præceptis Dei ad justitiam figuratur. Et sicut tunc mortalis, atque imperfectus e terra fictus est, ut mille annis in hoc mundo viveret : ita nunc ex hoc terrestri sæculo perfectus homo fingitur; ut vivificatus a Deo, in hoc eodem mundo per annos mille dominetur. Quomodo autem consummatio futura sit, et qualis exitus humanis rebus impendeat, si quis divinas litteras fuerit scrutatus, inveniet. Sed et sæcularium prophetarum congruentes cum cœlestibus voces, finem rerum et occasum post breve tempus annuntiant, describentes quasi fatigati et delabentis mundi ultimam senectutem. Quæ vero a prophetis et vatibus futura esse dicantur, priusquam superveniat extrema illa conclusio, collecta ex omnibus et coacervata subnectam.

CAPUT XV.

De Mundi vastatione et mutatione imperiorum.

Est in arcanis sanctarum litterarum, transcendisse in Ægyptum cogente inopia rei frumentariæ principem Hebræorum cum omni domo et cognatione. Cujus posteri cum diutius in Ægypto commorantes in magnam gentem crevissent, et gravi atque intolerando servitutis jugo premerentur, percussit Æ-

VARIORUM NOTÆ.

edit. Rom. 1470, cum antea in editis manifesto mendo legeretur : *Veritas laborare necesse est.*

Eumque benedixit. Ex Latinitatis indole dativum postulant verba *benedicere* et *maledicere* : junguntur tamen cum quarto casu apud nonnullos auctores, apud Apuleium ad Asclepium, apud Petronium in Satyrico, et passim in Vulgata nostra versione.

Jamdiu perfert. Sic lego cum 8 vet. impressis et omnibus mss. præter. Cauc. et 1 Reg. qui, ut 11 editi, habent *perpessus est;* Pen. *pertulit;* Gothanus, *perfectus tulit.* Francius, forte *tam diu.*

Ut hunc diem nostrum. Ita cum omnibus fere mss. editi vetustiores. *Ut*, pro *sicut.* Scripti 3 et 12 excusi rec. *et.*

Per annos mille, etc. Futuram autem vitam esse aliam, et eam æternam, hactenus contra eos docuit, qui inter Gentiles animæ immortalitatem negaverunt. Docebit deinceps, ubi præmium illud sit expectandum; in qua tamen re Chiliastarum erroribus (quod jam sæpe monuimus) se parum cautus involvit, non pertinaci et factioso spiritu : sed quia temporum occasione morbum hunc quasi hæreditario cum hausisset, solido cœlestis sapientiæ judicio carens, a vero aliquantulum aberravit, Sibyllinis et aliorum oraculis, ut quidam volunt, deceptus. Ipse facilius erroris veniam merebitur, quam nostri Chiliastæ, qui dominandi libidine Chiliadis tempus conjecturis quibusdam accelerasse rati, Chiliarchæ imperium invadere sunt ausi satis tyrannicum. Tales fuere apud Batavos Augustin. Weber. an 1530 et Thomas Muntzerus an. 1525 in Westphalia, atque Joannes a Leyden anno 1534. Hanc doctrinam ex loco Apocalypsis cap. 20, male intellecto hauserunt; de quo Justinus Martyr adversus Tryphonem Judæum, ita scribit : Ἔστι καὶ παρ' ἡμῖν ἀνήρ τις, ᾧ ὄνομα Ἰωάννης, εἷς τῶν Ἀποστόλων τοῦ Χριστοῦ, ὃς ἐν ἀποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ χίλια ἔτη ποιήσειν ἐν Ἱερουσαλὴμ τοὺς τῷ ἡμετέρῳ Χριστῷ πιστεύσαντας προεφήτευσε· καὶ μετὰ ταῦτα τὴν καθολικήν, καὶ συνελόντι φάναι, αἰωνίαν ὁμοθυμαδὸν ἅμα πάντων ἀνάστασιν γενήσεσθαι, καὶ κρίσιν. Hic Papiæ Hierapolitani episcopi præceptor fuit, de quo Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum sic scribit : « Hic dicitur mille annorum Judaicam edidisse δευτέρωσιν; quem secuti sunt Irenæus et Apollinarius, S. Martinus episc. Turon. teste Sulp. Sev. et cæteri qui post resurrectionem aiunt, in carne cum sanctis Dominum regnaturum. Sunt qui Cerinthum hujus auctorem faciunt, hominem qui ventris causa nihil non faciebat, libidinibus et voluptati prorsus deditum. Tertullianus quoque in libro de Spe fidelium, et Victorinus Pictavionensis, et Lactantius hac opinione ducuntur. Nec desunt, qui ipsum etiam Hieronymum hujus erroris insimulant Memoratur etiam ab Eusebio Nepos quidam Chiliasta, lib. VII, cap. 23; Theodoretus, lib. III Fabularum hæreticarum, in aliis quidem omnibus convenisse cum dogmatibus Ecclesiæ scribit, in divinis autem promissionibus errasse, ut qui eas in terra futuras crederet, et cibum, et potum, et festa Judaica, et mille annorum ambitus qui in his insumerentur : adversus eum scripsisse Dionysium Alexandrinum episcopum. Contra Chiliastas illos antiquos scripsit etiam Augustinus, lib. de Civitate Dei XX, cap. 7, 8 et 9, qui tamen et ipse se aliquando fuisse fatetur in hoc errore. Quin Justinus martyr adversus Tryphonem, de hoc Esaiæ locum intelligit, qui est cap. LXV et LXVI. Epiphanius, lib. III, tomo II, contra Chiliastas scribit, minime quidem illos acerbius insectatus, ne forte in Apostolos stylum stringere videatur, qui et ipsi vanam spem de restitutione regni Israelitici concepisse videntur : ut filii Zebedæi, ut Cleophas Lucæ XXIV, qui dicit, se sperasse Dominum eum esse, qui redempturus esset Israel; et in Act. ex Domino quærunt : Num in tempore hoc restituturus esset regnum Israeli? ubi Dominus non quidem id negat, sed dicit, non ipsorum esse nosse tempora. Non quidem definite de mille annis sciunt : sed indefinite regnum Israelis restitutum iri non impie sperant. Betuleius. Hieronymus qui hanc opinionem inanem esse ostendit, atque ridet sæpe, non audet tamen lib. IV in Jerem. damnare, quod multi virorum Ecclesiasticorum et Martyrum dixerunt.

Dilabentis mundi. Confirmo ex Lact. l. III, c. 20 : Domus ab habitatore deserta dilabitur. Lucret V, v. 312 :

> Monumenta virum dilapsa videmus
> Cedere .... senescere casu. Bunn.

Coeunte in statum... pelago. Lib. IV, c. 10 : tyrannus... mare *adhuc* patens *temere* ingressus, coeuntibus aquis *cum omni exercitu deletus est.* Bun.

Principem Hebræorum. Jacob Patriarcham intellige, de quo Genes. cap. XLII.

Intolerando. Mss. 2 Reg. rec., Jun., Em., Cant. et

Digitized by Google

gyptum Deus insanabili plaga, et populum suum liberavit, traductum medio mari cum discissis fluctibus, et in utramque partem dimotis, ut per siccum populus graderetur. Conatusque rex Ægyptiorum profugos insequi, coeunte in statum suum pelago, cum omnibus copiis interceptus est. Quod facinus tam clarum tamque mirabile, quamvis ad præsens virtutem Dei hominibus ostenderet, tamen præsignificatio et figura majoris rei fuit, quam Deus idem in extrema temporum consummatione facturus est; liberavit enim plebem suam de gravi servitute mundi. Sed quoniam tunc una plebs Dei, et apud unam gentem fuit, Ægyptus sola percussa est. Nunc autem, quia Dei populus ex omnibus linguis congregatus apud omnes gentes commoratur, et ab his dominantibus premitur; necesse est universas nationes, id est orbem totum, cœlestibus plagis verberari, ut justus et cultor Dei populus liberetur. Et sicut tunc signa facta sunt, quibus futura clades Ægyptiis ostenderetur, ita in ultimo fient prodigia miranda per omnia elementa mundi, quibus imminens exitus universis gentibus intelligatur.

A Propinquante igitur hujus sæculi termino, humanarum rerum statum commutari necesse est, et in deterius nequitia invalescente prolabi; ut jam nostra hæc tempora, quibus iniquitas et malitia usque ad summum gradum crevit, in illius tamen insanabilis mali comparatione, felicia et prope aurea possint judicari. Ita etenim justitia rarescet, ita impietas, et avaritia, et cupiditas, et libido crebrescent, ut si qui tum forte fuerint boni, prædæ sint sceleratis, ac divexentur undique ab injustis; soli autem mali opulenti sint: boni vero in omnibus contumeliis atque in egestate jactentur. Confundetur omne jus, et leges interibunt. Nihil quisquam tunc habebit, nisi aut male quæsitum, aut defensum manu: audacia et vis omnia possidebunt. Non fides in hominibus, non B pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit; atque ita neque securitas, neque regimen, neque requies a malis ulla. Omnis enim terra tumultuabitur: frement ubique bella: omnes gentes in armis erunt, et se invicem oppugnabunt. Civitates inter se finitimæ præliabuntur; et prima omnium Ægyptus stultarum superstitionum luet pœnas, et sanguine

VARIORUM NOTÆ.

7 editi, *intolerabili*. Sed rectius *intolerando*: ita Cicero dixit *intoleranda licentia;* atque etiam *intolerandus Tyrannus*. Vide Exodi cap. I, Esdræ II, cap. IX.

Percussit Ægyptum. Exod. c. VII, etc.

Medio mari. Exod. XIV, Psalm. LXXVII, CIV et CXIII.

Cum discissis fluctibus... ut per siccum populus graderetur. Hæc est mss. codicum lectio. In 1 Reg. et 10 editis deest *cum*. 2 Reg. habent, *discussis*. C

Præsignificatio. Mss. 9 rec. et ed. Rom. 1470; *præfiguratio*, male.

Ægyptus sola. Dictionem *tunc*, quæ abest ab omnibus fere mss. et mox præcessit, expunxi ut inutilem.

Clades Ægyptiis ostenderetur. Ita meliores et antiquiores mss. In 4 Reg. rec., 3 Colb. et 17 edit. est *Ægypti*. Nostra correctio confirmatur ex sequentibus: *Et prima omnium Ægyptus stultarum superstitionum luet pœnas, et sanguine velut flumine operietur*.

Propinquante. Lips. tert., *appropinquante*; sed nec nostro insolens. Annoto ad c. 25: *jam propinquare summum illum conclusionis extremæ diem*. Epit. c. 71, pr.: quum cœperit mundo finis ultimus propinquare. Bun.

Ut jam nostra hæc tempora. Sic restitui ex 7 vet. editis cunctisque mss. præter Cauc. et 1 Reg. rec. in quibus est, ut in vulgatis 11, *ut etiam*.

Divexentur. Mss. 2 Reg. et 1 Brun. *diu vexentur*. D

In contumeliis omnibus. Contumelia non tantum de conviciis, sed etiam de gravissimis injuriis et vexationibus dicitur. Exempla in Phædro et aliis obvia. Bun.

Interibunt. Editi quidam, *peribunt*.

Nisi aut male quæsitum, aut defensum manu. Ita meliores et antiquiores mss. In 10 scriptis rec. et omnibus fere editis deest *male;* 3 Reg. pro *manu*, legunt *male*.

Audacia et vis omnia possidebunt. Mss. 10 rec. et 2 vet. edit. *audacia et vi omnia possidebunt*, mendose; legendum enim esset *possidebit*, cum mox præcesserit, *nihil quisquam tunc habebit*.

Non pudor. Addidi ex omnibus fere excusis et mss. Abest ab 1 Colbert. et nonnullis editis.

Ubique. Ms. Jun. et. 5 vet. edit. *undique*. Vide Matth. XXIV, Marc. I, Luc. II.

Ægyptus stultarum superstitionum, etc. Supra actum fuit de hac Ægyptiorum superstitione; reliqua nunc pertexemus. De fele hactenus: sequuntur ἱέρακες, sive *accipitres*. De quibus etiam Plutar. in lib. de Isid. et Osir., et Diodor. Sicul. lib. I, qui et postea cultus ejus causam addit, quia Ægyptum purgat a cerastis, scorpiis, aliisque noxiis animalibus. Hanc quoque rationem ex Diodoro adducit Euseb. lib. XI, de Præp. Evang. Aliam etiam affert Diodorus, quam continuo subjungit. Straboni autem, accipitrem ab universa coli Ægypto dicenti, non adsentit Ælianus, qui expresse in Historia Animalium ait, accipitrem a Tentyritis cultum lib. X, cap. 24. Subdit deinde, ut a Coptitis contra crocodili honorentur: accipitres vero ab iis, veluti crocodilorum hostes, sæpe cruci affigi. Hoc certe nimium quantum ab eorum veneratione abest. Strabo quoque lib. XVII tradit, a Philæis (qui incolæ sunt Philarum insulæ, quæ Ægyptiis et Æthiopibus adjacet) avem, quam accipitrem dicerent, in templo esse cultam. Cicero lib. III de Nat. deorum, accipitrem inter eos ponit, qui a Barbaris deorum honore afficiebantur. De Ibidis cultu præter Herodotum in Euterpe, et Diodorum Siculum lib. II. Juvenalis quoque Sat. 15:

Illa pavet saturam serpentibus ibin.

Plin. lib. X, cap. 28: *Invocant et Ægyptii ibes suas contra serpentium adventum*. Et ante Plinium Cicero, de Natura deorum, l. I: *Ægyptii nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecraverunt. Velut Ibes maximam vim serpentum conficiunt, cum sint aves excelsæ, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro, avertunt pestem ab Ægypto, cum volucres angues ex vastitate Libyæ vento Africo invectas interficiunt atque consumunt; ex quo fit, ut illæ, nec morsu vivæ noceant nec odore mortuæ*. Vide Diodorum Siculum libro XI. Meminit et Ibidis cultus Tuscul. Quæst. lib. V; item Plutarchus Symposiacon lib. IV, quæst. 5 et in de Iside et Osiride; uti et Lucianus in Deorum concilio. Ammianus item Marcellinus lib. XXII: *Inter Ægyptias aves, quarum varietas nullo comprehendi numero potest, ibis sacra est, et amabilis, et innocua, ideo quod nidulis suis ad cibum suggerens ova serpentum, efficit ut rarescant mortiferæ pestes absumptæ*. Cæterum Herodotus in Euterpe ait, capitale esse Ægyptiis, si quis vel ibim, vel accipitrem, sive sciens, sive ignarus interfecerit. De oxyrycho, quem Strabo hic ait ab univer-

Digitized by Google

velut flumine operietur. Tunc peragrabit gladius orbem, metens omnia, et tanquam messem cuncta prosternens. Cujus vastitatis et confusionis hæc erit causa, quod Romanum nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere : sed dicam, quia futurum est) tolletur de terra, et imperium in Asiam revertetur, ac rursus Oriens dominabitur, atque Occidens serviet. Nec mirum cuiquam debet videri, si regnum tanta mole fundatum, ac tandiu per tot et tales viros auctum, tantis denique opibus confirmatum, aliquando tamen corruet. Nihil est enim humanis viribus laboratum, quod non humanis æque viribus destrui possit, quoniam mortalia sunt opera mortalium. Sic et alia prius regna, cum diutius floruissent, nihilominus tamen occiderunt. Nam et Ægyptios, et Persas, et Græcos, et Assyrios proditum est regimen habuisse terrarum; quibus omnibus destructis, ad Romanos quoque rerum summa pervenit. Qui quanto cæteris omnibus regnis magnitudine antestant, tanto majore decident lapsu, quia plus habent ponderis ad ruinam, quæ sunt cæteris altiora.

Non insolite Seneca Romanæ urbis tempora distribuit in ætates. Primam enim dixit infantiam sub rege

VARIORUM NOTÆ.

sis cultum Ægyptiis, antea etiam dixerat eum ab Oxyrynchitis coli. Quod et refert Clemens Alexand. Admonitione ad Gentes. Plutarchus item in de Iside et Osiride. Hadriano Junio in Nomencl. cap. de Piscibus, oxyrynchus est rajarum genus, quod βάτος ὀξύρυγχος nuncupetur. Alii volunt lucium esse, ut Petr. Bellonius, Observation. lib. II, cap. 32, qui id exinde colligit, quod Nilus luciis abundet. Ovem a Saitis et Thebanis cultam dicit Strabo. Hoc etiam testatur Clemens Alexandrinus προτρεπτ. Σαΐται δὲ καὶ Θηβαῖοι πρόβατον. Subdit porro Strabo lupum, quem Lycopolitani venerati sunt, teste etiam Plutarcho in de Iside et Osiride, ac Clemente Alexandrino loco sæpius citato. Cultus ejus rationem, qua Ægyptii moti lupum in honore haberent, ait Diodorus Siculus lib. I esse, quia is maxima cum canibus affinitas adest. Cynocephali cultus etiam memoratur Tertulliano in Apologet. cap. 6, et Augustino lib. XI de Civitate Dei, cap. 13. Est vero Cynocephalus ex simiarum caudatarum genere : sed, ut ait Aristoteles, cebo, sive cercopitheco major, validiorque ac efferatior, propius etiam ad caninam faciem accedens; et lib. II Hist. Animal. cap. 8, de cebis dicit, quod sunt simiæ caudam gerentes. Unde Martialis lib. XIV, Epigramm. 202 :

Callidus emissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

De cultu cercopitheci Juvenalis Satyra 15. Cercopithecum inuuit Prudentius, lib. II adversus Symmachum, cum inquit :

Isis enim, et Serapis, et grandi Simia cauda,
Et Crocodilus id est, quod Juno, Laverna, Priapus.

Simiæ quoque cultus commemoratur Luciano in Deorum concilio. Quod de aquilæ cultu ait Strabo, illud etiam legere est apud Diodorum Siculum lib. I. Subjicit postea Strabo de Leone a Leopolitanis culto, cujus cultus etiam mentio est apud Plutarchum, lib. IV Symposs. quæst. 5, qui Leonem Soli sacratum dicit, eo quod ex curviungulis quadrupedibus sola leæna fœtum edat videntem : insuper quod leo brevissimo temporis tantum spatio somnum capiat, oculique dormientis suffulgeant; item quod Leontini fontes et hiatus suos, cum Sol per Leonem transeat, nova inveniant aqua repletos. Capræ porro et hirci venerationem tribuit Strabo Mendesiis : de quibus assentit et Herodotus in Euterpe. De hirco etiam Clemens Alexandrinus, Admonitione ad Gentes : Μενδήσιοι (σέβουσι) τὸν τράγον. Videntur etiam alii Ægyptiorum hircum pro numine habuisse. Vide Diodorum, lib. II. Hirci cultus meminit et Lucianus in Deorum concilio. *Ex* Vossio.

Peragrabit gladius orbem. Ita restitui ex 7 vet. excusis et omnibus mss., exceptis Cauc., Reg., 2 rec. ac edd. Gymnic. et Fasit. quibus est *clades orbem.*

Tanquam messem cuncta prosternens. Plane ut Catullus de Nupt. Pelei, carm. 65.

Namque velut densas præsternens messor aristas,
Sole sub ardenti flaventia demetit arva,
Trojugenum infesto prosternunt corpora ferro.
BUN.

Quod Romanum nomen, etc. Hoc Sibyllinum est, ἔσται Ῥώμη ῥύμη. Lactantius, infra, cap. 25 : *At vero cum caput illud orbis occiderit*, etc. Fuit vetus traditio illorum temporum, cum primum Romanum imperium defecisset, venturum Antichristum, et paulo post mundum interiturum. Ita enim scribit et Tertullianus libro ad Scapul. et Apologetic. cap. 32, et Optat. Milevitan. contra Donatist. lib. II, atque orta ejusmodi traditio videtur ex prophetia Danielis cap. II, et ex verbis Apost. in epist. II ad Thessalonic. cap. II, secundum Augustinum, lib. XX Civit. Dei, cap. 19. Sed id intelligit S. Thomas super d. cap. II Epist. Pauli, lectione I, de discessione a Romano imperio non solum temporali, sed etiam a spirituali, scilicet a fide catholica Romanæ Ecclesiæ. *Ex* ISÆO.

Et imperium in Asiam revertetur. Mahumeticum imperium intelligit Betuleius : ita ut ex præteritis facile colligas Lactantium in futurum quoque prophetam veracem fore IDEM.

Si tanta mole. Respexisse videtur Lactantius ad illud Virgilii :

Tantæ molis erat Romanam condere gentem!

Quod non humanis æque viribus, etc. Mss. 12 rec. et 5 editi habent, *non ab humanis*, etc. Sed perperam addita præpositio *ab*, quæ a priori quoque membro abest.

Nam et Ægyptios, etc. Non hoc agit, ut monarchias, vel apud Danielem, vel in Apocalypsi significatas recenseat, in quibus Ægyptiacum non est, neque Græcum aliud quam Macedonicum : deinde licet populus Dei Ægyptio atque Assyrio servierit, a Persa tamen atque Macedone fuit tutus. Alioqui erat etiam Antiochus hic numerandus. Quare auctor hoc tantum facit, ut exemplo ostendat, Romanam potentiam posse interire, quia florentissima orbis imperia conciderunt. BETUL.

Tanto majore decident lapsu... ad ruinam, quæ sunt cæteris altiora. Claudian. :

Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant. FRANCIUS.

Non inscite Seneca, etc. Quod hic ex Seneca citat, Flori est. Fefellit Lactantium prænomen *Annæi*, quod Floro codices nonnulli attribuunt, nonnulli etiam id agnoscunt, omisso Flori nomine, est enim prænomen Annæi proprium Senecarum. Errant etiam qui hujus distributionis in ætates Senecam Philosophum auctorem autumant *Ex Jo.*, ISAACO PONTANO et SALMASIO. Si quis plura de hac re velit, adeat Clariss. Vossium, de Historicis latinis.

Distribuit in ætates. Mss. 8 rec. totidemque edd., *per ætates.*

Digitized by Google

Romulo fuisse, a quo et genita, et quasi educata sit Roma; deinde puerilem sub cæteris regibus, a quibus et aucta sit, et disciplinis pluribus institutisque formata : at vero Tarquinio regnante, cum jam quasi adulta esse cœpisset, servitium non tulisse, et rejecto superbæ dominationis jugo, malle se legibus obtemperare quam regibus; cumque esset adolescentia ejus fine Punici belli terminata, tum denique confirmatis viribus cœpisse juvenescere. Sublata enim Carthagine, quæ tamdiu æmula imperii fuit, manus suas in totum orbem terra marique porrexit; donec regibus cunctis et nationibus Imperio subjugatis, cum jam bellorum materia deficeret, viribus suis male uteretur, quibus se ipsa confecit. Hæc fuit prima ejus senectus, cum bellis lacerata civilibus, atque intestino malo pressa, rursus ad regimen singularis imperii recidit, quasi ad alteram infantiam revoluta. Amissa enim libertate, quam Bruto duce et auctore defenderat, ita consenuit, tanquam sustentare se ipsa non valeret, nisi adminiculo regentium niteretur. Quod si hæc ita sunt, quid restat, nisi ut sequatur interitus senectutem? Et id futurum brevi conciones prophetarum denuntiant sub ambage aliorum nominum, ne facile quis intelligat. Sibyllæ tamen aperte interiturum esse Romam loquuntur, et quidem judicio Dei, quod nomen ejus habuerit invisum, et inimica justitiæ, alumnum veritatis populum trucidarit. Hystaspes quoque, qui fuit Medorum rex antiquissimus, a quo annis quoque nomen accepit qui nunc Hydaspes dicitur, admirabile somnium sub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam posteris tradidit, sublatum iri ex orbe imperium nomenque Romanum multo ante præfatus est, quam illa Trojana gens conderetur.

CAPUT XVI.

De mundi vestatione, ejusque prodigiis.

Quomodo autem id futurum sit, ne quis incredibile arbitretur, ostendam. In primis multiplicabitur regnum, et summa rerum potestas per plurimos dissipata et concisa minuetur. Tunc discordiæ civiles in perpetuum serentur; nec ulla requies bellis exitialibus erit, donec reges decem pariter existant, qui orbem terræ, non ad regendum, sed ad consumendum partiantur. Hi, exercitibus in immensum auctis, et agrorum cultibus destitutis, quod est principium eversionis et cladis, disperdent omnia, et comminuent, et vorabunt. Tum repente adversus eos hostis potentissimus

VARIORUM NOTÆ.

Sublata enim Carthagine. Mss. 6 rec. et editi tres *etenim*. Impressi 5, pro *enim*, ferunt *igitur*.

Quæ tamdiu æmula Imperii fuit. Abest *tam* a 16 mss. rec. et a sex editis. Post *imperii* 9, mss. rec. et 16 vulgati perperam addunt *Romani*, quod respuunt cæteri.

Manus suas in totum orbem... porrexit. Sic Claudian. *Porrexit cum sole manus.*

Nationibus Imperio subjugatis. Addidi *Imperio* ex omnibus mss. præter 5 rec. quibus deest, sicut et editis.

Sustentare se ipsa non valeret. Sic antiquiores et meliores mss. necnon editi, dempto uno. Et sic passim loqui amat Lactantius, et paulo ante dixit, quibus *se ipsa confecit*. Scripti 14 rec. *se ipsam*.

Prophetarum. Daniel. lib. II et VII, Apoc. XIV, et XVII.

Sibyllæ. Sermon. 5 et 8.

Hystaspes quoque. Sic lego cum mss. 7 Vaticanis, 4 Reg. quorum unus est Regio Put., alter recentior, sed optimæ notæ, 3 Colb., Lips., Pal. aliisque, necnon edit. I., Gall., Spark, Walch. At mss. 13 rec. et 17 vulgati habent *Hydaspes*. Sub nomine *Hystaspis* citatur a S. Justino Martyre Apolog. 2, græce Ὑστάσπις, edit. Paris. an. 1636 p. 66, lit. c, et gignendi casu Ὑστάσπου, p. 82, c; a S. Clemente Alexandrino, libro VI Stromat. edit. Paris. an. 1641, pag. 636, græce Ὑστάσπην; cum sic inquit: *Librosque græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo unum Deum significet, et ea quæ sunt futura; et Hystaspen sumite et legite, et invenietis Dei filium multo clarius et apertius esse scriptum, et quemadmodum adversus Christum multi reges insti uent aciem, qui eum habent odio, et eos qui nomen ejus gestant, et ejus fideles, et ejus tolerantiam et adventum.* Vocatur quoque *Hystasp* s ab Historicis, Agathia lib. II, ubi agit de Zoroastre, et Ammiano Marcellino, lib. XXIII.

Qui nunc Hydaspes dicitur. Geminus Hydaspes fluvius, Mediæ unus, de quo Virgilius Georg. IV, v. 211, *Medus Hydaspes* qui an idem et Choaspes sit, aut quem *Medum* vocant (uterque enim in Media oritur) non liquet; alter Indorum, ex scriptoribus rerum Alexandri abunde cognitus. CELL.

Admirabile somnium. Ita ms. 1 Bonon. antiq. et 8 edd. rec. suffragantibus 1 Reg. rec. et Marm. a prima manu, qui habent *admirabiles omnium*; Goth. *admirabile omnium*. Porro *admirabile somnium* veram esse lectionem asserit Isæus, ut patet (inquit) ex sequentibus, *vaticinantis pueri*. Nisi mavis *admirabiles omnium* ex 1, Colb. et 2 Lips. Et tamen in omnibus prope mss. et excusis veteribus codicibus legitur, *admirabilis omnium*.

Sub interpretatione. Quæ verba delenda esse putat Heuman.

Bellis Vide Matth. XXIV, 6, 7; Marc. XIII, 12; Luc, XXI, 9, 10, 11.

Reges decem, etc. Per 10 cornua suffigurati, per quos alii ἐπάρχας intelligunt; Irenæus et Hieronymus cum Lactantio decem reges : alii certum plenitudinis numerum pro incerto statuunt; hi tamen non inepte quadrare concedunt maximarum provinciarum enumerationem. Numerant Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Illyricum, Græciam, Africam, Ægyptum, Asiam, Syriam, atque singulis vicinas esse addendas : ut Græciæ Macedoniam, Illyrico Pannoniam, etc. BETULEIUS.

Ad consumendum partiantur. Vera lectio, quæ est 5 editorum et omnium pene mss. inter quos sunt 2 Bonon., 6 Reg., 3 Colbert., 3 Lips., Jun. In Regio Put. deest *ad consumendum*; in 3 Colbert. et nonnullis impressis corrupte legitur *ad consummandum patiantur*; in 3 Reg. rec., 1 Clarom. a secunda manu, ac 9 vulgatis, *ad consummandum partiantur*.

Hi exercitibus in immensum auctis. Sic restitui ex 9 editis cunctisque mss. præter 1 Reg. rec. in quo est *coactis*, ut in vulgatis pluribus.

Tum repente, etc. Pleraque, quæ hic dicuntur. Turcarum dominationi aptari possunt. RIVETUS *in Notis manuscriptis*.

Hostis potentissimus, etc. Fuere qui Antiochum intellexerunt; alii Neronem; quidam Mahumetem intelligunt, alii Antichristum. Vide interpretes ad cap. XII Daniel, et XII Apocalyps.; Irenæum, adv. hæres. lib. V, cap. 25, 26; Theodoret. in Daniel. Orat. VII. Hæc omnia ad suam mentem paulo, confidentius interpretatur Lactantius.

Digitized by Google

ab extremis finibus plagæ septentrionalis orietur, qui A tribus ex eo numero deletis, qui tunc Asiam obtinebunt, assumetur in societatem a cæteris, ac princeps omnium constituetur. Hic insustentabili dominatione vexabit orbem: divina et humana miscebit; infanda dictu et execrabilia molietur; nova consilia in pectore suo volutabit, ut proprium sibi constituat imperium, leges commutet, et suas sanciat; contaminabit, diripiet, spoliabit, occidet. Denique immutato nomine, atque imperii, sede translata, confusio ac perturbatio humani generis consequetur. Tum vero detestabile atque abominandum tempus existet, quo nulli hominum sit vita jucunda.

Evertentur funditus civitates, atque interibunt, non modo ferro atque igni, verum etiam terræ motibus assiduis, et eluvie aquarum, et morbis frequentibus, B et fame crebra. Aer enim vitiabitur, et corruptus ac pestilens fiet, modo importunis imbribus, modo inutili siccitate, nunc frigoribus, nunc æstibus nimiis; nec terra homini dabit fructum: non seges quidquam, non arbor, non vitis feret. Sed cum in flore spem maximam dederint, in fruge decipient. Fontes quoque cum fluminibus arescent, ut ne potus quidem suppetat; et aquæ in sanguinem aut amaritudinem mutabuntur. Propter hæc deficient et in terra quadrupedes, et in aere volucres, et in mari pisces. Prodigia quoque in cœlo mirabilia mentes hominum maximo terrore confundent, et crines cometarum, et solis tenebræ, et color lunæ, et cadentium siderum lapsus. Nec tamen hæc usitato modo fient: sed existent subito et ignota et invisa oculis astra; sol in perpetuum C fuscabitur, ut vix inter noctem diemque discernatur. Luna jam non tribus deficiet horis: sed perpetuo sanguine obfusa, meatus extraordinarios peraget, ut non sit homini promptum, aut siderum cursus, aut rationem temporum agnoscere: fiet enim vel æstas in hyeme, vel hyems in æstate. Tunc annus breviabitur, et mensis minuetur, et dies in angustum coarctabitur. Stellæ vero creberrimæ cadent, ut cœlum omne cæcum sine ullis luminibus appareat. Montes quoque altissimi decident, et planis æquabuntur: mare innavigabile constituetur.

Ac ne quid malis hominum terræque desit, audietur e cœlo tuba; quod hoc modo Sibylla denuntiat, dicens:

Σάλπιγξ οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει.

Itaque trepidabunt omnes, et ad luctuosum illum sonitum contremiscent. Tum vero per iram Dei adversus homines qui justitiam non agnoverunt, sæviet ferrum, ignis, fames, morbus, et super omnia metus semper impendens. Tunc orabunt Deum, et non exaudiet; optabitur mors, et non veniet: ne nox quidem requiem timori dabit; nec ad oculos somnus accedet: sed animas hominum sollicitudo ac vigilia macerabit: plorabunt, et gement, et dentibus stridebunt; gratulabuntur mortuis, et vivos plangent. His et aliis pluribus malis solitudo fiet in terra, et erit deformatus orbis atque desertus; quod in carminibus Sibyllinis ita dicitur:

Ἔσται κόσμος ἄκοσμος, ἀπολλυμένων ἀνθρώπων.

Ita enim conficietur humanum genus, ut vix decima

VARIORUM NOTÆ.

Tribus ex eo numero deletis. Ex omnibus ferme mss. et 14 vulgatis addidi *eo*, quod nonnullis editis deest. In 2 Colb. est *ex eis*.

Leges commutet, et suas sanciat. Substituto (ut Betuleius intelligit) in Evangelii locum Alcorano. Quoad lectionem textus, sequor antiquiores et meliores mss. 1 Bon., Regio-Put., 2 al. Reg bonæ notæ. At scripti 8 rec. et 12 edit., *commutabit..... sanciet.*

Contaminabit. Forte respexit facinora militum et libidinem, de qua hoc verbum contaminare. Utitur l. 1, c. 20: *libidinibus effrænatis omnem sexum... contaminantibus.* BUN.

Immutato nomine atque imperii sede. Subaudi ex proximo, *immutato nomine* se imperii; nisi malis transponere, ut epitom. cap. 71: *nomen imperii sedemque mutabit.* D BUN.

Tum vero. 1 Clarom. *Tunc;* Jun., 3 Colb., Brun. et 5 edit. *Tam.*

Evertentur. Mss. 7 rec. et 5 vet. edit. in aliis *eruentur.* Eadem lectionum varietas infra, cap. 17, initio.

Fame crebra. 1 Brun., *morte crebra.*

Aer enim vitiabitur. Unde hæc singularia habeat Lactant. non dicit, quamvis nonnulla ex Scripturis hausta sint de signis venturi judicii. Recte monet Thomasius multa in hoc libro a Platone et Origene desumpta, ab omnibus esse cavenda. RIVETUS *in Not. manuscript.*

Modo importunis. In mss. sex et editis 8 præcedit copula *et*, quæ a cæteris abest.

Non seges. Mss. 4 rec. et omnes fere impressi, *nec;* 1 Colb. *non segetes.*

Amaritudinem. Lips. 2 *amăritudines.* Epit. c. 71: *aqua omnis partim* mutabitur *in cruorem, partim amaritudine vitiabitur.* BUN.

Et crines cometarum, etc. Pleonasmus. Cometas enim, inquit Plin., Græci vocant nostri crinitas, horrentes crine sanguineo, et comarum modo in vertice hispidas. BETULEIUS.

Et solis tenebræ. Apoc. VI, Act. II, Joel. II, Matth. XXIV.

Invisa oculis. Id est, *non visa.* Hodie fere pertinet ad latinitatem neglectam. Hoc sensu veteres sæpe *invisus* posuerunt. Cicero, Harusp. resp. cap. 27: *Occulta et maribus non invisa solum, sed etiam inaudita sacra.* BUN.

Stellæ. Matth. XXIV, Marc. XIII.

Sibylla. In Carm. Acrostich. Serm. 8.

Σίβυλλα. Interpret. Lat. ex Bon. antiq.

Tuba e cœlo vocem multis ululatibus dabit.

Adversus homines. Mss. 3 rec. et 7 edd. *adversum.*

Qui justitiam non agnoverunt. Expunxi *Dei* ex edit. Is. et omnibus fere mss. Est autem in novem recentissimis mss. et in vulgatis.

Impendens. Sic restitui ex cunctis mss. et 6 editis. In vulgatis 10 legitur *impendent.* In edit. Gymnic. et Betul. *impendet.*

Ne nox quidem. Mss. 6 rec. et 16 edd. *nec.*

Dentibus strident. Mss. 3 rec. et 12 edit. *stridebunt.* Utraque lectio bona; dicitur enim *strideo,* et *strido.*

Ἔσται κόσμος, etc. Interpr. Lat.

Erit mundus sine ornatu, pereuntibus hominibus.

Ἔσται κόσμος, etc. Est allusio ad mundi significationem; nam sicut apud Græcos, ita apud Latinos, mundus nomen ab ornatu habet: de quo Hermes, Plato, Arist., Cic., Plin. Hic Sibyllæ versus legitur Sermone 7.

Digitized by Google

pars hominum relinquatur; et unde mille processerant, vix prodient centum. De cultoribus etiam Dei duæ partes interibunt, et tertia quæ fuerit probata, remanebit.

CAPUT XVII.

De falso propheta et incommodis piorum, et illius internecione.

Sed planius, quomodo id eveniat, exponam. Imminente jam temporum conclusione, propheta magnus mittetur a Deo, qui convertat homines ad Dei agnitionem, et accipiat potestatem mirabilia faciendi. Ubicumque non audierint eum homines, claudet cœlum; et abstinebit imbres, et aquam convertet in sanguinem, et cruciabit illos siti ac fame; et quicumque conabitur eum lædere, procedet ignis de ore ejus, atque amburet illum. His prodigiis atque virtutibus convertet multos ad Dei cultum; peractisque operibus ipsius, alter Rex orietur ex Syria malo spiritu genitus, eversor ac perditor generis humani, qui reliquias illius prioris mali cum ipso simul deleat. Hic pugnabit adversus prophetam Dei; vincet, et interficiet eum, et insepultum jacere patietur. Sed post diem tertium reviviscet; atque inspectantibus et mirantibus cunctis, rapietur in cœlum. Rex vero ille teterrimus erit quidem et ipse, sed mendaciorum propheta; et seipsum constituet ac vocabit Deum, et se coli jubebit ut Dei filium: et dabitur ei potestas, ut faciat signa et prodigia, quibus visis, irretiat homines ut adorent eum. Jubebit ignem descendere de cœlo, et solem a suis cursibus stare, et imaginem loqui; et fient hæc sub verbo ejus: quibus miraculis etiam sapientium plurimi allicientur ab eo. Tunc eruere templum Dei conabitur, et justum populum persequetur; et erit pressura et contritio, qualis numquam fuit a principio mundi.

Quicumque crediderint atque accesserint ei, signabuntur ab eo tanquam pecudes: qui autem recusaverint notam ejus, aut in montes fugient, aut comprehensi exquisitis cruciatibus necabuntur. Idem justos homines obvolvet libris prophetarum, atque ita cremabit; et dabitur ei desolare orbem terræ mensibus quadraginta duobus. Id erit tempus, quo justitia projicietur, et innocentia odio erit; quo mali bonos hostiliter prædabuntur: non lex, aut ordo, aut militiæ disciplina servabitur; non canos quisquam reverebitur, non officium pietatis agnoscet; non sexus aut infantiæ miserebitur: confundentur omnia et miscebuntur contra fas, contra jura naturæ. Ita quasi uno communique latrocinio terra universa vastabitur. Cum hæc ita erunt, tunc justi et sectatores veritatis segregabunt se a malis, et fugient in solitudines. Quo audito, impius rex inflammatus ira veniet cum exercitu magno, et admotis omnibus copiis circumdabit montem, in quo justi morabuntur, ut eos comprehendat. Illi vero, ubi se clausos undique atque obsessos

VARIORUM NOTÆ.

Prodient. Ita mss. et editi. De hac forma dixi ad lib. IV, cap. 13, ante finem.

Quæ fuerit. Recte, ex mss. et editis. In nonnullis excusis, *fuerat.*

Propheta magnus. Eliam Thesbiten intelligit, uti constat ex infra ponendo Fragmento *de extremo Judicio*, sub nomine Lactantii; quod fragmentum leges post librum. Pleraque quæ hic recenset Lactantius, sunt plane ἄγραφα. Vide librum de Antichristo R. Thomæ Malvendæ Theologi Dominicani, lib. IX, c. 16, ad finem.

Et accipiat. Legitur *accipiet* apud Buneman., qui hujus vocis sic rationem reddit.'— Ita edo in futuro ex Goth. et Reimm. Connecte, *Mittetur... et accipiet;* porro, *claudet, abstinebit... convertet... comburet.* Ita de mendaciorum propheta infra, *et* dabitur *ei potestas*, etc. et de eodem in epit. c. 71 : *accipiet potestatem mirabilia faciendi.* Bun.

Procedet... de ore. Lips. 2, 3, *ex ore*, ut lib. VI, cap. 18 : *ne verbum malum procedat ex ore*, etc. Sed auctor elegantis epistolæ ad Celantiam in Paulini Nolani Append. p. 15 (quæ in Hierony. ep. 14) : *Numquam malum verbum de ore tuo procedat.* Ipse Lact. *procedere ore, ex ore, de ore.* Bun.

Amburet illum. Hoc verbum Lactantio familiare est. Mss. Cauc., Jun. et 9 rec. ac edit. sex, *comburet.* Vide infra cap. 21, *perstringentur igni, atque amburentur.*

Alter rex orietur ex Syria. Somnium, quo typus Antichristi, reges Syriæ vexatores Judæorum, *Daniel.* XXI, cum antichristo christianam Ecclesiam vastante confunditur. Bun.

Hic pugnabit adversus prophetam Dei. Nihil certi in his et sequentibus inest, quæ fabulosis traditionibus debentur. Cell.

Rex ille. Vide Matth. XXIV, 2; Thessalon. II.

Seipsum constituet ac vocabit Deum, et se coli jubebit. Sic lego cum mss. 6 Reg., 4 Colb., Marm., 1 Clarom., Brun. et 12 editis. At 2 Bonon., 2 Reg. rec., 1 Colbert. *ac vocari Deum, se coli jubebit.* Mss. Regio-Put., Tornes., 1 Colb., 1 Clarom. *ac vocari Deum se cœli jubebit.* Sed in Regio-Put. deest *se.*

Imaginem. Heumann. vult legi *imagines*, id est, simulacra.

Sub verbo ejus. Id est, eo adhuc loquente. Vindicavi pluribus hanc formulam ad l. IV, c. 15: *Statimque* sub verbo ejus. Bun.

Quibus miraculis. Apocal. XIII, 2; Thess. II.

Eruere templum Dei conabitur. 1 Reg., 1 Colb. et Brun. *evertere.*

Desolare orbem. Daniel. VII, Apocalyps. II.

Quadraginta duobus. Mss. Torn. *sexaginta*, 1 Colb. XLIII.

Prædabuntur. Mss. 3 rec. et ed. Rom. 1470, *prælabuntur.*

Militiæ disciplina. Reimm., *malitiæ disciplina*, ut quoque prave Cellar. editio in Epit. c. 71, ubi Taur. et alii : *Non imperii dignitas conservabitur, non militiæ disciplina.* Bun.

Communique latrocinio. Jun., 1 Colb. et 10 edd. *communi gravique latrocinio.*

Cum hæc ita erunt. Sic lego cum Regio-Put. et multis aliis ac 5 editis; mss. 3 rec. *Cum hæc ita facta erunt.* Scripti 10 rec. et 7 vulgati, *Cum hæc facta erunt.*

Tunc justi. Mss. 4 totidemque edd. *tum justi.*

Ut eos comprehendat. Suffecerit semel monuisse Lactantium partim ex Apocalypseos libro ad suum sensum detorto, partim ex versibus Sibyllinis, ne suo dicam ingenio, hunc de venturi Antichristi signis centonem conflasse.

Digitized by Google

viderint, exclamabunt ad Deum voce magna, et auxilium cœleste implorabunt; et exaudiet eos Deus, et mittet regem magnum de cœlo, qui eos eripiat ac liberet, omnesque impios ferro igneque disperdat.

CAPUT XVIII.

De mundi casibus in extremo, ac de iis prædictis a vatibus.

Hæc ita futura esse, cum prophetæ omnes ex Dei spiritu, tum etiam vates ex instinctu dæmonum cecinerunt. Hystaspes enim, quem superius nominavi, descripta iniquitate sæculi hujus extremi, pios ac fideles a nocentibus segregatos, ait cum fletu et gemitu extenturos esse ad cœlum manus, et imploraturos fidem Jovis; Jovem respecturum ad terram, et auditurum voces hominum, atque impios extincturum. Quæ omnia vera sunt, præter unum, quod Jovem dixit illa facturum quæ Deus faciet. Sed et illud non sine dæmonum fraude subtractum est, missum iri a Patre tunc Filium Dei, qui deletis omnibus malis, pios liberet. Quod Hermes tamen non dissimulavit. In eo enim libro, qui λόγος τέλειος inscribitur, post enumerationem malorum de quibus diximus, subjecit hæc · Ἐπὰν δὴ ταῦτα ὧδε γένηται, ὦ Ἀσκλήπιε. τότε ὁ κύριος, καὶ πατὴρ. καὶ θεὸς, καὶ τοῦ πρώτου καὶ ἑνὸς θεοῦ δημιουργὸς, ἐπιβλέψας τοῖς γενομένοις, καὶ τῇ ἑαυτοῦ βουλήσει τοῖς τοιούτοις, τὸ ἀγαθὸν ἀντερείσας τῇ ἀταξίᾳ, καὶ ἀνακαλεσάμενος τὴν πλάνην καὶ τὴν κακίαν ἐκκαθαρας, πῇ μὲν ὕδατι πολλῷ καταλύσας, πῇ δὲ πυρὶ ὀξυτάτῳ διακαύσας, ἐνίοτε δὲ πολέμοις καὶ λοιμοῖς ἐκπιέσας, ἤγαγεν ἐπὶ τὸ ἀρχαῖον καὶ ἀποκατέστησεν τὸν ἑαυτοῦ κόσμον. Sibyllæ quoque non aliter fore ostendunt, quam ut Dei Filius a summo patre mittatur, qui et justos liberet de manibus impiorum, et injustos cum tyrannis sævientibus deleat; e quibus una sic tradidit :

Ἥξει καὶ μακάρων ἐθέλων πόλιν ἐξαλαλάξαι;
Καὶ πάν τις θεόθεν βασιλεὺς πεμφθεὶς ἐπ' ἰθύων,
Πάντας ὁλεῖ βασιλεῖς μεγάλους καὶ φῶτας ἀρίστους;
Εἶθ' οὕτως κρίσις ἔσται ὑπ' ἀφθίτου ἀνθρώποισι.

Item alia Sibylla :

Καὶ τότ' ἀπ' ἠελίου πέμψει θεὸς βασιλῆα,
Ὃς πᾶσαν γαῖαν παύσει πολέμοιο κακοῖο.

Et rursus alia :

. . . . . ἡμετέρας δουλείας
Ζυγὸν δυσβάστακτον ἐπ' αὐχένι κείμενον ἀρεῖ,
Καὶ δεσμοὺς ἀθέσους λύσει, δεσμούς τε βιαίους.

CAPUT XIX.

De adventu Christi ad judicium, et de falso propheta devicto.

Oppresso igitur orbe terræ, cum ad destruendam immensarum virium tyrannidem humanæ opes defecerint, siquidem capto mundo cum magnis latronum exercitibus incubabit, divino auxilio tanta illa calamitas indigebit. Commotus igitur Deus et periculo ancipiti, et miseranda cómploratione justorum, mittet protinus liberatorem. Tunc aperietur cœlum medium intempesta et tenebrosa nocte, ut in orbe toto

VARIORUM NOTÆ.

Et mittet regem. Sic restitui ex omnibus mss. et vet. edit. Rom. cæteri impressi, *et emittet regem*. Antiquiores editi decimi quinti sæculi legunt *mittet*.

Hystaspes. Ita supra : vide Not. ad finem, cap. 15 hujus lib. VII Instit. Div. De Hystaspe philosopho vide Stanleium hist. Philos. Chaldaicæ, lib. II, cap. 2.

Extensuros. Ms. 1 Clarom. et 7 edd. *extensuros*.

Missum iri a Patre tunc Filium Dei. Sic emendavi ex mss. et plurimis editis.

Hermes. In Asclepio ab Apuleio verso, hoc modo legimus : *Tunc nec terra constabit, nec navigabitur mare, nec cœlum astrorum cursibus, nec siderum cursus constabit in cœlo. Omnis vox divina necessario taciturnitate mutescet : fructus terræ corrumpentur, nec fœcunda erit tellus, et aer ipse mœsto tempor languescet. Hæc et talis senectus veniet mundi, irreligio, et inordinatio, et irrationabilitas bonorum hominum.*

Λόγος τέλειος. Lat. *Sermo perfectus*, cujus mentio fit lib. IV, supra, cap. 6.

Ἐπ' ἂν δή, etc. Interpretatio latina : *Cum hæc ita facta fuerint, o Asclepi, tunc dominus, et pater, et Deus, et primi, et unius Dei creator, respiciens quæ facta sunt, et suam voluntatem in hujusmodi, id est, bonum opponens temeritati, et errorem revocans, malitiam purgabit, partim aqua diluens, partim igne rapido cremans, interdum bellis et pestilentiis extergens, ad statum pristinum perduxit et restituit suum mundum.* Asclepium paulo aliter vertit Apuleius; etenim pro *et Deus, et primi et unius Dei creator*, ille posuit, *et Deus primipotens, et unius gubernator mundi.* Ex collatione appareret nec Græcam, nec Apuleianam lectionem salvam aut integram esse. Trismegistus in Asclepio, cap. 9.

Καταλύσας. Davisius, c. 1, corrigit, κατακλύσας. Optime: nam Apuleius, cap. 1, illuvione *diluens* : hinc diluvium κατακλίσμος, nostro Lactantio, lib. II, cap. 10, *cataclysmus*. Bun.

Καὶ ἀποκατέστησεν. Sic mss. Regio-Put. et 2 alii Reg. bonæ notæ, favente vet. Colbert. qui habet ἀποκαταστησει. Plurimis mss. Græcis desunt, In edit. Paris. 1625, et Walch. est ἀποκατεστησε; in cæteris impressis ἀπεκατήστησε; Latine, *restituit*.

Una sic tradidit. Habentur Sermone quinto, ubi tamen lectio mirifice variat.

Ἥξει, etc. Interpret. Lat. :

Veniet et beatorum volens urbem expugnare;
Et quidem a Deo Rex missus ad suos,
Omnes perdet Reges magnos et viros optimos;
Et sic judicium erit ab immortali hominibus.

Ἐπ' ἰδίων. In ms. Regio-Put. est ἐπὶ τοῦτον, *ad istum*.

Κρίσις ἔσται. Sic restitui ex mss. optimis Regio-Put. et alio Reg. 400 annor.; 2 Colb., 1 Brun. *judicium erit*. In 4 Reg. rec., 2 Colb. et editis est κρινεῖται, *judicabitur*.

Ἀφθίτου. Ita lego cum M. Masuro, propter metri rationem, sicut est in 6 Reg., in Bonon. antiq., 2 Colb., 1 Clarom., in edit. vet. 1 Rom., in Isæana et Florent. non ἀφθίτοις, ut in aliis editis, *ab immortalibus hominibus*, male. Sibylla, Serm. 5, οὕτως ἔσται ἄφθιτον.

Καὶ τότ'. Sermone 3, Interpr. Lat.

Et tunc ex sole mittet Deus regem,
Qui omnem terram placabit a bello malo.

Ἠελίου. In versibus Sibyllinis legitur Ἠελίοιο, in 2 Reg. Ἤλιοι; 1 Colb. Ἠλοιο

Ἡμετέρας δουλείας. Mss. 3 Reg. rec. et ed. Rom. 1470, ἡμετέρας τε ζύγον δουλείας. Latine :

Nostræ servitutis
Jugum intolerabile in collo positum tollet,
Et leges impias solvet, vinculaque violenta.

Oppresso igitur orbe terræ, etc. Animadversio : Lactantius sacrarum Scripturarum non satis peritus, ut

Digitized by Google

lumen descendentis Dei tanquam fulgur appareat; quod Sibylla his versibus locuta est :

. . . . . Ὁππότ' ἂν ἔλθῃ,
Ἦμαρ ἔσται, σκότος ἐν τῇ μέσῃ νυκτὶ μελαίνῃ.

Hæc est nox, quæ a nobis propter adventum regis ac Dei nostri pervigilio celebratur : cujus noctis duplex est ratio, quod in ea et vitam tum recepit, cum passus est, et postea regnum orbis terræ recepturus est. Hic est enim liberator, et judex, et ultor, et rex, et Deus quem nos Christum vocamus, qui priusquam descendat, hoc signum dabit. Cadet repente gladius e cœlo, ut sciant justi ducem sanctæ militiæ descensurum : et descendet comitantibus angelis in medium terræ; et antecedet eum flamma inextinguibilis; et virtus angelorum tradet in manus justorum multitudinem illam, quæ montem circumsederit, et concidetur ab hora tertia usque ad vesperum, et fluet sanguis more torrentis; deletisque omnibus copiis, impius solus effugiet, et peribit ab eo virtus sua.

Hic est autem, qui appellatur Antichristus : sed seipsum Christum mentietur, et contra verum dimicabit, et victus effugiet, et bellum sæpe renovabit, et sæpe vincetur; donec quarto prælio confectis omnibus impiis debellatus, et captus, tandem scelerum suorum luat pœnas. Sed et cæteri principes, ac tyranni, qui contriverunt orbem, simul cum eo vincti adducentur ad regem, et increpabit eos, et coarguet; et exprobrabit his facinora ipsorum, et damnabit eos, ac meritis cruciatibus tradet. Sic extincta malitia, et impietate compressa, requiescet orbis, qui per tot sæcula subjectus errori ac sceleri nefandam pertulit servitutem. Non colentur ulterius dii manu facti : sed a templis, et pulvinaribus suis deturbata simulacra igni dabuntur, et cum donis suis mirabilibus ardebunt, quod etiam Sibylla cum Prophetis congruens futurum esse prædixit :

Τρίψουσιν δ' εἴδωλα βροτοὶ καὶ πλοῦτον ἅπαντα.

Erythræa quoque idem spopondit :

Ἔργα δὲ χειροποιητὰ θεῶν κατακαυθήσονται.

CAPUT XX.

De Christi judicio, de Christianis, atque de anima.

Post hæc aperientur inferi, et resurgent mortui : de quibus judicium magnum idem ipse rex ac Deus faciet, cui summus pater, et judicandi, et regnandi dabit maximam potestatem; de quo judicio et regno apud Erythræam Sibyllam sic invenitur :

Ὁππότε καὶ τὸ λάβῃ τέλος αἴσιμον, ἡδὲ βροτοῖσι
Καὶ δὴ ἀφίξηται κρίσις ἀθανάτοιο θεοῖο,
Ἥξει ἐπ' ἀνθρώπους μεγάλη κρίσις ἡδὲ καὶ ἀρχή.

Deinde apud aliam :

Ταρτάρεον δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα
Ἥξουσιν δὲ ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆος ἅπαντες.

VARIORUM NOTÆ.

ait S. Hieronymus, verba Apocalypsis XVI haud penitus introspiciens, quædam hoc capite de Antichristo non satis consona prodit. Accuratius excutiuntur a Thoma Malvenda, lib. X de Antichristo, cap. 11 et 13.

Tanquam fulgur. Hæc ex Matth., cap. XXIV, XXVII ubi legitur : *Sicut fulgur exit ab oriente, et apparet usque in occidentem, ita etiam erit adventus filii hominis.*

Sibylla his versibus. Nondum inveni. Sed nihil fere his capitibus dicitur, quod non in Sibyllinis carminibus, nec semel, sed etiam iterum inveniatur : quod ille observabit, qui Sibyllas diligenter cum Lactantio contulerit.

Ὁππότ'. Lat.

Cum veniet,
Ignis erit, tenebræque in media nocte obscura.

Hæc est nox. Copula *et* præcedit in mss. Canc. et 5 editis.

Quæ a nobis. Præpositionem addidi ex 15 editis et omnibus mss. præter 1 Colb. cui deest, ut et 4 vulgatis.

Pervigilio celebratur. Mss. 15 rec. et edit. Rom. 1470, *pervigil.* Quam celebris apud antiquos fuerit Vigilia Paschalis, testantur ecclesiastici scriptores, qui de rebus liturgicis egerunt, quos, si lubet, consulere poteris.

Cadet repente gladius e cœlo. Sunt hæc plane apocrypha.

Seipsum Christum mentietur. Sic lego cum antiquioribus et melioribus mss. In 8 rec. et editis est *se ipse;* in Brun. *se esse.* II Thessalon. II.

Verum. Supple, Christum.

Vincti adducentur. Mss. Tornes. *cuncti adducentur;* 1 Colb. *cuncti ducentur.*

Et pulvinaribus, etc. Pulvinaria erant proprie lecti, qui in deorum templis sterni solebant, in ara vel in editiore templi loco. In his collocabantur simulacra deorum. Atque inde *Lectisternia* nomen. Livius : *Curatum lectisternium et per triduum habitum, decemviris sacrorum curantibus, et pulvinaria in conspectu fuere Jovi et Junoni.* Et tum epulari solebant. Flaccus Ode 37, lib. I.

Τρίψουσιν. Sic vetustissimus codex Colbertinus. Mss. 5 Reg. rec., Rodr., 1 Colb., 1 Clarom. et 17 typis excusi ferunt Τρίψουσι. In Regio-Put. et 2 al. Reg. rec. legitur Τρίψωσιν, male, in Subjunctivo modo; et nihilominus idem Regio-Put. habet latine *conterent* in Indicativo, ut et 5 Colb., 1 Clarom. et Brun. Opsopœus et Isæus legere mallent Ῥίψουσι. Interpretatio Latina :

Conterent autem idola homines et divitias omnes.

In Sibyllinis carminibus Sermone 8.

Ἔργα δέ. Sermon. 3. Interpr. Lat.

Opera autem manufacta deorum exurentur.

Κατακαυθήσονται. Sic emendavi ex mss. Regio-Put. et 2 alius Reg. bonæ notæ. Optime, etiam ob metrum. Scripti 4 Reg. rec., 2 Colb., 1 Clarom. et 15 editi, συνεκκαύσονται.

Resurgent mortui. Ex Ezechiel. XXXVII, 5, etc., et Apocalyps. XX.

Ὁππότε. Serm. 3 Sibyllar. carmin. Interpret. Lat.

Cum autem dies iste acceperit diem fatalem, et ad mortales

Venerit judicium immortalis Dei,
Veniet super homines magnum judicium, et initium.

Sed hæc parum immutata sunt in textu.

Ταρτάρεον. Latine :

Tartareum autem chaos tunc ostendet terra dehiscens :
Venient autem ad tribunal Dei Regis omnes.

Οὐρανόν. (*Vide infra, col.*799, *lin.* 2.) Sermone 8. Latine :

Cœlum volvens terræ latebras aperiam;
Et tunc resuscitabo mortuos, fatum solvens
Et mortis stimulum, ac postea in judicium ducam.
Judicans piorum atque impiorum vitam hominum.

Digitized by Google

Et alio loco apud eamdem :

Οὐρανὸν εἰλίξων γαίης κευθμώνας ἀνοίξω ;
Καὶ τότ' ἀναστήσω νεκρούς, μοῖραν ἀναλύσας
Καὶ θανάτου κίνητρον, καὶ ὕστερον εἰς κρίσιν ἄξω,
Κρίνων εὐσεβέων καὶ δυσσεβέων βίον ἀνδρῶν.

Nec tamen universi tunc a Deo judicabuntur : sed ii tantum qui sunt in Dei religione versati. Nam qui Deum non agnoverunt, quoniam sententia de his in absolutionem ferri non potest, jam judicati damnatique sunt, sanctis litteris contestantibus, non resurrecturos esse impios in judicium. Judicabuntur ergo qui Deum scierunt, et facinora eorum, id est mala opera cum bonis collata ponderabuntur ; ut si plura et gravia fuerint bona justaque, dentur ad vitam beatam : si autem mala superaverint, condemnentur ad pœnam. Hic fortasse dixerit quispiam : Si est immortalis anima, quomodo patibilis inducitur, ac pœnam sentiens ? Si enim ob merita punietur, sentiet utique dolorem, atque ita etiam mortem. Si morti non est obnoxia, nec dolori quidem, patibilis igitur non est.

Huic quæstioni, sive argumento, a Stoicis ita occurritur : Animas quidem hominum permanere, nec interventu mortis in nihilum resolvi : sed eorum, qui justi fuerunt, puras, et impatibiles, et beatas ad sedem cœlestem, unde illis origo sit, remeare ; vel in campos quosdam fortunatos rapi, ubi fruantur miris voluptatibus : impiorum vero, quoniam se malis cupiditatibus inquinaverunt, mediam quamdam gerere inter immortalem mortalemque naturam, et habere aliquid imbecillitatis ex contagione carnis. Cujus desideriis ac libidinibus addictæ ineluibilem quemdam fucum trahant labemque terrenam ; quæ cum temporis diuturnitate penitus inhæserit, ejus naturæ reddi animas, ut si non extinguibiles in totum, quoniam ex Deo sunt, tamen cruciabiles fiant per corporis maculam, quæ peccatis insta, sensum doloris attribuit. Quam sententiam poeta sic explicavit :

Quin et supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes ; penitusque necesse est,
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt.

Hæc propemodum vera sunt. Anima enim, cum divortium fecit a corpore, est, ut ait idem poeta,

Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

quia spiritus est ipsa tenuitate incomprehensibilis : sed nobis, qui sumus corporales ; Deo autem, cui subjacet posse omnia, comprehensibilis.

CAPUT XXI.

De cruciatibus et pœnis animarum.

Primum igitur dicimus, tantam esse Dei potestatem, ut etiam incorporalia comprehendat, et quemadmodum voluerit, afficiat. Nam et Angeli Deum metuunt, quia castigari ab eo possunt inenarrabili quodam modo ; et dæmones reformidant, quia torquentur ab

VARIORUM NOTÆ.

Εἰλίξων. Ex variis lectionibus hanc elegi, quæ est manuscriptorum 3 Reg., 2 Colbert., 1 Clarom. et 8 edit. Accedunt Regio-Put., 2 al. Reg. rec. et vet. edit. Rom. quibus est εἰλίξω, elapsa littera v. Edit. 8 εἰλίξας, non male ; edit. Paris. 1523, εἰλίσας. In Sibyllinis legitur εἰλίξει.

Εἰς κρίσιν ἄξω. Hæc lectio est manuscriptorum 6 Reg. antiq., 1 Colb., 1 Clarom. et 10 vulgatorum. In Brun. legitur *in judicium ducam ;* in 1 Colb. ἄξει ; in Sibyllinis et in ed. Is. ἥξει.

Jam judicati. Juxta illud verbum Dominicum, *Qui non credit, jam condemnatus est.* Joannis cap. III, v. 18.

Non resurrecturos esse impios in judicium. Psalm. I. Scilicet quoad discussionem meritorum, non autem quoad distributionem pœnarum. Alioquin falsum hoc esset, ex Daniel. cap. XII, v. 2 ; Joan. cap. V, v. 29 ; et Act. XXIV, v. 15. Addidi *esse* ex 5 vet. editis cunctisque mss. præter 1 Reg. rec. a quo abest, ut ab impressis octo. Non resurgent quidem impii, ut gloriæ sint cum justis participes, sed æterna morte, æternisque pœnis mulctentur, juxta illud : *Ite, maledicti, in ignem æternum.* Vide infra Lact. c. 22, in fine, et c. 26.

Bona justaque, dentur ad vitam. Sic edit. Rom. 1470, Florentina, Egn., Paris. 1525, Crat., Graph., Is., Cellar., vetus Versio Gallica cum omnibus mss. præter 1 Reg. rec. qui habet *justificentur*, ut 12 impressi. At *justificentur* non est styli Lactantiani. Non numerice comparabuntur bona et mala : innumeris bonis præponderabit vel unum peccatum mortale, si morientem inquinaverit.

Patibilis inducitur. Sic infra, bis *patibilis*, et cap. 21, ita antiquiores editi. At mss. 12 rec. et 4 edit. *passibilis.*

Pœnam sentiens. Mss. 7, rec. totidemque editi rec. *pœnæ sentiens.*

Patibilis. 5 scripti rec. *passibilis.*

A Stoicis. Epiphanius aliter de Stoicorum dogmate scribit. Vide Plut. in Placitis, lib. IV, cap. 7. Hujus hæc verba sunt οἱ Στωικοὶ, etc. *Dicunt Stoici exeuntem e corpore* (animam) *simul cum concreto interire, eam scilicet quæ sit imbecillior, quales sunt ineruditorum animæ : validiores, quales sunt sapientum, durare usque ad conflagrationem.*

Impatibiles. Unus Brun. *Impassibiles.*

Origo sit. Mss. 7 rec. et 5 edd. *Origo est.*

In campos quosdam fortunatos. Id est, *in campos Elysios*, quos opinati fuerant poetæ.

Impiorum vero. Sic profecto legendum, supplendo et repetendo e superioribus *animas*, ad quas sequentia referuntur, *cujus desideriis ac libidinibus addictæ.... fucum trahant.* In 20 Mss. et 15 editis legitur *impios*, mendose.

Ineluibilem quemdam fucum trahant labemque terrenam. Mss. 3 rec. *ineluibilem quamdam secum trahant labem terrenam.* Utraque lectio bona. Lactant., lib. de Ira Dei, cap. 23, *ineluibiles sibi maculas inusserunt.*

Poeta. Virg., Æneid., VI, v. 735.

Poeta. Virgil., II Æneid., v. 702, ubi Creusæ umbra in somno Æneæ comparuit, quem versum transtulit Virgilius ex undecimo Odysseæ :

σκιῆ ἴκελον, ἠ καὶ ὀνείρῳ
ἵπτατο, etc.

Corporales. Ms. 1 Bonon. antiq. *carnales.*

Cui subjacet posse omnia. Clarom. *cui subjacent omnia.*—*Cui subjacet posse omnia.* Hoc verbo sæpe usus est ; e. g. de Ira, c. 18 : *Si Deo subjacet cogitare, sapere, intelligere*, etc. Maxime huc pertinet, l. I, c. 5 : *cujus* (Dei) *potestati subjacent omnia.* Omitto alia nostri loca. Sæpe ita utitur Tertullianus. Bun.

Dæmones reformidant. 1 Bonon. antiq. et 4 edd. rec. perperam addunt vocem *Deum*, quæ mox præ-

Digitized by Google

eo ac puniuntur. Quid ergo mirum, si cum sint immortales animæ, tamen patibiles sint Deo? Nam cum in se nihil habeant solidum et contrectabile, a solidis et corporalibus nullam vim pati possunt: sed quia in solis spiritibus vivunt, a solo Deo tractabiles sunt, cui virtus ac substantia spiritalis est. Sed tamen docent nos sanctæ Litteræ, quemadmodum pœnas impii sint daturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, ut in corporibus piaculum solvant; et tamen non erit caro illa, quam Deus homini superjecerit, huic terrenæ similis: sed insolubilis ac permanens in æternum, ut sufficere possit cruciatibus, et igni sempiterno, cujus natura diversa est ab hoc nostro, quo ad vitæ necessaria utimur, qui nisi alicujus materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille divinus per seipsum semper vivit ac viget sine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum: sed est purus, ac liquidus, et in aquæ modum fluidus. Non enim vi aliqua sursum versus urgetur, sicut noster, quem labes terreni corporis, quo tenetur, et fumus intermixtus exilire cogit, et ad cœlestem naturam cum trepidatione mobili subvolare.

Idem igitur divinus ignis una eademque vi atque potentia, et cremabit impios, et recreabit, et quantum e corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse æternum pabulum submistrabit; quod poetæ in vulturem Tityi transtulerunt; ita sine ullo revirescentium corporum detrimento aduret tantum, ac sensu doloris afficiet. Sed et justos cum judicaverit, etiam in igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere, vel numero prævaluerint, perstringentur igni atque amburentur: quos autem plena justitia et maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient; habent enim aliquid in se Dei, quod vim flammæ repellat, ac respuat. Tanta vis est innocentiæ, ut ab ea ignis ille refugiat innoxius; qui accepit a Deo hanc potentiam, ut impios urat, justis obtemperet. Nec tamen quisquam putet animas post mortem protinus judicari. Nam omnes in una communi-

VARIORUM NOTÆ.

cessit. *Deum* (inquit Lactantius) *dæmones reformidant, quia torquentur ab eo et puniuntur.* Hinc vides dæmonum punitionem non reservatam usque ad judicii diem. Jacobi Epist. II.

Patibiles sint Deo. Hæc vox active et passive usurpatur. Vide supra ter.

Cui virtus. Mss. 3 rec. *cujus virtus.* Utraque lectio bona.

Sanctæ litteræ. Vide Joan. V, Cor. XV.

Sint daturi. In mss. 2 Regiis rec. et 15 editis est *laturi.* Utraque lectio bona.

Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur. Cum Justino, Irenæo et paucis ex priscis Patribus putavit (perperam) Lactantius, omne animarum judicium differri post corporum resurrectionem: idcirco, inquit, licet Deus virtute sua possit igne agere in animas etiam corpore exutas, tamen congruentius vult eas pati cum corpore, *quia in corpore peccaverunt,* et *ideo rursus carne induentur,* etc. *Ex* Isæo.

Igni sempiterno. Variæ hujus ignis sunt denominationes apud Veteres. Arnob., lib. II, *ignem ferum.* Idem, lib. IV, *inextinguibiles gehennæ flammas.* Cyprian. ad Demetr., *vivaces flammas.* Tertull. Apol., c. 48, *jugem ignem.* August. Serm. 17 de Pauli convers., *æternas flammas.* Alii aliter dixere. Elmenhorst.

Divinus. Scilicet *ignis.*

Ac liquidus. Liquidus ignis, a verbo *liquet,* est clarus ignis, qui nullo fumo turbidus est. Vide Turnebum.

Recreabit. Francius, de novo creabit, *fibris renatis,* ait Virgilius VI Æneid.

Quod poetæ in vulturem, etc. Homer. Odyss. II, et ex eo Virgil. VI Æneid.:

> Necnon et Tityon terræ omnipotentis alumnum
> Cernere erat, etc.

Tibull. I, Eleg. 3, Ovid. I de Pont., Eleg. 2. Meminerunt etiam alii, qui inferorum pœnas descripserunt, Lucretius, Silius, Lucianus, Claudianus, et Boccatius. Betul.

Revirescentium. Ita restitui ex edit. Betul. et Cellar. et omnibus fere mss. In 2 Reg. rec., Jun., Pen. et 6 vulgatis legitur *reviviscentium;* in 1 Reg. et 10 excusis *virescentium.*

Sed et justos cum judicaverit, etiam in igni eos examinabit. In 3 mss. Reg. pro *etiam,* legitur *et.* Præpositione *in* carent 10 mss. rec. et 13 editi. Per *justos* intelligit Lactantius Christianos.

Tum quorum peccata. Error iste Lactantii de expurgandis igni justorum corporibus post universale judicium, rejectus est a scholis Theologorum. Vide Sixtum lib. V Biblioth., annotat. 170, 171. De hoc igne vide S. Thom. in 4 Sentent. distinct. 47, art. 4, ad 3; et ibid. S. Bonavent. quæst. 4, in fin., et in 7 parte Breviloq. cap. 4.

Vel numero. Vide supra, col. 799, notam *Bona justaque,* etc., versus finem.

Maturitas virtutis incoxerit. Reimm. *maturitas virtutis intoxerit,* prave: *incoxerit* est probe, penitus imbuerit. Respexit illa Persii citata Lact. I. II, c. 4:

> . . . . . incoctum generoso pectus honesto.
>
> Bun.

Ignem illum non sentient. Ignis ille, a S. Paulino Nolano dicitur *sapiens;* de quo sic ait epist. 28, alias 9, ad Severum: *Si iis operibus cives Sanctorum fieri mereamur, non ardebit opus nostrum; et ignis ille sapiens transeuntes nos per examen suum non severo ardore ambiet puniendos: sed ut commendatos suscipiens, blando lambet attactu, ut possimus dicere: Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium.*

Aliquid in se Dei, quod vim. Sic restitui ex 11 editis et omnibus mss. præter Ultr. et ed. Gymnic. quibus est, *aliquid in se quod;* in 4 vulgatis prave, *in se aliquid inde quod vim.* Veteres editiones sæculi XV nostræ lectioni consentiunt.

Ac respuat. Mss. 5 rec. totidemque editi, *rejiciat.*

Potentiam. Mss. rec. *potestatem,* ut editi.

Nec tamen quisquam putet, animas post mortem protinus judicari. Pœnas animarum et præmia differri in diem judicii universalis post corporum resurrectionem, atque eas interim in una communi custodia detineri Lactantius est opinatus, ut supra diximus hoc eodem capite. Idem senserunt et quidam antiquorum Patrum; fictitius Clemens Romanus, 1 Recognit. ad fin.; Justin. Mart. colloq. cum Tryphon. et quæst. 76; Irenæus, lib. V adv. hæres.; Tertullian., IV adv. Marcion. et lib. de Anim., cap. antepenult.; Origen. Homil. 7 in Levitic. et II et IV Principior.; Victorin. super Apocalyps. ad ea, *Vidi sub altare.* Aliter tamen sentit Ecclesia, tenetque pro certo, animas statim ab egressu corporum privatum subire judicium, aut ad pœnam, aut ad vitam beatam in cœlo. Idque firmatur exemplo mendici Lazari in sinu Abrahæ, et divitis epulonis in inferno, etc. Luc. cap. XVI. *Partim ex* Isæo. — Vide Sixtum lib. VI Bi-

Digitized by Google

que custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen. Tum quorum fuerit probata justitia, ii præmium immortalitatis accipient : quorum autem peccata et scelera detecta fuerint, non resurgent, sed cum impiis in easdem tenebras recondentur, ad certa supplicia destinati.

CAPUT XXII.

De errore poetarum, atque de animæ reditu ab inferis.

Figmenta hæc esse poetarum quidam putant, ignorantes unde illa poetæ acceperint, ac negant hæc fieri posse; nec mirum est ita illis videri. Aliter enim, quam res habet, traditur a poetis : qui licet sint multo antiquiores quam historici, et oratores, et cætera genera scriptorum; tamen quia mysterium divini sacramenti nesciebant, et ad eos mentio resurrectionis futuræ obscuro rumore pervenerat, eam vero temere ac leviter auditam in modum commentitiæ fabulæ prodiderunt. Et tamen iidem testati sunt, non auctorem se certum, sed opinionem sequi; ut Maro qui ait :

Sit mihi fas audita loqui.

Quamvis igitur veritatis arcana in parte corruperint; tamen ipsa res eo verior invenitur, quod cum prophetis in parte consentiunt : quod nobis ad probationem rei satis est. Errori tamen eorum subest ratio nonnulla. Nam cum prophetæ assiduis concionibus prædicarent, judicaturum esse de mortuis Filium Dei, et hæc annuntiatio non lateret, quoniam rectorem cœli non alium putabant esse, quam Jovem, judicare apud inferos Jovis filium tradiderunt : sed tamen non Apollinem, aut Liberum, aut Mercurium, qui cœlestes putantur, sed eum qui et mortalis fuerit, et justus, vel Minoem, vel Æacum, vel Rhadamantum.

Corruperunt igitur poetica licentia, quod acceperant; vel opinio veritatem per diversa ora sermonesque varios dissipata mutavit. Nam quod peractis apud inferos mille annis, rursus ad vitam restitui cecinerunt, Marone ita dicente :

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno,
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus et incipiant in corpora velle reverti :

hæc eos ratio fefellit, quod resurgent defuncti, non post mille annos mortis suæ : sed ut restituti rursus in vitam, mille annis cum Deo regnent. Deus enim veniet, ut orbe hoc ab omni labe purgato, redivivas justorum animas, corporibus innovatis, ad sempiternam beatitudinem suscitet. Itaque præter aquam oblivionis vera sunt cætera : quam idcirco finxerunt,

VARIORUM NOTÆ.

blioth. annotatione 343; Bellarminum lib. I de Sanctorum beatitudine, cap. 1, 2, 3, 4, 5, 6; Coccium, tom. I Thesauri Catholici, lib. V, art. 2.

Nam omnes in una communique custodia detinentur. Hoc plane ἄγραφον et ἀντίγραφον.

In easdem tenebras. Vide supra, col. 799, 801.

Qui licet sint multo antiquiores quam historici et oratores. Hæc controversia non facile dirimenda est, cum ex profanis poetis ultra Homerum non assurgitur. Quotquot enim fuisse dicuntur ante bellum Trojanum, ab ipsis poetis fictos docet Vossius de Re poetica. Homerum floruisse circa Samuelis tempora secundum nonnullos tradit Eusebius in Chronicis. Historiæ origo ad Cadmum refertur sub tempus Judicum Hebræorum; in quo calculo si quid sit veri, historiæ deferenda est antiquitatis laurea. Sed cum antiqua hæc incerta fere sint omnia, quæ in sacris litteris non continentur, sufficiat nobis longe antea Moysen, seu historiam speciem, seu poesin, in utraque excelluisse. *Hæc* SPARKIO. — Verum juxta Arundelliana marmora Epocha XXVIII, vixit Homerus desinente decimo ante vulgarem æram sæculo, annos trecentos post Trojanum excidium; Samuel vero obiit ante medium undecimi ante vulgarem æram sæculi, videlicet circa annum 1061 ante Christum natum.

Obscuro rumore pervenerat. Sic restitui ex antiq. et optimo ms. Regio-Put. et edit. Betul., Spark. et Walch. Et ita legendum esse censebat doctissimus Francius. Similiter apud Ciceronem lego *obscuro sermone* lib. III, epist. 4, ad Curionem. Plerique tum mss. exarati, tum typis excusi codices habent *obscurorum ore :* ubi vides easdem esse litteras cum *obscuro rumore.* 1 Reg. et 1 Colbert. ferunt *obscuro more;* ed. Is. *obscuro ore;* 1 Reg. *oraculorum more;* ms. Torn. et 4 editi *obscurior pervenerat.*

Ut Maro. Virgilius, Æneidos scilicet lib. VI, vers. 266.

Quod cum prophetis. Mss. 5 rec. *quo.*

Nam cum prophetæ, etc. Joann. V, Christus ipse ait, se judicandi provinciam a Patre accepisse. Psal. LXXI : *Deus, judicium tuum regi da.* Multi sunt passim apud prophetas loci, tam de magni diei judicio, quam de universali, quo peccatores verbo divino perpetuo condemnantur. BETUL.

Rectorem cœli. Mss. 1 Bonon. antiq. et 11 alii Reg. addunt *Dominum;* Cauc. et vulgati 4 *Deum.*

Sed eum. Sic restitui ex 1 Reg., 1 Bonon. antiq., 1 Lips. et Pal., 1, favente alio Reg. cui est *sed et eum.* Abest *eum* a 9 rec. mss. In 8 aliis et 13 edd. est *Deum.*

Minoem. De judicibus infernalibus vide Ciceronem in 1 Tusculanar. quæst. ex Platonis apologia. Hic, sicut et Æacus et Rhadamantus, filii Jovis erant, et ita justi et integri, ut digni habiti sint, qui inferis præficerentur. *Minos sedet arbiter orci,* ait Propertius lib. III, Eleg. 19. De Æaco sic Horatius, lib. II, Od 13.

Quam pene furvæ regna Proserpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum.

De Rhadamanto Virgil. lib. VI Æneid., v. 566.

Dissipata. Heum. et Buneman. legunt *dissipatam,* et hic ultimus in hanc varii ritem notam sequentem exhibet. — Sic non modo lib. VII, cap. 7 : *Veritatem* divisum... sparsam dixit, sed et *dissipatam.* Lib. II, cap. 10 : *Veritas a vulgo solet* variis sermonibus *dissipata corrumpi.* BUN.

Marone Virgilio VI, Æneid., 768.

Redivivas. 1 Lips., 1 Colb., 1 Clarom. *divinas;* sed male.

Præter aquam oblivionis, etc. Hinc illud Maronis :

Securos latices et longa oblivia potant.

Periphrasis Lethei fluminis. Ἡ λήθη oblivionem significat : unde Letheus fluvius. De hoc fluvio lege Macrob. lib. I, Som. Scip. cap. 22.

Digitized by Google

ne quis illud opponeret : Cur ergo non meminerunt se aliquando vixisse, aut qui fuerint, aut quæ gesserint? Sed nihilominus tamen verisimile non putatur; et res tota velut licenter et fabulose ficta respuitur. Nobis autem de resurrectione affirmantibus, et docentibus animas ad alteram vitam non oblitas sui, sed in eodem sensu ac figura esse redituras, illud opponitur. Tot jam sæcula transierunt : quis unquam unus ab inferis resurrexit, ut exemplo ejus fieri posse credamus? At enim resurrectio fieri non potest, dominante adhuc injustitia. Hoc enim sæculo necantur homines vi, ferro, insidiis, venenis ; afficiuntur injuriis, egestate, carceribus, tormentis, proscriptionibus. Eo accedit, quod justitia invisa est; quod omnes, qui Deum sequi volunt, non tantum odio habentur : sed vexantur omnibus contumeliis, et excruciantur multiplici genere pœnarum, et ad impios cultus manufactorum deorum non ratione, aut veritate, sed nefanda corporum laceratione coguntur.

Num igitur oportet ad hæc eadem resurgere, et reverti homines ad vitam, in qua tuti esse non possint? Cum ergo justi tam viles habeantur, tam facile tollantur, quid putemus futurum fuisse, si quis ab inferis rediens vitam postliminio recepisset? Auferretur profecto ab oculis hominum ; ne viso eo, vel audito, deos universi relinquerent, et ad unius se Dei cultum religionemque converterent. Ergo semel fieri resurrectionem necesse est, cum malum fuerit ablatum ; quoniam eos, qui resurrexerint, nec mori jam ulterius, nec violari ullo modo fas est, ut beatam possint agere vitam, quorum mors resignata est. Poetæ vero cum scirent, hoc sæculum malis omnibus redundare, oblivionis amnem induxerunt, ne laborum ac malorum memores animæ reverti ad superos recusarent ; unde Virgilius :

> O pater, anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum est
> Sublimes animas, iterumque ad tarda reverti
> Cor, ora ? Quæ lucis miseris tam dira cupido ?

Ignorabant enim quomodo, aut quando id fieri oporteret. Itaque renasci eas putaverunt, et denuo ad mortem revolvi, atque ad infantiam regredi. Unde etiam Plato de anima disserens, ex hoc ait posse cognosci animas esse immortales atque divinas, quod in pueris mobilia sunt ingenia, et ad percipiendum faciles ; quod ea quæ discant, ita celeriter rapiant, ut non tunc primum discere illa videantur, sed recognoscere, atque reminisci : in quo vir sapiens poetis ineptissime credidit.

CAPUT XXIII.

De resurrectione animæ, atque ejus rei testimonia.

Non igitur renascentur, quod fieri non potest : sed resurgent, et a Deo corporibus induentur; et prioris vitæ factorumque omnium memores erunt ; et in bonis cœlestibus collocati, ac fruentes jucunditate innumerabilium copiarum, præsenti Deo gratias agent, quod malum omne deleverit, quod eos ad regnum vitamque perpetuam suscitarit. Qua de anastasi philosophi quoque dicere aliquid conati sunt tam corrupte, quam poetæ. Nam Pythagoras transire animas

VARIORUM NOTÆ.

Ne quis illud opponeret. Mss. 22 et edid. 9, *Illis.*

Tot jam sæcula transierunt : quis unquam unus ab inferis, etc. Hoc, ut jam olim Rigaltius observavit, habet a Minucio ex cap. 11 : *Tanta ætas abiit, sæcula innumera fluxerunt :* quis unus ullus ab inferis *vel Protesilai sorte remeavit, horarum saltem permisso commeatu, vel ut* exemplo crederemus? Idem Rigaltius dictionem *ullus* in Lactantio omissum dicit legi in *exemplari*, credo, Regio Parisiensi. Bun.

Eo accedit. Sic ms. Bonon. et priscæ edit. At mss. 27 et 7 ed. legunt *eodem.*

Manufactorum. Ita restitui ex vet. impressis 7 omnibusque mss. præter Marm. qui habet *manufabricatorum ;* Canc. et 1 Reg. rec. et 8 edit. *fabricatorum. — Manufactorum deorum.* Paris., Junt., Crat., Gymn., Isæus : *Manu factorum deorum.* Quod non debuissent editores reliqui mutare. Lib. VII. cap. 19 : *Non colentur ulterius* dii manufacti. Bun.

Habeantur, tam facile. Mss. 3 Reg. legunt *et tam facile ;* 1 Bonon. antiq. *ac tam facile;* edit. 5 *vi tam facile.*

Quorum mors resignata est. L. IV, c. 26 : *quid miraculo dignius, quam decursam vitam resignasse, completisque hominum temporibus tempora adjecisse, arcana mortis revelasse.* Buneman.

Virgilius. Æneid., lib. VI, v. 719. Verba profert Æneæ ad patrem.

Ad tarda reverti. Ms. Tornes. *remitti.*

Itaque. Sic restitui ex 12 vet. editis et omnibus mss. præter 1 Colbert. in quo est *Item.* In 6 vulgatis *Ita.*

Unde etiam Plato. Plato in Menon. et in Apolog. Socrat. quem locum refert Cicero 1 Tuscul.

Ita celeriter rapiant. Mss. 4 et 8 edd. *capiant.—Celeriter rapiant.* Sic Cicero in Cat. Major., c. 8, de hoc Platonis argumento : *Magnoque esse argumento homines scire pleraque antequam nati sint, quod jam pueri, quam artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari.* Buneman.

Uti non. Heuman. legit *ut non.*

Atque reminisci. Hæc Plato in Phædone ; unde Cicero Tusculan. I, cap. 24 : *Memoriam Plato recordationem esse vult superioris vitæ. — Sed recognoscere atque reminisci.* Hæc copiose refutat Arnobius, l. II, p. 58-64. Conf. Cic. 1 Tuscul. 24 : *Habent primum memoriam, et eam infinitam rerum innumerabilium, quam quidem* Plato recordationem *esse vult superioris vitæ..... ex quo effici vult Socrates, ut* discere *nihil aliud sit,* nisi recordari... se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere. Buneman.

Sed resurgent. Forsan hoc sano et suo sensu dicere potuit (ut puto) Lactantius. Id est, denuo suscitabit corporibus animandis aptas Deus ; sicut supra dixit *recreabit*, pro *de novo vivificabit.* Hoc metaphorice dictum. *Resurgent* scilicet, quando jamdiu mortuis corporibus suis a Deo rursus induentur. Non enim mortalem animam esse credidit Lactantius, qui ejus immortalitatem totis ingenii viribus probare nisus est.

Collocati, ac fruentes. Ita antiquiores et potiores mss. vetustioresque edd. Rom. et Gymnic. In scriptis 7 et 14 impressis est *collocatæ.*

Quod eos. Supple homines anima et corpore constantes.

Anastasi. Hic et infra ad hujusce capitis finem nomine græco latina terminatione utitur pro resurrectione ; sicut et *asystati*, pro instabilis, supra lib. III Div. Instit., cap. 6, post medium ; *Sophia*, lib. III cap. 16. *cataclysmus*, pro diluvium, lib. VI, cap. 11.

Pythagoras. De quo dictum est supra, libro III, cap. 18.

Digitized by Google

in nova corpora disputavit : sed inepte, quod ex hominibus in pecudes, et ex pecudibus in homines, et seipsum ex Euphorbo esse reparatum. Melius Chrysippus, quem Cicero ait fulcire porticum Stoicorum, qui in libris, quos de Providentia scripsit, cum de innovatione mundi loqueretur, hæc intulit : τούτου δέ οὕτως ἔχοντος, δῆλον ὡς οὐδὲν ἀδύνατον, καὶ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι, πάλιν περιόδων τινῶν εἱλημμένων χρόνου, εἰς ὃν ἐσμεν καταστήσεσθαι σχῆμα. Sed nos ab humanis ad divina redeamus. Sibylla dicit hæc :

Δύσπιστον γὰρ ἅπαν μερόπων γένος : ἀλλ' ὅταν ἤδη
Κόσμου καὶ θνητῶν ἔλθῃ κρίσις, ἣν θεὸς αὐτὸς
Ποιήσει κρίνων δισσεῖς θ' ἅμα εὐσεβίας τε,
Καὶ τότε δυσσεβίας μὲν ἐπὶ ζόφον ἐν πυρὶ πέμψει.
Ὅσσοι δ' εὐσεβέουσι, κάλιν ζήσουσ' ἐπὶ γαίης,
Πνεῦμα θεοῦ δόντος τιμὴν ἅμα καὶ βίον αὐτοῖς.

Quod si non modo prophetæ, sed etiam vates, et poetæ, et philosophi anastasim mortuorum futuram esse consentiunt; nemo quærat a nobis, quemadmodum fieri possit. Nec enim divinorum operum reddi potest ratio. Sed si a principio Deus hominem nescio quo inenarrabili modo instituit; credamus ab eodem restitui veterem posse, qui novum feci.

CAPUT XXIV.

De renovato mundo.

Nunc reliqua subnectam. Veniet igitur summi et maximi Dei Filius, ut vivos ac mortuos judicet, testante atque dicente Sibylla :

Πάσης γὰρ γαίης τότε θνητῶν σύγχυσις ἔσται,
Αὐτὸς ὁ παντοκράτωρ ὅτ' ἂν ἦλθῃ βήματι κρῖναι
Ζῶντων καὶ νεκύων ψυχάς, καὶ κόσμον ἅπαντα.

Verum ille, cum deleverit injustitiam, judiciumque maximum fecerit, ac justos, qui a principio fuerunt, ad vitam restauraverit, mille annis inter homines versabitur, eosque justissimo imperio reget. Quod alibi Sibylla vaticinans furensque proclamat :

Κλῦτε δή μου, μέροπες, βασιλεὺς αἰώνιος ἄρχει.

Tum qui erunt in corporibus vivi, non morientur : sed per eosdem mille annos infinitam multitudinem generabunt; et erit soboles eorum sancta, et Deo cara. Qui autem ab inferis suscitabuntur, ii præerunt viventibus velut judices. Gentes vero non extinguentur omnino : sed quædam relinquentur in victoriam

VARIORUM NOTÆ.

Cicero. In IV Academ., num. 75.

Stoicorum. Ii denominabantur a Στοα, id est Porticu, quo Athenis convenire ac disserere solebant de rebus philosophicis.

Quos de Providentia scripsit. Περὶ τῆς προνοίας. Citatur etiam hic liber a Plutarcho; non autem a Laertio.

Τούτου δέ. Latine : *Quod cum ita sit, apparet nihil esse impossibile, et nos cum vitam finierimus, rursus spatiis quibusdam revolutis temporis, in hunc statum in quo nunc sumus restitui.*

Sibylla dicit hæc. 1 Lips. *Sibylla dicit.* Mss. 5 rec. et 7 edit. *Sibylla iterum dicit*, expuncto *hæc*. Libri Sibyllini, Serm. 4, sub initium.

Δύσπιστον. Interpret. Lat. :

Difficile enim ad credendum omne hominum genus : sed cum jam
Mundi et mortalium venerit judicium, quod Deus ipse
Faciet judicans impios simul et impios,
Tunc demum impios quidem in tenebras in ignem mittet.
Qui autem pietatem colunt, iterum vivent in terra,
Spiritu Dei dante honorem simul et vitam ipsis.

Καὶ τότε. Hi versus in Sibyllino codice paulo aliter leguntur.

Τιμὴν ἅμα καὶ βίον αὐτοῖς. Ita mss. 5 Reg., 2 Colb., 1 Clarom., edit. Rom. 1470, 1474, aliique editi. Pro τιμὴν *honorem*, est ψυχὴν *spiritum*. Ms. a Colomesio visus et Sibyllin.

. . . . Ζωὴν δ' ἅμα χάριν αὐτοῖς.]

Lat. :

Vitam simul et gratiam ipsis.

Et poetæ. Abest a ms. Tornesiano.

Anastasim. Mss. septem rec. *anastasin.*

Qui novum fecit. Sic Prudentius : *Qui potui formare novum, reparabo peremptum. — Credamus... restitui veterem posse, qui... fecit.* Ita Minucius Felix, c. 34 : *Cæterum quis tam stultus aut brutus est ut audeat repugnare, hominem a Deo, ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari... sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reformari ?* Conf. Tertull., Apolog., c. 48. BUNEMAN.

Ut vivos ac mortuos, etc. Teste hoc Scriptura, et salva fide Catholica dicitur; utinam cætera pari dexteritate dicerentur. Viventium nomine illos intelligimus, quos Domini adventus residuos ac superstites inveniet. Cujus rei testimonia luculentissima habentur in Epistolis Paulinis : nam. II Tim. IV, 1, ait : *Coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos.* Et in priori ad Thessalonicenses, cap. 4 : *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quod nos qui vivimus, et residui erimus in adventum Domini, non prævenient eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu et voce archangeli ac tuba Dei descendet de cœlo, et mortui in Christo resurgent primi : deinde nos qui vivemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus, in occursum Domini in aera, et sic semper cum Domino erimus.* In his verbis nullius terreni regni fit mentio. Cæterum per *mortuos* intelligimus eos qui ante magni judicii diem fuerint mortui.

Πάσης γὰρ. Sibylla Serm. 8. Lat. :

Totius enim terræ tunc mortalium confusio erit,
Et ipse omnipotens cum venerit in tribunali judicare
Vivorum mortuorumque animas, et mundum universum.

Restauraverit. Ita mss. et editi. Betuleius et Francius legendum censent *instauraverit*, negantes verbum *restaurare* esse latinum. Reperitur tamen apud Tacitum.

Mille annis inter homines versabitur, etc. Fabulæ sunt, et Millenariorum error, de quo vide, Eusebium lib. VII Hist. cap. 22, et Hieronymum in Papia.

Κλῦτε δέ. Latine :

Audite me homines, rex sempiternus dominatur.

Quæ verba non leguntur in codice carminum Sibyllinorum.

Tum qui erunt. Error est ut supra.

Sed per eosdem mille annos infinitam multitudinem generabunt. Hæc animadverte : Quæ tribus istis postremis hujus libri capitibus, nempe 24, 25, 26, Lactantius prolixe disputat de resurrectione prima hominum; de aureo Christi mille annorum regno in terris post resurrectionem primam; de alligatione diaboli per mille annos, ejusque solutione, ac prælio Gog et Magog, ex perperam intellectis vaticiniis Apocalypsis XX, sunt ea ferme omnia a sensu Scripturæ Sacræ, et ab Ecclesiæ sanctorumque Patrum doctrina prorsus aliena, ac palam erronea, ut fuse ostendit p. Thomas Malvenda Theologus Dominicanus, lib. I, cap. de Antichristo, a cap. 3 ad 11.

Digitized by Google

Dei, ut triumphentur a justis, ac subjugentur perpetuæ servituti. Sub idem tempus etiam princeps dæmonum, qui est machinator omnium malorum, catenis vincietur; et erit in custodia mille annis cœlestis imperii, quo justitia in orbe regnabit, ne quod malum adversus populum Dei moliatur. Post cujus adventum congregabuntur justi ex omni terra; peractoque judicio, civitas sancta constituetur in medio terræ, in qua ipse conditor Deus cum justis dominantibus commoretur. Quam civitatem Sibylla designat, cum dicit:

Καὶ πόλιν, ἣν ἐποίησε θεὸς, αὐτὴν ἐποίησε
Λαμπροτέραν ἄστρων, καὶ ἡλίου, ἠδὲ σελήνης.

Tunc auferentur a mundo tenebræ illæ, quibus offunditur atque obcæcatur cœlum; et luna claritudinem solis accipiet, nec minuetur ulterius. Sol autem septies tanto, quam nunc est, clarior fiet. Terra vero aperiet fœcunditatem suam, et uberrimas fruges sua sponte generabit: rupes montium melle sudabunt, per rivos vina decurrent; et flumina lacte inundabunt. Mundus denique ipse gaudebit; et omnis rerum natura lætabitur, erepta et liberata dominio mali, et impietatis, et sceleris, et erroris. Non bestiæ per hoc tempus sanguine alentur, non aves præda: sed quieta et placida erunt omnia. Leones et vituli ad præsepe simul stabunt: lupus ovem non rapiet, canis non venabitur, accipitres et aquilæ non nocebunt: infans cum serpentibus ludet. Denique tunc fient illa, quæ poetæ aureis temporibus facta esse jam Saturno regnante dixerunt. Quorum error hinc exortus est, quod prophetæ futurorum pleraque sic proferunt et enuntiant, quasi jam peracta. Visiones enim divino spiritu offerebantur oculis eorum, et videbant illa in conspectu suo quasi fieri, ac terminari. Quæ vaticinia eorum cum paulatim fama vulgasset, quoniam profani a sacramento ignorabant quatenus dicerentur, completa jam esse veteribus sæculis illa omnia putaverunt, quæ utique fieri complerique non poterant homine regnante. Cum vero deletis religionibus impiis, et scelere compresso, subjecta erit Deo terra,

Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem.
Robustus quoque jam tauris juga solvet arator.
Tunc etiam molli flavescet campus arista;
Incultisque rubens pendebit sentibus uva;
Et duræ quercus sudabunt roscida mella,
Nec varios discet mentiri lana colores.
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.

Quæ poeta secundum Cumeæ Sibyllæ carmina prolocutus est. Erytræa vero sic ait:

VARIORUM NOTÆ.

Subjugentur. De Morte pers., c. 16: *Triumphatores currui tuo subjugantem* (sic unicus qui superest ms. codex) *victi ac virtute tua subjugati sunt.* Bun.

Sub idem tempus, etc. Hoc est seminarium totius Millenarii erroris, desumptum ex xx Apocalypseos capite minus bene intellecto. Vide ibidem verba Joannis; quæ quomodo intelligenda sint ante cætera enarravit atque edisseruit S. Augustinus lib. xx Civit. Dei, cap. 7, et sequentibus aliquot ordine: et post ipsum retulit Eugippius, tom. 1, cap. 134 et seq. Betul.

Erit in custodia. Vide Apoc. xx.

Post cujus adventum. Cujus scil. Filii Dei. Redit ad dicta infra, *Veniet summi et maximi Dei Filius.* Bun.

Civitas sancta. Apoc. xi.

Sibylla, etc. Sermone quinto: ubi versus nonnihil variant. Lactantiana tamen lectio magis arridet.

Καὶ πόλιν. Latine:

Et urbem quam fecit Deus, eam fecit
Splendidiorem stellis, et sole, et luna.

Quibus offunditur atque obcæcatur cœlum. Ita restitui ex mss. Regio-Put., 3 al. Reg., 3 Colbert. aliisque, et editis Rom. 1470, et Ald. In. 9 scriptis et 6 impressis est, *offundetur atque obcæcabitur cœlum*; in mss. Betul. et 9 editis, *offundebatur atque obcæcabatur.*

Claritudinem. Mss. 9 rec. *claritatem.*

Sol autem, etc. Locus est Isaiæ xxx. Sed quomodo hoc intelligendum sit, docet idem Esaias, cap. lx, sic inquiens: *Non erit tibi ultra sol in lucem dierum, et in splendorem luna non lucebit tibi: et erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in magnificentiam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non contrahetur: quia Dominus erit tibi in lucem sempiternam*, etc. *Sempiternam* dixit prophetes, non millenariam. Et Joannes postquam civitatem descripsit: *Et civitas*, inquit, *non eget sole neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminat eam, et lucerna ejus est Agnus*, etc. Quibus verbis χιλιασμὸς funditus tollitur. Sed de septima et octava ætate sæculi futuri, sicut de die Domini, de tempore Antichristi, lege Bedam de Natura rerum, cap. 76 et deinceps aliquot ordine sequentibus. Betul.

Rupes montium melle sudabunt. Vide Ovidium de sæculo aureo. *Quæ opinio* (millenariorum) *esset utcumque tolerabilis*, ait Augustinus, *si aliquæ deliciæ spirituales in illo sabbato adfuturæ sanctis per Domini præsentiam crederentur.* S. August. de Civit. Dei lib. xx, cap. 7. — *Mella sudabunt.* In Epitome, c. 72, hæc et proxima ita variat: *Stillabunt mella de rupibus, lactis et vini fontes exuberabunt.* Bun.

Mali, et impietatis, et sceleris, et erroris. Addidi *et sceleris* ex 17 editis omnibusque mss., nisi quod in Regio-Put. est *terroris.*

Leones et vituli, etc. Esaias c. lxv: *Lupus et agnus pascent una, et leo sicut bos comedet fœnum, et serpenti pulvis panis ejus*, etc. Et in eamdem sententiam sunt etiam in xi cap. Quæ omnia de Ecclesia, Christi regno nimirum pacifico, quo tyranni etiam se Christo subjicient, intelligenda sunt. Betul.

Quæ poeta. Virg. II Georg., in fin.; Ovid. I Metam., init.

Exortus est. Sic lego cum quamplurimis antiquioribus et melioribus mss. et 5 vet. edd. In 7 scriptis rec. et 12 vulgatis *ortus est.*

Videbant illa. Mss. Jun., Cant. et 5 edit., *videbantur illa.*

Profani a sacramento. Id est arcanorum religionis ignari. Conf. lib. ii, cap. 15; ibid, cap. 16. Bunem.

Ignorabant quatenus dicerentur. I Reg. rec. et 7 vulgati, *diceretur.*

Cedet et ipse. Versus hi sunt ex Pollione Maronis, quam Eclogam quartam interpretes communi consensu de primo Christi adventu, etiam veteres theologi interpretantur, non secundo. Videnda Eusebii verba ex Constantini Magni Vita. Nefandum est Lactantium non solum versuum ordinem, sed et voces aliquas immutasse.

Jam suave rubenti. Sequor mss. et omnes fere editos. In nonnullis vulgatis est *tam suave.* At *jam* sequentia requirunt.

Prolocutus est. Ita restitui ex 4 vet. editis omnibusque mss. præter 1 Reg. rec. et vet. edit. Paris.,

Digitized by Google

Οἱ δὲ λύκοι σὺν ἀρνάσσι· τὸ σύρεσιν ἀμιλλόδονται·
Νόρτον γὰρ λύκες τ' ἐρίφοισιν ἅμα βόσκονται,
Ἄρκτοι σὺν μόσχοισιν ὁμοῦ καὶ πᾶσι βροτοῖσι·
Σαρκοβόρος τε λέων φάγεται ἄχυρον παρὰ φάτναις,
Σὺν βρέφεσίν τε δράκοντες ἀμάτορσι κοιμήσονται.

Et alio loco de ubertate rerum :

Καὶ τότε δὴ χάρμην μεγάλην θεὸς ἀνδράσι δώσει·
Καὶ γὰρ γῆ καὶ δένδρα, καὶ ἄσπετα θρέμματα γαίης
Δώσουσι καρπὸν τὸν ἁληθινὸν ἀνθρώποισι
Οἴνου καὶ μέλιτος γλυκεροῦ, λευκοῦτε γάλακτος,
Καὶ σίτου, ὅπερ ἐστὶ βροτοῖς κάλλιστον ἁπάντων.

Et alia eodem modo :

Εὐσεβέων δὲ μόνων ἁγία χθὼν πάντα τάδ' οἴσει
Πᾶρα μέλιτος ἀπὸ πέτρης ὑδ' ἀπὸ πηγῆς,
Καὶ γάλα τ' ἀμβροσίης ῥείσει πάντεσσι δικαίοις.

Vivent itaque homines tranquillissimam vitam et copiosissimam, et regnabunt cum Deo pariter; et reges gentium venient a finibus terræ cum donis ac muneribus, ut adorent et honorificent Regem magnum, cujus nomen erit præclarum ac venerabile universis nationibus, quæ sub cœlo erunt, et regibus qui dominabuntur in terra.

CAPUT XXV.

De postremis temporibus, ac de urbe Roma.

Hæc sunt, quæ a prophetis futura dicuntur : quorum testimonia et verba ponere opus non esse duxi; quoniam esset infinitum, nec tantam rerum multitudinem mensura libri caperet, tam multis uno spiritu similia dicentibus, simulque ne fastidium legentibus fieret, si ex omnibus collecta et translata congererem; præterea ut ea ipsa quæ dicerem, non nostris, sed alienis potissimum litteris confirmarem, doceremque non modo apud nos, verum etiam apud eos ipsos qui nos insectantur, veritatem consignatam teneri quam recusant agnoscere. Si quis autem diligentius, hæc voluerit scire, ex ipso fonte hauriat, et plura, quam nos in his libris complexi sumus, admirabilia reperiet. Fortasse quispiam nunc requirat, quando, ista quæ diximus, sint futura. Jam superius ostendi, completis annorum sex millibus mutationem istam fieri oportere, et jam propinquare summum illum conclusionis extremæ diem. De signis quæ prædicta sunt a prophetis, licet noscere; prædixerunt enim signa, quibus consummatio temporum, et expectanda sit nobis in singulos dies, et timenda. Quando tamen compleatur hæc summa, docent ii qui de temporibus scripserunt, colligentes ea ex litteris sanctis et ex variis historiis, quantus sit numerus annorum ab exordio mundi . qui licet varient, et aliquantum numeri eorum summa dissentiat, omnis tamen expectatio non amplius quam ducentorum videtur annorum. Etiam res ipsa declarat, lapsum ruinamque rerum brevi fore : nisi quod incolumi urbe Roma nihil istiusmodi videtur esse metuendum. At vero cum caput illud orbis occiderit, et ῥύμη esse cœperit, quibus est *perlocutus est*. Mss. 1 Reg. rec. 1 Colb. et 10 impressi, *prælocutus est*.

Οἱ δὲ λύκοι. Sibyllina carmina Sermone 3. Latine :

Nec lupi cum agnis in montibus dimicabunt;
Herbamque lynces cum hædis pariter pascentur.
Ursi cum vitulis simul, omnibusque pecoribus.
Carnivorus leo comedet paleas ad præsepia,
Cumque infantibus dracones matris orbis dormient.

Καὶ τότε. Eodem Serm. 3. Latine :

Et tunc gaudium magnum Deus hominibus dabit;
Etenim terra et arbores, et innumerabilia pecora terræ
Dabunt fructum verum hominibus
Vini et mellis dulcissimi, candidique lactis;
Et tritici, quod est hominibus optimum omnium.

Χάρμην. Sic reposui ex mss. Reg.-Put. aliisque 5 Reg. bonæ notæ. In 6 rec. et in editis legitur χαράν; in 1 Colb. λαράν.

Ἄσπετα θρέμματα γαίης. Sic omnes cum mss. tum editi. In Sibyllinis legitur ἄσπετα ποίμνια μήλων, id est, *innumerabiles greges ovium*.

Γλυκεροῦ. Ita restitui ex mss. Reg.-Put. aliisque 2 Regiis, Sibyllinis ac edit. Rom. 1470, faventibus 1 Colbert. cui est γλυτέρου; 4 Reg. rec., 1 Clarom. γλυκυτέρου, repugnante metro; 1 Colb. γλυκιτέρου. In editis est γλυκέως.

Εὐσεβέων. Sermone 5. Sibyllinus codex, Ἑβραίων. Interpret. Lat. :

Piorum autem solorum sancta terra omnia hæc feret,
Fluentum mellis de petra et de fonte;
Et lac immortalitatis manabit omnibus justis.

Vivent... tranquillissimam vitam et copiosissimam. Sic editiones Thomasii et Gall. idque bene. Mss. multi et editi quamplurimi in quarto casu. Vide quæ annotavi ad librum v Divin. Institut. cap. 20, ante finem. Mss. Oxonienses addunt *ducentes*; 2 Colb. pro *vivent* habent *ducentes* : Goth. *Vivent tranquillissima et copiosissima vita*; 1 Lips. *Vivent tranquilli in copiosissima vita*. Cæterum lectio, ut in textu, est genuina, et Ciceroniana.

Honorificent. Quæ vox non est puræ latinitatis : reperitur quoque libro de Ira Dei, cap. 23 et ultimo.

Si quis autem. Mss. rec. et 7 edd. vet. *Qui autem*. —*Qui autem. Si quis autem* lectio non aspernanda, ut lib. v, c. 22 : *Si quis autem volet scire plenius..... sumat*. Bun.

Nunc requirat. Ms. 1 Bonon. antiq. *hoc requirat*.

Jam superius ostendi, completis annorum sex millibus mutationem istam fieri oportere. Animadversio. Vide Notas superius ad caput 24. Quod tamen hic addit Lactantius, a suo tempore ad finem usque mundi tantum superfuisse ducentos annos, et experientia ipsa, et manifesta ratione erroris convincitur. Vide lib. de Antichristo P. Thomæ Malvendæ theologi Dominicani lib. II, cap. 30.

Et aliquantum. Mss. 4 Colbert., 1 Clarom. ac 6 edit. *et aliquantulum*.

Non amplius quam ducentorum videtur annorum. Quæ de futura mundi con ummatione tradidit, ridicula esse procul dubio intelligimus, cum non modo ducenti anni post Lactantium, sed plus mille ac quadringenti transierint, neque orbis incendio absumptus sit, et adhuc expectare jubemur. Scimus autem, quæ ab eo de sexto millesimo dicuntur, a plurimis Hebræis, Græcisque ac nostris pro certis affirmari. Sed mihi videntur qui ea investigant, quæ hominibus nosse non licet, quantum in eis est, maximam Deo injuriam facere, præter quem neminem futura nosse scimus. Ne vero aliquem exceptum credamus, cum Christus discipulis suis omnia signa, quæ sæculi consummationem præcessura erant, aperuisset, eum diem hominibus ignotum esse asseveravit : *De die illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater*.

Et ῥύμη esse cœperit. Ita legunt editi Plantin., Ald.

Digitized by Google

rit, quod Sibyllæ fore aiunt, quis dubitet venisse jam finem rebus humanis, orbique terrarum? Illa, illa est civitas, quæ adhuc sustentat omnia: precandusque nobis et adorandus est Deus cœli, si tamen statuta ejus et placita differri possunt, ne citius quam putemus tyrannus ille abominabilis veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cujus interitu mundus ipse lapsurus est. Nunc ad cætera exequenda redeamus, quæ deinceps secutura sunt.

CAPUT XXVI.

De dæmonis emissione, altereque maximo judicio.

Diximus paulo ante, in principio regni sancti fore, ut a Deo princeps dæmonum vinciatur. Sed idem, cum mille anni regni, hoc est septem millia cœperint terminari, solvetur denuo, et custodia emissus exibit; atque omnes gentes, quæ tunc erunt sub ditione justorum, concitabit, ut inferant bellum sanctæ civitati; et colligetur ex omni orbe terræ innumerabilis populus nationum, et obsidebit, et circumdabit civitatem. Tunc veniet novissima ira Dei super gentes, et debellabit eas usque ad unum: ac primum concutiet terram quam validissime et a motu ejus scindentur montes Syriæ; et subsident colles in abruptum; et muri omnium civitatum concident, et statuet Deus solem triduo ne occidat; et inflammabit eum; et descendet æstus nimius, et adustio magna supra perduelles et impios populos, et imbres sulfuris, et grandines lapidum, et guttæ ignis; et liquescent spiritus eorum in calore, et corpora conterentur in grandine, et ipsi se invicem gladio ferient; et replebuntur montes cadaveribus, et campi operientur ossibus. Populus autem Dei tribus illis diebus sub concavis terræ occultabitur; donec ira Dei adversus gentes, et extremum judicium terminetur.

Tunc exibunt justi de latebris suis, et invenient omnia cadaveribus atque ossibus tecta. Sed et genus omne impiorum radicitus interibit; nec erit in hoc mundo ulla jam natio amplius, præter solam gentem Dei. Tum per annos septem perpetes intactæ erunt silvæ; nec excidetur de montibus lignum. Sed arma gentium comburentur; et jam non erit bellum, sed pax, et requies sempiterna. Cum vero completi fuerint mille anni, renovabitur mundus a Deo, et cœlum complicabitur, et terra mutabitur; et transformabit Deus homines in similitudinem angelorum; et erunt candidi sicut nix; et versabuntur semper in conspectu Omnipotentis, et Domino suo sacrificabunt, et servient in æternum. Eodem tempore fiet secunda illa et publica omnium resurrectio, in qua excitabuntur injusti ad cruciatus sempiternos. Ii sunt qui manu facta coluerunt; qui Dominum mundi ac parentem vel nescierunt, vel abnegaverunt. Sed et dominus illorum cum ministris suis comprehendetur, ad pœnamque damnabitur; cum quo pariter omnis turba impiorum pro suis facinoribus, in conspectu angelorum atque justorum, perpetuo igni cremabitur in æternum.

VARIORUM NOTÆ.

1535, Gymnic., Fasitel. aliique novem, et antiquiores ac meliores mss. codices Reg. Ῥύμη, *vicus*. Aliis est πύρ; 4, πύριν, πηρρει; Oxoniensibus *pyra*; Brun. *pyran*; 1 Reg. *pyre*.

Sibyllæ. Carm. Sibyll. Serm. 3 et 8.

Illa, illa est civitas. Sic lego cum antiquissimo Regio-Put., 2 al. Reg. bonæ notæ, 1 Colb., Pen., Ultr., 1 Clarom., 2 Brun. In editis legitur *Illa est enim*; in pluribus mss. et 2 vet. editis non repetitur *illa*, nec est *enim*.

Precandusque nobis. Istud verbum ad activum et passivum Lactantio commune est. Sic et Ausonius passive usus est. *Deus precandus est mihi*.

Abominabilis. Sic amat loqui Lactantius, ut jam superius annotavi: quod librarii per emendationem in 4 mss. et 13 editis mutaverunt in *abominandus*.

Diximus, etc. Multas hoc in capite nectit fabulas auctor noster: quare lectorem monemus, ne nimis credulus his fidem habeat.

Tunc veniet Hæc similia sunt iis quæ prophetizat Ezechiel c. XXXVIII. Ac nescio an non sint prorsus eadem. Et similia, imo vero multo atrociora sunt apud Sibyllas, Sermone 3, quæ, quia pluscula sunt, annotare supersedeo. BETULEIUS.

Et debellabit eas. Mss. 1 Reg. et 1 Brun. *et delebit eas*. Optima quoque lectio 7 rec. et 12 vulgati, *et debellabit eos*. Vide Apocalyp. XVI.

Usque ad unum. Mss. 2 rec., ed. Rom. 1470, *usque ad inunum*. Sed Heumannus recte legit *usque ad unam*.— *Usque ad unum*. Ut Cæs. I. II B. civ., c. 14: *Qui de servis liberisque omnibus ad impuberes supplicium sumit, et ad unum interficit*. BUN.

Concident. Ita 4 vet. edit. et omnes mss. præter 1 Reg. rec., cui est *corruent*, ut 11 excusis.

Occultabitur. Sublac. *occultatus erit*.

Et extremum judicium terminetur. Sic correxi ex 5 vet. editis cunctisque mss. præter 1. Reg. rec., in quo est *terminet*, ut in 9 impressis, sine præcedente copula.

Perpetes. Ut de Mort. pers. c. 33, *per annum perpetem*. Epit. cap. 71: *Genitus perpetes*. BUN.

Renovabitur, etc. Vide Isaiam c. LXV et LXVI; et Apocalyps. XXI: *Erit cœlum novum, et terra nova?* Chiliastæ ansam errandi ex his verbis arripiunt. Hæc vero sensu interpretantur catholici bono. In Apocalypsi fit mentio mortis primæ atque secundæ: sed resurrectionis secundæ nulla prorsus est mentio. Chiliastæ vero colligunt, si prima sit, cur non etiam secunda? Eadem ratione poterant colligere, plures esse. Primum enim de pluribus, prius de duobus dicitur apud eos qui terse loquuntur. Quid quod Joannes ipse dicit, sanctum qui habet partem in resurrectione prima, in eo secundam mortem non habere potestatem? Ex quo sequitur ex secunda morte resurrectionem esse non posse. BETULEIUS.

Secunda illa et publica omnium resurrectio, in qua excitabuntur injusti ad cruciatus sempiternos. Dixit supra Lactantius, c. 21, *impios*, sanctis resurgentibus, ut cum Deo mille annis in terra dominentur, *in tenebras recondi, ad certa supplicia destinatos*. Quare jam communiscitur secundam resurrectionem, in qua illi a communi custodia *excitari* debeant *ad cruciatus sempiternos*. Inde enim videtur arripuisse errandi ansam, quod in Apocalypsi mentio fiat *primæ* resurrectionis, in qua cum justi suam habere partem dicantur, dari *secundam* infert, plectendis improbis accommodatam, quam quidem non omnino memorat D. Joannes. SPARE.

Excitabuntur. In 9 mss. rec. et 9 editis est, *excitabuntur impii*, in Florent. *exterminabuntur impii*. Sed *eos* quoque, *secunda resurrectione facta, Deus excitabit*, etc. Legitur in Epitomes capitis II fine.

Injusti. Mss. 9 rec. totidemque editi ferunt *impii*.

Digitized by Google

Hæc est doctrina sanctorum prophetarum, quam christiani sequimur : hæc nostra sapientia ; quam isti qui vel fragilia colunt, vel inanem philosophiam tuentur, tanquam stultitiam vanitatemque derident, quia nos defendere hanc publice atque asserere non solemus, Deo jubente, ut quieti ac silentes arcanum ejus in abdito atque intra nostram conscientiam teneamus ; nec adversus istos veri profanos, qui non discendi, sed arguendi atque illudendi gratia, inclementer Deum ac religionem ejus impugnant, pertinaci contentione certemus. Abscondi enim tegique mysterium quam fidelissime oportet, maxime a nobis, qui nomen fidei gerimus. Verum illi hanc taciturnitatem nostram, veluti malam conscientiam, A criminantur : unde etiam quasdam execrabiles opiniones de pudicis et innocentibus fingunt ; et libenter his, quæ finxerint, credunt.

« Sed omnia jam, sanctissime imperator, figmenta sopita sunt, ex quo te Deus summus ad restituendum justitiæ domicilium, et ad tutelam generis humani excitavit : quo gubernante Romanæ reipublicæ statum, jam cultores Dei pro sceleratis ac nefariis non habemur. Jam emergente atque illustrata veritate, non arguimur ut injusti, qui opera justitiæ facere conamur. Nemo jam nobis Dei nomen exprobrat. Nemo irreligiosus ulterius appellatur, qui soli omnium religiosi sumus ; quoniam B contemptis imaginibus mortuorum, vivum colimus

VARIORUM NOTÆ.

In abdito. Sublac. *in abscondito.*

Istos veri profanos. Ita edit. Rom. 1470, et mss. omnes, præter 1 Colbert., in quo, sicut et in editis 19, est *vere.*

Qui nomen fidei gerimus. Hinc Christiani dicti *fideles.* Epit. c. 66, princ. : *Fides... maxime a nobis, qui nomen... gerimus, conservanda est.* Bun.

Opiniones. Vide Tertullianum in Apologetico.

Quæ finxerint, credunt. Antiquiores et meliores mss. ac vet. edit. habent *finxerint* ; recent. *finxerunt ;* 1 Colb. *finxerant.*

Imperator. Hunc ad Constantinum imperatorem Epilogum damus ex mss. 1 Reg. n. 5976, opt. notæ, 400. ann., nec non ex edd. Antuerp. 1570 et 1587, Gymnic., Fasitel., apud Gryphium, Paris. 1561 et 1565, Betul., Tornes. 1579, Lugd., Soubron. 1594, et in textum libenter admittimus, quippe qui C omnino Lactantianus est, et ita eruditis viris ac nobis videtur. Sic sensere Betulcius, Walchius, necnon Francius, qui ad sui Lactantii oram scripsit : *Oratio elegans et nervosa, nec dubito quin genuina.* Et sane Lactantii characterem, stylum et locutionem habet, ut variis in locis patet ; ac præcedentibus optime quadrat et cohæret. Et quidem Lactantium in scriptis suis more Ciceronis Epilogo usum fuisse vides Div. Instit. lib. I, cap. 1, lib. II, cap. 1, initio librorum IV et V, lib. VI, cap. 26, lib. Opif. Dei, cap. 20, et lib. de Ira Dei cap. 22, ut ibidem indicat Lactantius ipse : *Hæc* (inquit) *habui quæ de Ira Dei dicerem, Donate charissime... Restat ut, more Ciceronis, utamur Epilogo ad perorandum*, etc. Hanc tamen orationem a textu removet Sparkius, atque in notas rejicit : eam nihilominus cum aliis editionibus a suo loco amoveri noluimus. At monemus quibus in editionibus desit ; diffiteri enim non possumus quin hæc oratio, quamvis elegans et Lactantio digna, desit in Camerac., Rohan. et Sangermanensi, D cujus rei causam damus in prævia dissertatione. — *Sanctissime Imperator.* Lactantius de eodem Constantino juvene, libro de Mortibus persecutorum, cap. 18, *Constantinus sanctissimus adolescens.*

Figmenta. Figmentum, id est, *commentum.* Sic apud Lactantium nostrum Div. Inst. lib. VII, cap. 22, initio : *Figmenta hæc poetarum... in modum commentitiæ fabulæ*, etc. ; ejusdem libri VII, cap. 7, *Poetarum id esse figmentum* ; et lib. II, cap. 11 : *Multis argumentis hoc figmentum poetarum argui potest.*

Sopita sunt. Lactantius lib. I Div. Instit. cap. 1, circa medium : *contentiones sopirent ;* ibid. : *De spe, de vita, de salute, de immortalitate, de Deo loquemur, ut superstitiones mortiferas erroresque turpissimos sopiamus.* Et hic idem : *Sed omnia jam, sanctissime Imperator, figmenta sopita sunt, ex quo*, etc.

Deus summus. Ita passim Lactantius Divin. Inst. lib. I, cap. 1, lib. IV, cap. 12, 13, 29, lib. VII, cap. 2, 3, 4, lib. de Ira Dei, c. 11, 23, lib. de Opificio Dei cap. 1, Epitom. cap. 3, 4, etc. Hanc locutionem centies in Lactantii operibus offendes.

Ad restituendum justitiæ domicilium. Sic et alibi Lactantius dixit Divinar. Inst. lib. III, cap. 18, et lib. VII, cap. 2 et 8, *ex hoc domicilio corporis*, et de Ira Dei c. 1 ; libro IV, cap. ult., *domicilium fidei ;* Epitom. cap. 52, *domicilium pietatis ;* ibid. cap. 54, *libertatis domicilium* ; lib. de Opificio Dei, cap. 10. In Epilogo ad eumdem Imperatorem, lib. I Div. Inst., cap. 1, sic ait : *Eversam sublatamque justitiam reducens, terrimum aliorum facinus expiasti ;* et paulo post : *Cultum divinum cupiens defendere, quem potius appellem, quem alloquar, nisi eum, per quem rebus humanis justitia et sapientia restituta est ?* Lib. V, cap. 7, *Paucis assignata justitia est ?*

Ad tutelam generis humani excitavit. Lactantius in supradicto lib. I, cap. 1, Epilogo : *Te Deus summus ad beatum Imperii culmen evexit... ut gubernaculum Reipublicæ etiam senex teneas, tuisque liberis, ut ipse a patre accepisti, tutelam Romani nominis tradas.* Sed et libro II Div. Inst. cap. 15 : *Ad tutelam cultumque generis humani ;* lib. V, cap. 18 : *Hominem justum inter discrimina tempestatum atque bellorum cœlestis tutela custodiat ;* lib. de Opif. c. 2, *nullique munimentum ad tutelam sui deest ;* lib. V, cap. 5, *tutela sui.*

Cultores Dei. Lactantius lib. VI Div. Institut. cap. 24, *Dei cultor* ; et paulo post, *Hic cultor est veri Dei* ; lib. II Div. Inst. cap. 16, *Justos autem, id est, cultores Dei* ; lib. V, cap. 1 et cap. 2, et alibi passim.

Illustrata veritate. Lactantius lib. I Div. Inst. cap. 1 et cap. 2, initio : *Suscepto igitur illustrandæ veritatis officio.* Et in fine libri de Opificio Dei, *veritatem ipsam illustrare apud alios*, etc. lib. IV, cap. 5, lib. VI, cap. 1 et lib. VII, cap. 7.

Dei nomen exprobrat. Lactantius, lib. I, cap. XX : *Deorum nomen... turpissimis nominibus ludibrio habeatur* ; lib. V, cap. ultimo, *Dei nomen contumeliæ ac ludibrio fuit* ; et alibi passim, ac præcipue lib. de Ira Dei.

Irreligiosus. Lactantius lib. V, cap. 21, *magis irreligiosi.*

Religiosi sumus. Lact. Div. Instit. lib. III, cap. 28, *Religiosus ac pius cultus ;* lib. IV, cap. 28, *Cultores deorum dicti sunt religiosi ;* et lib. VI, cap. 1, *religiosos se putant.*

Contemptis imaginibus mortuorum, vivum colimus et verum Deum. Lactantius lib. II Div. Inst. cap. 1, in contrarium eadem utitur locutione : *Admirari soleo... homines ipsos ad tantam cæcitatem esse deductos, ut vero ac vivo Deo mortuos præferant, etc.* Ibid. cap. 2, *Adorent simulacra, quæ mortuorum sunt imagines ;* et infra cap. 18, ait *inexpiabile facinus esse deserere viventem, ut defunctorum monimentis servias.*

Digitized by Google

« et verum Deum. Te providentia summæ divinitatis A « ad fastigium principale provexit; qui posses vera « pietate aliorum male consulta rescindere, peccata « corrigere; saluti hominum paterna clementia pro- « videre, ipsos denique malos a republica submo- « vere, quos summa pietate dejectos in manus tuas « Deus tradidit, ut esset omnibus clarum, quæ sit « vera majestas.

« Illi enim, qui ut impias religiones defenderent, « cœlestis ac singularis Dei cultum tollere voluerunt, « profligati jacent. Tu autem, qui nomen ejus, de- « fendis et diligis, virtute ac felicitate præpollens, « immortalibus tuis gloriis beatissime frueris. Illi « pœnas sceleris sui et pendunt, et pependerunt. Te « dextera Dei potens ab omnibus periculis protegit : « tibi quietum tranquillumque moderamen cum sum- B « ma omnium gratulatione largitur. Nec immerito « rerum Dominus ac rector te potissimum delegit, « per quem sanctam religionem suam instauraret, « quoniam unus ex omnibus extitisti, qui præcipua « virtutis et sanctitatis exempla præberes; quibus « antiquorum principum gloriam, quos tamen fama « inter bonos numerat, non modo æquares, sed « etiam, quod est maximum, præterires. Illi qui- « dem natura fortasse tantum similes justis fuerunt. « Qui enim moderatorem universitatis Deum igno- « rat, similitudinem justitiæ assequi potest : ipsam « vero non potest. Tu vero et morum ingenita sancti- « tate, et veritatis et Dei agnitione in omni actu « justitiæ opera consummas. Erat igitur congruens, « ut in formando generis humani statu, te auctore ac « ministro divinitas uteretur. Cui nos quotidianis pre- « cibus supplicamus, ut te in primis, quem rerum « custodem voluit esse, custodiat; deinde inspiret « tibi voluntatem, qua semper in amore divini no- « minis perseveres. Quod est omnibus salutare, et « tibi ad felicitatem, et cæteris ad quietem. »

CAPUT XXVII.

Adhortatio et confirmatio piorum.

Quoniam decursis propositi operis septem spatiis, ad metam provecti sumus, superest ut exhortemur omnes ad suscipiendam cum vera religione sapientiam, cujus vis et officium in eo vertitur ut, contemptis terrestribus, et abjectis erroribus quibus antea tenebamur, fragilibus servientes, et fragilia concupiscentes, ad æterna cœlestis thesauri præmia dirigamur. Quæ ut capere possimus, quamprimum omittendæ sunt hujus præsentis vitæ illicibiles voluptates, quæ animas hominum perniciosa suavitate deliniunt.

VARIORUM NOTÆ.

Te providentia summæ Divinitatis ad fastigium principale provexit. Lactant. lib. VII, cap. 4 : *Providentia summi Dei;* lib. de Mortibus persecutorum C cap. 48 : *Ut possit nobis summa divinitas, etc.*

Ad fastigium principale provexit. Simile aliquid ait Lactantius libro de Mortib. Persec. cap. 4, de Decio : *Et quasi hujus rei gratia provectus esset ad illud principale fastigium;* imperatoriam scilicet dignitatem.

Male consulta rescindere. De Morte Pers. c. 3, *rescissis actis tyranni*, Ibid. c. 1 : *Qui tyrannorum nefaria et cruenta imperia rescidерunt.* Bun.

Quæ sit vera majestas. Lactant. lib. I, cap. 1, ad cultum *veræ majestatis;* lib. II, cap. 17, *Hominibus quos nituntur a cultura et notitia veræ majestatis avertere*, etc., lib. V, cap. 6, *quorum omnium malorum fons, cupiditas erat : quæ scilicet ex contemptu veræ majestatis erupit.*

Qui ut impias religiones defenderent. Lactant. lib. V, cap. 8 : *Susceptæ sunt, contra quam fas est, impiæ religiones.*

Cœlestis ac singularis Dei cultum tollere voluerunt. D Lactantius lib. V Div. Inst., cap. 5 : *Qui justos ac fideles Deo persequuntur. . . . . ad expugnandam tollendamque justitiam*, id est, *Dei cultum.* Vide supra Not. ad *justitiæ* vocabulum, et *singularis Deus*, not. ad caput 1 de Mortibus persecutorum.

Profligati jacent. Lactant. lib. VI, cap. 20, *Percussos jacentesque repeti jubent;* et lib. de Mortibus persec. cap. 1, *Profligata nuper Ecclesia;* et paulo post, *Qui illuctati erant Deo, jacent.*

Illi pœnas sceleris sui et pendunt et perpenderunt. Epit. cap. 53 : *Eorum omnium qui hoc facinus ausi sunt, miserabiliter exitus partim cognovimus, partim videmus.* Conf. lib. IV, cap. 27. Huc pertinet nostri liber de Mort. persec., qui ex hac oratione diutius suspecta egregie hinc inde illustratur. Bun.

Te dextera Dei potens ab omnibus periculis protegit. Lactantius quoque Divin. Instit. lib. II, cap. 15, *Quos Dei manus potens et excelsa protegit.*

Rerum Dominus ac rector. Lactantius, de Opificio Dei, cap. 16 : *Quod universum ratione moderatur, sicut ipse mundi Dominus et rector in summo est.*

Te potissimum delegit, per quem sanctam religionem suam instauraret. De eodem Lactantius, lib. I, cap. 1: *Nam cum illæ dies felicissimus orbi terrarum illuxisset, quo te Deus summus ad beatum Imperii culmen evexit, salutarem universis et optabilem principatum præclaro initio auspicatus es, cum eversam sublatamque justitiam reducens, deterrimum aliorum facinus expiasti*, etc.

Antiquorum principum gloriam, quos tamen fama inter bonos numerat. Lactant. de Mortibus persecut. c. 3 : *Multi ac boni principes Romani*, quamvis pagani, ut Nerva, Trajanus, Hadrianus, Antoninus Pius, et par illud fratrum, Verus atque Lucius. De bonis principibus, qui et libertatem credendi nostris hominibus permiserunt, et eorum ministerio in palatio et in provinciis usi sunt, eosque ad maximas dignitates evexerunt, videndus Eusebius in initio libri VIII Hist. Eccles. *Partim ex* Baluzio.

Qui enim moderatorem universitatis Deum ignorat. Lactant. lib. de Opif. Dei, cap. 16 : *Nec quidquam esse sublimius, quam id quod universum ratione moderetur, sicut ipse mundi Dominus et rector in summo est;* lib. II, cap. 16, *Rector universi.*

Similitudinem justitiæ assequi potest : ipsam non potest. Lactantius lib. III, cap. 27 : *Umbram quamdam virtutis videbant, ipsam virtutem non videbant.*

Provecti sumus. Ita meliores et antiquiores cum mss. tum editi maximo numero. Mss. 17, *pervecti sumus*; Gat. *prævecti.*

Illicibiles. Lactantius mire amat has formationes. Mss. 8 rec. *allicibiles;* edit. Betul. *illices.* — *Illices voluptates.* Plura Elmenh. cap. 1. Tertull. Apolog. 41 : *Vos malorum illices.* De Pœnit. cap. 9 : *Conversationem injungens misericordiæ illicem.* Ubi Cyprianus de Zelo et Livore in princ. *Offert oculis formas illices.* Bun.

Perniciosa. Hæc est lectio omnium mss. præter 2 Reg. rec., in quibus est *perniciosissima*, ut in editis.

Digitized by Google

Quanta felicitas æstimanda est, subtractum his labi- A bus terræ proficisci ad illum æquissimum judicem, parentemque indulgentissimum; qui pro laboribus requiem, pro morte vitam, pro tenebris claritatem, pro terrenis ac brevibus bonis æterna et cœlestia largiatur! cum qua mercede acerbitates ac miseriæ, quas perpetimur in hoc mundo facientes opera justitiæ, conferri et coæquari nullo modo possunt. Proinde si sapientes, si beati esse volumus, cogitanda et proponenda sunt nobis non tantum Terentiana illa, *Molendum esse usque in pistrino, vapulandum, habendæ compedes:* sed his multo atrociora: carcer, catenæ, tormenta patienda; sustinendi dolores; mors denique ipsa et suscipienda est, et ferenda: cum liqueat conscientiæ nostræ, nec fragilem istam voluptatem sine pœna, nec virtutem sine divino præmio fore.

Universos igitur oportet operam dare, ut se quam- B primum ad rectam viam dirigant; ut, susceptis operatisque virtutibus, et hujus vitæ laboribus patienter exactis, consolatorem Deum habere mereantur. Pater enim noster ac Dominus, qui condidit firmavitque cœlum, qui solem cum cæteris sideribus induxit, qui libratam magnitudine sua terram vallavit montibus, mari circumdedit, amnibusque distinxit, et quidquid est in hoc opere mundi, conflavit ac perfecit e nihilo, perspectis erroribus hominum, Ducem misit, qui nobis justitiæ viam panderet: hunc sequamur omnes; hunc audiamus; huic devotissime pareamus; quoniam solus, ut ait Lucretius,

> Veridicis hominum purgavit pectora dictis,
> Et finem statuit cuppedinis, atque timoris;
> Exposuitque bonum summum, quo tendimus omnes,
> Quid foret; atque viam monstravit limite parvo,
> Qua possemus ad id recto contendere cursu.

Nec monstravit tantum, sed etiam præcessit, ne quis difficultatis gratia iter virtutis horreret. Deseratur (si fieri potest) via perditionis et fraudis, in qua mors voluptatis illecebris adoperta celatur.

Et quanto quisque annis in senectutem vergentibus appropinquare cernit illum diem, quo sit ei ex hac vita demigrandum, cogitet quam purus abscedat; quam innocens ad judicem veniat: non ut faciunt, quorum cæcis mentibus lux negatur, qui jam deficientibus corporis viribus, in hoc admonentur instantis ultimæ necessitatis, ut cupidius, ut ardentius hauriendis libidinibus intendant. Qua ex voragine liberet se quisque dum licet, dum facultas adest, seque ad Deum tota mente convertat; ut illum diem securus expectet, quo præses dominusque mundi Deus de singulorum factis cogitationibusque judicabit. Quæcumque hic expetuntur, non tantum negli- B gat, sed et fugiat; potioremque animam suam judicet, quam bona ista fallacia, quorum incerta et caduca possessio est; migrant enim quotidie: multo velocius exeunt, quam intraverant; et tamen, si nobis usque ad ultimum liceat istis frui, aliis certe relinquenda sunt. Nihil nobiscum ferre possumus, nisi vitam bene atque innocenter actam. Ille ad Deum copiosus, ille opulentus adveniet, cui astabunt continentia, misericordia, patientia, charitas, fides. Hæc est hæreditas nostra, quæ nec eripi cuiquam, nec transferri ad alterum potest. Et quis est, qui hæc bona parare, et acquirere sibi velit?

Veniant, qui esuriunt: ut cœlesti cibo saturati, sempiternam famem ponant; veniant, qui sitiunt: ut aquam salutarem de perenni fonte plenissimis fau- C cibus trahant. Hoc cibatu atque potu Dei, et cæci videbunt, et surdi audient, et muti loquentur, et claudi ambulabunt, et stulti sapient, et ægroti valebunt, et mortui reviviscent. Quisquis enim corruptelas terræ virtute calcaverit, hunc arbiter ille sum-

VARIORUM NOTÆ.

Æstimanda est. Ita omnes prope mss. In 5 rec. et in impressis legitur *existimanda est.*

Terentiana. Terent. Phorm. act. II, scen. 1.

Usque in pistrino. Sic reposui ex ipsomet Terentio et mss. Scripti 3 Reg. rec., 1 Colb. et 10 typis excusi habent, *usque in pistrinum*, et sic ferunt multæ Terent. edit.

Sine divino præmio. Deest *divino* in mss. rec. et ed. Rom. 1470.

Ut susceptis operatisque virtutibus. Ms. Jun. *vel ut* D *susceptis*; 22 alii scripti et ed. Rom. 1470, habent *vel susceptis. Vel* expunxi, utpote inutile, cum nulla ibi sit antithesis. Obiter observa verbum *operari* passive fuisse a Lactantio positum.

Qui solem cum cæteris sideribus induxit. Mss. octo rec. *illuxit.*

Terram vallavit montibus, mari circumdedit, amnibusque distinxit. Sic legit Betulejus; nec aliter in mss. legitur, nisi quod in 5 mss. rec. et 8 editis est *mare* quidquid dicat Pricæus de verborum, ut ait, transpositione.

Lucretius. Lib. VI de Natura rerum, initio.

Veridicis hominum. Lucretius, *Veridicis igitur.*

Et finem statuit cuppedinis. Ita edit. Gymnic. Paris. 1561 et 1565, ac Betul. cum duplici *pp*, ut prima syllaba natura brevis, longa fiat unius litteræ *p* appositione. Ita quoque Lucretius. Nec aliter in mss. suis haberi annotavit Lambinus, qui Lucretii opera ad mss. 5 codices recognovit, emendavit, notisque illustravit. Lactantianorum operum ms. 1 Reg. bonæ notæ, ed. Tornes. et Soubron. 1594, legunt *cupidinis*; 8 edit. *cupedinis*; 1 Regio-Put. *turpidinis*; mss. et vulgati 6 *torpedinis.*

Limite parvo. Vetus versio Gallica, *par un chemin étroit.* Lactantius in suo codice legisse videtur *limite*; nec aliter ferunt impressi cunctique mss.; uno dempto Jun., qui legit *tramite*, sicut mss. Lucretiani Lambino visi, qui referunt *prono*, cum Vict. Nav. et 3 vet. edit. Rom. In Reg.-Put. et 2 al. Reg., Marm., Balliol. et 3 editis, est *limite puro.*

Quam innocens ad judicem veniat. Mss. 16 rec. et 7 edit., *ad judicium veniat.*

Non ut faciunt, quorum cæcis mentibus lux negatur, qui. Sic lego cum antiquo ms. codice Cauc., 1 Reg. optimæ notæ, et editis Gymnic. Fasit., 2 Paris., Betul., Tornes., Soubron. et Walch. Nonnulli editi habent *quorum cæcis mentibus, qui.* In mss. 32 et 10 excusis legitur, *Non ut faciunt quidam cæcis mentibus nixi, qui.*

Lux negatur. Quia oculos sponte claudunt.

Ut cupidius, ut ardentius. Plures mss. et editi *et ardentius.*

Et acquirere. Et ex mss. Est in edd. *ac.*

De perenni fonte. Sic lego, ut in textu, cum omnibus editis (præter vet. Rom.) et mss. præter 2 Reg. qui inserunt *cœlestique*, quod mihi glossema videtur, jamque præcessit *cœlesti cibo.* In Brun. est *de puro fonte.*

Digitized by Google

mus, et verax, ad lucem vitamque perpetuam susci- A tabit. Nemo divitiis, nemo fascibus, nemo etiam regia potestate confidat : immortalem ista non faciunt. Nam quicumque rationem hominis abjecerit, ac præsentia secutus, in humum se ipse prostraverit, tamquam desertor domini, et imperatoris, et patris sui punietur. Intendamus ergo justitiæ, quæ nos inseparabilis comes ad Deum sola perducet; et, dum spiritus hos regit artus,

infatigabilem militiam Deo militemus : stationes vigiliasque celebremus ; congrediamur cum hoste, quem novimus, fortiter, ut victores, ac devicto adversario triumphantes, præmium virtutis, quod ipse promisit, a Domino consequamur.

VARIORUM NOTÆ.

Infatigabilem militiam Deo militemus. Lactantio familiaris loquendi modus, de quo dixi supra not. ad hujusce libri capitis 24 finem. Hæc lectio est 10 editorum et quamplurimorum mss., inter quos sunt antiquissimi 2 Bonon., Regio-Put., Cauc., Jun., 3 alii Reg , 3 Colb. aliique. In 15 rec. scriptis et 4 vulgatis est, *infatigabili militia.*

A Domino consequamur. Mss. Cant., Jun., edit. Ald., Paris., Crat., Graph. *a Deo* ; mss. 2 Reg. rec. et 3 vet. addunt, *Amen.* Ms. Jun. addit : *Qui vivit et regnat Deus per immortalia sæcula sæculorum. Amen.*

ADMONITIO

IN SEQUENS FRAGMENTUM.

Primus anno 1679 subsequens fragmentum vulgavit Stephanus Baluzius sub nomine Lactantii, hoc unico fretus argumento, quod illud ad calcem manuscriptorum quorumdam Divinarum Institutionum legerit [a]. Sed pace tam docti viri dixerim, id non sufficere. Nusquam enim his in manuscriptis Lactan- B tio tribuitur, immo potius in codice Regio 3977 sub S. Augustini nomine exscribitur, his verbis : *Augustinus in libro* XX *de Civitate Dei.* At ideo scriptor amanuensis fragmentum istud subjecit Lactantio, ut ejus ac millenariorum depelleret errores, quibus passim, ac præcipue librum VII Divinarum Institutionum sparg t auctor noster. (*Hanc annotationem ex* Examine doctrinæ Sanctorum Patrum *viri doctiss. D.* des Essarts *decerpsimus*).

[a] Reperitur in mss. quibusdam recentioribus : 1° in tribus Regiis, 2° in uno Victorino, 3° in Sorbonico uno, 4° in tribus Anglicanis ; sed sine Lactantii nomine.

SANCTI AUGUSTINI FRAGMENTUM

DE EXTREMO JUDICIO.

Nullus vel negat, vel dubitat, per Jesum Christum C tale, quale Sacris Litteris prænuntiatur, novissimum futurum esse judicium, nisi qui eisdem Litteris nescio qua incredibili animositate, seu cæcitate non credit, quæ jam veritatem suam orbi demonstravere terrarum. In illo itaque judicio, vel circa illud judicium, has res didicimus esse venturas, Eliam Thesbiten, fidem Judæorum Antichristum persecuturum, Christum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremptionem, mundi conflagrationem, ejusdemque renovationem. Quæ omnia quidem ventura esse credendum est. Sed quibus modis, et quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc ad perfectum hominum intelligentia valet consequi. Existimo tamen, eo quo a me commemorata sunt, ordine esse ventura.

VARIORUM NOTÆ.

Prænuntiatur. Sic reposui ex nov. S. Augustini editione et mss. præter 1 Colb., in quo est *pronuntiatur*, ut in Baluziana editione.

Esse. Additum ex mss. 1 Reg., 1 Colb., Em. et S. Augustin.

Qua incredibili. Vide in Epitome, c. 67, circa med., alias c. 8, circa finem.

Illud Ita lego cum mss. 1 Reg., 1 Colb., Sorbon., Vict., Em. et ed. nov. S. Augustini. Alter Colb. et ed. Baluz.

Thesbiten. Sic legunt S. Augustinus et mss. Lactantiani, præter unum Colb., qui cum edit. Baluz. habet *Thesbitem.*

Fidem. Ita reposui ex mss. 1 Reg., Colb., Sorb., Vict., Em., Merton., S. Augustino. Alter Colb. et ed. Baluz. ferunt *fide.*

Diremptionem. Id est, separationem. Vict. in marg. *discussionem* ; mss. 5 et ed. Baluz. *direptionem*, male. Cum S. Augustino lego *diremptionem*, quæ vox, licet insolens et minime latina, idem est ac *diremptus* Ciceroni, qui ait : *Interitus est quasi discessus, et secretio, et diremptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur*, I Tuscul., 71.

Ejusdemque. Sic restituo ex mss. 1 Reg., Sorbon., Vict., 1 Colb., Em. et S. August. Alter Colb. et ed. Baluz., *ejus denique.*

Digitized by Google

DISSERTATIO

DE SEPTEM DIVINARUM INSTITUTIONUM LIBRIS,

AUCTORE D. NIC. LE NOURRY, O. S. B.

CAPUT PRIMUM.

Septem librorum analysis.

ARTICULUS PRIMUS.

Analysis libri primi.

Librum hunc Lactantius satis longa inchoavit præfatione, qua suscepti operis causas in oculis conspectuque omnium exponit. Narrat autem (*cap.* 1) plures magno et excellenti ingenio viros, abjectis omnibus privatis facultatibus, et actionibus publicis, totos se ad inquirendæ veritatis studium contulisse, sed oleum prorsus perdidisse et operam. Nam veritas, inquit, ut pote Dei summi arcanum, nullis potest solius humani ingenii viribus comprehendi. Deus tamen hominis tanto studio eam inquirentis misertus, non passus est illum diutius oberrare: sed ei sapientiæ lumen et immortalitatis consequendæ viam monstravit. Verum quoniam illa summis adhuc difficultatibus obsita est, idcirco pauci hoc cœlesti munere utuntur. Quapropter Lactantius his putavit esse succurrendum; ut et doctos ad veram sapientiam dirigat, et indoctos ad veram religionem. Quod quidem Græcorum oratorum philosophorumque exemplo docet esse longe utilius et gloriosius, quam oratoriam artem, in qua diu ipse versatus, juvenes non ad virtutem, sed ad argutam plane malitiam erudiebat. Non diffitetur tamen se hac exercitatione id assecutum, quo veritatis causam majore dicendi copia et facultate, sine qua tamen defendi potest, nunc tueatur ac peroret.

Declarat itaque sibi de religione rebusque divinis eo potiori jure instituendam disputationem, quo maximi oratores supremo vitæ suæ tempore molestiorem in philosophiæ studio laborem frustra et inutiliter consumpserunt. Ad hæc vero, si quidam ad civium dissidentium lites componendas edidere *Institutiones civilis juris*, quanto potius litteris mandari debent *divinæ Institutiones*, quibus mortiferæ superstitiones erroresque turpissimi sopiantur atque extirpentur.

Si variis autem manuscriptis et editis codicibus fides, Constantinum Magnum auctor noster ibi allocutus est, eumque ob restitutum veri Dei cultum laudat, ipsique et filiis ejus dandam a Deo felicitatem haud dubitanter pollicetur. Nostræ porro religionis veritatem a se septem voluminibus breviter quidem pro argumenti copia, sed ita clare et perspicue asserendam ac illustrandam esse sperat, ut mirum sit eam hominibus, ac præsertim sapientibus sive philosophis obscuram videri. Ubi vero illam agnoverint, tum eos mittet ad uberrimum doctrinæ fontem, cujus haustu, dummodo superstitionibus suis pertinacius non inhærescant, omnia facilia et manifesta ipsis fient. Omnes autem facile tunc agnoscent hanc veræ religionis esse summam: *Ut neque religio ulla sine sapientia suscipienda sit, nec ulla sine religione probanda sapientia.*

Præmissa autem hac præfatione, palam declarat visum sibi non fuisse hujus operis ab ea quæstione initium sumere, quæ prima videtur, utrum providentia rebus omnibus consulat, vel fortuito casu, quemadmodum Epicurei somniaverunt, facta sint, aganturque omnia (*cap.* 2). Horum enim error aut atheorum, aut insipientium est, ab aliis gentilibus philosophis, præsertim vero Stoicis, ipsoque Cicerone, etsi Academico, satis confutatus, in hisce libris passim refelletur. Exordium itaque ducit ab alia quæstione, quæ priori tamen proxima est, utrum mundus unius Dei, aut multorum gubernetur potestate. Primum igitur Lactantius variis argumentis, a naturali ratione petitis, demonstrat hunc mundum ab uno Deo creatum, illius regi providentia, et opposita adversariorum sophismata evertit (*cap.* 3). Eamdem dehinc sententiam probat prophetarum auctoritate, quam quidem, etiamsi ab ethnicis non possit rejici, propter illorum nihilominus cæcitatem ac pervicaciam brevius perstringit (*cap.* 4). Acrius vero illos urget (*cap.* 5), ipsorummet, quos laudabant, gentilium suorum auctorum testimoniis; ac præcipue quidem poetarum Orphei, Homeri, Hesiodi; deinde philosophorum Thaletis, Pythagoræ, Anaxagoræ, Antisthenis, Cleanthis, Anaximenis, Chrysippi, Aristotelis, Ciceronis, et Senecæ; denique vatum divino, uti iidem ethnici opinabantur, spiritu afflatorum, Mercurii, cognomento Trismegisti, quem Ægyptii Thoyth vocabant (*cap.* 6), et alii uti deum venerabantur, ac Sibyllarum, de quarum nomine, auctoritate, numero, et asservatis carminibus multa præmittit, pluraque subinde, aliis omissis, profert illarum carmina, quibus subjungit aliquod venditatum Apollinis Delphici oraculum, quod a Trismegisto confirmatur (*cap.* 7).

Tum iis, qui ab illo post Ciceronem quæsituri

Digitized by Google

fortasse erant, quæ esse queat unius Dei beata solitudo, respondet Deum, ut scribit Seneca, genuisse regni sui ministros, nimirum angelos, qui dii non sunt noluntque coli aut deos vocari. Ethnici vero venerandum divinitatis nomen fictitiis suis numinibus tribuebant, falso decepti testimonio Apollinis, qui se aliquando in angelorum numerum aggregavit, quamvis alibi se dæmonem esse confiteretur. Quocirca eosdem ethnicos hortatur, ut, depositis erroribus, verum agnoscant Deum, cujus nec virtus æstimari, nec magnitudo perspici, nec principium comprehendi potest (*cap.* 8). Apollinis autem, Sibyllæ, et Platonis id testimonio confirmat. Nulli ergo alii, quam sibi satis ille notus est, qui infinita potestate creavit omnia.

Ad gentilium deos inde delapsus, falsam commentitiamque eorum divinitatem propterea explodit, quod dicebantur ex mare et femina orti, atque idcirco nec incorporei nec immortales, qualis, ut ait Sibylla, verus Deus esse debet. Nec sibi objici patitur Deum, ut ministros habeat, sexu indigere. Nam si ille quibusdam animantibus, id est, apibus dedit, ut ex floribus natos sibi *ore legant*, quanto magis ipse omnipotens sine permixtione sexus ministros aliosque, pro libito creare potest.

Præterea longiori inductione ibi manifestum Auctor noster omnibus facit ridiculum deorum gregem componi iis hominum regibus qui subditis suis ob egregia facinora, aut collata beneficia, chari fuerant (*cap.* 9). Agmini autem illorum præposuit Herculem, qui ex Alcmenæ adulterio natus, stupris suis et adulteriis orbem terræ inquinavit. Nihil ergo in eo potuit esse divinum; nisi forte varii ejus labores et certamina, quæ hic singillatim recensentur. Verum hæc, teste etiam Cicerone, fortissimum quidem virum, minime vero deum fuisse demonstrant. Quid vero, quod imbecillitas ac nequitia in eo clarissime patebat, qui indigne regi Erythræo, et turpius impudicæ mulieri Omphalæ servivit. Nec est sane, quod dicat aliquis nullam poetis, qui hæc finxerant, habendam fidem. Nam alii scriptores proferri non poterant, qui hæc aut negaverint, aut tradiderint quid in diis suis sit admirabile et divinum.

Quid enimvero Æsculapius, Apollinis flagitio natus, dignum egit divinis honoribus? Num quia sanavit Hippolytum? Sed ob id ipsum fulmine percussus est (*cap.* 10). Ortum vero ipsius ex incertis parentibus, aliaque humana facta narrat Tarquitius, sicuti Tullius sepulcrum ejus indicat. Nec melior ipsius pater Apollo, qui gregem pavit alienum, Laomedonti muros exstruxit, violavitque puerum. Mars autem homicida et Veneris adulter, ac Castor et Pollux raptores sponsarum, a poetis decantantur alternis viventes, et ab Homero dicuntur sepulti. Mercurius etsi fur et nebulo, propterea tamen quod ferebatur lyram invenisse, ac docuisse palæstram, numero adscriptus est deorum. Libero idem delatus honos ob expeditionem in Indiam, sed insano mulieris amore exarsit.

Quin etiam Jupiter, quem optimum, maximum, et omnium patrem vocant, a pueritia impius fuit, patrem expulit regno, victisque Titanibus vitam egit tot tamque horrendis flagitiis infamem, ut numquam in terra, multo minus in cœlo, regnare debuerit (*cap.* 11). Non insulse igitur quidam poeta cecinit illum ante currum triumphantis Cupidinis catenatum duci. Urget Lactantius eum ab ethnicis omnibus invocari tamquam Deum, qui tamen a Saturno, uti aiebant, et Rhea genitus, sola abstinuit Thetide, ne aliquem patre suo majorem haberet, qui jurabat per Stygiam paludem, qui fato Parcarumque vi paruit, qui ideo Ζεὺς appellatur, quod primus ex Saturni liberis servatus vixerit.

Atque ibi Lactantius eos rursum refellit, qui objectabant hæc poetarum esse commenta et mendacia. Non enim res ipsas gestas, sicut ille variis exemplis comprobat, poetæ finxerunt, sed poetica licentia iis plura addiderunt; ut hæc non de hominibus, sed de diis se narrasse persuaderent. Deinde vero, si poetæ mentiti sunt, cur ethnici tales deos suos colunt, talesque repræsentant, quales ab illis fuerant figurati? Præterea ethnici negare non poterant ab Euhemero conscriptam esse veram deorum historiam, quam Ennius postea interpretatus est. Sed quia poetæ inde ad carminum leporem plura in deos transtulerant, idcirco quidam eos mendacii insimulaverunt. Variis autem id ille probat exemplis, ex quibus concludit *vera esse quæ loquuntur poetæ, sed obtentu aliquo specieque relata.* At philosophi cum falsa hæc esse agnoscerent, duos quidem, sed non minori errore, Joves finxerunt, naturalem unum, alterum plane fabulosum. Nec erat profecto quod quis responderet se Jovis nomine verum intelligere, ac colere Deum. Jupiter enim, ait Lactantius, nec sine conjugis filiæque contubernio coli solet, nec nomen ejus divinam, sed humanam dumtaxat vim designat. Denique jam supra citatis Ennii, Sibyllæ, ac Ciceronis testimoniis plane convincit hunc Jovem in Creta insula mortuum sepultumque fuisse, ac Capitolium inane illius esse monimentum. At gentiles probare, numquam potuerunt hæc esse poetarum commenta.

Nihil quoque in Saturno, pergit Lactantius, Dei majestate dignum. Quamvis enim aureum sæculum ab eo invectum venditarent, certius tamen erat illum ex Cœlo et Terra genitum fuisse, quemadmodum alii dii vel ex montibus et fluviis orti, vel ab illis maria nomen suum accepisse ferebantur. Ex Trismegisto namque et Ennio discimus patrem ejus fuisse Uranum, cui Jupiter, ara in monte posita, sacrificavit primus, Cœloque nomen illius dedit. Neque hoc tantummodo, fecit sacrificium, sed aliud etiam in littore, cum ex Naxo insula, ut ait Aglaosthenes, adversus Titanas proficisceretur. Sed is ipse Cœlus, sive Uranus in Oceano, sicuti Euhemerus perhibet, mortuus est, et in oppido Aulatia sepultus.

Digitized by Google

Recte ergo ex his ita enarratis Lactantius colligit Saturnum non fuisse Deum, ut pote qui homo impius, patris genitalia abscidit, filiosque suos, ex Rhea seu Ope susceptos, excepto Jove, matris suæ et Corybantum fraude sublato, voravit (*cap.* 12 *et* 13). Rursus vero Stoicorum ibi explodit responsionem, qui hanc fabulam ad physicam rationem traducere conabantur (*cap.* 13). Saturnus enimvero non memoratis tantum criminibus hominem se esse probavit, sed etiam quia spoliatus imperio, et profugus, navigio in Italiam venit. Ibi vero cum latuisset, exceptus est a Jano, ac primus aut certe ab Urano secundus regnavit. Manifestum autem auctor noster facit hæc a variis, quos nomine suo appellat, cum historicis scriptoribus, tum poetis tradita fuisse. Sed quoniam ab illis paululum discrepabat Ennius, ea B ideirco paucis describit, quæ de Saturni gestis ab illo et Sibylla eodem fere modo commemorantur (*cap.* 14).

Data autem ubi occasione, narrat quam censet fuisse idololatriæ originem (*cap.* 15). Saturni hujus tempore, inquit, rudes adhuc homines regem suum, totamque ejus progeniem sive ob miraculum virtutis, sive in præsentis potentiæ adulationem, sive ob beneficia accepta, deos appellaverunt. Tum deinde alii simulacra mortuorum regum suorum aut in solatium luctus, aut acuendæ virtutis gratia fabricarunt. Hinc Herculis, Castoris, Pollucis, Æsculapii, et Liberi ficta divinitas. Hinc Ægyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Cabyrum, Pœni Uranum, Romani Quirinum Cæ aresque suos. Hinc alii alios, tamquam C veros deos coluerunt.

Præterea quidam falsa pietate ducti, uti Æneas, Liber, Pan, Mercurius et Apollo, divinum parentibus suis honorem habuerunt, suoque exemplo alios in eumdem induxerunt errorem. Sed hoc scelus ab iis postea auctum est, qui poetarum figmentis, et panegyricis mendacibus decepti, suscepta a se impia omnino sacra aliis tradidere gentibus, sed a Sibylla acriter castigantur. Unus autem ex iis fuit Cicero, qui quidem cum post Platonem deos gentilium suorum, homines fuisse prædicaret, mortuæ nihilominus filiæ suæ, non secus ac si dea fuisset, imaginem se consecraturum professus est. At certe si aliquid iis tam acerbe mœrentibus indulgendum, nulla certe potest hæc serio credentibus venia concedi. Quid D enim dementius, quam Julium Cæsarem, quia scelerato Antonio placuit, et Quirinum sive Romulum, quia Proculus pejeravit, deos renuntiare ac venerari (*cap.* 16)? Horum vero cæterorumque gentilium, hujusmodi deos colentium, insaniam inde adhuc redarguit, quod mares et feminas eos esse asseverabant. Nam si in eis est diversitas sexus, ergo coeunt, suscipiuntque liberos, ergo domos et urbes incolunt, ergo victus causa colunt agros, ac proinde non dii sunt, sed mortales infirmæque creaturæ. Huc accedit, quod sexus femineus masculino est infirmior. Atqui in verum Deum neque hæc, neque alia ulla cadit infirmitas.

A Quæ quidem postquam Lactantius (*cap.* 17) noster Ciceronis testimonio stabilivit, commentitiam illorum divinitatem, a Stoicis cum rerum naturalium ratione conjunctam, funditus subvertit designata in eorum imaginibus uniuscujusque ætate et morte, decantatis ipsorum ærumnis, verbi gratia Isidis, Cereris, Latonæ et Junonis, ac divulgatis sceleribus, stupris, adulteriis Veneris, quæ artem meretriciam instituit, itidem Vulcani, Minervæ, Æsculapii, aliorumque plurium, quos nominatim recenset (*cap.* 18). Nec minus evidenter demonstrat eos desipere, qui ob corporis fortitudinem, aut propter frugum, aut vini, aut artium quarumdam inventionem, deos factos esse opinabantur (*cap.* 19). Neque dicendum iis aliquam saltem venerationem et cultum deberi. Fieri etenim nequit, ut qui hos colit, verum Deum colat. Deinde Maro illos omnes apud inferos esse cecinit. At hic aliique poetæ etsi in deorum nomine, non tamen in enarrandis variis illorum facinoribus, bellis, adulteriis, vulneribus, et morte falluntur.

Ad proprias Romanorum religiones Lactantius inde accedit, ac palam utique facit ab illis in deorum numero reponi scorta et meretrices, ac præsertim lupam Romuli nutricem, sicuti prius ab Atheniensibus Iœnam (*cap.* 20). Sed major proculdubio fuit illorum impietas, qui in lupæ honorem et diem festum et Larentinalia constituerunt. Faulam quoque Herculis scortum venerabantur, ac meretricem Floram, in cujus memoriam obscenissimos agebant ludos Florales. Quid vero quod Tatius Cloacinam, Tullus Hostilius Pavorem et Pallorem, Marcellus Honorem ac Virtutem, Mentem vero senatus, ac, quod pejus est, alii Rubiginem et Febrem tamquam veros deos consecraverunt, coluerintque. Quid plura? Quemadmodum Lacedæmonii simulacrum Veneri armatæ, ita iidem Romani Veneri Calvæ ædem, atque eodem tempore Jovi Pistori aram exstruxerunt. Denique divina apud ipsos numina erant Fornax, Muta, sive Lara, Caca et Cunina; deus Sterculius et Terminus, atque alia mille cæcæ errantisque humanæ mentis portenta.

Si tanta igitur erat gentilium in diis suis creandis amentia, major certe illa fuit in sacris illorum solemnibus instituendis et celebrandis (*cap.* 21). Quid enim insanius et crudelius humanis hostiis, quæ Jovi, Dianæ, Hæso, Teutati, ac Saturno immolabantur? Sacra vero Matris deum, Virtutis seu Bellonæ, et Ægyptiacæ Isidis solebant aut virilium abscissione, aut fuso cruore humano, aut deglabrato corpore, et pectoris percussione fieri. Et quia Osiridis in iisdem sacris quæsiti nomen mutatum fuerat, Lactantius ibi variis exemplis probat deorum nomina post eorum mortem immutata fuisse. Sed pergamus, si placet. Cereris, inquit, Eleusinæ mysteria non sine summa agebantur obscenitate, quam ille pro merito exagitat, atque ibidem ostendit Herculis et Jovis sacra mero esse sacrilegia. Sallustium porro aliosque refellit, qui volebant hæc ingeniose interpretari. Pontificum namque scriptis et Furii Bibuculi exemplo

Digitized by Google

demonstrat quanta credulitate, turpitudine, impietate hæc omnia ab ethnicis celebrabantur.

Harum autem vanitatum auctor apud Romanos fuit Sabinus rex, id est, Numa Pompilius, qui ut populos securius deciperet, finxit se cum Egeria, sicut olim Minos cum Jove, habere colloquium (*cap.* 22). Sed fraudulenti regis malitiam retexerunt libri de jure pontificio, diu post ejus mortem inventi, quibus impius rex omnes religiones dissolvebat. Quamvis autem senatusconsulto hi libri cremati fuerint, non idcirco tamen abolita, sed potius commendata est posteris facti hujus memoria. Antea vero Faunus in Latio nefaria Saturno avo sacra præscripsit, diisque annumeravit Picum patrem suum, et sororem Fatuam Faunam, cujus ridicula mysteria ibi Lactantius enarrat. His adjecit ab Orpheo introducta in Græciam sacra Liberi patris, inquiritque utrum ille Fauno sit antiquior. Planum deinde nobis facit quæ fuerint Didymi et Euhemeri de idololatriæ origine opiniones, et quomodo templa Jovi Atabyrio, Labradeo, Laprio, Molioni, et Cassio ædificata sint. Postremo ex Theophili Antiocheni scriptis colligit frustra ethnicos de deorum sacrorumque suorum antiquitate gloriari, quandoquidem Saturnus omnium deorum sator ante annos 1800 nec amplius ortus fuerat, quam hi libri juris facti sint publici (*cap.* 23).

A

B

ARTICULUS II.

Analysis libri secundi.

Ad fœtidum planeque corruptum erroris, quo homines in idololatriam lapsi sunt, aperiendum fontem, summamque unius Dei majestatem asserendam, hoc Lactantius in libro aggreditur (*cap.* 1). Ac primo quidem miratur homines in tantam et Dei et sui ipsius venisse oblivionem, ut, negata Dei providentia, mortuos ei præferrent, animamque suam crederent esse mortalem. Mentibus siquidem eorum, inquit, adeo insita est veri Dei notitia et præsentia; ut jurantes, optantes, gratiam agentes, ac potissimum rebus in adversis, cum solum non alios deos nominent. Verum cæci homines, elapso periculo, vel in secundis rebus ad deorum templa, instigante diabolo, alacres concurrebant, sacrificabant his diis falsis, eosque coronabant. Sed obliti fuerant homines nefarii se erecta in cœlum statura, atque ἄνθρωπος nomine admoneri, ut Deum agnoscerent, nec ad simulacra conversi, digitorum suorum opera timerent aut venerarentur.

C

D

Quam absurda autem sit hæc superstitio, hinc perspicue auctor noster demonstrat, quod illa simulacra absentes mortuosque olim homines repræsentent, omnique careant sensu (*cap.* 2). Manibus itaque efficta hominum hos potius colere, quam ab illis coli deberent. Nullam enimvero accipiunt potestatem ab artifice, qui eam, quam habet videndi, audiendi, loquendi, aut se ipsum movendi facultatem, dare illis non potest. Neque tamen indoctorum tantummodo hominum hanc Lactantius ostendit fuisse de simulacrorum cultu oplnionem, sed doctorum etiam, ac præcipue Ciceronis, qui etiamsi multa ad evertendas eorumdem ethnicorum religiones suis passim in libris congesserit, Socratis nihilominus carcerem veritus, hæc negat vulgo esse disputanda (*cap.* 3). At hunc ineptum tanti oratoris, contra conscientiam suam agentis, timorem auctor noster jure merito redarguit. Minus itaque illum, et alios ipsi similes, venia dignos esse pronuntiat, quam vulgus imperitorum, qui simulacrorum specie capiuntur. Sana tamen si mens his fuisset, intelligere utique debebant mortale revera esse quidquid oculis cernimus, nec illud proinde divinum et colendum. Multo autem minus fas illis erat se vertere ad lapidem, eumque, velato capite et corpore prostrato, adorare, ipsi cædere victimas, votaque facere penitus inutilia.

Tum vero postquam auctor noster evidentissime convicit falsas religiones a prudentioribus recte impugnari sed veram, quam solus Deus edocere potest, ab eis non esse inventam, simulacra deorum rursus exagitat (*cap.* 4). In homunculi enimvero potestate situm fuit, ut ea, vel aliud aliquid, vel nihil faceret. Cum autem facta sunt, in eis aves insident, nidificant, suisque illa inquinant stercoribus. Præterea hæc simulacra perire possunt et cremari. Plerumque etiam in cinerem redacta sunt, aut furibus cesserunt in prædam. Frustra igitur ethnici illa auro, ebore, gemmis et pretiosis vestibus exornabant. Nihil quippe aliud erant, quam pupæ iis, quas puellæ Veneri, dicabant, grandiores. Huc accedit quod illa a Dionysio Siciliæ tyranno, et ab impio Verre impune sunt irrisa, spoliata, sublata. At ibi Lactantius urget in primis ablatum ab eodem Verre Cereris Catanensis vel Ennensis simulacrum.

Impios itaque illos cultus deserendos esse concludit, et oculos ad cœlum tollendos; ut illius rerumque omnium creatorem agnoscamus et honoremus (*cap.* 5). Variis autem argumentis probat falsam esse opinionem philosophorum, qui elementis, ac nominatim Stoicorum, qui astris aut mundo tribuebant animam et divinitatem. Eos insuper corripit qui elementorum figuras, humana specie repræsentatas, ornatasque auro, ebore, et gemmis non solum colebant, sed iis quoque consecrabant manubias rapinasque suas (*cap.* 6). Tanta tamen pertinacia absurdas illas superstitiones tuebantur, ut eas investigare scelus esse clamarent. At Romuli et Numæ exemplo probat auctor noster non iniqua traditione, aut alienis erroribus, sed ingenio et sapientia quærendam veritatem (*cap.* 7).

Verum ethnici arbitrabantur validissimum ad retinendas religiones suas argumentum duci ex prodigiis, somniis, auguriis et oraculis, quibus deos majestatem suam omnibus manifestam fecisse asserebant. Non magno enim, inquiebant, sine miraculo Accius Navius cotem novacula dissecuit; Castor et Pollux visi sunt pugnare, ac renuntiare reportatam de Perse rege victoriam. Simulacra etiam Fortunæ muliebris, et Junonis Monetæ locuta sunt. Claudia Quintia navim, qua simulacrum Matris Idææ vehe-

Digitized by Google

Recte ergo ex his ita enarratis Lactantius colligit Saturnum non fuisse Deum, ut pote qui homo impius, patris genitalia abscidit, filiosque suos, ex Rhea seu Ope susceptos, excepto Jove, matris suæ et Corybantum fraude sublato, voravit (*cap.* 12 *et* 13). Rursus vero Stoicorum ibi explodit responsionem, qui hanc fabulam ad physicam rationem traducere conabantur (*cap.* 13). Saturnus enimvero non memoratis tantum criminibus hominem se esse probavit, sed etiam quia spoliatus imperio, et profugus, navigio in Italiam venit. Ibi vero cum latuisset, exceptus est a Jano, ac primus aut certe ab Urano secundus regnavit. Manifestum autem auctor noster facit hæc a variis, quos nomine suo appellat, cum historicis scriptoribus, tum poetis tradita fuisse. Sed quoniam ab illis paululum discrepabat Ennius, ea B idcirco paucis describit, quæ de Saturni gestis ab illo et Sibylla eodem fere modo commemorantur (*cap.* 14).

Data autem ubi occasione, narrat quam censet fuisse idololatriæ originem (*cap.* 15). Saturni hujus tempore, inquit, rudes adhuc homines regem suum, totamque ejus progeniem sive ob miraculum virtutis, sive in præsentis potentiæ adulationem, sive ob beneficia accepta, deos appellaverunt. Tum deinde alii simulacra mortuorum regum suorum aut in solatium luctus, aut acuendæ virtutis gratia fabricarunt. Hinc Herculis, Castoris, Pollucis, Æsculapii, et Liberi ficta divinitas. Hinc Ægyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Cabyrum, Pœni Uranum, Romani Quirinum Cæteresque suos. Hinc alii alios, tamquam C veros deos coluerunt.

Præterea quidam falsa pietate ducti, uti Æneas, Liber, Pan, Mercurius et Apollo, divinum parentibus suis honorem habuerunt, suoque exemplo alios in eumdem induxerunt errorem. Sed hoc scelus ab iis postea auctum est, qui poetarum figmentis, et panegyricis mendacibus decepti, suscepta a se impia omnino sacra aliis tradidere gentibus, sed a Sibylla acriter castigantur. Unus autem ex iis fuit Cicero, qui quidem cum post Platonem deos gentilium suorum, homines fuisse prædicaret, mortuæ nihilominus filiæ suæ, non secus ac si dea fuisset, imaginem se consecraturum professus est. At certe si aliquid iis tam acerbe mœrentibus indulgendum, nulla certe potest hæc serio credentibus venia concedi. Quid D enim dementius, quam Julium Cæsarem, quia scelerato Antonio placuit, et Quirinum sive Romulum, quia Proculus pejeravit, deos renuntiare ac venerari (*cap.* 16)? Horum vero cæterorumque gentilium, hujusmodi deos colentium, insaniam inde adhuc redarguit, quod mares et feminas eos esse asseverabant. Nam si in eis est diversitas sexus, ergo coeunt, suscipiuntque liberos, ergo domos et urbes incolunt, ergo victus causa colunt agros, ac proinde non dii sunt, sed mortales infirmæque creaturæ. Huc accedit, quod sexus femineus masculino est infirmior. Atqui in verum Deum neque hæc, neque alia ulla cadit infirmitas.

A Quæ quidem postquam Lactantius (*cap.* 17) noster Ciceronis testimonio stabilivit, commentitiam illorum divinitatem, a Stoicis cum rerum naturalium ratione conjunctam, funditus subvertit designata in eorum imaginibus uniuscujusque ætate et morte, decantatis ipsorum ærumnis, verbi gratia Isidis, Cereris, Latonæ et Junonis, ac divulgatis sceleribus, stupris, adulteriis Veneris, quæ artem meretriciam instituit, itidem Vulcani, Minervæ, Æsculapii, aliorumque plurium, quos nominatim recenset (*cap.* 18). Nec minus evidenter demonstrat eos desipere, qui ob corporis fortitudinem, aut propter frugum, aut vini, aut artium quarumdam inventionem, deos factos esse opinabantur (*cap.* 19). Neque dicendum iis aliquam saltem venerationem et cultum deberi. Fieri etenim nequit, ut qui hos colit, verum Deum colat. Deinde Maro illos omnes apud inferos esse cecinit. At hic aliique poetæ etsi in deorum nomine, non tamen in enarrandis variis illorum facinoribus, bellis, adulteriis, vulneribus, et morte falluntur.

Ad proprias Romanorum religiones Lactantius inde accedit, ac palam utique facit ab illis in deorum numero reponi scorta et meretrices, ac præsertim lupam Romuli nutricem, sicuti prius ab Atheniensibus Iœnam (*cap.* 20). Sed major proculdubio fuit illorum impietas, qui in lupæ honorem et diem festum et Larentinalia constituerunt. Faulam quoque Herculis scortum venerabantur, ac meretricem Floram, in cujus memoriam obscenissimos agebant ludos Florales. Quid vero quod Tatius Cloacinam, Tullus Hostilius Pavorem et Pallorem, Marcellus Honorem ac Virtutem, Mentem vero senatus, ac, quod pejus est, alii Rubiginem et Febrem tamquam veros deos consecraverunt, coluerintque. Quid plura? Quemadmodum Lacedæmonii simulacrum Veneri armatæ, ita iidem Romani Veneri Calvæ ædem, atque eodem tempore Jovi Pistori aram exstruxerunt. Denique divina apud ipsos numina erant Fornax, Muta, sive Lara, Caca et Cunina; deus Sterculius et Terminus, atque alia mille cæcæ errantisque humanæ mentis portenta.

Si tanta igitur erat gentilium in diis suis creandis amentia, major certe illa fuit in sacris illorum solemnibus instituendis et celebrandis (*cap.* 21). Quid enim insanius et crudelius humanis hostiis, quæ Jovi, Dianæ, Hæso, Teutati, ac Saturno immolabantur? Sacra vero Matris deum, Virtutis seu Bellonæ, et Ægyptiacæ Isidis solebant aut virilium abscissione, aut fuso cruore humano, aut deglabrato corpore, et pectoris percussione fieri. Et quia Osiridis in iisdem sacris quæsiti nomen mutatum fuerat, Lactantius ibi variis exemplis probat deorum nomina post eorum mortem immutata fuisse. Sed pergamus, si placet. Cereris, inquit, Eleusinæ mysteria non sine summa agebantur obscenitate, quam ille pro merito exagitat, atque ibidem ostendit Herculis et Jovis sacra mero esse sacrilegia. Sallustium porro aliosque refellit, qui volebant hæc ingeniose interpretari. Pontificum namque scriptis et Furii Bibuculi exemplo

Digitized by Google

demonstrat quanta credulitate, turpitudine, impietate hæc omnia ab ethnicis celebrabantur.

Harum autem vanitatum auctor apud Romanos fuit Sabinus rex, id est, Numa Pompilius, qui ut populos securius deciperet, finxit se cum Egeria, sicut olim Minos cum Jove, habere colloquium (*cap.* 22). Sed fraudulenti regis malitiam retexerunt libri de jure pontificio, diu post ejus mortem inventi, quibus impius rex omnes religiones dissolvebat. Quamvis autem senatusconsulto hi libri cremati fuerint, non idcirco tamen abolita, sed potius commendata est posteris facti hujus memoria. Antea vero Faunus in Latio nefaria Saturno avo sacra præscripsit, diisque annumeravit Picum patrem suum, et sororem Fatuam Faunam, cujus ridicula mysteria ibi Lactantius enarrat. His adjecit ab Orpheo introducta in Græciam sacra Liberi patris, inquiritque utrum ille Fauno sit antiquior. Planum deinde nobis facit quæ fuerint Didymi et Euhemeri de idololatriæ origine opiniones, et quomodo templa Jovi Atabyrio, Labradeo, Laprio, Molioni, et Cassio ædificata sint. Postremo ex Theophili Antiocheni scriptis colligit frustra ethnicos de deorum sacrorumque suorum antiquitate gloriari, quandoquidem Saturnus omnium deorum sator ante annos 1800 nec amplius ortus fuerat, quam hi libri juris facti sint publici (*cap.* 23).

A

B

ARTICULUS II.

Analysis libri secundi.

Ad fœtidum planeque corruptum erroris, quo homines in idololatriam lapsi sunt, aperiendum fontem, summamque unius Dei majestatem asserendam, hoc Lactantius in libro aggreditur (*cap.* 1). Ac primo quidem miratur homines in tantam et Dei et sui ipsius venisse oblivionem, ut, negata Dei providentia, mortuos ei præferrent, animamque suam crederent esse mortalem. Mentibus siquidem eorum, inquit, adeo insita est veri Dei notitia et præsentia; ut jurantes, optantes, gratiam agentes, ac potissimum rebus in adversis, eum solum non alios deos nominent. Verum cæci homines, elapso periculo, vel in secundis rebus ad deorum templa, instigante diabolo, alacres concurrebant, sacrificabant his diis falsis, eosque coronabant. Sed obliti fuerant homines nefarii se erecta in cœlum statura, atque ἄνθρωπος nomine admoneri, ut Deum agnoscerent, nec ad simulacra conversi, digitorum suorum opera timerent aut venerarentur.

C

D

Quam absurda autem sit hæc superstitio, hinc perspicue auctor noster demonstrat, quod illa simulacra absentes mortuosque olim homines repræsentent, omnique careant sensu (*cap.* 2). Manibus itaque efficta hominum hos potius colere, quam ab illis coli deberent. Nullam enimvero accipiunt potestatem ab artifice, qui eam, quam habet videndi, audiendi, loquendi, aut se ipsum movendi facultatem, dare illis non potest. Neque tamen indoctorum tantummodo hominum hanc Lactantius ostendit fuisse de simulacrorum cultu opinionem, sed doctorum etiam, ac præcipue Ciceronis, qui etiamsi multa ad evertendas eorumdem ethnicorum religiones suis passim in libris congesserit, Socratis nihilominus carcerem veritus, hæc negat vulgo esse disputanda (*cap.* 3). At hunc ineptum tanti oratoris, contra conscientiam suam agentis, timorem auctor noster jure merito redarguit. Minus itaque illum, et alios ipsi similes, venia dignos esse pronuntiat, quam vulgus imperitorum, qui simulacrorum specie capiuntur. Sana tamen si mens his fuisset, intelligere utique debebant mortale revera esse quidquid oculis cernimus, nec illud proinde divinum et colendum. Multo autem minus fas illis erat se vertere ad lapidem, eumque, velato capite et corpore prostrato, adorare, ipsi cædere victimas, votaque facere penitus inutilia.

Tum vero postquam auctor noster evidentissime convicit falsas religiones a prudentioribus recte impugnari sed veram, quam solus Deus edocere potest, ab eis non esse inventam, simulacra deorum rursus exagitat (*cap.* 4). In homunculi enimvero potestate situm fuit, ut ea, vel aliud aliquid, vel nihil faceret. Cum autem facta sunt, in eis aves insident, nidificant, suisque illa inquinant stercoribus. Præterea hæc simulacra perire possunt et cremari. Plerumque etiam in cinerem redacta sunt, aut furibus cesserunt in prædam. Frustra igitur ethnici illa auro, ebore, gemmis et pretiosis vestibus exornabant. Nihil quippe aliud erant, quam pupæ iis, quas puellæ Veneri, dicabant, grandiores. Hoc accedit quod illa a Dionysio Siculæ tyranno, et ab impio Verre impune sunt irrisa, spoliata, sublata. At ibi Lactantius urget in primis ablatum ab eodem Verre Cereris Catanensis vel Ennensis simulacrum.

Impios itaque illos cultus deserendos esse concludit, et oculos ad cœlum tollendos; ut illius rerumque omnium creatorem agnoscamus et honoremus (*cap.* 5). Variis autem argumentis probat falsam esse opinionem philosophorum, qui elementis, ac nominatim Stoicorum, qui astris aut mundo tribuebant animam et divinitatem. Eos insuper corripit qui elementorum figuras, humana specie repræsentatas, ornatasque auro, ebore, et gemmis non solum colebant, sed iis quoque consecrabant manubias rapinasque suas (*cap.* 6). Tanta tamen pertinacia absurdas illas superstitiones tuebantur, ut eas investigare scelus esse clamarent. At Romuli et Numæ exemplo probat auctor noster non iniqua traditione, aut alienis erroribus, sed ingenio et sapientia quærendam veritatem (*cap.* 7).

Verum ethnici arbitrabantur validissimum ad retinendas religiones suas argumentum duci ex prodigiis, somniis, auguriis et oraculis, quibus deos majestatem suam omnibus manifestam fecisse asserebant. Non magno enim, inquiebant, sine miraculo Accius Navius cotem novacula dissecuit; Castor et Pollux visi sunt pugnare, ac renuntiare reportatam de Perse rege victoriam. Simulacra etiam Fortunæ mulebris, et Junonis Monetæ locuta sunt. Claudia Quintia navim, qua simulacrum Matris Idææ vehe-

Digitized by Google

batur, traxit cingulo. Æsculapius Romæ pestem sedavit. Claudius Censor propter sua in deos sacrilegia excæcatus est, Fulvius mente captus interiit, Turullius occisus fuit, Pyrrhus fecit naufragium, et Alexandri milites oculorum privati lumine. Quin etiam Attinius, qui Jovi, per somnum viso, morem non gesserat, correptus est, ac sua tandem obedientia pristinam recepit valetudinem. Denique Artorii somnio Augustus Cæsar ex periculo evasit. Ethnici ergo ex his omnibus prodigiis ac miraculis, quæ sine deorum suorum auxilio fieri non potuisse opinabantur, inde illos revera existere et omnipotentes esse concludebant.

Verum Lactantius respondet hæc omnia neutiquam deorum illorum potestate, sed dæmonum facta fuisse præstigiis (*cap.* 8). Quod quidem ut manifestum omnibus faceret, rem ab ipsa sua origine sic repetit. Deus ab mundi, inquit, principio produxit similem sibi spiritum, et alium fecit qui, invidia ex bono malus factus, diaboli nomen accepit. Variis autem rationum momentis, ac veterum testimoniis auctor noster contra Epicurum probat nec mundum nec materiam ab æterno exstitisse, sed ex nihilo facta a Deo, qui eorum creationi suum præfecit Filium. Omnium autem creaturarum ultimus conditus est homo, cujus non est arcana rimari, quæ Deus occulta esse voluit, sed summa sapientia ejus est hunc verum agnoscere Deum, a quo illa omnia facta sunt (*cap.* 9). Tantum vero opus a cœlo, luminibus astrorum distincto orditus est, ac contrarias constituit terræ partes, orientem videlicet occidenti oppositum, et septentrioni meridiem. Ab oriente autem noster oritur dies, et nox ab occidente, atque hæc diaboli, sicut ille Dei est. Quatuor vero illis terræ partibus tribuuntur calor et frigus, variæque temporis vicissitudines; igni autem et aquæ rerum omnium generatio. At inde proculdubio quidam philosophi docuerunt omnia formari ex concordia discordi, vel ex igne, quemadmodum Heraclitus: vel ex aqua, ut Thales Milesius. Cæterum materia corporis animantium in humore, animæ vero in igne est. Sed animantes aqua, ac solus homo igne utitur.

Varii autem generis animantes Deus creavit, et cum statuisset innumerabiles creare animas, hominem sibi similem fecit ex humo, unde ille nomen traxit suum (*cap.* 10). Meræ ergo sunt poetarum fabulæ, quibus homo dicitur fictus a Prometheo, patre Deucalionis, quem solum a diluvio servatum commenti sunt. At verum est, inquit Lactantius, ab eodem Prometheo profectam artem statuas et simulacra fingendi, et ejus tempore primum constructa templa, ac invectos falsorum deorum cultus. Hermetis etiam auctoritate iterum confirmat hominem a Deo procreatum, atque insulsos explodit errores philosophorum, qui garriebant animantes sine ullo artifice ex terra ortas, aut mundum semper fuisse, aut semper futurum. Fusius autem ibi insectatur Lucretium, qui nugas suo more vendit, dum canit animalia et homines non modo alimenta sua, sed ortum quoque duxisse ex folliculis terræ, tamquam illorum uteris (*cap.* 11). Fortuito enim casu quia hæc fieri non potuerunt, ab eodem poeta, etiam invito, divina providentia, qua homo, Tullio Sibyllaque attestantibus, revera conditus est, agnosci debuit.

Postquam vero Deus formavit hominis corpus, eique infudit animam, tum feminam figuravit, ut ex utroque proles propagaretur (*cap.* 12). Quamvis autem falsa omnino non sit Trismegisti et Empedoclis opinio hominem quatuor elementis componi, contendit tamen Lactantius hæc ad duo reduci, ignem et aquam, hancque corpore, illum anima concludi. Itaque homo corpore et anima, quæ cœli et terræ effigies sunt, sic constat; ut anima, quæ est a Deo, corporis dominium et superiorem partem; corpus vero, quod diaboli est, inferiorem teneat. Duobus itaque illis repugnantibus rebus cum homo compositus sit, mutuus in ipso est illarum, sicut lucis et tenebrarum, vitæ et mortis conflictus, quo quidem si anima vicerit, fiet immortalis, sive beata fruetur immortalitate; si autem victa sit, morte secunda, hoc est, æternis suppliciis, afficietur.

Sic igitur factus homo in paradiso est collocatus, ut omnis laboris expers Deo serviret. Sed quia datam ab eodem Deo legem prima mulier, instigante diabolo, ac deinde homo perfregerunt, eos e paradiso ejectos *mors secuta est*. Vita autem hominum ad mille, atque iis omnibus posthæc diluvio ob scelera extinctis, ad centum et viginti annos fuit prorogata (*cap.* 13). Post illud autem diluvium Noe, et nequaquam Bacchus, manu sua sevit vineam, cujus inebriatus fructu, jacuit nudus; atque Chamum filium suum, qui nuditatem ejus non texerat, abdicavit. Is autem profugus in ea terræ parte sedem demum fixit, quæ Chananæa dicta est. Posteri vero ejus Chananæi cultum veri Dei, qui penes Hebræos remansit, primi omnium reliquerunt. Postea Ægyptii cœperunt sidera, ac deinde portentosas animalium figuras adorare. Cæteri, per terram dispersi, elementa sine ullis imaginibus et templis honorantes, sacrificia ipsis in aperto faciebant, donec processu temporis potentissimis regibus templa construxerint.

Porro autem cum Deus ab initio dedisset diabolo terræ potestatem; ne homines, qui multiplicari cœperant, corrumperet, ad eorum custodiam misit angelos (*cap.* 14). Sed hi, diabolo suadente, cum mulieribus congressi, tantum ob scelus cecidere in terram, et ejusdem diaboli facti sunt satellites. Ex illis vero procreati sunt plurimi immundi spiritus, qui mediam inter angelos et homines naturam habent, ac sub principe suo diabolo malorum omnium auctores sunt, et a poetis ac philosophis agnoscuntur. Multa porro, sed non omnia sciunt, atque ideo ambigua interrogantibus dant responsa. Custodes præterea hominum se videri cupiunt, ut ab iis colantur, sed eos fallunt magicis artibus. Ut autem illos facilius deducant in errorem, per omnem terram, assumpto geniorum nomine, vagantur, ac spiritus sui tenuitate sese insi-

Digitized by Google

nuant corporibus hominum, quos morbis affligunt, A terrentque somniis.

Nec dicendum eos colendos, ne noceant. Non enim nocent, nisi idolorum cultoribus, et iis a quibus timentur (*cap.* 15). Contra vero metuunt cultores veri Dei, cujus nomine adjurati fugantur, ac qui ipsi sint, etiam inviti, proclamant. Quin etiam Hermes et Asclepius olim testati sunt eosdem veri Dei cultores ab eorum incursionibus esse tutos. Ab illis autem, ait Lactantius, astrologia, aruspicina, auguratio, necromantia, aliæque malæ artes inventæ sunt; iisque omnibus dolis se deos esse mentiuntur, et invecta idololatria, hominibus illudunt (*cap.* 16). Magi tamen execranda sua arte illos veris suis nominibus cient. Verumtamen vagi illi et incesti spiritus sic omnia turbant, ac cum veris falsa miscent; ut quamvis alii B sancti immortalesque angeli deos se dici nec velint nec patiantur, hi tamen spiritus nequissimi nomen cultumque deorum sibi sæpissime vindicaverint.

Atque ex his ita explicatis auctor noster eam solvit, quam superius proposuimus, argumentationem, qua ethnici ex memoratis prodigiis, somniis, auguriis, oraculis deos suos existere, et colendos esse perperam inferre moliebantur. Nam hæc facta esse asseverat iis, quæ enarravimus, malis dæmonum artibus, præstigiis, dolis, et fraudibus, quibus se in templis occultant, atque impiorum præsto sunt sacrificiis. Quod quidem ille repetitis et examinatis singulatim objectis omnibus, uti aiebant, prodigiis et miraculis, cuilibet planum utique facit ac manifestum.

Cur ergo, inquiebant ethnici, hæc Deus fieri permittit? Ut mala, respondet Lactantius, cum bonis pugnent, et Deus, cujus perfecta patientia et ira est, piis et impiis hominibus sempiterna, post mundi finem persolvat, aut præmia aut supplicia (*cap.* 17). Denique facta eorum, quæ in hoc libro scripserat, brevi repetitione concludit Deum nec in terra, nec in simulacris, quæ nihil nisi simulatum et falsum exhibent, quærendum, sed in cœlo, unde animarum nostrarum origo est. Tum proposito ibi sequentis libri argumento, hunc absolvit.

ARTICULUS III.

Analysis libri tertii.

Lactantius hoc in libro contra gentiles philosophos D disputaturus, optat aliquam Tullianæ eloquentiæ proximam facultatem, qua philosophiæ philosophorumque vanitatem facilius demonstret (*cap.* 1). Veritatis tamen, quæ se ipsam sua claritate prodit, potentia fretus, sperat fore ut certissimis argumentis convincat tam falsas esse illorum philosophorum opiniones, quam vera est eorumdem ipsorum de sua ignoratione confessio.

Primum itaque argumentum ducit a philosophiæ nomine, sive sapientiæ studio, quo Pythagoras, illius auctor, tametsi paulo plus aliis saperet, significavit nullo humano studio posse ad veram sapientiam perveniri (*cap.* 2). Philosophi enim sapientiæ revera studiosi dici non possunt; quippe qui post longissimum per tot sæcula studium, illam non sunt consecuti.

Tres autem sunt philosophiæ partes, physica, logica, ethica, quæ vel scientia, vel opinatione constare debent (*cap.* 3). At in physica quæ scientia esse potest, cum rerum naturalium causas perspicere nequeamus? Cui namque plane exploratum umquam fuit quantum solis, et quale lunæ sit corpus, quis stellarum status, quanta terræ crassitudo? Jure igitur merito Socrates et Academici omnibus philosophis scientiam sustulerunt. Sola itaque opinatio in hac prima philosophiæ parte habetur (*cap.* 4 *et* 5). Atqui opinatio nihil affert certi, nosque dubios ita reddit, ut nihil pro utravis parte asserere liceat. Recte ergo a Zenone et Stoicis hæc ipsa opinatio repudiata est. Falluntur itaque qui in physica aliquod sapientiæ studium esse jactitarunt.

Ad hæc vero, philosophi in tot tamque a se invicem discrepantes sectas divisi sunt, defensoresque illarum sic inter se digladiantur; ut mutuis vulneribus se ipsos totamque secum philosophiam jugulent ac conficiant. Ex his autem concertationibus emersit Arcesilaus, qui asseverabat nihil omnino posse sciri. Sed hic aliorum opiniones evertendo, suam non firmius, quam alii, stabilivit. Multa quippe sicut ignoramus, ita et plura alia perspecta habemus (*cap.* 6). Neque enim putandum nos omnia scire, quod Dei est, neque omnia nescire, quod est pecudis. Homo itaque habet scientiam cum ignoratione conjunctam. C Hæc a corpore, illa oritur ab animo. Tota ergo errant via physici qui omnia scire se posse garriebant, et Arcesilaus decipitur, cum Academicis, qui nihil sciri posse arbitrabatur.

Transit inde Lactantius ad alteram philosophiæ partem, quam ethicam nuncupant, et in qua longe majori periculo erratur (*cap.* 7). Quantum tamen in ea philosophi a veritate recesserint, ille evidenter ostendit ex variis illorum opinionibus de summo bono, in quo totius sapientiæ cardo vertitur. Quot autem fuerint hinc conjice, quod non eas quidem omnes, sed decem præcipuas singillatim recenset ac refellit (*cap.* 8). Anaxagoram deinde castigat, qui summum bonum in eo situm esse somniaverat, quod cœli ac solis videndi causa natum se esse crederet (*cap.* 9). Nascitur siquidem homo, ut cœli rerumque omnium conditorem contempletur, honoret, et illi soli serviat. Ex iis porro auctor noster concludit summum bonum ab iis duntaxat agnosci, qui veri Dei cultum et veram religionem profitentur (*cap.* 10). Quibusdam insuper, nec sane invalidis, rationum momentis evincit summum illud bonum non posse ab aliis comparari, quam cultoribus veræ religionis, quæ ab omnibus idcirco suscipienda est. Neque etiam negabant philosophi veram religionem suscipi debere : sed quia nesciebant illam a sapientia non posse separari, non perspexerunt quæ ea sit, ex qua requirendum est summum illud bonum, quod nec in voluptate, nec divitiis, nec regno, nec gloria

Digitized by Google

positum esse potest (*cap.* 11). Nam virtus, qua nihil est pulchrius, et honestius, caduca hæc et fragilia quælibet bona contemnit, atque adversus illicitas cupiditates ac vitia pugnat; ut, iis superatis, homo fiat immaculatus, beatamque assequatur immortalitatem (*cap.* 12).

In hac autem ipsa immortalitate situm esse illud bonum probat Lactantius auctoritate Euclidis, Senecæ, Stoicorum et Anaxagoræ, variisque rationibus asserit. Quin etiam Menecæus, uti ille subjungit, Codrus, Curtius, et Mures spe immortalitatis mortem constanter obierunt. At certe philosophis, qui animam censent esse immortalem, nisi erroribus nimia obstinatione adhæsissent, illud plane probari debuit. Alii vero, qui summum bonum in scientia aut virtute posuere, tenuerunt quidem viam veritatis, sed non pervenerunt ad verum summum bonum. Etenim situm illud est in hac, ad quam virtus ducit, felici immortalitate, quæ solis veræ religionis cultoribus conceditur.

Tum Lactantius dilata de animæ immortalitate quæstione, docet aliam philosophiæ partem, quæ logica appellatur, ad divinam eruditionem comparandam non desiderari; quia non in verbis, sed in rebus et corde sapientia est (*cap.* 13). At si hæc philosophiæ pars, atque etiam physica, quæ beatum facere nequeunt, necessariæ non sint; si in hac, atque ethica ad quam Socrates se contulit, tanti, ut dictum est, sint errores, quid aliud restat, nisi concludamus falsam et inanem esse gentilium philosophiam.

Falluntur ergo, qui philosophiam putant esse sapientiam, atque in primis Cicero, qui dixerat eam vituperari non posse, ac virtutis et justitiæ esse magistram. Majoris siquidem hoc ipso inconstantiæ quam Lucretius redarguitur. Nam hic poeta principem sectæ suæ Epicurum nimiis et insulsis quidem, sed iisdem semper laudibus extollit. At Cicero quos laudat et sequitur Græcos, intolerandæ numquam non accusat levitatis (*cap.* 14). Philosophiam quoque vitæ parentem vocat, negat tamen ullum unquam fuisse sapientem. Sæpe vero gloriatur se diligenter studuisse philosophiæ : sed Academicorum partes secutus, nihil profecto certi tanto studio assequi potuit.

Errante autem Cicerone, quis unquam veritatem se obtinuisse certo asseverabit? Non sane quidem Seneca, qui perperam definivit philosophiam esse recte et honeste vivendi rationem, aut artem, aut scientiam (*cap.* 15). Falsa siquidem illa est, varia, multiplex, et sibi ipsi contraria. Boni insuper absque philosophia sunt homines. Philosophi e contrario sunt iracundi, cupidi, libidinosi, arrogantes ; idque Lactantius demonstrat Ciceronis, Cornelii Nepotis, Aristippi, Cynicorum, et ipsismet etiam Senecæ exemplis.

Quid plura? Philosophi non in virtutum operibus, sed in eloquentiæ studio vitam agebant (*cap.* 16). Ex ipsa vero philosophia non quærebant utilitatem, sed oblectationem. Denique Cicero, Lucretius et Seneca fatentur recentem esse philosophiæ originem. Persius vero eam posteriori ætate Romam cum pipere et palmis advectam cecinit. At sapientia cœpit cum homine, multisque ætatibus præcessit ethnicorum philosophiam.

Gradum inde Lactantius facit ad ipsos philosophos, ac præcipua illorum documenta funditus evertit. Ab Epicuro autem, cujus celebrior cæteris erat disciplina, exorsus ostendit illum unicuique, quod ingenio magis congruebat, indulsisse, sibique inepte contradixisse, cum voluptatem summum bonum esse contendebat. Dehinc auctor noster exponit qua ille ratione negaverit providentiam, et pluribus argumentis hunc expugnat errorem. Similibus rationum momentis radicitus evellit aliam, quam ille a Leucippo et Democrito acceperat non minus absurdam opinionem, nimirum omnia fortuito atomorum concursu fieri, eique adulantem Lucretium adhuc insectatur. Denique falso falsius esse asserit, quod impius homo prædicabat, mortales esse nostras animas.

Nec magis tolerandos esse censet Pythagoricos et Stoicos, qui docebant animas quidem insinuari in corpus, sed de uno migrare in aliud (*cap.* 18). Qui vero eas, inquit, immortales suspicabantur, sibi ipsis, tanquam in cœlum migraturis, cruentas manus intulerunt, uti Cleanthes, Chrysippus, Zenon, Empedocles, et Cato, quos Democritus, tametsi alia opinione duceretur, et Ambraciotes, lecto Platonis de animæ immortalitate libro, imitati sunt. At quæ, amabo te, major quam horumce homicidarum deliratio, insania et furor?

In eos etiam, atque in Ciceronem in primis Lactantius invehitur, qui docebant vitam esse malam, et mortem bonam, aut primum hominis bonum esse non nasci, et citius mori secundum (*cap.* 19). Non levi autem brachio hunc errorem concutit, ac recte concludit mortem ex vitæ præteritæ actibus aut bonam esse aut malam. Nec magis sapiebat Plato, qui Pythagoræ animarum transmigrationem, seque Euphorbum fuisse stulte prædicantis, errorem amplexatus, gratias naturæ agebat, quod homo, quod masculus, quod Atheniensis, quod Socratis tempore vixerit. Nonne enim Alcibiades et Critias Platonem assidue audierunt? At ille tamen hostis patriæ fuit, hic tyrannus.

Non diffitetur tamen Lactantius Socratem aliis paulo esse cordatiorem philosophis, qui asseverabant rerum naturam ingenio posse comprehendi (*cap.* 20). Nam hi proculdubio sceleratiores erant illis nimium curiosis hominibus, qui contra vetitum in ædem Vestæ, aut Bonæ Deæ, aut Cereris intraverunt. Contendit tamen ille multa Socratis dogmata reprehensione esse dignissima, atque illud in primis effatum : *Quod supra nos, nihil ad nos.* Laudandus quidem est si hoc pronuntiato publicas ethnicorum religiones subvertere voluit : sed in hoc, sicut Ægyptii, fuit superstitiosus, quod dejerabat per canem et anserem, atque

Digitized by Google

ante mortem jusserit Æsculapio gallum, quem voverat, pro se sacrari.

Ad Platonem vero quod attinet, quid, quæso, magis pudori, fidei conjugali, humanæ societati, et justitiæ repugnat, quam illius placitum, quo statuebat communia esse debere matrimonia? Sic enim humanam vitam ad belluarum similitudinem redegit (*cap.* 21 *et* 22). Numquid etiam sanus erat, qui cum videret earumdem belluarum, seu marium, seu feminarum communia esse officia, inde intulit a nostris etiam mulieribus, arma tractanda, atque magistratum, et imperium suscipiendum? Quidni enim pari jure attribuit viris et lanam et infantium gestationes?

Nonne etiam inter minores philosophos desipiebat Democritus, qui agros suos pascua fecit publica (*cap.* 23)? Nonne illo insanior is fuit qui patrimonium, in nummos redactum, projecit in mare? Certe ea uterque, uti Tuditanus, spargere populo, aut egentibus potius largiri debebat. Nonne irridendus quoque Zeno, qui docebat paria esse peccata, et inter vitia et morbos ponebat misericordiam? Quid alteri philosopho facias, qui nivem asserebat esse nigram? Quid Xenophani, qui putavit lunæ globum duodeviginti partibus esse terra majorem, eamque ab aliis, quam hujusce terræ hominibus inhabitari? Quid tandem facias Senecæ, qui dubitavit utrum in globo solis quidam incolæ essent populi?

A vero etiam eos Lactantius aberrare existimat, qui asseveranter affirmabant esse antipodas, et pendulos, ut ille loquitur, homines (*cap.* 24). Nam hi, inquit, majorem nobis admirationem movere debuissent, quam horti pensiles ab omnibus tam multo sermone olim celebrati.

Ad philosophiam inde revertitur, quam Cicero declarat fugere multitudinem, et a doctis tantum comparari (*cap.* 25). Non illa ergo, ait Lactantius, est sapientia, quæ hominibus sine ullo discrimine data, ab omnibus percipi potest. Stoici quidem contra Ciceronis sententiam servis et mulieribus, Epicurus vero rudibus philosophandum, et Plato civitatem sapientibus componendam esse censuerunt. Sed nemo ex illis id perduxit ad exitum. Nam prius discenda est grammatica, rhetorica, geometria, musica, et astrologia. Atqui has scientias et artes discere nec mulieribus, nec rudibus concessum est. Quamobrem nulla mulier præter Themisten, nullus servus præter Phædonem, nemo barbarus præter Anacharsim coluere philosophiam. Plato autem et Diogenes, qui operam ei dederunt, non servi, quemadmodum nonnulli opinantur, fuerunt, sed illis evenit servitus.

Contra vero omnes doctrinam cœlestem, in christiana religione traditam, facile consequuntur; atque illius, quæ sola sapientia est, servatis decretis ex hominibus improbis et injustis fiunt justi et boni (*cap.* 26). Uno enim, quod gratis datur, lavacro omnis aboletur malitia, positoque vetere homine, novus redditur.

Fatetur quidem Lactantius multa esse præcepta philosophorum; sed tam parvi, inquit, sunt momenti, ut nullus idcirco illis obtemperet (*cap.* 27). Ibi autem Stoicos, qui sola virtute beatam vitam effici, et Epicurum, qui sapientem etiam in tormentis beatum prædicabant, plane refellit, tum quia non quælibet tormenta, sed ea tantum, quæ pro fide, justitia, et Deo tolerantur, beatum efficiant; tum etiam quia solus Deus dare potest debitum virtuti præmium, videlicet immortalitatem felicitatemque æternam. Philosophi igitur, qui hanc appetunt, nec veram religionem tenent, virtutis vim, et mercedem prorsus ignorant.

Hac porro veræ religionis, unius summi Dei, et cultus ei debiti ignoratione iidem philosophi in maximos lapsi sunt errores (*cap.* 28). Inde finxerunt naturam esse omnium matrem, aut fortunam esse deam. Hinc Empedocles queritur angustas esse nostrorum sensuum semitas. Inde Anaxagoras somniavit omnia tenebris circumfusa, Democritus veritatem in puteo esse demersam, Academici nihil posse sciri. Sed Lactantius has omnes convellit falsas opiniones, atque eam potissimum, qua fortunam deam omnibus dominari garriebant, illiusque defensorem Tullium plane confutat (*cap.* 29). At christiani, inquit, probe noverunt nullam esse ejusmodi fortunam, sed spiritum pravum, hostem justitiæ, omnium bonorum insidiatorem, qui ut hominem exerceat ad virtutem, non statim a Deo detrusus est ad pœnam. Denique facta eorum, quæ in hoc libro dixerat, repetitione, atque exposito superiorum ac subsequentis libri argumento, huic finem imponit.

ARTICULUS IV.

Analysis libri quarti.

Miratur Lactantius, ac deplorat cæcitatem hominum, qui relicto veri Dei cultu, fictitios plures alios, eorumque simulacra venerari cœperunt (*cap.* 1). Inde enimvero prodierunt injustitia, impietas, dissidia, fraudes, scelera, caligo et tenebræ. Septem tamen, sublata sapientia, de rebus naturalibus disputaverunt, qui per antonomasiam cognominati sunt sapientes. Sed parvus horum, ab aliis arrogantiæ et inscientiæ condemnatorum, numerus insipientiam cæterorum omnium redarguebat. Alii autem post eos philosophi frustra ubi quæsierunt sapientiam, ubi non erat (*cap.* 2). Pythagoras enim et Plato illius et veritatis indagandæ causa accesserunt ad Ægyptios, Magos et Persas, minime vero ad Judæos, apud quos solos illa remanserat. Arbitratur autem Lactantius illos inde divina providentia aversos, ne scirent veritatem, quam Deus constituerat, appropinquante ultimo tempore, per Ducem magnum patefacere. Quod quidem in hoc libro demonstrandum aggreditur, postquam ostenderit sapientiam non posse a religione divelli.

Manifestum itaque prius id facit, quod jam in libro primo demonstraverat, sapientiam non inveniri in multorum deorum cultu, sed in vera religione, qua unus dumtaxat Deus colitur, nec idcirco a sapientia separari potest (*cap.* 3). Plurium siquidem deorum cultus et rationi et naturæ adversatur, quia sicut unius hominis unus pater, et unus dominus, ita et unus

Digitized by Google

tantum Deus est. Quin etiam sicut matrimonium verum esse non potest, ubi una mulier multos viros habet, sic nec religio vera est quæ multos deos veneratur. Sapientia igitur jubet ut unum tantum Deum amemus, sicut patrem, et religio ut eum timeamus, tamquam Deum (*cap.* 4). Neutra itaque potest a se invicem separari. Quamobrem philosophi, filiis abdicatis aut servis fugitivis similes, non accipient hæreditatem cœlestis regni, quia verum sapientiæ et individuæ comitis ejus religionis fontem Deum ignoraverunt. Neque respondeas hanc a Platone et Tullio agnitam. Non enim eum uni veroque Deo cultum reddiderunt, qui debetur omnium soli patri, domino, rectori, ac vitæ et necis potestatem habenti.

Nobis autem hanc sapientiam et religionem patefecit Deus verus, de quo et operibus ejus antequam auctor noster disputet, sacrorum prophetarum nostrorum, qui plura de illo prænuntiarunt, ætatem breviter explanandam esse censuit (*cap.* 5). Ex hac quippe narratione omnes facile intelligent primo illos græcis scriptoribus esse antiquiores : secundo vera esse, quæ de Christo vaticinati sunt, quandoquidem hæc quomodo prædixerant completa vidimus.

Quibus præmissis, narrat Deum, antequam mundi opus adoriretur, genuisse spiritum, patria virtute pollentem, quem filium suum et Deum appellavit (*cap.* 6). Ab omnibus autem sive profanis, sive sacris vatibus hanc generationem annuntiatam fuisse comprobat, ac nominatim Trismegisti, Sybillæ et Salomonis testimonio. Tametsi vero nomen filii Dei, qui sua potestate ac prudentia mundum condidit, soli ipsi et Patri suo sit cognitum, ille nihilominus Jesus vocatur ab hominibus (*cap.* 7). Varias autem reddit rationes cur neutiquam propria, sed potestatis et regni nuncupatione cognominetur Christus, non vero Chrestus, quemadmodum ignari quidam dictitabant.

Ad hæc vero, ille luculenter ostendit non primam tantum æternamque Christi generationem, sed secundam quoque, qua homo factus est, ab Hieremia semel et iterum renuntiari (*cap.* 8). Sed quia duplex illa generatio non minimas animis plerorumque hominum, ac quorumdam quoque christianorum obduxerat tenebras, priorem sic explicat : Filius Dei a suo Patre solo sine feminæ permixtione genitus fuit. Quo autem modo genitus sit, etiamsi nemo scire, aut enarrare homo queat, ex sacris tamen litteris discimus eum Dei esse sermonem et rationem. Is vero spiritus est, quem Deus Pater ex Deo Deum, non tacite, sicut angelos, sed *de ore suo vocalem*, non utero, sed mente concepit et generavit. Quamobrem jure merito sermo et verbum Dei dicitur, manetque in æternum. Quod quidem Auctor noster clarius enucleare conatur facta cum angelorum creatione et hominum voce comparatione; ac prophetarum Davidis, Salomonis, et Johannis evangelistæ verbis stabilit ac confirmat. Quia vero ille vox et sapientia Dei est, Græci idcirco ipsum melius λόγον, quam Latini *verbum* sive *sermonem* appellavere. Addit Lactantius λόγον hunc Zenoni et Trismegisto non fuisse penitus incognitum (*cap.* 9).

Suprema porro Dei dispositione oportuit eum, appropinquante sæculi termino, in terram, *non in virtute angeli* (ipsa Auctoris nostri verba sunt), *aut potestate cœlesti, sed in figura hominis et conditione mortali* descendere, ut homines doceret justitiam, et templum, id est, Ecclesiam Deo constitueret (*cap.* 10). Ut omnes autem facilius agnoscant in hac sola Ecclesia, seu religione, sapientiam inveniri, demonstraturum se esse pollicetur ea suum sortitum esse effectum oracula, quibus sacri prophetæ prænuntiaverunt *fore ut Filius Dei nasceretur sicut homo, mirabilia faceret, cultum Dei per totam terram disseminaret, patibulo figeretur, et tertia die resurgeret.*

Rem itaque a prima origine sic repetit. Majores nostri principes Hebræorum, relictis propter sterilitatem patriis sedibus, in Ægyptum migraverunt. Sed quia intolerabili servitutis jugo premebantur, inde, duce Moyse, post annos 430, educti, cum eo transierunt per divisos mirabiliter Rubri maris fluctus. Cum vastissimas dehinc solitudines peragrarint, miraculis ab eodem Moyse patratis minime commoti, profanos susceperunt Ægyptiorum ritus. Quamobrem gravissimas tam ingrati animi, tantorumque scelerum dederunt pœnas, missique sunt sub legis Mosaicæ jugum. Postea vero cum in quadam Syriæ parte consedissent, hæc terra Judæa, et ipsi Judæi appellati sunt. Ibi sub judicibus ac deinde regibus constituti, ob peccata, et susceptas pravas religiones vexati sunt bellis, et variis servitutis generibus, quarum ultima Babylone contigit. Exinde tetrarchas habuerunt usque ad Herodem, et quintum decimum Tiberii imperatoris annum, quo Christum crucis affecerunt supplicio.

Itaque posteaquam Judæi ita ad impios deorum cultus descivissent, ac sibi a Deo missos, qui ad meliorem frugem hortabantur, sacros prophetas sprevissent occidissentque, tum Deus, quemadmodum Hieremias, Esdras, Helias, Malachias, David, Isaias prædixerant, Filium suum, opificem rerum, et suum consiliatorem misit, ut sanctam religionem transferret ad gentes (*cap.* 11). At is tamen Dei Filius, ut liberam iisdem Judæis Deum sequendi faceret potestatem, ex eorum gente virginem elegit, ejusque se insinuavit utero, quemadmodum a Salomone, Isaia, Davide et Daniele longe antea prænuntiatum fuerat (*cap.* 12). Jure igitur merito illos Auctor noster propterea coarguit, quod alium Messiam expectent Christum quippe verum esse Messiam, ex hac virgine natum, et verum hominem factum, aliis adhuc Danielis, Davidis, et Isaiæ verbis plane convincit. Præterea hunc prima generatione ab æterno Patre sine matris, sicuti secunda sine patris officio a matre sua ortum esse verum Deum et hominem, non modo facta ejus comprobarunt, sed citata etiam a Lactantio Isaiæ, Hieremiæ, Davidis, Moysisque verba, imo etiam Apollinis Milesii, tametsi iste de illius divinitate obscurius loquatur (*cap.* 13).

Planum dehinc ille facit eosdem prophetas oraculis suis præmonstrasse fore ut Christus ex Davidis

Digitized by Google

familia nasceretur. Nam hoc significant Isaiæ et Nathan verba, quæ Judæi præpostere ad Salomonem detorquere moliti sunt. Nec minori evidentia docet sacerdotium ejusdem Christi in fundata ab illo Ecclesia prædictum fuisse divinis Davidis, et auctoris primi Regum libri, ac Zachariæ oraculis; quæ Judæi de Josue aut sacerdote Jesu, filio Josedech, explicare frustra conabantur (*cap.* 14).

Ad præcantata ab iisdem sacris vatibus miracula Christi inde delabitur, postquam demonstravit ab illis pariter prænuntiatam vocem in ejus baptismate auditam (*cap.* 15). Eo quippe lavacro ablutus, innumeris miraculis, quæ ab Apolline portentificæ virtutes appellantur, paralyticos, claudos, cæcos, mutos, surdos, leprosos et quolibet morborum genere afflictos, non manu aut medicamentis, sed solo verbo sanavit pluresque mortuos revocavit ad vitam. Ad hæc vero, quinque millia hominum quinque panibus et duobus piscibus in deserto saturavit, sedavit tempestates, et super mare siccis ambulavit pedibus. Ostendit autem Lactantius hæc antea annuntiata fuisse, aut prophetarum nostrorum vaticiniis, aut Sibyllarum carminibus, quorum auctoritatem elevare gentiles tum perperam moliebantur.

At plurimi his longe iniquiores objectabant hominem infami mortis supplicio interemptum, ab aliis hominibus sine insania coli non posse (*cap.* 16). Verum præterquam quod nemo credidisset Christum esse Deum, aut divino honore dignum, si felicissimam in hoc mundo vitam vixisset; mortis certe illius genus, magna et divina virtute susceptum, pluribus ante sæculis David et Salomon vaticinati fuerant. Judæi vero ira et invidia obcæcati, ideo cruci illum suffixerunt, quod nescirent duos fore ejus in hunc mundum adventus, quorum prior sicut David, Isaias, et Sibylla prædixerant, non sine dedecore et ignominia esse debuit.

Urgebant tamen Judæi Christum hominem fuisse impium; quippe qui abrogavit Moysis legem, suillæ carnis interdictum ac circumcisionem (*cap.* 17). Sed nequidquam, ait Lactantius. Nam sicut Michæas, Sibylla, et ipsemet Moyses, ita Isaias; idemque Moyses, et Jesus Nave Christi typus, præcinerant ferendam esse novam legem, qua vetus, ac circumcisio tolleretur. Quid vero, quod illa circumcisio Judaica prænotabat annuntiatam a prophetis sanctam cordis et spiritus circumcisionem, quemadmodum suillæ carnis interdictio demonstrabat a peccatis, et fœdis actibus esse abstinendum?

Præterea Christus Judæ proditionem ac necem suam prædixerat, nec anticipato tempore, Pilatus illum falso accusatum tradidit Judæis (*cap.* 18). Ab his autem, quemadmodum Isaias, Sibyllæ et David prænuntiaverant, flagellis cæsus, deformatus sputis, felle et aceto potatus, tamquam agnus obmutuit, et ductus ad victimam lignoque crucis suspensus, ultro mortem obiit Gaviana crudeliorem, et, quæ nulla eloquentiæ vi satis deplorari potest. Porro autem illam Christi mortem, et quæ postea contigerunt ab Esdra, Isaia, Davide, Hieremia, Moyse, Amos, et Sibylla scriptis prius tradita legimus (*cap.* 19).

Nec minus perspicue sacri prophetæ nostri dudum antea enuntiaverunt Christum tertia post mortem die ad vitam revocandum. Ex his autem auctor noster citat Davidem, Oseam, ac Sibyllam (*cap.* 20). Tum ille narrat quomodo Christus redivivus in Galilæam profectus sit, ubi non Judæis, ne eos in pœnitentiam adduceret, sed discipulis suis videndum se præbuit, eisque patefecit sacræ Scripturæ arcana, quæ huc usque a nemine poterant perspici. Sacra autem hæc Scriptura Vetus Testamentum vocatur, a Novo minime distinctum. Illius quippe hoc adimpletio est, et in utroque idem testator Christus, qui morte sua Christianos, rejectis Judæis, fecit, Hieremia teste, æterni regni hæredes.

Tandem ille quadragesimo post mortem die in cœlum, uti antea scripserat Daniel, conscendit (*cap.* 21). Discipuli vero illius per totum mundum postea dispersi, magna peneque innumerabilia miracula fecerunt, posueruntque Ecclesiæ fundamenta. Ex his Petrus et Paulus Romæ prædicantes, a Nerone occisi sunt. Extat autem, ait Lactantius, ea Petri prædicatio, quæ Judaicæ gentis ruinam, Vespasiano imperante, futuram prænotavit.

Contra tamen christianæ religionis hostes instabant fieri non posse, ut quid unquam de natura immortali decedat, Deoque indignum, ut qui homines docturus erat, fieret homo, infirmitatibus carnis nostræ et morti subjectus (*cap.* 22). Nonne enim Christus homines majori et efficaciori auctoritate docuisset, si venisset ut Deus?

Nequaquam, ait Lactantius. Doctor enim et præceptor debet tradita a se morum vitæque præcepta non verbo tantum docere, sed implere etiam exemplo (*cap.* 23). Quod sane post mundum conditum solus Christus, utpote Deus et homo, exsecutus est. Terrenus namque doctor summam doctrinam et virtutem capere non potest, nisi ab aliis doceatur (*cap.* 24). Cœlestis vero magister, nisi homo, non potest hominibus præire exemplo, ac quid agendum sit præmonstrare. Debuit ergo Christus ex virgine nasci, et simul homo esse et Deus; ut inter Deum et homines mediator sive, ut aiunt Græci, μεσίτης constitutus, Ecclesiam conderet, doceret homines, eosque ad immortalitatem perduceret (*cap.* 25).

Cur autem cruci affixus mori voluerit, duplicem Lactantius profert rationem (*cap.* 26). Primo quia hoc necis illius genus a prophetis fuerat prænuntiatum. Secundo, sicut edita a Christo miracula, quæ auctor noster singulatim enarrat, ita etiam aceti potus, spinea corona, et alia quæ pertulit tormenta, magnum aliquid significabant. Denique tot tantisque cruciatibus, tamque crudeli morte, homines et patientiam docuit, et mortis contemptum.

At, inquiebant, cur supplicio crucis potius, quam alia honestiori morte vitam finire maluit? Respondet Lactantius, ut infirmis et humilibus opem ferret; ut præberet omnibus exemplum; ut corpus ejus inte-

Digitized by Google

grum, et ad resurgendum habile servaretur; ut mors ejus omnibus innotesceret; ut ostenderet ex omni terrarum orbe congregandum sub alas suas populum, qui signum crucis erat susceperurus. Adjecit ille figuram mortis Christi fuisse agnum, qui a Judæis ex Ægypto exeuntibus immolatus est.

Ostendit deinde miram esse potentiam signi crucis, quo quidem, ac Christi nomine dæmones expelluntur, nec consulti possunt dare responsa (*cap.* 27). Neque dicendum id ab iis non metu, sed odio fieri. Christianos quippe, hoc crucis signo munitos, potius punire quam fugere deberent. Ad hæc vero, si dæmones, qui gentilium dii revera erant, christianis, crucis signum præferentibus, nocere non possint, et ab iis vincantur, vera profecto et victrix est christiana religio. At hosce dæmones eosdem esse, ac ethnicorum deos, variis Lactantius probat argumentis, atque eo potissimum, quod illi necromantiæ artibus evocati, de se, et de Deo respondebant quidem, sed non aliunde, quam ab inferis, ubi Christus biduo tantum fuit.

Trismegistus autem plura locutus est de illo, et Deo Patre ejus, quem agnoscere, et cui servire omnino tenemur (*cap.* 28). Atque inde religio, id est, a pietatis vinculo, quo religati sumus, non a *religendo*, uti opinabatur Cicero, nomen sortita est. At sicut religio veri Dei, sic superstitio, quæ a voce *superstes* nomenclationem habet, falsorum deorum impius est cultus.

Post hæc docet Lactantius Christum, Dei Filium, unum et ejusdem cum summo Patre suo substantiæ esse Deum (*cap.* 29). Ab illo siquidem tamquam a fonte rivus, et radius a sole procedit, nec potest ab eo separari. Quod quidem quibusdam exemplis explicatum, duplici confirmat Isaiæ testimonio. Ex quibus concludit summum Patrem Deum cum Filio colendum.

Veram autem hanc doctrinam non solum infensissimi christianæ religionis inimici gentiles atque Judæi impugnabant; sed hæretici quoque, uti prædictum fuerat, labefactare nitebantur (*cap.* 30). Quidam etenim ex his, qui lubrica fide, erroribusque suis fecerunt ecclesiasticæ unitatis dissidium, augendis opibus et honori studebant, maximumque affectabant sacerdotium; vel credebant aut esse incongruum, aut fieri nentiquam posse; ut Deus carne humana indueretur, vel falsorum tandem prophetarum vaticinatione decepti sunt. Singulos autem hæresum auctores, ut ab iis diligentius caveamus, nominibus suis Lactantius appellat, palamque facit quæ vera sit catholica Ecclesia. Spondet denique se contra omnes hæreticos peculiari in opere disputaturum, nobisque hujus et sequentis libri argumentum proponit.

ARTICULUS V.

Analysis libri quinti.

In hujus libri prologo Lactantius declarat nullum sibi esse dubium, quin homines inepte religiosi, vix lecto fortasse ejus aliorumque principio, illos statim projiciant et exsecrentur, (*cap.* 1). Ab his tamen humanitatis jure postulat, ut eos prius legant, quam condemnent. Sed fatetur se hoc ab illis non impetraturum, qui christianos, inaudita causa, quibuslibet suppliciis excarnificatos trucidabant. Sperat tamen se non omnem prorsus operam perditurum. Nutantes enimvero christianos confirmabit, aut saltem gaudebit se in veritatis luce versari. Neque etiam omnino desperandum fore ominatur, ut orationis dulcedo et suavitas mentes sanas ad ipsum audiendum alliciat. Ethnici siquidem sacris nostris scriptoribus ob rudem impolitumque loquendi modum non crediderunt. Sapientia itaque et christianæ religionis veritas idoneis præconibus cum indigeat, nec qui hactenus ad eam tuendam, uti Minucius Felix, Tertullianus, et Cyprianus se contulere, ejus suffecerint defensioni, plures idcirco ausi sunt contra ignotam sibi veritatem scribere.

Duos autem ex illis eosque sibi notissimos ac coævos memorat, quorum alter philosophi officium professus, disputationes suas corruptissimis moribus destruxit (*cap.* 2). Tribus vero in libris, quos contra religionem christianam evomuit, tam in propugnando deorum cultu, quam in nostra religione impugnanda, vanus apparuit, ineptus, et ridiculus. Alter autem e numero judicum, atque *in primis faciendæ persecutionis* auctor, duos composuit libellos, græco φιλαληθεῖς nomine inscriptos, quibus nisus est demonstrare sacram Scripturam sibi esse contrariam; Paulum et Petrum aliosque Christi discipulos fuisse piscatores, rudes, indoctos, et fallaciarum disseminatores; Christum a Judæis fugatum, ac collecta nongentorum hominum manu, furta fecisse et latrocinia; ab Apollonio vel paria vel majora, quam ab illo, edita miracula; ac tandem hunc Apollonium qui divinitatem sibi non arrogavit, Christo fuisse modestiorem (*cap.* 3). Sed his omnibus tam invicte quam breviter infirmatis funditusque eversis, nos auctor noster admonet se impiis sacrilegorum horumce Scriptorum divulgatis commentationibus stimulatum, manum his admovisse libris conscribendis, in quibus christianæ religionis veritatem plenius et uberius, quam Tertullianus in Apologetico, ac Cyprianus in sua ad Demetrianum oratione, tuebitur et demonstrabit (*cap.* 4). Suo autem si hortatu et exemplo præmonstratam viam docti homines inierint, non dubitat, quin brevi tempore pravæ religiones evanescant, solaque supersit christiana religio.

Finita hac præfatione, venit ad propositam de justitia disputationem (*cap.* 5). Summa vero, inquit ille, virtus aut virtutis fons est hæc justitia, quam poetæ et philosophi frustra quæsitam finxerunt e terris migrasse in cœlum. Saturno siquidem regnante, cultus veri Dei, pax summa, et temperantia ubique regnabant. At Jupiter postquam regnum eidem Saturno patri suo eripuit, terrore insolentissimæ potestatis homines a Deo abduxit, ut ipsum adorarent (*cap.* 6). Tum vero sublatus est veri Dei cultus, et ignorantia,

Digitized by Google

cæcitas, error, vitium, avaritia, idololatria, malaque omnia postea ita inundaverunt, ut nullum amplius exstiterit justitiæ vestigium. Verum Deus indulgentissimus suum, ultimo appropinquante tempore, misit nuntium, qui hancce justitiam, quæ ipsa *Dei unici pia et religiosa cultora* est, ad nos tandem reduxit (*cap.* 7).

Cur ergo, inquies, illam non omnibus pariter dedit? Quamvis Lactantius huic quæstioni jam fecisset satis, rursus tamen respondet Deum non exclusisse penitus mala, eaque permisisse, ut virtus suum, sine quo cônstare nequit, adversarium haberet, ac christianorum fides et constantia exerceretur. Falluntur ergo, qui putabant a mundo abesse justitiam. Ante eorum enim oculos erat, et ab omnibus facile suscipi potest, si verum Deum colere et præcepta illius implere voluerint. Si rite enim observarentur, nulla plane forent bella, nullæ dissensiones, insidiæ, fraudes, rapinæ, nulla stupra, adulteria, aliaque crimina; nullus esset extra generandi cupiditatem concubitus, ac per totum terrarum orbem mansuetudo, pietas, pax, innocentia, æquitas, temperantia, fides vigerent. Universa siquidem mala impius deorum cultus secum invexit (*cap.* 8).

Nulla igitur apud falsorum deorum cultores poterat esse justitia, quippe qui innocentes christianos, atque ut ipsi fatebantur, justorum imitatores, quibuscumque horrendis suppliciis vexando, et occidendo, belluas feritate superabant (*cap.* 9). Tantam autem crudelitatem, tantumque odium pepererat veritas, christianorumque pietas, et sanctimonia, quibus solent malorum hominum scelera argui et condemnari. Tam pii enimvero erant christiani, quam impii gentiles, uti auctor noster longa scelerum et criminum, in quibus hi quotidie volutabantur, enumeratione, atque Senecæ et Lucilii testimonio convincit. Quid vero, quod Æneæ exemplo ostendit tum etiam eos esse maxime impios, cum vellent pii omnibus videri (*cap.* 10).

Pro impietatis itaque merito gravioribus sæpe vexabantur malis, quæ illi fortunæ perperam tribuebant. Offenso etenim vero Deo, pœnas hi aliique, qui apud illos religiosi et natura boni videbantur, jure meritissimo solverunt. Jovem namque colebant, et Venerem, aliosque deos detestandis infames sceleribus. Quæ quidem omnia ut eorum cultores possent impune imitari, in theatris repræsentare non erubescebant.

Itaque ea fuit illorum impietas, et crudelitas, ut immanissimam, dictuque plane horrendam, quam Lactantius graphice depingit, in christianos commoverint *persecutionem* (*cap.* 11). Quin etiam sceleratissimi homines sacrilegas et a Domitio collectas leges condiderunt; ut scirent omnes quibus pœnis christianos multari oporteret. Sed hos imitari debebant ethnici, si sapientes fuissent, si vero stulti, illos spernere et irridere, vel suam illis relinquere stultitiam (*cap.* 12). Quis enimvero, nisi stultissimus, A stulto invideat? At iidem ethnici eum in christianos tam crudeliter sæviunt, fatentur quidem illos non esse stultos, sed metuunt ne, invalescente in dies illorum justitia, ipsi *cum diis suis narinosis* deserantur. Et certe christianorum numerus nec tormentis, nec morte imminutus, semper crescebat (*cap.* 13). Quis autem non virorum tantum, sed mulierum etiam et puerorum invictam ubique gentium in immanissimis et horrendis suppliciis patientiam, auctumque semper eorum numerum considerando, confestim non intelligebat et illos minime stultos, et veram esse eorum religionem?

Nec sibi objici Lactantius patitur quosdam cessisse suppliciis. Data enimvero sibi facultate, et Ecclesiis pace, ad christianam professionem protinus rediere, B et acta peccati pœnitentia, firmior facta est eorum fides. Nostri porro martyres illatam sibi immanissimis cruciatibus mortem cum facillime vitare possent, eam longe gloriosius, quam Mutius et Regulus, sponte sua oppetierunt. In iis itaque martyribus vera, quæ ab Horatio et Seneca laudatur, virtus et sapientia, quemadmodum mera, ut canunt Sibyllæ, in gentilibus, fictitios deos colentibus, impietas et stultitia fuit.

Cur vero christianos tametsi sapientes, ab ethnicis stulti dicerentur, hanc Lactantius reddit rationem, quia justitia quamdam præ se fert stultitiæ speciem (*cap.* 14). Sed antequam id ille Carneadis Academici, ab Cicerone et Lucilio plurimum laudati, duplici pro justitia, et contra justitiam oratione ostendat, mani- C festum nobis utique facit duas justitiæ esse partes pietatem et æquitatem. Pietas autem est Dei cognitio et cultus. Æquitas vero seu æqualitas, omnes homines æquos et pares facit. Atqui ethnici Deum verum neque cognoscunt neque venerantur. Apud ipsos quoque erant pauperes et divites, ac diversæ omnino hominum conditiones, sicut et diversi honorum dignitatumque gradus. Nulla igitur apud illos fuit pietas et æquitas, ac proinde nulla justitia. Omnes vero christiani verum Deum colunt, ac quamvis corporum conditione diversi, spiritu nihilominus, et sincera animi demissione, seu *humilitate*, rerumque humanarum contemptu, opum atque utilitatum communicatione, pares erant et æquales (*cap.* 15). Tum deinde orationis a Carneade contra justitiam, quam philosophi D nec invenire nec defendere potuerunt, habitæ hanc summam exhibet (*cap.* 16). In ea Carneades justitiam in civilem et naturalem divisit. Utramque vero subvertere eo conatus est, quod civilis sit quidem sapientia, sed justitia non sit, naturalis autem sit justitia, sed non sapientia. Plurima enim, inquiebat ille, quæ sapienter acta videbantur, injusta plane erant, uti patet exemplo hominis, qui vel venalis domus celat vitia, vel ut vitæ suæ consulat, tabulam alteri secum naufragium facienti, vel equum alteri secum in communi certamine ab hostibus vulnerato eripit. Verum tota hæc Carneadis oratio, cui doctiores ethnici respondere non poterant, ab auctore nostro firmis rationibus, dataque vera

Digitized by Google

sapientiæ et stultitiæ definitione confutatur, penitusque destruitur (*cap.* 17).

Altera Carneades pro justitia oratione probare nititur ideo eam ab hominibus coli, et comparari, quia honor est debita virtuti merces (*cap.* 18). Sed hanc quoque orationem refellit Lactantius, quia Academicus ille homo sibi absurde contradixit, nec compertum habuit quod sit virtutis præmium. Ab solo siquidem illud dari potest Deo vero, qui voluit virtutem sub stultitiæ specie esse celatam. Nec minus clare auctor noster ostendit ab ethnicis dementibus christianos in stultorum numero propterea censeri, quod torqueri et interfici mallent, quam tribus digitis thura falsis diis incendere.

Inexpiabilis autem facinoris reos esse probat, qui hujuscemodi diis, sive potius dæmonibus, quorum nec originem nec nomen noverant, impie servientes, Deum verum ab aliis coli non patiuntur (*cap.* 19). Prius siquidem quam christianis vim inferrent, probare utique debebant, qui qualesve sint eorum dii, quo cultu honorandi, et utrum illorum providentia mundus regatur. *Religio* enim *cogi*, inquit, *non potest* : non vi et armis, non scelere et sævitia, non cruciatibus et cæde, sed invictis rationum momentis, patientia et spontanea morte defendi persuaderique debet. Voluntaria autem idcirco est, quia Deus nec amat nisi amantem, nec audit, nisi ex animo precantem. Atqui ethnicorum religio tota est in ritibus externis, quibus falsos deos, christianorum vero tota in animo, quo verum Deum adorant ac precantur.

Qui ergo deos non colit nullam illis facit injuriam, aut si quam faciat, hæc ab ipsismet diis, non vero ab aliis propulsanda erat (*cap.* 20). Neque etiam christianos ad sacrificia illis facienda cogere ulli licebat. Exsecratio namque est, non sacrificium, quod ab invito extorquetur : nec illud aut volentibus diis, aut christianis nolentibus prodesse poterat.

At objiciebant ethnici puniendos esse, qui religionem evertunt. Sed christiani, reponit Lactantius, eam minus destruebant, quam Ægyptii, qui bestias et dictu pudenda venerabantur; quam alii ethnici, qui deos suos in templis adorabant, et deridebant in theatris : quam philosophi, qui docebant aut nullos esse deos, aut omnia sua sponte vel fortuitu fieri : quam alii tandem, qui venditabant deos de terrenis rebus nullam habere curam, nec unquam ira aut gratia commoveri, nec ab ullo homine timendos. Verum insani revera gentiles, et furore a dæmonibus inspirato excæcati christianos, fictis diis sacrificare recusantes, quibuslibet atrocissimis suppliciis enecabant (*cap.* 21).

Verum hi ab iisdem christianis sciscitabantur cur illorum Deus patiatur suos cultores non solum cruciari, sed pauperes esse, miseros et inhonoratos (*cap.* 22). Sed huic quæstioni facile respondet Lactantius. Proposita etenim patientiæ, quam virtutem maximam esse negare nemo potest, definitione, evidentissime ostendit hæc a Deo permitti; quia non ad fragilia corporis, sed ad perpetua animi bona respiciendum est. Deinde Deus sinit christianos his adversis tentari, ne rebus prosperis corrumpantur, ut illorum probet fidem ac devotionem, ut eorum numerus augeatur, et plurimi relicto tandem deorum cultu, illorum sequantur exemplum. Neque tamen tyranni, qui in illos tanta inhumanitate sæviebant, id ferent impune, sed in extremo judicio punientur. Recte ergo hinc concludit dandam ab omnibus hominibus justitiæ, patientiæ, aliisque virtutibus operam; ut finito hujus vitæ decursu, æternam mercedem accipiant.

ARTICULUS VI.

Analysis libri sexti.

Docet in hoc libro Lactantius quo ritu, quove sacrificio Deum coli oporteat, ac quis sit verus in quo summa rerum consistit, Dei cultus (*cap.* 1). Nullus autem, inquit, alius hic est, nisi innocentia, quam solam Deus ab homine desiderat. Tota itaque via ethnicos errasse demonstrat, qui deos suos hostiis, sacrificiis, libationibus, aliisque externis ritibus, tamquam iis indigerent, colendos censebant (*cap.* 2). Verus etenim Dei cultus est, quo mens colentis se ipsam illi immaculatam hostiam sistit. Quomodo autem id præstandum sit, deinceps a se auctor noster dicit esse patefaciendum, ut ad justitiam, qua, teste Cicerone, nihil melius, homines erudiantur. Primo autem docet duas esse humanæ vitæ vias, quarum una virtutis est, et ducit ad cœlum; altera vitiorum, et ad inferos deprimit (*cap.* 3). Nobis autem enucleate explicat quam incogniti philosophis, poetisque fuerint utriusque viæ exitus, quantumque illi in utraque explicanda a christianis dissideant. Dehinc ostendit tam planam, facilem et jucundam esse vitiorum viam, quam virtutum iter difficile, spinosum et asperum; sed finem illius sempiternam esse pœnam, et hujus beatam immortalitatem (*cap.* 4). Nam hæc æterna felicitas maximis tantum laboribus, in hac vita constanter toleratis, conceditur. Quapropter Deus voluit communem hominibus esse adversarium, qui eis omni dolo et arte insidietur, coneturque illos ad peccatum allicere atque avocare a recta virtutum semita.

Ad singulas autem virtutes exponendas priusquam ille veniat, rejicit ac refellit datas a poeta Lucilio virtutis descriptiones, ex quibus Cicero vivendi officia, suis in libris explicata, traxerat (*cap.* 5 et 6). Planum dehinc facit virtutem præcise positam non esse, uti putabant, in boni et mali scientia, vel in augenda re familiari, vel opibus quærendis, vel pretio divitiis persolvendo; aut bonorum malorumve defensione, aut commodis patriæ parandis. Lucilium porro aliosque in tradendis virtutis definitionibus ideo deceptos esse colligit; quia cum nemo, nisi a Deo eruditus, quæ vera sit virtus, scire queat, hi umbram tantum et imagines ejus consectati sunt (*cap.* 7). Huc accedit, quod falsa virtutis et sapientiæ specie delusi, non animadverterunt varios vitiorum et inferni tramites, quibus diabolus homines pro sua cujusque

Digitized by Google

animi propensione ad perniciem inducit ac pertrahit. Neque etiam magis compertum ipsis fuit unicam esse virtutis et veritatis semitam, cultum videlicet veri Dei, quo solo in salutis portum penetrare possumus.

Tum docet Lactantius suscipiendam esse Dei legem, mirum in modum a Cicerone laudatam, sed cujus ille nunquam agnovit præcepta (*cap.* 8). Illorum primum, caputque est Deum nosse, colere, eique obtemperare soli. Quamobrem illius ignoratio summum est malum. Jus vero civile, aliasque peculiares gentium leges utilitas invenit (*cap.* 9). Qui eas igitur divinæ legis ignarus sequitur, is justus fieri non potest. Quorum etiàm, uti Cimonis, quæcumque virtutes, naturali ingenio, et sine cognitione veri Dei comparatæ videntur, horum supervacua sunt et inania bona opera, ac similia humano corpori capite carenti. Vera itaque pietate caret quisquis Deum non agnovit, omnesque ejus, quæ bonæ apparent, actiones in mortifera et tenebrarum via inveniuntur. Qui autem Deum agnoscit, et vivit injuste, hic tamquam animal quoddam vitiosum, ac debile est, sed potest sanari. Ut perfecte autem sanus homo juste vivat, huic cognitio Dei, sicut corpori caput, et virtutes, ut eidem corpori membra plane necessaria sunt. Primum ergo justitiæ officium, in quo salus hominis et summa rerum versatur, est verum Deum agnoscere, et illum debito cultu prosequi, semper ei parere, devotissime servire, et in illo promerendo omnem collocare operam.

Sicut autem primum justitiæ officium est conjungi cum Deo, et hoc vocatur religio : ita secundum est cum homine consociari, et illud appellatur misericordia vel humanitas (*cap.* 20). Propria vero justorum hæc virtus continet vitæ communis societatem. Deus enim homines ideo inermes creavit, instruxitque sapientia, ut sese invicem diligant, ac mutuis officiis tueantur. Quocirca tollendæ sunt, uti Deus jubet, inimicitiæ, et aliis semper benefaciendum. Plautum itaque et Ciceronem recte Lactantius castigat, qui opem negabant egentibus ferendam, et alios refellit misericordiæ osores, qui nolebant hominem alteri etiam mox perituro succurrere (*cap.* 11). Cicero tamen postmodum pœnitentia quasi actus, confessus est *idoneis* hominibus indigentibus de re familiari aliquid impertiendum. Sed hunc confutat Lactantius, quia *idoneorum* nomine homines intelligit, qui possint gratiam referre. Fatetur quidem melius esse largiri tribulibus suis, sed contendit verum misericordiæ et largitionis officium esse egentes et inutiles alere, aliisque in necessitate opitulari, sed sine ulla spe aut humanæ gloriæ aucupandæ, aut fœnoris ullius recipiendi. Bene enimvero alteri facientes, mercedem a solo Deo exspectare debent.

Dehinc auctor noster contra eumdem Ciceronem disputat de hospitalitate, de redemptione captivorum, de pupillorum, viduarum et aliorum auxilio destitutorum defensione, de cura ægrorum ac de peregrinorum et pauperum sepultura : quod quidem ultimum misericordiæ officium ab ethnicis prætermissum fuerat (*cap.* 12).

Tum variis ille rationibus ethnicos redarguit, qui objiciebant his pietatis et misericordiæ officiis una die exhauriri unius hominis patrimonium. Variis siquidem rationibus evincit non timendam hujusmodi paupertatem, atque ea saltem, quæ superfluunt, erogandа.

Magnam autem docet esse mercedem misericordiæ, ob quam Deus homini pollicetur, si tamen non peccandi deinceps propositum adsit, omnia se peccata remissurum (*cap.* 13). Neque ulli fas est animum prætexere nullius peccati conscium. Nam præterquam quod is inde majorem justitiæ operam impendere deberet, nullus profecto est ab omni prorsus cujuslibet peccati labe vacuus et purus. In sola porro justitia, qua qui eget, pauper est, collocandæ divitiæ. Et vero si ethnici in fabricandis exornandisque deorum simulacris opes consumunt, quanto æquius est illas hominibus egenis, qui viva ac spirantia sunt Dei simulacra, liberaliter impertiri.

Post hæc Lactantius insectatur impugnatque Stoicos, qui misericordiam, omnesque alios animi affectus ab homine tollendos esse opinabantur (*cap.* 13 *et* 14). Perspicue autem ostendit singulos mutis animalibus singulis, et universos homini a natura insitos esse, hancque Stoicorum opinionem recidere in errorem Peripateticorum qui vitia, *quoniam*, uti inquiebant, *tolli non possunt*, *medietate temperanda* esse somniaverant (*cap.* 15 *et* 16). Nam contendit ille nec immerito fugienda vitia etiam mediocria. Ad hæc vero, in maximis quemadmodum in minimis affectibus potest esse vitium et virtus. Præterea nec morbus, nec vitium est ira, libidine et cupiditate moveri, sed esse iracundum, libidinosum et cupidum. (*cap.* 17.) Quin etiam metus aliquando summa fortitudo est. Nonne enim Dei timor invictos in horrendis crudelissimisque cruciatibus ac ipsa morte facit. Non evellendus ergo timor, ut stoici, neque moderandus, sicut Peripatetici arbitrabantur, sed in veram viam dirigendus. Similiter cupiditas vitium non est, si non terrena, sed cœlestia concupiscamus. Stoicos itaque rursus refellit, qui hæc non cupiditate, sed voluntate fieri, et homines, ad immobilem mentis stuporem sive ἀπάθειαν deduci posse garriebant. Nam vis et ratio animi est in motu, ac sicut cogitatio est mentis agitatio, ac vita actuosa, ita mors est quieta. Sed illorum error inde ortus erat, quod ignoraverint præscriptos virtutis limites. Non virtus quippe est mortem more philosophorum quorumdam contemnere, sed eam constanter sustinere, cum aliqui ad Deum relinquendum, aut veram fidem prodendam, adigere nos volunt. Ciceronis autem ac Senecæ testimonio id Lactantius asserit et corroborat.

Redit inde ad explicanda alia Dei præcepta, quibus prohibetur, ne quis fragilem boni operis gloriam captet, vel mentiatur, vel accipiat creditæ pecuniæ usuram, aut aliquod a paupere munus, aut maledi-

Digitized by Google

centi nisi benedicendo respondeat; aut culpa sua alium hominem faciat sibi inimicum, aut injuriam ulli faciat, aut illatam ferat impatienter (*cap.* 18). Ibi autem Cicero recte corripitur, qui decernit pœnas ab eo, qui nos lacessivit, posse merito jure reposci. Qui enim pœnas a lædente repetit, jam virtus est. Ad hæc vero Deus prohibet, ne sol super iram nostram occidat. Nec immerito Cicero Cæsarem in hoc potissimum laudat, quod nihil nisi injuriarum soleret oblivisci.

In Peripateticos ibi auctor noster adhuc recidit, eosque propterea inscitiæ condemnat, quia docebant iram esse virtutis fomitem, qua fortius adversus hostes dimicetur (*cap.* 19). Ira enimvero, cupiditas, et libido, unde fictæ a poetis tres furiæ, hominem in omnia peccata præcipitem agent; nisi earum limites a Deo constituti recte serventur. At sicuti gentiles eos prætergressi sunt, sic qui intra illos se continet is patiens est, fortis et justus.

Gradum inde facit ad quinque corporeorum sensuum voluptates, quæ coerceri debent, aut quemadmodum animi affectus, ad rectam rationem revocari (*cap.* 20). In belluis autem unam tantummodo, quæ ad generandum pertinet, esse arbitratur; infinitas vero in homine sed virtute comprimendas. Una ex iis est oculorum, quam nonnulli philosophi jure merito proscribunt, nisi publica probarent spectacula, iisque delectarentur. Ludos vero circenses, ac nominatim spectacula gladiatorum vetita esse docet generali Dei lege, qua quodlibet homicidium facere, aut videre, aut filios recenter natos exponere omnibus omnino interdicitur. Nec minori severitate improbat comœdias, tragœdias, venationes Saturno dicatas, scenicos ludos Libero, memoratos circenses Neptuno consecratos, cæterasque ejusmodi ludorum celebrationes.

Neque etiam minus, inquit, vitiosa est aurium voluptas, quæ ex suavitate vocis, sermonis et cantus maxime in scena et theatro percipitur (*cap.* 21). Eam sane ob causam voluit Deus divinas scripturas simplici sermone conscribi. Si cui autem homini voluptati sint cantus et carmina, huic, ait Lactantius laudes Dei canere et audire debet esse jucundum.

Gustatus autem et odoratus oblectamenta similiter cavenda sunt (*cap.* 22). Turpe siquidem bono sapientique viro est, si ventri et gulæ serviat, aut floribus incedat coronatus. Voluptatum præterea illecebræ arma diabolo subministrant, quibus titillat animas, earumque virtutem expugnare conatur.

Fatetur quidem Lactantius voluptatem tactus esse totius corporis sensum : sed de sola libidine disserit (*cap.* 23). Quamvis autem hæc in hominibus longe major et ardentior, quam in cæteris animantibus sit; eam tamen diabolus variis modis, ac maxime lupanaribus, palam et impune constitutis, acuit et inflammat. Contra ejus itaque impetus maxima virtute armari debemus. At si quis ejus affectus frænare non possit, illam intra legitimi thori contineat præscriptum. Nulli enim viro plures mulieres, neque ulli mulieri plures viros ullo plane modo simul habere licet. Ab utroque autem conjuge servanda est conjugii fides, ac nefas omnibus legitima illius voluptate uti, nisi suscipiendæ sobolis causa. Vitandum itaque non tantum omne adulterium, sed prava cogitatio, ita ut nullus alienam mulierem videndo, illam animo concupiscat. Neque objiciendum difficile esse frænos injicere voluptati. Plurimi etenim, ait auctor noster, beatam et incorruptam corporis integritatem retinuerunt. At hoc continentiæ genus, quod Deus non præcipit, sed duntaxat consulit, est virtutis tamquam consummatio, qua homo ipsi Deo fit similis.

Si quis porro libidine, cupiditate, aut alio quovis modo peccaverit, non desperanda peccati venia, quam Deus sincere vereque pœnitenti concedit. Nec est sane quod quis sibi de peccato occulto blandiatur. Nam nihil, uti ibi Lactantius variis Senecæ Ciceronisque verbis confirmat, est Deo absconditum. Omni itaque peccati labe expurganda est conscientia, illique soli aperienda, qui eam sanare potest (*cap.* 24 *et* 25).

Quisquis autem virtute omni præditus, Dei præceptis paret et obedit, hic verus illius cultor est, ac vere illi sacrificat. Non enim Deus verbenas, filtras, cespitem, ebur, aut ullum texturæ ac picturæ opus, non immolationes, et sanguinem pecudum, non magnifica templa exigit, sed puram mentem, castam innocentemque vitam, laudes, hymnos et gratiarum actiones, quæ, uti Trismegistus memorat, vera dona sunt, et sacrificia, quæ Deus ab homine, ad justitiam, sicut ait Tullius, nato postulat. Hac porro justitia et virtute constat verus Dei cultus, veraque religio. Cæterum ab omnibus misericordia Dei imploranda est, petenda venia peccatorum, et ipse Deus in corde nostro conseerandus.

ARTICULUS VII.

Analysis libri septimi.

Hujus libri initio Lactantius palam declarat instituendam a se disputationem de divino perpetuæ felicitatis præmio, quod variis sacrarum Scripturarum testimoniis, et argumentis probabilibus se demonstraturum esse confidit (*cap.* 1). Sed antea probandum esse putavit quam ob causam factus sit mundus, ac refellendam opinionem Platonis, qui eum semper mansurum, et Aristotelis, qui semper fuisse, ac semper futurum prædicavit. Veriorem quidem esse existimat sententiam Epicuri, qui auctore Democrito, mundum et ortum esse, et periturum asseverat. Sed nec ille, nec alii, inquit, philosophi veritatem leviter odorati, rationem reddere potuerunt cur mundus resolvetur. Quin etiam hi vitiis et cupiditatibus irretiti, ea nunquam vera esse intellexerunt, quæ a christianis traduntur.

Tot vero tantorumque errorum præcipua procul dubio origo fonsque fuit, quod propriis ingenii viribus ea comprehendere voluerint, quæ ab homine, nisi a Deo edoctus fuerit, non possunt intelligi (*cap.* 2). Stoicos vero nominatim corripit, qui modo naturam

Digitized by Google

dividebant in duas partes, efficientem et effectam, quarum una non possit esse sine altera : modo asserebant Deum esse mentem mundi, et mundum Dei corpus (*cap.* 7). Plato quidem eis præiverat, qui docuit mundum a Deo factum, et ejus providentia gubernari : sed is non explicat cur et cujus gratia factus sit. Stoici vero prædicabant illum esse conditum hominum causa. Verum Epicurus hanc opinionem rejecit, asseruitque illum ortum sponte sua, ac fortuito atomorum concursu. Sed se nescire fatebatur quam factus sit ob causam. Omnes itaque errores illos auctor noster impugnat et destruit (*cap.* 4). Variis autem rationibus demonstrat mundum creatum a Deo fuisse, non quidem propter illum ipsum, neque propter se, qui eum creavit, et sine illo esse potest, sed animantium causa, et animantes propter hominem. Cur ergo, inquiebant philosophi et cum eis Cicero, creata est pestiferarum bestiarum et natricum tanta multitudo? Respondet Lactantius homini sapientia prædito bona et mala esse proposita, ut hæc vitaret, et illis uteretur. Quam quidem responsionem postquam Asclepiadis testimonio corroboravit, docet utique propter ipsummet Deum creatum fuisse hominem, ut opera ejus intelligat, miretur, prædicet et illum tamquam verum patrem suum colat ac veneretur (*cap.* 5). Atque hinc facile satisfacit Epicuro perperam roganti quæ ex hominis creatione Deo utilitas.

Urgebat vero impius ille philosophus hominem, si hæc vera sint, non debuisse mortalem, et tot morbis obnoxium creari. At priusquam Lactantius tam frivolæ argumentationi, jam in superioribus libris eversæ respondeat, rursus mundi creationem breviter exponit, atque hominem post cæteras omnes creaturas mortalem conditum; ut *infinita vis*, sive multitudo gigneretur animarum, et ipse homo laborum malorumque tolerantia summum immortalitatis bonum, non naturæ, sed virtuti tribuendum consequatur. Mortalis itaque primum nascitur, et postea fit immortalis, et immortali felicitate donabitur, si tamen justitiam, veri Dei cultu contentam, et cœlesti lavacro acceptam, spretis terrestribus bonis, ac sanctis operibus sartam tectam et integram servaverit.

Errant igitur, qui plures deos colunt, garriuntque mundum nulla ratione, sed voluptatis nostræ causa factum, nulla Dei providentia administrari, et animam hominis cum corpore interituram (*cap.* 6).

Quamvis autem cœlestis hujus doctrinæ summam non intellexerint philosophi gentiles; nulla tamen eorum fuit secta, quæ veri aliquid non viderit; sed quod ejus fautores vitio suo, et studio contradicendi corrupisse convincuntur (*cap.* 7). Plato enimvero recte mundum a Deo, alii pessime sponte sua vel ex atomis factum dixerunt. Recte stoici illum hominis causa creatum prædicabant; Democritus pessime homines nulla ratione, nulloque auctore, instar vermiculorum ex terra effossos putavit. Recte Aristoteles asseruit hominem ad virtutem, pessime Aristarchus ad voluptatem capessendam natum. Recte Zenon docuit esse inferos, pessime Epicurus id tamquam poetarum figmentum repudiavit.

Ad probandam dehinc animæ humanæ immortalitatem Lactantius accedit. Eam autem Plato inde demonstrat, quia illa per se ipsam sentit, et semper movetur (*cap.* 8). Ne vero eamdem immortalitatem mutis animalibus daret, huic perpetuo, quem homo per se habet, motui optime adjecit sapientiam. In eadem sententia fuerunt et Pythagoras, et Pherecydes, quam frustra Dicæarchus, Democritus, Epicurus, atque etiam Cicero dubiam et incertam facere conati sunt.

Nec objiciendum est animam post corporis mortem non videri amplius. Nam vox, ventus, odor, et ipsemet Deus, etsi sub oculos nostros non cadant, mentis tamen nostræ acie, atque ex eorum effectibus cernuntur. Quapropter nemo urgere debebat intellectu esse difficile quomodo anima sine corporeis organis sensum retinere possit. Non enim facilius intelligitur quomodo Deus vigeat sine corpore. Quid vero quod ethnici credere utique cogebantur deos suos exsistere, tametsi eos corporis expertes esse prædicarent (*cap.* 9).

Aliis vero argumentis Lactantius immortalitatem animæ demonstrat. Ac primo quidem quia nullum est aliud præter hominem animal, quod teneat Dei notitiam, cultum et religionem. Secundo, quia homo igne, qui cœleste atque lucis et vitæ elementum est, solus ex animalibus utitur. Tertio, quia *virtus*, inquit, *soli homini data, magno argumento est immortales esse animas*. Ea enim virtute homo dulces et jucundas hujus vitæ voluptates contemnit, immo adversus illas usque ad mortem pugnat. At hujus pugnæ et victoriæ debetur, et a Deo dabitur aliquod præmium, quod aliud esse nequit, nisi beata post hanc vitam immortalitas.

Quarto, vitia, et quæ ex eis percipitur voluptas, finem accipiunt, virtus vero perpetua esse debet (*cap.* 10). Ergo ejus merces, et humanus animus, qui illam solus inter animantes cupit, debet, uti ait Cicero, esse immortalis. Quinto, qui virtutem et justitiam sequuntur, quia in hac corporali vita plerumque miseri sunt, debent in altera, sicut ipse Deus, qui æterna bona tribuit, esse in æternum beati. Sexto, sicut corporis opera caduca et mortalia sunt; ita animi æterna esse debent, quemadmodum ingeniorum ac præclare actorum monimenta sempiterna esse nemo non videt (*cap.* 11). Septimo, corpus nihil penitus, nisi temporale aliquid, anima vero multa nec corporea, nec fragilia, sed æterna desiderat. At non frustra illi insitum est hoc desiderium. Ergo æterna esse debet. Denique visui ac tactui corpus subjacet, anima autem non potest aut tangi aut videri. Ergo sicut illud mortale, ita hæc immortalis est.

Posthæc Lactantius opposita Lucretii argumenta infirmat, planeque diluit (*cap.* 12). Objiciebat enim ille : Anima cum corpore nascitur : ergo cum illo intereat necesse est. Fatetur quidem Lactantius nasci corpus, utpote solidum, terrenaque concretione for-

Digitized by Google

matum : sed contendit animam, quæ tenuissima est, nec ullum sub corporis sensum cadit, a cœlesti subtilitate, ut alibi ipse Lucretius cecinit, deduci, sive a Deo creari. Falsum vero est corpus interire simul atque discedit anima. Per multos etenim dies postea integrum manet, ac certis quibusdam aromatibus conditum, durat perquam diutissime.

Instabat Lucretius : Sensus in pueris crescit, viget in juvenibus, in senibus minuitur. Ergo sensus, sive anima mortalis est. Respondet Lactantius aliud esse mentem, qua vivimus; et aliud animam, qua cogitamus. At mens, inquit, sive intelligentia in homine pro ætate augetur et minuitur. Anima vero in eodem semper permanet statu. Præterea si memoria scientiaque aliquid accipiant incrementi aut detrimenti, vel si plane deficiant, non animi, sed corporis est vitium.

Urgebat idem Epicureus animam dolori et luctui, atque idcirco fragilitati et morti esse obnoxiam. Quin immo, ait auctor noster, anima mœrorem repellit sapientia et virtute, quæ immortalitatis est fabricatrix.

Eadem facilitate illud diluit, a Lucretio additum, animam morbo et oblivione cum corpore suo affici. Virtus enim propterea, inquit, adhibenda est, ne mens, non autem anima ullo frangatur corporis dolore, et oblivionem sui patiatur.

Nec hilum quidem proficiebat Lucretius rursum objiciendo animam esse corporis partem, quæ ab illo separata non magis sentit, quam oculus a corpore avulsus. Negat siquidem Lactantius, ac pernegat animam esse corporis partem; sicuti omnes recte inficiantur id, quod in vase aut domo continetur, illius esse partes.

Cæteris autem omnibus imbecillius futiliusque illud esse censet, quod rursum opponit Epicureus ille poeta animam paulatim ex morientibus corporis partibus emigrare. Nam anima in his, qui uno momento interficiuntur, e corpore statim erumpit. Ex frigescentibus vero aliorum, diuturno morbo laborantium, membris si paulatim se explicare videatur, illud non animæ, sed corporis defectu accidit.

Ridet porro Lactantius Lucretium qui demum urget ridiculum animæ sese dissolvi conquerentis commentum. Quis enim animæ ullius etiam Epicurei morientis audivit aliquando ejusmodi querimoniam? Quæ etiam potest esse hominis mortui querela? Denique morientes plurimi se exire potius et proficisci, quam mori, voce aut gestu significant.

Poterat quidem auctor noster Epicureis opponere Pythagoreorum de animæ transmigratione opinionem. Sed eam prætermittit, utpote quæ absurda, nec commemoratione, aut confutatione digna sit. Veram autem de animæ immortalitate sententiam stabilit et confirmat non solum Trismegisti, Apollinis Milesii et Sibyllarum testimoniis, sed quia etiam nullus eam negare auderet coram mago quodam homine, qui novit animas suis carminibus evocare. Neminem vero censet esse magis insulsum et fatuum, quam Aristoxenum, qui cum nullam esse animam diceret, se vivere, et mentem, qua id cogitaverat, se habere non intellexit (*cap.* 13).

Quando autem et quomodo post corporis mortem homines impii pœna æterna mulctandi, et justi beata immortalique mercede remunerandi sint, ut explicet Lactantius, haud dubitanter asseverat appropinquare judicii tempus, ac mundum, quem quidam philosophi a multis sæculorum millibus extitisse somniaverant, expletis ab ejus ortu annis sex millibus consumendum : sed hanc ille opinionem rationibus ex quadam tantummodo convenientia petitis stabilire nititur (*cap.* 14).

Plura tamen signa, inquit, hanc extremam mundi cladem præcurrent (*cap.* 15). Ubique enim quælibet calamitates, miseriæ, impietas, et omnium vitiorum illuvies terram obruent. Ægyptus sanguine tamquam flumine operietur. Romanum imperium, cujus varias ætates Seneca descripsit, subvertetur, quemadmodum a Prophetis, ac Sibylla et Hystaspe prædictum est (*cap.* 16). Post bella siquidem civilia decem reges illud inter se partientur, donec ex extremis septemtrionis finibus oriatur rex potentissimus, qui tres ex his decem regibus delebit, ac princeps omnium constituetur. Quæ autem quantaque, eo regnante, mala et prodigia futura sint, auctor noster enucleate recenset.

Addit ille mittendum a Deo prophetam magnum, qui editis pluribus miraculis, multos ad Dei cultum convertet (*cap.* 17). Sed hic propheta ab alio rege, ex Syria oriundo, occidetur, ac sine sepultura relictus, post diem tertium reviviscet, rapieturque in cœlum. Impius autem ille rex, et mendaciorum propheta, *se ipsum constituet ac vocabit deum*, atque ut adoretur, signa faciet et prodigia. Templum vero Dei diruere conabitur, jubebit sectatores suos non secus ac pecudes signari, immanissima crudelitate vastabit orbem terræ, et montem, in quem veri Dei cultores confugient, obsidebit. Sed Deus eorum precibus exoratus, mittet ex cœlo regem magnum, qui illos liberabit, impiosque omnes disperdet. Quæ quidem omnia Hystaspis testimonio, et prolatis a se tam Hermetis, quam Sibyllarum verbis prænuntiata esse arbitratur (*cap.* 18).

Porro autem rex ille magnus, postquam ceciderit gladius, de cœlo noctu descendet, ipso paschatis pervigilio, ac comitantibus Angelis, qui tradent in manus justorum impios montem obsidentes (*cap.* 19). His vero deletis, et monte exciso, solus fugiet impius Antichristus, qui quarto postea prælio debellatus, scelerum suorum cum principibus et tyrannis luet pœnas. Demum exstincta malitia, requiescet orbis, atque simulacra deorum, et omnis idololatria penitus exstinguetur.

Postea resurgent mortui, et a magno rege, Dei filio cultores veri Dei judicabuntur, ac singuli pro meritis aut mercedem accipient aut pœnam (*cap.* 20). Ibi autem Lactantius explicat quomodo et quo igne animæ improborum hominum, tametsi immortales ac spiri-

Digitized by Google

tuales, revera cruciabuntur. Quin etiam addit justos etiam igne examinandos (*cap.* 21).

Neque hæc, inquit, mera sunt, ut quidam putant, poetarum, cæteris scriptoribus antiquiorum figmenta. Nam hi veram de hominum resurrectione doctrinam, assiduis prophetarum nostrorum concionibus prædicatam, non satis intelligentes, aut immutarunt, aut corruperunt. Maronis autem testimonio id confirmat, atque insuper ostendit certissimum illud documentum a nemine posse ideo labefactari aut infirmari, quia post tot sæcula nullus ab inferis vivus remeavit (*cap.* 22).

Falsos itaque illos esse pronuntiat, qui docuerunt animas aut renasci, vel de corporibus in alia corpora migrare. Nam mortui reipsa resurgent, quando eorum animæ, uti a Chrysippo et Sibylla traditum, corporibus suis rursum a Deo induentur. Nec putat curiosius inquirendum quomodo id fieri possit. Nulla enim operum Dei etsi ratio reddi queat; credere tamen debemus ab illo veterem hominem inenarrabili modo restituendum, qui novum creavit (*cap.* 23).

Post maximum autem, ait ille, judicium, et justos ad vitam revocatos, Christus mille annis regnabit inter homines, ac cum eis versabitur (*cap.* 24). Nos autem admonet se breviter ea enarrare, quæ opinabatur per id tempus eventura, ac quale futurum hominum vivendi genus. Propter varias autem de elapso ab ortu mundi annorum numero opiniones, dictu fatetur esse difficile, quando complebuntur sex illa annorum millia, quibus finitis, mundi, sicuti superius dixerat, fiet lapsus et ruina. Putat tamen annos ab eo, quo hæc scribebat, tempore non amplius superesse quam ducentos (*cap.* 25).

Tum deinde nostros ille ante oculos ponit quanta mala, finiente millenario Christi regno, princeps dæmonum cum suis asseclis facturus sit, quomodo cum iis penitus interibit, ac solus per septem annos permanebit Dei populus (*cap.* 26). His tandem expletis, mundus, inquit, renovabitur, homines transformabuntur in angelorum similitudinem, injusti resurgent, ut cum dæmone et ministris ejus igne cruciatuque sempiterno torqueantur. Porro autem ille declarat hanc esse sanctorum prophetarum doctrinam, quam quidem quia christiani abscondebant, exsecrandas opiniones illis ethnici falso ascripserunt. Posthæc in quibusdam tantum editionibus subjungitur epilogus, quo Lactantius Constantini Magni laudat pietatem, ac de restituta christiana religione gratulatur. Sed hæc in melioribus codicibus prætermissa tam spuria et supposita videntur, quam certum est auctorem nostrum omnes adhortari ad suscipiendam veram religionem, ad fragilia caducaque bona contemnenda, ad dandam semper justitiæ aliisque virtutibus operam, ut possint promissum a Deo sempiternæ felicitatis præmium consequi (*cap.* 27).

CAPUT II.

De horum librorum auctore, titulo, argumentis, numero, divisione in capita, ac quas ob rationes in lucem editi sint.

ARTICULUS PRIMUS.

De horum librorum auctore, ac titulo, quid Institutionum divinarum nomine intelligatur, de totius Operis, singulorumque librorum titulis, argumentis, numero, atque in capita divisione.

Lactantium horum septem de divinis Institutionibus librorum esse verum auctorem tantus tamque unanimis omnium semper fuit consensus, ut nulla, ne minima quidem ea de re controversia haberi posse videatur. Nihil itaque necesse est infinita propemodum illorum, atque in primis recentiorum, quibus id probetur, testimonia a nobis congeri. Unum tamen instar omnium testem omni exceptione majorem appellabimus Hieronymum, qui disertissime asseverat ab Lactantio nostro compositos: *Institutionum divinarum adversum Gentes libros septem* (*Hieronym. Catalog. script. Eccl.* § 80, *pag.* 121). In sua quoque ad Magnum oratorem epistola: « *Septem*, inquit, *libros adversus Gentes Arnobius edidit, totidemque discipulus ejus Lactantius, qui de Ira quoque et Opificio Dei duo volumina condidit, quos si legere volueris, Dialogorum Ciceronis in eis ἐπιτομὴν reperies* (*Epist.* 83, *ad Magn. pag.* 656). Et rursum in alia epistola, ad Pammachium et Oceanum hæc scribit: *Quis mihi interdicere potest, ne legam Institutionum ejus*, Lactantii, *libros, quibus contra Gentes scripsit fortissime* (*Epist.* 41 *ad Pamm. et Ocean., pag.* 345)?

Visne aliud adhuc certius tibi dari testimonium? Ecce præsto est ipsiusmet testificatio Lactantii, qui alio in opere, ubi impios falsorum deorum cultores exagitat, hæc totidem verbis scripsit: *Sed imperitiam horum jam coarguimus in secundo divinarum Institutionum libro* (*Lactant. lib. de Ira Dei, cap.* 2). Postea vero alios castigat de Christo domino prave sentientes: *Quos*, inquit, *ex parte jam refutavimus in quarto supradicti operis libro.* Ubi quoque notat peripateticorum de ira temperanda opinionem: *Quibus*, ait ille, *in sexto libro Institutionum respondimus* (*Ibid. cap.* 17). Quid plura? Ille rursus eadem in commentatione: *Satis*, ait, *ut opinor, ostendimus in nostris Institutionibus deos multos esse non posse* (*Ibid. cap.* 11). Manifestum denique fecimus in hisce divinarum Institutionum libris ab illo suum de Opificio Dei librum citari. Ab ipso itaque et hunc et alios a se compositos significat. Ratum igitur certumque omnino est Lactantium nostrum esse horum librorum auctorem ac parentem.

Nec minus ex jam citatis illius et Hieronymi verbis constans fixumque esse debet non alium his, de quibus agimus libris, ab Lactantio præfixum titulum, quam Institutionum divinarum. Cur autem eo titulo illos inscripserit, ex his colligere possumus ipsius verbis: *Si quidam prudentes, et arbitri æquitatis, institutiones civilis juris compositas ediderunt, quibus*

Digitized by Google

civium dissidentium lites contentionesque sopirent; quanto melius nos et rectius divinas institutiones litteris persequentur, in quibus non de stillicidiis, aut aquis arcendis, aut manu conserenda, sed de spe, de vita, de salute, de immortalitate, de Deo loquemur; ut superstitiones mortiferas erroresque turpissimos sopiamus (*lib.* I *Institut. cap.* 1). Quemadmodum igitur plurimi, uti ex eorum operibus liquet, aliique summi, uti ait Cicero (*Cic. lib.* I *de Legib.*), viri libros de Jure civili et Legibus, atque ut ejusdem Ciceronis verbis utamur, *de stillicidiorum, ac de parietum jure, aut de stipulationum et judiciorum formulis componendis*, a se editos, institutiones civilis juris appellavere, sic longe melius rectiusque Lactantius putavit hos libros suos, in quibus de evertendo falsorum deorum, et stabiliendo veri Dei cultu agitur, Institutionum divinarum nomine et titulo esse inscribendos.

Quid autem institutionum nomine significetur, si roges, respondebimus visum quibusdam eos designari libros, quibus prima docendæ alicujus artis, seu scientiæ elementa ita explicantur, ut rudes adhuc et indocti homines illam gradatim assequi possint. Verum Lactantius ampliori significatu nomen illud adhibuit. Palam siquidem profitetur se hoc in opere de omnibus christianæ religionis institutis, falsisque gentilium superstitionibus, multo plenius et uberius disputavisse, quam cæteri sua usque ad tempora christianæ religionis defensores disceptaverunt. Quapropter Institutionum divinarum nomine plenam et integram de enucleandis ac vindicandis ejusdem christianæ religionis præceptis et institutis, ac de ethnicorum impiis cultibus coarguendis designat disputationem. Ubi itaque hos ille libros aut alii solo citant Institutionum nomine, id brevitatis causa factum, nullus, ut opinor, diffitebitur.

Quamvis autem generalis sit ille totius operis titulus, singulis tamen libris suam, quemadmodum in antiquissimis editionibus legitur, peculiarem inscriptionem videtur præposuisse. Nos quidem non fugit hasce inscriptiones in recentioribus nonnullis editionibus fuisse aliquando immutatas. Verum illas sine his correctionibus ab ipsomet Lactantio profectas esse nobis facile persuadebitur. Nam illæ non solum in antiquis illis editionibus, sed in manuscriptis etiam codicibus cum recentioribus tum antiquis, eodem modo sub cujusque libri fine, et sequentis initio, repræsentantur. Quid vero, quod et illud ex ipso Lactantio colligi potest? In fine enim libri tertii titulum et argumentum libri quarti sic explicat: *Quæ religio, et quæ sapientia vera sit, liber proximus indicabit* (*lib.* III *Inst.*, *cap.* 30). Simili etiam modo librum quartum sic absolvit: *Sequitur, ut, quoniam satis de religione vera, et sapientia locuti sumus, in proximo libro de justitia disseramus.* (*lib* IV, *cap.* 30). Si quis tamen inde aliquem, antiquissimis codicibus scribendis præfectum, inde singulis libris titulos inscribendi sumpsisse occasionem contendat, in sua manere potest sententia, ac si id rite probaverit, nos illico cedemus.

Quod de diversis et operis totius, et cujusque libri inscriptionibus diximus, idem de illorum argumentis dicendum. Toto enim in opere unum et generale, ac singulis in libris singulare aliquod argumentum tractatur. Commune enim, libris omnibus, his a Lactantio proponitur verbis: *De religione nobis, rebusque divinis instituitur disputatio* (*lib.* I *Instit.*, *cap.* 1). Duæ vero sunt illius disputationis partes; quarum prima ille falsas gentilium religiones tribus prioribus libris funditus evertit: secunda vero christianæ religionis veritatem et sanctitatem in aliis sequentibus asserit, stabilit ac demonstrat (*lib.* IV, *cap.* 30).

Singulare quoque uniuscujusque libri nobis exhibet argumentum. In primo enim, quem primam institutionem appellat, falsas, sicuti ipse loquitur, deorum religiones retegit. In secundo fontem causasque patefacit, quibus homines primitus crediderunt plures esse deos, et in pravo eorum cultu postmodum perseveraverunt (*lib.* I, *cap.* 23; *lib.* II, *cap.* 1). Vanam dehinc in tertio (*cap.* 1, 2, 25, 30) explodit ethnicorum philosophiam. Quarto (*cap.* 3, *cap.* 30) in libro ostendit quæ vera sit sapientia et religio. At in eo contra Judæos potissimum de Christo Domino disputat. Cum gentilibus vero speciatim in libro quinto (*cap.* 1) congressus disserit de justitia. In libro sexto (*cap.* 1, *cap.* 2, *cap.* 3) docet quis verus sit cultus, sive, ut ipse ait: « quo ritu, quove sacrificio Deum coli oporteat: » ac quæ sint virtutes, earumque formæ ac termini. Denique libri septimi (*cap.* 1) argumentum est « Divinum, » quemadmodum Lactantius ipse dixit, « præmium beatitudinis perpetuæ; » vel, sicut alibi, « Quid virtus mercedis a Deo mereat, » et brevius alio in loco: « De vita beata. » Quo autem modo argumentum illud tractaverit, ex his accipe illius verbis: « Satis et huic parti satisfaciemus, cum testimoniis divinarum litterarum, tum probabilibus argumentis. » Post hoc ultimum verbum in antiquissimo codice Bononiensi additum notatur *vatum*. At si vera genuinaque sit hæc lectio, ibi *vatum* nomine debent procul dubio intelligi Hystaspis, Hermetis, ac potissimum Sibyllarum decantata oracula, quæ hoecce in libro frequentius citantur (*lib.* VI, *cap.* 3; *lib.* III, *cap.* 13; *lib.* I, *cap.* 1).

Totum porro divinarum Institutionum opus in hos septem, nec plures libros ab ipsomet Lactantio distributum fuisse citatus a nobis paulo ante Hieronymus apertissime testificatur. Quamvis autem id penitus tacuisset, quid, quæso, clarius his ipsiusmet Lactantii verbis: « Nullus suavior animo cibus est, quam cognitio veritatis, cujus (mss. duo antiquissimi regiæ bibliothecæ, *cui*) asserendæ atque illustrandæ septem volumina destinavimus. » (*lib.* I *Inst.*, *cap.* 1). Præterea ille libro primo (*cap.* 23) finem se imposuisse his verbis significat: « Sed jam libro facere finem decrevi, ne modum excedat. » Similiter libro tertio (*cap.* 30): « Planius quæ religio... liber proximus indicabit: » et quarto (*cap.* 30): « In proximo libro de justitia disseremus. » Ab ipso autem libri secundi initio (*cap.* 1): « Quamquam, inquit, primo,

Digitized by Google

libro religiones deorum falsas esse monstraverim. » In eodem libro (*cap* 3) : alios quatuor posteriores hunc designat in modum : « Scientiæ veritatis explicandæ, quatuor posteriores libri servient, » et in septimo priores libros memorat. Huc accedit, quod ab uno libro nos mittit ad alium. Nam præter illa quæ paulo ante annotavimus, ipse in his libris nos remisit a tertio et quarto ad secundum; a sexto ad tertium, a septimo ad secundum, ac denique postquam variis in locis septimum *Institutionum* librum ultimum fore sæpius dixisset, hæc in illius epilogo totidem verbis scripta leginus : « Decursis propositi operis septem spatiis, ad metam provecti sumus. »

Quam verum itaque et manifestum est hocce opus a Lactantio ipso septem in libros fuisse divisum, tam certum profecto omnibus esse debet horum librorum in capita divisiones, eorumdemque capitum argumenta non a Lactantio esse composita, sed ab alio scriptore, eoque admodum recente, qui primæ illorum editionis ætatem non longo temporis intervallo superavit. Neque enim in antiquis codicibus manuscriptis, quos videre licuit, hæc habentur, sed tantum in recentioribus.

ARTICULUS II.

Quibus rationibus Lactantius ad hos libros conficiendos adductus sit, et utrum Minucius Felix, Tertullianus ac Cyprianus non plene suscepto defendendæ christianæ religionis muneri satisfecerint.

Varias Lactantius reddit rationes, quibus ad hos libros edendos ac publicandos adductus est. Testatum enim primo facit se his scribendis ideo animum appulisse, ut illustrandæ veritati daret operam, ac doctis hominibus veram sapientiam, et indoctis veram religionem ostenderet, ac singulorum mentes cœlestibus præceptis imbutas, ad verum divinæ majestatis cultum posset dirigere (*lib.* I *Inst.*, *cap.* 2).

Præterea si maximi oratores sub vitæ finem sese vanæ gentilium philosophiæ tradiderunt, ac jurisconsulti quasdam composuerunt juris civilis institutiones, ipse multo æquius, consultius, et utilius esse putavit has divinas institutiones litteris consignando, ad veram, piam, divinamque sapientiam, quasi ad portum aliquem tutissimum, se conferre, « in quo omnia, inquit, dictu prona sunt, auditu suavia, facilia intellectu, honesta susceptu. » Neque tamen suum dumtaxat propter peculiare commodum propriosque usus tantum opus aggressus est; sed, ut superstitionibus mortiferis, turpissimisque erroribus sopitis, ac penitus exstinctis, veritatem christianæ religionis demonstraret. Septem itaque volumina huic asserendæ atque illustrandæ destinavit, ut ethnici ea informentur, nec obdurati, aut pervicaciores contra se ipsos, et contra ipsa Solis luce clariora rectæ rationis lumina amplius pugnent, ac tandem ab inveteratis erroribus liberentur. Si qui vero pertinacissimi adhuc aures claudant, sperat non defuturos sanæ mentis homines, quibus veritas, non insuavi prorsus et impolito sermone tradita placeat. At si nemo adhuc ex illis, quod difficile est, ad sanam mentem, et viam salutis redire velit; nutantes saltem christianos scriptis suis confirmabit. Denique si nemini, quod credibile non videtur, sibi certe scripta sua proderunt, gaudebitque in veritatis lumine versari (*lib.* IV, *cap.* 5, *et lib.* V, *cap.* 1).

Una autem in primis horum librorum conficiendorum ratio et occasio auctori nostro ea fuit, quod persuasum habuerit idoneos peritosque ad suam usque ætatem defuisse doctores, *qui vehementer*, *qui acriter* redarguerint publicos gentilium errores, et integram christianæ religionis causam ornate ac perfecte defenderint (*lib.* V, *cap.* 2). Duo vero potissimum ethnici scriptores, de quibus paulo post, hac strenuorum pugilum penuria stimulati, christianam religionem, ipsomet Lactantio præsente ac dolente, ausi fuerant sacrilegis litteris lacessere et impugnare. Tam superba ergo impietate et veritatis conscientia ille incitatus, ac coactus, hos conscripsit libros, quibus vanos illorum impetus frangeret, perfectamque et omnibus numeris absolutam exhiberet ejusdem christianæ religionis defensionem. Sed necesse est hæc a nobis paulo fusius explicari.

Mirum enimvero multis videri potest qua Lactantius ratione idoneos christianæ religionis defensores suum usque ad tempus defuisse tanta confidentia asseveret, nisi de iis tantum, qui sibi noti fuerunt, expresse loqueretur. At mirabilius quibusdam illud videbitur, quod in horum numero posuerit Minucium Felicem, Septimium Tertullianum, ac Cyprianum; Arnobium vero præceptorem suum altissimo silentio præterierit. Non enim hic magis perfecte, quam illi, christianæ religionis egit causam. Sed tanti silentii causa fortassis fuit præceptoris dignitas. Forte etiam incognitæ illi fuerunt Arnobii lucubrationes, quas nuper in Africa ediderat. Inde quippe Lactantius junior egressus, tamque longe positus, quid in ea ab magistro suo scriptum fuerat, potuit ignorare. Sed quidquid sit de Arnobio, quid, inquiet aliquis, tribus aliis celeberrimis scriptoribus, a Lactantio memoratis, defuit; quominus tam præclaro christianæ religionis defensorum munere fungerentur? Respondet libere Lactantius Minucium Felicem se totum ad id studium non contulisse, id est, non plenam, et integram, sicut facile poterat, instituisse de tuenda christianæ religionis veritate disputationem. At nos ea de re in nostra de illius libro dissertatione jam egimus (*Dissert. in Minuc. Octav.*, *cap.* 2, *art.* 1).

Duo autem in Tertulliani pro christiana fide *Apologetico* Lactantius desiderat, et doctrinæ christianæ institutionem, et sermonis elegantiam atque claritatem : « In eloquendo, verba Lactantii sunt, parum facilis et minus comptus, et multum obscurus fuit. » (*lib.* V, *cap.* 1). Neque ab hac opinione multum recessit Hieronymus, qui ad Paulinum hæc scripsit in verba : « Tertullianus creber est in sententiis, sed difficilis in loquendo. » (*Hieronym. Epist.* 49 *ad Paulin.*, *pag.* 567). At quantavis, inquient alii, sit sermonis illius barbaries, et obscuritas; utraque

Digitized by Google

tamen recte compensatur maxima sane argumentorum vi, robore et pondere.

Verumtamen quod ad stabiliendam nostram doctrinam spectat, Lactantius fatetur Tertullianum in eo libro recte quidem absurdis ethnicorum accusationibus respondisse, sed negat satis ab eo explicata, aut probata fuisse nostræ religionis documenta : « Aliud tamen est, inquit, accusantibus respondere, quod in defensione aut negatione sola positum est, aliud instituere, quod nos facimus, in quo necesse est doctrinæ totius summam contineri. » (*Lact. lib.* v, *cap* 4).

Sed Tertulliano non aliud in suo Apologetico propositum fuit; nisi ut evidenter omnibus ostenderet christianos omnium etiam gravissimorum criminum accusatos, sed numquam auditos, multoque minus convictos ab ethnicis plane immerito condemnari. Quamobrem suo in Apologetico nihil aliud probandum in se suscepit, nisi manifestissimam omnibus facere veram christianorum doctrinam, innocentiam, summam vitæ et morum integritatem, ac gentiles eorumdem criminum revera esse reos, quorum falsissime illos accusabant. Atqui ille hæc omnia suo in libro luculentissime perfecit, quamvis non omnia, sed præcipua tantum christianæ religionis documenta tam sincere exponat, quam breviter, sed evidentissime demonstret. Proposito itaque suo cum cumulate satisfecerit, nec illi, nec ulli cuilibet auctori vitio verti debet quod plura non dixerit, quam ad institutam disputationem conducere arbitrabatur. At volebat proculdubio Lactantius susceptam a Tertulliano christianorum defensionem tam arctis finibus non coerceri (*Dissert. in Tertullian. cap.* 4, *art.* 4).

Major est illius de Cypriano conquestio. Quanto enim magis laudat illius ingenium et eloquentiam, tanto magis illum redarguit, quod in sua adversus Demetrianum, christianæ religioni oblatrantem, disputatione « sacramentum ignorantibus, » id est, gentilibus, « placere ultra verba » non possit (*Lactan. lib.* IV, *cap.* 2 *et cap.* 4). Rationem ab eo si postules, respondet : « Quoniam mystica sunt, quæ locutus est, et ad id præparata ut a solis fidelibus christianis audiantur. » Quæ vero illa mystica sint, postea sic explicat : « Non enim Scripturæ testimoniis, quam ille, Demetrianus, utique vanam commentitiamque putabat, sed argumentis et ratione refellendus erat. » Quin etiam palam, et vix ulla absque excusatione narrat eum non modo a doctis hujus sæculi viris ea propter irrisum, sed se etiam audivisse quemdam sane disertum hominem, qui Cyprianum, « immutata una littera, Coprianum vocaret, quasi quod elegans ingenium, et melioribus rebus aptum, ad aniles fabulas contulisset » (*ibid. cap.* 1). Et certe nomen Coprianus, seu Copreus, et Coprea, sive, ut alii, apud Suetonium legunt Coprias, a verbo græco κοπρία et κοπρίον derivatum est, quod scurram, rabulam, sycophantam, vilemque significat hominem, qui magna quidem de se prædicare, sed aniles et ineptas fabulas venditare solebat (*Sueton. in Vit. Neron.* § 6, *et in Claudii* § 8).

Nulli quidem mirum videri debet, si gentiles Cyprianum, eorum religionis hostem infensissimum, dicteriis, irrisionibus et contumeliis vexare tentarunt. Sed admirationem plurimis movebit Lactantius, qui eas his solum repulit verbis : « Raptus, inquit, eximia eruditione divinarum litterarum, ut iis solis contentus esset, quibus fides constat » (*lib.* v *Inst.*, *cap.* 4). Censuit itaque Cyprianum in sua adversus Demetrianum disputatione debuisse prius humana philosophorum et historicorum, quam divina scripturæ sacræ afferre testimonia. Quoniam enim hæc ille « nondum, » ut ait Lactantius, « capere non poterat, debuit suis potissimum refutari auctoribus. » Non male forsitan, si hæc prima fuisset Cypriani cum Demetriano de christianæ religionis veritate concertatio. Sed plures antea se habuisse significat ab ipso orationis suæ exordio, ubi Demetrianum sic alloquitur : « Cum ad me sæpe studio magis contradicendi, quam voto discendi venires, et clamosis vocibus personans, malles tua impudenter ingerere, quam nostra patienter audire. »

Nonnulli itaque respondent citata a Cypriano sacrarum Scripturarum loca, ex prophetarum desumpta esse testimoniis, quæ validissimum, uti videbimus, adversus ethnicos pro firmanda religione christiana argumentum suppeditant. Sed ad Cypriani defensionem illud magis facit, quod hac in commentatione refellendam suscepit calumniam Demetriani et aliorum gentilium, qui christianos omnium quibus mundus concutiebatur, malorum causam esse clamitabant. Atqui eam evertit iis Sacræ Scripturæ testimoniis, quibus hæc mala in scelerum ab ethnicis commissorum vindictam futura prænuntiabantur. At quia hæc evenerunt sicuti longe antea prædicta fuerant, iidem gentiles negare non poterant divinam esse horum oraculorum, et totius sacræ nostræ Scripturæ auctoritatem. Quibusdam insuper nec infirmis sane rationibus insulsam Demetriani criminationem refellit.

Denique de illa Lactantii censura hæc Hieronymus ad Magnum oratorem scripsit verba : *Cyprianus vir eloquentia pollens et martyrio, Firmiano narrante, mordetur, cur adversus Demetrianum scribens, testimoniis usus sit prophetarum et apostolorum, quæ ille ficta et commentitia esse dicebat, et non potius philosophorum et poetarum quorum auctoritati, ut ethnicus, contraire non poterat* (*Hieronym. Epist.* 93, *ad Magn. pag.* 655). Quid autem, amabo te, eo verbo *mordetur* indicare voluit? Nonne detractionem aliquam, nec prorsus æquam reprehensionem? Eo enim significatu a Terentio scriptum legimus : *Invidere omnes mihi, mordere clanculum* (*Terent. Eunuch, act.* 3, *scen.* 1, v. 20). Ab ipsomet quoque Hieronymo illud eodem sensu usurpari non inepte forsitan quis colliget ex subsequentibus illius verbis : *Cyprianus quod idola dii non sint, qua brevitate, qua historiarum omnium scientia, quorum*

Digitized by Google

verborum et sensuum splendore perstrinxit (*Hieronym. loc. cit. pag.* 657). Nonne autem his verbis significat Cyprianum rite suo defensoris christiani munere functum, si non in sola, uti putavit Lactantius, adversus Demetrianum, in aliis saltem, adversus ethnicos orationibus?

ARTICULUS III.

De duobus philosophis gentilibus, quorum impiis scriptis Lactantius ad hos libros divulgandos impulsus est, et utrum ab ipso christianæ religionis causa perfectius quam ab aliis, ac qua ratione defendatur.

Lactantius ambos illos philosophos, qui ipsum, ut paulo antea dicebamus, ad conscribendos hosce Institutionum divinarum libros compulerunt, nativis coloribus, suppresso tamen nomine, depinxit. Testatum autem nobis facit illos tum exstitisse, cum ipse in Bithynia *oratorias litteras* doceret, et templum Dei everteretur (*Lib.* v *Inst.*, *cap.* 2).

Primus autem profitebatur philosophiam, sed omnibus infamis erat vitiis, quæ *capillis et pallio*, id est, philosophica professione, ac divitiis tegere nitebatur. Aliorum enim accusator acerrimus, pravis moribus suas de virtute disputationes destruebat. Tres vero libros adversus christianam religionem evomuit, cum in illam tyranni crudelissime grassarentur. Verum imprudens ille homo, ac quid oppugnaret, et quid loqueretur, plane ignorans, adeo hisce in libris ineptus, vanus et ridiculus apparuit, ut ab omnibus tam contemptus quam derisus fuerit.

Alter e numero judicum, et persecutionis in christianos, quorum fidem aliquando amplexatus esse videbatur, excitandæ auctor, duobus libris, quos fallaci titulo φιλαληθεῖς inscripserat, conatus est Sacræ Scripturæ, tamquam sibi esset tota contraria, arguere falsitatem. Deinde vero ostendere connisus est paria vel etiam majora ab Apollonio, quam a Christo edita fuisse miracula (*Lactant. ibid. et Cæcil. lib. de Mort. persecut.*, *cap.* 16).

Non alius autem secundus hic philosophus esse videtur, nisi Hierocles, quem Eusebius libro, post illius Demonstrationem Evangelicam, et alibi, typis edito, confutavit. Eamdem enim Eusebius indicat operis inscriptionem : Ταῦτα ῥήμα σι αὐτοῖς Ἱεροκλεῖ τῷ τὸν καθ' ἡμῶν ἐπιγεγραφότι φιλαλήθη λόγον εἴρηται. *Hæc ipsius Hieroclis verba sunt in oratione contra nos scripta, cui titulus Philalethes.* (*Euseb. lib. contr. Hierocl. pag.* 513.) Ab ipso præterea libri primordio eumdem titulum memorat, additque Hieroclem eo devenisse impudentiæ, ut Apollonium Tyanæum, sicuti Lactantius dixerat, cum Salvatore nostro Christo componere non dubitaverit. Ad hæc vero, descripsit Eusebius Hieroclis verba, quibus Petrum, et Paulum, aliosque Christi discipulos, tamquam mendaces, indoctos, et impostores propterea redarguit; quia nimium extulerant res a divino præceptore suo gestas. Atqui similiter Lactantius noster : « *Præcipue*, inquit, *Paulum Petrumque laceravit, cæterosque discipulos, tamquam fallaciæ seminatores, quos eosdem tamen rudes et indoctos fuisse testatus est.* (*Lactant. lib.* IV *Instit.*, *cap.* 2.)

Nescii quidem non sumus quosdam opinari Eusebium Cæsariensem non esse hujus libri auctorem, sed ejusdem nominis alterum qui, teste Photio, refellerat libros ab Hierocle circa Theodosii junioris tempora de fato et providentia editos. Sed hi non videntur animum satis ad ea advertisse, quæ idem Photius litteris antea mandaverat : Ἀνεγνώσθη Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου ἀνασκευαστικὸν βιβλιάριον πρὸς τοὺς ὑπὲρ Ἀπολλωνίου τοῦ Τυανέως Ἱεροκλέως λόγους. *Lecta est Eusebii Pamphili confutatio brevis librorum Hieroclis de Apollonio Tyanæo.* Nec est quod quis nobis objiciat duos tantum libellos a Lactantio memorari, et septem ab Eusebio confutatos. Nam ille non unius tantum Hieroclis, sed etiam Philostrati libros impugnat. Verum de hoc Hierocle alius disserendi locus dabitur.

Dictu porro longe difficilius quis fuerit primus scriptor, et philosophus, qui a Lactantio compellatur. Opinio autem Baronii fuit hunc esse Porphyrium, infestissimum christianæ religionis hostem, qui anno Christi 302, Diocletiani vero Imperatoris 19, sexagesimum nonum ætatis suæ agebat, vitamque ad extremam usque senectutem produxit. (*Baron. ad ann.* 302, § 51.) Nam is Porphyrius, quemadmodum citatus a Lactantio scriptor, philosophi officio ante omnia functus, *antistitem se philosophiæ* profitebatur. (*Lib.* v *Inst.*, *cap.* 2.) Ab Augustino etiam Porphyrius appellatur doctissimus et nobilissimus philosophorum, et christianorum acerrimus inimicus, qui gloriabatur se virtutis et sapientiæ esse amatorem. (*August. lib.* XIX *de Civit.*, *cap.* 22, *et lib.* XXII, *cap.* 3; *lib.* X, *cap.* 28.) Nec Baronium id moratur, quod Lactantius tres tantum ab eo, quem citat, libros, et Suidas quindecim a Porphyrio compositos fuisse dixerint. Censet enim doctissimus Annalium scriptor tres primum a Porphyrio separatim editos, ac postea duodecim subsequentes.

Sed huic opinioni plura videntur repugnare. Nulla enim ratione probari potest hos libros separatim divulgatos fuisse. Quis etiam facile sibi persuadeat Porphyrium septuagenarium iis libidinis et gulæ vitiis contaminatum, quæ Lactantius philosopho suo aperte palamque exprobravit? Si quis vero respondeat illum, non secus ac plures libidinosos senes, his vitiis potuisse inquinari, dicemus id nobis adhuc esse probandum.

Præterea Eusebius et Hieronymus haud dubitanter tradiderunt libros a Porphyrio adversus christianam religionem tum editos, cum ille in Sicilia degeret. (*Euseb. lib.* VI *Hist. Eccl.*, *cap.* 19; *Hieronym. Catalog. script. Eccl.*, § 81.) Atqui Lactantius affirmat, se ipso præsente, quando in Bithynia *Oratorias litteras* docebat, hunc et alium de quo egimus, philosophum « suas explicasse sacrilegas litteras. » (*Lib.* v *Inst.*, *cap.* 2 *et* 4.)

Respondet quidem Baronius Hieronymum ideo credidisse Porphyrium eos in Sicilia perfecisse, quia

Digitized by Google

Roma illuc migraverat. Verum in Sicilia illos ab eo compositos fuisse, non Hieronymus solus, sed citatus etiam a nobis Eusebius palam asseverat. Deinde vero debebat Baronius nobis tempus indicare, quo Porphyrius in Siciliam secessit, et quamdiu ibi commoratus est. (*Baron. ad ann.* 302, § 57.)

Denique ex jam citatis Lactantii verbis haud absurde confici potest utrumque illum philosophum ab illo omnium primo confutatum fuisse. At si res ita se habeat, inde colligi poterit alium ab eo, quam Porphyrium designari. Discimus enim ab Hieronymo alios adversus hunc Porphyrium confectos fuisse a Methodio, qui uti ille ait : *Ad extremum novissimæ persecutionis, sive, ut alii affirmant, sub Decio et Valeriano in Chalcide Græciæ martyrio coronatus est* (*Hieronym. in Catal. script. Eccl.* § 83, *Apol. advers. Jovin. advers. Rufin. lib.* II, *Epist.* 83, *ad Magn.*). Duas autem ibi refert opiniones de tempore, quo sanctissimus ille martyr morte pro Christi fide occubuit. Prima illorum est, qui eum sub Decio et Valeriano, id est, intra annum 250 et 260 mortuum arbitrabantur. Secunda aliorum, qui existimabant illum ex hac vita migrasse ad *extremum* excitatæ a Diocletiano *novissimæ persecutionis*, hoc est, circa annum Christi 311. Prima autem opinio stare nequit cum editis a Methodio libris adversus Porphyrium, qui anno Christi 263, trigesimum ætatis suæ annum agebat. Nondum enim hos, quos Methodius confutavit, libros publicam in lucem emisisse videtur. Si verior sit secunda opinio, certe Lactantius, qui paulo post annum 311, divinas Institutiones composuit, tunc Methodii adversus Porphyrium libros non legisse dicendus est. In his enim Institutionibus illum a se omnium primo confutatum esse significat. Quia vero vix prorsus credibile est incompertam illi fuisse Methodii Apologiam, nonne inde sequitur ab ipso alium quam Porphyrium denotari?

Utriusque porro partis hæc sunt argumenta, quæ pro more officioque nostro examinata omnium ob oculos ponimus, ut suam quilibet de iis ferat sententiam, et quam putaverit veriorem, amplectatur. Nobis autem si quis certo probaverit hunc, de quo Lactantius loquitur, non esse Porphyrium, in suam eo facilius nos pertrahet sententiam, quo persuasum magis habemus nullam esse rationem cur Lactantius, Porphyrii libros refellendo, illius nomini pepercerit.

Quidquid autem de hoc, cujus neque scripta, neque fortassis nomen ad nos pervenere, philosopho statuatur, certum esse debet Lactantium ideo hos *Institutionum divinarum* composuisse libros, ut illius, atque alterius impii scriptoris divulgatas adversus christianam religionem commentationes confutaret, et plenius ac perfectius, quam alii hactenus christianæ religionis defensores, illius demonstraret veritatem. Utrum autem huic proposito ipse penitus satisfecerit, quæstio, nec minima quidem, esse potest. Nam Hieronymus ad Paulinum de illo hæc scripsit in verba : *Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra affirmare potuisset, quam facile aliena destruxit.* (*Hieronym. epist.* 49, *ad Paulin.*) Quid autem hæc verba aliud sonant, nisi Lactantium in illud ipsum vitium incidisse, quod aliis objecit, et quod se emendaturum pollicitus est? *Aliena*, inquit Hieronymus, id est, ethnicorum errores facile destruxit, sed *nostra*, nimirum documenta, non potuit eadem facilitate adstruere, probare, stabilire. Certum tamen est in his *divinarum Institutionum* libris dogmata et instituta nostræ religionis longe fusius, quam in citatis ab illo Minucii Felicis, Tertulliani, ac Cypriani commentationibus, non solum contra gentiles, sed etiam adversus Judæos asseri et confirmari. Utrum autem ea bene aut male, utrum plane ac perfecte, aut jejune et exiliter asseruerit, postea expendemus. At Hieronymus non videtur alia ratione illud, quod memoravimus, de his libris judicium tulisse, nisi quia oppositos sinceræ fidei nostræ dogmatibus errores in eis se animadvertisse arbitratus est. Sed quicumque, de quibus postea agendum, illi fuerint, palam tamen asseverat eos nulli unquam impedimento sibi fuisse, quominus hosce divinarum Institutionum libros legeret, *quibus*, inquit, contra gentes Lactantius *scripsit fortissime* (*Hieronym. epist.* 41, *ad Pammach. et Ocean.*, *Hieronym. Comment. in Eccl.*). Alio autem in libro præclarum vocat Institutionum divinarum opus, in quo Lactantius de vitiis et virtutibus plenissime disputavit.

Quod porro addidit Hieronymus Lactantium esse quasi quemdam fluvium eloquentiæ Tullianæ, id sane verum esse facile omnes concedunt, et Hieronymo lubenter suffragantur. At de Lactantii eloquentia jam disputavimus.

Denique Hieronymus in sua ad Magnum epistola scribit in *divinarum Institutionum*, et *de Opificio Dei* libris reperiri dialogorum Ciceronis ἀπεσμὸν (*Hieronym. epist.* 83 *ad Magn.*). Sed quo sensu id ille dixerit, a nobis supra observatum est. Quamobrem id tantummodo adjiciemus Ciceronem sæpe sæpius a Lactantio refelli, atque ibi potissimum, ubi de sacris christianæ religionis et moralis disciplinæ documentis agitur.

CAPUT III.

De horum librorum ætate, ac variis fragmentis, quæ videntur inepte iis inserta, et de erroribus Lactantio adscriptis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quo tempore Lactantius hos libros scripserit, et utrum duas divulgaverit eorum editiones.

Quo tempore Lactantius suos *divinarum Institutionum* libros in lucem emiserit, quidam ominantur his ipsis indicari illius verbis : *Ab excidio Trojanæ Urbis colliguntur anni* 1170. *Ex hac temporum ratione manifestum est ante annos non amplius* 1800, *natum esse Saturnum, qui et sator omnium deorum fuit* (*Lactant. lib.* I *Inst., cap.* 25). Isaus siquidem epi-

Digitized by Google

natur hinc posse confici Lactantium anno Christi 302, hos libros edidisse. Nam secundum accuratam, inquit, Glareani ad Livium chronologiam, ab excidio Trojano ad Urbem conditam anni 432 elapsi fuerunt; ab Urbe condita ad Christi ortum, anni 751; quibus si addas annos 302 ipsa annorum 1485, summa conficitur. Verum si vera sit hæc annos computandi ratio, ex ea sequitur probabiliorem esse rejectam ab Isæo Baronii opinionem, qui eosdem Lactantii libros anno 316 compositos esse arbitratur. Ex tota enim summa anni 317 numerandi sunt. Quamobrem Isæus fatori cogitur tam varias esse chronologorum ea de re sententias; ut certi nihil statui queat. Addit deinde, quod utique verum est, Lactantium non multum curare de tradenda certa aliqua annorum computandorum ratione. Et vero non aliud ibi probandum suscipit, nisi Saturnum deorum patrem, juxta ipsam ethnicorum chronologiam, non ante annos circiter 1800 natum, atque eos proinde frustra de impiorum suorum rituum antiquitate gloriari. Quocirca in subsequenti libro, sic de Jovis ætate loquitur: « *Qui ante annos mille septingentos natus.* » (*Idem, lib.* II, *cap.* 5). Numquid ergo Jupiter Saturni filius centum annis patre suo junior fuit? Constat itaque nihil ex his omnibus elici posse, quo horum librorum ætas certo definiatur.

Quanquam autem id fateatur Isæus, putat tamen illos ipso Christi anno 302 fuisse revera compositos. Testatum enimvero Lactantius facit se cum in Bythynia artem profiteretur oratoriam, et templum Dei everteretur, impiis duorum ethnicorum, de quibus nos paulo ante, scriptis se fuisse stimulatum, ut suas divinas Institutiones ederet (*lib.* V. *Inst., cap.* 2). Atqui eversum est illud templum anno 302, quo videlicet Diocletianus, data lege, omnia christianorum templa destrui jusserat. Nemini autem, ait Isæus, probabile fiet Lactantium, non minus tanta horum gentilium impietate et audacia provocatum, quam summo veræ religionis tuendæ ardore incensum, post quatuordecim tantum, ut minus, annos suam in his libris, quibus eos confutaret, conscribendis impendisse operam. Nec eum moratur Lactantii ad Constantinum oratio, quibusdam in libris exhibita. Hanc enim, de qua infra agendum, ut spuriam et suppositam plane rejicit ac repudiat.

Sed huic alii respondent mirum penitus non esse, si Lactantius non statim, quod scriptoribus sæpe usu venit, impia confutaverit ethnicorum Scriptorum commenta, tametsi passim scriptis publicis sparsa et disseminata fuissent. Quis enim asserere audeat utrum in potestate ejus positum fuerit, ut per tempus, quo christiani variis ac violentissimis vexationum tempestatibus conculcabantur, libros adversus gentiles publicaret? Aliæ etiam causæ nemini cognitæ accedere potuerunt, ob quas opportuniorem scribendi occasionem expectandam esse existimaverat. Quidquid sit, persuasum habent validioribus sane argumentis probari posse hos libros longe post annum 302 publicam venisse in lucem.

Verum hi duas adhuc scinduntur in partes. Nam Baronius illos ipso Christi anno 316 a Lactantio editos fuisse arbitratur (*Baron. ad ann.* 315, § 20 *et* 21, *et ad ann.* 316 § 55). Contra vero alii non ante annum 321 ab eo scriptos fuisse autumaverunt. Suam autem sententiam eminentissimus ille Cardinalis duabus potissimum rationibus firmare conatus est. Primam inde ducit, quod Lactantius his conficiendis libris operam dederit, cum Licinius vexabat Ecclesiam, et Constantinus expeditionem contra illum parabat. Auctor quippe noster illi in hujus operis præfatione victoriam ab eo reportandam vaticinatur. Secundum vero hinc petit, quod Arianæ hæreseos, quæ caput anno 315 extulerat, tanquam notæ, et ubique jam vulgatæ, facta sit ab eodem auctore nostro mentio (*Lib.* I *Inst. cap.* 1, *lib.* IV *Inst., cap.* 30, *pag.* 449).

Sed respondent alii in dubium vocari, utrum illa præfatio, et nomen *Ariani* in Lactantii textum ab aliquo male feriato scriptore intrusa non fuerint. Deinde vero tametsi omnino constaret hæc ab Lactantio esse profecta, nihil inde Baronius, nisi adversus suam opinionem posset conficere. Certis siquidem, inquiunt, et invictis rationum momentis potest demonstrari Licinii persecutionem non ante annum Christi 319 esse exortam. Si Lactantius ergo hujus persecutionis meminit, non anno Christi 316, sed post annum 319, hos libros composuisse dicendus est.

Tota igitur quæstio in hoc sita est, utrum Lactantius de Licinii persecutione loquatur, ac quo tempore excitata sit. Quod ad primum autem spectat, utriusque opinionis fautores fatentur factam revera ab eo persecutionis illius mentionem: *Scribebat*, inquit Baronius, *hoc anno, quo persecutio Licinii vexabat Ecclesiam* (*Baron. ad ann.* 316, § 55). Non eam igitur ille mox orituram, sicuti quidam putant, sed jam ortam haud obscuris verbis pronuntiat.

Et certe Lactantius Diocletiani in christianos sævientis immanem crudelitatem, et eo imperante illata christianis horrenda atque hactenus inaudita supplicia depinxit, ut jam præterita, et quorum nonnulla ipsemet viderat (*lib.* V *Inst., cap.* 11). Ast alia his plane similia aut prorsus eadem adhuc, cum hos libros exararet, inflicta sic alibi memorat: *Cultores Dei summi, hoc est, justos homines*, nimirum christianos, *torquent, interficiunt, exterminant, nec causas odiorum reddere ipsi possunt, qui tam vehementer oderunt; quia ipsi errant. Irascuntur iis, qui veram viam sequuntur, et cum corrigere se possent, errores suos insuper crudelibus factis coacervant, innocentium cruore maculantur, et dicatas Deo mentes, evisceratis corporibus, extorquent. Cum talibus nunc congredi et disputare contendimus.* Postea vero: *Ecce in eo errore est civitas, vel potius ipse orbis totus, ut bonos et justos viros, tanquam malos et impios persequatur, excruciet, damnet, occidat..... Cur enim tam crudeliter sæviunt; nisi quia metuunt, ne in dies invalescente jus-*

Digitized by Google

titia, cum diis suis narinosis relinquantur (*Lib.* v *Instit.* *cap.* 12). Rursus autem alio in libro. *Spectatæ sunt, pectanturque adhuc per orbem terræ pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis nova et inusitata tormenta excogitata sunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari, cum immanium bestiarum ultra ipsam mortem carnificina sævierit* (*lib.* VI, *cap.* 17). Denique plura in rem confessam, et postea adhuc tractandam, nunc non congeremus, quibus palam ille facit christianorum numerum tot tamque crudelibus tormentis et cædibus non modo non minui, sed semper augeri. Ex citatis quippe Lactantii verbis satis aperte intelligitur duplicem ab illo memorari persecutionem, unam a Diocletiano motam, et a Licinio alteram (*lib.* v. *cap.* 12).

Definiendum itaque superest quo tempore hæc secunda persecutio incœperit. At Boronius illud consignat anno Christi trecentesimo decimo quarto, cum obortis Constantinum inter et Licinum simultatibus, Cibalensi hic fusus victusque fuit prælio, quod in Eusebiano chronico et aliis scriptoribus eodem anno 314 assignatur. Sed alii Licinianæ persecutionis initium anno decimo nono supra trecentesimum factum fuisse arbitrabantur. Ab ejusdem enim Eusebiani chronici auctore, quemadmodum a Theophane et Cedreno, Licinius dicitur, anno 319 aut 320, christianos ex suo expulisse palatio. Atqui eos procul dubio inde ejecit, ubi primum cœpit in christianam religionem palam sævire. Ad hæc vero, in eodem chronico anno 321, Basileus Amasiæ Ponticæ episcopus coronam martyrii sub Licinio retulisse perhibetur. Theodorus quoque eamdem, teste Nicephoro, coronam adeptus est sabbato, septimo mensis Februarii die, sicut in martyrii ejus Actis, a Bollando editis, legimus. Atqui sabbatum die Februarii septima in annum Christi 319, dominicali littera D. notatum, non vero in annum 316, incidit. Lactantius igitur non ante hunc annum 319 divinarum Institutionum libros edidit.

Nonne autem roboris ac firmamenti aliquid huic posteriori opinioni inde accedit, quod Lactantius significare videtur se ex Bithynia, unde a Diocletiano, sicut diximus, vocatus fuerat, prius secessisse, quam hos *divinarum Institutionum* libros emisisset in lucem? (*lib.* v *Inst.*, *cap.* 2.) Non enim prorsus inepte colligi inde potest eos ab illo compositos, postquam se contulisset in Gallias atque ibi Crispus in ejus traditus fuisset disciplinam. At id anno 318 aut paulo post contigit.

Quidam vero recentiores critici has utriusque et Baronii et aliorum sententiæ difficultates sustulisse sibi videntur, dum dicunt factam fuisse a Lactantio duplicem horum librorum editionem. Opinantur enim illum primam his conscribendis manum admovisse, cum persecutione in christianos furente, in Bithynia degeret; deinde vero illos, data Ecclesiæ pace, ab eo secunda manu retractatos, et auctos, publicam prolatos fuisse in lucem. Posteriorem vero hanc editionem vulgatam esse existimant longe post Cibalense bellum, et cum Lactantius apud Crispum Cæsarem commorabatur in Galliis, ubi eam Constantino Magno nuncupavit. Nec parum forsitan huic opinioni favere videtur magna codicum manuscriptorum, ac præcipue in fragmentis quibusdam exhibendis varietas.

At quid, quæso, prohibet, quominus hæc discrepantia in male feriatum et improbum quemdam veterum librorum corruptorem refundatur? Præterea Lactantius, sicuti paulo ante annotabamus, satis aperte significat se hos libros non composuisse, quamdiu in Bithynia remansit.

Urgebit fortasse aliquis a Lactantio, post publicatos *divinarum Institutionum* libros, editam fuisse eorum epitomen. Cur autem eam confecit, nisi maximam propter utilitatem, quam plurimi ex his libris perceperunt? Nonne ergo eamdem ob causam potuit ille secundam eorumdem librorum editionem divulgare, prima ut fieri solet, magis accuratam, atque idcirco altera magis utilem? Inficias quidem non ibimus, hoc fieri potuisse: sed utrum revera factum sit, nulla satis certa firmaque ratione stabilitur. Testis siquidem nobis est Hieronymus primam ac majorem hujus epitomes partem, a suo jam tempore fuisse amissam, quæ quidem paucis abhinc annis, quemadmodum dicemus, reperta et edita est. At cur, quæso, in tota illa epitome, cujus conficiendæ laborem ab illius initio deprecatur, nullam duplicis *divinarum Institutionum* editionis, fecit mentionem? Neque etiam secundæ horumce librorum editionis, ullum plane, nisi incertissimum omninoque fallax vestigium in ea, quam habemus, deprehenditur. Ergo aut nunquam hæc secunda ab eo facta est, aut illius jacturam fecimus.

Quæ porro ex his diversis de horum librorum ætate sententiis verior sit, judicet æquus rerum æstimator, et eam amplectatur. Sed quodcumque judicium feratur, fatendum est hos libros editos fuisse intra annum 316 et 322. Atqui illud sex tantummodo annorum intervallum non tanti momenti pluribus videbitur, ut longius propterea disputationis filum trahatur. Interim expendamus utrum hi libri Constantino Magno, quod ad cognoscendum eorum tempus conducere potest, revera nuncupati fuerint.

ARTICULUS II.

Utrum Lactantius hos libros Constantino Magno nuncupaverit eumque una et altera oratione allocutus sit.

Duo potissimum in his divinarum Institutionum libris occurrunt loca, ubi Lactantius Constantinum Magnum compellat, hocque opus fausto nominis ipsius auspicio incohatum fuisse testificatur. Horum autem in priore auctor ejus perspicue asserit illum ex Romanis imperatoribus primum fuisse, qui repudiatis gentilium erroribus, verum Deum coluit, ac restitutam a se veram, scilicet Christi, religionem amplexus est (*Lactant.*, l. I, c. 1). Quamobrem ei pollicetur fore ut Deus felicitatem ei tribuat, quandiu imperii moderabitur gubernaculum, atque illud

Digitized by Google

senex liberis tradat suis, quod ipse juvenis a patre accepit. Nec minus asseveranter promittit fore ut pro tam egregio pioque facinore dignam a Deo mercedem accipiat, et alii in aliis terrarum partibus, adversum Christianos tum adhuc sævientes, tanti sceleris pœnas persolvant.

In secunda vero, quæ priore longior est, Constantino imperatori rursum gratulatur, quod ad humani generis tutelam, et restituendam Christianam religionem a Deo excitatus, nemo amplius ne Christiani quidem nomen ulli exprobrare auderet, ac exstinctis omnibus tyrannis, pericula quam plurima vitaverit, solusque totius mundi teneat imperium. Addit porro omnes Deum precari, ut ab eo protectus et custoditus, in ejus amore perseveret (*Lact.*, *l.* VII, *c.* 26).

At Isæus ac postea Thomasius variis rationibus primam orationem spuriam omnino et supposititiam esse existimant. Primo enim ea abest a septem Vaticanis, aliisque bene multis diversa manu exaratis, et aliis impressis codicibus, ac potissimum ab omnium antiquissimo manuscripto sancti Salvatoris Bononiensis exemplari. Deinde vero hæc, inquit, oratio pugnat cum genuinis Lactantii libris, quibus significat christianos tum adhuc per totum terrarum orbem ab gentilibus et tyrannis crudelissime divexari. Audisti jam recitata a nobis superius ejus verba: neque hæc minus perspicua videntur : « Nemo hujus tantæ belluæ immanitatem potest pro merito describere, quæ uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis sævit, et non tantum artus hominum dissipat, sed et ossa ipsa comminuit, et in cineres furit, ne quis exstet sepulturæ locus » (*l.* V, *c.* 11). Atqui in illa ad Constantinum Magnum oratione tyranni non ubique, sed in quibusdam tantum orbis terræ partibus in Christianos sævire dicuntur.

Verum hæc specie verboque tenus repugnantia, non multum alios morantur. A nobis siquidem jam observatum est duplicem a Lactantio denotari Christianorum acerbissimam vexationem, unam a Diocletiano, alteram a Licinio excitatam, ac priorem quidem præteritam, posteriorem vero præsentem. Si ergo alicubi, ut in citato loco, de illa etiam uti adhuc præsente loquatur, ibi non historici, sed oratoris sequitur morem, a quo res præteritæ tamquam præsentes non raro exhibentur. Sufficit autem ad utramque recte distinguendam, ut unius elapsum, alterius præsens indicetur tempus. Nihil porro vetat, quominus Liciniana persecutio, non ubique sæviens, designari potuerit.

Minoris procul dubio ponderis illud est, quod urget Isæus Lactantium, ubi celeberrimos memorat Christianæ religionis defensores, nullum Arnobii præceptoris sui, qui eodem ac ille tempore causam Christianorum agebat, habuisse sermonem. Rationes enim reddidimus, cur Arnobium præterniserit, vel, si velis, pepercerit nomini ejus, ac venerandæ semper magistri dignitati (*supra*, *c.* 3, *art.* 2).

Neque etiam validius videtur aliud ejusdem Isæi argumentum, inde petitum, quod varii scriptores, atque in primis Hieronymus, qui Lactantii opera sedulo recensuit, nullibi dixerint hosce Divinarum Institutionum libros Constantini Magni inscriptos fuisse nomini, aut illum in eis compellatum. Nam idem ipse Hieronymus simili silentio præterivit cui pulcherrimus, ut ipse ait, Lactantii de Ira Dei liber, et alius de Persecutione, inscripti nuncupatique fuerint.

Nec erat sane quod instaret Isæus Lactantium ad hos edendos libros compulsum fuisse, cum Christianorum templum anno Christi, sicut diximus, 302 funditus dirutum vidisset ; atque idcirco illorum editionem ad illud usque distulisse tempus, quo Constantinus Magnus pacem ecclesiis reddidit. Quid enim mirum est, si tempus ille exspectaverit magis opportunum, quo videlicet piissimus ille imperator, victo Licinio, tantum favebat Christianis, quantum Licinius ille adversus eos in quibusdam provinciis furebat ac bacchabatur?

Major itaque ac tota pene difficultas posita videtur in manuscriptorum codicum auctoritate. Constantini quippe nomen, et verba quibus Lactantius eum alloquitur, penitus omissa sunt in antiquissimo Bononiensi, et aliis diversæ ætatis manuscriptis codicibus, ac pluribus etiam editis, sed in aliis tamen non minori numero inveniuntur. Nam ut quinque Vaticanos, aliosque aut prius, aut posterius exaratos prætereamus, hæc omnia exhibentur in Floriacensis olim monasterii, nunc regiæ bibliothecæ codice, qui ibi numero 3735 notatur, et ab annis 900 videtur exaratus. In altero autem quondam Claudii Puteani, jam vero regiæ ejusdem bibliothecæ numero 3756 ab annis circiter 800 descripto, ea Lactantii ad Constantinum allocutio non quidem occurrit, sed in illo hic legitur libri secundi titulus : « Incipit liber secundus Lactantii Cæcilii Firmiani, de Origine erroris, ad Constantinum. » Neque id temere ab amanuensi librario scriptum putaveris. In eodem etenim codice idem Constantini nomen sic initio libri tertii præfigitur : « Vellem mihi, Constantine imperator, quoniam veritas, etc. » Similiter et quarti initio : « Cogitanti mihi, Constantine imperator, et cum animo, etc. » Rursus vero quinti exordio : « Non est apud me dubium, Constantine imperator, quin hoc opus, etc. » Longioris et fortasse parum utilis operæ pretium foret alios omnes enumerare codices, in quibus ea omnia leguntur. Nam et horum codicum major est numerus, sed non plures diu ante vulgatas typis editiones scripti sunt.

In hisce porro editionibus, ubi Constantini nomen, et Lactantii ad eum sermo reperiuntur, prior nominanda est, quæ Romæ ex domo Petri de Maximo, anno 1468, prodiit. Legitur quoque in editione Betulcii anno 1563 et aliis plerisque omnibus. Thomasius vero in illius, quam anno 1570 publici juris fecit, notis observat hanc Lactantii ad Constantinum orationem ab duobus Bononiensibus et quinque Vaticanis abesse, quam idcirco Isæus, quemadmo-

Digitized by Google

dum Constantini nomen, ex Lactantii textu postea abstulit.

Non dubium itaque est quin tanta manuscriptorum codicum discrepantia suspensum teneat plurimorum animum, ne in unam citius inclinet, quam in alteram partem. Et certe si major Bononiensis codicis antiquitas aliis præponderare videatur, aliorum tamen in Galliis descriptorum ætas, quæ uno vel altero tantum sæculo posterior est, suum habet pondus, suamque auctoritatem. Huc accedit, quod nulla videatur ratio cur ea Lactantii oratio, et Constantini nomen his libris aut adjicerentur aut tollerentur. Nihil quippe hæc conducunt ad Lactantii propositum, atque iis additis aut deletis, nec minus integri sunt ejus libri, nec meliores aut pejores. Postremo non ignobiles critici Lactantianum stylum agnoscunt in ea oratione, quæ tolli facilius potuit, quam adjici.

Verum majoris forsitan ponderis forent hæc argumenta, si plura non essent alia fragmina, quæ fraudulenter iisdem Divinarum Institutionum libris inserta videntur. Præter alia quippe plura de quibus mox agendum, altera certe Lactantii ad Constantinum oratio, priore, uti animadvertimus, longior, sub finem totius operis in quibusdam editionibus tamquam genuina legitur, et in quibusdam aliis rejecta est ad marginem (*l.* VII *Inst.*, *c.* 26). Sed eam Isæus neque in duobus manuscriptis Bononiensibus, neque in duodecim Vaticanis, neque in cæteris quos ipsi videre licuit, se invenisse profitetur. Neque alii etiam, posterioribus in Anglia, Cantabrigiæ, et Oxonii editionibus præfecti, illam in iis, quibus usi fuerant, manuscriptis Anglicanis repererunt. Abest quoque a Romana editione, divulgata anno 1468, et ab eo, quem nos accurate recensuimus, codice manuscripto regiæ bibliothecæ, numero 3736, ab annis, ut diximus, circiter 800 exarato. De altero autem antiquiore ejusdem bibliothecæ exemplari nihil statui potest; quando quidem ultima ejus folia post medium caput nonum libri septimi avulsa aut deperdita fuere.

Cum itaque hæc oratio sive allocutio tot antiquiorum codicum auctoritate destituatur, nonne inde haud incerto confici potest illam omnino spuriam esse et adulterinam? At si hæc notha est, et conficta ab aliquo nugatore, cur non et alia prior? Sed par omnino non videtur ratio. Secunda etenim hæc oratio longe majores supposititi additamenti notas præ se fert, quam prima. Hæc quippe in multis, uti jam observavimus, exstat tam antiquioribus, quam recentioribus manuscriptis, illa in paucissimis, iisque ætatis ultimæ. Deinde vero posterior non tantum huic priori, sed ipsimet genuino Lactantii textui adversatur. In illa quippe, uti observatum est, scriptor dixit christianos in magna saltem mundi parte horrendis suppliciis torqueri, cædi et necari: in hac e contrario, qui Dei nomen vitio verteret Christianis, esse neminem. In prima tyranni et Christianæ religionis hostes infensissimi tum imperasse dicuntur: in altera asseritur eos, datis scelerum suorum pœnis, jacere profligatos, solumque Constantinum summa rerum potiri. Nonne autem inde concludi haud absurde potest hanc secundam orationem supposititiam esse, ac vero Lactantii textui tam præpostere insutam, quam altera genuina, atque ab ipso reapse profecta haud immerito videtur? Quod si res ita se habeat, dicendum erit hos divinarum Institutionum libros a Lactantio, uti diximus, editos esse anno 320 aut 321, quo tempore jam susceptæ erant Licinium inter et Constantinum inimicitiæ ac simultates, et ille in christianos sæviebat. Verumtamen quia falsarii et vetustissimorum codicum corruptores tanta temeritate nefarias manus libris Lactantii inferre ausi sunt, quid de his orationibus statui debeat, expendas velim, et pronunties. Interim vero alia horum librorum loca examinanda sunt, quæ similiter spuria, aut etiam depravata, et adulterata fuisse perhibentur.

ARTICULUS III.

De fragmentis pluribus quæ spuria videntur, et Lactantii textui præpostere inserta.

Omnibus scripta Lactantii legentibus obviam multa veniunt, quæ in illius textum perperam intrusa plurimis non prorsus immerito jure videntur. Primum illud est: « Sicut mater sine exemplo genuit auctorem suum, sic ineffabiliter pater genuisse credendus est coæternum. De matre natus est, qui ante jam fuit; de patre, qui aliquando non fuit. Hoc fides credat, intelligentia non requirat. Ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare » (*Lactant.*, *l.* II, *c.* 8 *et* 9). Multi autem hæc ab insulsissimo quodam scriptore præpostere omnino addita existimant. Nam Isæus nos admonuit ea deesse in antiquissimo Bononiensi, octo Vaticanis, aliisque optimis codicibus. Alii vero annotarunt illa quoque ab iis abesse, quos ad castigandam horum Lactantii librorum editionem præ manibus habebant. Desiderantur etiam in duobus vetustioribus regiæ bibliothecæ exemplaribus ab annis 900 et 800 exaratis.

Deinde vero quisquis ea, quæ fragmentum antecedunt et sequuntur, vel levissime legerit, confestim comperiet eo Lactantii sermonem plane turbari. Apertam insuper animadvertimus in hoc tametsi brevissimo additamento repugnantiam. Nam ibi Filius Dei Patri suo coæternus, et nihilominus aliquando non fuisse, sive non coæternus asseritur. Scimus quidem a Betuleio observatum in secunda editione Romana legi: « *Qui aliquando non defuit.* » Sed quis non videat hanc emendationem a scriptore aliquo oculatiore factam, ut tolleretur tam evidens contradictio? Recte ergo verba illa in aliis editionibus stellulis inclusa, melius in aliis ex textu ad marginem rejecta, in notis spuria esse animadvertuntur. Non desunt tamen docti quidam viri, qui hæc genuina esse ac catholico sensu dicta existimant. Sed illorum rationes infra examinabimus, ubi de Filii Dei divinitate agemus.

Digitized by Google

Nec multo post, ubi Lactantius de rerum omnium creatione disputare incipit, adjecta similiter videtur hæc periodus : *Fecit in principio bonum et malum, id plane quid sit, apertius explicabo; ne quis me ita loqui arbitretur, ut poetæ solent, qui res incorporales quibusdam figuris quasi visibilibus comprehendunt, cum præsertim ipsum adhuc nihil esset.* Tota enim vero hæc periodus plane inconcinna, et Lactantio prorsus indigna, ab plerisque omnibus editionibus rejecta est; tum quia in manuscriptis Bononiensibus, undecim Vaticanis, aliisque quamplurimis non invenitur; tum quia Manichæi errores redolere pluribus visa est. Nos tamen illam legimus in antiquiore manuscripto codice regiæ bibliothecæ, qui numero 3735, sed non in altero, qui sequenti numero notatur. At inde nihilominus colligitur jam a longo tempore eam Lactantii nostri textui fuisse inepte adjectam. Neque immerito quidem. Nam hæc verba ibi Lactantii sermonem perturbant et confundunt. Nonnulli præterea addunt his verbis significari Deum fecisse bonum et malum, non modo ante creationem mundi, sed etiam ante Filii sui generationem. Si res ita sit, nihil profecto doctrinæ Lactantii, ut postea ostendemus, magis contrarium fingi poterat.

Paulo post in vetustiore codice regio media inter hæc verba : *Tam etiam charus est*, et ista : *Hunc ergo ex bono per se malum effectum, Græci* διάβολον, hæc interjecta fuere : *Etiam charus est. De quo nunc parcius, quod alio loco et virtus ejus, et nomen, et ratio enarranda nobis erit. Interim de hoc uberius, ut dispositio divina noscatur; quia nec bonum intelligi sine malo potest, nec malum æque sine bono, et sapientia boni malique notitia est. Hunc ergo malum spiritum, Græci* διάβολον, etc. Sed hæc neque in aliis manu exaratis codicibus, nec in editis pluribus occurrunt, nec ullus scriptor alicubi se ea legisse annotavit. Si ergo genuinum est hoc fragmentum, peccarunt profecto ii, a quibus avulsum aut omissum fuit. Si spurium et nothum, multo nequiores sunt, qui illud, data opera, textui Lactantiano inserere ausi sunt.

Paucissima vero post verba, et ante hæc : *Exorsus igitur Deus*, etc. interpositum est aliud additamentum, cæteris multo grandius, et cujus longitudo illud integrum a nobis describi non sinit. Ibi autem scriptis traditum legimus mundum a Deo creatum, ut rebus contrariis sibique repugnantibus constaret; factos etiam duos spiritus, unum bonum, pravum alterum, ut in illorum potestate essent, quæ in mundo sibi invicem adversantur. Similiter Deus, uti ibidem asseritur, hominem creaturus, bonum fecit et malum, ut virtus esse posset. Quia tamen fas non est malum a Deo proficisci, ille constituit spiritum pravum malorum inventorem, *deditque illi ad mala excogitanda ingenium et astutiam, ut in eo esset et voluntas prava, et perfecta nequitia.* Ambos autem illos spiritus ad certamen sic composuit; ut alterum præposuerit bono, et malo alterum. Postea creavit multos angelos *repugnantis naturæ, qualis deorum*, quorum pars post mundum conditum a cœlestis substantiæ vigore descivit. Omnes porro angelos, quorum principes erant illi duo spiritus, fuisse in principio pares, et ejusdem apud Deum conditionis.

Et hæc quidem in hoc longiori sane additamento enarrantur. Sed Isæus asserit illud non reperiri in antiquissimo Bononiensi codice, neque in duodecim Vaticanis, aliisque plurimis. Spark. vero notat illud etiam abesse ab Anglicanis, quorum copiam habuit, excepto tamen Bulliosensi. Deest quoque in editione Romana anno 1568 divulgata, et aliis emendatioribus, quemadmodum et in pervetusto regio exemplari numero 3736. Fatemur quidem illud a nobis inventum in altero antiquiori numero 3735, sed hoc ad marginem addito carmine :

Qui legis hæc, lector, foveas laqueosque caveto.

Putavit itaque librarius, aut codicis emendationi præpositus, in hoc fragmento venenum propinari Manichæorum, qui duo principia, unum bonum, et malum alterum imperite prædicabant. Eadem fuit opinio Isæi, qui in notis suis observat impium illud dogma numquam alibi clarius adstrui. Spark. tamen Betuleium castigat, quod in suis ad hunc locum commentariis scripserit Lactantium ibi pugnare contra errorem Origenistarum et Manichæorum, qui Deum mali auctorem esse voluerunt. Cæterum Betuleius hoc additamentum asteriscis voluit includi, quia illud aut adulterinum, aut saltem plane dubium esse arbitrabatur. In eo autem mortiferum aliquod Manichæorum virus versute et subtiliter insinuari inde colligi potest, quod illius auctor aperte pronuntiat Deum fecisse bonum et malum. Sed quoniam duriora videri poterant hæc verba, ut ea corrigeret, aut mitigaret, paulo post addidit : *Et quoniam fas non erat ut a Deo proficisceretur malum (neque enim contra se ipse faceret), illum constituit malorum inventorem, quem cum faceret, dedit illi ad mala excogitanda ingenium et astutiam; ut in eo esset et voluntas prava, et perfecta nequitia, et ab eo contraria virtutibus suis voluit oriri, eumque secum contendere, utrumne ipse plus bonorum daret, an ille plus malorum.* Verum quid hac, inquiet aliquis, subdola emendatione voluit sibi versipellis ille scriptor? Nonne legerat quæ paulo ante ab ipso Lactantio nostro vere scripta sunt, a Deo factum alterum spiritum, in quo indoles divinæ stirpis non remansit : *Itaque suapte invidia*, inquit, *tamquam veneno infectus est, et ex bono ad malum transcendit, suoque arbitrio, quod a Deo illi liberum datum fuerat, contrarium sibi nomen adscivit. Unde apparet cunctorum malorum fontem esse livorem.* Nonne hæc uti orthodoxa, ita satis clara et perspicua erant? Quid opus erat obscura et malitiosa aliqua interpretatione ibidem paucas post lineas adjecta? Quantumvis autem illa bono aliquo sensu explicari possit, cui, amabo te, credibile fiet omnia hæc plane inutiliter ab Lactantio fuisse adjuncta?

Præterea in hoc additamento duo spiritus, quos Lactantius a Deo primum creatos memorat, dicuntur angelorum principes. Atqui in libro quarto, ad quem illius additamenti auctor nos mittit, prior spiritus a

Digitized by Google

Lactantio appellatur verus Dei Filius (*lib.* IV, *cap.* 6 *et* 7). Ad hæc vero, angeli in eodem fragmento finguntur non unius, sed *repugnantis naturæ*, *qualis deorum.* Sed ubi, quæso, Lactantius ita umquam locutus est? Quid etiam quod scriptor ille ab Lactantiani sermonis imitatione ita recessit ut duas intra lineas hæc verba, *exorsus est fabricam mundi*, repetantur. Denique quantum hoc additamento male interrumpitur oratio Lactantii, tantum illo sublato, tota sibi cohæret, et aptissime connectitur.

Aliud porro fragmentum, præcedente longius in libro septimo exhibetur (*lib.* VII, *cap.* 5). Auctor autem illius declarat in aliis libris, et paulo antea se iis respondisse, qui objiciebant culpam hominis refundendam in Deum, qui malum sicuti et bonum fecit. Præterea nulla, inquit, posset esse virtus, nisi Deus diversa fecisset. Sublato enim malo, bonum etiam tollitur. Fecit igitur Deus bonum et malum, ut virtutem exercitatione, et de malorum conflictatione redderet perfectam. Nulla enim sine hoste et certamine victoria est. Quemdam vero contra argumentantem sic inducit: *Si bonum sine malo esse non potest, quomodo primum hominem dicis ante offensum Deum in solo bono fuisse, aut postea in solo bono futurum?* Huic itaque continuo respondet se hanc quæstionem in prioribus libris prætermisisse; ut ibi opportuniori loco illa discuteretur. Quapropter ut eam nunc solvat, docet primo hominem constare corpore terreno, et anima tenui, sed æterna; quæ cum sibi contraria sint, necesse est hominem bono et malo esse obnoxium: *Animæ autem*, inquit, *adscribitur bonum, quia indissolubilis est; corpori autem malum, quia fragile est.* Quamobrem bonum et malum separari non possunt, nisi anima a corpore separetur. Porro autem *boni malique notitia simul primo homini data est: sed cum esset in bono tantum, id ipsum bonum esse ignorabat.* Ast ubi primum percepit boni et mali intelligentiam, de beatitudinis loco in communem orbem relegatus est; ut experiretur bonum et malum, quorum naturam agnoverat. Unde apparet homini, ut bonum a malo discernat, datam esse sapientiam, quæ sine malo stare non potest.

Primus autem homo, pergit ille, quamdiu fuit in solo bono, vixit sicut infans boni et mali nescius. Sed non potest esse sapiens, et sine ullo malo beatus ante animæ corporisque separationem. Tunc enim sicut corpus ita et malum concidet, atque solum bonum cum anima beata semper permanebit. Sic ergo Deus hominem in hac vita medium inter utrumque posuit, ut haberet boni vel mali sequendi licentiam. Sed quia mala bonis, et bonis mala apparentia permixta sunt, officium sapientiæ desideratur; quo plus mente videamus, quam corpore. Cum autem id difficile et rarum sit, ideo sapiens, qui fragilia bona contemnit; et Christianus, qui pro fide nec tormenta nec mortem recusat, pro stulto habetur. Homo ergo a Deo factus est mortalis, et malis subjectus, ut virtutem caperet, eique virtus daret immortalitatem.

Atque ita disputat auctor hujus fragmenti. At illud spurium, et Lactantio suppositum esse inde conficitur, quod illud Isæus in codicibus Bononiensibus, duodecim Vaticanis, et aliis, Spark. vero in omnibus Anglicanis affirmant non inveniri. Neque a nobis etiam repertum est in vetusto codice regio numero 3736. De alio autem antiquiore nihil statui potest, quia ibi decurtatum mutilatumque fuit. Omittitur quoque in antiquis editionibus Romana, Florentina, Antuerpiensi et aliis melioribus. Betuleius vero suspicatus est illud a Gryphio omnium primo typis editum.

Quapropter a plurimis repudiatur tamquam adulterinum. Quidam vero suspicantur illud fabricatum esse a veteratore quodam, ingenioso æque ac callido, qui Lactantii stylum recte imitatus est. Sed hoc procul dubio non fuit difficile homini, qui sua dicta ex variis ipsiusmet Lactantii libris collegerat. Nobis tamen facile non persuadebitur tot uno in loco adhibitas a Lactantio comparationes, quot iste ingessit in primam hujusce fragmenti partem. Multo autem minus putamus eumdem Lactantium illa usum fuisse, quæ desumitur ex Circo, contra quem tam vehementer, et jure tam merito declamat. Præterea ille non obscure significat, quæ in prima fragmenti illius parte disputantur, jam satis a se fuisse tractata: *At enim*, inquit, *jam sæpe dictum est virtutem nullam fuisse futuram, nisi haberet, quæ opprimeret* (*Lact. cap.* 22). Auctor vero hujus additamenti palam declarat, aut potius fingit se hæc leviter attigisse, quamvis ea quæ ibi scripsit, ex quinto ac præcipue ex sexto Divinarum Institutionum libro delibaverit (*lib.* V, *cap.* 7 *et* 21; *lib.* VI, *cap.* 15; *lib.* II, *cap.* 12; *lib.* VII, *cap.* 4 *et* 5; *lib. de Ira Dei*, *cap.* 15). Nec potiori ratione dicere poterat quæstionem de homine, qui sine malo esse non potest, in superioribus libris fuisse prætermissam. Quæ enimvero ibi protulit, hæc pleraque omnia ex secundo et septimo Institutionum, atque ex libro de Ira Dei excerpta fuisse quivis facile cognoscere poterit. Scimus quidem librum de Ira Dei a Lactantio, ut fusius infra ostendemus, editum fuisse post septem Divinarum Institutionum libros, ubi hoc additamentum legimus. At certe si ibi ab eo scriptum fuisset, et tanta cura hanc solvisset quæstionem, certe in libro de Ira Dei, ubi eam retractavit, non omisisset nos solito suo more ad hunc locum mittere, aut aliquam illius facere mentionem.

Porro autem etiamsi Isæus illud, sicut superiora fragmenta rejecerit, nec passus sit ea in Lactantii textu typis mandari, solius tamen Bononiensis codicis auctoritate fretus hæc, ubi Lactantius de Cypriano disserit, illius inseruit textui: *Unde apparet disertissimo et doctissimo viro, quantum ad sacrilegos attinet refellendos, non facultatem dicendi, sed consilium defuisse in eo præcipue, quod Demetrianum veritatis expertem, non ratione prudentiæ humanæ, qua uti in principio debuit, sed auctoritate cœlestium præceptorum, quorum ille se hostem fatebatur, exstinxit* (*lib.* V, *cap.* 1). At ibi solita Isæi desideratur diligentia, qui nobis expresse non edisseruit quo in manuscripto Bononiensi, an in vetustissimo, aut altero recen-

Digitized by Google

hæc scripta sint. Tametsi vero in priore exstarent, numquid illius solius auctoritas præ cæteris omnibus valere debebit? Nonne et in eo sunt aliqua, sicut in aliis, librarii errata? At illud alicujus scriptoris esse additamentum inde patet, quod eadem de Cypriano postea et elegantius dicantur. Vero autem simile non est Lactantium censuisse repetenda esse hæc injuriosa verba, quæ de tam eximio scriptore non jure prorsus merito dicta vidimus. Nonne ergo multo verisimilius, ne dicam certius, est hanc repetitionem oscitanti librario esse adscribendam? (*Lact. cap.* 4.)

Denique vir cl. Stephanus Balusius (*Balus. lib.* II, *Miscell. pag.* 46) aliud breve de extremo judicio fragmentum edidit, quod quidem in codice 1095 Colbertinæ Bibliothecæ post septem *Divinarum Institutionum* libros, et ante librum *de Ira Dei* descriptum invenerat. Codicis autem hujus auctoritate fultus, existimavit illud a Lactantio revera profectum fuisse. Balusium secutus est Thomas Spark., qui illud postea ex duobus Anglicanis codicibus in editione Oxoniensi typis excudi curavit. Nos vero duos alios, de quibus paulo post agendum, in Colbertina bibliotheca vidimus, ubi etiam idem fragmentum eodem modo reperitur. Verum quomodo fieri potuit, ut illud in his tantum, quæ profecto recentissima sunt, exemplaribus, non autem in aliis longe pluribus et antiquioribus occurrat? Cur etiam in hisce manu tam recenti scriptis libris suo in loco descriptum non fuit? Nonne inde concludi potest nullam esse rationem, cur illud ex Lactantii nostri potius quam alterius auctoris libris transcriptum dicatur? Ut ut sit, tanti breve hoc fragmentum non est momenti, ut in illius inquirendo parente diutius detineamur. Nihil novi enim nobis suppeditat, nisi Heliæ Thespitis nomen, qui, ut ibi traditur, *fide* (mss. duo Anglicani, *fidem*) *Judæorum Antichristum persecutus est*. Sed vereor, ne et hæc verba cum iis non convenire possint, quæ Lactantius et in libro septimo Institutionum, et in epitome de Judicio extremo scriptis tradidit.

At mirum sane quanta confidentia recentior quidam criticus (*Simon. Epist.* XXV *select. Roterodami, anno* 1704) in una ex selectis suis epistolis asseruit hæc omnia fragmenta, de quibus hactenus disputavimus, genuina esse ac sincera, atque a Lactantii textu ab iis fuisse amputata, qui in monasteriis olim codicum veterum præerant emendationi. Nos vero ibidem monitos esse voluit fore ut in altera epistola, ne in hac longior esset, eadem tantummodo fragmenta examinet. An fidem liberaverit, nobis est incompertum. In citata autem epistola fatetur ea additamenta, in quibus Manichæorum errores deprehenduntur, in meliorum codicum manuscriptorum parte non inveniri. Sed audacter affirmat a multis sæculis emendatores horum codicum ex auctorum textu hæc et alia plura sustulisse, quæ sibi orthodoxa non videbantur. Denique haud dubitanter asseverat Lactantium, qui theologicis dogmatibus nostris non perfecte imbutus fuerat, potuisse falsis Manichæorum, a Gnosticis oriundorum, infici opinionibus.

Sed vide, quæso, insolitam plane hominis, cui critici nomen tanto in amore et deliciis est, sagacitatem, novumque profecto argumentandi genus. Lactantius, ait vir ille criticus, potuit Manichæorum erroribus coinquinari; ergo his revera coinquinatus est; ergo illa, de quibus agitur, scripsit fragmenta; ergo monachi codicum emendatores illa amputaverunt. O dignam certe tanto critico argumentationem! Sed ut tanti sceleris monachos accusaret, prius ipsi probandum erat Lactantium his Manichæorum erroribus revera fuisse contaminatum, deinde scripta esse a Lactantio illa additamenta, ac quando a monachis avulsa, aut in posterioribus non descripta codicibus. At hæc nunquam sane probabit, aut ullus alius probare poterit. Præterea vero pluribus rationibus demonstravimus notha et spuria esse ea omnia additamenta, atque ea potissimum quæ Manichæorum virus venenumque redolere videntur. Nec minus clare ac perspicue ostendimus plerisque iisdem fragmentis orationem Lactantii præpostere turbari, atque oppositos ejus doctrinæ propugnari errores. Sed pudet longiorem operam perdere in refellendis calumniis, quibus neotericus ille scriptor non solum fidem monachorum, sed vetustissimorum etiam scriptorum doctrinam in suis passim scriptionibus infamare frustra conatus est. Parcendum tamen homini, qui antequam animam anno 1712 ageret, veniam ab iis, quos tam graviter, quam immerito offenderat, publice petiit, obiitque in catholicæ Ecclesiæ sinu. Unum certe optandum, ut ad meliora animum eruditionemque suam convertisset.

ARTICULUS IV.

De variis erroribus Lactantio adscriptis.

Si quæ in additamentis, hactenus recensitis, sint Lactantii errata, hæc non Lactantio nostro, ut vidimus, sed aliis otio suo abutentibus, tribuenda esse plerique omnes haud plane immerito arbitrantur. Ad ipsummet vero Lactantium spectant plurimæ falsæ opiniones, omnisque prorsus generis errores, quos multi sane sibi visi sunt in ejus passim scriptis deprehendisse. Tantus vero eorum est numerus, ut vix unquam alius scriptor tam sæpe in paucis libris errasse videatur. Aliqui enim centum et septuaginta illius errata olim numerabant, alii ea postmodum ad quatuor supra nonaginta, alii vero ad minorem numerum redegerunt. Major autem illorum pars ad fidem orthodoxam, minor ad moralem disciplinam, minima ad res physicas pertinet. Sed quo major fingitur eorum numerus, eo facilius omnes intelligunt plura ex notatis locis sana esse, nec digna plane quibus illa censoriæ severitatis nota inuratur. Quamobrem in Romana Operum Lactantii editione, anno 1468 divulgata, frater Antonius Raudensis Theologus, sicut ibi scriptum legimus, a fratre Adamo Genuensi his versibus redarguitur:

Hic male corripuit stolidis Antonius ausis
Auctorem, in variis causa pianda locis.
Non erat in tenebris errantis imaginis astrum
Dicere, vel nitidum luce carere jubar.

Digitized by Google

Denique cum sanctæ Ecclesiæ pia lumina constet
Obsequio ex tanto conticuisse viro :
Tu vero eloquio lingua interdicta latino
I cubitum ; nam te pensitat elleborum.

Verumtamen non defuerunt postea inter recentiores heterodoxos non pauci, qui Lactantium vel aliorum adhuc errorum accusaverint, vel ipsum eorum, quæ defendere frustra conantur, falsorum dogmatum fecerint conscium et fautorem. Sed tantam temeritatem postea opportuniori loco, ne eadem repetantur, duximus esse castigandam.

Gravioris procul dubio momenti debet esse testimonium Damasi Papæ, qui in sua ad Hieronymum epistola hoc de Lactantii nostri epistolis tulit judicium : *Fateor tibi eos, quos mihi jam pridem Lactantii* (duo mss. *Lectitanti*) *dederas libros, ideo non libenter lego; quia et plurimæ epistolæ ejus usque ad millia spatia versuum tenduntur, et raro de nostro dogmate disputant: quo fit, ut et legenti fastidium generet longitudo, et si quæ brevia sunt, scholasticis magis sint apta, quam nobis, de metris, et regionum situ, et philosophis disputantibus*, plures mss. et edit. *disputandis*, alii *disputantia*. At his Damasus verbis : *Raro de nostro dogmate*, nihil aliud significare videtur; nisi eas quas Hieronymus proposuerat, de quibusdam sacræ Scripturæ locis quæstiones. Deinde vero hæc Damasi censura spectare tantum videtur Lactantii, si nomen ejus ibi scriptum sit, epistolas, non autem *divinarum Institutionum* libros, in quibus, sicut in aliis, plura sane, uti ex illorum analysi, et aliis infra fusius dicendis, facile dignosci potest, de nostris dogmatibus et placitis nec jejune, nec indocte disputat. Quid vero, quod Hieronymus, ad quem scripsit Damasus, sic de iisdem Lactantii libris loquitur : *Firmianus quoque noster in præclaro Institutionum suarum opere, Y litteræ meminit; et de dextris et sinistris, hoc est, de vitiis et virtutibus, plenissime disputavit* (*Hieronym. Comment. in Eccles. pag.* 770). De ipsius autem epistolis nihil possumus certo definire ; quandoquidem nullæ ad nos pervenerunt.

At saltem Gelasius primus, inquiet aliquis, in concilio Romano, opera Lactantii, cum aliis, quæ catholica et apostolica romana Ecclesia non recipit, his rejecit verbis : *Opuscula Lactantii apocrypha*. At plures olim dubitaverunt utrum ea verba genuina germanaque sint. Nos vero certo certius scimus illa in omnibus antiquioribus et melioris notæ manuscriptis codicibus reperiri. Sed non minus compertum habemus hoc Gelasii papæ decreto plura veterum Ecclesiæ Patrum, uti Tertulliani, Eusebii Pamphili, et aliorum scripta, tamquam apocrypha amandari, quæ nihilominus sana et orthodoxa esse omnes ultro fatentur. Eo itaque nomine notata fuerunt, vel propter alias eorumdem scriptorum lucubrationes, erroribus infectas ; vel propter quædam errata, quibus alicubi asperguntur. Nemo autem negare potest Lactantium nostrum hos *divinarum Institutionum* libros conficiendo, in plures impegisse errorum scopulos, atque in eum in primis, quem Chiliastæ de millenario Christi post extremum judicium in terris regno linxerant. Nonne autem is solus error prædictæ Damasi censuræ locum dare potuit? Nos autem de illo egimus, et infra adhuc aliquid dicemus.

Alios porro sive veros, sive adscriptos illi errores solito candore nostro sic suo loco exponemus, ut, iis ulla absque dissimulatione explicatis, palam omnibus faciamus, quid in illis reprehensione dignum sit. Verum eadem ingenuitate alios eluemus, qui ei a quibusdam inconsiderantia, aut malevolentia adscribuntur. Nihil quippe nonnullis recentioribus magis cordi est, quam ut veterum Ecclesiæ Patrum lapsus erroresque augeant et multiplicent. Nonnunquam tamen versuti illi homines simulant se illos aliquantulum excusare; quia errare humanum est, aut quia vetustis scriptoribus, ex ethnicorum ad Christi religionem venientibus, nondum satis explorata fuerant sacra nostra documenta. Sed hac subdola fraudulentaque excusatione nihil aliud agunt, quam ut illorum, et antiquæ ac semper venerandæ traditionis infirment eleventque auctoritatem.

Cæterum qualescumque sint Lactantii nævi, aut errores, nos certe paulo post ostendemus Christianæ religionis veritatem validissimis ab illo demonstrari rationum momentis. Negari quoque non potest in ejus libris plura christianæ fidei de sacra Scriptura, de Deo, de Christo Domino, de veteri et nova lege, hujusque præceptis et institutis documenta recte ab eo explicari, asseri et confirmari. Sed hæc clarius et fusius traduntur in *Divinarum Institutionum* libris. Quapropter him rito censentur præcipuum esse illius opus, magna cura, animique contentione elaboratum. Neque tamen illud ea sola sacra, sed profana quoque et varia ac multiplici eruditione refertissimum est.

JOSEPHI ISÆI CÆSENATIS

NOTÆ IN PRIMUM LIBRUM

DIVINARUM INSTITUTIONUM LACTANTII FIRMIANI.

CAPUT PRIMUM.

Nam et abjecisse quosdam res familiares suas, etc. Fuerunt hi Socrates, Democritus Abderites, de quo et ipse Lactantius lib. III, cap. 23, Anaxagoras, Clazomenius, et alii.

Digitized by Google

Nam quia virtutibus amaritudo permixta est, vitia vero voluptate condita sunt, illa offensi, hac deliniti feruntur in præceps, etc. Idem ait lib. de Ira Dei, c. 19. Hæc autem causa præter alias affertur, cur, cum virtus sit homini secundum naturam, vitium vero contra (ut est apud Senecam lib. de Ira II, cap. 13 et epist. 123; detrimentum, et Quintilianus lib. XII, cap. ult., et egregie demonstrat S. Thom. in p. 2, q. 71, art. 2), illam tam pauci, hoc tam multi amplectantur; nempe quia licet bonum virtutis sit hominis naturæ consentaneum, secundum partem rationalem, tamen bonum sensibile, quo in vitium pellicimur, etiam ei convenit secundum partem sensitivam, quæ rationi adversatur. Quamvis autem portio rationalis sit in homine potissima, nihilominus homo sequitur potius bonum sensus, quam bonum rationis, quia incipit a bono sensibile cognoscere et amare bonum rationis. At vero multo plures sunt incipientes, quam consummantes: ideo plures sunt, qui sistunt, et qui sunt in bonis naturæ sensitivæ, quam qui perveniant ad bona rationis amplectenda; eo magis quod valida est illecebra sistendi in illis, et quiescendi, quoniam sunt ab ineunte ætate in usu, sunt etiam magis nota, nimirum evidenti experientia sensuum, sunt denique magis moventia, tum ratione promptæ delectationis, tum ratione imminentis oppositi contristantis. Rationis autem bonum, quod est virtus, provecta ætate percipitur, et parum cognoscitur, et parum movet. Nam tristitiam, atque amaritudinem (ut ait Lactantius) saltem in principio permixtam habet; præmium vero et voluptatem in futurum promittit, ut ait Arist. III de Anim. Text. 53. Cajetanus d. quon. 71.

Multum tamen nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, etc. Fictarum ait litium; nam verarum nunquam patronus fuit, cum ne forum quidem attigerit, ut testatur ipsemet lib. III, cap. 13. Olim autem cum in Græcia, et Romæ floreret eloquentiæ studium, juvenes percepta grammatica ducebantur ad rhetores, qui themata illis vel confecta, vel ex historiis petita proponebant, qualia sunt, quæ in Senecæ patris, et Quintiliani declamationibus, et apud græcos scriptores etiamnum multa reperiuntur; in quibus pueri in scholis sese dictione ac scriptione exercerent, ut postea serio ad populum vel senatum eloqui possent: sed et in utramque partem disserere, et θέσεις ἀδόξους, id est propositiones inopinabiles, et materias infames pertractare consueverant, de quibus Gell. lib. XVII, cap. 12. Ita enim ad dicendum de re quacumque, prompti atque instructi fiebant. Qui igitur hac dicendi ratione in scholis erudiebantur, declamare dicebantur, orationesque hujusmodi ad forensium actionum similitudinem dictæ, declamationes vocabantur. Unde S. Hieronymus in quæstionibus ad Damas: *Nec aures* (inquit) *Quintiliani flosculis, et scholari declamatione mulcendæ*. De quibus non parum multa apud Quintil. lib. II, cap. 10, et lib. IV, cap. 2, Senec. in Prologo Declamationum. Floruit in eo dicendi genere Libanius sophista, ob id sane quam gratus Juliano Imperatori, de quo scripsit Eunapius. Item Carneades, de quo meminit idem Lactantius lib. V, cap. 15. Paulus quoque Tyrius eo nomine tam charus Adriano Imperatori fuit, ut Tyrum ejus patriam fieri metropolim ab eodem Imperatore obtinuerit, ut scribit Suidas. Hæ itaque exercitationes erant, quibus paulo supra Lactantius ait se in professione illa oratoria diu versatum, juvenes olim non ad virtutem, sed plane ad argutam malitiam erudivisse, multumque illarum usum nunc sibi profuturum, ad causam veritatis adversus Gentes perorandam.

Nam si quidam maximi oratores, etc. Ipsum fortassis M. Tullium intelligat, quem a forensibus actionibus, et gerenda republica, in philosophiæ studio, tanquam in portu conquievisse ex ipso novimus initio Tusculanarum, et lib. pr. Academic. quæst.

Et si quidam prudentes, et arbitri æquitatis, Institutiones civilis juris compositas ediderunt, etc. Fuerunt hi Caius, Ulpianus, Paulus, Florentinus, Callistratus, Martianus.

Erroresque turpissimos sopiamus. In aliquibus impressis libris, post hæc verba, subtexitur illa oratio. *Quod opus nunc nominis tui auspicio inchoamus, Constantine, Imperator maxime. Qui primus romanorum principum, repudiatis erroribus, majestatem Dei singularis ac veri, et cognovisti, et honorasti. Nam cum ille dies felicissimus orbi terrarum illuxisset, quo te Deus summus ad beatum imperii culmen evexit, salutarem universis, et optabilem principatum præclaro initio auspicatus es; cum eversam sublatamque justitiam reducens, teterrimum aliorum facinus expiasti: pro quo facto dabit tibi Deus felicitatem, virtutem, diuturnitatem, ut eadem justitia, qua juvenis exorsus es, gubernaculum reipublicæ etiam senex teneas; tuisque liberis, ut ipse a patre accepisti, tutelam Romani nominis tradas. Nam malis, qui adhuc adversus justos in aliis terrarum partibus sæviunt, quanto serius, tanto vehementius idem Omnipotens mercedem sceleris exsolvet; quia ut est erga pios indulgentissimus pater, sic adversus impios rectissimus judex. Cujus religionem cultumque divinum cupiens defendere, quem potius appellem, quem alloquar, nisi eum, per quem rebus humanis justitia, et sapientia restituta est?* Hæc oratio Constantinum alloquitur jam palam Christi religionem amplectentem, et impietatem aversantem; quo tempore Licinius Constantini in Imperio consors, pacta cum ipso Constantino conventa de christiana protegenda religione contemnens, Ecclesiam Dei per omnem Orientis oram vexabat: Occidens autem Constantini dominatum sortitus, summa pace ac tranquillitate potiebatur. Quamobrem nonnulli gravissimi et magni nominis viri ex hoc loco sibi tempus deprehendisse visi sunt, quo Lactantius hosce Institutionum suarum libros elucubravit. Putant enim, hoc contigisse anno Domini trecentesimo decimo sexto, quo persecutio Licinii vexabat Ecclesiam, et adversus eum a Constantino expeditio parabatur; atque in hac præfatione ad Constantinum, ut putant, directa, vaticinatum fuisse Firmianum cladem illam ac perditionem Licinii, et Constantini victoriam. Ego vero haud possum, quin cum Thomasio sentiam, loca hujusmodi, quibus vel Constantinus appellatur, vel ad ipsum sermo dirigitur, notha esse ac suppositicia, cum in antiquissimo omnium Sancti-Salvatoris bononiensis codice, in plerisque vaticanis, cæterisque probatioribus ea deesse animadverterim. Jam tota hæc oratio non solum ab antiquissimo illo, atque item ab altero ejusdem cœnobii codice, sed etiam a septem vaticanis, ab excusis florentinis, et ab aliis multis tum mss. tum impressis abest; et post illa verba (erroresque turpissimos sopiamus) continenter legitur (omissis ergo hujus terrenæ philosophiæ auctoribus, etc.). Habemus quoque alia Lactantii loca, quæ omnium omnino codicum auctoritate fulta, nullam controversiam aut ambiguitatem patiuntur, quibus non satis consentiunt, quæ in hac oratione leguntur. Ille quidem lib. V, cap. 2 et 4, cum enuntiat, qua causa ad scribendum accesserit, ait, se eo tempore, quo in Bithynia oratorias litteras docebat, templaque Dei evertebantur, cum duos intellexisset (Porphyrium autem, et Hieroclem intelligit) ibi veritati superbius atque importunius insultare, suasque impietates et blasphemias adversus Christianam religionem evomere, illorum superba impietate stimulatum susceptisse id scribendi munus, ut omnibus ingenii sui viribus accusatores justitiæ refutaret. Templorum autem eversio ex Diocletiani decreto, et Porphyrii trium librorum contra Christum editio in annum Domini trecentesimum secundum incidit. Verum hoc loco tum demum sibi hoc opus inchoari dicitur, quando in Occidente jam malis quiescentibus, in aliis tamen terrarum partibus adversus justos sæviebant; videlicet cum adversus Licinium a Constantino expeditio pararetur, quæ contigit anno Christi trecentesimo decimo sexto. Quomodo autem simile vero videatur Lactantium impiis Porphyrii et

Digitized by Google

Ilieroclis disputationibus, ut ipse ait, exstimulatum, et merita pro Dei religione ira succensum, quatuordecim annos moram traxisse, atque a calamo temperasse, et non protinus ad scribendum accessisse, seque ad refutandas illorum impietates primo quoque tempore contulisse? Illud etiam non parum habet momenti, quod quo tempore Lactantius Institutiones scribebat, crudelitas tyrannorum adversus christianos per totum orbem terrarum exercebatur; id enim expressis verbis ita testatur lib. v, cap. 11, *quæ (bellua) uno loco*, etc. et cap. 12 ejusdem lib.: *Ecce in eo est errore* etc., lib. v, cap. 12. *Ecce in eo est errore orbis ipse totus, ut bonos et justos viros, tanquam malos et impios persequatur, excruciet, damnet, occidat;* et cap. 11 ejusdem libri: *Quæ (bellua) uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis sævit*, etc. Et lib. vi, cap. 17: *Spectatæ sunt enim, semperque spectantur adhuc per orbem pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis nova et insitata tormenta excogitata sunt*, etc. At tempore Licinianæ persecutionis, quo hæc oratio ad Constantinum directa fingitur, quiescebat fere per orbem Christiana religio: tantum in Oriente vexationem aliquam patiebatur quod et ex hac oratione ostenditur, ubi dicitur: *Nam malis, qui adhuc adversus justos in aliis terrarum partibus sæviunt, quanto serius, tanto vehementius idem omnipotens mercedem sceleris exsolvet.* Quæ vexatio, cum occidentem non attigerit, a Severo non est ejusmodi visa, quæ inter alias Ecclesiæ persecutiones censeretur; sic enim habet lib. II Histor.: *Sane tum Licinius, quia adversus Constantinum de imperio certavit, milites ejus litare præceperat, abnuentes a militia rejiciebat: sed inter persecutiones non computatur, adeo levioris negotii fuit, quam ut ad ecclesiarum vulnera pertineret.*» Eusebius quoque in Vit. Constantin. lib. I: *Uti* (inquit) *Imperium Romanum in duas partes diremptum noctis tenebris, et splendori diei omnibus persimile videretur; nam iis, qui Orientem obtinebant, tamquam noctis caligo offundebatur: illis autem, qui erant alterius partis incolæ, splendor clarissimæ diei illuscescebat.* Denique Sozomenus lib. I, cap. 2: *Per idem tempus Christiani, qui versus orientem ad Lybes usque, qui sunt confines Ægyptiis, habitabant, conventus palam agere propterea non ausi sunt, quod Licinius benevolum suum erga illos animum mutaverat: at Græci, Macedones, et Illyrici, qui versus occidentem suarum rerum domicilia habebant, Constantini opera, qui illi imperii romani parti præfuit, libero animo et securo Deum colucrunt.* Permovere id quoque fortasse quempiam possit, quia si scripsit Arnobius anno Domini trecentesimo secundo, et opus suum quasi fidei suæ vadem propere ac festinanter edidit, ut quamprimum inter fideles admitteretur, utique simillimum vero videtur, opus illud post quatuordecim annos a Lactantio visum, siquidem scripsisse illum velimus anno trecentesimo decimo sexto. At vero quid causæ esse potuerit non apparet, cur cum semel Theophili, semel atque iterum Tertulliani, Cypriani, Minutii meminerit, qui omnes Christianorum causam adversus gentes jamdudum egerant (nam Theophili quidem meminit in fin. hujus lib. I, Tertulliani lib. v, cap. 1 et 4, Cypriani eodem cap. 1 et 4, Minutii lib. I, cap. 11 et lib. v, cap. 1), tamen sui ipsius magistrum, qui causam eamdem non minus quam quisquam ipsorum acriter ac luculenter, sed propius et recentius multo peregerat, tam alto Arnobium silentio presserit, nisi quia uterque eodem scribebat tempore, necdum forte Lactantius Arnobii libros vidisse poterat. Sed et sanctus Hieronymus, qui primam librorum Lactantii editionem vidisse potuit (fuit enim fere illius contemporaneus, Hieronymi infantia Lactantii extremos dies, ut credi potest, propemodum attingente), quique tam sedulo illius opera recensuit, ut cuinam quodque eorum inscriptum ab illo fuerit dicere non omiserit, simpliciter et absque ullius ad quemquam inscriptionis commemoratione libros Institutionum pertransit, nec usquam Constantini imperatoris meminit, cujus tamen profecto nomine librorum horum dignitatem atque existimationem apud omnes augeri plurimum posse intelligebat. Non meminit Honorius Augustodunensis, qui eodem modo quingentis ferme abhinc annis eorumdem Lactantii operum catalogum texuit. Non aliam putamus ob causam, quam quia hi libri ad Constantinum minime fuerint ab auctore inscripti, nimirum, ut probavimus, elucubrari cœpti anno trecentesimo secundo, et ideo, ut credere par est, jam perfecti, absoluti, editi, antequam Constantinus impietatem palam aversaretur, et christianam fidem amplexaretur. Ita igitur sentio non solum Methodium et Arnobium eodem tempore, quo editi sunt a Porphyrio Commentarii illi blasphemi adversus Christum, nempe anno trecentesimo secundo, sed etiam Lactantium nostrum sacrilegas ethnicorum impietates adversis scriptis refutare aggressum, atque hanc orationem, quæ tot rationibus explodituir, notham et suppositititiam esse; neque sustineri posse, ut censebat Thomasius, quod fieri potuerit, ut Lactantius ante tempora Constantini scripserit hos libros, sed eos Constantini tempore ediderit; non enim hic edidisse illos dicitur, sed nominis ejus auspicio tunc temporis inchoasse.

CAPUT III.

Tantarum. Hæc dictio non magnitudinem, sed multitudinem hoc loco significat, ut fiat antithesis ad illud (*una*) ita Græcis τοσοῦτος promiscue significat, *tot*, et *tantus*: hanc dictionem in eadem significatione accipi apud jurisconsultos annotavit Antonius Augustinus lib. II Emendat. cap. p. ex L. Si ita legatum. D. de legat. p. ubi habetur: *Sed non in ampliores, quam decem, qui legati sunt; quod si minus sunt, in tantos, quanti inveniantur.* Sic, *quantus*, pro, *quot*, ut in d. L. et in L. 2, § Si vero. Cod. de præfect. Prætor. Aphric. *Et quanti limitanei, in quibus locis vel limitibus constituti.* Addo Vegetium lib. III, cap. 5, ex optimis codicibus: *Signorum militarium quanta sunt genera.* Et eod. lib., cap. 9: *Ut integris suis quantos possint homines interimant.* Sic et Lucæ interpres 15 quem temere damnat Valla: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus.*

CAPUT IV.

At quin impleta esse, etc. Ita lego, non *atqui*, ex B. et T. Arnob. lib. VI, in princ.: *At quin nos arbitramur, omnem Deum*, etc. Lib. III: *At quin ego rebar paulo ante, spontaneas esse numinum benignitates.* Tertullian. Apologet. c. 2: *At quin invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam.* Papinian. in l. debitor., § 1, D. ad S. C. Trebell. *At quin sive possidet creditor actor, idemque hæres rem, sive non possidet.* Paulus in L. At quin natura, D. de negot. gest. *At quin natura debitor fuit.* Et ita scriptum esse in Pandect. Florent. testatur Barnabas Brissonius in Parerg. qui et alia loca ostendit.

Sed etiam cohærentia. Sed saltem cohærentia, vel, sed certe cohærentia, sive, sed vel cohærentia, dicere debuisse Lactantium notat Vall. et mendum esse librariorum suspicatur lib. III, Elegant., cap. 27.

CAPUT V.

De his, quibus omnino, etc. Ita legitur in B. T. Sic infra lib. v, cap. 15: *De suis doceamus auctoribus.* Cicero Lentul.: *De Crasso domum emissem.* De Orator. *Hoc audivi de patre.* Recentiores editiones habent, *ab his quibus*, etc. At vetustiores, *de quibus his omnino*, etc.

Ex his unum Deum probemus necesse est. Demonstrat Lactantius, ethnicos sapientes veteres unum Deum credidisse. Idem præstat Clemens Alexandrinus in Orat. ad gent. Vid. August. Eugubin. de peren. Philosoph.

Homerus nihil nobis dare potuit, etc. Immo potuit et præstitit; nam Cyrillus contra Julianum, Homerum unum Deum asseruisse demonstrat.

Digitized by Google

Aquam esse dixit, ex qua nata sint omnia, etc. Præter notatos ad oram textus, vide Plutarchum in Placitis, Laertium, Eusebium de Præpar. lib. I, cap. 5, et lib. VII, cap. 5. Ambros. lib. I Hexamer. cap. 2. August. Civit. lib. VIII, cap. 2. Cyrill. contra Julian.

Et Anaximenes, etc. Non æthera, sed aera legitur apud Ciceronem ubi scil. de Anaximene loquentem, et apud Laertium in Anaximene.

Permixtus. Vulgata lectio Maronis habet, *commistus*.

In summum tamen unam mentem mundo præesse testatur. De Aristotele loquitur, quem ex 2. de Generat. ex 12 Divinorum, ex cap. 7 libelli de Mundo, unum Deum sensisse constat : ostenderunt id recentiorum viri doctissimi Trapezuntius lib. II de comparat. Arist. et Plat. Scaliger de Subtilit. ad Cardan. exercitat. 365, alii nonnulli.

Plato. In Parmenide, Timæo, Phedon. Legib. Repub. Videndus est Bessarion cardinalis lib. II adversus Calumn. Platon.

Omnia sentiens ac movens. Secutus sum lectionem Tax. et P. et Ciceronis ipsius prima Tusculan. al. *omnia sentiens, et omnia movens.*

De immatura Morte. Liber intercidit.

Item in Exhortationibus. Etiam hic Senecæ liber intercidit.

CAPUT VI.

Ob eamque causam in Ægyptum profugisse. Cic. III de Nat. deor. unde hunc locum pene ad verbum desumpsit Lactantius, habet : *ob eamque causam Ægypto præfuisse.*

Thoyth. Ex eodem Ciceronis loco emendavi Lactantii textum, qui in aliquibus exemplaribus habet, Thoth. Sed et Eusebius scribit in I Præparationis, ab Alexandrinis Thoth, ab Ægyptiis Thoyth dici Mercurium. Quin etiam ex pulcherrimo sane loco Martiani Capellæ lectionem hanc confirmemus. Is enim lib. II, sic ait : *Itaque primo conducatne connubium, atque ætherei verticis pennata rapiditas apto sibi fœdere copuletur, ex nuptiali congruentia numero conquirit; moxque nomen suum, Cylleniique vocabulum (sed non quod ei dissonans discrepantia nationum, nec diversi gentium ritus pro locorum causis cultibusque finxere : verum illud, quod nascenti ab ipso Jove sidere nuncupatione compactum, ac per sola Ægyptiorum commenta vulgatum fallax mortalium curiositas asseverat) in digitos calculumque distribuit, ex quo finalem utrinque litterarum sumit, quæ numeri primum perfectumque terminum claudit : dehinc illud, quod in fanis omnibus soliditate cubica dominatur ; litteram quoque, quam bivium mortalitatis asserere prudens Samius existimavit, loco proximo sumit, ac sic mille ducenti decem, et octo numeri effulserunt.* Numeros enim Græci per litteras suas exprimunt

θ	9	th
ω	800	o
υ	400	y
θ	9	th
	1218	

Pheneatæ. Ita Cicero ubi supra. Sed et Pausanias in Arcadic. : *Deorum vero* (inquit) *omnium maxime Mercurium Pheneatæ venerantur*, etc. Et quidem ἑρμούπολιν de qua hic Lactantius, fuisse in Arcadia existimari potest ex Stephano. Verum quoniam plerique libri hic pro *Pheneatæ*, habent, *Saitæ* (ii sunt populi in Ægypto, sic dicti ab urbe, quæ Sais nominatur), et Lactantius lib. de Ira Dei, cap. 11 testatur Ciceronem scripsisse, in numero deorum apud Ægyptios haberi Hermetem, eum scilicet, qui ob virtutem multarumque artium scientiam Trismegistus nominatus est, de quo eodem hic sermo habetur, suspicatus est vir clarissimus Petrus Ciacconius legendum hic esse, *et Saitæ, et Pheneatæ colunt eum religiose;* et apud Ciceronem, *quem Saitæ colunt, et Pheneatæ*, ut dicatur et in Ægypto a Saitis, et in Arcadia a Pheneatis coli. In nonnullis Lactantii codicibus corrupte legitur *Femete* pro *Pheneatæ*.

Ὁ δὲ θεὸς εἷς, etc. Hæc ad verbum non reperio in Hermete, sed similia ad finem cap. 5 Pimandr.

Deo igitur nomen non est, quia solus est, etc. Ita quoque Minucius Felix in Octavio. Dionys. I, cap. de Div. nomin. ait, neque nomen ejus esse, neque opinionem. S. Thom. pp. quæst. 13, art. 1, ait : *Deum a nobis nominari non posse nomine, quod ejus essentiam significet secundum quod est, quia nominamus, ut concipimus, et nomina sunt signa notionum : at Dei essentiam nosse in hac vita non possumus. An vero imponere Deo nomen tale queant Beati, disputant theologi in pr. sentent. dist.* 22 *et* p. p. quæst. 13, art. p. Et quomodo philosophi prisci Deum nominarint, vide August. Eugub. de peren. philosophia lib. III.

Proprium nomen est Deus. Dicitur enim θεὸς ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, quod est *videre*, quasi omnia providcat, omnibusque prospiciat, ut scribit Damascenus lib. p. Orthod. fid. cap. 12. Ergo ab universali rerum providentia hoc nomen, Deus, desumptum est ad significandam divinam naturam.

Sibyllas decem numero fuisse, etc. De Sibyllis in genere videndi sunt Solinus cap. 8; Ælian. de varia Hist. lib. XII; Martian. Capell. lib. II; S. Hieronym. adversus Jovinian. lib. p. ; Suidas in Herophila, et in σιβύλλει, Franciscus Petrarca IV Memorab., cap. 3; Ficinus lib. de Doctrina Christiana ; Jo. Ludovicus Vives ad cap. 23, lib. XVIII; S. August. de Civit. Dei ; Gyrald. Dialog. 2 de historia Poetar.; Onufr. Panvin. in lib. de Sibyllis et Carminib. Sibyllin. Eas numero decem fuisse plerique Lactantium, seu potius Varronem secuti asserunt. Sunt qui putent plus fuisse. Contra vero unam Sibyllam, Sibyllinaque carmina, quæ sub plurium Sibyllarum nomine leguntur, unius esse, sunt qui contendant : alii duas tantum fuisse autumant. Sed et illud animadvertendum, solere sæpe id, quod alteri Sibyllæ ab aliquo scriptore tribuitur, ab alio item ad alteram referri; ut jam hinc bonus lector intelligat, quæ de Sibyllis feruntur, valde perplexa esse atque obvoluta.

Quartam Cumæam in Italia. Urbs est Campaniæ Cumæ dicta, in qua Sibyllam hanc oracula fudisse pronuntiant, et de qua urbe Servius loquitur in III Æneid. super illud :

Huc ubi delati Cumæam accesseris urbem, etc.

Alia est urbs in Locrensi agro, qui est Ioniæ minoris Asiæ, quæ latine dicitur Cuma, æ, vel Cume, hujus Cumes, Erythris proxima, in qua et aliam Sibyllam vaticinatam fuisse traditur; ex utroque, vel potius ex uno hoc ambarum Urbium nomine adjectiva deducta sunt, Cumæus atque Cumanus, quæ cum aliis scriptoribus sæpe, tum Lactantio nostro amphibologiæ occasionem præbuerunt, dum sæpe alteri Sibyllæ tribuunt, quod est alterius, et Cumæam cum Cumana, et Erythræam (quod Erythræ Cumæ Ioniæ sint proximæ) cum utraque confundunt. Lactantius hoc loco dum Cumæam nominat in Italia, satis illam ab alia discriminat, quæ Cumæa, sive Cumana Ionica dici potest, quam inferius numero septimam ex Varrone recenset. De hac igitur Cumæa Italica meminit Aristoteles in lib. de Admirand. audition. cap. 91. Justinus Martyr in Admonitor. gent. in fine, Silius lib. XII. Eam nescio quomodo Phemonoen proprio nomine dictam scribat Servius in illud III Æneid. :

Quæcumque in foliis descripsit carmina Virgo, etc.

cum in 6 Virgilius Deiphoben eam appellet, et hoc ei fuisse proprium nomen ibi quoque Servius ipse confirmet. Gregorius Giraldus Dial. 2. hist. Poet. et Petrus Ciacconius quod viderent, de Sibylla Cumana inferius locutum Lactantium, putaverunt, huic loco mendum inesse, et pro, Cumæa, legendum esse Cimmeria, secuti Suidam in Σίβυλλαι, qui eodem ordine quo Lactantius has Sibyllas enumerat, τετάρτη ἡ, ἰπαακὴ ἡ ἐκ Κιμμερίας τῆς Ἰταλίας, et Isidorum lib. VIII Orig. cap. 8, qui omnia ex hoc loco mutuatus videtur, ut quis non immerito suspicetur, ita olim fortasse lectum apud Lactantium. At vero quamvis Cimmeria quoque dici potuisset, quod ex Cimmerio Campaniæ vicino Cumis oppido, ut aliqui

Digitized by Google

putant, fuerit oriunda, tamen recte Cumæa quoque dicitur a plerisque, quod Cumis responsa dederit, ut intelligimus tum ex aliis, tum ex Justino, qui ibi ejus antrum se invisisse testatur ubi supra; et quidem ita legitur in duodecim Vaticanis et aliis omnibus tum mss., tum excusis, a quibus non sum ausus discordare; et Suidæ interpres ibi non Κυμερίαν, sed Κύμην legit. Lactantius autem satis, ut diximus, aliam ab alia discriminat, dum hanc Cumæam Italiæ nominat; illam igitur Cumanam a Cuma Ioniæ dictam intelligat necesse est.

Quintam Erythræam. Hanc nonnulli eamdem dicunt cum Cumæa Ionica; nec mirum id erroris irrepsisse propter locorum, nempe Erythrarum Ioniæ, ubi hæc vaticinata ab aliquibus dicitur, et Cumæ Ioniæ, ut supra diximus, propinquitatem. At vero cur Cumæam Italicam et Erythræam Aristot. cap. 91 de admirand. Audition. unam dixerit non video; nisi dicamus Erythræam vocitatam fuisse quoque Cumæam, ut asserit Martian. Capell. lib. II, forte quia et ipsa quandoque Cumis sit vaticinata. Nam scribunt aliqui, Cumis plures mulieres vaticinatas fuisse, quæ omnes Sibyllæ nomine nuncupantur; illuc enim proficiscebantur, vel ut peritiores divinandi fierent Apollinis oraculis, qui ibi maximum habuit Fanum cum specu, vel ut ejus sacris præessent, quæ non nisi a mulieribus peragi solitum erat: quæ omnes postea ab urbe illa Cumeæ, vel Cumanæ sunt vocatæ. De hac meminit Clemens PP. primus in epist. ad Corinth. Lactantius ipse iterum lib. de Ira Dei cap. 22. Constantinus Magnus Imper. in orat. ad Sanctorum coet. apud Euseb. in ejus vita, S. Augustinus lib. XVIII Civit. cap. 23.

Septimam Cumanam. Jam hanc non aliam intelligere possumus, quam eam, quæ Cumæ Ioniæ vaticinata est. Servius super illud Maron.,

Phœbe, graves Trojæ semper, etc.

notat, Varronem totam hanc de Sibyllinis libris Tarquinio oblatis historiam non ad Cumanam, de qua hic sermonem habet Lactantius ex Varrone, sed ad Erythræam retulisse, sicut et Suidas retulit in Herophila. At vero Virgilius, et Solinus cap. 8, eamdem historiam non ad hanc, sed ad Cumæam Italicam, quam Cumanam vocat Solinus, referunt. Sane Virgilius vaticinia Cumeæ Sibyllæ Romæ asservata satis clare innuit illis libri sexti carminibus, quibus eam Æneas alloquitur:

Te quoque magna manent Regnis penetralia nostris:
Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata,
Dicta meæ genti ponam, etc.

Quæ ab aliis Demophile vel Herophile nominatur. Solinus et Suidas ubi supra non Cumanam, sed Erythræam vocant Herophilem; quanquam apud Solinum, et Tibullum Eleg. 5, lib. II legitur, Heriphile. Eusebius vero nec Erythræam, nec Cumanam, sed Samiam Herophilem vocatam scribit, quam Numa Romanorum Rege vivente floruisse refert.

Eamque novem libros attulisse. Ita quoque Halicarnasseus ad fin. IV. de reb. Roman. Gell. lib. I, cap. 19; Suidas in Σίβυλλαι, Servius ubi supra, Plin. lib. XIII, cap. 13; Solin. cap. 8. Suidas in Herophila tres libros, non novem fuisse scribunt, quos oraculorum plenos Sibylla Tarquinio obtulit, ac combustis duobus, tertium tantummodo superfuisse.

Ad Regem Tarquinium Priscum. Non Prisco, sed Superbo Tarquinio oblatos libros scribit Plin. d. c. 13. Halicarnass. Solin. Gellius ubi supra. Lactantium, seu potius Varronem a Lactantio relatum sequitur Suidas in Σίβυλλαι, et Isidorus VIII Origin. cap. 8; quæ sententia vero propior videtur, et temporibus congruentior, si ad Sibyllam Cumæam Italicam, ut a Virgilio et Solino, hoc factum referatur. Hæc enim (auctore Solino) quinquagesima Olympiade rebus Romanis interfuit, et Tarquinius Priscus juxta Glareani Chronologiam ad Livium, et passim cæterorum, regnum capessit anno II Olympiadis quadragesimæ primæ, et regnat annis 38. At Tarquinii Superbi regnum incipit anno quarto sexagesimæ primæ Olympiadis, ita ut ab eo Sibyllæ tempore usque ad Regnum Tarquinii Superbi fluxerint undecim Olympiades, id est anni quatuor supra quadraginta. Hoc tamen non convincit falsam Plinii, Halicarnassei et aliorum opinionem; nam Sibylla usque ad annum vitæ octogesimum, nonagesimum, et ultra pervenire potuit; sed, ut diximus, altera opinio vero videtur similior. Qui vero ad Erythræam historiam referunt, ii toto cœlo aberrant, siquidem velimus, Erythræam vaticinatam vel ipso Trojano bello, ut sentit Solinus, et alios quoque nonnullos sensisse refert S. August. ad fin. d. cap. 23. Quod bellum præcessit regnum Tarquinii Prisci annis quingentis et septuaginta, Superbi sexcentis et quinquaginta; sive illam floruisse velimus Romuli tempore, ut alios censuisse idem S. Augustinus refert ibidem, inter quos numero Eusebium in Chronic. quod sane tempus annis circiter centum et sexaginta Prisci regnum, Superbi ducentis et quadraginta quatuor præcessit annis.

Trecentos Philippeos postulasse. Adstipulatur Lactantio, seu Varroni, Servius super illud,

Hic ego namque tuas sortes, etc.

Ego quidem Macedonicum illud numisma Romæ unquam excusum, vel in usu fuisse, nusquam comperi apud auctores.

Harpesso. Hermolaus Barbarus in Castigat. ad Plin. lib. V, cap. 30, putat legendum, *Mermisso*, ex Stephano de Urbibus in Μερμίσσος. Pausanias quidem lib. X, ubi de Herophile fatidica loquitur, habet *Marpesso*, ut hic major pars librorum Lactantii. Alii legunt, *Marmisso*, ex Suida in Σίβυλλαι. T et P. codex hic habent, *Marmesso*, Achilles Satius in Tibull. legen. esse censuit *Marinesso* (ut habent etiam quidam impressi) vel *Marmesso*.

Decimam Tiburtem, nomine Albuneam. Eam videtur Albunam appellasse Tibullus Eleg. 5, lib. II.

Cujus sacra Senatus in Capitolium transtulerit. Hæc verba non agnoscit T. neque P. neque impressi nonnulli antiqui: sed si illa retineamus, ut a plerisque retinentur, malim cum Jano Gulielmio legi, *sortes*, quam *Sacra*. Plane *sortes* vocabantur vaticinia illa, ut ex Virgilio et Tibullo apparet, ubi scilicet et ita scriptum esse hoc in loco, aliquibus membranis testatur ipse Janus in quæstionibus ad Plauti Menechm. c. 4.

Præter quam Cumææ, cujus libri, etc. Ἐναμφίβολον, de quo supra: vel ipse Lactantius, quam supra ex Varrone Cumanam appellarat, hoc loco Cumæam nominat; nam libri, qui sedulo occultebantur, quosque soli quindecim viri adire poterant, illi erant, qui a Sibylla Tarquinio venditi fuerant, teste Halicarnasseo lib. IV, et Gel. d. c. 19; eam autem Lactantius ipse Cumanam dixit paulo supra. Eadem refert c. 23, lib. de Ira Dei.

Et Erythræam se nominatum iri prælocuta est. T. P. et impressi antiquiores habent: *Et Erythræam se nominat, ubi prolocuta est.* Janus Gulielmius ubi supra legit, *ubi prolocuta est*, quod proprie *proloqui* sit vaticinari et futura canere; unde Prophetæ dicti, quod futura proloquerentur.

De Quindecim viris, etc. Vide Onuphrium late.

Erythras mitterentur. Idem scribit cap. 22, lib. de Ira Dei. Verum non solum ex Erythris, sed etiam (ut paulo supra dixit) ex omnibus civitatibus, et Italicis, et Græcis, quæsita fuerunt Sibyllina carmina; quod notat etiam Tacit. lib. V Anual. Halicarnasseus lib. IV. Etenim incendio Capitolii, quod contigit anno ante Syllæ dictaturam, dolo, an forte conflagraverant.

Εἷς θεός, ὃς μόνος ἐστίν. In Carminibus Sibyllinis ita legitur; εἷς θεος μόνος, ὃς ἄρχη.

Πανυπέρτατος. Corrupte in Carminibus Sibyllinis παντωνυπέρτατος, quod respuit scansio; quanquam ibi monet annotator ad oram libri Sibyllini haberi in mss. sicut in nostro.

Digitized by Google

Ἔτυχεν. Hoc respuit metri ratio, cum syllaba secunda sit brevis. Recte est apud Theophilum, ἐτέχθη: omnes tamen Lactantii codices concordant; ideo non ausim mutare.

Εἷς μόνος εἰμὶ θεός. Hic versus sæpe reperitur inter Carmina Sibyllina; sed in hæc verba:

Αὐτὸς γὰρ μόνος ἐστὶ θεὸς, καὶ οὐκ ἔστιν ἔτ' ἄλλος.

CAPUT VII.

Quod Delphis (credo) emigraverat. Sic quidem recte B. T. P. et vetustissimi excusi, cum (*credo*) aliis quibusdam codicibus desit. Illud enim (*credo*) ironice dictum patet, ut apud Tull. Philippic. prima: *Annibal, credo, erat ad portas.* Tertullian. cap. 46: *Credo, ob honorem patris ejus.* Lactantius infra lib. III, cap. 18: *Hic (credo) quod erat ignobili genere natus*, etc., et cap. 23: *Sed (credo) calor deterrebat*, etc.

Si Deus unus est, quæ esse beata solitudo queat. Fragmentum ex Ciceronis Hortensio, seu de Philosophia, quem amisimus.

Habet enim ministros, quos vocamus nuntios. Videtur Lactantius, ut a Deo solitudinem amoveat, Angelos accire, quos cum numine illo consociet: quod minime oportuit; neque enim ex eo quia sanctarum animarum, atque angelorum apud Deum propemodum infinitus sit numerus, ideirco solitarius non dicitur, neque si non essent, solitarium illum efficerent: id quod Theologi in primo dist. 21 ubi Richard. quæst. prima, et S. Thom. p. p. quæst. 31, art. 3, diserte docent. Quandoquidem solitudo non tollitur per associationem alicujus, quod sit extraneæ naturæ; dicitur enim aliquis solus in horto, quamvis sint ibi multæ plantæ, et animalia. Ita Deus, Angelis etiam et omnibus cum eo existentibus, vere solus, vel solitarius diceretur, si non essent in divinis personæ plures. Verum quoniam licet ab æterno omnino non fuerit aliqua essentia alia, quam divina, tamen in illa essentia est, et fuit ab æterno personarum pluralitas, quæ a Deo solitudinem excludit; ideo falsa est hæc propositio, et non admittenda: Deus ab æterno fuit solus; nam sensus illius est, quod ab æterno fuerit solitarius. Hoc catholicis animadvertimus. Cæterum excusatione non caret Lactantius, qui ad captum ethnicorum desilire debuit, et aliquid efferre, quod rudibus et hebetibus ingeniis arridere posset. Neque enim (ut vere aiebat Archelaus episcopus contra impium Manetem disputans apud Cyrill. Catech. VI) mysteria de Patre, Filio, et Spiritu sancto declaramus ethnicis; quin et catechumenis non adeo aperte dicimus mysteria: sed sæpe obscurius dicimus, ut scientes fideles intelligant, et qui nesciunt non corrumpant.

Genuisse regni sui ministros Deum. Verbum gignendi non modo a Lactantio et aliis ecclesiasticis scriptoribus, sed etiam in sacris litteris nonnunquam improprie sumitur. Nam et titulo Geneseos inscripti sunt libri Moysis de mundi creatione; et nos Dei genus sumus apud Paulum, in Actibus cap. XVII, et Jacob. I, Deus voluntarie genuit nos. Cæterum ratio generationis, quæ promitur ab Aristot. VIII Ethic. cap. 12 et 7 Metaphys. text. 28 et seqq. et de qua S. Thom. p. p. quæst. 27, art. 2, proprie a Deo, non nisi Verbi increati convenit processioni, de qua dicemus infra ad cap. 8, lib. IV.

Cujus nomen exponunt, etc. T. habet *explodunt*. Utrobique idem est sensus; dicitur enim *exponi*, quasi *extra poni*, perinde atque *explodi*, id quod foras mittitur, atque ejicitur. Sic lib. III, cap. 26, in fine, *et exposito vetere novum reddunt.*

Ἐνολόισροφε. Gulielmus Canterus novarum lect. lib. III, cap. 30, mavult ἀιολόσροφε, id est, celeriter vertens. Quanquam ibi in meo codice editionis Antuerp., anni 1571, errore operariorum excusum est, ἀιολόσροφε, quod nihil est.

Ipse ante omnia ex se ipso sit procreatus. Idem ait lib. II, cap. 9, ad fin. At vero propositio illa, quodcumque fuit, aliquando esse cœpit, vere de omnibus creaturis enuntiatur; cum de Deo loquimur, falso penitus asseritur. Etenim si Deus æternus est, ut veritas habet, et ipsemet Lactantius ubique, æterno autem cœpisse repugnat, nihil erat causæ, cur a seipso procreatus, aut genitus, aut factus diceretur, ut S. Bernard. de Consid. ad Eugen., lib. VI, in principio, et S. Thom., cap. 15, lib. I, contra Gent. ostendit. Jam propositionem illam, Deus se Deum genuit, damnant omnes theologi secuti Magistrum in primo distinct. 4.

CAPUT VIII.

Quid est autem tam remotum a Deo, quam id opus, quod ipse ad propagandam sobolem mortalibus tribuit? Multa in hanc sententiam ex nostris Arnob., lib. III, in princ. ex ethnicis Plin., lib. II, cap. 7.

CAPUT IX.

Quæ non ferro, ac viribus, etc. Ita quidem editiones pleræque, et Cicero ipse, cujus sententia est. Bon. tamen habet, *quæ ferro ac viribus debilitari frangique non possit.*

At animum vincere, etc. De hac victoria egregie disserit S. Ambrosius in lib. Officior. ubi de fortitudine agit.

Non ego eum summis viris comparo, etc. Quædam editiones habent: *Non modo eum cum summis viris comparo*, etc. Ego excudendum curavi ut est in B. et apud ipsum Tullium; illa enim, *tantum, solum, modo*, eleganter ad Græcorum imitationem plerumque negationi subintellecta, quam addita malunt Latini, sequente adversativa: quamvis, *et, aut, etiam*, non addatur. Ulpianus in L. invitum, D. de Servit. urban. præd.: *Invitum autem accipere debemus, non eum qui contradicit, sed eum, qui non consentit.* Item in leg. pr. in princ. D. de Aqua quotid. et æstiv.: *Quotidiana aqua non illa est quæ quotidie ducitur: sed ea qua quis quotidie possit uti, si vellet.* Celsus in L. littus est quousque, D. de verbor. Signif.: *Prædia dicimus aliquorum esse, non utique communia habentium ea, sed vel alio aliud habente.* Alia loca promit Anton. August., lib. II Emendation., cap. 1.

Sed Philoctetes ejus hæres non putavit, qui facem supposuit arsuro. Plane Scriptores vulgo sentiunt, Philocteten incendisse pyram Herculis, ejusque sagittarum hæredem fuisse, ut scribit hoc loco Lact. Ovid. IX Metamorph.; Cic. II Tuscul.; Diodor. Sicul., lib. V; Justin. historic. initio 20; Calaber., lib. X. Scholiastes; Homeri, Iliad. III. Senec. in Hercul. Œtæ; Philostrat. in Heroic., cap. 6; Servius in illud Virg. III Æneid. *Parva Philoctetæ.* Non recte igitur Petrus Victorinus II, Variar. lection., cap. 15, hanc sententiam rejecit tot fultam scriptoribus, unius Apollodori motus auctoritate, Pæanti ipsius Philoctetis patri hoc tribuentis 2 Bibliothec. Quamvis enim, ut ait Victorius, Philoctetes sub Agamemnone militaverit cum Nepolemo, Herculis filio, Trojano bello, quod multo ante præcessit Herculis obitus, id tamen contigit, cum Philoctetes jam valde grandis natu esset: unde fieri potuit, ut ille adolescens cum Hercule jam senio confecto viveret, eique morienti adesset, ut contra Victorium notat Brodæus I Miscellan., cap. 5.

CAPUT X.

Hunc Tarquitius de illustribus viris disserens, ait incertis parentibus natum, expositum. Theodoretus de Æsculapio hanc eamdem historiam referens, hæc habet sub initium octavi de Curatione affect. Græcar. *Atque, ut ad alios quoque transeam, testis est Apollodorus, Æsculapium ab aliis quidem existimatum esse filium Arsinoes, ab aliis vero Coronidis, quæ clandestino violentoque Apollinis congressu prægnans effecta, editum deinde infantem exposuisse dicitur. Hunc vero, ait Apollodorus, a venatoribus casu repertum, raptumque ab altricis canis uberibus, Chironi Centauro delatum fuisse, ibique enutritum medicæ arti operam impendisse, cujus in Tricca Epidauroque civitatibus experimenta prima ediderit.* Puto ego Theodoretum illa tantum ex Apollo-

Digitized by Google

doro sumpsisse : Æsculapium ab aliis quidem existimatum filium Arsinoes, ab aliis vero Coronidis ; illa vero, quæ clandestino, et cætera omnia quæ sequuntur, non ex alio quam ex Tarquitio, videlicet vel ex libro ipsius Tarquitii, vel ex hoc Lactantii loco desumpta fuisse reor. Nam cum de Æsculapii ortu, educatione, disciplina varii varie scripserint, Homerus in Hymnis, Pindar. Pythior. Ode 3. Pausanias, lib. II, IV et VIII. Diodor. Sicul., lib. IV, cap. 9, et lib. V, cap. 15. Ovid. II Metamorph. Cic. III de Nat. deor. Tarquitius, Apollodorus, et alii quamplurimi, neminem sane mihi comperias, qui eam historiam recitet, sicut Theodoretus, præter unum Tarquitium. Porro ex Apollodoro eam descripsisse non potuit, qui non expositum ait Æsculapium a matre, non inventum a venatoribus, nec canis uberibus enutritum : sed cum Apollo matrem interfecisset, eaque jam mortua in rogo conflagraret, raptum protinus infantem e pyra, ab ea ad Chironem alendum delatum scribit. Apollodori verba ex 3 subjicio : *Hæc* (Arsinoes) *ab Apolline impleta Æsculapium peperit. At quidam non Arsinoes Leucippi filiæ, sed Coronidis Phlegyæ in Thessalia natum Æsculapium ferunt, cum qua, simul ac eam deperisset, Apollo statim concubuisse proditur, quam, quod præter patris sententiam ea potitus esset, Ischyi Elati filio conjunctam fuisse aiunt. Apollo autem delatorem corvum immodicis maledictis execratur ; et qui ad eum usque diem candidus fuerat, in nigrum commutavit, et Coronidem gravidam percussit, et necavit : ex qua, cum conflagraret, abreptum infantem e pyra ad Chironem Centaurum alendum tulit*, etc. Ergo ubi Theodoreti textus habet (hunc vero ait Apollodorus) inesse suspicor librariorum erratum, atque legendum (hunc vero ait Tarquitius), et sane si totam Theodoretus ex Apollodoro historiam referebat, quem initio citaverat, illum ipsum statim rursus appellare nihil attinebat. Sed Tarquitium appellavit ; atque ita fragmenti hujus, quod excidit e libro Tarquitii, non modo Lactantium, sed una cum Lactantio scriptorem habemus Theodoretum. Quæ minus advertens Theodorus Canterus II. Variar. lect., cap. 19, existimavit illa quæ hic a Firmiano ex Tarquitio recitantur, ab ipso Tarquitio, atque item rursus a Theodoreto ex Apollodoro fuisse deprompta.

Turpissime gregem pavit alienum. Nempe pavit Admeti pecora, ut est apud Ovid. II Metamorph. quod ridet etiam Tertull., cap. 14; Apol. et Cyp. de Vanit. idol.

Et muros Laomedonti exstruxit. Ita quidem fabula narratur ab ipso Neptuno apud Homerum ad fin. XXI Iliad. Quanquam Herodotus Apollinem aut Neptunum Laomedonti servisse negat. Eamdem fabulam tetigit Tertull. et Cyp. ubi supra ; item Minut. et Clemens Alex. in Orat. ad Gent.; Tatian. cont. Græc. Vid. Ovid. II Metam. et Apollodorum II Biblioth. qui non impune eam fraudem tulisse aiunt Laomedontem, ut hic tradit Lact. sed Apollinem urbi pestem, Neptunum inundationem immisisse : ad ea mala depellenda responsum ex oraculis petenti mandatum fuisse, ut Hæsionem filiam suam Cæto devorandam exponeret, quam postea liberavit Hercules, ut ait auctor supra ad fin. 9 c. Sed hic secutus videtur Homerum, ex quo inultos potius abiisse deos intelligimus, Iliad. ubi supra.

Indicus maximus. Ludit eo titulo, quo uti solebant imperatores post devictas nationes ; dicebant enim, Parthicus maximus, Germanicus maximus, etc.

Ab amore ac libidine turpissime victus est. Ita cum Michaele Thomas. hunc locum restitui ex B. et T. pro eo, quod legitur in impressis, *ob amorem, ac libidinem ;* neque enim Liber *ob amorem aut libidinem ab aliquo victus est* in expeditione illa Indica : ab amore tamen ipso, quo flagravit in Ariadnem, *victus est.* Sed et aliarum quoque amoribus arsisse illum in India scribit Diodor. qui lib. V historiam ponit : ponit etiam Orosius, lib. I, cap. 9.

Delatus enim Diam. Insula est, quæ Cretæ adjacet A Straboni, lib. X, et hanc puto germanam lectionem, quæ habetur in omnibus impressis Lactantii lib. et apud Diodor. Sicul., lib. V. Ovid V Metam. Catull. De nupt. Pelei et Thetid. licet B. T. P. habeant, *Cretam.* De historia videndus etiam Plutarch. qui varias de Ariadne opiniones refert in Theseo.

Cum semiviro comitatu. Alludit ad illud IV Æneid.:

Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu, etc.

Comitatum autem semivirum appellat Bacchi exercitum, in quo non solum viri erant, sed et mulieres, quæ Bacchæ appellatæ sunt, ut scribit S. Aug., lib. XVIII Civ., cap. 13.

Et liberam fecit, etc. Jocus est. Cum, inquit, is Liber esset, sibimet eam copulando liberam fecit, et cum ea pariter in cœlum ascendit. Neque enim τὸ Liberam, hic accipi potest, ut contra, servam, distinguitur, cum nusquam sit proditum, Liberi patris ope ab ulla servitute Ariadnen liberam factam; ideo B contra cæteras editiones prima majoribus littera hoc nomen scripsimus. Erat autem apud gentes et dea, quæ Libera vocabatur, de qua Cic. II de Nat deor. et 6 action. in Verr. Tacit. lib. II Livius I, 5 Decad. Arnob. V, S. Aug. VI Civit., cap. 13. Hanc alii Venerem, alii Cererem, quidam Proserpinam fuisse aiunt. Sed certe Ovid. de Ariadne loquitur III Fastor. illis carminib. ad quæ procul dubio respexit Lact. cum hoc scriberet :

.....Audierat jam verba querentis
Liber, ut a tergo forte secutus erat.
Occupat amplexu, lacrymasque per oscula siccat,
Et pariter cœli summa petamus, ait.
Tu mihi juncta toro, mihi juncta vocabula sumes;
Nam tibi mutatæ Libera nomen erit.

In solemni precatione optimus maximus nominatur. Cujus precationis exemplum habes a M. Tull. in fine orationis pro Domo sua, et in oratione pro C. Rabir. perduell.

Regium puerum rapuit. De Ganymede loquitur, qui C fuit Trois, Trojanorum regis filius. Plato quidem I de Legibus hujus fabulæ auctores damnat, de qua Homer. Iliad. XX, Virgil. V, Ovid. X Metam. Lucian. Herodian. lib. I, Oros. lib. I, cap. 12. Xenophon autem in Sympos. non propter corporis, sed propter animi pulchritudinem raptum fuisse tradit.

Eadem enim Jupiter, quem colebat, admisit. Sic adolescens ille Chærea Terentianus, se Jovis exemplo ductum, cujus stuprum in tabula depictum spectarat, virginem polluisse narrat Eunuch. Sed de hoc plura Clemens Alexandrinus in Orat. ad Gent. S. August. I Confession., cap. 10. Jovis adulteria et stupra lege apud Arnob. lib. IV et V, et Epiphan. in Ancorat.

CAPUT XI.

Quidam Poeta triumphum Cupidinis scripsit, etc. Quinam hic fuerit poeta compertum non habeo, neque hoc poema pervenit ad nos ; cujus jacturam minus gravate ferimus, cum præclarum ejusdem tituli D poema Francisci Petrarchæ habeamus materna lingua conscriptum.

Imprudentia. Ita lego, quantumvis reclamantibus B. T. P. et impressis plerisque, qui habent *prudentia*, suadente tamen Aldina editione, nonnullisque aliis, atque adeo ipsomet Lactantio, qui ex contextu ipso ita monstrat legendum ; nam per se ipsum futura scire non posse, sed ab alio moneri, istuc porro imprudentiæ est, sive prudentiæ defectus : idcirco autem Lactantius ab Jove prudentiam amovet, ut et divinitatem tollat, quod erat totius disputationis propositum. Simile quiddam cum inf. cap. 13, de Saturno narraret, inquit : *Rursum imprudentiam reprehendam necesse est ; cur enim responsum ab alio potius accepit ?* Ubi et hunc locum innuit, et se hic Jovis imprudentiam notasse ostendit.

Nisi Themis futura dixisset. Lactantius secutus est Apollonium, qui a Themide admonitum scribit Jo-

Digitized by Google

vem : at Lucianus mavult a Prometheo, qui etiam ob eam causam e Caucaso fuerit liberatus. Apollodor. in III Biblioth., ubi de Peleo loquitur, utramque sententiam refert.

Si parcarum, etc. Vide Lucianum fere eadem ludentem adversus deos.

Ζεύς, *sive ζῆν, appellatus est*, etc. Carpit hoc loco Budæus Lactantium in libro de stud. litterar. instruendo, tanquam qui hæc parum accurate perpenderit, nec viderit, ea omnia symbolice dici. Sed næ ille totius disputationis Lactantii propositum parum accurate perpendit, qui omnes symbolicas ejusmodi interpretationes nugamentis ethnicorum a Stoicis atque aliis afflictas eliminare contendit, tanquam non modo ridiculam atque ineptam rem, sed etiam impiam, et capitalem, quæ (ut ex Cicerone notat ipse Lactantius inf. cap. 17) falsas opiniones genuit, turbulentos errores, et superstitiones pene aniles : quod cum Arnobius ad finem 5, et Lactantius ipse egregie infra, cap. 12, 17, et alibi sæpe, tum S. Augustinus, lib. VII et XVIII Civit. Tatian. item, qui Lampsaceni Metrodori allegorias exsibilat, et alii quidam SS. Patres præstitere.

Imbres ferreos dicunt. Innuit Virgilii carmina XII Æneid.

.... It toto turbida cœlo
Tempestas telorum, et ferreus ingruit imber.

Aut navis, in qua est impositus, in tutela habuit aquilam figuratam. Esel, *aut navis, in qua est impositus, tutela* (ut *navis* sit generandi casus) *habuit aquilam figuratam.* Ita scribendum esse hunc locum convincit quod sequitur, *sicut taurum*, etc. Neque tamen eum loquendi modum damno, *tutelam in aquila figuratam*, quem infra lib. V, cap. 8, ab ipsomet Lactantio usurpari intelligo, ubi dicit *justitiam tanquam in aliquo simulacro figuratam.* Sed hic non ita scripsisse eum contendo, quod subdiderit, *sicut taurum*, etc. alioquin, si ut vulgo legitur, et in sex Vaticanis, legamus, *tutelam habuit in aquila figuratam*, vel *in aquilam figuratam*, ut legit codex B. et quinque Vatican., quo posteriora prioribus convenirent, *sicut in tauro*, vel *sicut in taurum*, dicere oportebat. Ut autem non ita pervium intellectui locum Lactantii aperiamus, tutela erat navis insigne proræ impositum, quod Græce παράσημον dicebatur; eratque Dei alicujus effigies, aut animalis, a quo navis ipsa denominabatur, ut apud Virgilium Pistris et Centaurus, cum ait :

Centauro invehitur magna.

Hinc κριοὶ et aliis ejusmodi nominibus quædam naves sunt appellatæ, Strabo, Plutarc. Conviv. in 2 dec. Sapient. Lucian. dialog. πλοίων εὐχαί. De tutela in hac significatione meminit Seneca lib. X. Epist. Epist. 77, ubi inquit : *Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est, nec cujus tutela ebore cælata est*, etc. Ovid. tutelam navis intelligit Trist. pr. Elegia 5, cum ait :

.....Et pictos verberat unda Deos.

Sil. Italicus :

Tutelæque Deum fluitant.

Sic rursus Lactantius in fin. hujus cap. Aquilam ei in auspicium advolasse, quam victor bono omine acceptam tutelæ suæ subjugarit.

Sicut taurum cum rapuit, et transvexit Europam. Baptista Pius, cap. 98 suarum Annotationum legisse videtur, *sicut taurum figuratum*, et ita nonnulli impressi habent. Ego ut vocem illam textui addendam non probo, utique multo pluribus ac melioribus exemplaribus refragantibus, ita quasi glossema subaudiendam non nego; hic enim Lactantii sensus est, ut quemadmodum Ganymedes ab Jove in aquila raptus dicitur, eo quia fortasse raptus sit navi, cujus tutela A figuratam aquilam habuerit : ita dicitur Europam in tauro rapuisse, quod illam navigio abduxerit, in quo figuratus esset taurus; quod quidem asserit Eusebius in Chronic. *Europa*, inquit, *a Cretensibus rapta est navi, cujus fuit insigne taurus.* Quanquam Palephatus narrat fuisse Gnossium quemdam virum nomine Taurum, qui cum bellum Tyriæ regioni faceret, et alias rapuerit virgines, et Europam Phœnicis filiam et Tyro, unde nata sit fabula.

Navigium celebratur. Navigium ponitur hic pro *navigatione*, ut apud Ulpianum in leg. prima, § Ait Prætor, D. de fluminib.; et apud Scævolam in leg. Qui Romæ, § Callimacus, D. de verb. Obligat.

Cui cognomen Agesilao fuit. Agesilaus dictus est παρὰ τὸ ἄγειν τοὺς λαούς, quod scilicet populos agat; est enim mortuorum et inferorum deus. Sic vocatur etiam a Callimacho, ubi ait, φοιτῶσι μεγάλῳ Ἀγεσιλάῳ, id est, ad magnum pergunt Agesilaum. Qua re quod aliqui hoc loco legendum contendunt, *Agelasto*, vel *Agathalio*, non probo, licet sciam, et *Agelastum* et B *Agathalium*, et aliis cognominibus vocatum Plutonem; a nobis stat Gyraldus 8 Syntagm. De diis gentium, Cœlius Rodigin. Antiq. lection. lib. VI, cap. 18.

M. Antonii fuit infinitum illud imperium. Sic habent undecim Vaticani et omnes alii, quos equidem viderim, mss. vel excusi, uno excepto Vaticanorum; et B. qui habet, *Pompeii*, etc. Hic autem M. Antonius (ut tradit Ascon. in primam, tertiam et quartam Verrin. Ciceronis) is est, qui gratia Cottæ Cos. et Cethegi factione a Senatu curationem infinitam nactus totius oræ maritimæ, qua Romanum erat imperium, non solum dissolutissimus ipse, ac nequam, sed etiam comitibus pessimis Siciliam et provincias omnes depopulatus est, et ad extremum indicto Cretensibus bello, reque male gesta, ibidem periit, antequam Pompeius contra piratas missus est; de quo Cicero : *Postquam* (inquit) *M. Antonii infinitum illud imperium senserant.* Et Frumentaria : *Ita se* C *M. Antonius in illo infinito imperio gessit.* Ut videas forte ad hæc loca respexisse Lactantium. Sed neque tamen Bononiensis codicis lectionem improbare ausim, cum ex Cicerone pluribus locis, ex Plutarch. Ascon. ubi supra, et aliis pateat, Pompeio quoque delegatam alio tempore a Senatu provinciam purgandi, atque a piratis vindicandi maris, et ob id non modo classis præfecturam, sed etiam infinitum prope imperium suscepisse. Plutarchus in Pomp. : *Id potissimum pressos Romanos rei frumentariæ angustiis, et magnam famem timentes impulit, ut ad vindicandum piratis mare mitterent Pompeium. Legem Gabinius Pompeii familiaris rogavit, quæ non classis, sed plane in omnes mortales imperium et arbitrium concedebat liberum; dabat enim ei imperium ea lex omnis intra columnas Herculis maris continentis totius, ad quinquaginta a mari millia passuum. Hoc spatium Romani orbis plagæ sane quam paucæ excludebant : verum id maximas gentes, potentissimosque reges complectebatur.* Velleius de eod. bello piratico Pompeio D demandato lege Gabinia loquens : *Quo S. C. pene totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur.* Ut jam hinc quoque liqueat, cur infinitum illud imperium dixerit, si de Pompeio locutum mavis Lactantium. Ego vero a receptioribus lectionibus haud facile discesserim. Et quidem hanc nostram probarunt Cœl. Rhodig. lib. VI, cap. 18, Petrus Ciaccon. et Latinus Latinius; alteram vero Thomasius in notis.

Ex civitate Messana. Strabo quoque libro primo Messenium illum appellat, et Plutarch. De Isid. et Osirid. Ælian., lib. II de Var. hist. Athenæus vero qui ejus librum tertium sacræ Descriptionis citat, eum nominat Coum; alii Thegeatem dicunt, ut Theodoretus, initio tertii de curat. Græcar. affect. et alibi sæpe. Meminit ejus et Cicero in fine primi de Nat. deorum, Sext. Empiric. VIII adversus Mathem. in principio, Theophil. Antioch. Episcopus serm. tertio.

Hanc historiam interpretatus est Ennius. Vid. Ar-

Digitized by Google

nob. in IV Minutium in Octavio, S. Augustinum in VI Civitat. cap. 7, Crinitum de Poetis in Ennio, et Politian. Miscellaneor. cap. 35.

Jupiter enim sine contubernio conjugis filiæque coli non solet. Nam in Templo Jovi dicato in Capitolio tria sacella erant : medium quidem Jovis ; ab utraque vero parte alterum Junonis, Minervæ alterum, sub eodem tecto et pinnaculo. Vid. Halicarn. ubi de Templo Jovis Capitolin. ad fin. quarti Antiquit. Macrob. tertio Saturn. c. 4.

Pessum acta. Ego hanc lectionem cæteris antefero : antetulerunt etiam me priores alii ; nam ita legitur in Aldina et Plantiniana ; et cum in uno Vaticanorum in textu scriptum sit, *persumata*, ad oram libri positum est, *pessum acta*. Pessum ire apud Latinos id dicitur, quod in fundum, sive in imam alicujus rei partem decidit : quidni igitur μεταφορικῶς dixerit Lactantius, Jovis ætatem actam pessum, quæ in imam, seu extremam sui partem, et finem perducta erat ? Corrupte plerique Vaticani, et P. *persumata ;* B. et T. pessume omnium, *pessume acta* : quomodo enim ibi dicat Ennius, Jovem pessume ætatem egisse, qui totus est in laudibus Jovis ? Alius Vatican. habet, *consummata*, et ita hunc locum citat Politian. in Miscellan. cap. 35.

Et sepulcrum ejus est in Creta. Arnob. lib. IV ad fin. Minutius, Theophil. ad Autolyc. Epiphan. in Ancor. Mela, lib. II, cap. 7. Solin., cap. 16.

In oppido Gnosso. Alii in Jasio monte malunt. M. Varr. apud Solinum d. cap. 16. in Ida. Vid. sunt præter notatos auctores, Cicero tertio de Natura deor. Diodor. Sicul. lib. IV. Cypr. de Vanit. Idol. Euseb. tertio de Præpar. cap. tertio, Politian. ubi supra.

Καύχημα τάφους. Hinc corrigendus est codex Sibyllinus qui habet, τάφου καύχημα : ibi enim scansio non constat ; nec ἕξει legendum est, ut ibi, sed ut in nostro, ἴσχει.

Id est summum caput religionum publicarum. Non igitur solus Arnobius, ut censuit Theodorus Canterus libro primo Variar. lect. cap. 11, protulit nobis, unde Capitolium sit dictum, quod ipse Livium, Plutarchum, Halicarnasseum, et alios Romanarum rerum scriptores ignorasse putavit ; nam etiam Lactantius noster hoc loco, et lib. tertio, cap. 17, illius vocabuli originem affert, secus tamen, quam tradat Arnobius ipse initio libri sexti, Halicarnasseus ad fin. quarti Antiquit. et Suidas.

Quod ignotis parentibus natos, Terræ filios nominemus. Ita et Tertullianus cap. 11. Apoleg. Unde factus est proverbio locus, de quo late auctor Adagiorum in *Terra Filius*, Rhodigin. Antiquar. lection. lib. XI, cap. 28 Politian. in Miscellan., cap. 18.

Pan eum. Ita B. T. et multi Vatican. quorum tamen alii habent *Pantum :* nonnulli alii codices junctim, *Panæum*, ut P. alii *Panem*. Boccat. lib. III, cap. 1 hunc Ennii locum paulo aliter refert, et *Pangæum* legit. In *Pangæo* monte, inquit, aram statuit, etc. Quod aliud promere non possim, satis habeo varias lectiones indicare ; nam depravatum esse locum norint, arbitror, omnes. Extaret Ennii sacra Historia, unde desumptus est, totus expeditus esset : at hoc optare est.

Cœli stela. Hunc locum ingeniosissime restitutum debemus Petro Ciacconio, qui primus ita legendum monuit, *Stela*, unico l. non autem duplici, *stella*, ut corrupte in omnibus libris legitur. *Stela*, græce στήλη, id est, columna. Plin. lib. VI, cap. 28 : *In qua scriptæ sunt stelæ lapideæ litteris incognitis.* Sic enim excusum est in meo codice editionis Aldinæ Venet. a Paulo Manutio et Gelenio emendatæ ; et ita eum locum castigat Barbarus in emendationibus Plinianis profersit, Budeus in Annotation. ad L. Sicuti, § Competit, D. Si servit. vindicetur, et compilatores Lexici græco-latini Basileæ impressi, anno 1568 in Στήλη, et Auctor Thesauri Latinæ linguæ in *stela*. Martian. Capell. l. II : *Quasque librorum notas Athanasia conspiciens, quibusdam eminentibus saxis jussit adscribi, atque intra specum per Ægyptiorum abdita collocari, eademque saxa stelas appellans, deorum stemmata continere.* Namque ibi quoque *stelas* legendum ex Plinio ; et vocabuli etymo constat. Is igitur mons ob ejus altitudinem cœli columna vocabatur, tanquam qui cœlum contingere atque adeo sustinere videretur.

Ibique eo in monte aram creat cœlo. Putavit Ciacconius quædam verba hic addita fuisse, et ita scripsisse Lactantium : *Postquam eo ascendit, contemplatus est late terras. In eo monte aram creat, primusque in ea ara Jupiter sacrificavit, in quo loco suspexit, idque quod supra mundus erat, quodque æther vocabatur precans, primum cœlum nominavit.* Quod supra mundus erat, dixisse pro, quod antea mundus vocabatur.

Tutelæ suæ subjugarit. Vid. Diodor. Sicul. in sexto, et quid hic tutela significet, diximus supra.

CAPUT XIII.

Nummi veteres. De nummo prius signato vid. sunt Strabo lib. VIII, Plin. lib. XXXIII, cap. 3. Macrob. primo Saturn. cap. 7, Eutrop., Tertullian. Apologet., Minuc. in Octavio, Cyprianus de Vanit. Idol. et fragmentum Athenæi apud Theodor. Canter. secundo Var. lect. cap. 23.

Tutus latuisset in oris. Virgilius, *latuisset tutus in oris.*

Qui rursus Latio. Ita lego, ut apud Maronem, pro eo quod in aliis editionibus est, *quæ rursus*, etc. Nam ibi de Augusto loquitur.

CAPUT XIV.

Sacra historia. Scilicet Euhemeri.

Hæc Ennii verba sunt. Sacram videlicet Euhemeri historiam interpretantis.

Filius. Pro *Filium*. Antiptosis ; ut, *sermonem quem audistis, non est meus. Urbem, quam statuo, vestra est.*

Pluto latine est Diespiter : alii Orcum dicunt. Jovem appellatum *Diespitrem* norunt omnes, id est, diei patrem, ut Varro interpretatur quarto de Ling. Lat. cap. 10. Macrobius primo Satur. cap. 15. At id cognomen inditum fuisse Plutoni ignotum habeo, nisi forte apud ipsum Varronem, ubi supra, his verbis : *Idem hic Diespiter dicitur infimus aer, qui est conjunctus terræ, ubi omnia oriuntur, ubi aboriuntur, quorum quod finis, Orcus dictus*, etc. Hunc profecto potius, quam diei, noctis, et tenebrarum patrem dixissem cum Parca ipsum alloquente apud Claudianum, ubi inquit :

.....O maxime noctis
Arbiter, umbrarumque potens !

Placiades Fulgentius : *Hunc etiam tenebris addictum dixere, quod sola terræ materia sit cunctis elementis obscurior.* Forte scripserit auctor noster, et Varro, *Dis pater ;* nam ita vocatum Plutonem notissimum est : et *Dis*, seu *Dives* latine, id sane est, quod græce πλοῦτων, ut ait Lactantius. *Diespiter* non idem. Cic. secundo de Nat. deor. *Terrena autem vis omnis atque natura Diti patri dedicata est, qui Dis, ut apud græcos* Πλοῦτων, *quia et recidant omnia in terras, et oriantur a terris.* Arnob. secundo ad fin. *Cum ex Apollinis monitu patri Diti ac Saturno humanis capitibus supplicaretur.* Isidor. 8 Orig. cap. 11, fere hanc emendationem insinuat.

Eosque muro circumegit. Equidem nullum auctorem latinum ita locutum invenio. Puto Lactantium scripsisse, *eosque murum circumegit ;* nam *circumagere* nihil aliud est quam *circumducere*, ut apud Virg. IX :

Stridentem fundam circum caput egit,
Vel eos muro circumdedit.

CAPUT XV.

Per amorem memoriam defunctorum, etc. Al. *per*

Digitized by Google

amorem meriti, memoriam defunctorum, etc. *Sed τὸ meriti* non reperitur in codicib. T. et P. et abfuit a codice Francisci Petrarchæ, qui locum hunc refert secundo de Otio religiosorum, nec dictionem illam agnoscit.

Tolleret. Cicero *tollerent*, et hinc Castor et Pollux.

Atque adeo in plerisque, etc. Mendum habent omnes libri, ubi legitur, *atque alio in plerisque*, etc. Nam Lactantius citat alterum locum Ciceronis cap. 3, de Natura deorum, ubi aliquantulum variat lectio; ibi enim, *atque in plerisque civitatibus intelligi potest*, augendæ virtutis gratia, quo libentius, etc.

Sancum. Mira de hoc nomine lectionum varietas, ut Vaticanos codices inspicienti liquet, et de qua videndus est Gregorius Gyraldus primo Syntagm. de diis gentium. Vide etiam Varronem de Lingua Latina lib. IV, cap. 10, Propertium lib. IV eleg. ad fin., Silium VIII, Punic. Halicarnasseum II Antiquitatum; item librum, qui Caii Sempronii nomine circumfertur de divisione Italiæ cum Annii commentariis, sanctum Augustinum lib. XVIII Civit., cap. 19. Nostra lectio exhibetur a cod. B. a nonnullis Vatican. et ab editionibus Aldina ac Plantiniana; probatur a Josepho Scaligero in conjectaneis ad Varron. ubi supra, tum ex Propertio ubi supra, tum ex illius nominis etymo ab ipso Propertio ibi tradito.

Mea sacra. Ita Maro in aliquibus editionibus. At in al. *me sacra*, et ita quoque in antiquis aliquot Virgilianis haberi notatur ibi in editione Velutelli, et in Castigationibus Pierii Valeriani in Virgilium, cui quidem Lactantii lectio minus placet.

Ἑλλὰς εἰὴ τί πέποιθας. Paulo aliter leguntur hæc carmina in Oraculis Sibyllinis.

Platonis imitator. Quin etiam æmulus, ut placet Quintiliano lib. X, cap. primo ad fin.

Illud profecto fuit. Facile intelligitur, ut notat Andreas Patritius in scholiis ad Ciceronis fragmenta, et Sigonius in Dialogo, cui titulus Accusator, seu de Consolatione Ciceronis, depravatum esse hunc locum, quem desumpsit Lactantius ex ipsius Ciceronis libello de Consolatione, cujus meminit ipse in Tusculanis, et alibi, et Lactantius noster in Institutionibus sæpe. Hunc cum docti omnes conquererentur amissum, prodiit in lucem septemdecim abhinc annis eodem titulo liber, et sub eodem nomine Ciceronis, de quo multa inter eruditos illius temporis viros extitit lis, an Ciceronis genuinus esset, atque germanus. In eo igitur libello (Cicero sive alius sit auctor) planissime ac rectissime legitur: *Quod si ullum unquam animal consecrandum fuit, qualia multa consecraverunt Ægyptii (quod nullum profecto fuit) si Cadmi*, etc.

Amphitryonis. Aldina, Plantiniana, et nonnullæ aliæ editiones mendum habent, ubi legitur, *Amphionis.* Nostræ lectioni adstipulatur libellus ille Consolationis, et Sigonius atque Patritius, hunc locum ex Lactantio referentes in Ciceronis fragmentis: optima item exemplaria T. P. editio Florentina, et aliæ, atque adeo ipsa ratio; neque enim ullam *Amphionis* progeniem in deos relatam novimus: at *Amphitruonis* progeniem, nempe Herculem, norunt omnes, qui licet Jove patre, matre Alcmena sit natus, ut tradit Apollodorus II. Bibliothec. Homer. hymno in Hercul. eum tamen etiam dixerunt *Amphitruonis* filium, ut Euripides in Hercul. insano, et alii.

Et illos, quos in cœlum merita locaverunt. Cicero, cujus locus est in II de Legibus, habet, *et illos, quos in cœlum merita vocaverint;* vel, *et illos, quos endo cælo merita vocaverint*, ut in quibusdam libris Ciceronis legi testatur, et legendum censet Muretus ad illud Catulli, *Flacci delicias suo Catullo.*

Attici conscientiam. Hinc testem habes Lactantium, *Atticum* fuisse illum, qui per litteram A. interlocutor designatur in libris Tusculanarum, qua de re quæstio esse solet, ut notat Turnebus IX Adversariorum cap. 18, nam alii, ut Lambin. in Annotationibus ad primum librum earum Quæstionum, Lactantii opinionem refellunt, et non Atticum, sed incertam personam, puta, adolescentem, designari contendunt, sive auditorem, ut Robertellius in Annotationibus ad varios auctores.

Quia hoc scelerato homini placuit Antonio. Vid. Cic. Philipp. 2. ad fin.

Germani fratris. In aliquibus mss. melius et acrius haberi, *gemini fratris*, testatur Janus Gulielmius ad Plaut. Menæchm. cap. 3. *Geminus frater* vocatur, qui uno partu, et uno die natus est, Plaut. Menæchm. in fin.:

Spes mihi est, vos inventuros fratres germanos duos
Geminos una matre natos, et patre uno, uno die.

Virgilius de eodem Romulo et Remo in VIII:

Geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, etc.

Patriæ parricida. Ita et Cicero III Officiorum cap. 3 ad fin.: *Ecce tibi, qui Rex populi Romani*, etc.

CAPUT XVI.

Relligionum animos nodis, etc. Lucretius, *Relligionum animum nodis*, etc.

Et illi lex Papia fibulam imposuit? Jocatur Seneca in Jovem; nam lex Papia Poppea sexagenarios infibulabat, id est vetabat uxorem ducere, tanquam effœta jam virtute essent ad generandum, cui legi postea Claudius Cæsar abrogavit, ut scribit Suetonius in Claudio, apud quem corrupte legitur pro *Poppea*, *Pompeia*, et apud Isidor. IV Orig. cap. 15, relatum in decret. in cap. Quædam, distinct. 2. Eum errorem secutus est Beroaldus ad Sueton. ubi supra cap. 19 et 23. Rivall. in histor. jur. Civil. lib. II, qui tamen lib. IV, in Claudio recto nomine usus est: sed eumdem errorem refutavit Alciatus, lib. III Dispunction., cap. 3. Tiraquell. in legib. connubialib. leg. VI, n. 20. Prateius de Legib. populi Romani in *Papia Poppea*, ex Dione lib. LVI, Tacito lib. III, Ulpiano Epitom. Tit. 29. Ei denique legi abrogavit et Justinianus Imperator in l. ultima cod. de Nuptiis. Dixit autem Seneca (fibulam imposuit) ducta metaphora ab iis, qui infibulabantur, vel vocis servandæ gratia, quæ ex coitu mutatur, vel valetudinis, quibus perforabatur utrinque a lateribus cutis illa, quæ super penis glandem extenditur, eique superaddebatur circulus æneus, quem fibulam vocabant: unde apud Martial. lib. IX, Epigr. 28, *refibulare*, quod est *fibulam solvere.* Et de *infibulandis* juvenibus plura apud Celsum. Corrupte hic in aliquibus impressis, pro *fibulam*, legitur *tabulam*, vel *fabulam*, quod et Beroaldus notat in Claud. d. cap. 19.

Jus trium liberorum? Erant privilegia et immunitates quæ favore propagationis dabantur parentibus tres filios habentibus, de quibus in leg. prima cod. Qui num. lib. Se excus. leg. prima cod. de Jur. liber. et § Sed hæ juris. Instit. ad S. C. Tertullian. Plutarch. de Amor. prol. Sed interdum ex Principis indulgentia iis quoque qui pauciores, ac etiam nullos habebant filios, hæc privilegia dabantur. Id jus qui assecuti fuissent, præter, alias ea quoque utilitate fruebantur, quod cum aliquid populo viritim dividebatur, ii pro tribus liberis accipiebant. Vid. Duaren. lib. primo Disputation. cap. 40, Alexand. Neapol. Genial. dier., lib. IV, cap. 8, Beroald. et Sabellic. ad Sueton. in Galba, cap. 14.

CAPUT XVII.

Videtisne igitur, etc. In pauculis variat lectio apud Ciceronem.

Hoc est, falsa se intelligere, vera nescire. Utinam (inquit Cicero) *tam facile vera invenire possem, quam falsa convincere!*

Ut in historia sacra continetur. Id est, in historia Euhemeri de diis, de qua sup. cap. 11.

Æsculapium curando juveni advocavit. Narrat fabulam Ovidius XV Metamorph.

CAPUT XVIII.

Si fas cædendo cœlestia scandere, etc. Hos duos

Digitized by Google

versiculos ex Ennii Epigrammatis a Cicerone in libris de Republica positos refert Seneca lib. XIX Epistolarum, Epistola 109 : *Id de quo quæris*, etc. Verum apud Senecam primum versiculum corruptum haberi scribit Crinitus de Honest. discip. lib. XIX, cap. 3. Nec tamen versiculum illum ex Seneca profert, qui in editionibus Senecæ varie legitur. Puto Crinitum apud Senecam legisse : *Si faciendo plagas cœlestum ascendere cuiquam*, etc. Quæ lectio Erasmo quoque in Annotationibus ad d. epistolam, et mihi minus placuit, quanquam Pincianus in Castigationibus suis ad eumdem Senecam meliorem eam existimat, quam hanc ab Erasmo positam, videlicet : *Si fas est plagas cœlestum ascendere cuiquam*, etc. Itaque putabat Crinitus legendum esse apud Senecam, ut in Lactantio; et Erasmus quoque non absurdam esse Lactantii lectionem existimabat. Pithæus autem lib. primo Adversarior. cap. 11, Lactantii lectionem damnat, et ita Ennium scripsisse contendit : *Si fas endo plagas cœlestum ascendere cuiquam*, etc. *Endo* pro *in*, passim dixisse veteres, nec jure reprehensum Africanum, si ita locus fuisset, ut apud Ennium secundum Firmiani lectionem; nam conditionem illam adjecit, *Si fas cædendo*, etc. quæ potuit non esse vera : jure autem merito reprehensum, quod jactasset, sibi tam multis magnisque cædibus polluto cœlum patere, *modo cuiquam mortalium in cœlestium plagas ingredi fas esset*. Hanc Pithæi lectionem, quæ mihi valde placet, probat etiam Scipio Gentilis Origin. et Lambinus in Annotationibus ad fragmenta Ciceronis III de Repub., et fere est eadem cum ea lectione, quam se ex divinatione et conjectura reposuisse ait Erasmus : sed Pithæi magis Enniana videtur. Vide Gruteri animadversiones in Senecam.

Est vero (inquit) *Africane*. Andreas Patritius in scholiis ad fragmenta Ciceronis e III de Repub. putat legendum, *Est vero ita, Africane*, vel simpliciter, *Et vero Africane*. Ego ubi unanimes cunctos codices reperio, non facile quicquam immuto; neque tamen litteratorum virorum opiniones reticeo.

Divinis docere litteris. Genes. IV, ubi frugum et vitium inventio, atque cultura Adamo et Noe tribuitur, de quo disserit rursus ipse Lactantius infra lib. II, cap. 14; et S. Augustinus lib. VIII, super Genes. ad litter. Plinius igitur ad fin. VII, et cæteri Ethnicorum nugantur, qui hæc Cereri et Eumolpo Atheniensi attribuunt, vel Dionysio, sive Osiridi, ut scribit Diodorus lib. primo, cap. II.

Ut Æsculapio medicina, Vulcano fabrica. Plin. lib. VII, cap. 56 Polidor., Virg. de Rerum inventoribus.

Figulinæ repertori. Scilicet Rhœco et Theodoro, secundum aliquos, ut refert Plinius lib. XXXV et cap. 12.

Vasa Samia. Plin. eod. lib. cap. 16.

Est vero cur quisquam, etc. Ita reposui, ut est in B. T. P. et Plantiniana editione, non ut in aliis quibusquam, *est vero causa, cur quisquam*, etc. malebant enim simpliciter, *est cur*, vel *est quod*. Plautus Aulular. *est, quod revisam domum;* Ovid. II Metamorph.

Est vero, cur quis Junonem lædere nolit.

Lactantius supra in fine cap. 17 : *Erat plane, cur tantum laborem*, etc., et infra lib. II, cap. 7, ad fin.: *Est vero, cur illorum auctoritas*, etc.

CAPUT XIX.

Metuebant enim malum, si contra publicam persuasionem faterentur. Exemplum habet de Cicerone infra lib. II, cap. 3, in principio; et idem dicebat S. Augustinus de Varrone lib. VI de Civit., et de Scevola lib. IV, cap. 27.

CAPUT XX.

Si animal ipsum fuisset, cujus figuram gerit. Atqui scriptores non defuere, qui tradiderint animal ipsum fuisse, nempe lupam veram, quæ Romulo et Remo mammas præbuerit : Virgilius VIII :

Et viridi fœtam Mavortis in antro, etc.

Ovidius II Fastor. : *Venit ad expositos*, etc. et III. *Lacte quis infantes*, etc. Propert. II, Eleg. VI : Nutritus duro Romule, etc. Nec poetæ solum, sed et Historici, et quidem insignes, relati ab Halicarnasseo ad finem primi Antiquitat. Plinius VIII, cap. 17. Strabo in V. Justinus historicus lib. XXXVIII, XLIII, et in fin. XLIV. Plutarchus Parallel. XXXVI et in quæstionib. Rom. quæst. XXI, Hygin. cap. 252. Receptius tamen est Lupam illam fuisse mulierem, Accam Larentinam nomine appellatam, cognomine Lupam, quod meretrix esset. Lupas enim cognominabant eas, quæ corpus vulgabant, quomodo Antonii scorta sæpe Cicero in Philippicis lupas vocat. Hoc supradictorum auctorum plerique, atque insuper alii tradiderunt : Ovid. Fastor. III, Plin. lib. XVIII, cap. 2, Plutarch. in Romul., Festus, Livius, lib. I, pr. Decad. : Massurius apud Gellium lib. VI, cap. 7, Macer Histor. lib. primo, apud Macrob. primo Saturn. cap. 10; quam opinionem historiæ magis consonam fuisse scribit Halicarn. ubi supra.

Larentinæ. Hanc secutus sum lectionem, tum propter auctoritatem meliorum codicum B. T. P., tum quia paulo infra ejusdem festa nullis refragantibus Lactantii codicibus dicuntur *Larentinalia*. Quanquam de nomine mulieris et ejus festorum multa varietas apud scriptores. Cicero in epistolis ad Brutum, Varro, Festus, Livius, Ovidius initio tertii Fastorum, et Plinius ubi supra *Laurentiam* vocant. At vero Gellius lib. VI, c. 7, Macrobius primo Saturn. cap. 10, Tertullianus c. 13 et 24 Apologet., Minucius in Oct. et Plutarch. in Romulo *Larentiam*.

Exemplum scilicet Atheniensium in ea figuranda Romani secuti sunt. Quemadmodum Harmodius et Aristogiton cives Athenienses Hipparchum tyrannum occiderint, late habetur ex Thucydide in Prohem. et lib. VI, eorum Plato et Sympos. meminit, Aristoteles II Rhetor. cap. 25, Cicero prima Tusculana in fine, Ælian. de Varia historia lib. II. Post necem Tyranni, cum meretrix, Harmodii amica, ut scribit Athenæus lib. XIII, cap. 24, et ambobus conjuratis lyræ cantu familiaris, ut scribit Plinius lib. XXXIV, c. 8, capta esset, et a tyrannis Pisistrato et Hippia validis tormentis excruciata, ut omne consilium conjuratorum in eo occidendo narraret, et criminis socios proderet, nihil ab ea potuit extorqueri; quin etiam (ut scribit Tertullianus in calce Apologet.) carnifice jam fatigato, postremo linguam suam comestam in faciem tyranni sævientis expuit, ut expueret et vocem, ne conjuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset : quanquam hoc factum Plinius lib. VII, cap. 23, ubi de Leæna, non ipsi, sed Anaxarcho, cum simili de causa torqueretur, attribuit, sicut et Valerius lib. III, cap. 3, Athenienses igitur ejus honori animalis effigiem posuerunt, cujus illa nomen gerebat : sed linguam addi ab artifice vetuerunt. De ænea Leæna ab Atheniensibus huic posita meminit Pausan. in Attic. De historia meminere Athenæ. Et Plinius ubi supra, Tertullianus ubi supra, et ad Martyres cap. 6, item Eusebius Cæsarien. in Chronic. qui cædem Hipparchi recenset sub Olympiad. 65. Unde non satis assequor, quomodo Lactantius scribat, Romanos in figuranda lupa exemplum sumpsisse ab Atheniensibus; nam cum Lupæ factum, videlicet Accæ Larentinæ, ducentis quinquaginta circiter annis Leænæ factum præcesserit, simillimum vero videtur, multo antea Lupam a Romanis, quam ab Atheniensibus Leænam figuratam, et ideo Athenienses potius a Romanis exemplum ejusmodi, quam Romanos ab Atheniensibus sumere potuisse. Cæterum quia meretrix conscia fuit conjurationis, nec cædem vetuit, quam utique conjuratos deferendo vetare potuit, merito ab ea quo-

Digitized by Google

que tyrannum occisum scribit Lactantius, cum tamen ipsa cædem minime perpetraverit.

Larentinalia. Qui mulierem *Laurentiam* vocant, hæc ipsius festa *Laurentialia*, vel *Laurentalia*, ut Ovidius sub initium III Fastor., qui *Larentiam*, *Larentialia*, vel *Larentiala*; qui *Laurentam*, *Laurentinalia* appellant; ita qui *Larentinam*, *Larentinalia*.

Sed Faulam quoque, etc. De hac Plutarchus in Quæst. Roman. quæst. 35, ubi eam *Larentiam Fabolam* vocat.

Floralia. De quibus Varro pr. de Re rustic. c. pr. Plin. lib. XVIII, cap. 29. Macrob. lib. primo Saturn. cap. 4.

Celebrantur ergo illi ludi cum omni lascivia, etc. Omnes quidem nequitiæ et obscœnitates illis in ludis repræsentabantur a nudis mulieribus, quæ mimorum officio fungebantur; quibus cum aliquando interesset Cato, illius majestatem et severitatem reveritus populus non ausus est postulare ut mulieres nudarentur, quod fusius narrat Valerius Maximus lib. II, c. de Majestat. Senec. Epistola 98, *Erras, mi Lucili.* Incidebant hi ludi 4 calendas maii, et calendis ipsis maii, ut scribit Plinius d. c. 29, et Ovid. in fine IV et initio V Fastor. Lapsum puto Gyraldum, qui lib. de Diis Gent. Syntagm. pr. ubi de Flora loquitur, scriptum reliquit, Festa Floralia eadem fuisse cum festis Majumæ, de quibus in L. unica. cod. de Majum. lib. XI, et l. XV, tit. 6. de cod. Theodos. Floralia enim Romæ fiebant: at Majumæ spectaculum non in occidentalibus oris, sed in orientalibus præbitum doctissimus cardinalis Baronius probat in suis ad martyrologium notationibus sub die 26 decemb. Suidæ refutata opinione, dicentis Majumam festum fuisse a Romanis mense Maio ad ostia Tyberina peragi solitum, quamvis Suidam plerique omnes sequantur. Alciatus in annotationibus ad d. L. unicam, cod. de Majum. et lib. V Parerg. cap. 5, Cujac. ad eamdem L. Girard. Pratei. Brisson. in suis vocabulariis in verbo, *Mauma*, Steuvechius ad Vegetium lib. III, cap. 39, alii. Quorum tamen sententia Gyraldo minime patrocinatur, cum illi Majumæ festa ad ostia quidem Tyberina peragi solita scribant, non tamen asserant eadem fuisse cum ludis Floralibus, qui in ipsamet urbe celebrabantur, ut Alexander Neapolitan. notat Genial. dier. lib. VI, cap. 8.

Pavorem, Palloremque. Cicero III de Nat. deorum, Plin. lib. II, c. 7.

Præsentes haberet. Hæc est recepta lectio a mss. et excusis, nec temere rejicienda, sicut nugatur Thomasius. *Præsentem haberi*, vel *præsentem esse*, pro *adesse*, norunt omnes creberrimam locutionem esse omnibus latinis scriptoribus, præsertim Lactantio ipsi lib. II Instit., cap. 2, in fine, lib. de Ira Dei, et alibi. B. tamen habet, *secum haberet.*

Mentem. Cicero et Plin. ubi supra.

Magnum Cicero audaxque consilium suscepisse Græciam dixit, etc. Locum excidisse ex II de Legibus putant Sigonius et Patritius, in eorum Scholiis ad fragmenta Ciceronis.

Virtutes enim oportet, non vitia consecrari. Cicero, *Virtutes enim non vitia consecrare decet.*

Febrem. Cicero, Plinius, ubi supra.

Ast illa. Apud Ciceronem, *ast olla.*

Supervacuis exstructionibus. Templis videlicet, diis, seu potius dæmonibus consecratis.

Imaginibus. Idolis dæmonum.

Summis digitis. Jocatur in morem illum ethnicorum, quo res ad sacrificandum paratas duobus aut tribus digitis accipere solebant. Thus quidem eo modo in aræ flammam jaciebant. Sanctus Hieronymus epist. prima: *Non est tantum in eo servitus Idoli, si quis duobus digitulis thura comprensa in bustum aræ jaciat.* Lactantius, lib. V, cap. 19: *Nam cruciari atque interfici malle, quam thura* tribus digitis *comprehensa in focum jactare*, etc. Porphyr. περὶ ἀπόχης ἐμψύχων inquit: *Pythia Ermionea lætatum dum sacrificaret, placentæ frustis acceptis e pera* tribus digitis. Ovid., II Fastor.:

Et digitis tria thura tribus sub limine ponit.

Atque hinc alia quoque Lactantii loca declarantur, lib. IV, cap. 3: *Illa enim Religio muta est, non tantum quia mutorum est, sed quia ritus ejus in manu et digitis est;* lib. V, cap. 20: *In qua nihil aliud video, quam ritum ad solos* digitos *pertinentem.*

Horrere. Ex mss. a Thomasio citatis; nam, *colere*, quod est in impressis, Lactantio ipsi repugnat.

Cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, etc. Vegetius de Re militar., lib. IV, cap. 9; Capitolin. in Maximin.

Sicut juvenes ab iisdem antea missi cum virginibus, ex quibus sunt Parthenii nati, etc. Hæc lectio habetur in multis Vaticanis, in antiquissimo illo B. et altero item ejusdem bibliothecæ S. Salvatoris Bononiensis, in editis Florentinis, et Venetis Tridin. Et omnino de hac Partheniorum historia videndi sunt Strabo, l. VI, Justinus Historic. in fin. lib. III, Isidorus, lib. IX Orig., cap. 2, ubi tamen errore captus est, ut *Spartanos*, pro *Parthenii*, scripserit. Vir eruditissimus latinus Latinius putavit, lectionem Aldinæ editionis, quæ habet *ante admissi*, non modo minime absurdam esse et sensu carentem, ut censuit Thomasius, sed etiam valde appositam, et proprie cum historia congruentem; ex qua constat juvenes illos, antequam bellum illud solveretur, remissos esse Lacedæmonem eo jussu, ut ad sobolem procreandam cum omnibus promiscue virginibus copularentur. Atqui verbum, *admittere* (præter cæteras ejus significationes) est marem fœminæ, vel fœminam mari admovere ad initum, unde *admissio, admissura, admissarius.* Petrus Ciaccionius suspicabatur legendum, *antea dimissi.*

Parthenii. Al. *Partheniæ*, ut hic cod. B. Aristoteles quinto Politicor., cap. 7. Pollux, in Παρθενίας, Strab. ubi supra.

Veneri armatæ. De qua Pausan. in Laconic. Quintil. II Institut., cap. 4.

Jovi quoque pistori, etc. Historia est apud Liv. in quinto primæ Decad. Frontin. tertio Stratagem., cap. 15; Ovid. sexto Fast., Suid.

Mutam: Nympha Tiberis prius Lara appellata, ut apud Varron. quarto de Ling. Lat. postea *Muta*, ut apud Ovid. secundo Fast. qui fabulam narrat, ab Auson. *Larunda* dicta, *Mania* denique alibi ab eodem Varron. Macrobio primo Saturnal., cap. 7. Arnobio in fin. tertii.

Cunina. Sic legitur apud Varron. et S. August., l. IV de Civitat., c. 8 et 11. B. habet, *Cunia*, P. *Cuna.*

Sterculius. Ita Tertullian., cap. 24 Apolog., Macrob. primo Saturn., cap. 7: *Stercutius*, Plinius, lib. XVII, cap. 9, Servius in primum Georgic. Isidor. Etymol., lib. XVII, cap. primo, alii vero *Stercutus.* Varr. de vit. pop. Rom., lib. II: *Sterquilius.* Codex B. hic, *Stercus*, T. *Sterculinus*, P. *Stercutus.*

Mutinus. Ita Tertullian. d. cap. 24, quam lectionem probat Vives ad cap. 11 lib. IV de Civitat. Dei, et Gulielmus libro primo Verisimil., cap. 23, Festus Pompe.: *Musinus Tusinus Musini Tisini* (inquit) *sacellum fuit in Veliis*, etc. Arnob., lib. IV: *Mutunus.* Sed S. Augustinus d. cap. 11. habet *Musunus*, et *Tutunus.* Cod. B. et P. hic, *Tutinus.*

Terminus. Vid. Apollod. initio Biblioth. Pausan. in Beotic. in fin.

Nam cum Tarquinius Capitolium facere vellet, etc. Liv. ad fin. primi primæ Decad. et ad fin. quinti, Ovid. secundo Fast., S. Augustinus in quarto de Civit., c. 23 et 29, Serv. IX Æneid.

CAPUT XXI.

Humanam hostiam. Ethnicorum feritatem notat, qui humanas hostias immolabant; qua de re Plut. in Pelop., Tertull., 9 Apologet., Clemens Alexand. in Orat. ad Gentes, Minuc. in Octav., Euseb., lib. IV Præparat., cap. 7, Nazianz. in Orat. de Epiphan., Sanctus August. de Civit., lib. VII, cap. 19, Theodoret. septimo Therapeut.

Esum, atque Theutatem. De quibus Lucan. in primo,

Digitized by Google

Nonnulli *Esum* interpretantur Martem. *Theutates* vero Mercurius est, de quo Livius sexto tertiæ Decad. Cæs. lib. sexto de bell. Gallic. ubi de humanis victimis, Arnobius secundo.

Latialis Jupiter. Dicitur etiam *Latiaris*, et ita hoc loco scriptum esse in aliquibus Lactantii membranis testatur Franc. Juretus in Notis ad Symmachi epistolas, libro primo, epistola 9.

De ponte Milvio. M. Varro *e ponte Sublicio. Fiunt* (inquit) *Argei ex scirpeis virgultis simulacra hominum, et quotannis* e ponte Sublicio *a sacerdotibus jaci solent.* Sic Epicadus apud Macrobium, lib. secundo Saturn., cap. 11; Halicarnass. vero pr. Antiquitat.: *Simulacra*, inquit, *hominum triginta numero* de Sacro ponte *mittunt in Tiberim fluvium, quæ Argeos nominant.*

Καὶ κεφαλὰς ἄδη. Desumpsit hunc versiculum Varronis fortasse ex Macrob. primo Saturn., cap. 7, ubi habetur ἄδη, id est, Diti, non autem κρονίδη, id est, Saturno, ut in omnibus Lactantii libris manifesto librariorum errore; nam hic τὸ πατρὶ, nonnisi Saturnum designare potest, cui integra corpora humana immolabantur, ut ex Ovid. Macrob. ubi supra, et lib. II Saturn., cæteris Lactantius hoc ipso loco confirmat. Ergo τὸ ἄδη Firmiano refigere oportuit, ut Ditem intelligamus, monente quoque Pontano in notis ad Macrob. ubi supra.

Φῶτα. Hujusce dictionis non modo latinam interpretationem, quæ a plerisque editionibus abest, ac plurimis mss. inest tamen aliquibus aliis hoc modo, φῶτα, id est, hominem, vel id est, lumina, sed etiam omnem accentum sustulimus, ut ambiguitas servetur oraculi, quam data opera versus continet: ea vero tollitur, sive accentum dictioni superimponas gravem, aut circumflexum, ut prave in omnibus editis reperitur, tam apud Macrobium dicto cap. pr. et 11, quam apud Plutarchum; nam accentu gravi signata ad hominis, circumflexo ad luminis significationem contrahitur, ut tradit Suidas in φὼς, et alii, sive articulum proponas, sive multo magis, si addita interpretatione eam in alterutrum sensum declares. Cur autem φως et hominem, et lumen significet, ponit Plutarch. ubi supra. In memoriam revoces velim, lector, rationes quibus hanc de variis accentibus et significationibus vocis ΦΩΤΑ argumentationem diluimus, ut pote regulis hodiernæ grammatices plane repugnantem (*Vid. col. 241 hujus tom. not.*).

Jaci. Jace legitur vitiose in omnibus Lactantii libris: ideo correximus ut apud Poetam:

Tantum Relligio potuit suadere malorum,
Quæ peperit sæpe, etc.

Duos Lucretii versus a se invicem separatos initio primi de Natura rerum conjunxit, ordinavit, extulit, ut ad rem suam facere putavit; ibi enim prius illa leguntur:

Quod contra sæpius olim
Relligio potuit scelerosa atque impia facta.

Deinde paucis interjectis ille versus habetur:

Tantum Relligio potuit suadere malorum.

Isidis Ægyptia sacra. De quibus supra, cap. 17, Arnob. primo, Minuc., S. Augustinus, lib. VI de Civ., cap. 10.

Lucanus. Μνημονικὸν ἁμάρτημα; nam pro Ovidio *Lucanum* posuit.

Et tectum ligno. Arca videlicet lignea inclusum (sic quidem habent libri Lactantiani); vel (ut omnes Lucani codices habent) *et tectum lino*, id est, linteis obvolutum, etc.

Osiris. Miratur Gyraldus syntagm. 8 Lactantium hoc loco filium *Isidis Osirim* fecisse, cum Plutarchus cui Diodorus assentit primo lib., cap. 2, non filium, sed fratrem ac maritum Isidis eum dicat in lib. de Isid. et Osirid. Verum meminisse debuit Gyraldus ex iis, quæ collegerat ipse syntagm. 6, ubi de Serapid. in 8, ubi de Osirid. in 12, ubi de Iside loquitur, implexam historiam, et valde abditam: intelligere potuit, Lactantium, quamvis ab opinione Plutarchi recesserit, aliorum tamen haud multo minus Plutarcho gravium scriptorum narrationem secutum. Principio Jovem, quam Jupiter compressit, eamdem fuisse cum Dea Iside Ægypto culta ipse Firmianus asserit sup. cap. 11. Ovidius in fine primi Metam. Apollodorus initio II Biblioth. Lucian. in Dialog. Zephir. et Not. unde et a Propertio de sacris ipsius, quæ Romæ suo tempore agebantur, loquente Inachis appellatur, lib. II Eleg. penultima:

Atque utinam Nilo pereat, etc.

Item, lib. II, Elegia, quæ incipit, *Jupiter affecte*, etc.

Io versa caput primos mugiverat annos,
Nunc dea, quæ Nili flumina Vacca bibit.

Id quoque Græcos affirmare scribit Ælianus. Hæc Epaphum genuit ex Jove, qui ab eadem cultus Ægypto conjunctum matri Templum habuit, ut Ovid. et Ælianus tradunt. Porro qui Epaphus Græcis, ille idem est qui Ægyptiis Apis, ut scribit Herodotus. Apim autem eumdem esse cum Serapide, ex Aridæo Argivo novimus, et Nymphodoro Amphipolitano apud Euseb. X Præpar. et ex Varron. apud August. XVIII Civit., cap. 5. Idem vulgo creditum scribunt Ruffinus, Suidas, alii. Jam vero Serapim eumdem cum Osiride creditum scribit Tacitus in fine vigesimi; et Diodorus Siculus lib. primo, cap. 2, asserit Serapim tum dici Osirim, tum Dionysium. Et idem ait Lactantius ipse hoc loco. Quin etiam Plutarchus in lib. de Isid. et Osirid. *Præstat*, inquit, *autem Osirim cum Baccho eumdem facere, et cum Osiride Serapim.* Et rursus de Api, quod idem habitus sit cum Osiride a Sacerdotibus Ægyptiis, refert Plutarchus ibidem, et Strabo de Memphi loquens, lib. XVII, Lactantius igitur eum, qui in sacris Isidis semper quærebatur, et inveniebatur, ipsius Isidis filium fuisse, ut historia docet, eumdemque Osirim dicere hos secutus auctores potuit.

Ardua jamdudum resonat. Nonnihil variat lectio horum versuum apud Ovidium; nam ibi, *pars manibus clypeos*, et,

Res latuit patrem, priscique imitamina facti.

Quia principes intelligendi. Locus hodie non habetur inter opera Sallustii.

Vetustatem in majus componentem. Secutus sum Florentinæ editionis lectionem probatam Carrioni, lib. II Antiq. lect., cap. 7, pro ea, quæ est in al. *vetustatem in majus componentes.* Non enim voluit Sallustius a Curetibus *vetustatem*, sed potius Curetum illud et inventæ, et intellectæ religionis factum, quippe qui principes fuerunt intelligendi res divinas, ab ipsa *vetustate in majus fuisse compositum*, et ideo Jovis altores dictos, eoque nomine celebratos.

Illos dico, qui vel inhonesto saltatu tripudiant. Salios innuit Martis Sacerdotes.

Vel qui nudi uncti. Lupercos significat, Panos, Pastorum Dei Sacerdotes.

Quid de scutis jam vetustate putridis, etc. Hæc erant Ancilia. Virgilius autem de his omnibus in fin. 8.

Hinc exultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et lapsa ancilia cœlo
Extulerat.

O stultas hominum mentes, o pectora cæca! Quamlibet in tenebris, etc. Lucretius in hisce versibus pro, *stultas*, habet, *miseras*, pro, *quamlibet*, *qualibus.*

Minus sanus et ineptus. Secutus sum cum Thomasio lectionem cod. B. pro ea, quæ in aliquibus impressis est, *nimis lascivus et ineptus*, etc. Quanquam valde placet et illa, quam de conjectura profert Ludovicus Carrio Antiquarum lection. lib. II, cap. 7, videlicet, *minus lascivus et ineptus*, etc. *Lascivia* autem hic non est libido, sed hilaritas, et jocus petulantior. Ulpianus in L. Cornelia D. ad L. Cornel. de ficar. *Cum quidam per lasciviam causam mortis præbuis-*

Digitized by Google

set, etc. Sic Cicero pr. de Finib. primo de Divinat. Varro pr. de Re rustic. Vide Budæum in Annotationibus ad l. Ex conducto, § Si vis tempestatis, D. locati.

CAPUT XXII.

Sabinus ille Rex fuit. Numa Pompilius, de quo hic habes multa ex Liv., lib. x, 4 Decad. et Plutarcho in Numa.

Nefaria sacra. Quia infantes Saturno immolabantur, quod scelus Tertullianus etiam exprobrat Gentibus, cap. 9 Apolog.

Fatuam, Faunam. Hanc alii *Fatuam*, alii *Faunam* vocant, alii simul *Fatuam Faunam*, ut Lactantius hic, et Arnobius lib. pr. et v, cur autem utroque nomine appellaretur, scribit Macrobius pr. Saturn., cap. 12.

In operto sacrificant. Ita B. et cæteri omnes mss. et optimi, non ut est in deterioribus impressis mendose, *in aperto*, quod Lactantii sententiæ repugnat, et historiæ de Sacris ipsius Deæ, de quibus Cicero in Orat. de Arusp. respons., Macrobius ubi supra, Plutarchus in Cæsare et Cicerone, Senec., Epistol. lib. xvi, epistola 98 : *Erras, mi Lucili*, etc., ubi etiam in castigatis editionibus legitur, *in operto*. Correctum tamen hic mendum est in excusis Aldinis, Florentinis, Plantinianis.

Et Sextus Clodius. De quo Sueton. in libell. De clar. Rhetor.

Ollam ebiberat. Ego quicquid usquam reperi a doctis viris in Lactantio nostro meditatum libenter, cum lectore communico, ut ne quid ei desit, vel ad utilitatem, vel ad voluptatem capiendam. Cæterum etiam atque etiam unumquemque commonitum velim, ut ne sibi a veteribus, et jam receptis lectionibus unquam recedendum putet, quæ aliquo modo defendi ac sustineri possint; alioquin si pro cujusque nostrum ingenio dictiones veteres ac sententiæ mutentur, invertantur, et novis subinde invectis utcumque collibeat expungantur, non jam profecto scriptorum antiquorum monumenta, sed nostra commenta tenebimus. Joannes Meursius, libro quinto Critici Arnobiani, cap. sexto, legendum hoc loco putat, *Obbam*. Erat autem *Obba* poculi genus, auctore Nonio. Arnobius quinto hanc historiam referens, *Seriam* dicit : erat autem et *seria* vas vinarium fictile oblongum; et Lactantio seu potius Sex. Clodio consentit, ut a viro Fatua Fauna ob vinum largius epotum cæsa fuerit, sicut tradit etiam Plutarch. Problematis. Verum apud Macrob. longe aliter factum narratur d., cap. 12.

Terricolas Lamias Fauni, etc. Putantur excidisse hi versus ex Satyris Lucilii, *ivere*, et *esse homines*, etc. Ita legendus est versiculus iste, sicut apud Lucilium ipsum in collectaneis fragmentorum veter. poetar. ethnic. in B. T. P., nec omittenda copula, ut in quibusdam excusis.

Ahenis. Ad oram unius libri, pro *ahenis*, scriptum erat, *inanis*, quam suspicor esse veram lectionem, ita ut punctus fiat post *inesse*, deinde continenter legatur, *inanis pergula pictorum*, quibus aptissime subduntur illa, *veri nihil, omnia ficta*.

Item patres eorum Faunus et Laomedon. Eorum, scilicet Latini, et *Priami;* nam Priami Laomedon pater fuit, Latini Faunus pater, Picus avus. Ideo lego hic cum B. et T. non *Picus*, ut in multis editionibus, sed *Faunus*. Virgilius septimo de Latino loquens :

> Hunc Fauno et Nympha genitum Laurente Marica
> Accipimus, Fauno Picus pater, isque parentem
> Te, Saturne, refert.

Sed et Arnob., lib. II : Quis

> Picum Fauni patrem, atque avum Latini, etc.

Historia vero sacra testatur, etc. Historia videlicet Euhemeri de Diis, de qua supra toties.

Ut in quamque regionem veneral. Ita lego, ut est in B. *ut*, pro *statim atque*, *ex quo primum*, venustatis obtinet mirum quantum. Plaut. Pœnul.

> Ut quemque visco offenderant,
> Tam crebri ad terram decidebant, quam pyra.

Terent. Hecyr.

> Ut quisque venerat,
> Accedebam.

Al. *in quamcumque regionem venerat;* Al. *in quamcumque regionem veniret.*

Atabyrio. In B. scriptum est, *Ataburio*, ea videlicet prolatione, qua Latini olim Græcum ὑψιλὸν per *u*, repræsentabant : sic *Musia* pro *Mysia*, *Tumpanum*, *Assurius*, *Sulla*, *Purrhus*, *Poluposus*, et similia in Pandectis Florentinis reperiri testatur Brisson. in Parerg. Corrigitur Appian. qui in Mithridatic. hist. Jovem, pro *Atabyrio*, *Tabyrium* vocat; quia priori modo, et dicendum, et scribendum liquet ex hoc loco, Stephano, Strabon., Apollodor. tertio Biblioth. et Pindar. in Olymp. ubi Diagoram celebrat, et ejus Scholiaste. Stephanus tamen et Strabo non ab hospite, ut Lactantius, sed a monte Atabyrio Jovem ita dictum volunt.

Labradeo. Ita Plutarch. in quæst. Græcis, quæst. 45, et Ælian. Strabo autem et Stephan. *Labradeus*, vel *Labrandenus*. Ælianus non ab hospite, ut hic tradit Lactantius, sed alia ratione hoc nomine vocatum scribit Jovem. *Labradeus*, inquit, *Jupiter nominatus est, quod permultum pluisset.*

Cassio. Ita scripsi, ut reperi in omnibus codicibus, et apud Theophil. duplici ss : ille enim scribit Κάσσιος Ζεύς. Stephanus tamen non ab hospite, sed a *Casio* monte, et Urbe Ægypti hoc Jovi nomen inditum scribit. « Casion (inquit) mons et Urbs Ægypti, a quo et Casii Jovis, etc. » Sed et Plin. *Casii* montis, et Jovis *Casii* ibi delubrum habentis meminit lib. IV et V utrobique cap. 12, Strabo, lib. XVI, Solin., cap. 46, 47 et 49, Suid. et siquidem hinc denominatum Jovem malimus, non *Cassio* scribendum est, sed simplici *s*, *Casio*, ut apud Lucanum, lib. VIII, de Pompeii sepulcro loquentem :

> Et Casio præferre Jovi, etc.

Nepotem. Scilicet Urani, sive Cœli, qui primus orbis universi imperio præfuit. Is enim ex Tellure uxore filium suscepit Saturnum, Saturnus ex Rhea Jovem, ut scribit Apollodor. initio Biblioth. Lactantius etiam hic subdit, *aviam Tellurem, quæ fuit Urani conjux*. Uranus ergo avus Jovis, et Jupiter ejus *Nepos*, ut ait etiam supra cap. 5 et in fin. cap. 11. Hæc igitur recta lectio est ab omnibus excusis libris agnita, non, *pronepotem*, ut ex B. legitur ad oram librorum Plantinianæ editionis, in Tax. item, et P.

CAPUT XXIII.

Theophilus in libro de Temporibus, etc. Hic liber tertius est eorum, quos ipse Theophilus contra Gentes scripsit ad Autholycum. Vide Sanctum Hieronymum de Script. Eccles.

Thallum. Ita scripsimus, monente Meursio in Hypocritic. ex Tertulliano XI Apologet., Minuc. et ipsomet Lactantio hoc lib. sup. cap. 13, pro *Thalum*, quod legitur in omnibus excusis.

322 *annis* Thalli lapsum, quem secutus est Theophilus, et deinde Lactantius, ostendit luculenter Benedictus Pererius in commentar. ad Daniel. lib. XVI, cap. 14, et lib. XI in Disput. de 70 Hebdomad. part. prima, quæst. 2. Quamvis autem in hac supputatione mire varient chronologi, omnium tamen expensis sententiis, haud minus, quam octingentis, vel nongentis circiter annis, Belum Trojano excidio antiquiorem fuisse constat. Vid. Hermann. Contract. in Chronic. et alios.

Mille quadringenti septuaginta. Si hæc scripsisse Lactantium anno Domini 302 verum est, ut mihi quidem videri superius in notis ad cap. primum asserui, secundum Glareani Chronologiam ad Livium ex probatissimis conflatam auctoribus, colligerentur anni 1485. Nam ab excidio Trojano ad Urbem conditam fluxisse scribit annos 432; ab Urbe condita ad Christum natum 751; quibus addendo annos 302, ipsa conficitur summa annorum 1485; qui autem asserunt hæc scripsisse Lactantium anno 316, magis eum a

Digitized by Google

vera summa aberravisse fateri coguntur. Verum chronologi, ut dixi, vehementer variant, neque in supputationibus temporum sategit Lactantius.

Ante annos non amplius, quam mille octingentos, etc. Jam ex superioribus falsus apparet calculus. Arnobius aliam inivit supputandi rationem, et ad duo millia annorum ab Jove ad illa usque tempora intercessisse scribit prope finem lib. II.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Gestio enim convictis inanibus, etc. Al. *gestio enim, Constantine Imperator, convictis inanibus*, etc. At illa, *Constantine Imperator*, in plerisque Vaticanis, in duobus Sancti Salvatoris Bononien. in T. P. in editione Florentin. et aliis quibusdam non habentur.

Esse aliquam perversam potestatem, scilicet Diabolum.

Cujus originem suo loco narrabimus; nunc fallacias arguamus. Hæc in nostra editione restituta voluimus auctori ex codice B. ut etiam Thomasius in Plantiniana, quæ cæteris desunt.

Spectare nos cœlum Deus voluit, etc. Erectus, inquit, est homo, ut cœlum suspiciat. Ita Plato in Timæo, ubi de usu oculorum, Senec. epistola 95, *Eam partem*, etc. ad fin. Philo Judæ. in lib. de Plantat. Noe, Basil. Homil. 9 in Hexaemer. quod tamen dictum arguit Galenus libro tertio, de usu part. cap. tertio.

Ut id, cui dominari debet, imitetur. Ita legendum esse, ut est in B. et P. textus ipse convincit, non ut in plerisque impressis, *ne id*, etc.

CAPUT II.

Quid sibi templa? Ita de *templis* manufactis, lib. primo, cap. 20, libro sexto, cap. 25, lib. de Ira Dei cap. ultimo in fin. Sed et Arnobius initio sexti, *quod neque*, inquit, *ædes sacras venerationis ad officia construamus*, etc. et ibidem paulo infra : *Sed templa illis extruimus nulla*, etc. Et Minuc. ad fin. Octav. : *Templum quod ei extruam?* Nos autem dignius quidem, ac principalius Dei templum humanam animam et didicimus, et dicimus, et docemus, quod præcipue illi sit exornandum, dicandum, atque sacrandum : sed nec manufacta hæc tamen templa deserenda, in quibus illi exterior quoque debitus cultus exhibetur asserimus, qui Dei ipsius jussu templum illud scimus Hierosolymis a Salomone constructum magnificentia, firmitate, opulentia, decore usque ad miraculum suscipiendum, ut Sacra Historia II Reg. et Josephus Judæ. de Antiquit. et de bell. Judaic. et Eupolem. apud Euseb. IX Præparat. testantur; illudque ipsum Dei Filium Dominum nostrum sæpe suimet præsentiæ et mansionis claritate nobilitasse, inde profana exercentes depulisse, domum Patris, domum orationis appellasse, Joan. II, Marc. XI. Idcirco jam inde usque a primis conditi mundi temporibus semper locum aliquem divino cultui dedicatum inter fideles fuisse, quamvis diversis nominibus appellatum, omnis instrumenti veteris pagina testatur, Gen. XXVIII et XXXV; Daniel. VII, Amos IV, Esai LVI, Exod. XXV, Deuteron. XII. In Prophetis et Psalmis ubique. Post autem Domini Salvatoris excessum, de Ecclesia, quæ erat Corinthi, in hac significatione Paulus Apostolus mentionem agit in pr. ad Corinth. cap. XI. Juvat et exteros illorum temporum testes advocare. Philo Judæus Petri Apostoli contemporaneus (nam et cum ipso Romæ collocatus dicitur, dum ibi ad Caium pro Judæis legatione fungeretur) in lib. de Vita contemplat. ubi fidelium mores, qui sub Marco Evangelista Alexandriæ degebant, describit, testatur, eos habuisse sacras ædiculas, quas Semnea, sive monasteria vocabant, ubi solitarii sanctæ vitæ mysteriis dabant operam : quem refert etiam Euseb. lib. II Hist. Eccles. cap. 17. Vel Luciani illius impii, et christianorum hostis infensissimi, qui Apostolorum, et etiam Trajani temporibus vixit, locus extat in Philopat. unde intelligi potest, quo etiam tum sumptu, ornatu, impensa inter christianos excitabantur ecclesiæ; ibi enim Critiam quemdam introducit, qui cum ab aliquo fidelium persuaderetur fieri christianus, ab eodem ubi christianorum conventus ageretur est deductus : quem quidem locum ita describit. *Pertransivimus ferreas portas, et ærea limina, multisque jam superatis scalis, in domum aurato fastigio insignem ascendimus, qualem Homerus Menalai fingit esse; atque ipse quidem omnia illa contemplabar, quæ insularis ille adolescens : video autem non Helenam, sed mehercule viros faciem inclinatos, et pallescentes*, etc. Lampridius Lactantii contemporaneus (scripsit enim primis Constantini temporibus) in Alexandro testatur, Alexandrum ipsum, qui capessivit imperium anno Domini ducentesimo vigesimo quarto, adjudicasse christianis locum, ut ibi erigeretur ecclesia. *Cum christiani*, inquit, *quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi cum deberi, rescripsit, melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur.* Flavius Vopisc. de Christianorum Ecclesia Valeriani Imperatoris, qui post annum Domini circiter ducentesimum quinquagesimum septimum imperium tenuit, hoc testimonium profert ad senatum rescribentis : *Miror vos, Patres sancti, tandiu de aperiendis libris Sibyllinis dubitasse, perinde quasi in christianorum ecclesia, et non in templo omnium deorum tractaretis.* Evaristus autem Pontifex (ut ad nostros redeamus) qui sedem tenuit anno Domini centesimo duodecimo, titulos, id est, ecclesias in urbe Roma divisit presbyteris, quod ex libro de Romanis pontificibus constat. Tertullianus, qui floruit circa annum Domini ducentesimum, de ecclesia meminit in hac significatione in libro de Idol. item ad uxor. lib. secundo, cap. 9, lib. de veland. Virginib. cap. 13, et alibi sæpe. Sed et Cyprianus, qui paulo ante Lactantium floruit, post annum Domini ducentesimum quinquagesimum, ecclesiæ sub nomine Dominici mentionem egit libro de Operibus et Eleemosyn. sicut et concilium Laodicenum c. 28, relatum in cap. non Oportet, distinct. 42. Cujus nominis rationem affert Eusebius in Oratione de Laudibus Constantin. Walfrid. item, et Strab. de Reb. Ecclesiastic. cap. 7. Eodem libro de Romanis pontificibus habetur, Fabianum pontificem anno Domini ducentesimo quadragesimo quinto, quo tempore christiani tranquillitate potiebantur, struxisse ecclesias, unde sepulcra Martyrum, quæ subtus terram in cryptis arenariis latebant, erectis desuper ejusmodi ædificiis, reddita fuerint clara atque conspicua, christianorum usui opportuna. S. Gregorius Nyssenus in vita Sancti Gregorii Thaumaturg. scriptum reliquit, ipsum sanctum Gregorium eodem Fabiani tempore Neocæsareæ in Ponto, cujus urbis erat episcopus, universo fideli populo pecuniam et operam conferente, nobilem erexisse ecclesiam, quæ ut Deo acceptissima, nullis unquam terræ labefactata sit motibus; nam licet urbs illa terræ motibus prope interierit, dicitur tamen templum illud integrum semper atque illæsum mansisse, et ne illo quidem tempore, quo Diocletiani decreto omnes dirui sunt jussæ christianorum ecclesiæ, ulla vi appetitum; integrum enim extasse ejusdem Nysseni tempore, qui aliis quoque locis templa atque altaria a christianis erecta, eodem Fabiano sedem tenente testatur. Denique paulo antequam scriberent Arnobius, Minucius, Lactantius, edictum Diocletiani de diruendis ecclesiis, et comburendis christianorum libris erupisse, constat ex Eusebio lib. VIII Hist. c. secundo et tertio, qui eam cladem deplorat, sicut et ipse Arnobius in fin. quarti his verbis : *Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari? Cur immaniter conventicula dirui, in quibus summus oratur*

Digitized by Google

Deus, pax cunctis, et venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus? Et eodem tempore, ex eodem edicto ædem Bithyniæ divino cultui dicatam, quam ille Dei templum recte nominat, se præsente eversam fuisse testatur Lactantius infra lib. quinto, cap. secundo, qui et suam de templis christianorum sententiam aperit lib. VI in fin. ubi docet Deo quidem in templis gratias agendas esse, verumtamen non in templis solum, sed et domi, et in ipso etiam cubili. Et libro de Ira Dei cap. 8, fatetur templa ædificare, sacrificia facere, dona conferre, Deum colentis erga ipsum Deum obsequium esse. Contra ecclesias virulentam linguam exeruit (sicut machinas olim Nabuchodonosor rex Babylonis diaboli typus, de quo quarto Reg. cap. XXV et Diocletianus ille nefarius) quidam Eustachius hæreticus, contra quem coactum est concilium Gangrense circa tempora primi concilii Nicæni. Id ita definit cap. 5 suorum Decretor. : *Si quis docet domum Dei contemptibilem esse debere, et congregationes, quæ in ea fiunt, anathema sit.* Hanc hæresim postea ex inferis iterum excitarunt Patareni hæretici (ut scribit Hugo Ferrariensis) anno Christi 1200, quos secuti sunt Waldenses, Wiclefistæ, Hussitæ, Taboritæ.

Quid aræ volunt? Ita de Sacrificiis lib. I, cap. 20, lib. VI, cap. 1, 20 et 25, lib. VII, cap. 6, lib. de Ira Dei cap. 21. Philo Judæ. in lib. quod deter. potior. insidi. Arnob. ad fin. quarti. Ea scilicet prisci Patres clamitabant adversum illos, qui ita Deo immolabant, quasi hostiis ac victimis indigeret. Id ipse ostendit Lactantius lib. VI, c. 2 : *Mactant igitur*, inquit, *opimas ac pingues hostias Deo quasi esurienti, profundunt vina quasi sitienti, accendunt lumina tanquam in tenebris agenti;* vel qui ita exteriora peragebant, ut sacrificium interius, contriti videlicet cordis, humiliati ac Deo devoti, penitus omitterent. Nos vero et sacrificium interius, quo mens offertur Deo, et quidem etiam exterius a nobis ei deberi asserimus, qui scimus toties de sanctis altaribus et sacrificiis in sacris litteris mentionem fieri, Gen. IV, VIII, XII, Levit. II et VI, Numer. V, Paralip. lib. II, cap. 28, innumeris aliis in locis. Sacrificium quidem exterius Deo semper debitum, etiam naturali ratione, idcirco fuisse scribit Sanctus Thom. secunda secundæ quæst. 85, articulo primo, quia naturalis ratio dictat homini, ut alicui superiori subdatur propter defectus, quos in seipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget adjuvari et dirigi, et quicquid illud sit, hoc est, quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur : ita etiam naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, ut ei, quod est supra hominem, subjectionem et honorem exhibeat secundum suum modum ; et est modus conveniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit, et ideo ex naturali ratione procedit, ut homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitæ subjectionis et honoris, secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii, quod olim exhibitum Deo est etiam ipsiusmet jussu in victimis. Nunc sacrificium incruentum, ineffabile, a Christo Domino institutum, in sacrosanctissima offerimus eucharistia, de quo plura ad primum cap. lib. sexti. Unde ipse Lactantius libro de Ira Dei cap. 19, inquit : *Quibus persuasum est Deo placere justitiam, eumque, quia sit dominus ac parens omnium venerantur, et precibus assiduis, ac frequentibus votis dona et sacrificia offerunt*, etc. et lib. eod. cap. 8 : *Templa ædificare, sacrificia facere, dona conferre*, etc.

Quid denique ipsa simulacra, etc. Sic sæpe de simulacris, sive imaginibus Lactantius infra cap. 3, 7, 18 et 19. Tertullian. cap. 12 Apologet. Lubet autem admirari cum sancta synodo septima infelicium capitum insaniam omni lacrymarum fonte lugendam, quæ sanctorum Patrum loca adversus idololatras directa detorquent impie contra Sanctorum imagines, quas pie veneratur Ecclesia; nam merito quidem gentibus exprobrabant, quod statuas, aliasve imagines adorarent, quæ nil aliud essent, quam simulacra hominum mortuorum, illisque ipsis simulacris circumscripta numina esse censerent, ut iis liquet libri sexti Arnobii verbis : *Sed erras, inquitis, et laberis; nam neque nos æra*, etc. At vero quicumque catholicam fidem amplectuntur, non mortuorum, sed vivorum imagines (Deo enim vivunt sancti ipsius) non adorant latriæ quidem, quæ uni Deo debetur, adoratione, sed qua decet veneratione prosequuntur; neque in iis animo imaginibus sistunt, quasi illis ipsis finita numina censeant : sed in eos feruntur cœlites, quorum imagines venerantur, quia in ipsorum recordationem, dilectionem, imitationem inde vehementer excitantur, ut ait S. Gregorius Magnus in epistola ad Secund. Cæterum jam a Christi atque Apostolorum temporibus, ipsius Christi, sanctissimæque crucis ejus, matrisque Virginis, et ipsorum apostolorum imagines in veneratione apud fideles habitas nemo potest ambigere, qui paulisper modo sit historiis sacris imbutus. De Christi quidem imagine nulli mortalium elaborata, sed ab ipsomet Christo domino effigiata, et Abagaro Edessæ principi ab eo missa, gravissimi tradunt auctores ; Evagrius Hist. lib. IV, cap. 26, ubi et de ejusdem imaginis miraculis in concilio Nicæno secundo verificatis et probatis, Joan. Damasc. de Fide Orthod. lib. IV, cap. 17, Nicephor. Hist. lib. II, cap. 7, Constantin. Porphyrogenit. apud Metaphrast. die 10 Augusti, et die 15 Novembris, in Actis sanctorum Samonis et Guriæ. Quin etiam Græci de eadem imagine festum anniversarium celebrant 17 Kal. Septembris, ut in eorum Menolog. Adrian. PP. ejus nominis primus ad Carolum Magnum epistolam scribens, quæ extat in tomo tertio Concilior. nov. edition. testatur, eamdem de imagine Christi ab eo ad Abagarum missa historiam cognitam et receptam fuisse a Stephano PP. in concilio Romano, et de ejus miraculis etiam apud Theophanem Hist. miscel. lib. XVII et Metaphrast. ubi supra. Quo Christi ipsius testimonio pro sanctis imaginibus quodnam aliud vel firmius, vel illustrius afferri potest? Jam de statua Christi erecta a Syrophænissa, quæ ab ipso Domino sanata fuerat, cum sanguinis profluvium pateretur, ut scribunt evangelistæ, proditum est ab Euseb. Hist. lib. VII, cap. 14, Damasc. de Imaginib. orat. tertia. De Salvatoris imagine in ecclesiis pingi solita extat can. synodi habitæ ab ipsis Apostolis Antiochiæ his verbis : *Ne decipiantur salvati ob Idola : sed pingant ex opposito divinam humanamque manufactam, impermistam effigiem Dei veri ac Salvatoris nostri Jesu Christi, ipsiusque servorum contra idola et Judæos;* neque errent in idolis, *nec similes sint Judæis.* Tertullian. in lib. de Pudicit. Calicum picturas recenset, in quibus pastor Christus cum ove reperta pingebatur. Crucis autem vexillo, tanquam præfixo titulo antiquitus ecclesias insigniri solitas, atque ideo quoque tituli nomine appellatas, intelligimus ex l. ultima cod. de Pagan. in cod. Theodos. et ex leg. Decernimus, cod. de episcop. et cleric. Sanctus Irenæus, qui proximus fuit Apostolorum temporibus (is enim magistrum habuit Polycarpum Joannis Apostoli discipulum) damnat Encratitas imaginibus Christi Domini et Pauli Apostoli abutentes lib. I, cont. hæres. cap. 24. De Imaginibus vero Deiparæ Virginis a sancto Luca evangelista depictis scribit Theodor... initio commentar. in Lucam. Nicephor. Calist. lib. II, cap. 43, lib. VI, cap. 15, lib. XIV, cap. 2, lib. XV, cap. 14. De ipsorum quoque apostolorum Petri et Pauli imaginibus ab eodem sancto Luca depictis idem Nicephor. primo Hist. cap. 43 et d. cap. 15, lib. VI. De Angelorum imaginibus, quæ tunc pingebantur, meminit Dion. Areopagita Pauli Apostoli discipulus, de Cœlest. Hierarch. cap. 1 et 2, quem refert Adrian. I in lib. adversus Pseudo-Carol. ad Carol. Magn. Denique S. Paulinus Nolanus epi-

Digitized by Google

scopus Lactantii contemporaneus ad Severum scribens epistola 12, testis est sacras ac venerandas cruces, aliasque sanctorum imagines in absidibus ecclesiarum pingi solitas, illis versibus :

Pleno coruscat Trinitas mysterio, etc.

Atque hactenus de sanctis imaginibus in usu et cultu habitis ante tempora Lactantii, et ipsomet Lactantii tempore ; nam post tempora Constantini Magni, et ab ipsomet Constantino, ubique sculptas pictasque imagines, et perpetuo deinde in Ecclesia Dei fuisse tam manifestum est, ut nulla probatione res egeat. Epiphanium episcopum hunc olim errorem habuisse ferunt de non habendis imaginibus, idque constat ex dictis ipsius hæres. 79, in lib. adversus hæres. et in quadam epistola ad Joannem episcopum Hierosolymitanum ab ipso scripta ; et deinde tempore sancti Gregorii Magni Serenum quemdam episcopum Massilien. quem ipse sanctus Gregorius per epistolam vehementer increpat, quod inconsiderato zelo quorumdam Sanctorum imagines fregerit, timens ne a populo adorarentur. Neque tamen hi duo episcopi de hæresi sunt notati, cum eo tempore nondum ea de re quicquam Ecclesia decrevisset, neque illi pertinaci quodam animo id ita sentirent, ut parati non essent ecclesiæ contrarium docenti assentiri. Fautores quidem ejusdem erroris fuere multi Græcorum imperatores : Leo tertius scilicet, qui propterea a Gregorio tertio communione fidelium atque imperio privatus est ; Constantinus Quintus, qui a Deo Elephantiæ morbo percussus interiit ; et Leo quartus, cujus uxor Irene, eo defuncto, curam gerens imperii nomine filii Constantini sexti, concilium in Nicæna Urbe secundum curavit congregandum, in quo a trecentis quinquaginta episcopis opinio adversus sanctas imagines tanquam hæresis est perpetuo anathemate damnata. Hoc concilium Græci septimam generalem synodum vocant, coactam anno Domini 781, Imperantibus Constantino et Irene ejus matre, sedente Adriano pontifice ejus nominis primo. Eam hæresim habuere Samaritæ, Sarraceni, Ariani, Theopaschitæ, et propiori tempore Waldenses, Wiclefistæ, et alii iniquitatis et tenebrarum filii Iconoclastæ, sive Iconomachi appellati, non solum in d. septima synod. generali damnati, sed et in octava universali Constantinopoli coacta sub Adriano II, in tribus Lateranensibus, in Francfordien. et denique in Tridentin., session. 25, et convicti præclaris disputationibus Joannis Damasc., Jonæ Aurelianen., Joannis Molani in eorum libris de imaginibus atque picturis, doctorum omnium in cap. Venerabiles, de Consecrat. Distinct. 3, et S. Thom. 3 part., quæst. 25, art. 3.

In libris moralibus. Qui magno damno interciderunt.

Fucum stultitiæ perbiberunt. Cum hac lectione consensit cod. B. S. Salvat. antiquior : sed alter ejusdem cœnobii, nonnulli Vatican. T. et P. et editio Florentina habent, *succum stultitiæ*, etc. Ego priorem ab Aldin. et Plantinian. impressione exhibitam, et probatam Antonio Augustino, ut testatur Thomasius in notis, secutus sum ; ut videlicet translatio desumpta sit a coloribus, quibus panni inficiuntur, cum dixerit hoc eodem loco, ethnicos infectos esse persuasione, etc. Sic Plin., l. XXII, c. 2 . *Jam vero infici vestes scimus admirabili fuco.* Et Cn. Matius apud Gell., l. XX, c. 8 :

Jam sensiles tapetes ebrii fuco,
Quos concha purpura imbuens venenavit.

CAPUT III.

Ait tamen, non esse illa vulgo disputanda, etc. Ponitur hic locus inter fragmenta Ciceronis e III, de Natura deor.

Hoc enim quod oculis subjectum est, non homo, sed hominis receptaculum est, etc. Corpus hominis vocat *receptaculum* hominis ; supra vero, c. 2, in fin. hospitium, infra, c. 13, *vasculum* et *domicilium*, l. IV, c. 26, *vestem* : sic aliis alibi ejusmodi forte nominibus. Lib. V, c. 22, ait hominem esse solo in animo. Quod autem hic posuit, scripsit etiam, l. VII, c. 12, et l. de Opif. Dei, c. 1 et 20, ubi pene ad verbum exscriptus est Ciceronis locus in fin. Somn. Scipionis : *Tu vero enitere*, etc. Hujus opinionis auctor Pythagoras, assertor fuit Plato, qui in primo Alcibiad. sive de natura homin. nititur comprobare, hominem esse animam tantum intellectivam, non autem corpus, quo illa tamquam instrumento utatur ad actiones obeundas. Nam cum animam naturæ simplicis et incorporeæ videret esse, corpore misceri eam non posse existimavit, cum incorporea corporibus minime coalescant : illud etiam ex contraria sententia absurdum sequi opinabatur, quod et anima cum corpore interiret, et majori ejus contagione inquinaretur, cujus quia est expers, si naturæ ipsius sinceritatem spectemus, idcirco illam non corpori commistam, sed veluti gubernatricem illi præfectam esse censuit ; nec hominem e corpore atque anima compositum appellat, exterritus difficultate connexionis : sed animam ait corpori inditam illi imperare. At vero Ammonius, Plotini præceptor, diligentius hanc rem scrutatus, eam inquit intelligibilium rerum esse naturam, ut possit corpora penetrare, et puritate sua retenta illis sese alligare : quod in aeris illustratione cernimus, cum lux, quæ incorporea est, illum corporeum perfundens illustret, ipsa tamen minime inquinetur. Sic ergo animam incorpoream alligari putat corpori, ut ei minime misceatur, sed incorrupta manens, illi vitam, motum, sensum omnem afferat. Ita sentit et Gregorius Nyssen., l. de Anima et Resur. et de homin. Opific. qui etiam conatus est ostendere, qualisnam sit illa corporis et animi copulatio ; id quod præclarissime, ut omnia suo more, exequitur S. Thomas II, cont. Gent., c. 56 et seqq. exequi non potuit Lactantius, cum id conaretur, c. 16 de Opific. Dei. Atqui Platonis positio ad suadendam virtutem et formandos mores maxime videtur accommodata : idcirco, vel ipse, cujus ex metaphysicis præceptis contrarium astruitur, Aristoteles, ubi de morbus sermonem habet, prope abest a Platonis loquendi more, ut IX Ethic., c. 4 et 8. Sed et Sancti Patres ita locuti quandoque videntur : Arnob., l. II : *Quid enim sumus homines, nisi animæ corporibus clausæ ?* Sic illas corporibus illigatas sæpe solet dicere. Quin etiam ad hunc eumdem modum Scriptura sacra : Genes. primo, *Faciamus hominem*, etc. Job., X : *Pelle, et carnibus vestisti me.* Sic corpus a Paulo Apostolo *tabernaculum* vocatur, secunda ad Corint., c. V ; et alibi, *domus lutea* ; Job., IV, *carcer, et custodia*, ps. CXLI. De hac quæstione integrum scripsit librum Plotinus, qui est primus primæ Enneadis, in qua quicquid Platonici arbitrentur, illud porro ex vera philosophia et divina theologia asserendum, animam humanam esse formam informantem ac substantialem ipsius corporis, non autem illi assistentem, ut nauta navi, id quod etiam aliquando sensisse Lactantium apparet ex c. 3, l. VII : *Si regit*, inquit, *non utique sicut mens corpus regit*, etc. Et multis in locis docet Aristoteles, secundo de Anim. text. 21, et 12 Metaphys. text. 16. Sanctus Thom., prima pr. quæst. 76, 1, 6, 7, et contr. Gent., l. II, c. 56, 57, 68 et seqq. et quolibet 12, artic. 12, et ita de intellectiva anima sensisse Aristotelem adversus Aven-Rois disputat idem sanctus doctor secundo cont. Gent., c. 59, et Gregorius de Arimin. secundo Sentent. distin. 16 et 17, quæstione prima ; et est conclusio de fide, ut habetur in Clementin. fidei, de summa Trinit. Quare cum in substantiis compositis non sit hoc aliquid forma, vel materia tantum, sed utrumque, ut docet Arist. et commentator in septimo Metaphysic. text. com. 27, et late S. Thom. De ent. et essent., c. 2, ubi Cajetanus, et in prima p. quæst. 75, artic. 4, et quol. 76, art. 1, ideo non animam solam, neque corpus solum dicendum est hominem esse, sed animam simul et cor-

Digitized by Google

pus, nempe totum compositum ; quæ quidem sententia cum ad corporum resurrectionem adstruendam, ut apud Athenagoram in libro de Resurrectione, sanctum Thom. in 4 sentent. distinct. 43, quæst. unic., art. 1, et alios de mortuorum resurrectione disputantes, tum vero ad alias non parum conferat fidei positiones firmandas, de quibus Io. Andr. in d. Clement. fidei, in verb. Intellectivæ, de Sum. Trinit. idcirco monere volui, non esse ab ea discedendum, sed cavendum ab ejusmodi locutionibus, quibus corpus dicitur animæ vas, instrumentum, receptaculum, indumentum, hospitium : quippe quæ videantur alludere partim ad hoc Platonis Placitum, non esse animam corporis formam, partim ad aliud ejusdem in Phædro et Phædone dogma de animabus ante corpora conditis, ab Origene receptum primo principior. c. 7 et 8 quod refutat Lactantius ipse in tertio hujus operis, c. 18. Sanctus Epiphan. adversus hæres., l. II, hæres. 64 ; Mag. sentent. in 2 distinct. 18 ; Alexander Alens. in 2 p., quæst. 62, memb. 3 ; sanctus Thom., l. II cont. Gentes, c. 83 et 84, et p. p. quæst. 47, art. 2 ; quæst. 90, art. 4, et quæst. 118, art. 3 ; sanctus Bonavent. 2 sententiar. dicta distinction. 18, art. 2, quæst. 2 ; quod denique damnat tamquam hæresim Viennen. concilium, et Clemens quintus, ut in d. Clement. fidei legimus. Loca vero sacræ Scripturæ et Sanctorum Patrum ex adverso prolata hac interpretatione sunt exponenda, ut dicamus cum sancto Thom. d. quæst. 75, art. 4, ad primum, quod quia illud potissimum videtur esse unumquodque, quod est principale in ipso, idcirco contigit, ut quod in homine principale esse censetur, dicatur homo ; et ita quidem aliquando secundum veritatem pars intellectiva, quæ dicitur homo interior, aliquando vero pars sensitiva cum corpore secundum existimationem aliquorum, qui tantummodo circa sensibilia detinentur ; multo autem minus corpus dicendum fuerit animæ laqueus, vinculum, carcer, ut inf. dicam, l. VII, c. 5.

Corpora sunt hominibus carentia. Ita lego, ut in B. T. P. et aliquibus Vatican. non ut vulgo legitur, *animabus carentia.* In illa enim constat Lactantius opinione, mentem ipsam atque animam cujusque esse hominem.

Et faciunt animos. Lucret., *efficiunt animos.*

Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras, nec procumbere humi, etc. Aldinæ, Plantinianæ et aliquot aliarum editionum lectionem secutus sum, quæ magis Lucretiana visa est ; ab omnibus quidem illa Lucretii exemplaribus exhibita, quamvis R. T. P. refragantibus, qui habent, *vertere se,* etc. *Et procumbere,* etc.

Si quidem hominum, atque mutorum, vel solum, vel certe maximum in Religione discrimen est. Alibi clarius suam effert sententiam, brutis videlicet inesse rationem, et sola religione ab hominibus, non ratione aut sermone differre, inf. hoc cod. lib. cap. 9, lib. III, cap. 10, de Ira Dei cap. 7. Hæc opinio a Pythagora manasse creditur, qui dum in Metempsychosi sua illa delirat, easdem esse censet animas hominum atque brutorum, ille utique brutorum omnium irrationalior. Ejus opinionis meminit Maro in Georgic. :

> His quidam signis, atque hæc exempla secuti,
> Esse apibus partem divinæ mentis, et haustus
> Æthereos dixere, etc.

Quam et Plato habuit, ut scribit Plutarch. quinto Placitor. cap. 20, et Porphyr. cum secutus in lib. III de Sacrific., et de qua plurima disserit idem Plutarch. in lib. An brutis sit ratio, et in lib. de Solertia Animal. Galeni verba sunt in principio orationis suasoriæ ad bon. art. : *An animantium generi, quod irrationale appellatur, nulla omnino data ratio sit sane dubium est; nam etsi caret ea, quæ in voce versatur, quam sermonem nominant, quæ tamen animo concipitur, quam ratiocinationem dicunt, ejus fortasse particeps omne genus animalium est, quamvis aliis parcius, aliis liberalius tributa sit,* etc. Arnobius ex bruti persona initio septimi : *Sed rationales illi sunt, et articulatas exprimunt voces. Et unde illis notum est, an et ego quod facio meis rationibus faciam, et vox ista, quam promo, mei generis verba sint, et solis intelligantur a nobis?* etc. Plato in Politic. ait, sæculo aureo non homines modo cum hominibus, sed cum bestiis etiam ratiocinari solitos, illasque interrogare, ac vicissim ab illis responsum accipere ; quam Platonis sententiam memorat etiam Euseb. lib. XII Præparat. cap. 9. Quid quod Pythagoras et Melampus, Tiresias, Thales et Apollonius ad linguas avium interpretandas incubuere? Democritus quidem (ait Plin. lib. XXIX, c. 4) monstra quædam ex his conficit, ut possint avium sermones intelligi. Verum isthæc deliramenta a sapientioribus ethnicis, nedum a theologis nostris sunt derisa. Quale enim porro absurdum est, quia bruta naturæ instinctu quæpiam gerant, ex quibus aliqua prudentiæ imago, ut ait Aristoteles, illis inesse videri possit, et quia quasdam voces edant inter se eodem instinctu notas, ideo illa, vel ratione, vel sermone pollere arbitrari? Quid vero attinebat sola religione differre a brutis hominem asseverare? Quomodo enim circa rationem decepti sunt, ita circa religionem decipi poterant ; nam, et gallinis villaribus religionem attribuit Plinius lib. X, cap. 41, et valde mira sunt, quæ idem lib. VIII, cap. 1, de Gestis Elephantorum, quæ religionis ac pietatis esse videntur, posteris legenda reliquit. Verumtamen omnia ejusmodi geruntur ab illis :

> Haud equidem, quia sit divinitus illis
> Ingenium, aut rerum fato prudentia major,

Ut ait Maro : sed quia ut in homine ars, prudentia, sapientia, ita brutis inest vis quædam ejusmodi naturalis, cujus ductu apes, araneæ, canes, vulpes, elephanti, et cætera id genus bruta, quæ solertiora videntur, gerunt mira nonnulla, in quibus ratio quidem elucet, non tamen ipsorum, sed superioris virtutis ipsa dirigentis. Sic enim sagitta directe tendit ad signum ex motione illi indita a collimante, perinde ac si ipsa rationem haberet dirigentem ; et idem apparet in motibus horologiorum, et aliorum, quæ arte fiunt ab humanis ingeniis. Sicut autem comparantur artificialia ad artem humanam : ita comparantur omnia naturalia ad artem divinam ; et ideo ordo apparet in iis, quæ moventur secundum naturam, sicut in iis, quæ secundum artem, ut dicitur in secundo Physic. Quocirca in operibus brutorum quædam sagacitates apparent, in quantum habent inclinationem ad quosdam ordinatissimos processus, nimirum a summa arte ordinatos ; et propterea quædam animalia dicuntur prudentia, vel sagacia, non quod eis sit aliqua ratio, vel electio : quod hinc apparet, quia omnia, quæ sunt unius naturæ, similiter operantur, ut docuit Sanctus Thom. in pr. secundæ quæst. 13, articulo secundo ad tertium, et eadem fere protulit ipsemet Lactantius inf. cap. 5, dum adversus Ciceronem disputaret rationem sideribus tribuentem. Videnda etiam, quæ disserit sanctus doctor pr. pr. quæst. 78, art. 4, et in pr. secundæ quæst. 11, art. 2. Jure ergo illis non prudentiam inesse, sed prudentiæ imaginem dicit Aristoteles initio Metaphys. et l. VIII et IX, de Hist. Animal. utrobique cap. primo, in fin. primi de Generatione Animal. et sexto Ethic. cap. 7. Ratione autem carentia etiam sermone carere docuit, ut ostendit Aristoteles lib. I Politicor. cap. 2. Quod si animalium nonnulla arte edocta proferre verba quædam videntur, non est ea proprie locutio, quia non intelligunt, quæ pronuntiant, sed assuetudine quadam id agunt. Quibus cognitis subit hoc loco admirari, Josephum Judæ. I Antiquit., cap. 3, sensisse (ut affirmat Tostat. quæst. 429, in cap. XIII Genes.) serpentem, qui primam mulierem decepit, fuisse verum et naturalem serpentem, cui tunc naturale fuerit, intelligendi ac loquendi facultate prædituum esse; et Basilium in Hom. de Paradiso dicentem, bruta omnia

Digitized by Google

fuisse inter se ante Adami lapsum concorditer viventia, quæque audirent inter se, et multo loquerentur sensate. Sed contra disserit sanctus Augustinus l. XI, de Genes. ad litteram cap. 29. Denique soli homini rationem tributam esse docet Spiritus Sanctus psalm. XXXI : *Sicut equus et mulus*, etc. et Psalmo XLIV : *Comparatus est jumentis*, etc. quod et ipse Lactantius asseruit libro de Ira Dei cap. 7 et 13, et de Opif. c. 2 et 3. Eam hæresim de Brutis rationis participibus Philastrius tribuit Gnosticis et Manichæis.

CAPUT IV.

Quis non sit tanto hoc custode securus? Non est hemistichium Horatianum, ut in cæteris impressis existimatum apparet : sed prosa ipsius Lactantii ironice loquentis.

Quod aurea vasa templis inferantur, etc. Et de donis pretiosisque muneribus, quæ Deo offeruntur, præsertim ad templorum ornatum, alia ejusmodi ex Lactantio promunt hæretici inf. cap. 7, lib. V, cap. 8, lib. VI, cap. 25, l. de Ira Dei, c. 21. Verum isthæc jure auribus paganorum sæpe ac sæpius ingerebantur, qui ita exteriores oblationes et munera probabant, ut sanctitatis obtentu avaritiam foverent, quod ex Persio hic affirmat Lactantius ; vel Deo tanquam indigenti offerebant, ut idem Lactantius aiebat lib. VI, cap. 2, vel denique hæc merito jactantur adversus eos, qui ita largiuntur Deo, ut totam eorum spem in cultu atque ornamento exteriori ponant, interiori penitus omisso, et spiritus oblatione neglecta, qua præcipue Deo placemus. Interior igitur animi cultus præsertim ei exhibendus : sed nec exterior quoque omittendus ; munera enim et oblationes externæ ideo illi acceptissimæ sunt, quatenus (ut ait S. Thom. in secunda secundæ quæstion. 85, art. 2) signa sunt interioris oblationis ; nam exteriores actus religionis ad interiores ordinantur. Templorum quidem ornatum Deo placere facile intelligunt omnes ex c. XXV et seqq. Exod. et ex cap. VI et seqq. lib. II Regnorum, ubi immensam auri et argenti vim a Salomone erogatam cognoverint in supellectile templi illius admirandi, quod Dominus tamquam sibi acceptissimum innumeris privilegiis decoravit, ut legitur Paralip. lib. II, cap. VII. Et de antiquissimo christianorum more exornandi templa, liquet ex rebus gestis a Constantino Magno in Ecclesiasticis historiis, ita profecto res sacra decentius fit, et magnificentius; et ad Deum glorificandum excitantur animi mirum quantum. Neque enim nos Deo quicquam offerimus tanquam indigenti, qui est Dominus omnium : sed, ut ait Iræneus, lib. IV, cap. 34, gratias agentes. Nam quemadmodum intelligimus (ait Justin. Martyr in Apolog. II pro Christian.) Deum non indigere oblationibus nostris ; ita scimus nos indigere aliquid offerre illi. Unde et ipse Lactantius lib. de Ira Dei cap. 16 fatetur eos, quibus persuasum est Deo placere justitiam, venerari eum precibus assiduis, et frequentibus votis ei dona et sacrificia offerre, justis denique operibus eum demereri.

Non, inquit, *bis pueri.* Alium similem locum habes apud eumdem Senecam Epistolar. lib. XXI, epist. 116, nimis anxium ; et de hoc dicterio *Bis pueri senes*, vide auctorem Adagiorum.

Dionysius Siciliæ Tyrannus, etc. Hæc Cicero ad fin. III de Natura Deor., Valer. Max. lib. pr. cap. de Neglect. relig. Ælian. de Varia hist. lib. pr. Arnobius ad fin. VI.

Ipsos expetant pœnæ. Impressi omnes et scripti Vaticani sic habent : quæ cum sit phrasis non utique usitata, haud aliter sustineri posse crediderim, quam si *Pœnas* hic pro numinibus quibusdam, furiis videlicet, ac deabus ultricibus accipiamus, ut apud Plutarchum..... *Non tanquam vir, sed pœna quædam, et abominabilis dæmon urbem invasisset.* Codex B. habet, *In ipsos expetant pœnæ.* Quæ germana (me judice) lectio esset, si *pœnas* ibi, pro *pœnæ*, scriptum fuisset. Verum id librarii fuerit error. Certe verisimile est ita scripsisse Lactantium, *In ipsos expetant pœnas ;* sicut Livius lib. pr. deorum numen ab ipso capite orsum in omne nomen Albanum *expetiturum pœnas ;* et paulo supra : *ut in eum omnes expetant hujusce clades belli.*

Cur hunc tam potentem sacrilegum, etc. Janus Gulielmus in quæstionib. ad Plaut. Menæch., cap. 4, scriptum esse testatur in aliquibus membranis, *cur hunc tamen potentem*, etc. Unde ille de conjectura legendum putat, *cur hunc tam impotentem*, etc.

Videlisne, inquit, etc. Apud Ciceronem lectio variat.

Catanensi. Urbs est Siciliæ, *Catina*, vel *Catine* dicta penul. corrept. a Cicerone act. 6 in Verr. in fin., et Silio, lib. XIII ; Strabo tamen, Diodorus, Ptolemæus, et hic Lactantius non *Catinum*, sed *Catanam*, et inde *Catanenses*, scribunt.

CAPUT V.

Concavo ære. Sphæra videlicet, de qua Cicero in Tusculanis, et secundo de Natura deorum, ubi similem sphæram a Possidonio quoque factam scribit. Sext. Empiric. initio octavi adversus Mathemat. titulo, An sint Dii, Claudian. in nobili illo Epigrammate :

Jupiter in parvo, etc.

Vel inerrantium, vel vagarum. Ita in mss. optimis B. T. P. pro eo quod in impressis corrupte legitur, *vel errantium, vel vagarum ;* eædem enim sunt *errantes*, quæ vagæ : at *inerrantes* dicimus fixas.

CAPUT VI.

Propositiones quidem veræ sunt. Propositio hic sumitur non pro θέσει, sed pro προτάσει, id est, pro syllogismi *propositione*, quam scholastici *majorem* nominant, Cicero primo de Inventione simpliciter *propositionem* appellat. Lactantius suo more, id est, Ciceroniano loquitur.

Assumptiones falsæ. Cicero et Quintilian. *assumptionem* vocant, quam scholastici *minorem* nominant.

CAPUT VII.

Habes, Balbe, etc. Nonnihil variat hic locus apud Ciceronem.

CAPUT VIII.

Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam. Portiones viriles jurisconsulti æquales ut plurimum interpretantur, quæ scilicet pro numero personarum, et in capita constituuntur, ut tot fiant, quot sunt et personæ : Ulpianus in l. prima, § Si pupillis, D. de tutel. et ration. distrahend. Papinianus in l. Pupillus, D. de fidejussor. Paul. in l. XLIII, D. de re judicata. Sic paulo inf. quæ (sapientia) si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Sapientiam autem (causaliter, non identice), Lactantius vocare videtur facultatem illam, et lumen cunctis divinitus inditum, cœlestis doctrinæ, et veræ religionis inquirendæ et assequendæ. Vid. et cap. 25, 26 et seqq. libri tertii.

Accius Navius. Multum variant hujus auguris nomen auctores, ut notat Glareanus ad primum primæ Decadis Livii. Nam Valer. Maximus, lib. I, cap. 4 : Decium *Accium Nævium* appellat ; Plinius, lib. XXXIV, cap. 5 : *Accium Navium*, ut Lactantius et Livius : Dionys. autem, lib. III, nomen ejus *Nevius*, cognomen *Accius* fuisse scribit. Alii cum diphthongo *Nævius* scribunt, alii *Actius*. Sed res non tanti. Vid. apud hos omnes auctores, et apud Plin. Secundum in lib. de Vir. illustrib. in Tarquin. qui scribit, *Accii Navii*, Ciceronem primo de Divinat. ubi scribitur, *Actius Navius*, et apud Festum in *Navia*.

Castor et Pollux bello latino, etc. Cic. II de Natura deor. Ovid. ad fin. primi Fast. Valer., lib. I, cap. 8, Plutarch. Æmil.

Iidem bello Macedonico. Valer. ubi supra, item Plutarch. qui rem paulo aliter narrat, ubi supra.

Simulacrum Fortunæ muliebre non semel locutum esse, etc. Valer. ibid. Plutarch. in Coriol. Halicarnas., lib. VIII. Sanctus Augustinus, l. IV Civitat., c. 19.

Digitized by Google

Item Junonis Monetæ. etc. Valer. ubi supra. Livius quinto primæ Decad.

Claudia quoque, etc. Historiam ridet Minucius, refert Ovid. quarto Fastor. Livius IX, tertiæ Decad. Fenestell., cap. 12 de Sacerd. roman. Plinius Secundus, de Viris Illustr., cap. 46. Herodian. I.

Æsculapius Epidauro accitus, etc. Valer. ubi supra. Plutarchus in quæstionib. Roman., quæst. 94. Arnob. qui rem irridet, lib. VII.

Appius Claudius Censor, etc. Val. lib. I, cap. de Neglect. relig., Liv. ad fin. lib. IX primæ Decad.

Junonis Laciniæ, etc. Ita legend. hic ex Valer. ubi supra. Liv. II quintæ Decad. et quarto secundæ Decad. Arnob., lib. VI, qui historiam referunt. Virg. ad fin. tertii Æneid. :

Attollit se Diva Lacinia contra.

Prave legit B. Jun. *Lucinæ*.

Turullius, etc. Valer. ubi supra.

Ceres quoque Milesia, etc. Valer. ibid.

Tiberio namque Attinio, etc. Livius II primæ Decad. hunc vocat Titum Latinum, Valer. Latinum simpliciter, lib. I, cap. de Insomniis. At Dionys., lib. VII. Plutarch. in Coriolan. Sanctus Augustinus, IV Civit., cap. 26, Titum Latinum : Macrobius Annium vocat, I Saturnal., cap. 11. De Historia, præter notatos, Cicero I de Divinat., Arnob. VII, Minucius in Octav.

Illud quoque somnium, etc. Variant nonnihil scriptores. Quidam enim tradunt Augustum propter illud somnium in aciem descendisse; alii vero, propter idem somnium prælio non adfuisse. Lactantius auctorem habuit Valerium, lib. I, cap. de Somniis. Vide et Plutarchum in Brut. ad fin. Sueton. in Octav., c. 13 et 91. Appian. ad fin. IV de Bell. Civil., Patercul. item, et Florum l. IV, c. 6, Tertul. in lib. de Anim.

CAPUT IX.

Perspiciat errores. Post hæc verba, in nonnullis editis libris leguntur illa : *Sicut mater sine exemplo genuit auctorem suum : sic ineffabiliter genuisse credendus est coæternum. De matre natus est, qui ante jam fuit; de patre, qui aliquando non fuit : hoc fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare.* Verum enimvero Lactantianæ disputationis exordium illinc esse, *cum esset Deus ad excogitandum providentissimus*, etc. et totam illam, quam rejeci, periodum nihil quicquam elocutionis habere Lactantii, modo non plane sint excordes, illico facile omnes intelligent. Nam vel illa tot ὁμοιοτέλευτα, quibus uti non solet Lactantius, fucum ipsum atque imposturam indicant. Adjectam inepte patet ab aliquo Arrianorum, qui Dei filium creaturam esse asserebant, et tempus aliquod fuisse, quo is non fuisset. At hic stultissimus extitit, qui hoc idem asserit : sed tamen patri coæternum illum vere affirmat. Ostendam autem in sequentibus, non modo non favere Arianis Lactantium, sed tam recte de Dei Filio sensisse, ut magnæ Nicænæ synodi confessionem pene nobis expresserit. Jam tota illa periodus abest ab antiquissimo codice B. ab octo Vaticanis et aliis optimis mss. quos ego diligenter inspexi; et post illa verba, *perspiciat errores*, continenter legitur, *cum esset Deus ad excogitandum*, etc. Hæc cum pii viri, qui in ea periodo Arianismum deprehendebant, non animadverterent, potius de corrigendo loco, ut arbitror, quam de illo penitus, ut par erat, delendo, et e Lactantii scriptis extrudendo cogitaverunt; quo factum est, ut in aliquibus ita locus emendatus legatur, *De patre, qui aliquando non defuit.* Ego amovi totum adulterinum et subditilium.

Ad excogitandum providentissimus. Ita sancti Patres et sacra ipsa Scriptura interdum loquitur improprie, ac μεταφορικῶς, cum alioqui cogitatio in Deo nulla sit, ac proinde neque prudentia; neque enim more hominum discurrit, aut ratiocinatur : sed uno et simplici actu omnia intelligit, cognoscit, agit, ut docet S. Thom. I cont. Gent., cap. 57 et seqq. et pr. pr. quæst. 14, art. 7.

Antequam ordiretur hoc opus mundi. Post hæc verba, in nonnullis impressis subsequebantur illa : *Fecit in principio bonum et malum : id plane quid sit apertius explicabo, ne quis me ita loqui arbitretur, ut poetæ solent, qui res incorporales quibusdam figuris quasi visibilibus comprehendunt. Cum præter ipsum nihil adhuc esset, quoniam plent*, etc. Quæ tota periodus abest a B. T. ab undecim Vaticanis aliisque mss. plurimis, Florentiana item, Plantiniana, et cæteris melioribus editionibus : idcirco a Manichæis suppositam quis asserebat. Diabolum natura, et a principio malum a Deo factum, atque etiam ipsi Lactantio, ut mox videbimus, repugnantem fidenter rejeci.

Tanquam rivus oriretur, etc. Sæpe Patres, ut emanationem illam Filii a Patre, nec lingua ulla effabilem, neque intellectione comprehensibilem aliquo modo designent, uti solent hac similitudine fontis et rivi; sicut hoc loco Lactantius; item solis et radii, ut eod. cap. 29 Tertullian. adversus Prax. et cap. 21 Apologet., et Cyprian. sive ille Ruffinus super symbol. Apost. Sic et Paulus Hebræor. primo, ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ, splendor gloriæ ejus; non ut quicquam filii æqualitati cum Patre detrahatur : sed quia, ut docent theologi, Deus pater est origo, et principium divinitatis, plenitudinemque Deitatis in primo signo originis dicitur possidere, quippe quia per se illam habet : filius autem in secundo signo; nam a patre per generationem sibi communicatam eamdem numero essentiam accipit, ac proinde nihil detrahitur æqualitati.

Similem sui. Similitudine in natura. Ideo enim processio Verbi in divinis habet rationem generationis, quia procedit per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ, et a principio conjuncto, et secundum rationem similitudinis, non cujuscumque, sed in natura. Nam conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, et in eadem natura existens, quia in Deo est intelligere, et esse; unde processio Verbi in divinis verissime, et propriissime dicitur generatio, et ipsum Verbum verissime et propriissime filius, ut docet S. Thom. pr. pr. quæst. 27, art. 2, qua de re plura dixi ad cap. 8 libri IV.

Spiritum. Quod hic, et lib. IV, cap. 6, 8, 9, 18 et alibi forte Lactantius Dei filium Dei spiritum appellet, insimulatur erroris a S. Hieronymo in epistola ad Pammach. et Ocean. de Error. Orig. quasi non recte senserit de persona Spiritus Sancti. Verum (de tanto Patre petita venia) non absurda est hæc locutio, neque solum Lactantio, sed Tertulliano, Cypriano, cæteris usitata, ut Dei Filium Dei spiritum appellarint, eo quidem sensu, quo Deus spiritus vocatur Joan. III et prima Joannis cap. IV, ut notat S. Thom. pr. pr. quæst. 36, art. 1. Ita igitur est intelligendus, et Tertullianus Apologet. cap. 21, de Orat. c. 1 adversus Marc. lib. I, cap. 19, lib. III, cap. 6 et 16, lib. IV, cap. 21, adversus Prax. cap. 26; Cyprianus de Vanit. Idolor. num. 71, secundum unam lectionem, quam ibi notat Pamelius, item auctor libri de montibus Sina et Sion, inter opera Cypriani.

Quomodo autem id voluerit, in quarto libro docere conabimur. Ita legunt duodecim Vaticani, et duo codices Sancti Salvat. Bonon. T. P. Plantiniani, et Florentiniani, aliique meliores tam mss. quam excusi, pro eo quod prave legitur in Aldinis : *Quomodo autem id fecerit, cum solus esset, in quarto docere*, etc. Neque enim Filius Dei factus est, sed ab æterno genitus a patre, qui proinde nunquam extitit solus, ut dixi lib. I, cap. 7.

Deinde fecit alterum, etc. De supremo Angelo loquitur, quem conditum ait ante mundum hunc fuisse; dixit enim paulo supra, *antequam ordiretur hoc opus mundi :* at vero de cæterorum angelorum creatione nihil hic habet Lactantius. Porro de tempore creationis eorum tria placita reperiuntur. Nam Gennadius et Acacius putaverunt, Angelos post mundum corporeum conditos : quæ quidem opinio nullius

Digitized by Google

est momenti. Alii putant multis ante hunc mundum sæculis angelos conditos fuisse, Origenes primo Princip. in principio, et Homil. quart. in Esai. Gregor. Nazianz. homil. de Nativit. Dom. quem refert S. Thom. pr. pr. quæst. 61, art. 3; Basil. Homil. I. in Hexaemer.; Damasc. II de fid. Orth. cap. 3, et Græcorum alii multi; etiam ex latinis Hilar. XII de Trinit. et contr. Auxent., Ambros. I in Hexaemer. cap. 5, et Præfat. in I Psalm. Isidor. I, de Summo bono, Hieronym. ad I cap. Epist. ad Tit., Cassianus qui Collation. 8, cap. 7, scribit, neminem fidelium ea de re dubitare posse, et Beda in lib. quæst. separ. quæst. 9. Quam opinionem hodie errorem in fide continere, asseruerunt quidam docti viri e schola S. Thomæ, videlicet Ferrarien. in Commentario ad Sum. cont. Gent. lib. II, cap 83, Magister Cano, et Soto major : alii vero ut Cajetanus in pr. pr. quæst. 61, art. 3, Sixt. Senen. lib. V Biblioth. annot. 5, et ipsemet S. Thom. d. art. 3, negant eam esse errorem in fide tam multis ac magnis Patribus comprobatam, præsertim Gregorio Nazianzeno, cujus scriptis (ut ibidem inquit S. Thom.) nemo unquam ausus est calumniam inferre. Sed et S. August. lib. II Civit. c. 32 nihil asserere ait contra fidem eum, qui dicat, angelos ante hunc mundum visibilem creatos, modo non dicat, ab æterno conditos; et fere idem ait Theodoret. quæst. 3, super Genes. Dicimus nos veriorem sententiam secuti, non solum supremum Angelum (quod hic negat Lactantius), sed etiam cæteros angelos, qui cum supremo angelo simul omnes creati fuere, quod subticet Lactantius, negat Beda 9, quæst. separ. docet Bonaventura in II dist. 2, art. 2, quæst. 3, et eadem dist. 2, art. 4, quæst. 1, et alii, simul omnes cum hoc mundo creatos fuisse : Epiphan. cont. hæres. lib. II, hæres. 65, Theodoret. d. quæst. 3. S. August. II Civit., XII Confess. IV, sup. Gen. ad litter. Gregorius Magnus XXXII Moral. cap. 20, 24 et 25, Bed., Rupert., Hug., Magist. sententiar. et omnes Theologi in 2 dist. 2, S. Thom. pr. pr. quæst. 61, art. 3. Contrariam sententiam si non errorem in fide continere, at quidem certe hoc tempore temerariam esse, nec satis consonam doctrinis Ecclesiæ, et testimoniis Sacrarum Scripturarum putamus et pugnare videtur adversus eam concilium Lateranense, quod refertur in capit. Firmiter, de Summ. Trinit. et fid. Cath.

Indoles divinæ stirpis, etc. Non quia primus angelus, de quo loquitur, natura Dei filius fuerit : sed improprie, et abusive hæc verba sunt accipienda, sicut cum dicimus Deum angelorum vel hominum patrem, angelos aut homines Dei filios, ut dixi supra, lib. I, c. 7, not.

Suapte invidia. Lactantius peccatum supremi angeli fuisse ait peccatum *invidiæ*, quod intelligendum est non primo, sed consequenter; nam primo ab eo peccatum fuit peccato superbiæ, Basil. homil. Quod Deus non est auct. mal., Chrysost. homil. de Adam., Ambros. in Psalm. XXXVI : *Vidi impium*, etc. et in Psalm. CXVIII, *Increpasti superbos*, S. Aug. XII Civit., c. 16, et l. XIV, cap. 13, Hieronym. super Esai., cap. 14, Gregor. lib. XXXIV Moral., cap. 14, Anselm. de cas. diabol. cap. 4, Doctores omnes in 2 sent. dist. 5 et 6, Alexander Alens. II, pr. quæst. 109, memb. 2, S. Thom. pr. pr. quæst. 63, art. 2 et 3; quæ quidem assertio ita fulta est omnium quoque aliorum sanctorum atque theologorum testimoniis, ut oppositam aliqui dixerint, non solum valde temerariam, sed etiam erroneam. Consequenter vero peccasse peccato invidiæ dicitur; nam cum affectaverit excellentiam quamdam singularem, quæ singularitas per alterius excellentiam cessat, ideo peccatum superbiæ mox consecutum fuit peccatum invidiæ, S. Thom. in II dist. 5, art. 2, et pr. pr. quæst. 63, art. 2.

Et ex bono ad malum transcendit. Sic paulo infra : *Hunc ergo ex bono per se malum effectum*, etc. Tendit hoc adversus Manichæos et Priscillianistas, qui diabolum natura malum a principio conditum fuisse contendunt.

A *Invidit enim illi antecessori suo*, etc. Dixi non primo, sed consequenter peccatum a diabolo fuisse peccato invidiæ. Idcirco quærunt theologi, cujusnam respectu fuerit ille invidia motus. Lactantius putasse videtur, diaboli invidiam insurrexisse contra unum divinorum suppositorum, nempe contra Dei Filium. S. Thom. pr. pr. quæst. 63, art. 2, ait, post peccatum superbiæ consecutum esse in angelo peccante malum invidiæ, quatenus de bono hominis doluit, et etiam de excellentia divina, quatenus et Deus contra voluntatem ipsius diaboli usurus erat in gloriam divinam; cognitum enim ab angelo per fidem incarnationis mysterium ab initio suæ creationis quoad substantiam ipsius mysterii, licet non quoad particulares ipsius rationes, et circumstantias quasdam, ut S. Thom. docet in II, dist. 11, art. 3. De hac quæst. vid. DD. in commentariis, ac magistr. lib. II, dist. 5, et S. Thom. quæst. 63, art. 2, Alens. II, pr. quæst. 109, memb. 9, Gulielm. Parisien. lib. II de Univers. Cassian. collat. 8, cap. 8 et seqq.

B *Qui Deo Patri perseverando cum probatus, tum etiam carus est. Perseverando cum probatus;* hoc ego nequaquam probem. Nam perseverandi verbum in suo formali conceptu dicere videtur continuationem quidem actionis, sed cum quadam facultate deficiendi : ideo a Lactantio prolata sunt, quæ Dei unigenito convenire non possunt; is enim cum Deus sit, et unum cum Patre, eique per omnia secundum divinitatem coæqualis, et consubstantialis, ut ipsemet ubique fatetur Lactantius, utique natura bonus est, nec a bono deficere potest.

Græci διάβολον appellant, nos criminatorem, etc. De hujus nominis significatione, et cur ita humani generis hostis appelletur, vide Tertullianum adversus Marcion., Basil. epistola ad Neocæsarien., Suidam in Σατάν et in Συκοφαντεῖν, atque Isidorum lib. VIII Origin. cap. 11.

Ad Deum deferat. Post hæc verba, in Aldinis excusis illa statim oratio subtexitur, notata et inclusa tamen asteriscis, ut ex eo suspectam fuisse facile appareat; videlicet : *Cur autem justus Deus talem voluerit esse, quantum sensus nostri mediocritas poterit, explanare conabor. Fabricaturus Deus hunc mundum, qui constaret ex rebus inter se contrariis atque discordibus, constituit ante diversa, fecitque ante omnia duos fontes rerum sibi adversantium, inter seque pugnantium, illos videlicet duos spiritus, rectum atque pravum, quorum alter est Deo tanquam dextera, alter tanquam sinistra, ut in eorum essent potestate contraria illa, quorum mistura et temperatione mundus, et quæ in eo sunt, universa constarent. Item facturus hominem, cui virtutem ad vivendum proponeret, per quam immortalitatem assequeretur, bonum et malum fecit, ut posset esse virtus, quæ nisi malis agitetur, aut vim suam perdet, aut omnino non erit. Nam ut opulentia bonum videatur, acerbitas egestatis facit, et gratiam lucis commendat obscuritas tenebrarum : valetudinis et sanitatis voluptas ex morbo ac dolore cognoscitur. Ita bonum sine malo in hac vita esse non potest. Et* D *utrumque licet contrarium sit, tamen ita cohæret, ut alterum si tollas, utrumque sustuleris; nam neque bonum comprehendi ac percipi potest sine declinatione ac fuga mali, nec malum caveri ac vinci sine auxilio comprehensi ac percepti boni. Necesse igitur fuerat et malum fieri, ut bonum fieret. Et quoniam fas non erat, ut a Deo proficisceretur malum; neque enim contra se ipse faciet, illum constituit malorum inventorem; quem cum faceret, dedit illi ad mala excogitanda ingenium et astutiam, ut in eo esset et voluntas prava, et perfecta nequitia; et ab eo contraria virtutibus suis voluit oriri, eumque secum contendere, utrumne ipse plus bonorum daret, an ille plus malorum. Sed rursus quoniam Deo summo repugnari non potest, bonorum suorum potestatem illi victori assignavit, quem supra bonum ac perfectum esse diximus. Ita duos ad certamen composuit et instruxit : sed eorum alterum dilexit, ut bonum filium, alterum abdicavit, ut malum. Postea*

Digitized by Google

autem multos genuit alios operum suorum ministros, quos Græci ἀγγέλους nominant; et illos unius, sed repugnantis naturæ, qualis duorum. Sed pars illa corruptibilis non utique statim corrupta est in ortus sui principio: sed post compositum ordinatumque mundum, sicut mox docebimus, a substantiæ cœlestis vigore perversa voluntate descivit. Cæterum in principio pares universi æqua conditione apud Deum fuere, et idcirco angeli omnes, quorum principes erant illi duo. Cum autem Deus ex his duobus alterum bono præposuisset, alterum malo, exorsus est fabricam mundi, omnibus his, quos creaverat, ministrantibus, et per certa officia dispositis. Hæc oratio multos continet errores. Nam primo hic clarius ac luculentius, quam unquam alibi in Lactantio, adstruitur dogma de duobus principiis, de quo dixi inferius cap. 10. Deinde parum magnifice ac decenter de Dei Filio loquitur, cui Luciferum pene parem constituit, ut ab aliquo Ariano id totum conflictum esse liquido appareat. Non cum Lucifero, sed post eum cæteros angelos creatos ait; cujus contrarium docere S. Bonaventuram, et alios doctores in 2, dist. 2, paulo superius monui. Item non simul cum hoc mundo, sed ante ipsum omnes angelos genitos; cujus contrarium habere concilium Lateranen. et hodie docere cunctos doctores ibidem asserui. Item malos angelos non statim in ortus sui principio, sed longe postea, videlicet composito jam ordinatoque mundo peccavisse, de quo errore infra cap. 15. Denique angelos cum Deo instrumentaliter, sive ministerialiter ad mundi molitionem concurrisse, quod reprobant doctores omnes super primum cap. Geneseos. Lactantii non esse orationem, vehementer plerique suspicantur; et ego hic profecto Lactantianam phrasim minime agnosco. Habet eam quidem Aldina editio, sed, ut dixi, asteriscis notatam. In Florentina, Plantiniana, cæterisque melioribus castigationibus non fuit recepta; rationes affert Michael Thomasius in notis. Denique a duodecim Vaticanis, ab antiquissimo Bon. T. P. aliisque mss. plurimis abest; et ideo in textum nostrum eam ego quoque minime recipiendam putavi.

Illum primum et maximum filium. Cave putes Lactantium arbitrari angelos Dei filios natura esse, et ita vel ad Dei naturam illos extollere, filium Dei ad naturam angelorum dejicere. Lactantius unum Dei filium JESUM et cognovit, et docuit, ut inf. hoc lib. cap. 17, et lib. IV, c. 8, ipsumque Deum de Deo confitetur eodem c. 8 et c. 18 ejusdem lib. IV: *Quid,* inquit, *de hujus crucis indignitate dicemus, in qua Deus a cultoribus Dei suspensus est, atque suffixus.* Idem habet eodem lib. IV, c. 10, 13, 14 et 29. Item de lumine lumen eod. c. 29: *Ille,* inquit, *tanquam sol, hic quasi radius a sole porrectus.* Patri consubstantialem cap. eod.: *Utrique,* inquit, *una substantia est, ejusdemque cum eo potestatis.* Hoc eodem lib. cap. 17: *Solus,* inquit, *habet rerum omnium cum Filio potestatem;* et unum cum Patre, toto cap. eod. Et cap. 8 ejusdem lib. IV, citat illud Joannis, et confitetur: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* In quo divinitas et coæternitas Filii luculenter asseritur. Omnia denique per ipsum facta fuisse confirmat hoc loco, et lib. IV, cap. 6, in principio et fin. et cap. 8 in fin. Annon igitur hic sacrosanctæ Nicænæ synodi contra Arium coactæ confessonem agnoscis? Potius igitur ex Lactantio confoditur Arius, quam ut ei vel minimum assentiatur; sicuti sane temere nonnulli suspicantur eo, quia vocibus quibusdam alicubi utatur, quibus hodie catholicis uti fas non esset, quasque suis ego locis et annotavi superius, et inferius diligenter annotabo. Meminisse quidem oportuit, nondum eo tempore nascentis vel adolescentis Ecclesiæ constitutum fuisse, quibus uti, quas cavere voces scriptores deberent; id quod postea crebrescentibus hæresibus constituere atque decernere fuit necesse, ne vel in locutionibus cum hæreticis; qui ad impia sua dogmata insinuanda illis sunt abusi, ullo modo conveniamus.

A Cum ergo rectissimam de Dei Filio Lactantii sententiam teneamus, nemo sanus suspicari poterit angelos ab ipso deos censeri, qui deorum pluralitatem hoc toto opere tam magnis argumentorum molibus everterit. Capite quidem 17 hujus libri ait, multos in cœlo spiritus angelorum esse, sed unum eorum parentem, et Dominum omnium Deum; et ibid. paulo infra: *Neque,* inquit, *Angeli dici se deos patiuntur, aut volunt, quorum unum solumque officium est servire nutibus Dei, nec omnino quicquam, nisi jussu ejus facere.* Et ibid. infra. *Nec,* inquit, *est in Angelis quicquam nisi parendi necessitas.* Sed et metui Deum ab Angelis, quippe qui ab ipso modo quodam ineffabili castigari possunt, affirmat lib. VII, cap. 21, ut prorsus a Dei Filii natura naturam angelorum infinito distare ex ipsomet Lactantio liqueat. Quocirca si quando filiorum Dei nomine angelos vocat, æquivoce, et μεταφορικῶς filiationis nomine utitur; nam nec Scriptura ipsa ab ejusmodi locutione interdum abstinet, ut initio lib. Job: *Cum quadam die venissent filii* B *Dei,* etc. Et c. XXXVIII: *Et jubilarent omnes dei.* Ita enim uterque locus ex Hieronymi versione juxta Hebraicam veritatem legitur. Unde apparet Chrysostomum lapsum, qui utrobique secutus septuaginta interpretum editionem, pro *Filii Dei,* vertentium *angeli Dei,* Homil. 22 in Genes. asseruit angelos nunquam in Divina Scriptura filios Dei, immo neque filios appellari. Neque officit, quod Paulus ad Hebræos pr. scribat: *Cui dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu?* Ibi enim non negat Apostolus angelos dictos aliquando filios Dei ex gratia, sed ex natura duntaxat, quomodo solus Christus vere Dei Filius et appellatur et est. Sic etiam generationis vocabulum improprie quandoque Patribus, et Sacris Litteris usurpatum notavimus supra ad cap. 7, pr. lib. Cum igitur Lactantius hic et lib. IV, cap. 6, angelos censere Dei filiorum nomine videatur, respectu quidem Verbi, id est, unigeniti Filii Dei non univoce, sed æquivoce illo uti nomine putandus est.

C *Eoque simul et consiliatore usus est, et artifice.* Ex VIII. Proverb. quem locum citat lib. IV, cap. 6, et Ecclesiastici XXIV; quem locum refert eodem lib. cap. 8, in fin. ubi Scriptura de Sapientia et Verbo Dei loquitur cum Deo Patre ad mundi creationem concurrente.

Nec audiendi sunt poetæ, etc. Longa hic suscipitur disputatio adversus eos, qui asserebant Deum in mundi molitione nihil aliud præstitisse, quam quod ex materia æterna, increataque, sed rudi tamen, indigesta et confusa, res ipsas secreverit, digesserit, ordinarit. Hunc errorem ex hæreticis habuit et vulgavit quidam Hermogenes, contra quem scripsit Tertullianus. Lactantius contendit etiam materiam primam a Deo creatam fuisse de nihilo, et ex ea postea digestum atque ordinatum a Deo ipso mundum. Ad finem quoque hujus capitis ait, hominem postremo factum fuisse, cum jam mundo cæterisque rebus manus summa esset imposita; idemque tradit lib. VII, cap. 14. Ex quibus apparet Lactantium sensisse, ut ma- D jor pars sanctorum Patrum atque theologorum sensit, materiam primam tam ordine naturæ, quam ordine temporis, sive durationis, ante omnem diem creatam fuisse, non omnino quidem informem, id est, quacumque forma carentem, sed forma completiva et distinctiva, quam illi Dominus per intervalla sex dierum naturalium, propriorum et successivorum, postea indidit prorsus eo modo, quo in libro generationis a Moyse traditur. Ita enim scripsit Dionysius lib. de Divin. nom. cap. 4, Sanctus Basilius, Ambrosius, et Bed. in Hexaemer., Chrysostom. in Joann., Greg. Magn. lib. XXXIII Moral., cap. 10, Rupert. I de Operib. Trinit. cap. 37, et lib. II, cap. 18, Hugo de Sanct. Vict. pr. de Sacram., Magister in 2 dist. 12, Alexand. Alens. 2, p. quæst. 47, Sanctus Bonaventura in 2, distinct. 12, art. 1, quæst. 2, Scot. in II dist. 14, quæst. 1, S. Thom. p. p. quæst. 66, artic. 1 et 4, quæst. de potent., art. 2. Quamvis contra putarint gravissimi quoque ac sanctissimi viri, nempe

Digitized by Google

materiam in actualitate perfecta fuisse conditam, informitatemque ipsius præcessisse formationem non tempore, sed natura, ac proinde mundum uno temporis puncto, non autem per sex dierum intervalla conditum; diesque illos non fuisse veros dies, qui a Moyse recensentur, sed per metaphoram accipiendos et referendos ad cognitionem rerum creatarum a Deo mentibus inditam Angelorum : Philo Judæus in lib. Allegoriar., Origen. 4, Periard. cap. 2, S. August. IV de Genes. ad litter. cap. 21 et seqq., Procop. Gazæ, et Cajetanus in Genes. Quod autem attinet ad hanc disputationem a Lactantio susceptam adversus ponentes æternitatem materiæ, et Deo coævam asserentes, videndi sunt Tertullianus adversus Hermog., Joann. Grammaticus in lib. contra Proclum de mundi æternit., Euseb. de Præpar. lib. x, cap. 8, Gregorius Nyssen. de Homin. Opific., cap. 25, et lib. de Hist. sex dier.

Primum igitur non est probabile, etc. Excidisse putatur hic locus e III de Natura deorum.

Mori. Ita leg. ex B. T. P. Florent. editione, et aliis, non ut in Aldina, *more*; Cicero enim erat, qui *more* Academicorum disputabat, cui *mori* concedendum aiebat Lactantius; et ita locum hunc refert etiam Sigon. in fragm.

Semper. Hanc dictionem, quæ non habetur in quibusdam, addidi ex B. quoniam hic pro æternitate materiæ disputabatur.

Seneca omnium stoicorum acutissimus. Multus est Lactantius multis in locis in laudibus Senecæ : jure quidem, ac meritissimo; paucis enim in ejus doctrina, vel demptis, vel additis, optimum habes christianum; et ut ait Lactantius lib. VI, cap. 24, potuit esse verus Dei cultor, si veræ sapientiæ ducem nactus esset. Franciscus Petrarch. in epistola ad Senecam ipsum, inter epistolas ad Vir. Illustr. veter. et in Apolog. cont. Gall. ad fin. refert scripsisse Plutarchum, se, cum in cæteris quibusque virtutibus ac disciplinis Latinos cum Græcis viris contendisset, quem illi ex Græcis in moralibus præceptis ex æquo opponeret, habere neminem.

Ergo, inquit, Deum non laudabimus, etc. Habes consimilia ab eodem Seneca lib. IV de Benefic. cap. 7 et a Plin. lib. II, cap. 7, et lib. XXVII, initio cap. 3.

In eodem luto hæsitas; versuram solvis. Apud Terent. *hæsitas, versuram solvis. Hæsitare in eodem luto* dicuntur, ut explicat auctor Adagiorum, qui sic implicantur negotio cuipiam, ut se nequeant extricare : a viatoribus translatum, qui simul atque in lutum inciderint, cum alterum pedem conantur educere, altero altius immerguntur. Rursus ut hunc extrahant, alter, quem eduxerant, denuo est infigendus. *Versuram autem solvere* illi dicuntur, ut explicat Budæus ad l. vit. D. de pignorat. action. qui, ut syngraphum unam dissolvant, et una cautione se liberent, pecuniam mutuam majori fœnore accipiunt. Ita igitur contingere ait Lactantius illis, qui rerum ortum naturæ attribuunt, detrahunt Deo; nam a quo factum mundum negant, ab eodem plane factum, mutato duntaxat nomine, fatentur, cum reipsa nihil aliud sit natura, quam Deus. Sic etiam infra l. III, cap. 28.

Sole nondum instituto. Thomasius legit, ut in B., *solo nondum instituto*, quod magis cohærere videantur sequentia de frugibus et animalibus, quæ in solo versantur. Ego lectionem cæteris omnibus mss. et impressis receptam extuli. Cæterum de *solo*, sive terra Lactantius jam dixerat; et rationem Thomasii nihil habere momenti intelliget, qui textum inspexerit.

Itaque necesse fuit hominem postremo fieri. Vide alias pulcherrimas rationes apud Greg. lib. de Homin. Opif. cap. 2.

CAPUT X.

Suum vero habitaculum distinxit claris luminibus, etc. Hoc loco Firmianus arguitur erroris, quasi Dei sedem et domicilium beatorum statuerit in cœlo sidereo, atque in eo solem et lunam posuerit. Ego hic cœli nomine puto universam ab eo cœlorum molem intelligi, quatenus totum id quod est supra ignem sursum usque ad cœlum empyreum inclusive, cum ipso empyreo complectitur : quam quidem cœlorum molem sole, et luna, micantibusque sideribus ornatam ait, nempe suis cuique cœlo luminibus appositis; idque ex ipsomet clare colligi reor, ubi dicit : *Fecit igitur Deus primum omnium cœlum, et in sublime suspendit, quod esset sedes ipsius conditoris*, etc. Atqui non solum sidereum cœlum, sed universam cœlorum molem statuit in sublime. Subdit etiam : *Deinde terram fundavit et cœlo subdidit*, etc. Et lib. VII, c. 5, quasi hunc locum declarans, inquit : *Lumina igitur posuit in cœlo, terræ autem*, etc. Numquid autem tellus uni sidereo subditur? Cœlum itaque ab ipso utrobique accipitur, et contra elementa, quorum meminit, distinguitur; et ita pro universa cœlorum, ut dixi, mole, quatenus etiam extremum empyreum complectitur.

Ex quibus oriens Deo accensetur, etc. Ita B. T. P. et cæteri meliores mss. legunt, non ut in impressis, *ex quibus oriens Deo similis censetur. Accenseri* idem est, quod attribui; unde *accensi* milites dicebantur, quasi *accensiti*, quod decurionibus et centurionibus *accenserentur*, id est, *attribuerentur*, ut scripsit Varro lib. XX Rhetor., et lib. III, de Vit. Pop. Rom. Non. Marcel. c. 12. Affirmat autem Lactantius orientem, lucem, vitam, diem Deo attribui : occidentem vero, tenebras, mortem, noctem diabolo; infra cap. 13, animam esse Dei, corpus diaboli; et cap. 18, Dei esse cœlum, et lucem; tenebras autem, inferos et supplicia ipsi malorum principi in distributione rerum attributa fuisse. Lib. VI, cap. 3 duos duces constituit, alterum, qui virtutibus et bonis præsit, alterum qui vitiis et malis; et lib. eod. cap. 6, fontem ait bonorum Deum esse, malorum vero illum divini nominis inimicum : ab his duobus principiis bona malaque oriri. A quibus omnibus locis cavere nos oportet, quia nonnihil favisse auctor videtur damnato illorum temporum Cerdonis et Marcionis dogmati de duobus principiis, altero bonorum, altero malorum, quod et amplexus est postea Manes. Hoc tamen ab iis differre videtur Lactantius, quod is non carere principio diabolum, nec natura malum esse asserit : sed illum ait a Deo quidem bonum creatum, ad malum autem suo arbitrio, quod liberum illi fuerat datum, transcendisse, ut supra sub initium cap. 9 exinde malorum omnium principem factum. At illi duo principia principio carentia ponebant; et alterum quidem natura bonum, alterum natura malum, ut scribit S. Augustinus in lib. de Hæresib. hæres. 21 et 22. Philostr. in Cerdone et Apelle, Epiphan. in lib. adversus Hæres. hæres. 66. Quam hæresim S. Thomas expugnat, II contra Gent. cap. 41.

Unde solem esse appellatum Cicero vult videri. Ita et Varro IV de Ling. Lat. cap. 10, Isidor. Origin. lib. III, cap. 70.

Quia non sunt plena ac solida Lumina. Quasi aliquo modo suapte natura lumina sint, ac proinde proprio lucere lumine stellas putet : quam opinionem habuisse credendi sunt omnes philosophi, et patres illi, qui luminaria, et stellas, ut vehicula priscæ lucis effecta docuerunt; Basil., Ambr., Nazianzenus : multo magis qui lucem illam priscam aiunt in luminaria, id est, in solem, lunam et astra a Deo fuisse distributam, ut Apollinarius et Dydim. apud Lipoman. in Caten., Athanas. quæst. 83 et 85, Theodoret. quæst. 14 et 16; in Genes., Procop. cap. pr. in Genes., Damascen. II, fid. Orthod. cap. 7. Ejusdem sententiæ dicitur Avicenna, et Macrobius, qui unam lunam excepit cap. 19 et 20 in Somn. Scipionis. Sed contra Plato asseruit in Timæo, Plin. lib. II, cap. 6, et plerique astrologorum. Hugo de S. Vict. in Annotat. in Genes. cap. 6, ait, solum solem propriam habere lucem, et ipsum ex igne esse factum : reliquas vero stellas omnes ex aeria materia factas relucere

Digitized by Google

potius quam lucere. Sanctus Augustinus super Genes. ad litter. lib. II, cap. 16, ait, Divina Scriptura manifeste quidem cognosci, disparem esse siderum claritatem, dicente Apostolo cap. v prioris ad Corinth. Epist., aliam esse claritatem solis, aliam lunæ, et aliam stellarum, et stellam differre a stella in claritate; utrum autem stellæ lumen accipiant a sole, necne, ex Sacris Litteris colligi et constitui non posse.

Discordi concordia mundum constare, etc. Innuit opinionem Empedoclis, qui omnia ex lite et amicitia (videlicet elementorum) constare dicebat; de qua disserit Aristot. I Phys.; I de Anima, I Divinor.

Ut sacramento ignis et aquæ nuptiarum fœdera sanciantur. Ut constat ex leg. Seia Sempronio, D. de donat. inter vir. et uxor. quæ declaratur ex Festo in verbo *Aqua*. Budæus ad dictam legem, Ciriac. Observation. lib. II, cap. 2.

Materia corporis in humore est. Præcipue scilicet, forte quia et semen, et sanguis sunt humores: alioqui corpus animalis, ut cætera omnia, ex quatuor elementis constat, ut ipse Lactantius declarat secutus Empedoclem inf. cap. 13.

Animæ in calore. Fuit hæc Democriti opinio, quam Aristoteles refutat in pr. de Anima. Nec sane video quomodo hic Lactantius asserat, materiam animæ igneam, vel calorem esse, qui certo sciat, hominis animam immortalem esse, ut ipse ostendit lib. III, cap. 12 et 13, et cap. 17, de Opificio Dei. Animam quidem esse ignem expressis verbis scribit inf. cap. 13, sibimetipsi contrarius, qui id pernegavit d. cap. 17, de Opific., et alibi scribit animam de Dei substantia esse, ut inf. cap. 13, ubi dicemus.

Nec humor potest nec corporari, nec corpus animari. In impressis est, *nec humor potest corporare, nec corpus animare.* Nostram lectionem exhibent Vaticani, duo codices Sancti Salvatoris Bonon. T. P. *Nec humor*, inquit, *potest corporari*, videlicet *in corpus illud densari, nec corpus ipsum animari*, non *animare*, quia corpus non animat, sed animatur. Ita quoque Budæus hunc locum recte profert in Annotationibus ad lib. II, D. de pœnis.

Exulibus quoque ignis, et aqua interdici solebat. De ignis et aquæ interdictione. Ulpianus in lib. II, D. de pœn. et ibi Budæ. in annot. ad Pandect. Festus in verbo, *aqua*, Isidorus Orig. lib. v, cap. 27, ad fin.

Immobilis est, ac deorsum vergens, etc. Recte a Thomasio in notis ex B. codic. correcta est lectio impressorum, quæ habet, *mobilis est*, etc. Hic enim fieri antithesim manifestum est; et sane de igne dixit, *cujus natura quia mobilis est, et sursum nititur, vitæ continet rationem.* Ergo de aqua recte subdidit, *cujus natura quia immobilis est, ac deorsum vergens, figuram mortis ostendit.* Figuram autem mortis ostendere non posset, si mobilis esset, quia, ut ipse Lactantius ait lib. VI, cap. 17, et lib. de Ira Dei cap. 17, vita actuosa est, mors quieta. Natura itaque immobilis est et quieta; prope enim ad terræ gravitatem accedit: ægre autem movetur, nec nisi deorsum versum, si-D cubi ventorum flaminibus agitetur, aut extrinsecus alio quopiam modo ei motus indatur.

Ideo pecudes, neque in cœlum suspiciunt. Galenus lib. III de Usu part. cap. 3, ait, hoc dictum esse hominum, qui nunquam viderint piscem οὐρανοσκόπον, id est, *cœli speculatorem* appellatum: hic namque vel invitus cœlum semper aspicit. Verumtamen ille nihil omnino revera in eo contemplatur, ut homo.

CAPUT XI.

Ut in excolenda terra juvarent, unde dicta sunt jumenta. Ita et Columel. lib. v, et Isidor. lib. XII, Orig. cap. 1, et lib. XV, cap. 17. At Nonius cap. 1, Pomponius jurisconsultus in l. Boves, D. de verbor. signific. et veteres alii, ut Gellius testatur lib. XX, cap. 1, non a *juvando*, sed a *jungendo*, dicta malunt.

Et innumerabiles animas procreare, etc. Sic inf. c. 14: *Statuit humanum genus diluvio perdere, non* A *tamen continuo diluvium immisit.* Sensus est Deum in æterna sua prædestinatione decrevisse, et statuisse, tempore procedente, et dum mundus maneret, humanis formatis corporibus innumeras animas procreare, ipsisque corporibus creando infundere. Catholica sententia, et Lactantio consona, qui cap. 19 libri de Opif. Dei: *Cætera*, inquit, *Dei sunt omnia, scilicet conceptus ipse, et corporis informatio, et inspiratio animæ, et partus incolumis*, etc. Ut post corporis informationem, fieri a Deo inspirationem animæ hinc facile intelligas. Commentum quidem de animabus ante corpora conditis, quod ex hoc loco nonnulli temere Lactantio affingunt, irridet et refutat ille lib. III, cap. 18.

Unde homo nuncupatus est, quod sit factus ex humo. Sic. et lib. de Ira Dei cap. 10, ad fin. Homo autem hic corpus hominis intelligitur. Sed hanc etymologiam non probat Quintilianus lib. I, cap. 6. Probat Isidorus lib. II Origin., cap. 1. Vid. Rhodig. antiq. lect. lib. I, cap. 41.

B Θεοειδῆ. Ita correxi quod corrupte in omnibus est θεοειδήν. Plato VI, de Repub. ἀπ' ἐκείνου τεκμαιρόμενοι, ὃ δὴ καὶ Ὅμηρος ἐκάλεσεν ἐν τοῖς ἀνθρώποις θεοειδέστε, καὶ θεοείκελον; id est, ex eo conjectantes, quod sane et Homerus vocavit in hominibus Deiforme et Deo simile.

Terrea progenies, etc. Editiones, quæ *ferrea* legunt in Marone, hinc castigandas monuit Turneb. Adversarior. lib. XXI, cap. 22, Rhodigin. antiq. lect. lib. IV, cap. 19. Pier. Valerian. in Hieroglif. lib. LVII, c. de Papyro. Qui autem Lactantii textum corruptum putant, ut refert ipse Pierius in castigationibus Virgilianis ad eum Virgilii locum, nec ipsi vehementer errant, cum Lactantius hic animalia sine ullo artifice orta esse de terra dicat: unde refert: *Terrea progenies;* nec vox *Ferrea* quicquam ad rem suam facit.

Præsentis substantia. Fuere tamen, qui dubitarint, an tempus præsens existat: de quo disputat Philosophus IV, Physicor. tex. 87 et seqq. S. August. lib. II Confession., cap. 14 et seqq. Vide et Censorin. de C Die natal.

Ingratis. Ita B. T. Florent. et Plantiniana quoque ad oram libri. Adverbium est, idemque sonans, quod, præter gratiam et meritum. Non *ultro*, inquit Donatus, *coacte*, al. *ingrate.*

CAPUT XII.

Aiunt certis conversionibus, etc. Explicat et refellit rationem primæ originis animantium allatam ab Anaximandro et a Democrito, ut ipse Lactantius tradit inf. lib. VII, cap. 7, et aliis nonnullis veteribus philosophis, de qua Lucretius V, Cicero I de Legib., Diodor. lib. I, cap. 1, in principio, ubi etiam quiddam subdit ex Menalip. Euripidis Anaxagoræ discipuli, quo illum censet idem sensisse. Hanc autem opinionem, quæ asserit homines tanquam fungos primo, deinde quasi vermiculos quosdam e terra effusos, irridet Lactantius etiam lib. VII, cap. 4 et 7. Varias de Animalium primæva generatione sententias refert Censorin. de Die natal. c. 3.

D *Inquiunt.* Nonnulli scilicet inter quos Lucretius in quinto, illis Carminibus:

> At novitas mundi nec frigora dura ciebat,
> Nec nimios æstus, etc.

A summo Deo. Codices Ciceroniani legunt, *a supremo Deo.*

Αὐτὸς ἔμιξε. Codex Sibyllinus habet, αὐγὰς μῖξε.

CAPUT XIII.

Spiravit ei animam de vitali fonte spiritus sui, etc. Inf. hoc cap. *quarum animæ non ex Deo constantes, sed ex communi aere*, etc. Item *quod est ex cœlo, et Deo imperet*, etc. Et l. VII, c. 12: *Quod ex cœlesti spiritu, id constat*, etc. Et ibid. paulo inf.: *Quoniam ex Dei spiritu, qui æternus est*, etc. Ex his locis videtur Lactantius putare humanam animam ex Dei substantia esse; quanquam quid dicam putare? quid enim hac de re plane putet, assequi ego quidem certe non possum. Superius ad

Digitized by Google

fin. cap. 10, dixit animam esse igneum quiddam atque calorem; et inf. hoc eod. cap. dicit illam esse ignem : quam positionem ridet Aristoteles II, de Partibus anim. cap. 7 : *Quod si anima*, inquit Lactantius, *ignis est, ut ostendimus, in cœlum debet emiti, sicut ignis*, etc. At quicquid alibi senserit, in supra notatis quidem locis eam de Dei substantia esse opinari videtur. E schola Platonicorum hæc fluxit opinio, quam secutus M. Tullius sæpe dicere solet, humanos animos ex divina esse delibatos, tractos, haustos, decerptos natura. Hoc errore captus videtur et Philo in lib. quod deter. pot. insid. et Tertullianus, de quo ita Gennadius in lib. de Dogmat. Ecclesiast. : *Nihil ex Trinitatis essentia ad creatam naturam credamus esse deductum, ut Plato et Tertullianus*, etc. Item secundum Theodoretum capti hæretici Cerdon, Marcion, Gnostici, et Manichæi ex illo Genes. II prave intellecto : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Quia enim flatus ex corpore flantis educi videtur, ideo de Dei substantia ab ipso inspiratam animam crediderunt. At vero locus ille Genes. nihil opitulatur errori, quia homo, a quo similitudinem sumptam dicunt, non emittit flatum de sua substantia, sed de aere respirato, qui non est de substantia corporis, et multo minus animæ; deinde anima non potest facere flatum nisi de corpore, cum non sit creatrix : at Deus cum sit infinitæ potentiæ, potest animam de nihilo creare; et sic dicitur flasse, in quantum hominis flatum creavit. Ita docet Magister, et omnes doctores, præsertim S. Thomas in II, dist. 17. Illa enim inspiratio Dei corporalis non fuit, sicut nec locutio corporalis, cum dixit, *fiat lux, fiat firmamentum*, etc. Theodoretus hæc habet : *Nomine flatus non intelligimus partem aliquam essentiæ divinæ secundum Cerdonis et Marcionis rabiem, sed animæ naturam per id denotari, quod anima sit spiritus rationalis et intellectualis.* Damnata est hæc hæresis in concilio Toletan. pr. in assertion. fid. et a Leone 1, epist. 91, et in conc. Bracaren. I, cap. 5, et contra illam disputat. Irenæ. lib. I adversus Hæres. cap. 24, et tota schola Theologorum d. distinct. 17, S. Thom. in II cont. Gent. cap. 85, et pr. pr. quæst. 90, art. 1.

Empedocles, quem nescias utrumne inter poetas, etc. Aristoteles quidem in Poeticis potius eum inter philosophos, quam inter poetas censendum scribit; et Plutarch. de Audien. Poet. ipsius carmina sermones potius quam Poeseis dicenda.

Secundam. Correctus est error operarum, quæ in al. editionibus fecerant, *secunda.*

Est enim quasi vasculum, etc. Al. *est enim terra quasi vasculum*, etc. sed jure a B. abest τὸ *terra*; pergit enim loqui de corpore, quod tanquam vas et domicilium animæ dicit esse. Nobis autem ab ejusmodi locutionibus cavendum et abstinendum esse monui supra ad cap. 3.

Servivit enim fœdissimis voluptatibus, etc. Adde Sueton. de claris Grammatic. cap. 6, Gell. l. XVII, c. 18.

Consevit. Ita lego, ut hic locus ab omnibus citatur, et habetur in B. T. P. Sic infra cap. 14 : *Atque vineam sua manu sevit*; et arborum consitiones dicuntur. Veruntamen in editis plerisque legitur, *conseruit*, quam lectionem ex Pandectis Florent. in leg. in fundo alieno, D. de rei vendicat. Aurelio Victore et Livio, sustinet Ciriac. lib. II Observation. cap. 59.

Quæ si observasset, immortalis maneret. Contra Pelagium, qui asseruit, Adam mortem obiisse non propter culpam, sed ex naturali conditione, qua interiisset, etiamsi a Dei mandato non recessisset. Hæc hæresis damnata est in concilio Milevitan. cap. 1.

In qua posuerat intelligentiam boni et mali. Infra hoc eodem cap. *percepta igitur scientia boni et mali*, etc. In quanam arborum specie arbos hæc fuerit, ab expositoribus super Genes. variæ opiniones recensentur : sed nihil certo statuitur. Illud quæritur, cur arbor scientiæ *boni et mali* appellaretur. Hebræi sunt opinati, primos parentes creatos fuisse simplicissimos, absque rationis usu infantium similes : quoniam autem arbor illa vim haberet accelerandi rationis usum, et liberi arbitrii, propterea fuisse appellatam arborem scientiæ boni et mali; nam secundum Scripturæ phrasim, scire bonum et malum, idem sonat, quod habere rationis usum. Hanc opinionem Sibyllis quoque firmatam, ut infra legitur not. 97, secutus est Lactantius, quæ communiter ab omnibus reprobatur; est enim maximus error, ne dicam hæresim, asserere, Adam ab initio fuisse boni ac mali nescium, sed ab esu fructus illius arboris scientiam boni ac mali adeptum. Qui enim omnibus animantibus nomina indidit, quæ profecto naturis eorum congruere debent, quique admirabilem prophetiæ facultatem habuit, quam de muliere pronuntiavit, *Hoc nunc os*, etc. quomodo quid bonum, quidve malum esset nesciret? Decuit etiam, ut quemadmodum quantum ad corpus institutus est in statu perfecto, ut statim posset generare, ita etiam institueretur in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere et gubernare. Promuntur hujusmodi rationes ex sancto Augustino in pluribus locis super Genes. et lib. XIV Civit., cap. 17, et ex S. Thom. in p. p. quæst. 94, art. 3. Disputat item contra illam opinionem Chrysostom. Homil. 16, super Genes. et vide Philon. præclare de primi hominis perfectione disserentem in libro de Mundi Opificio ad fin. Præterea fere omnes consentiunt, nomen illud *scientiæ boni et mali* non ei ligno a natura sibi a Deo indita convenisse : Eucher. I in Genes., Cyrill. III adversus Julian., S. Augustinus super Genes. et d. cap. 17, Theodoretus quæst. 26, in Genes., Beda item, et Strab. quos sequitur Magister in II Sent., distin. 17. Secunda opinio est Josephi Judæi in primo Antiquitat. cap. 3, ideo sic appellatam, quod ejus fructus, si ederetur ab homine, vim haberet acuendi ingenium et solertiam, atque prudentiam cogitandi, multumque conferret ad percipiendam scientiam; quam opinionem refellit Lyranus. Tertia est Ruperti in II de Trinitate cap. 27, Tostat. super cap. XIII, Genes., quæst. 154 et 155, Perer. lib. III in Genes., ita appellatam per ironiam, propter mendacium et fallax promissum serpentis, quo pollicitus est, si comederent, eos similes deorum futuros, scientes bonum et malum, ut vel ipso arboris nomine monumentum posteris repræsentaretur tam insignis diabolici mendacii; atque ideo putant, illud nomen ei vel ab Adamo post peccatum, vel a Moyse inditum : et licet in historia Genesis ante congressum serpentis cum Eva bis arbor illa eo nomine vocitetur, id fieri dicunt per anticipationem; revera enim antea non habuisse id nomen : sed cum Deus præcepit Adæ ne de ea comederet, vel alio nomine illam appellavisse, vel quasi digito, aut alio modo illam designavisse. Opinio crebrior est, quam habet Chrysostomus super Genes., August. lib. VIII, super Genes. ad lit., cap. 6 et 15, Cyrillus, Bed., Strab. et alii, quos pr. loco citavimus, videlicet, nomen illud non ei a Deo natura inditum, quasi intelligentiam boni ac mali conferret ac contineret, ut scribit Lactantius, sed ab eventu postea secuto, quia quamprimum homo fructum illius arboris manducavit, discrimen boni et mali, quod antea tantum speculative cognoscebat, practice et per experientiam cognoscere cœpit, et quanta differentia esset inter bonum obedientiæ et malum inobedientiæ. Porro S. August. d. cap. 15, etiam ante sermocinationem serpentis cum Eva hoc nomen illi arbori a Deo impositum scribit.

Sententia in peccatorem lata, ut victum sibi labore conquireret. Ita leg. ex B. et aliis mss. optimis, et ex ipsa historia Genes. unde hæc sunt desumpta; ibi enim habetur : *Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram*, etc. In aliis legitur, *Sententia in peccatores lata, ut victum sibi labore conquirerent.*

Ipsumque paradisum igni circumvallavit. Historia in

Digitized by Google

fin. cap. III Genes. ita legitur : *Et collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Quid ibi intelligatur per flammeum gladium, variæ extiterunt sententiæ. Tertullianus Apologetic. c. 46, per flammeum gladium intellexisse videtur Zonam torridam, ejusque flagrantissimum æstum more gladii eo accedentes ferientem, qua Zona circumdatus est paradisus. Tertullianum sequitur S. Thomas in 2, 2, quæst. 165, art. ult. Sed hæc expositio ad litteram non quadrat : clamat autem S. Basil. in 3 Homil. et initio 9, super Genes., S. August. super Genes. ad litter. initio lib. VIII, et Beda ad ea verba, *In principio creavit*, etc. aliique gravissimi et sanctissimi viri, doctrinam Moysi in opere sex dierum creationis mundi totam historicam esse; ideo historice, proprie et ad litteram, non figurate, non mystice, non anagogice intelligendam. Et zona torrida ibi erat etiam ante hominis lapsum : at Scriptura dicit, flammeum gladium ibi a Deo positum, postquam Adam inde ejectus est. Lactantius nihil aliud flammeum gladium fuisse censet, quam ingentem quamdam vim et copiam ignis, instar muri et propugnaculi, seu valli, ut hic ait, ante paradisi aditum positi. Secuti videntur Lactantium Petrus Comestor super illum Genesis locum, Nicolaus de Lyra, et Tostatus; quæ opinio a nonnullis reprobatur tanquam mutila, quod de Cherubim mentionem non faciat, et tanquam impropria et minime litteralis. Quidam impedimenta designari intelligunt, quibus homo post peccatum ab ingressu paradisi cœlestis arcetur. Sed et hæc sententia a sensu litteræ procul abest. S. Ambrosius super illum versiculum Ps. CXVIII : *Retribue servo tuo*, etc. flammeum gladium interpretatur ignem purgatorium. Ita et Rupertus in III super Genes. cap. 32 et 33, qui eadem ratione refelluntur. Et gladius flammeus ante paradisum terrestrem fuit positus : ignis autem purgatorius subtus terram ponitur a Theologis. Denique aliorum est sententia, quam probat Benedictus Pererius lib. VI super Genes. quod hæc verba Genes. historice prorsus intelligantur, ut sonant; videlicet, Cherubim, id est, Angelos ad Paradisi custodiam positos fuisse sub specie et figura hominum, tenentes manibus suis gladios acutissimos, et ob vibrationem, quasi emissis scintillis ac flammis coruscantes.

Donec summum judicium faciat in terra, et justos viros cultores suos in eumdem locum revocet, etc. Hoc loco Lactantii et Tertulliani cap. 46 Apolog., notamus errorem, quo putant animas justorum post judicium universale in paradisum terrestrem introductum iri; nam illud nec Sanctæ Litteræ usquam docent, ut ait Lactantius, neque Sibylla dicit, quæ paradisum nominans, forte intellexit illum cœlestem. Christus Dominus in regnum cœlorum se justos post judicium universale vocaturum denuntiat, Matth. XXV : *Venite, benedicti*, etc. ut ibi sancti, et doctores omnes interpretantur.

Οἱ δὲ Θεὸν τιμῶντες, etc. Leguntur hi versus apud Theophil. ad Autolyc. lib. II; in codice autem Sibyllino non hi prorsus, sed similes extant Sermon. 1, sub initium, ibi scilicet :

. . . . Τὸν δὴ κέλευ' ἐν παραδείσῳ
Ἀμβροσίῳ ναίειν.

Ἄνθρωπον, etc. Extant hi versus in carminib. Sibyllin. Serm. 1, sub initium, et Serm. 8, circa medium : sed ibi aliquantulum variant. Serm. 1 :

. . . . Τοὺς δὲ μαλ' αἶνος
Ἐξαπάτησεν ὄφις δολίως ;

Sermone 8 :

. . . . Καὶ ἄνθρωπον πλασθέντα,
Ὃντ' ἐκλάτησεν ὄφις δολίος, etc.

In quibus carminibus illud falsum est, Adam fuisse deceptum, ut ex fructus esu boni et mali acquiret notionem, si de notione speculativa intelligatur, ut superius est dictum hoc eod. cap.

Ἀγαθοῦ τε, κακοῦ τε. Ita leg. ut in Aldinis et Plantinianis excusis, et in cod. Sibyllino, 1 Serm. non autem, ut in editione Florent. et in cod. Sibyllino, Serm. 8, ἀγαθοῦ τε, καὶ κακοῦ. Nam scansio non constat.

Quæ in mille annos propagaretur, etc. Profecto qui mille annis vixerit, in Scriptura comperies neminem, quicquid ipse de tempore vitæ Adami tradiderit inf. lib. VII, cap. 14, in fin. ubi eum refutavimus. Attamen non absurde eorum vitam in annos mille propagatam dicimus, qui quam proxime ab eo numero abfuerunt, sicut Jared, sicut Mathusala, et Noe, de quibus cap. V et IX Geneseos.

Ait enim, apud Ægyptios pro annis menses haberi, etc. Non fuit hoc perpetuum apud Ægyptios, licet Macrob. 1 Saturnal. cap. 12, affirmet, anni certum modum apud solos Ægyptios semper fuisse; nam verius est Ægyptios annum variasse, et quandoque trium, sæpius quatuor mensium annum effecisse, ut traditur scripsisse Xenophontem in libro de Æquivocis, his verbis : *Annus diversus est; etenim ipsi Ægyptii utuntur anno quandoque menstruo, sæpe bimestri, non raro trimestri, sæpe quadrimestri, nonnunquam solari.* Solin. cap. 3, Ægyptiorum annum quatuor mensium scribit fuisse; et S. August. lib. XV Civit., cap. 12, aliquando quatuor mensium, aliquando menstruum. Sed et Plutarchus in Numa, Ægyptiis menstruum annum, mox quadrimestrem fuisse tradit. Illum tamen plerumque mensis spatio metitos ad cursum lunæ scribit Plin. lib. VII, cap. 48, et Censorin. de Die natal. De anni diversitate apud varias gentes, vid. Alex. Neapolitan., Dier. Genial. lib. III, cap. 24; Camert. ad cap. 3 Solin. Gyrald. de Diebus anni, et mens..

Quod argumentum perspicue falsum est, etc. Cum Varrone tamen sentire videtur et Plin. d. cap. 48, quem S. August. refert ubi supra : sed jure Varronem refellit Lactantius, et asserit id quod res habet, videlicet annos, quos vixisse ante diluvium homines Scriptura narrat, non menstruos, ut dicebat Varro, sed pares fuisse nostratibus, ut etiam demonstrat S. August. lib. XV Civit., cap. 14. Etenim Scriptura cap. VII Genes. in illo uno anno, quo duravit diluvium, mentionem facit primi, secundi et decimi mensis; et ne quis posset cavillari, menses illos paucioribus diebus constitisse, quam nostros, memoratur ibidem decimus septimus dies mensis secundi, et vigesimus septimus mensis septimi, et vigesimus septimus mensis secundi. Quin etiam si omnes dies, quos memorat Moyses in descriptione diluvii, per unum illum annum computet, reperiet illos ad trecentos et sexaginta. Nec mirum esse debere scribit Josephus Judæus, aut falsum videri, quod traditur de tam longæva priscorum hominum vita, quia Dominus illis ob inventionem scientiarum et artium, præsertim astronomiæ, ampliora vivendi spatia condonavit. Alias causas multas apud expositores super Genesim facile quisque reperiet.

CAPUT XIV.

In centum et viginti annis metam collocavit. Verba Domini, quæ refert Moyses initio sexti Genes. : *Eruntque dies illius centum et viginti annorum*, perperam intellecta causam præbuerunt erroris, Philoni in lib. de Gigant., Josepho Judæ. 1 Antiq., c. 5, Arnob. II, cont. Gent., Lactantio, Diodoro Tharsen., Episc., Rupert. in IV super Genes. c. 13, Tostat. super cap. VI Genes. cap. 11, putantibus a Deo post diluvium metam vitæ humanæ in centum et viginti annis collocatam; cum tamen verba illa exponenda sint ita, ut dicamus, eruntque dies illius, id est, hominis, non ad vivendum, sed ad pœnitendum, centum et viginti annorum. Hæc dixit Dominus ante annos viginti, quam fieri arca cœpisset, ut scribit S. Hieronymus, quæ facta legitur centum annorum spatio; vel secun-

Digitized by Google

dum Strab. ab eo anno dixit, quo cœpit arca fieri : sed quia homines in pravitate manserunt, ante præfixum tempus, nempe centesimo anno deleti sunt. Pœnitet, inquit Dominus, me fecisse hominem : id est, efficiam quod homo solet iratus et operis sui pœnitens; demolitur enim quod fecerat : sic ego hominem delebo, quem feceram ; non tamen permanebit spiritus meus, id est, indignatio mea in homine in æternum, sicut adversus diabolum, quia caro est, id est fragilis : sed eum hic puniam, et aquis obruam ; quin etiam antequam puniam, dabo ei tempus pœnitudinis, eruntque dies illius ad pœnitendum centum et viginti annorum. Ergo verba Domini non severitatis sunt, sed clementiæ, atque miserationis ; et ita interpretantur ea Chrys. Homil. 22 super Genes., S. Hieron. in quæst. Hebraic., S. Aug. lib. xv Civ., c. 24, Strab. et Hug. de S. Vict. in annot. in Genes., et denique Mag. hist. Scholast. in lib. Gen. cap. 31, concordatque hæc expositio cum textu hebræo, qui habet, *Non judicabit spiritus meus homines istos in æternum, qua carnes sunt;* id est, ut Rabbi Salomon interpretatur, non disceptabit, non judicio contendet spiritus meus, etc. Sane vero quamplurimos centum et viginti annos excessisse novimus, non solum ex Sacris Litteris, cap. xi, xxiii, xxv, xlvii Genes. et alibi sæpe : sed etiam ex profanis auctoribus, Plinio lib. vii, cap. 48 et 49, Athenæo libro x, cap. 11.

Eaque terra de nomine ejus Chanaan dicta est. Ergo potius ab ipsomet Chanaam filio Cham, quam a Cham, ut ait Lactantius, dictam oportuit, ut etiam ipsi Chananæi a Chanaam dicti sunt c. x Genes.

Nec ullis in ea regione nubibus subtexitur cœlum. In Bonon. utrisque codicib. P. et aliquibus Vaticanis non habetur particula *enim*, nec ea clausula parenthesi includitur, quasi hic non prioris dicti ratio reddatur, cur ea gens sub dio degeret, sed alia causa afferatur, cur assidue sidera contemplari potuerit. Ego ita scripsi, ut est in omnibus impressis. Dubitationem habet quod hic ait Lactantius, in Ægypto nubes non fieri; nam Plin. lib. ii, cap. 50, nubes ibi fieri scribit, quamvis raras et tenues ; et Democritus, referente Plutarcho in Placitis lib. iv, cap. 1, ob id Nili incrementum fieri tradebat, quod nive in partibus ad septentriones sitis sub solstitium æstivum resoluta atque diffusa, densentur ex vaporibus nubes, quæ compulsæ versus meridiem et ad Ægyptum ab Etesiis ventis, in magnos ac vehementes dissolvantur imbres, quibus cum paludes, tum Nilus impleantur. Diodorus quoque lib. i, cap. 2, pluvias ibi, sed raras fieri testatur. Consentit Lactantio Mela lib. i,: *Ægyptus*, inquit, *expers imbrium, mire tamen fertilis*, etc. Verum ex Philone scriptores conciliare possumus, qui lib. i de Vita Mosis, parvas ibi rarasque pluvias fieri scribit, in locis quidem maritimis, ut supra Memphim, nullas omnino ; ubi et cur hyems Ægypto sit supervacanea pulcherrime disserit.

Portentificas animalium figuras. De quibus Cicero i et iii de Natura deor., Philo in lib. de Decalog.

CAPUT XV.

Cum ergo numerus hominum cœpisset increscere, etc., *misit Angelos ad tutelam cultumque generis humani.* In eo falsus est, quod ait, non ante ad custodiam datos angelos, quam hominum numerus cœpisset increscere; nam a primis usque parentibus unaquæque anima ab initio suæ creationis angelum habet ad sui custodiam deputatum ; nec eo primi ipsi parentes, nec ulli omnino homines caruerunt : Orig. in lib. Numer., Hieronym. in Matth. xviii : *Angeli eorum*, etc. S. Bernard. Serm. de Angel. et in Psal. viii : *Quid est homo, quod memor es ejus*, etc. Magist. et omnes Theolog. in ii, dist. 11, S. Thom. p. 1, quæst. 113, art. 4.

Quibus quia liberum arbitrium erat datum. Peccatum reliquorum malorum angelorum contigisse scribit, cum jam hominum multitudo cœpisset increscere, hoc est post Luciferi peccatum longo temporis intervallo; illudque peccatum fuisse luxuriæ atque libidinis, quia se mulieribus miscuerint. Dicimus nos, parvulam moram intercessisse inter Luciferi supremi Angeli creationem, et ejus lapsum. S. Augustinus super Gen. lib. xii, cap. 23 : *Factus*, inquit, *continuo se a luce veritatis avertit, superbia tumidus*, etc. Isidor. lib. i de Summ. bon. cap. 10 : *Mox ut factus est, in superbiam erupit, et de cœlo præcipitatus est.* Illud certissimum est, jam culpæ et damnationis reum factum, ubi ad tentandam primam mulierem accessit, ut contra opinionem Germani diserte disserebat Serenus Abbas apud Cassian. collat. viii, c. 10. Dicimus secundo malos angelos vel simul, et unico temporis instanti cum Lucifero peccavisse, ut scribit Alens. 2 part., quæst. 110, memb. 5. S. Thomas p. p. quæst. 63, art. 8, vel mora aliqua fortasse interjecta, ut S. Bonaven. in ii, distinct. 5, art. 2, quæst. 2, Scot. ead. distinct. quæst. 2, sed ea quidem imperceptibili et pene nulla, ut ex eisdem colligitur. Peccatum quoque malorum angelorum idem fuisse quod Luciferi, nempe superbiæ peccatum, de quo dixi ad cap. 9, quod illis Lucifer persuasit, ex eisdem sanctis Patribus et doctoribus constat, locis citatis. Statim autem atque peccaverunt, damnati sunt, et cum Lucifero e cœlo deturbati; Apocal. xii, S. Isidor. ubi supra, Damascen. de Fid. Orthod. lib. ii, cap. 4. Diabolum quidem, id est, Luciferum illico in infernum detrusum quidam doctores arbitrantur; alii vero in hunc aerem caliginosum : sed cum in tentatione a Christo victus fuisset, in infernum dejectum. Ita Mag. in ii, distinct. 6, qui tamen, an nunc is sit in inferno dubitat. Lactantius inf. lib. iii, c. 29, cum in hoc mundo manere permissum censet, ut homines malitia sua exerceat ad virtutem. De cæteris dæmonibus, alios quidem in hunc aerem caliginosum dejectos, alios autem, qui gravius peccaverunt, in infernum detrusos scribit S. Thom. d. distinct. 6, art. 4, et p. p. quæst. 64, art. 4. At S. Bonavent. d. distinct. art. 2, quæst. 1, affirmat locum cæterorum dæmonum usque ad diem judicii non esse infernum, sed aerem caliginosum : utrum autem aliqui detrusi sint in infernum, se nescire fatetur; ait tamen aliquos illuc descendere ad torquendas animas. Sed ubicumque sint, sua semper secum deferunt tormenta flammarum, ut ait Glos. ordinar. super illud Jacob. iii : *inflammata a gehenna*, etc. quam refert et probat S. Thom. d. distinct. 6, art. 4. Illud quoque ex Sacris Litteris constat, angelos malos continuo post peccatum et damnationis sententiam, obstinatos mansisse in malo, in suaque damnatione et obstinatione ac pœna æternum mansuros; Alens. ii, p. quæst. 118, memb. 1, art. 1 et 4, S. Thom. p. p. quæst. 64, art. 2. DD. cum Magistro in 2 sentent., distinct. 7, ubi præsertim S. Bonavent. art. 1, Scot. quæst. unic. Durand. quæst. 2, Gabriel. quæst. 1, quod quidem de fide est, et definitum in cap. Firmiter, de Summ. Trinit. et fid. Catholic. Ex quibus multi Lactantii errores notari et caveri possunt; et primus quidem, quo hic scribit, Deum Angelis tunc præcepisse, ne contagione terræ maculati, substantiæ cœlestis amitterent dignitatem ; jamdudum enim peccato polluti fuerant, et maculati, et in ea quidem macula et obstinatione confirmati, ut diximus.

Ad vitia pellexit. Fabulæ. Jam dictum est, multo antea, scilicet ante primorum parentum lapsum, a Lucifero ad peccatum illectos, quo statim damnati fuerunt.

Et mulierum congressibus inquinavit. Quodnam fuerit malorum angelorum peccatum, et quo tempore perpetratum, enarratum est supra. Cæterum quod angeli tempore Noe mulieres inierint, non solum Lactantius, sed etiam alii quamplurimi Patres senserunt, ex illo non recte intellecto Genes. cap. vi : *Ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt*, etc. Josephus Judæ., i lib. Antiq., cap. 5, Tertullian. in lib. de Veland. Virginib., Justin. martyr

Digitized by Google

utraque Apolog. Clemens Alex. lib. III et V Stromat. Cyprian. de Discip. et habit. virg. Method. Sermon. de Resurrect. Euseb. lib. V Præparat. Ita vero sentiendi causam dedit septuaginta Interpretum editio Græca vetus, quam isti secuti sunt post Philonem, quæ legendum præbebat, οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, et Latina Italica (referente id Ambrosio, Augustino et Procopio), angeli Dei pro eo quod postea secundum textum Hebræum lectum est in Græco, οἱ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, et in Latina editione, filii Dei, quam utramque agnoverunt suo tempore Augustinus et Procopius. Idcirco pro angelis, seu pro filiis Dei, intelligendi sunt filii Seth, qui religiosi et Dei cultores erant; et pro filiabus hominum, intelligendæ sunt filiæ de stirpe Chaim: et ita explicat locum illum gloss. interlinear. Theodoret. quæst. 47 in Genes. Cyril. lib. IX cont. Julian. et in lib. II Allegor. in Pintatheric. Serm. 1. August. lib. XV Civit., cap 23. Hieron. in tradition. Hebraic. super Genes. lib. IV, cap. 12. Suidas in verbo μαγαμαίαι, et in verbo, *Seth*, Beda, Aymo, Rabanus in Genes. Rupertus item in Genes. lib. IV, cap. 12. Mag. historia Scholast. Genes. cap. 31. S. Thom. I part., quæst. 51, artic. 3, in resp. ad. 6. Quin etiam Philastrius lib. de Hæresib. cap. 108, positionem, qua dicitur, angelos cum mulieribus ante diluvium sese miscuisse, recenset inter hæreses. Reprobant item eam S. Joannes Chrysost., homil. 22, in Genes.; et discipulus ejus Cassian., lib. XII Collat. cap. 8. Denique S. Ambros. epist. 84, ad Demetriad. ait causam damnationis Luciferi et aliorum malorum angelorum non libidinem, sed superbiam extitisse, illumque una cum ipsis suis sectatoribus ante hominis lapsum e cœlo per superbiam excidisse.

Tum in cœlum ob peccata, quibus se immerserant, non recepti, ceciderunt in terram. Hæ fabulæ ex superioribus manant. De loco autem malorum angelorum post lapsum, sententias retuli paulo supra.

Qui autem sunt ex his procreati, etc. Fabulæ.

Ita duo genera dæmonum facta sunt; unum cœleste, alterum terrenum, etc. Modo hæc a superioribus præscindantur, verum sensum nancisci possunt, ut dicamus, cœleste quidem genus dæmonum esse, quod in aere caliginoso versetur, nam cœlum pro aere non solum in profanis, sed etiam in sacris Litteris frequenter accipitur; terrenum autem genus esse, quod in ima telluris viscera et in infernum dejectum, ex S. Thomæ sententia diximus. Sed aereum illud genus per universa elementa vagatur, ita ut ventis validis, et fœdis tempestatibus agat aerem, indeque non modo grandines ac fulmina jaculetur, sed etiam, ut est in prodigiis, lanam, lapides, ceram, ferrum, carnem nonnunquam depluat: marinos autem fluctus mergendis navigantibus intentum concitat, et circa puteos, lacus, fontes, flumina ad perniciem hominum versatur, ut scribit Tertullian. in lib. de Baptism. Terram autem vel insolitis quassat motibus, vel aliter damno afficit atque perturbat. Unde sex dæmonum genera universum esse tradebat Orpheus in Poemat. ad Musæ., et Marcus ille apud Psell. in lib. de Dæmonib. et Porphyr. in lib. resp. ex orac. Apollin. Eos scriptores videat qui volet.

Δαιμονιάρχην. Sicut Pharisæi δαιμονίων ἄρχοντα, Matth. XII.

Δαήμονας. Ita dictionem hanc restitui, quæ corrupte legitur in omnibus, δαίμονας; in aliquo enim differre debet etymologatum ab etymo: volunt autem δαίμων, quæ dictio per αι scribitur, dici quasi δαῆμον, ἀπὸ τοῦ δαῆναι, quod est *intelligere*, scire, Plato in Cratyl.; Martian. Capell. lib. II; Macrob. I Saturn. cap. 23.

Sciunt illi quidem futura multa, sed non omnia. Quænam futura? Respondet Origen. lib. IV Princ. cap. 2; S. August. in lib. de Divination. Dæmon., et lib. II super Genes. cap. 17, et lib. IX Civit. cap. 22; Gregorius Magn. lib. XXVIII Moral., cap. 6; Isidor. de Summ. bono; Damasc. lib. II de Fid. Orthod.; Magist. in 2 Senten., distinct. 7; et ibi S. Bonaventura artic. 3, quæst. 3; Durand. quæst. 3; item S. Thom. I. part. quæst. 57, artic. 3, et 2-2, quæst. 95 et quæst. 192, et cont. Gent. lib. III, cap. 154.

Responsa in ambiguos exitus temperare. Vid. Cicer. II de Divin.; Tertullian. Apologetic. c. 22; Lactantium rursus inf. lib. IV, cap. 13; Euseb. de Præpar. Evang. lib. IV, cap. 1, et lib. V, cap. 10, ubi late de falsitate oraculorum; S. August. de Civit. lib. III, cap. 17. et lib. XIX, cap. 23.

Et solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Opportune quærunt theologi, numquid dæmones aliquod solatium et gaudium acquirant ex hominum peccatis et damnatione; nam id ait quoque Minucius in Octavio, et S. Leo serm. 2 de nativ. Dom., sub initium. Respondet Alens. in II parte, quæst. 100, memb. 5, art. 1, solatium esse illis quoddam, non verum, sed apparens, atque omni amaritudine respersum, quia gaudium illud non est ex apprehensione simpliciter convenientis, sed illius quod sibi conveniens videtur. Scribit etiam S. Augustinus lib. de Genes. contr. Manich. c. 17, dæmones habere potestatem in eos, qui Dei præcepta contemnunt, et de tam infelici potestate lætari. Iis vero lætitia illa in pœnam cedit: ideo et a S. Thoma in libris Sentent. quem refert et explicat Dominicus Bannes super I part., quæst. 64, artic. 3, dub. 2, vocatur illud gaudium fallax, et quasi phantasticum, eo quia illud continuo sequitur novus cruciatus, et dolor. Alii theologi negant simpliciter et absolute aliquod gaudium aut solatium in dæmonibus reperiri posse, quoniam summus dolor non admittit secum aliquod gaudium, etiam de aliquo objecto distincto, ut Aristoteles docet septimo Ethic. et experientia demonstrat; et hoc probant ea ratione, quia si dæmones aliquod solatium et gaudium habere possent, non essent positi in statu summæ et extremæ miseriæ, quod non est asserendum. Et ad S. Augustin. et Thom. respondent, non ibi accipi gaudium, sive solatium formaliter, sed causaliter, videlicet, dæmones gaudere de victoria, quam assequuntur adversus homines, quia victoria illa implet eorum desiderium, quo ex invidiæ zelo conantur homines deturbare ab adeptione regni cœlestis; et illius desiderii complementum appellatur gaudium et lætitia, non formaliter, et revera, sed causaliter duntaxat, quia ex sui natura aptum esset delectationem et gaudium efficere, et reipsa efficeret in dæmonibus, nisi eorum voluntas a summo et extremo, quo conficiuntur, dolore præventa esset. Et hanc declarationem eliciunt ex eod. S. Thom., in commentariis ad Magistrum, ubi inquit, in eodem sensu dici dæmonas lætari de malis nostris, quo dici solet, angelos beatos dolere de malis nostris: at vero certum est, beatos angelos non dolere formaliter, quia status eorum id non patitur; ergo neque dæmones lætantur, aut solatium ullum acquirunt formaliter, sed tantum causaliter, ut dictum est.

His quotidie merum profundunt. Τὸ *merum* abest a B. T. P. Ego quorumcumque impressorum lectionem retinui; nam illud, *profundunt*, absolute positum novum est, et scimus ethnicos geniis merum profundere solitos, et curare genium mero dixit Horat. lib. III Carm. Ode 17. Ad oram Plantinianorum positum est *his quotidie procumbunt.*

Sunt spiritus tenues, etc. Si proprie locutum auctorem velis, prope abest, ut nobis intelligendum præbeat, se dæmonibus auræ cujusdam tenuis substantiam tribuere, et ita cum eis sentire, qui angelis tenuissimum corpus attribuunt. Quam quidem opinionem e Platonis fontibus fluxam docentis, Deum solum, et ab eo productam mentem omni penitus corpore carere, recepit Philo in libro de Opif. Mund. Tertullianus in Carn. Christ. Origenes in II Principior. c. 2 et 8; Method., Athan., Basil. et Joan. Thessalon. episcopus, relati in 2 Nicæn. synod., action. 4; S. August. VIII Civit., cap. 9, et lib. II, cap. 23 in Enchir. cap. 45 et 59 in lib. de Nat. dæmon.; et refertur in cap. *Sciendum*, 26, quæst. 3, in 7, de Genes. ad litter. c. XVII, et alibi sæpe, Cassian. I. VII, collat. 7,

Digitized by Google

cap. 13, Damasc. II, Theol. c. 3 et l. III adversus Iconoclast., atque hoc fortasse loco etiam, ut dixi, Lactantius: Nam *tenue* idem Latinis, quod Græcis λέπτον, quod quidem nihil aliud est, quam *exile*, extensum, solidum tamen, et quod intra terminos capitur; id autem nonnisi de corporibus proprie dici potest. Huic opponitur *spissum*; sunt enim relativa: sed nihil eorum, quæ carent quantitate, vel tenue, vel spissum est; sunt enim affectus peculiares situi partium. Verumtamen hæc sententia de corporibus angelorum jam omnium doctorum suffragiis est explosa, docentium angelos omnes omni penitus corpore carere. Ita docet Dionys. Areop. de Div. nom. cap. 21, Nazianz. in fin. de Theol. et in Orat. de Nativ. Salv.; Chrysost. Homil. 22, in Genes.; Gregor. Magn. IV Moral., cap. 9; Hug. de S. Vict. I de Sacram. p. 5, quæst. 7 et 8; Alens. in II p., quæst. 20, memb. 3, ad 3; Albert. Magn., S. Thom., Bonav., Major. in II Sent., distin. 8; rursus S. Thom. pr. pr. quæst. 51, art. 1 et 2, cont. Gent. cap. 88 et seqq. Joannes Duns in II, distinct. 2, quæst. 6, et distinct. 8, quæst. 1; Thom. de Argentin. in II, distinct. 3, quæst. 1; Marsil. quæst. 2. Extat denique concilium Lateranen. sub Innocentio III, relatum in cap. Firmiter, de Summ. Trinit. et fid. cathol. quod expresse Angelicam creaturam spiritalem, mundanam vero corpoream vocat. Quamobrem hoc etiam secundum naturalem rationem probabilius esse, oppositum vero si non errorem in fide manifestum, at certe temeritatem continere hoc quidem tempore doctores omnes affirmant.

Operati. Si legas *operti*, ut in multis editionibus habetur, illud, *occulte*, supervacaneum videtur. Ego vero secutus sum lectionem B. et T. positam ad oram Plantin.

Valetudinem vitiant. Cavendum tamen ab hæresi Gnosticorum, qui morbos affirmabant esse dæmonia, eosque non præsidiis naturalibus, sed incantationibus curandos. Contra scripsit Plotin. lib. IX, 2, Ennead., cap. 14. Cavendum rursus ab errore Medicor. Petri Apon. et Pomponarii, qui affectus omnes obsessorum a dæmonibus humori melancolico attribuunt, nec adjurationibus, sed naturalibus auxiliis curandos esse contendunt. Vid. Tertull. cap. 22 Apologet. Minuc. in Octav., Psell. de Dæmon., Fernel. lib. II de Abdit. rer. caus. Levin., Lemn. de Occult. nat., lib. II, cap. 1.

CAPUT XVI.

Cujus nomine adjurati, de corporibus excedunt. Observa antiquissimum Exorcismorum usum in Dei Ecclesia, et potestatem fidelium in dæmones. Ita lib. IV, cap. 27. Adde Ignatium ad Antioch. epistola 12, Justin. de Verit. Christ. Deleg. et in Orat. ad Gent.; Tertullian. de Corona milit., cap. 11, de Idololat., cap. 11, in fin. et ad Scap., cap. 1, et in Apologet., cap. 23; Cyprian. ad Demetrian. et ad Donat. epistola 2, et de Vanit. Idolor.; Minuc. in Octav., Epiph. Hæres. 30, Prudent. in Apotheos. contra Judæ. Sed et in Synagoga Exorcistas fuisse colligitur ex Actis Apost., cap. XIX, et testatur Josephus, qui mira quædam refert, Judæ. Antiquit. lib. VIII, cap. 2, et Epiphan. Hæres. 30.

Et quod plerumque coram cultoribus faciunt. Hunc locum, qui mihi valde corruptus videtur, ita ex Cypriano et Minucio, a quibus hæc fere omnia desumpsit Firmianus, restituendum arbitror: *Quod etiam plerumque coram cultoribus suis faciunt; non utique in opprobrium religionis et honoris sui: sed quia nec Deo per quem adjurantur, nec justis, quorum voce torquentur, mentiri possunt.* Cyprian. de Idol. Vanit.: *Videas illos unde veniant et quando discedant, ipsis etiam, qui se colunt, audientibus confiteri.* Minuc.: *Quod sunt, eloquuntur; nec utique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum assistentibus, mentiuntur.*

Μία (*inquit*) φυλακὴ εὐσέβεια, etc. Hæc ad verbum non reperio, sed similia, cap. 10, Asclep. *Justo*, inquit, *homini in Dei religione et in summa pietate præsidium est; Deus enim tales ab omnibus tutatur malis*, etc.

CAPUT XVII.

Astrologia. Judiciaria videlicet, quæ per siderum aspectus vaticinari futura contendit. Vid. Tertull. Apolog. c. 35 et lib. de Idololat. Damnat has omnes artes, de quibus hic sermo, etiam Cicero I de Nat. deor.; easque demolitur egregio volumine Joan. Francisc. Picus, cui tit. De rerum Prænotione.

Ἐπεὶ πλάσας πάντα, etc. Inter carmina Sibyllina non extant.

Induerunt. Retinui lectionem Vaticanorum et omnium impressorum; nec placuit lectio B.: *induxerunt.* In ea locutione secutus est Lactantius optimos auctores. Cicero II de Finibus: *Ex ejus spoliis sibi, et torquem, et cognomen induit. Livius, mihi cura mea et fides nomen induit patroni plebis.* Personæ quoque indui proprie dicuntur.

Sic enim mundum regi a Deo dicimus, ut a rectore provinciam. Bellissima comparatio. Aristoteles in libell. de mund. *illum se habere in mundo* dicit, *tamquam imperatorem in exercitu.*

Non quo ullum honorem desiderent, etc. Quin imo honorem affectant, ut supra l. I, c. 7, et hoc libro c. 15. S. August. l. IX de Civ., c. 20, et idem omnes theologi affirmant. Nam, ut ait S. Thom. pr. pr. quæst. 64, art. 2, ad. 3, spiritus mali in eodem peccato permanent, quo primo peccaverunt, quantum ad appetitum, licet non quantum ad hoc, quod obtinere se posse putent: at peccatum illud fuit peccatum superbiæ; unde et Christum Dominum tentans diabolus ausus est dicere: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Matth. IV.

Inde est, quod ab augure lapis novacula incisus est, etc. Hic finis est disputationis, quam exorsus fuit cap. 9 de diabolo, ejusque consortibus angelis; videlicet de creatione illorum, de peccato, damnatione, ejectione, primorum parentum deceptione, denique de illorum natura, odioque adversus homines, ut rationem ostenderet admirandorum quorumdam operum, et præstigiorum ab iis effectorum aliquando et cap. 8 hujus libri recensitorum, quorum hoc loco epilogum facit.

Et victorias. Exemplum afferri potest de Sylvani voce ex Arsia sylva missa, ut apud Livium initio secundi primæ Decad. Valer. l. I, c. 8, Plut. in Poplicola.

Quod formosum puerum in templo Jovis ad exuvias tenendas collocarat. Apud Valer. Max. a quo desumpsit Lactantius, hæc ita scribitur historia lib. I, cap. 2: *Creditum est, Varronem consulem apud Cannas cum Carthaginiensibus tam infeliciter dimicasse ob iram Junonis, quod cum ludos Circenses Ædilis faceret, in Jovis optimi maximi templo eximia facie puerum Histrionem ad excubias tenendas posuisset.* Insigniter locus iste corruptus legitur in codicibus tam Valerianis, quam Lactantianis, nec a Pighio, qui Valerium emendatum edidit, nec ab alio quoquam animadversus. In pompa Ludorum Circensium exuvias quoque deorum e templis ad Circum ductas in tensis, notum est ex Sisinnio Capitone apud Festum in *Tensa*, his verbis: *Sisinnius Capito* (nam ita ibi legendum, non *Sinnius*, ex Lactantio, inf. lib. VI, c. 20) *tensam ait vocari vehiculum, quo exuviæ deorum ludicris circensibus in Circum ad pulvinar vehuntur; fuit et ex ebore, ut apud Titinium in Barbato, et ex argento.* Tertul. in lib. de Spectacul., cap. 27: *Sed Circensium, inquit, paulo pompatior suggestus, quibus proprie hoc nomen pompa, præcedit, quorum sit in semetipsa probans de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de tensis, de armamaxis, de sedibus, de coronis, de exuviis*, etc. Asconius Pædian.: *Tensæ autem sunt sacra vehicula, pompa ordinum, et hostiarum, et officiorum, sic dictæ, quod ante eas lora* (al. *linea*) *tenduntur, quæ gaudent manu tenere, et tangere qui eas deducant.* Alii ἀπὸ τοῦ θείου, hoc est, a re divina sic dictas malunt; et tunc *thensa*, per *th*, scribitur. Hisce tensis, atque deorum exuviis, dum gestarentur in pompa, præfectos pueros custodes

Digitized by Google

intelligo ex Ciceron in Oration. de Aruſp. respons. ubi inquit : *An si Ludius constitit, aut ilbicen repente conticuit, aut puer ille patrimus et matrimas si terram non tenuit aut si tensam, aut lorum omisit, aut si Ædilis verbo, aut si mutu aberravit, ludi sunt non rite facti?* Quem locum pene ad verbum retulit Arnobius ad fin. IV. Primum igitur in Valerio ita locus ille distinguendus est, atque scribendus, ut virgula ducatur post *faceret;* deinde quod sequitur, continenter totum absque ullo puncto legatur ita : *Quod cum ludos Circenses Ædilis faceret, in Jovis optimi maximi templo eximia facie puerum Histrionem*, etc. Et sic illa, *in Jovis optimi maximi templo*, tribuantur posteriori commati, ut detur intelligi, Ædilem posuisse eximia facie puerum in templo Jovis, ut est apud Lactantium; non autem ducatur virgula, seu semicirculus post *templo*, ut mendose in omnibus Valerii codicibus, quia sic illa, *in Jovis optimi maximi templo*, cum priori commate junguntur, et significatur *Ædilem ludos Circenses fecisse in templo Jovis*, quod liquido falsum est. Non enim *in templis* B ludi fiebant : sed vel *in Circo*, ut ex etymo eorum ludorum, ex Sisinnio Capitone ubi supra, Dionys. in fin. VII Antiquit. Cassiodoro epistola ad Faustum, Volaterrano Commentarior., lib. XXIX, cap. de Celebrit. Ludorum; vel in foro, ut tradit Volaterranus ibidem : nec eum fuisse Valerii sensum, ex Lactantio intelligitur. Deinde pro *excubias*, utrobique legendum *exuvias*, ex locis supra citatis; et ita hic in Lactantio legunt omnes optimi mss. B. T. P. 12 Vatic. et editiones multæ, Veneta, Tridin. et Florent. Juntar., licet octo codices Valerii in Vaticano, et omnes quotquot impressos vidimus, item Aldina editio Lactantii prorsus habeant, *excubias*, unde procul dubio ex Lactantio Valerius est corrigendus. Ecquis enim unquam Latinorum dixit, *tenere excubias*, pro *agere*, vel *habere excubias?* Conjicio mendum irrepsisse, quia vetusti codices, pro *exuvias*, haberent *exubias*, vel *exsubias;* solebant enim antiquitus, pro littera *v*, pleraque litteram *b* substituere : sic *connibere*, et *coacerbare*, et his similia efferebant, pro *connivere*, *coacervare*, ut C monui lib. III, cap. 4, et lib. V, cap. 1. Addebant quoque *s* post *x* : nam *exspecto*, *exsul*, *exsequor* enuntiabant; ut vero simillimum videatur, quia ejus dictionis, ita ut dixi scriptæ, significationem haud fuerint assecuti *c* litteram, vel addidisse, vel substituisse scribas seu typographos, et ita ut corrupte legitur, scripsisse, vel excudisse.

Fatis Junonis iniquæ. Respexit ad illa Virgil. VIII Æneidos :

Ut duros mille labores
Rege sub Eurisheo fatis Junonis iniquæ
Pertulerit, etc.

Cum Annibal duos exercitus populi Romani, et astu, et virtute confecit. Historia est apud Livium lib. II, 3 Decad. Plutarch. in Annibale.

CAPUT XVIII.

Ut mala cum bonis pugnent, etc. Idem habet lib. V, c. 7, lib. VI, c. 15 et 22, et lib. VII, cap. 4, in fin.; et S. Thom. in III cont. Gent., cap. 71, in V, ratione, ubi egregie toto illo capite edisserit, cur Deus mala D fieri permittat, neque divina providentia omnino tuferat malum a rebus; ea quoque de re insignem librum composuit Seneca, cui titulus de Divina Providentia. Vide præterea Dionys. Areop. cap. 3 de Div. nom., Basil. in Homil. quod Deus non est auctor mali, Augustin. in Enchirid. cap. 11 et 96.

Quæ persuasio veritatem atque religionem funditus tollit. Affectus aliquos, et præsertim iram, in Deo vere et proprie reperiri putavit Lactantius; idemque aliis suadere conatus est, non solum hoc loco, sed integro libro, cui titulum fecit de Ira Dei, ubi præsertim cap. 16 et 17, id asserit expressis verbis. Cujus positionis atque opinionis falsitatem discere potuit saltem a sui ipsius præceptore Arnobio sæpe illam Gentibus exprobrante lib. I, in princ., et lib. VII, pluribus locis. Tertullianum quoque eodem errore implicitum novimus ex lib. de Testimon. Anim. cap. 2, lib. de Anim. cap. 26, et aliis locis, contra quem Catholica veritas statuitur a S. Thoma in pr. contra Gent. cap. 89, videlicet, iram nec ratione generis, et sicut passio B est, nec ratione propriæ speciei Deo convenire. Si quando vero in sacris Litteris ira Deo tribuitur, metaphorice accipitur; cum enim punitionem atque vindictam in malos exerceat Deus, quod in hominibus iræ effectus esse solet, ideo Deum irasci dicimus. Sed cum ipse omnino simplex sit atque immutabilis, de eo quidem ira, misericordia, pœnitentia et cætera ejusmodi proprie, et secundum passionis affectum dici non possunt, sed duntaxat secundum similitudinem effectus, ut idem S. Thomas docet p. p. quæst. 21, art. 3.

CAPUT XIX.

Quod veritatem fuco et imitatione mentitur. Sed nec Bonon. lectio displicet, *quod veritatem facie*, etc., frequenter enim facies pro similitudine accipitur. Virgil. IV Georg. :

Curvata in montis faciem circumstetit unda.

Sallust. II Hist. : *Sardinia in Africo mari facie vestigii humani.*

Sed mimus religionis, etc. Ita lego cum Petro Fabrio II Semestr. cap. 16, sicut inveni in lib. Florentinianæ editionis, et aliquot aliis. Nam quia dixerat, religioni ethnicorum simulationem esse, atque ideo falsitatem, propterea dicit, non illi veritatem inesse, *sed mimum*, id est, imitationem duntaxat quamdam religionis, et veritatis; mimi enim prorsus est imitari ac simulare. Senec. Epistolar. lib. V, epist. 26, *Modo dicebam : Itaque componor ad illum diem, quo remotis strophis ac fucis de me pronuntiaturus sum, utrum loquar fortia, an sentiam, numquid simulatio fuerit, et mimus, quicquid contra fortunam jactavi verborum contumacium.* Al. *Sed minus religionis.*

Cujus origo de cœlo est. Sic sup. c. 2, in fin. : *Terrena, qui oriuntur e cœlo.* Quod videlicet a Deo, qui singulari quodam modo *in cœlo* dicitur esse, producantur humanæ animæ, ideo eas *e cœlo* originem trahere dicit; hoc enim sensu recte dicimus, humanas animas e cœlo originem ducere, sive cœlestes aut divinas esse, non quia in cœlo productæ fuerint ante corpora : nam nec ab ipso Lactantio id recipi, dictum est supra, ad cap. 11 hujus libri.

LIBER TERTIUS.

CAPUT III.

Nam causas naturalium rerum disquirere, etc. Ita Socrates apud Xenophontem, lib. I de Memorab. Socr. in principio; et idem argumentum tractat Cicero IV Academic. quæst.

Sol utrumne tantus, quantus videtur, etc. Aristot. I Meteor. Summa I, cap. 3, ad fin., ait, valde puerile esse, putare unumquodque eorum, quæ feruntur in cœlo, parvum esse, quia tale videtur hinc prospicientibus; et cap. 2 de Insomniis scribit, in hoc decipi sensum, quod Sol pedalis videtur. Lege Platon. in Epinomid., Lucret. V, Cicer. II Academic., Cleom. lib. II, Plin. II cap. 11, Plutarch. lib. II Placitor. cap. 21 et seqq., Laertium in Anaximand., et Epicuri epistolam ad Pythoclem apud Laertium in Epicur., Macrob. in Somn. Scip. lib. I c. 20, Basil. Orat. 6, in Hexaemer. Et in universum de omnibus hisce quæstionibus hic a Lactantio memoratis vid. Joann. Franc. Pic. de Vanit. Doct. Gent. lib. I, cap. 12.

Digitized by Google

Luna globosa. etc. Plutarch. II Placit. cap. 27.

Et Stellæ utrumne adhæreant cœlo. Anaximandri sententia, referente Plutarch. II Placit. cap. 16, et Aristot. II Cœli, hodie ad omnib. philosophis ac mathematicis recepta.

An per aerem libero cursu ferantur. Agitata quæstio non solum a Stoicis, ut apud Ciceronem de Nat. deor. lib. II et aliis philosophis, sed etiam a Patribus : an stellæ ipsis sint affixæ orbibus adeo, ut eorum tantum circumlatione convertantur, an vero cœlo immoto, seu, ut dixit Chrysostom., aere constrato, eoque permeabili, atque cedente, divino decreto, sive anima ipsa duce ferantur, et circumagantur. Procop. Comment. in Genes. cap. I : *Quidam pronuntiant, luminaria longinquo a cœlo intervallo in aere vagari multum a cœlo remota*, etc. Elias Cretens. ad Orat. 7 Nazianzeni : *Ideoque*, inquit, *ne astra quidem universa cœlo infixa esse, sed aeri incumbere tradunt, qui ea perinde sustineat, ut volucres*, etc. Quid autem hic per aerem intelligatur, ostendit Junilius in Hexaemeron. *Sed intelligendum est*, inquit, *quod ideo dictum sit volare aves secundum firmamentum cœli, quia hoc nomine et æther indicetur, hoc est superius illud aeris spatium, quod a turbulento hoc, et caliginoso loco, in quo aves volant, usque ad astra pertingit, quod esse tranquillum prorsus, ac luce plenum non immerito creditur. Nam errantia sidera septem, quæ in hoc ætheris spatio vaga ferri perhibentur, Scriptura in firmamento cœli esse posita dixit*, etc. Et Anselmus Cantuarien. lib. I de Imagin. Mund., cap. 3 : *Ignis*, inquit, *æther quasi purus aer dicitur, et splendore perpetuo lætatur. De hoc angeli corpora sumunt, cum ad homines missi veniunt. In hoc septem stellæ singulis circulis contra mundum feruntur, et ob vagum cursum planetæ, id est, erraticæ dicuntur*, etc. Stellas propriis motibus cieri, non cœlo affixas putavit quoque Philo Judæ. in lib. de Gigant.; Justin. Martyr lib. cont. Aristot. et quæst. Orthod. 59 et 93; Origen. V cont. Celsum, et I Princip. cap. 7; Lactantius inf. cap. 24; Euseb. Emissen. ad cap. I Genes. relatus in Caten. Lipom. Diodor. Tharsen. ut in ead. Caten., et Chrysostom. Homil. 6, in Genes.

Utrum quietum sit an mobile, etc. Hæc est magis recepta lectio. Sed B. cod. habet, *utrum quietum sit et immobile*, cum quo Isidorus totum hunc locum ad verbum referens concordat lib. II Origen. c. 24, Seneca VII Natur. quæst. c. 2 : *Illo quoque*, inquit, *pertinebit hoc excusisse, ut sciamus, utrum mundus terra stante circumeat, an mundo stante terra vertatur*, etc. Cœlum quiescere, terram solam moveri credidit Nicetas Syracusius, referente Theophrasto apud Ciceron. IV Academic., et Cleanthes Samius, tradente Plut. in lib. de Fac. in Orb. Lun. Plato quoque, secundum nonnullos, licet id paulo obscurius enuntiarit. Sed et recentioribus quibusdam idem παραδοξότατον comprobatum video, Nicolao de Cusa Cardinali lib. II de Doct. Ignor. cap. 12, Cœlio Calcagnino, Copernico. Vid. notat. ad cap. 24, hoc ipso lib.

Quanta sit terræ crassitudo. Plato ad finem Phædon. Cleomedes lib. I, Macrob. I in Somn. Scip. c. 20.

Quibus fundamentis librata. Plat. ubi supra, Ptolem. III Almagest. c. 7, Cicero in Academic.

Licet connivere videatur. Hæc lectio reperitur in plerisque; quidam codices habent *conticere;* in B. scriptum est *connibere*, ea videlicet prolatione, quia olim *b*, pro *v*, efferebant in quibusdam dictionibus : sic *connibentia*, pro *conniventia*, sæpe reperitur in Codic. Theodosian. et apud Joann. Cassian. in codicibus Vatican. lib. VI, cap. 9, et lib. VIII, cap. 8. Glossarium etiam habet, *connibentia* ῥαθυμία. Id monuit Petrus Ciacconius in Annotation. ad eumdem Cassian.

CAPUT IV.

Sparti illi poetarum. Haud crediderim, ut Janus Guilielmius in quæstionibus ad Plaut. Menæchm. c. 4, Lactantium scripsisse *Spartiatæ*, ut fere in omnibus impressis habetur; id plane imperiti hominis fuisset : sed Græce Σπάρτοι, id est *sati*, vel *seminati*, ut Græcum id nomen vertit etiam Plin. lib. XIX, cap. 1, in fin., sive potius scripsisse Lactantium latinis litteris *Spartæ*, οι in œ diphtongum versis, tanquam unum ex iis nominibus, quæ a latinis latine, græca tamen inflexione, solebant efferri; ut acta, ἡ ἀκτή, littus. Virg. V :

> At procul in sola secretæ Troades acta
> Amissum Anchisen flebant, etc.

Cic. 7 Verrin. : *Uxorem ejus parum poterat animo soluto ac libero tot in acta dies secum habere.* Item probata, πρόβατα, oves : Plin. lib. VII, c. 2 : *Quarum laudatione intereant probata, arescant arbores*, etc. Ejus dictionis significationem scribæ non percipientes, illico mendum suspicati, obviam alteram huic similem arripuere, et pro *Spartæ*, substituentes *Spartiatæ*, mendum illi huic loco, et quidem insigne invexerunt : quod in omnes fere codices tam mss. quam impressos irrepsit; nam editio ab Jano Parrhasio castigata, et Florentina Juntarum veram lectionem exhibent. Nota fabula Euripidis, Ovidii, aliorum, cujus et auctor rursus meminit lib. VI, cap. 16, de Dentibus draconis satis a Cadmo, e quibus armati homines exorti Σπάρτοι græce, id est, *sati* sunt appellati. Censorin. de Die natal. cap. 3 : *Nunc vero*, inquit, *eo licentiæ poeticæ processit libido, ut vix auditu ferenda confingat; post hominum memoriam progeneratis jam gentibus, et urbibus conditis, homines e terra diversis modis editos, ut in Attica fertur regione Erichtonius ex Vulcani semine homo exortus, et in Colchide, vel Beotia, consitis anguis dentibus armati Spartæ* (ita enim, vel Σπάρτοι etiam ibi legendum, non, ut corrupte in impressis, armati partus, rectissime monuit idem Guilielm. lib. III *Verisimilium* cap. 5) *e quibus mutuo inter se necatis pauci superasse traduntur, qui in conditu Thebarum Cadmo fuerunt adjumento*, etc. Apollodorus sub initium tertii Biblioth. ubi de Cadmo : *Quare*, inquit, *indignatus Cadmus Draconem interemit, ac Minervæ consilio ejus dentes serit, quibus satis, armati e terra viri exorti sunt, quibus Spartis nomen inditum fuit. Hi postea mutuis sese vulneribus, alteri quidem vel inviti pugnam congressi, alteri vero, quod alter alterum nequaquam cognosceret, occiderunt*, etc. De iis Gell. lib. XVII, cap. 3. M. Varronem meminisse refert eum Homeri versum, qui sub initium II Iliad. legitur, enarrantem, καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε, etc. Meminit et Euripides cum alibi, tum Phœnissis, et Eustath. super illud secundi Iliad. φάριντε, Σπάρτηντε, et Stephanus de Urbib. in Spart.

Arcesilas Academiæ conditor. Novæ scilicet; nam vetus fuit illa Platonica, Laert. in Arcesil., Cic. in fin. p. I, quæst. Academicar. et 3 de Orator.

CAPUT VI.

Ut enim nihil sciri posse sciendum sit, aliquid sciri necesse est, etc. Quæstio est apud veteres et recentiores, Num ii, qui veritatis omnis comprehensionem negaverunt, hujus saltem unius propositionis veritatem, tanquam Philosophiæ suæ finem sibi reservare et retinere potuerint, qua dicebant, nullum verum dari posse, et cui negatio omnium aliarum veritatum innitebatur. Videlicet datur hæc veritas, quod nullum verum dari potest. Lactantius affirmavit hoc loco, et multo ante ipsum Socrates, Antipater, Antiochus Philonis auditor, de quibus Cicero in Academicis; deinde Clemens Alexandrinus ultimo Strom. Aven. Rois. 4 Metaph. tex. 28, Sanctus Thom. p. p. quæst. 2, art. 1 ad 3, et ibi interpres ejus Cajetan. Negaverunt Arcesilas et Carneades apud Ciceronem, ubi supra, et Metrodorus Chius, Lucr. 4, Joann. Duns I Sent. distinct. 2, quæst. 2, ad 3, Greg. de Arimin. ead. dist. quæst. 1 ad 2, qua de re videto subtiliter disserentem, et huic Lactantii loco lucem afferentem Mazzonium civem meum l. I De Comparatione Platon. et Aristot. sect. 3, c. 2.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Epicurus summum bonum in voluptate animi esse censet. Quæ de sententiis philosophorum de summo bono hoc loco afferuntur, fere desumpta sunt ex Lucullo Ciceronis ad fin., et II de Finib. et de Epicuro hoc quidem nonnulli crediderunt, quamvis maxima pars Scriptorum ab eo bonum hominis in corporeis voluptatibus constitutum affirmet. Quin etiam idem Lactantius sibi parum constans infra cap. 17, illum voluptatis corporis assertorem, et cap. 27 voluptarium hominem nominat ex Cic. II Tusc., Senecam quidem maximum Stoicorum, quorum dogmata vehementer a corporis voluptatibus abhorrent, Epicuri studiosissimum fuisse ex ejus epistolis constat, quas ferme omnes aliquo Epicuri præcepto conclusas voluit; ejusque de illo sententiam habet cap. 12 et 13, B de Vita beata. Quodnam autem summum bonum, et quam voluptatem finem esse dicat Epicurus, suam ipsemet sententiam enuntiat in epistola ad Menæceum, apud Laertium in Epicur. claris disertisque verbis; cujus sententiæ meminit quoque Cicero in primo de Finibus. Petr. Victor. Variar. Lect. lib. xxvii, cap. 14, persimilem eum Socrati fuisse contendit; et Laertius testatur plerosque asseruisse illum continentissimum, adeo ut aqua tantum et cibario pane contentus fuerit.

Callipho et Dinomachus Cyrenaici. Haud plane intelligo, quomodo hi philosophi, qui in summo bono statuendo honestatem cum voluptate jungebant, a Lactantio Cyrenaici dicantur, cum hæc positio ab Aristippi sententia, qui summum bonum in solis corporeis voluptatibus statuebat, discrepet immane quantum. Sane quidem Cyrenaicorum principem fuisse Aristippum, eamque philosophorum sectam ab eo fluxisse, testis est Cicero ad fin. Lucull. et III Offic. Strab. in fin. 17, Laert. in Aristipp., Suidas C littera η, quin et Lactantius ipse hoc cod. lib. c. 15.

Diodorus cum privatione doloris. Summum bonum posuit Hieronymus in non dolendo. Sic omnino legendum et interpungendum esse hunc locum, ut olim Ciacconius animadvertit, et ratio ipsa, et Cicero, ex quo ferme omnia hæc mutuatus est Lactantius, pervincunt. Nam si legas, *Diodorus in privatione doloris summum bonum posuit: Hieronymus in non dolendo*, ut vulgo legitur, quæ porro erit differentia inter opinionem Diodori, et opinionem Hieronymi? At constat ex Cicerone, hoc interesse, quod Diodorus non simpliciter in non dolendo summum bonum ponebat: sed cum vacuitate doloris etiam honestatem jungebat; Hieronymus vero id simpliciter, nullo adjecto, in non dolendo statuebat. Cicero II de Finib., paulo post initium: *Callipho adjunxit ad honestatem voluptatem; Diodorus ad eamdem honestatem addidit vacuitatem doloris.* Et paulo inf.: *Callipho ad virtutem* D *nihil adjunxit, nisi voluptatem, Diodorus nisi vacuitatem doloris;* et inf.: *Ita tres sunt fines expertes honestatis, unus Aristippi, vel Epicuri, alter Hieronymi, Carneadis tertius; tres in quibus honestas cum aliqua accessione, Polemonis, Calliphonis, Diodori,* etc. Eadem repetit ad fin. Luculli et III de Officiis.

CAPUT VIII.

Aiunt Cyrenaici virtutem ipsam ex eo esse laudandam, quod sit efficiens voluptatis, etc. Sic Cicero in fine de Offic. At qui ab Aristippo: *Cyrenaici atque Annicerii philosophi nominati, omne bonum in voluptate posuerunt, virtutemque censuerunt ob id esse laudandam, quod efficiens esset voluptatis.* Non igitur hæc sibi adversantur, ut et summum bonum in voluptate statuerent, et tamen virtutem laudandam putarent; nam voluptatem quidem simpliciter et propter se amplectebantur: virtutem autem non propter se, sed propter ipsam voluptatem, id est, nonnisi in quantum quasi ipsis voluptatis causa esset, vel occasio.

Non plane Peripateticorum. Janus Guillielm. in quæst. ad Plaut. Menæchm. cap. 4, putat legendum, A *plano Peripateticorum;* ut nova compositione verbi, inconstantiam disserendi, et simul erraticam ambulationem Aristotelicorum Lactantius exagitarit: errones enim planos dici notum est.

Sed Cynicorum. Hic quoque legendum putat Janus ibidem, *Clinicorum*, et ita in mss. quibusdam codicibus legi testatur; Clinicos philosophos ridicule dixisse Lactantium ægrotos lectis affixos, et de valentium beata vita disputantes ea, quæ præsens ægritudo dictat, allusisseque ad Clinicos medicos, qui lectos ægrotorum ambiunt.

Per quod necesse est ad aliud perveniri. Ita legendum ex B. T. P. et omnibus mss. optimis, non ut vitiose in excusis, *propter quod*, etc. De medio enim loquitur, *per quod pervenitur;* et supra dixerat, *per laborem, per virtutem*, etc.

CAPUT IX.

Quæ dixerunt. Ita legend. ex duob. B. Sancti Salvator. P. et aliquot Vatic. non, *qui dixerunt.* Is enim Lactantii sensus est, ut dicat nullum eorum, quæ ipsi philosophi dixerunt esse summum bonum, tale quid esse, etc.

CAPUT X.

Neque tam immansueta, neque tam fera, etc. Sic habent omnes excusi, et multi mss. et Cicero ipse, tum I de Legib., unde hæc sententia deprompta est, tum I Tuscul., unde hæc altera consimilis: *Quod nulla*, inquit, *gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio.* Uterque tamen cod. S. Salvator. T. P. et nonnulli Vatic. habent, *neque tam mansueta*, etc., quæ lectio magis placuit *Thomasio.* Ego ab ipsius Ciceronis lectione discedere nolui.

CAPUT XI.

Nullum omnino philosophorum extitisse, qui sedem, ac domicilium summi boni reperiret. De summo bono opiniones veterum refellit, de quibus Aristot. I Ethic. cap. 6, Boeth. de Consolat. Philosoph. lib. II, S. Thom. III cont. Gent. cap. 27 et seqq. et in 1, 2, tota quæst. 2.

Et optantur, etc. Non addenda negatio, ut in B. qui habet, *et non optantur*, etc. Nam quod negat, divitias summum bonum esse, hoc probat argumento, quia non explent animum, imo magis ac magis expetuntur etiam ab iis, qui eas possident. Senec. epist. 120, quoties aliquid: *Neminem*, inquit, *pecunia divitem fecit, imo contra nulli non majorem sui cupiditatem incussit. Quæris quæ sit hujus rei causa? Plus incipit habere posse, qui plus habet.*

CAPUT XII.

Menœceus. Vid. Tull. I Tuscul., Statium X Thebaid., Plutarch. in Pelopid., Juven. Satyr. 14, Pausan. in Beoticis.

Codrus. Val. Max. lib. V, cap. de Pietate erga patriam, Cicero I Tuscul.

Curtius. Val. Max. ubi sup., Liv. lib. VII, 1 Decad. Suid. in Λεβερνίδων.

Et Mures duo nunquam mortem, etc. Lect. 11, Vatic. expressi. Puto quod quia, *Mures*, non satis nota vox erat, quasi mendum fuerit rejecta, unde sit scriptum, *et Decii duo nunquam*, etc., sicut in 1 Vatican. et Pen. vel τὸ *Decii*, quod ad oram, quasi glossema illorum verborum *et Mures duo*, positum erat, demum in textum irrepsisse, et ita factum, *et Mures duo Decii nunquam*, etc., sicut habent editi multi. B. autem et T. habent: *Mutius et duo Decii nunquam*, etc. Sed *Mures* cognomine dictos *Decios* intelligimus ex Livio initio VIII, I, Dec. qui de patre *Decio* creato consule inquit, *creavere consules Titum Manlium Torquatum III, P. Decium Murem.* Quomodo vero sese ambo pro Republica devoverint, vide eumdem Livium d. lib. VIII et X, I Decad. Valer. V, Senec. epist. 68, *ut a communibus*, etc.

Quoniam illud ad hanc vitam retulerunt. Ita ex B. et P. correcta lectio impressorum, *quoniam ad illum in*

Digitized by Google

hanc vitam, etc., quæ hic nullum sensum habet.

Hoc uno beati esse in hac vita possumus, si minime beati esse videamur. Mire congruunt cum illis Salvatoris nostri cap. Joan. XII : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

CAPUT XIII.

Ad quam se abjectis omnibus Socrates contulisse dicitur. A Xenophonte scilicet I Memorab. Socratis, Aristotele I Metaph. cap. 5 et lib. XIII, Summ. II, cap. 1, et de Part. Animal. lib. I, cap. 1 et a Laert. in Socrat.

Cujus studium qui vituperat, etc. Textus Cicer. non nihil discrepat.

CAPUT XIV.

Tibi vas ad fontem. Impressi omnes, et multi mss. *tibias ad fontem.* Cujus dicti ut rationem inirem, cum Græcos et Latinos auctores omnes pervolutassem, nec quicquam profecissem, mendum denique suspicanti mihi venit in mentem consulere codices Vaticanos, et decem eorum ita scriptum habere inveni, ut ego cpravi excudendum, sane quidem apposite, et ad Firmiani sensum accommodatissime. Mendum ideo invectum puto, quod exemplar fortasse, unde librarii excipiebant, duas illas voces ita conjunctas haberet, *tibiasad*, quod cum sensu careret, statim *tibias* scripserint. *Tibi vas ad fontem*, adagium est, ut puto, ex aliquo poeta comico mutuo sumptum, et competere potest ei, cui ad votum et commodum aliquid absque labore contingit, similitudine ab eo ducta, qui ad fontem accedens absque lagena, ibi tamen vas forte fortuna paratum reperit, quo aquam hauriat et secum deferat. Quod tamen adagium nusquam hactenus alibi comperi. Jocatur itaque suo more Lactantius, et Lucretium exagitat, qui ab aliquo homine repertam sapientiam dixerit, quasi vero ille homo, quem laudabat, sive is Pythagoras, sive Thales, sive quisquis alius fuerit, ipsam alicubi ita jacentem ac paratam offenderit, ut ad eum proverbium illud pertinere possit, *Tibi vas ad fontem.*

Hominemque figuravit. Sic impressi omnes : at B. P. *hominemque generavit.* Utraque lectio Lactantio familiaris : lib. IV, c. 4: *Is enim necesse est hominem figuraverit*, etc., lib. VII, cap. 14 : *Figuratio terreni hominis cœlestis populi præferebat in posterum fictionem* ; cap. 7 Epitom. : *Nam cum imbecillior sit hominum natura, quam cæterarum animantium, quas Deus et instructas ad inferendam, et munitas ad vim repellendam figuravit.*

Mihi autem non modo ad sapientiam, etc. Excidisse hæc ex aliquo Academicar. quæst. lib. putat Signon. ad Ciceronis fragmenta.

Philosophiæ quidem præcepta noscenda, etc. Hæc excidisse putantur ex epistolis ad Marcum filium.

CAPUT XV.

Philosophia, etc. Habes similia in epistola 90, Rem utilem, 91, Quis dubitare, et 95, Eam partem philosophiæ.

Quotusquisque, inquit, *philosophorum*, etc. Locus hic paulo aliter legitur in Tusculan.

Indicium professos putes. Hanc lectionem B. Codicis et Juntarum editionis secutus sum cum Thomasio; nam illæ, *in judicium suum*, vel *in judicium sui*, vel *judicium suum professos putes*, quæ in aliquibus mss. et impressis habentur, parum latinæ videntur (ut etiam Budæus notat) et parum idoneæ, quæ Lactantii sensum enuntient. Est autem indicium profiteri, ultro sese consortesque criminis deferre ac denuntiare. Martianus in l. 1, D. ad l. Cornel. de Sicar. : *Quive cum magistratus esset, publicove judicio præesset, operam dederit, quo quis falsum indicium profiteretur.* Nam ita legit eum locum Budæus in Annotat. ad Pand. Pratcius in Thesaur. jur. civ. verb. *indicium profiteri*, et Brisson. lib. IX et XIV de Verbor. signific. Scevola in l. Athales, D. ad l. Corn. de fals. *professus est indicium* (ita legunt Pandec. Florent.) *apud Maximilam*, etc. Sallustius Jugurthino : *Sed ipse deprehensus, multis hortantibus, et in primis Albiano Cos. indicium profitetur.* Ascon.: *Neque senatoria persona potest indicium profiteri salvis legibus.* Sueton. in Domitian.: *Professusque conjurationis indicium, et ob hoc admissus, legenti traditum a se libellum et attonito suffodit inguina.* Plin. Epistol. lib. III, epist. 16 : *Eadem apud Claudium uxori Scriboniani cum illa profiteretur indicium, ego*, inquit, *te audiam, cujus in gremio Scribonianus occisus est, et vivis?* Ita igitur philosophi cum contra libidinosos, avaros, honorisve cupidos acriter perorarent, ipsi quoque eisdem sceleribus obruti, adeo redundare ad ipsos sua in publicum missa maledicta omnes intelligebant, ut nil aliud efficere disserendo viderentur, quam sese ultro, sicuti eorumdem vitiorum reos, ita eadem vituperatione ac pœna dignos fateri; nec alios tantum, sed et una semeptisos apud populum accusare atque deferre. Hoc autem est, ut diximus, *indicium profiteri.*

Aristippo Cyrenaicorum magistro cum Laide nobili scorto fuit consuetudo, etc. Cic. Epistol. famil. lib. IX, epist. ultima ad Papir., Pæt. Athenæ. lib. XII, c. 20, Laert. in Aristipp.

Disserens voluptatem corporis esse summum bonum. Quamobrem Xenophon infesto in ipsum animo contra voluptatem librum composuit, ut tradit Laert. in Aristippo.

CAPUT XVI.

Civiles viros, qui rempublicam gubernent. Hæc Cicer. Interciderunt.

Profecto, inquit, omnis istorum disputatio, etc. Excidisse his locus putatur ex Hortensio Cic. seu de Philosophia, in quo legendum est, *istorum*, ut etiam monuit Andræas Patricius in Annot. ad Ciceronis Fragmenta, et reperitur in omnibus Vatic. et B. T. P. aliisque mss. optimis; non, ut vitiose in editis, *justorum.* Deinde ih ea clausula, vereor ne non tantum videatur attulisse negotiis hominum quamdam oblectationem otii, secutus sum receptiorem lectionem; sic enim habent 9 Vaticani, P. Aldin. et operum Ciceronis editio castigata a Lambino, et eam probat Patricius in d. Annotationibus, nisi quia editi habent, *ne tantum* : sed mss. *ne non tantum.* B. habet, *ne tantum videatur attulisse negotiis hominum utilitatis, quantum oblectationem otiis.* Alias quoque lectiones profert Patricius ; at mihi, ut verum fatear, nulla placet, nec hariolari placet.

Nundum sunt, inquit, mille anni, etc. Vid. et ejusdem Senecæ epistolam 91, *Quis dubitare.*

Cum saporis mercibus, etc. Gullielmus Canterus III, nov. lection. cap. 30, legit I majori littera, *Saporis;* putat enim Lactantium de mercibus Saporis Persarum regis locutum: sed hæc expositio nullo pacto recipi potest, cum nequaquam possit accommodari ad versum Persii hoc loco relatum, qui multis ante Saporem regem vixit annis. Quamobrem merito refutata fuit a Roberto Titio Locor. controversor. lib. IX, cap. 3, qui veram ac sinceram, ut reor, interpretationem attulit, Lactantium videlicet putavisse, eo loci Persium significare, philosophiam in urbe advectam fuisse cum *saporis*, id est, *saporatis*, seu *sapidis mercibus*, quæ ex Asia deferri non multo ante cœperant, cujusmodi est piper atque alia ejus generis aromata ; interimque allusisse ad sapientiæ nomen, quod a *sapore* quasi per contemptum vult deduci, quem illa traxerit a mercibus illis, quibuscum ad nos ipsa delata fuit: atque adeo censet Titius, illud *saporis* esse ablativum plurale ab adjectivo *saporus, sapora, saporum*, nove quidem a Lactantio formatum, imitatione tamen et exemplo aliarum dictionum consimilium, ut ab *odore, odorus, odora, odorum;* a *vapore, vaporus*, etc. a *canore, canorus*; ab *honore, honorus*, etc.

CAPUT XVII.

Sed quia multos populare nomen voluptatis invitat. At Lactantius contra superius cap. 7 asserebat, Epi-

Digitized by Google

curum *voluptatis non sensuum, sed animi assertorem.* *Ipse suas disturbet.* Lucr. *sæpe suas disturbet*, etc.

In libris Consulatus sui. Qui interciderunt: sed versus quos refert, habentur II de Divinat., ubi secundus versus paululum variat; ibi enim:

Ipse suos quondam tumulos, ac templa petivit.

Nulla, inquit, dispositio est; multa enim facta sunt aliter quam fieri debuerunt, etc. Epicuri sunt omnia quæ delirat Lucretius, ut ipse Firmianus aiebat lib. de Opific. cap. 6. Hic igitur illa Lucretii innuit, lib. II, sub initium:

At quidam contra hæc ignari materiai, etc.

Et lib. V, sub initium:

Quod si jam rerum ignorem primordia quam sint, etc.

Nihil, inquit, in procreandis animalibus, etc. Lucretius IV:

Illud in his rebus vitium vehementer, et illum
Effugere errorem vitareque præmeditator,
Lumina ne facias oculorum, etc.

Sed omnia sua sponte fieri necesse est, etc. Concursu videlicet infinitorum atomorum. Lucretius II, ad fin.:

Principio nobis in cunctas undique partes, etc.

Non est, inquit, providentiæ opus; sunt enim semina per inane volitantia, etc. Lucret. II:

Nunc age, quo motu genitalia materiai
Corpora vel varias giguant, etc.

Quia nec colorem habent, inquit, nec calorem ullum, etc. Lucr. I.

Nunc age, res quoniam docui non posse creari
De nihilo, etc.

Item secundo:

Nunc age, dicta meo dulci quæsita labore
Percipe, etc.,

usque ad fin. libri.

Ista corpuscula? De quibus Aristot. I de Anim. tex. 20, Lucr. I et II de Nat. rer., Cic. I de Finib. et I de Natura deor., Plutarch. I Placit., Laert. in Epicur., et rursus ipse Lact. lib. de Ira Dei cap. 10.

Vario, inquit, ordine ac positione conveniunt. Lucretius secundo:

Nunc age, jam deinceps cunctarum exordia rerum
Qualia sint, etc.

Ita inquit, et hæc ipsa primordia; nam sunt aspera, sunt hamata, etc. Lucretius secundo:

Perfacile est jam animi rationem exolvere nobis.

Præstinxit stellas. Non dubitavi hunc versum in Lactantio reponere, sicut legitur in emendatis Lucretianis; nam *extinxit*, quod hic etiam apud Lucr. habetur in aliquibus editionibus, vel *restrinxit*, quod in aliis, Lucretii sensum haud exprimere videntur ad ejus mentem. Vide Lambini Castigationes in Lucret. lib. III, vers. 1056.

Quando mors est, nos non sumus. Hanc esse veram lectionem constat ex B. T. P. et omnibus Vatic. et ex Epicuro ipso in epist. ad Mœneceum apud Laert. non quæ vulgo habetur, *quando nos non sumus, mors est.*

Quo et nos jam non sumus. Nullo pacto probari posse hanc lectionem arbitror, quantumvis exhibitam ab omnibus tum mss. tum excusis; repugnat enim susceptæ a Lactantio adversus Epicurum disputationi. Nam si est tempus aliquod, *quo et nos jam non sumus, et mors nondum est*, recte dictum est ab Epicuro, *quod eo tempore mors nihil ad nos.* Sed contra ostendere vult Lactantius id quod res est, videlicet articulum temporis aliquem esse, *quo et nos sumus*, tunc scilicet A cum mori incipimus, *et tamen mors nondum est*, id est, transacta ac prætérita, sed tantummodo incœpta, quo sane tempore dolores et ærumnas magnas infert morienti, ac proinde timenda est. Quamobrem credo equidem, me liquido jurare posse Lactantium scripsisse, *quo nos etiamnum sumus*, etc. Hæc lectio aptissime cum ad præcedentia, tum ad consequentia quadrat; dicit enim: *quasi vero transacta mors timeatur, quia jam sensus ereptus est, ac non ipsum mori quo sensus eripitur.* Vides de morte loqui Lactantium, non ut transacta est, sed ut instat, tunc scilicet cum sensum eripit. Si sensum eripit; ergo *nos etiamnum sumus.* Ait etiam: *idque ipsum videtur miserum esse, quod et mors esse incipit, et nos esse desinimus.* Quomodo esse desinimus, si juxta priorem lectionem, *nos jam non sumus?* Verum enim vero ideo desinimus, quia nondum desivimus: sed etiamnum sumus, et mors nondum est, transacta videlicet, quia esse tantum incipit, ac dolores inferre: unde merito sit timenda, quod aiebat Lactantius, negabat Epicu- B rus. Genuina itaque lectio, ut ego quidem arbitror, infertur minima mutatione, copula scilicet illi pronomini postposita, et dictioni, *num*, negatione substituta.

CAPUT XVIII.

Ut Cleanthes. Qui sponte inedia absumptus est. Laert.

Ut Chrysippus. Non hoc ita certum de Chrysippo; nam alii tradunt, cum aliquanto largius potavisset, angustiis spiritus fatigatum, ac tandem enectum; alii vero præ nimio risu animam exhalasse. Laert.

Ut Zeno. Et hunc quoque non ultronea, sed ab aliis illata morte peremptum asserit Laert.

Ut Empedocles, qui se in ardentis Ætnæ, etc. Notum est illud Horatii in Poetic.:

Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem fervidus Ætnam
Insiluit, etc.

Insiluit, etc. Sed hoc fabulosum esse ait Strabo C lib. VI, et de illius obitu diversa scriptores tradidisse monet Laert.

Cato. Scilicet minor, ut Senec. epistola 24, *Sollicitum*, et in ejus Vita Plutarch.

Democritus. Præter Lucretium, Athenæus lib. II, cap. 3, Laertius.

Nam sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, etc. Desumpsit Lactantius ex Cicerone in Somn. Scipio. et I Tuscul. Cicero ex Platone, initio Phædon.

Et ad summum nefas philosophi auctoritate compulsus est. At non illud docebat Plato; quin imo hominem sub Dei custodia esse asserebat, nec ei licere, nisi quando Deus voluerit, emigrare, ut liquet ex initio Phædonis. Animam quidem a corpore separandam esse monebat, ut videlicet a perturbationibus per moralis disciplinæ purgationem, deinde a sensibus, atque ab ipsa imaginatione per contemplationis intentionem anima sejungeretur. Quare non philosophi auctoritate, sed suimet insania philosophi sensum haud perci- D piente ad tantum facinus est compulsus.

Ambraciotes ille, etc. Cleombrotus videlicet, de quo Callimach. Cic. I Tusculanar.

Inepto illi seni, etc. Pythagoræ scilicet, de quo Laertius, Philostrat. lib. VIII de Vita Apollon., Gell. IV, cap. 11. Atque hic observa, quomodo irrideat dogma de animabus ante corpora conditis, quod ipsi Lactantio quidam affinxerunt.

CAPUT XIX.

Gratulemurque. Locus hic excidit e libris illis de Legibus.

Inepta illa sententia. Euripidis et aliorum. Versus quidem Euripidis de Græcis scriptoribus profert Stobæus, et Theodorus Canterus Variar. lection. lib. II, cap. 12, atque item Aristophanis. Platonis verba sunt in Gorgia: *Verumtamen et illa, quam tu dicis, gravis est vita; neque admirarer, si ea de re verum Euripidis dictum: Quis novit utrum vivere qui-*

Digitized by Google

dem mori sit, mori autem vivere? etc. Cicero in Somnio Scipion. : *Immo vero*, inquit, *ii vivunt, qui e corporum vinculis tanquam e carcere evolaverunt; vestra vero, quæ dicitur vita, mors est;* et prima Tuscul. paulo post medium : *Nam hæc quidem vita mors est, quam lamentari possem, si liberet.*

Quamprimum mori, tanquam ex incendio effugere violentiam fortunæ. Placet hæc lectio Andreæ Patritio in Annotat. ad Cicer. Fragmenta. Vetusti aliquot libri, et Franciscus Petrarc. I Senilium, epist. ad Jo. Boccatium, *quamprimum tanquam ex incendio effugere fortunæ.* Sex Vaticani, quorum lectionem sequitur Sigonius in Schol. ad Cic. Fragm. : *Quamprimum mori, et tanquam ex incendio effugere violentiam fortunæ.* Alii 4 Vaticani, *quamprimum tanquam ex incendio effugere violentiam fortunæ.*

Non venit in mentem Platoni, Alcibiadem quoque et Critiam, etc. Hæc ex Xenophonte sumpta videntur I Memorab. Socrat. qui testatur, accusatores Socratis etiam id ad capita accusationum adjecisse, quod Critias et Alcibiades, cum Socratem audivissent, multis incommodis civitatem affecissent : quam calumniam ibi late refutat Xenophon. At Isocrates in Bulsirid. negat, Alcibiadem unquam discipulum Socr. fuisse.

CAPUT XX.

Nimirum id sensit, quod locutus est, religioni minime serviendum. In Socratem calumniam intendit; nam quemadmodum sit dictum ejus intelligendum, declarat Xenophon in Memorabilibus. Cæterum cequis unquam ethnicorum de superis, de divina providentia, de religione magis pie disseruit, quam Socrates apud ipsum Xenophontem cum Euthydemo disputans initio IV Memorab. et sæpius apud Platonem ?

Idem per canem et anserem dejerabat. Ut sæpe legitur apud Platonem, et memorat Athenæus lib. IX, cap. 20. Exprobrat Socrati Tertullianus, cap. 14 Apologet., *quod non modo canem in Deum contumeliam, sed etiam ovem, et quercum dejeraret.* At Apollonius ea de re cum Th spione disserens apud Philostrat. lib. VI, de vit. Apoll. ait, per ea jurare solitum Socratem, non quod deos putaret, sed ne per deos juraret; et Sanctus quoque Augustinus benigne ea Socratis juramenta interpretatur lib. de Vera religione cap. 20.

Recuperatorem. Ita leg. ut in Ald. quamvis B. T. P. Florent. habeant, *receptorem.* Ait ironice, timuisse Socratem, ne judicio *recuperatorio* conventus ab Æsculapio apud judicem Rhadamantum *recuperatorem* ob sibi votum gallum, damnaretur in causa. *Recuperatores* vocabantur judices, ut scribit Theophilus in § Eadem, Instit. quib. ex caus. man. non lic. quia per eos unusquisque debitum *recipiebat.* Maluissem *recuperabat*, ut etymologiæ inservisset, quam afferebat. De Recuperatoribus mentio est apud Cic. II de Invention. et in Orat. pro leg. Manil. ad fin. Sueton. in Vespasian. cap. 3, Plin. epist. penult. lib. III.

CAPUT XXI.

In æquitate consistere. Æquitas hic non est ἐπιείκεια, sed ἰσότης, nempe æqualitas.

Matrimonia quoque, inquit, *communia esse debebunt.* Contra Platonem scribit et Aristoteles II Politic., sed eum declarat Bessario cardinalis lib. IV adversus calumniatorem Platon. cap. 3.

Civitas concors erit, etc. Non hæc ad verbum habet Plato : sed sententia passim elicitur e quinto de Repub.

CAPUT XXII.

Siquidem nihil fuerit, quod abstineatur, alienum. Hanc lectionem retinent quamplurimi excusi et mss. et optima est, quidquid dicat Thomasius; nam rectissime dicimus, rem aliquam abstineri, quasi procul teneri ac prohiberi. Lact. lib. VII, cap. 17, *abstinebit imbres*, etc. Livius : *Romano bello Fortuna Alexandrum Magnum abstinuit.* Florent. editio *siquidem nihil fuerit, quo abstineatur*, etc. Bon. *siquidem nullus fuerit, quo abstineat alieno.* Sed prior elocutio, quam probavimus, quanto reconditior et minus trita, tanto profecto elegantior.

Geniales toros. Ita reposui, sicut in nonnullis Vatic. inveni, et sicut olim legendum monuit Petrus Fabrius II Semestr. c. 1, et Joannes Meursius in IV Critic. Arnobian. cap. 10, al. *genitales toros.*

In orbe terræ. Haud satis intelligo, quibusnam præceptis rhetoricis innixus summus rhetor Lactantius hic, et lib. II, cap. 14, et lib. IV, cap. 1, 14 et 24, et alibi sæpe *orbem terræ* dixerit, qui terram orbicularis esse figuræ pernegat infra cap. 24.

CAPUT XXIII.

Si donasset. Et quidem *donasse* patriæ scribit Val. Max. lib. VIII, cap. de Stud. et indust. Lactantius secutus est Cicer. V de Finib. et Senec. de Divin. Provid. ad fin., Philonem de Vit. contemplativ. sub initium.

Quid ille, qui patrimonium in nummos redactum effudit in mare? Cratetem Thebanum philosophum intelligit, secutus in historia Philostratum in Vit. Apoll. qui eo modo ad pauperiem illum devenisse scribit, sicut et Suidas in Anaxagora. At Demetrius Magn. apud Laert. in Crat. et idem Suidas in Crates Asconidæ, aiunt, ipsum omnem substantiam in pecunia redactam apud trapezitam deposuisse ea lege, ut si filii idiotæ essent, illis eam restitueret, sin autem philosophi, illam indigentibus distribueret, ratus videlicet, philosophis nihil defuturum.

Zenonis autem paria peccata quis probat? Probat Cicero in Paradoxis, et Cato apud eumdem in Orat. pro Muren. et in fin. IV de Finib.

Quod est ab omnibus semper irrisum. Irrisum quidem a toto Senatu tradit. Plut. in comparat. Demosthen. cum Cicer. dum idem ipse Cicero illud Zenonis dogma Murenæ causam agens contra Catonem vellicaret.

Ad conspectum alterius hominis efferaretur. Sic Ald. et Florent., Pen. et multi alii mss. a qua lectione nolui discedere, licet Thom. cum B. et T. legat. *a conspectu alterius hominis auferretur.* Loquitur enim Lactantius contra Zenonem, qui misericordiæ affectum amovebat ab homine : atqui miseratione sublata, necesse esset, hominis affectum efferari. Si autem homo, inquit Lactantius, efferaretur more solivagorum animantium, societas tolleretur.

Qui nigram dixit esse nivem. Anaxagoram innuit, ut inf. lib. V, cap. 3, de quo id tradit Galen. II de Virtut. simpl. medicament. Illum autem sensu indigere aiebat Arist. I Topicor. in fin. cap. 9.

Hic est ille etc. Contra quem disseruit sup. c. 9.

Intra concavum lunæ sinum esse aliam terram. Ho- præter Xenophanem, ut apud Ciceronem in Lucull. sensisse etiam videtur Pythagoras, qui in luna et aliis sideribus quatuor elementa, montes, vallos, stirpes quoque, et quæ apud nos sunt omnia esse docebat. Mystice tamen hæc ab illis dicebantur, ut monet Jamblic. de symbol. Pythagor. et refert S. Thom. in II Aristotelis de Cœl. tex. com. 49. ad fin. : *Quia videlicet formæ effectuum sunt quodammodo in suis causis : corpora autem cœlestia sunt causæ inferiorum corporum*, etc.

Fuisse Seneca inter Stoicos ait, qui, etc. De hoc nihil legi apud Senecam.

CAPUT XXIV.

Quid illi, qui esse contrarios vestigiis nostris antipodas putant? De quibus Cicero in Lucull. Lactantius quidem multa hoc capite asserit paradoxa, quo nomine a nonnullis exsibilatur. Ego licet illum a vero deflexisse fatear, cum tamen gravissimos homines ac sapientissimos habuerit, ut nunc ostendam,

Digitized by Google

suarum opinionum vel auctores, vel sectatores, næ illos magis exsibilandos putem, qui virum insignem tam temere exsibilandum putarint. Principio nullos esse censet antipodas, id quod asseruere etiam Erathostenes, Polyb., Strabo, Tzetzes in Chiliad. Lucret. lib. I ad fin. Asseritur et hæc positio apud Plutarch. in Dial. de fac. in or. Lun. ex nostratibus idem putaverunt S. August. lib. XVI de Civ. Dei, cap. 9, Nicol. de Lyra super Genes. in principio, et deinde quicumque sphæricam terram esse pernegarunt, de quibus paulo inf. Veram tamen sententiam de antipodibus huic adversam probat Macrob. lib. I in Somn. Scip. ubi Lactantii rationes evertit cap. 5, Plin. II Hist. cap. 65, Martian. Capell. in princ. lib. VI, Cleomed. in II Meteor. c. 2, Manil. I Astronom., S. August. sibi contrarius II super Genes. ad litt. cap. 9, Possidonius quoque philosophus, Panætii discipulus, atque Avicenna ejusdem olim fuisse sententiæ perhibentur; nec amplius ulla hisce quidem temporibus ea de re haberi dubitatio potest, quibus præclarissimi illius Herois Liguris, nostræ Italiæ decoris, solis æmuli, Christophori Columbi ingenio ac virtute alterius hemisphærii quondam incognitæ gentes compertæ jam sunt ac penitus exploratæ.

Hortos pensiles, etc. Plin., l. XXXVI, c. 14.

Et ex motu siderum opinati sunt cœlum volvi. Cœlum volvi negat Lactantius, sed et cum eo philosophi, quos supra recensui, c. 3, not. ult., col. 354 ac SS. Patrum et doctorum plurimi: Justin. martyr respondens ad quæst. 93 Orthod.; Chrys., homil. 6 et 13 super Gen., et 12 ad pop. Antioch.; Cæsarius in fin. 1 Dialog.; Elias Cretensis ad Orationem 7 Nazianz.; Isidor., Etymol. l. III, c. 49; Severianus item et Acacius, qui mundum semisphærium, cœlumque immotum extensum sicut tabernaculum, et fornicem seu cameram putaverunt; Junil. in Hexaemer., Richard. II Exception., Diodor. et Procop. in comment. ad Genes. Philastrius hanc opinionem sacris Scripturis consonam, contrariam autem absonam, et paganæ potius vanitati, quam christianæ veritati consentientem scribit in libro de Hæresibus; et S. August. II de Genes. ad litter. c. 10, defendi eam posse putat. Reprobata tamen est a plerisque, tum philosophis, tum mathematicis, ut videre est propriis locis, præsertim apud Aristot. II Cœl, tex. 43 et seqq.

Hanc igitur cœli rotunditatem. Cœlum rotundum esse negavit non solum Lactantius, sed etiam Justin. martyr respondens ad quæst. 59 et 130 Orthodox., Basil., homil. 1 super Genes., Chrysost. homil. 14 et 27, super Epist. Pauli ad Hebr., et homil. 2, de incomprehensib. Dei natura, Ambr. l. I in Hexaemer., Theophylact. atque Theodoret. super cap. VIII Epist. ad Hæbr., Cæsarius et Procop. ubi supra, Haimo, Severianus et Acacius. Item Primasius in Epistolam ad Hæbr., Euthymius in psal. CIII. Elias Cretensis ubi supra, hæc habet: *Non esse cœlum sphæricum, sive globosum, sed habere figuram globo dimidio consimilem, et immotum esse tradidit Esaias, cum ait: Qui cœlum instar cameræ statuit; item, qui cœlum fixit: cujusmodi alia multa tum de extensione cœli ad formam tabernaculi, tum de ejusdem firma collocatione apud eumdem reperiuntur. Davides etiam cœli extremitatum meminit, atque etiam ipse Christus in Evangeliis. Neque vero vel forma cameræ similis, vel extremitates in sphæra, sive globo locum habent, qui ab omni parte in orbem fertur; nec item vel institutio, vel concretio, vel hujusmodi motus alii: quo fit, ut omnes prope divinarum rerum periti patres, rejecta sphærica, sive globosa figura cœli, et circulari ejus motu, tamquam figmento Græcorum, et a ratiocinando profecto, vatum verba, tamquam divinitus inspirata secuti sint.* Contraria vera est, ab omnibus philosophis atque astronomis probata, cœlum videlicet esse rotundum; idque demonstrat Ptolomæus novem rationibus III, c. 1, l. edit. magnæ, Arist. II Cœl. tex. 22 et seqq. Sancti Patres idem asseruere: Nazianz. Orat. 4, adversus Julian. in oration. 2 de Theolog., in Orat. in Sanctum Baptisma; Chrysost. homil. in psalm. CXVIII; S. August., super Gen. ad litt. lib. I, c. 10, et l. II, c. 9; Beda de sex dier. Orat. et in quæst. in Genes. Magis quoque consonum Sacris litteris videtur. Initio Ecclesiastæ: *Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem: lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur.* Quo in loco vid. est S. Hieronymus. Item XXIV Eccl.: *Gyrum cœli circuivi sola*, etc. Græce significantius et proprius, ἐκύκλωσα, circumduxi, rotundavi, conglobavi. Job., IX: *Sub quo curvantur, qui portant orbem.* Proverb. VIII: *Quando certa lege et gyro vallabat Abyssos.* Ad loca Davidis, ps. CIII, et Isai. XL, ubi dicitur cœlum a Deo sicut tabernaculum, vel cameram, vel pellem extensum, respondet S. Augustinus d. cap. 9, lib. II, super Genes. ad litteram.

Etiam ipsam terram globo similem. Sed et Plato in Timæo non sphæricam figuram terræ, sed cubum attribuit; sphæricam tamen fere omnes attribuunt. Vid. Strabon., l. I; Plin., l. II, c. 64; Martian. Capell., l. VI; Pulcherrima Ovidii carmina sunt, VI Fastor.: *Terra pilæ similis*, etc. Sacræ quoque Litteræ ostendunt eam globo similem, cum toties orbem terræ nominant; vox enim illa, orbis, vel Lactantio ipso declarante c. 8, l. de Opific. Dei, nonnisi rotunditatem significat. Esai. XL: *Qui sedet super gyrum terræ*; vel secundum hebraicam lectionem: *Qui sedet super globum terræ.* Quid quod et ipse Lactantius sæpe ac sæpius orbem terræ nominat, ut paulo supra notavimus; et lib. de Opific. Dei, c. 8, fatetur, omnem rotunditatem perfectæ rationis esse, atque figuræ. Num igitur mundum imperfecta aliqua forma, atque figura, an potius omnium perfectissima a summo opifice decuit? omnium itaque philosophorum, astronomorum, cosmographorum sententia est, terram, cœlum, mundum denique sphæricum esse, quibus et theologi consentiunt in 2 Sent. distinct. 14, ubi præsertim S. Bonaven., articul. 2, quæst. 1; Durand. quæst. 4; S. Alexander Alens. II p., quæst. 50, memb. 6, artic. 3, qui figuram hanc illi maxime convenire ratione simplicitatis, capacitatis, perfectionis, nobilitatis luculenter ostendunt.

CAPUT XXV.

Mysterium ejus barba tantum celebratur, et pallio. Quia illi, qui philosophiam, inquit, profitentur, nihil philosophi habere videntur, præter profundam barbam et pallium; quod in proverbium transiit, barba tenus sapientes, de quo auctor Adagiorum. Sic infra, lib. de Ira Dei, cap. 22: *Sapientiam*, inquit, *capillis et habitu jactant.* Nam olim philosophiam profitentes promissum capillum, et barbam habebant, et pallio amiciebantur. Lepidam de hoc facetiam narrat Gell., l. IX, c. 2.

Phædonem. Quem a captivitate redemptum fuisse notat Laertius in Socrate et Phædon. Ita ergo legendum, non ut corrupte est in aliquibus exemplaribus, *Protagoram*, vel *Pythagoram.*

Cebetem tradunt. Ita Gell., l. II, c. 18, Macrob. I Saturn., c. 11. At Laertius, an ab Alcibiade vel Critone redemptus fuerit, monente Socrate, non satis perspicue tradit in Phædon. A Critone tamen postea scribit in Socrate.

Platonem ac Diogenem. Vid. Senec. epist. 47, *Libenter*; Gell. et Macrob. ubi supra, Laertius in Platon.

Sed his servitus evenerat; sunt enim capti. Et Phædo quoque non servus fuit, ut opinari videtur Lactantius: *sed ei servitus advenerat*, si Laertio assentimur, qui nobili familia natum cum patria captum fuisse scribit. Lactantio tamen assentiuntur Gell. et Macrob. ubi supra.

Aurum appendere debuit. Puto ad illud Homeri allusisse initio XXIV Iliad. ubi Priamum *aurum ap-*

Digitized by Google

pendentem facit pro redimendo ab Achille Hectoris cadavere :

Χρυσοῦ δὲ σχέσις, etc.

CAPUT XXVII.

Quæ sese a cœli. Lucret., *quæ caput a cœli*, etc.

Cum res non vestigabiles. Ita vetusti codices mss. vitiose impressi, *cum res non investigabiles.*

CAPUT XXVIII.

Et manum tollo. Ita B. T. P. quam lectionem agnovit Petrarch. VIII Senil., epist. 1, probavit Patrit. ad Cic. Fragmenta. Al., *ex manum tollo.*

Aristoteles, inquit Cicero, *veteres philosophos*, etc. Cic. III Tuscul. sic habet : *Aristoteles veteres philosophos accusans, qui existimavissent philosophiam suis ingeniis esse perfectam, ait, eos aut stultissimos, aut gloriosissimos fuisse : sed se videre*, etc.

CAPUT XXIX.

Quod multa, inquit idem Cicero, *efficiat inopinata nobis*, etc. Cicero, *quod efficiat multa improvisa hæc, nec opinata nobis*, etc.

Idcirco enim in primordiis transgressionis non statim ad pœnam detrusus a Deo est, etc. Non negat pœna essentiali nunc affici diabolum, quod supra docui, l. II, c. 15, sed loquitur de pœna detrusionis, qua nunc eum affici negat, ut ex textu liquet. Doctorum sententias attuli d. c. 15. Vid. et inf., l. VII, cap. 26.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Cogitanti mihi, et cum animo meo sæpe reputanti, etc. Al., *Cogitanti mihi, Constantine imperator, et cum animo*, etc. Sed in B. T. in editione Florent. et aliquot aliis non leguntur illa, *Constantine imperator.*

CAPUT II.

Ad Judæos tamen non accesserint. Nescio an ad Judæos : sed in Ægyptum quidem profecti, ut ipse fatetur Lactantius, ibi nonnihil doctrinæ Moysis hauserunt; ut ait Justin. martyr in Admonitor. Gent. et nonnulla Judæorum, qui in Ægypto manserant, arcana cognoverunt, adeo ut de Platone ipso affirmet Numenius, illum Moysen esse Attice disserentem; qua de re multa Euseb., lib. II Præparat. ; Theodoret. initio I de Curat. affect. Græcar.

Sed aversos esse arbitror divina providentia, ne scire possent veritatem. Non quia Deus averterit eos : sed quia libero eorum arbitrio eos averti permiserit ; quæ permissio Dei cum sit ab ipso volita positivo actu, ut docent theologi, ideo sæpe non solum a Patribus, sed et a sacris Litteris interdum Dei permissio appellari solet actio Dei, ut quia hominem obdurari, excæcari, averti permittit, obdurare eum, excæcare, avertere dicitur. Quod latius declarabo inf. c. 20.

CAPUT III.

Quia ritus ejus in manu et digitis est, etc. Quod hic dicitur, simileque videtur ænigmati, declaravi l. I, c. 20.

Et filius manumittitur tanquam servus, etc. Licet *emancipare* proprie de liberis dicatur, *manumittere* de servis, tamen et hoc quoque interdum de liberis dicitur, siquidem nil aliud *manumittere* est, quam e manu id est, potestate dimittere, § Præterea, Instit. quibus modis jus patriæ potestatis solvatur : ita utitur hoc verbo jurisconsultus in leg. II D. de Offic. Procons., leg. 28 D. de Adoption., leg. 107 D. de Verb. oblig., et tit. Si a parent. quis man. fuer.

Et servus liberatus patroni nomen accipit. Exemplo sunt M. Tull. Ciceronis liberti duo, quorum alter M. Tull. Tiro, alter M. Tull. Laurea dictus est; et Livius Andronicus poeta, quem a M. Livio Salinatore, cujus filios erudiverat, libertate donatum tradit Euseb. in Chronic. Vid. Politian. Miscellan. cap. 31.

CAPUT IV.

Filiis abdicatis. Mos erat Græcorum, ut liberi qui voluntati paternæ ac honestis moribus tenaciter repugnarent, a parentibus abdicarentur, probata apud judicem abdicationis causa. Apud Lucianum et Quintilianum in Declamationibus leguntur abdicationis causæ. Abdicatus autem carebat alimentis et omni ope a patre in vita, et post mortem successione in bonis. De abdicatione mentio apud Arist. in fine octavi Ethic. Senec., lib. III Controvers. Hic mos non est permissus ad Romanos transire, ut in leg. *Abdicatio*, Cod. de Patern. potestate, quam declarat et restituit Alciat., II Dispunct. cap. 28.

CAPUT V.

Septingentis fere annis. Excusi plerique, *nongentis fere annis*, vel *nongentos fere annos.* Duo Vatic. *nongentos fere annos.* Septem alii ex eisdem Vatic. *septingentis fere annis*, vel *septingentos fere annos.* Unus eorum denique in textu cum habeat *nongentos*, ad oram paginæ scriptum habet, alias *septingentos.* Quare hæc lectio de *septingentis annis* in mss. quidem exemplaribus videtur crebrior; saltem profecto minus habet erroris. Neque enim inficiari possumus, utramcumque lectionem sequare, lapsum fuisse Lactantium; quandoquidem licet chronologi mire varient, et ipsemet Eusebius in Chronic. et de Præparat. lib. X, cap. 3, constat tamen non amplius, quam quadringentis circiter annis Moysen extitisse ante Trojanum excidium : quod si legas *nongentis fere annis*, major fuerit lapsus, et secutus fuerit Lactantius Porphyrii impii supputationem, quam castigat Euseb. in præfatione Chron. Cæterum monendus est lector, ne Lactantium aut alium quemquam Scriptorem nimis incuset, sicubi in ratione temporum ineunda lapsus fortasse reperiatur : sed potius venia atque excusatione dignum putet. Sunt enim historiæ atque chronographiæ de tam longinqui temporis rebus tot ac tantis tenebris circumfusæ, tanta est opinionum varietas, tot librariorum errata, præsertim in notis numerorum, ut vel ab eruditissimis, solertissimis, memoriosissimis viris nusquam proclivius, quam in chronographia peccetur. Videndus autem est præter Eusebium Cyrillus, qui lib. I cont. Julian. scribit, profligatam Trojam post Moysen annis 410, Eutrop. I, Bed. de Ration. temp. lib. II, Vives ad cap. 8 lib. XVIII De Civit. Dei.

Successorem habuit Jesum. Ut ex fin. lib. Deuteron. constat. Pro *Jesum*, quod est in B. T. P. et apud ipsum Lactantium inf. hoc lib. cap. 14 et 17, vulgo legitur *Josuem*; et sane quem Hebræi יהושע nominant illum et *Josuem* et *Jesum* Interpretes appellant. Jesus recte dicitur ab apostolis ipsis et a septuaginta Interpretibus, quia non solum rebus gestis, sed etiam nomine ipso Jesum Christum Dominum nostrum præfiguravit, ut et ipse Lact. ait inf. cap. 17.

Qui septem et viginti annis tenuit principatum. Ita quoque Euseb. in Chronic., S. August. XVIII Civit. cap. 10, Sever. Sulp., Isidor., Carion. At Josephus V Antiquit. cap. 4, scribit annos 25, quem sequuntur Hermann in Chron. et auctor Chronic. Sacri ; septemdecim vero Beda, Joannes Lucid. et alii nonnulli.

Exinde sub judicibus fuerunt per annos trecentos septuaginta. Ut quamproxime ad verum accedere Lactantii summam possis agnoscere, primo observa, quod e numero judicum, quos præfuisse populo tot annis ipse arbitratur, excludit Moysen, et Josuem, ut illa dictio, *exinde*, manifeste ostendit. Secundo attendendum est, eos in hac summa comprehendi duntaxat annos, quibus populus sub ipsismet Judicibus fuit, subductis et minime computatis annis interregnorum, quibus fuit sub regibus alienigenis, de quibus Judicum cap. III, IV, VI, X, XIII. Ergo duodecim judices, qui post Moysen et Josuem populo præ-

Digitized by Google

fuerunt, et de quibus historia libri Judicum in sacro volumine contexitur, annis ducentis et nonaginta novem præfuerunt, ut ex Sacris ipsis litteris, et omnibus unanimiter chronographis atque historicis traditur. Vid. Hermann. in Chronic. in Samsone, et Magister historiæ Scholastic. in lib. Judic. cap. xx, in fin. Jam duodecim illis judicibus Heli ac Samuelem addamus; atque illius quidem regimini annos quadraginta demus, quem numerum habet Josephus in calce postremi cap. libri v; ant. et vulgata Latina editio cap. 4, I Reg. et etiam impressi codices Græcæ versionis Septuaginta Interpretum, ut Flaminius de Nobilibus in Annotationibus ad vetus Testamentum ejusdem Græcæ versionis latine redditum, et recens Romæ excusum, et Melchior Cano de loc. Theologic. lib. II, cap. 5, ad fin., et Genebrard. in I Chronograph. in Heli animadvertunt. Samueli autem ex eodem Josepho VI Antiquit. cap. 13, annos duodecim, quos solus post Heli populo præfuerit, attribuamus, quoniam quotannis Samuel separatim a Saule, qui fuit primus rex, præfuit, ex Sacris litteris non habetur; et deinde alios octodecim, quos præfuerit cum Saule, ut Josephus eod. lib. VI, cap. 13 et cap. 14 in fin., et quamplurimi chronographi tradunt, præsertim Genebrard. dicto lib. I Chronograph. in Samuele et Saule, prorsus ipsam summam conficiemus trecentorum et septuaginta annorum, uno duntaxat deficiente anno, quibus post Josuem usque ad reges, populo judices præfuisse Lactantius asserit.

Anni, quibus judicaverunt duodecim judices.

1 Othoniel	an.	40	Jud. c. III.
2 Aod		80	Ibid.
3 Debora et Barach, qui pro uno capiuntur		40	V.
4 Gedeon		40	VIII.
5 Abimelech		3	IX.
6 Thola		23	X.
7 Jair		22	Ibid.
8 Jephte		6	XII.
9 Abesan		7	Ibid.
10 Ahialon		10	Ibid.
11 Abdon		8	Ibid.
12 Samson		20	XVI.
	Ann.	299	
Heli		40	I Reg. c. IV.
Samuel solus		12	6 Ant. Jos. c. XIII.
Samuel cum Saule		18	Ibid. Joseph.
		70	
		299	
		369	

Huic summæ trecentorum septuaginta annorum nihil officit littera Græca capitis XIII Act. Apostol. ubi Paulus Apostolus in Concione ad Hebræos hæc habet: Καὶ καθελὼν ἔθνη ἑπτὰ ἐν γῇ Κανάαν κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν, καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις, καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτάς, ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου: id est, *Et destruens gentes septem in terra Chanaam sorte distribuit eis terram eorum, et post hæc annis circiter quadringentis quinquaginta dedit judices, usque ad Samuel prophetam.* Nam hunc textum continere mendum arbitrantur docti plerique omnes, et juxta lectionem vulgatæ Latinæ editionis restituendum esse, ut ita legatur: Κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡς μετὰ τετρακόσια καὶ πεντήκοντα ἔτη, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ προφήτου: id est, *sorte distribuit eis terram eorum quasi post quadringentos et quinquaginta annos, et post hæc dedit judices usque ad Samuel prophetam*, etc. Ubi numerus ille quasi quadringentorum et quinquaginta annorum sumitur à Paulo Apostolo loquente de tempore mansionis filiorum Israel in Ægypto, non de sæculo Judicum, ut late ostendit Genebrard. lib. I Chronograph. sub sæculo Jacob. et sub sæculo Samuel.; et ita quoque sentiunt Beda, Magister histor. Scholast. Lyran., Chartus. et cæteri super eumdem locum Actuum Apostolorum.

Tum mutato statu, reges habere cæperunt: quibus imperium tenentibus per annos quadringentos sexaginta usque ad Sedechiæ regnum, etc. B. et 7 Vatic. habent *per annos quadringentos quinquaginta*: ego lectionem expressi exhibitam a quinque Vatic., a P. et excusis Aldinis, Florent. cæteris, et quæ minus continet erroris. Quod ut clarius ostendam, omnemque ambiguitatem auferam, moneo primum in hujus examine calculi non haberi rationem imperii regum Israel, sed imperii regum Judæorum. Ad memoriam vocanda sunt quæ habentur III Reg. XII et II Paral. X, anno pr. regni Roboam filii Salomonis, qui Roboam fuit rex quartus Hebræorum, ortam seditionem fuisse inter Hebræos. Nam decem Tribus inclementem atque sævum regem Roboam fore metuentes, regem sibi creaverunt Jeroboam: Tribus autem Juda et Benjamin secutæ sunt Roboam; atque ita scissa monarchia Hebræorum in duo regna, quæ nunquam postea ad unitatem redierunt. Porro duarum Tribuum regnum dictum est regnum Juda, sive Judæorum, ob dignitatem Tribus regiæ. Regnum vero aliarum decem Tribuum vocatum est regnum Israel, præ sui multitudine servato scilicet sibi Jacob patris sui nomine; enumeranturque in hoc regno Israel reges undeviginti: videlicet Jeroboam, qui anno primo Roboam regis Juda filii Salomonis, ut dictum est, regnare cœpit, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab, Ochozias, Joram, Jehu, Joachaz, Joas, Jeroboam, Zacharias, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee, et Osee, sub cujus regni anno nono imperium hoc finem accepit. Atque is nonus annus fuit sextus regni Ezechiæ decimi sexti Judæorum regis, ut dicitur IV Reg. XVIII, et complectitur totum hoc regnum Israel annum unum supra ducentos et quadraginta, menses septem, et dies septem, ut ex ipsa Scriptura constat lib. II Reg. c. XIV, XV, XVI et XXII, et lib. IV, c. XVIII. Non igitur, inquam, habetur ratio regni hujus, quia Lactantius manifeste indicat, in illa summa annorum quadringentorum et sexaginta efferenda, se respexisse ad seriem regum Juda, cum dicit, *Tum mutato nomine reges habere cæperunt.* Sic et inf. cap. 10. Nam continuo exactis judicibus regnavit Saul, et deinde reges Juda David, et Salomon; nec incœpit series regni Israel, nisi anno primo Roboam filii Salomonis, ut diximus. Subdit quoque Lactantius, *usque ad Sedeciæ regnum*, qui Sedecias ad regnum Judæorum pertinet; fuit enim ipsius rex ultimus, ut liquido appareat, Lactantium hoc loco regni Judæorum cum initium, tum finem memorantem, ad regnum Juda respectum habuisse. In hoc itaque regno comperio tres et viginti reges Judæorum post Samuelem, quem ultimi judicis loco statuimus, videlicet incipiendo a Saule, sed ab eo tantum tempore, quo ille solus post Samuelis mortem regnavit: id autem tempus fuit duorum annorum, ut constat ex I Reg. c. XIII et Josepho lib. VI Antiq. in fin. cap. ultimi usque ad Sedeciam, ut ait Lactantius, inclusive scilicet cum ipsius Sedeciæ undecim annis, quibus præfuit: hos, inquam, tres et viginti reges regnasse comperio annis in totum quadringentis septuaginta quinque, mensibus sex, et diebus decem, quamvis Josephus lib. X, cap. 10, scribat annis quingentis quatuordecim, mensibus sex, et diebus decem. Vid. Euseb. Hermann. alios. Desunt igitur Lactantii calculo anni quidecim, menses sex et dies decem.

Anni imperii regum Judæorum ex Scriptura Sacra.

1 Saul post mortem Samuelis,	an. 2, m. 0 d. 0	I Reg., XIII,	
2 David,	an. 40, m. 0 d. 0	III Reg. II,	I Par. XXIX.
3 Salomon,	an. 40, m. 0 d. 0	XI,	II Par. IX.
4 Roboam,	an. 17, m. 0 d. 0	XIV,	XII.
5 Abias,	an. 3, m. 0 d. 0	XV,	XIII.
6 Asa,	an. 41, m. 0 d. 0	Ibid.	XVI.
7 Josaphat,	an. 25, m. 0 d. 0	XXII,	XX.
8 Joram,	an. 8, m. 0 d. 0	IV Reg. VIII,	XXI.

Digitized by Google

9 Ochozias, an. 1, m. 0 d. 0	IV Reg. VIII,	II Par. XXII.
10 Athalia, an. 6, m. 0 d. 0	XI,	XXII.
11 Joas, an. 40, m. 0 d. 0	XII,	XXIV.
12 Amasias, an. 29, m. 0 d. 0	XIV,	XXV.
13 Azarias, qui et Ozias, an. 52, m. 0 d. 0	XV,	XXVI.
14 Joathan, an. 16, m. 0 d. 0	Ibid.	XXVII.
15 Achaz, an. 16, m. 0 d. 0	XVI,	XXVIII.
16 Ezechias, an. 29, m. 0 d. 0	XVIII,	XXIX.
17 Manasses, an. 55, m. 0 d. 0	XXI,	XXXIII.
18 Amon, an. 2, m. 0 d. 0	Ibid.	Ibid.
19 Josias, an. 31, m. 0 d. 0	XXII,	XXXIV.
20 Joachaz, an. 0, m. 3 d. 0	XXIII,	XXXVI.
21 Eliachin, qui et Joachim, ann. 11, m. 0 d. 0	Ibid.,	Ibid.
22 Joachim, qui et Jechonias ap. LXX, II Par. XXXVI, an. 0, m. 3 d. 10	XXIV,	Ibid.
23 Sedecias, an. 11, m. 0 d. 0	Ibid.,	Ibid.

Ann. 475, m. 6, d. 10.

Usque ad Sedeciæ regnum, oppugnati a rege Babylonio, captique Judæi, diuturnum servitium pertulerunt. Sedeciæ scripsi, non *Sedechiæ*, ut in prioribus editionibus; ita enim prolatum et scriptum hoc nomen puto a Lactantio, ut est apud Septuag. et in Vulg. *Usque ad Sedeciæ regnum*, inquit, inclusive videlicet, ut diximus; nam oppugnatio Judæorum a rege Babylonio contigit nono regni Sedeciæ, IV Reg. c. XXV. Hierem. c. XXXIX et LII, quæ duravit usque ad ipsum undecimum, id est, ultimum annum regni ejusdem, quo anno captivitas urbis Hierusalem et populi secuta est, ut eisdem in locis habetur. Ex quibus liquet, veram esse illorum sententiam, qui non aliunde sentiunt septuaginta annos istius captivitatis computandos atque incipiendos esse, quam ab hoc undecimo anno regni Sedeciæ, sicut incipit et computat hic Lactantius, Josephus lib. X Antiquit. cap. 10, Clemens Alex. I Strom., African. V Annal., Euseb. lib. III Præpar. cap. ultimo, et in lib. de Demonst. in disput. de 70 hebdomad., Hieron. super IV cap. Ezechiel., Cyrill. adversus Julian., Isidor. V Orig. cap. ultimo, Bed. de sex ætat. Quamvis sciam, eosdem annos etiam aliunde ab aliis gravissimis scriptoribus incipi ac computari; quidam enim computant a 13 anno regis Josiæ, de quibus tacitis nominibus meminit Euseb. in Chronic. sub Olympiad. 58, alii vero a captivitate regis Joachim, quæ contigit anno 1 imperii Nabuchodonosor, ut Sulpitius II Histor. Theodoret. ad cap. 9 Daniel, Lyran. ad I cap. Esdr., Vatabl. in Annotat. ad idem cap. IX Daniel.; quidam denique a transmigratione Joachim, sive Jechoniæ, ut Rabbi Salomon, quem refert Lyran. et Cajetan. ad ultim. cap. II Paralipom. et Scaliger de Emendation. tempor.

Donec septuagesimo post anno eos Cyrus major terris ac sedibus suis redderet. Jam hic quoque discrepant auctores de tempore solutionis captivitatis Judaicæ. Nam alii malunt non ante secundum Darii Hystaspis annum, ad quem a primo Cyri anno quadraginta anni fluxerunt, ipsos captivitatis Judaicæ septuaginta annos completos esse; ex quorum sententia fit, ut a desolatione Hierusalem usque ad primum Cyri annum triginta anni tantummodo fluxerint. Ita opinati sunt Clemens Alexandrinus I Stromat., Euseb. in Chronic. et de Præparat. lib. X, cap. ult. et VIII de Demonstr., Hieron. in Procem. super Aggæum, in cap. I Zachar. et IV, Daniel., Aug. XVIII Civit. cap. 26, Isidor. V Orig. cap. ult. Nonnulli vero distinguunt: alios videlicet fuisse annos captivitatis Judæorum, quos ordiuntur a transmigratione Jechoniæ, terminant primo anno Cyri; alios autem desolationis urbis et templi, quos incipiunt undecimo anno regni Sedeciæ, finiunt anno secundo Darii Histaspes, ut Theodoret. ad 9 cap. Daniel. Sed Lactantii positio verior est et receptior, videlicet a Cyro captivitatem solutam, quod non modo Josephus scribit lib. II Antiquit cap. 1, African. Annal. V, Sulpit. II Histor. Cyrill. VIII cont. Julian., Bed. de Ration. temp., Perer. ad Daniel. lib. X, cap. 9, sed etiam multi supra dictorum scriptorum diversæ opinionis aliis in locis asseruerunt, scilicet Euseb. l. X de Præparation. c. ult., S. Hieronym. ad c. 29 Hierem.

Qui per idem tempus in Persas suscepit imperium, quo Romæ Tarquinius Superbus. Non hoc usquequaque cæterorum congruit chronographiæ; nam circiter viginti anni a susceptione imperii Cyri interfluxerunt ad Tarquinii Superbi imperium, scriptoribus tamen, ut in omnibus chronologiis fere fit, paululum variantibus. Vide Euseb. in Chronic.

Ut errorem suum sentiant, qui Scripturam sacram coarguere nituntur, tanquam novam et recens fictam, etc. Videndi sunt Josephus contra Appion. lib. I, Justinus Martyr cont. Gent., Theoph. ad Autolyc. Serm. 3, Euseb. lib. X Præparat. c. 3, Theodoret. II de Curat. Græc. affect. Certe Pythagoras, qui antiquissimus Græcorum Sapientum censetur, ponitur ab Euseb. in Chronic. contemporaneus Aggæi, Zachariæ, Malachiæ, qui novissimi fuerunt prophetarum.

CAPUT VI.

Per ipsum creavisset. Ex B. T. P. Florent. edit. et Plantin. restitui τὸ *per ipsum* textui, quod Aldinæ et quibusdam aliis editionibus deest; sic enim Lactantii dictum pulchre convenit cum illo Joannis primo, *omnia per ipsum facta sunt*, etc.

Divini nominis appellatione dignatus est. Non; sed suapte natura obtinet illud, ut ipsemet fatetur Lactantius inf. cap. 29 et alibi sæpe.

Παντατρόφων κτίστην. Hos versus explicat Eugubin. in l. de Perenn. philosoph. et habentur apud Theoph. lib. II ad Autolyc., sed non in Carminibus Sibyllinis.

Αὐτὸν ἔδωκε, etc. Hic versus in carminibus Sibyllinis mutilus est; ibi enim:

Ἀλλ' ὃν ἔδωκε θεὸς πιστὸν ἄνδρα γεραίρειν.

Αὐτὸν σὸν, etc. In codic. Sibyllino, pro σὸν, habetur σοῦ.

Deus condidit me, etc. Locus ex VIII Proverbior. Et satis sit semel moneri lectorem, quod Lactantius quæ promit loca Sacræ Scripturæ, ea fere, ut cæteri antiqui Patres, ex versione septuaginta interpretum promit, licet nonnihil aliquando, ut nos diligenter suis locis annotabimus, ab ipsorum quoque, quam nunc habemus, interpretatione dissideat: unde fortasse quis merito suspicetur, Septuaginta editionem illorum temporum aliquibus in locis diversam fuisse ab ea, quæ nunc extat. Hic certe pro *Deus*, Septuaginta, Vulg., Tertull. adversus Hermog. et adversus Prax. et Cypr. secundo adv. Judæos habent, *Dominus*.

In initio viarum suarum. Ita Vulg. At Tertull. adv. Hermog. et Cypr. II adv. Jud. cap. 1 ex Septuaginta, *initium viarum suarum*.

In opera sua ante sæcula. Fundavit me in principio, etc. In hujus loci interpunctione ac distinctione Lactantius et Tertull. discrepant a Septuag. et a Cypriano; nam Septuag. *in opera sua. Ante sæculum fundavit me in principio*, etc. Cyprian. *in opera sua ante sæculum fundavit me. In principio*, etc.

In principio. Melius sic apud Lact. Cyprian. Irenæum lib. IV, cap. 37, quam apud Tertull. hæc duo verba subticentem, quæ in textu Hebræo, Chaldæo, Græco reperiuntur.

Prodirent fontes. Septuag. et Cypr. *procederent fontes.*

Genuit me. Ita et Tertull. et Cyprian. pro eo quod Septuag. habent, γεννᾷ με, *generat me.*

Fecit regiones, et terras inhabitabiles sub cælo. B. et T. *fecit regiones et fines inhabitabiles*, etc. Septuaginta, *Dominus fecit regiones, et inhabitabiles, et summitates habitatas ejus, quæ sub cælo*; Cypr. *fecit regiones et inhabitalia*; al. *habitalia et fines inhabitales sub cælo.*

Cum pararet cœlum, etc. Al. hic legitur *cum pareret.* Ego secutus sum optimos Lactantii codices, qui habent, ut Septuaginta, Tertullianus, Cyprianus, Hilar.

Digitized by Google

Cum secerneret suam sedem, cum super ventos faceret validas nubes. Apud Septuag. distinctum legimus ita, ut illud *super ventos* cum sede conjungatur, non cum nubibus : *et cum secerneret suam sedem super ventos, et cum validas faceret desuper nubes*, etc. Quo loci tamen vere annotatur Tertull. Cyprian. Hilar. prorsus habere sicut Lactantius. Nam Tertullianus, *et cum fortia faciebat super ventos, quæ sursum nubila;* Cyprian. *cum super ventos validas faceret desuper nubes;* Hilar. *Quando super ventos validas faciebat in summo nubes.*

Et cum confirmatos poneret montes sub cœlo. Pro *montes*, apud Sept. legitur *fontes* : *et cum confirmatos ponebat fontes ejus, quæ sub cœlo.* Tertullianus quoque, *et cum firmos ponebat fontes ejus, quæ sub cœlo;* et Cyprianus, *et cum confirmatos ponebat fontes sub cœlo.*

Jucundabar ante faciem ejus, cum lætaretur. Septuaginta, *jucundabar in facie ejus in omni tempore, cum lætaretur*, etc. Illud, *omni tempore*, habet quoque Vulg. et Cyprianus, quod sane Tertullianus omittit cum Lactantio.

CAPUT VII.

Nomen ejus ne angelis quidem notum esse. An sancti angeli, et animæ beatæ clare Deum intuentes ejus nomen verum et proprium concipere possint, disputant theologi in. I Sentent. dist. 22, et in p. p. S. Thom. quæst. 13, art. 1, ut monui superius lib. I, cap. 6.

Ὅσιος περὶ τοῦ μόνου Κυρίου πάντων, καὶ προεννοουμένου Θεοῦ. Hæc verba restitui Lactantio, vel potius Hermeti, ex cod. B. et T., nam aliquibus illa desunt, ὅσιος περὶ τοῦ μόνου Κυρίου : aliis vero illa, καὶ προεννοουμένου Θεοῦ.

Christus non proprium nomen est, etc. Auctor Expositionis symboli Apostolorum inter opera Cypriani.

Qui eum immutata littera Chrestum solent dicere. Et tunc etiam nomen illud boni habet significationem; deducitur enim ἀπὸ τοῦ χράομαι, et idem est quod bonus, suavis, commodus, utilis; Justin. Mart. in Apolog. pro Christian. ad Antonin. Pium, Tertullian. cap. 3 Apologet.

Αὐτοὺς δὲ δμωαί, etc. Homeri versus ex initio IV Odyss. leviter immutatus; ibi enim, τοὺς δ' ἐπὶ οὖν δμωαί, etc.

CAPUT VIII.

Beatus qui erat, etc. Hunc locum, qui ex Hieremia profertur a Lactantio, nusquam reperio.

A principio. Ab æterno; sic enim dictio illa sæpe exponitur etiam in Scriptura : Ecclesiastici XXIV : *Ab initio, et ante sæcula creata sum*, etc.

Quomodo igitur procreavit? Creationis vocabulo etiam Scriptura sacra interdum abutitur, ubi de Sapientiæ increatæ, et de Verbi æterni emanatione loquitur; nam cum processio Verbi æterni sit ineffabilis, et reveletur creaturæ rationali, quæ ineptissima est ad divinorum intellectionem, spiritus Sanctus ad eam explicandam uti solet multis ac variis locutionibus, quas etiam postea sancti Patres aliquoties sunt mutuati, quæque non proprie, sed μεταφορικῶς, atque abusive sunt accipiendæ. Dicitur enim divinam Sapientiam, et increatum Verbum creari, non quod ex nihilo fiat : sed ut intelligamus, Verbum non produci ex præjacente materia; item, Patrem nullam pati immutationem, aut alterationem, ut contingit in generationibus creatis. Hujusmodi autem locutiones non sunt a nobis usurpandæ, sed juxta Ecclesiæ sensum exponendæ, sicubi in Sacris litteris, vel sanctorum patrum scripturis reperiantur.

Sive etiam rationem. Hæc quæ ab impressis absunt, ex cod B. recte a me restituta intelligo; nam initio sequentis capitis ait Lactantius, melius a Græcis Dei filium λόγος vocari, quia cum ille sit vox, et sapientia Dei, λόγος et sermonem significat, et rationem.

Magna inter hunc Dei Filium et cæteros angelos differentia est, etc. Superius ad ea verba cap. 9, l. II, *Illum primum et maximum filium*, etc. manifeste ostendimus, Lactantium veram et rectam de Dei Filio unigenito sententiam habuisse : Deum verum esse illum, ac proinde infinito ab angelorum natura distare naturam ejus credidisse. Idcirco, sicut ibi diximus, quod quando filiorum Dei nomine angelos vocat una cum Verbo divino, tunc non univoce ad ipsum Verbum et ad angelos ea appellatio referenda est, ut omnes æqualiter respiciat : sed æquivoce, id est, proprie ad Verbum divinum, improprie vero et metaphorice ad angelos : ita hoc loco monemus, quod ubi e diverso Dei Filium Lactantius Angelum vocat, ut hic, et supra cap. 10, et inf. cap. 14, juxta alteram lectionem, tunc Angeli nomen non univoce ad ipsum Dei Filium et ad angelos est referendum, sed ad angelos proprie, ut ipsorum naturam et substantiam significat, improprie vero ad Dei unigenitum, ut ea dictio non naturam ejus, sed munus et officium designat legationis et nuntiationis. Nam angelus græce, latine nuntius dicitur, quia maxima quidem omnium legatione, ad genus scilicet humanum redimendum, Dei unigenitus est perfunctus, cui nullus alius satis idoneus erat; atque hoc quidem sensu S. August. tom VI, in Tract. super, *Ego sum qui sum*, censet secure Christum Dominum appellari angelum posse, scilicet officio, non natura. Dicemus rursus et inf. cap. 14.

Illi enim ex Deo taciti spiritus exierunt. Et inf. *Dei autem spiritus et vivunt, et manent*, etc. Quam vereor, ut sentiat, angelos ex Dei substantia! quod de animis hominum illum alicubi dixisse ostendi supra ad cap. 13, lib. II. Sibi cavere lectorem moneo.

Ille vero cum sit et ipse spiritus, tamen cum voce ac sono ex Dei ore processit, sicut verbum, etc. Jam conatur explicare filii emanationem a Patre, et quare Verbum Dei appelletur. Sed rem tantummodo circuit, non attingit, idque mirum cuiquam esse non debet; nam sanctissimæ Trinitatis mysterium multis sæculis in Dei Ecclesia fuit maxime occultum atque reconditum. Ille quidem inepte vocalis verbi creati similitudine utitur, ut nos in cognitionem manu ducat increati illius divini Verbi. At vero non vocalis verbi similitudine aliqua, sed mentalis, quod est in nobis, ut ait S. Aug. XV de Trinit. cap. 11, sicut in ænigmate videtur utcumque Dei Verbum. Ipse etiam Lactantius fatetur hoc loco, Deum Patrem mente illud concepisse : et quidem cum Deus sit omnino incorporeus, nonnisi secundum intellectualem emanationem generatio divina intelligi potest. Rejectis igitur, quæ a Lactantio afferuntur, nos catholica veritate sitientem lectorem imbuamus. Principio mentis verbum nihil aliud est, quam notitia, seu conceptus mentis; S. Aug. lib. IX de Trinit. cap. 7 et 11, et lib. XV cap. 10, S. Thom. p. p. quæst. 34, art. 1, et in Joann. cap. 1. Hic conceptus interior, quem alicubi vocat speciem S. Thom. ut in I Sent. distinc. 27, quæst. 2, art. 2, aliquando conceptionem rei intellectæ, ut I cont. Gent. cap. 11 et intentionem intellectam, ut IV cont. Gent. cap. 11, et conceptionem intellectus, ut eod. lib. c. 12, proprie et propriissime dicitur verbum, quia mediante illo anima loquitur; S. August. d. cap. 10. Est enim in mente dictio vera et propria, atque locutio, et proprium ac verum dicere et loqui, quod est intelligere; et consequenter verum et proprium verbum, ipse videlicet mentis conceptus, multo id quidem magis verum ac proprium, quam vocale verbum; et nomen verbi præcipue mentis conceptum significat, ut docet S. Augustinus ubi supra. Ob id periculo non vacaret illa positio, qua quis assereret conceptum mentis non esse proprie Verbum; quoniam Verbi nomine in ea significatione, qua significat notitiam, significat quoque Dei Filium. Si ergo improprie significaret conceptum, improprie quoque significaret Dei Filium, ac proinde Filius Dei improprie esset Verbum, et consequenter non esset Verbum;

Digitized by Google

quæ sunt hæretica, et contra illud Joann. I : *In principio erat Verbum*, etc. S. Thom. in I Sent., distinct. 27, quæst. 2, artic. 1, docet absque omni dubio confitendum esse, Dei Filium esse Verbum, et proprie Verbum dici; et p. p. quæst. 34, art. 1. ad primum asserit errorem esse Arrianorum, negare filium Dei proprie Verbum esse. Jam quomodo Verbum increatum in mente divina producatur, docet idem ille totius divinæ pariter atque humanæ sapientiæ vertex S. Thom. IV cont. Gent. cap. 11 : plures videlicet esse intelligendi modos, atque gradus, ut plures sunt gradus intellectualis vitæ. Nam intellectus humanus licet se ipsum intelligere possit, tamen suæ cognitionis initium ab extrinseco sumit, quia non intelligit absque phantasmate; ergo in angelis est perfectior intelligendi modus, quorum intellectus ad sui cognitionem non procedit ex aliquo exteriori : sed per se cognoscit se ipsum. Abest tamen aliquid omnimodæ et absolutæ perfectionis, quia licet intentio intellecta sit eis omnino intrinseca, non tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia, quia non est idem in eis intelligere et esse. Ultima igitur perfectio vitæ competit Deo, in quo non est aliud intelligere, et aliud esse : unde oportet, ut intentio intellecta a Deo, id est, Verbum ipsius, sit ipsa divina essentia. Igitur in Deo se ipsum intelligente est Verbum Dei, quasi Deus intellectus, sicut verbum lapidis in intellectu est lapidis intellectus. Quia vero intellectus divinus non exit de potentia in actum, sed semper est actu existens, necesse est, ut se ipsum semper intellexerit; et ex hoc quod se ipsum intelligit, oportet ut Verbum ipsius sit in ipso, et sic Verbum Dei semper in Deo extitisse, et ideo coæternum illi esse. Rursus, cum intellectus divinus non solum sit semper actu, sed etiam sit ipse actus purus, oportet, ut substantia intellectus divini sit ipsum suum intelligere, quod est actus intellectus : esse autem Verbi interius concepti, sive intentionis intellectæ, est ipsum suum intelligi, idem ergo esse est Verbi divini, et intellectus divini, et consequenter ipsius Dei, qui est suus intellectus : esse autem Dei, est ejus essentia, vel natura, quæ idem est, quod ipse Deus. Verbum igitur Dei est ipsum esse divinum, et essentia ejus, et ipse verus Deus. Denique productio Verbi in mente divina est propriissime generatio, et Verbum productum propriissime Dei filius, ut demonstratur ex definitione generationis proprie dictæ, quam elicit S. Thom. p. p. quæst. 27, art. 2 ex Aristot. VIII, Ethic. et VII Metaphysic. Generatio enim est origo viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ. At vero in divinis Verbum divinum vivum procedit a Patre vivo, et reperitur ibi principium conjunctum cum generante et genito; nam essentia divina, quæ Patri est intima, et radix generationis, conjungitur, sive potius communicatur eademmet filio genito. Et Verbum procedens procedit secundum rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ : et in eadem natura; nam in Deo idem est intelligere et esse. Ibi igitur propriissime Dei filius ac multo magis filius, et generatio, quam in rebus creatis. Nam sicut edocet S. Thomas p. p. quæst. 13, art. 5 et 6, quoniam aliqua reperiuntur in Deo, et in creaturis, nobiliori et perfectiori modo sunt in Deo, et prius dicuntur de eo.

Merito igitur sermo et Verbum Dei dicitur. Sermo quidem, Sapientiæ XVIII, Joann. XVII, et a Patribus Tertulliano adversus Prax. Cyprian. adversus Judæ. lib. II, cap. 1 et 5, qui referens illud Joann. I : *In principio erat Verbum*, pro *Verbo*, ponit, *Sermonem*; et August. qui illud enarrans Joann. XVII : *Sermo suus veritas est*, etc. docet nihil referre utrum *Sermonem* dicamus, an *Verbum*; et Hilario, qui nunc *Verbum*, nunc *Sermonem* vocat in libris de Trinit., Hieron. item super Epist. ad Ephes. Congruentius tamen Verbum vocari videtur, quam sermonem, quoniam Verbum proprie unam rem, et unicam vocem significat : sermo vero unicam et plures. Ergo ad ostendendum Dei filium esse unicum et simplicissimum, quatenus Deus est, congruentius Verbum appellatur, quam sermo.

Nostri spiritus dissolubiles sunt, quia mortales sumus. Hic per spiritum putarim flatum intelligi; nam de sermone et locutione dicere pergit : de animis quidem nostris illud asserere non est censendus, qui ubique illos doceat esse immortales.

Quanto magis Dei vocem, etc. Sic paulo infra : *Si quis miratur ex Deo Deum prolatione vocis*, etc. Omnes ejusmodi locutiones cavere oportet. Loca, quæ profert Scripturarum, de ore cordis et mentali verbo loquuntur.

Quorum alterum, qui posterius regnavit, Trojanæ urbis excidium centum et quadraginta annis antecessit. Hæc lectio, quæ in uno Vaticanorum habetur, procul dubio vera est ac germana lectio; et in eo quidem quod dicit, Trojanum excidium ante Salomonem extitisse, (nam de numero annorum postea dicam, cunctis chronographis, et Lactantio ipsi consentiens), cum altera lectio fere omnium aliorum mss. et impressorum, quæ habet *quorum alter*, etc., contrarium sensum efficiat, dicatque Salomonem extitisse ante Trojanum excidium, quod sane historiæ temporum, et ipsius Lactantii sententiæ alibi expressæ valde adversatur. Ille quidem extremo primi horum librorum ab excidio Trojano ad ea tempora, quibus hæc ille scribebat, computabat annos mille quadringentos et septuaginta : scribebat autem, ut supra ostendimus, anno a Christo nato trecentesimo secundo. Quare si ex ea summa annorum mille et quadringentorum septuaginta subtrahas annos ducentos et sexaginta novem, qui fluxerunt a morte Christi ad Lactantii scriptionem, profecto unus annus superque mille et decem ab excidio Trojano ad Christi Domini obitum secundum Lactantii supputationem interfluxerint. Jam vero si vulgatam lectionem sequare, addasque huic summæ annos centum et quadraginta, quos fluxisse velis a Salomone usque ad Trojanum excidium, totum tempus, quod a Salomone ad Christi excessum fluxit, unius fuerit ac præterea mille et trecentorum quadraginta annorum; quod utique cum dicto Lactantii vehementer pugnat, asserentis infra cap. 16 et 18 hujus libri, ut ibi dictum est in notis, a Salomone ad obitum Christi nonnisi mille ac decem annos cucurrisse. Contra vero si nostram lectionem amplexus dictæ summæ unius superque mille et ducentorum annorum subtrahas annos centum et quadraginta, quos a Trojano excidio ad Salomonem usque fluxisse contendimus, omnia sibi invicem Lactantii dicta consentire videbis, et summam effulgere unius anni, superque mille et sexaginta annorum, qui a Salomone ad Christi Domini obitum juxta Firmiani sententiam interfluxerint. Nec tamen mirere, quod plures anni emergant, nempe unus et quinquaginta supra dictam summam annorum mille et decem, quæ d. cap. 16 continetur; nam utrobique idem fere tempus designari intelliges, si animadverteris, hic quidem curriculum annorum fieri ab excidio Trojano usque ad natalem diem Salomonis, et ab eodem natali usque ad Christi obitum : ibi vero non ab ortu Salomonis, sed a tempore quo jam regnabat, et prophetiam illam, quam ibi recitat Firmianus de Christo, enuntiabat sumi annorum exordium usque ad Christi Domini obitum volutorum. Salomon autem regnavit annis quadraginta, ut ex Sacra Scriptura constat, in tertio Regnorum cap. II, et secundo Prætermissorum c. IX, ex Josepho VIII Ant. cap. 7, et Lactantio inf. c. 15. Vixit quatuor et nonaginta, ut idem Josephus tradit cap. 7, ita ut ab ortu Salomonis usque ad prima tempora, quibus ille de Christo fuerit vaticinatus, sane quidem unus ille et quinquaginta anni fluxisse potuerint, et insuper anni tres. Ex quibus ita omnino scripsisse Lact. verisimillimum est, non autem alio modo memoriæ lapsu, sicut Vives censuit ad cap. 20

Digitized by Google

lib. xviii Civit. S. August., et hic Thomasius in notis.

A Trojano excidio ad Lactantii scriptionem, anni.	1476
E quibus demptis, qui a morte Christi ad Lact. script. interfuerunt, annis.	269
Remanent ab excidio ad Christi obitum. an.	1201
Quibus additis a Sal. ad excid. juxta hic vulg. lectionem annis.	140
Fient a Salom. ad Christi obitum anni.	1341

Contra Lactantium, qui inf. c. 16 a Salomonis prophetia usque ad Christi obitum computat annos.	1010

Rursus ab excidio ad Christi obitum an.	1201
E quibus subtractis, qui ab excidio ad Salomonis ortum fiunt, juxta hujus loci germanam lectionem, annis.	140
Remanent ab ortu Salomonis ad Christi obitum anni.	1061
E quibus subtractis, qui ab ortu Salomonis fuerunt usque ad tempus quo prophetabat, annis.	51
Remanent a tempore prophetiæ Salomonis ad Christi obitum anni.	1007

Centum et quadraginta annis antecessit. Chronologi non consentiunt; Euseb. enim annis 170; Glarean. 147.

Verbo Dei. Tertullianus : Cyprianus *sermone Dei.*

Et spiritu oris ejus. Ald. et Plantin. *et in spiritu*, etc. Ego retinui lectionem Florent. edit. quam habent Septuag., Vulg. et Cypr. Sed Tertull. adversus Prax. et alibi, *et Spiritu ipsius.*

Verbum bonum. Tertull. II, adv. Marcion., Cyprian. II Testimon. cap. 3, *sermonem bonum.*

Item Salomon, etc. Profertur hic locus ex cap. XXIV Ecclesiast. qui liber cum non sit Salomonis, sed Jesu Sirach, ut ex prologo illius libri in Bibliis apparet, illorum tamen temporum consuetudo obtinuit (quod notat S. August. lib. XVII Civit. c. 20), ut Salomonis diceretur, vel propter eloquii similitudinem, vel quia ex Salomonis sententiis collectus videretur. Ideo non solum a Lactantio citatur sub nomine Salomonis, sed etiam ab aliis Patribus, Cypriano, qui hunc eumdem locum profert. II adv. Judæ. cap. 1, Clem. Alexand. VII Stromat., Basil. contra Eunom. lib. IV, Nazianz. Orat. 8 et quamplurimis aliis; concil. item Carthagin. III, cap. 43.

Ego, inquit, ex ore Altissimi prodivi ante omnem creaturam. Cum Lactantio concordat Cyprianus : lectionem vero Septuaginta, qui habent, *Ego ex ore Altissimi prodivi*, nec plura, exhibet S. Ambrosius lib. IV de Fid. cap. 4, Vulg. : *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.*

Ego in cœlis feci ut oriretur lumen indeficiens. Hæc non habentur apud Septuaginta, sed in Vulg. et apud Cyprian.

Et nebula texi omnem terram. Ita et Cyprianus : at Septuaginta, *et sicut nebula obtexi terram;* Vulgata, *Et sicut nebula texi omnem terram.*

Ego in altis habitavi. Quod apud Septuaginta legitur, ἐν ὑψήλοις, ita effertur a Lactantio, *in altis.* Cypr. cod. variant; nam quidam sic habent : quidam vero *in altissimis*, et versio recens latina, ex Septuag. et Vulg.

Et sine ipso factum est nihil. Hic punctus fit : et deinde sequitur, *sed melius Græci*, cum ita novem Vaticani et omnes impressi : duo vero ex iisdem Vatic. *et sine ipso nihil factum est.* Hic punctus; et deinde, *sed melius Græci*, etc. Unus autem etiam Vatic. *et sine ipso factum est nihil :* hic duo puncta fixa sunt et deinde sequitur continenter, *Quod factum est in ipso vita erat.* Hic rursus punctus et deinde sequitur, *sed melius Græci*, etc., ex quibus lectionibus satis perspicue intelligi posse videtur, ita locum illum A Evangelii Ioannis a Lactantio fuisse interpunctum et lectum, *et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat*, ut illa, *quod factum est*, non ad illa priora, *et sine ipso factum est nihil*, sed ad posterioris coli verba, *in ipso vita erat*, pertinere censuerit, contra quam putaverunt Chrysostom., Theophil., Eutym. Chrysost. enim 4 Homil. in Joan. : *Cum dixerimus*, inquit, *sine ipso factum est nihil, non id perfecto puncto notemus : at hæretici opinantur; hi enim cum velint spiritum creatum esse, sic legunt : Quod factum est in ipso vita erat.* Verum nulla profecto ratione hæc intelligi potest oratio. Theophilact. in Commentariis : *Pneumatomachi, qui Spiritum sanctum negant Deum, hanc particulam sic legunt, et sine ipso factum est nihil. Deinde hoc loco facto puncto, legunt quasi ab altero principio, quod factum est in ipso*, etc., *et interpretantur locum istum juxta suam mentem, dicentes, quod hoc loco Evangelista de Spiritu sancto disserat, dicens, quod factum est in ipso, hoc est Spiritus sanctus, vita erat. Hoc autem dicunt* B *Macedoniani, conantes ostendere Spiritum sanctum esse Creaturam, et enumerare cum iis, quæ facta sunt. Nos autem non sic : sed puncto facto postquam dixit, quod factum est, novum principium legimus, in ipso vita erat*, etc. Eadem fere Eutymius. At vero quantumvis punctum statuas post verbum *nihil*, locus ille minime patrocinatur errori, nec quicquam facit pro hæreticis; et quidem hoc modo legunt Cyrillus, August, et S. Thom. p. p. quæst 18, art. 4, et Bibl. Complutens. ut quidam referunt, licet omnes codices Bibliorum bibliothecæ meæ, præsertim excusi Romæ Sixti V jussu anno 1593, prorsus habent sicut Chrysostomus.

CAPUT IX.

Et sapientia Dei. Quod sapienter excogitatur, dicitur sapientia alicujus : in Deo autem, ut docet S. Thom. IV contra Gent. cap. 12, oportet *sapientiam* dici ex eo quod se ipsum cognoscit. Sed quia non C cognoscit se per aliquam speciem, sed per essentiam, imo idem ipsum ejus intelligere est ejus essentia; ideo sapientia Dei habitus esse non potest : sed est ipsa Dei essentia. At Dei filius est Verbum, et conceptio Dei intelligentis se ipsum; ipsum igitur Dei Verbum, tanquam sapienter mente divina conceptum, proprie Dei sapientia dicitur.

Hunc sermonem divinum ne philosophi quidem ignoraverunt. Quorum testimonia profert August. Eugubin. lib. I de Perenni philosoph. cap. 23 et seqq.

CAPUT X.

Et homini, quem induerat, quem gerebat, etc. Familiares sunt Patribus ejusmodi locutiones, ut dicant Verbum divinum assumpsisse, induisse, gessisse hominem. Nam ita loquitur Cyprian. in fine libri de Idolor. vanitate, August. in lib. de Fide cont. Manich. in principio capitis 26, Hilar. X de Trinit. circa med. Quæ tamen locutiones non sunt proprie accipiendæ, ut dicamus hominem assumD tum, quia ejus natura est assumpta, et quia assumptio terminata est ad hoc, ut filius Dei sit homo; alioqui falsa est et hæretica hæc positio simpliciter et proprie sumpta, Dei filius hominem induit, assumpsit, gessit. Rationem affert S. Thom. in III p. quæst. 4, art. 3. Nam hoc nomen, homo, significat humanam naturam in concreto, ut scilicet est in aliquo supposito; et ideo sicut non possumus dicere, quod suppositum sit assumptum : ita non possumus dicere quod homo sit assumptus. Subdit ibi S. Thom. verba Felicis papæ et Mart. in concilio Ephesin.

Post annos quadringentos et triginta. Ita leg. non ut in Ald. et Florent. *trecentos triginta.* Nam illum numerum habent optimi cod. B. T. P. 9 Vatic. et Theoph. in lib. de Temporib., quin etiam Scriptura sacra tam Septuag. quam Vulgatæ editionis cap. XII Exod., et Paulus ad Galat. III. Verum enimvero non ipsi tantum anni servitutis, qua pressi Hebræi fue-

Digitized by Google

runt in Ægypto, sed etiam mansionis eorum in terra Chanaan computandi sunt, ut initium fiat a septuagesimo quinto anno nativitatis Abrahæ, quando ipse ingressus est terram Chanaan, ut notat Hermannus Conradus in Chronic. in Jacob., et Magister historiæ Scholast. Exod. xxvii. Nam apud Septuag., quorum editione utebantur Patres, sic legitur c. xii Exod.: *Habitatio autem filiorum Israel, quam habitaverunt in terra Ægypto et in terra Chanaan anni quadringenti triginta*: quem locum ita refert S. Aug. in Quæst. quæst. 47, ubi etiam de hoc annorum numero disputat Suidas in Μωῦ, et Beda.

Quo rursus esuriente, cœlestis alimenti pluvia descendit. Alio ordine narratur hic historia, quam in Scriptura; nam prius fame vexati sunt. Exod. xvi.

Aureum caput bovis, quem vocant Apin, etc. Hoc etiam illis exprobratur in Psalm. cv: *et fecerunt vitulum in Horeb.*, etc.

Amiserunt vetus nomen Hebræi. Qui ab Heber abnepote Noæ per Sem ita vocabantur secundum Josephum lib. i Antiquit. cap. 14, Euseb. in Chronic. in principio, August. xvi Civit. c. 11, Suidam, Isidor. lib. ix Orig. cap. 2, sub num. 40.

Et quoniam princeps examinis eorum Judas erat, Judæi sunt appellati. Judam nullum equidem comperio præfuisse populo Judæorum post Moysen; nam Judas, de quo scribitur in i cap. Judic., *Dixitque Dominus, Judas ascendet*, etc., ab Hebræis et Josepho lib. v Antiq., cap. 1, non habetur ibi pro nomine alicujus individui, sed pro patronymico de tota tribu, e qua sumptus est Othoniel. Dicunt itaque Judam, id est, tribum Juda cum tribu Simeon, cepisse regem Hebronis Adonibezech, etc. Judæos itaque a Juda Israelis filios dictos vulgo malunt. Vid. Euseb. in Chronic., Isidor. ubi supra.

Sub imperio Tiberii Cæsaris; cujus anno quintodecimo, id est, duobus Geminis Consulibus, etc. Is est annus Christi Domini trigesimus primus, ut apud Euseb. et omnes passim chronographos; quo fit, ut Lactantius Salvatorem passum fuisse dicat anno ætatis suæ trigesimo expleto. Ita quoque Tertullianus adversus Judæ., Clem. i Stromat., African. v Annal., Hieron. in Daniel. cap. ix et epist. 22, August. xviii Civit., c. 54, et lib. xxii, cap. 15, et ad Hesych., epist. 80, Oros. lib. vii, Cassiodor. de Consul. Alii malunt anno ætatis suæ trigesimo primo, ut Apollinar. Laodicen. episcopus apud Hieronymum, sup. ix cap. Daniel., Cyrillus ad cap. xxix Ésai., Philastr. de Hæres., Sever. ii Hist. et alii recentiores relati a Joann. Lucid. in libro de Vero die Passion., cap. 9. Trigesimo secundo, et præterea paulo plus tribus mensibus, fuit aliorum opinio, quam tuetur valide Benedictus Perer. in Comment. ad Daniel. lib. ii, in Disput. de 70 hebdomad. quæst. 7. Sed trigesimo tertio, et tribus mensibus, sensit Bed. de Ration. temp., cap. 45, Albert. Magn. in epist. Dionys. Areop., Onuphr. in Fast. et Chronic., Baron. Cardinalis i Annal. Denique quinquagesimo circiter anno nonnulli alii asseruerunt, ut refert S. Augustinus ii de Doctr. Christ., cap. 28. Quam opinionem ab omnibus refutatam quidam attribuunt Irenæo ii adversus Hæres., cap. 39 et 40; alii dicunt, afflictam ei, et de impostura dubitant, ut Cardinalis, ubi supra.

Ante diem decimam kalendarum aprilium Judæi Christum cruci affixerunt. Sic quidem habent B. T. P. et 8 Vatic. quamvis in aliquibus impressis legatur *Ante diem septimam*, etc. Lectionem retinui pluribus et melioribus exemplaribus probatam. Hunc Lactantii locum, ne quem sua laude privemus, longa et pulcherrima disputatione enarravit Marcellus Francolinus in Tractat. de Tempor. Horar. Canon., cap. 73 et 74, quem compendio referemus. Per illa, *Ante diem decimam kalendarum*, Lactantius intelligit, non diem undecimam kalendarum, ut Paul. Middelburg. quinto Paulin., pag. 2, c. 4, et Thomasius in Notis ad hunc auctorem putaverunt: sed diem ipsam *decimam ante kalendas aprilis*; in qua locutione computati intelliguntur utrique dies extremi, id est, dies qui describitur, et ipse kalendarum dies, ut recte ipse Marcell. notat d. c. 73, num. 18, refutata objectione de § *Ante diem* in leg. *Anniculus amittitur*, D. de verb. signif. et eodem § egregie explicato. His igitur verbis Lactantius putavit, Christum Dominum passum fuisse die vigesima tertia mensis martii. Idem sensit Theophil. Cæsarien. vicinus apostolorum temporibus in epist. synodic. de Paschate, quæ impressa legitur inter Opera Bedæ, tom. ii, in fin., ut adversus Middelburg. et Thomas. probat Marcell., cap. 73, num. 19 et cap. 74 in princip. Idem quoque sensit Euseb. Cæsariensis in omnimod. Historia Canon. Chronicorum, cujus extat fragmentum apud Anastasium Antioch., lib. Variar. quæst., ut refert Turrian. in explanatione cap. 6 lib. ii Constit. Apostolicar. Clementis Romani, et apud eumdem Marcell. Idem et S. August., Serm. 22 de Tempor., qui est de Nativ. Domini 18, Beda, de Ratione temp., cap. 65, in Chronic., Ado Viennen. in Chronicor. ætate prima in principio, Anselm. ii de Imag. Mund., cap. 17, Nicætas et Græci omnes, et alii quos refert Middelburg. ii p., Paul. lib. v, cap. 1 et 2. Jam aliis sententias recenseamus, quoto cujus mensis die passus fuerit Dominus. Hugolinus Martell. in lib. de Ann. integr. restitut., cap. 19, refert ex S. Augustino quosdam asseruisse Dominum passum fuisse nonis martii, id est, septima die martii. S. Epiphan., Hæres. 50, contra Tessarescædecat. ait, se invenisse Acta Pilati, in quibus Pilatus indicabat, non *ante octavum kalendas aprilis*, ut Tessarescædecatitæ citabant, sed *ante decimum quintum kalendarum* earumdem, id est, decimo octavo die martii Dominum obiisse. At ipse Epiphanius d. Hæresi 50 et 51, cont. non suscip. Evang. Joan. et Apocalyp. putat, die *ante decimum tertium kalendas aprilis*, qui est ipse *tertius decimus kalendas aprilis*, id est, vigesimo die martii. Duodecimo kalendas aprilis, id est, vigesima prima die martii auctor Expositionis super Matth. cap. xxvii inter Opera Anselmi. Die vigesima tertia martii Lactantius, et alii, ut supra. Die vigesima quinta martii, qua etiam incarnari dignatus est, scripsit Tertull., lib. cont. Judæ. circa med. Chrysost., serm. de Nativ. Joan. Bapt. August. xviii Civ. cap. ult. et de Trinit., cap. 5, et alibi, Beda, Usuard., Wandelbert, et alii in Martyrologiis. Beda rursus in lib. de Ratione Temp., cap. 28, tradit idem sensisse quamplures Ecclesiæ magistros; Cyrill. in epistola ad synod. Carthagin., S. Thom. super Joan. cap. ii lect. 3, S. Antonin. in Chronic., tit. 5, cap. 7, et alii innumeri: quo facile apparet, magis receptam esse hanc opinionem. Die vigesima sexta martii putavit Victorinus Lemovicen., antiquus doctor, et supputator egregius, et alii quorum meminit Beda de Ration. Temp., cap. 59, Francisc. Maurolic. in Martyrol., Onuph. in Chronic. Eccles. Die trigesima martii, fusa disputatione, aliorum omnium reprobatis opinionibus, probavit Middelburg. ii part. Paul., lib. xiv, cap. 2. Die secunda aprilis etiam nonnulli, ut refert Martell. de An. integ. rest., cap. 19. Aprilis tertia, Rogerius Baccon, Joan. de Muris, Paul. Burgen., Abulens., Lucid., Pontac., Zarlinus, et plerique recentiores. Aprilis undecima Joan. de Monte regio, quem refert Middelburg. ii p. Paul., lib. v, cap. 1 et 2. Tot sunt ac tam variæ de die passionis Dominicæ scriptorum opiniones, ut merito quis admiretur, et magnum quoddam arcanum Dei putet, diem incarnationis ejus tunc uni Virgini matri cognitam, Nativitatis autem paucissimis, deinceps tamen utramque toti Ecclesiæ innotuisse: Passionis vero diem in amplissima et celeberrima urbe obitæ, principibus viris ac populis conspirantibus, Romano præside judicante, judicii executionem indigenis atque advenis palam inspectantibus, cœlo atque universis elementis horrifica signa, et longe omnium post hominum memoriam admiranda præbentibus, et toto vulgata orbe terrarum, adhuc tam parum compertam et cognitam esse.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Misi ad vos, etc. Ita fere etiam apud Cyprianum adversus Judæ., lib I, cap. 2.

Convertatur unusquisque a via sua mala. B. habet *unusquisque vestrum;* quanquam τὸ *vestrum* abest a Bibliis et a Cypriano.

Post corpus suum. Ita legitur in B. T. P. et apud Septuaginta hic, et in Vulg., cap. XIV, III Reg. Locus autem iste petitus est ex cap. IX lib. Nehemiæ, qui secundi libri Esdræ nomine circumfertur. Vulgata hic habet; *post terga sua;* Cyprianus, qui hunc eumdem locum profert sub Esdræ nomine,, *post dorsum suum;* recentiores editiones Lactantii, *post cor suum.*

Æmulando æmulatus sum Domino. Eodem prope modo refert Cyprianus d. cap. 2.

Et remansi ego solitarius. Sic quoque Cyprianus : at Septuaginta, cum quibus Vulgata concordat, *et relictus sum ego solus.* Græce autem habetur, μονότατος.

Et quærunt animam meam auferre a me. Sept. et Vulg. *et quærunt animam meam ad tollendam eam*, sive, *ut auferant eam.* Cyprianus ubi supra, *et quærunt animam meam auferre eam.*

Et sacrificium acceptum non habeo. Rectius Cyprianus I Testimon. adversus Judæos, cap. 16 : *acceptum non habebo*, quia tam apud Septuag. quam in Vulgata, legitur *non suspiciam;* et Tertullianus contra Judæos, *non recipiam*, vel *non accipiam.*

Clarificabitur. Græce est δεδόξασται *clarificatum est;* et ita apud Tertullian. et Cyprian. adversus Judæos.

Apud gentes. Sicut Cyprianus. Septuaginta, ἐν τοῖς ἔθνεσι sicut in Vulgata, *in gentibus.* Tertullianus, *in omnibus gentibus.*

Serviet mihi. Septuag., Vulg., Tertull., Cyprianus, *servivit mihi.*

Venio colligere, etc. Ita refert ad verbum Cyprian.

Claritatem meam. Septuag. et Vulg. *gloriam meam.*

Et mittam ex his conservatos in gentes, etc. Sæpe Patres non ad verbum proferunt loca Scripturarum, sed compendio et παραφραστικῶς, iis tantum excerptis, quæ satis sint ad eorum institutum. Id sæpiuscule facitare solet Firmianus, ut ego suis locis notabo; et hic quidem paucula quædam omittit, quæ reperiuntur apud Septuag. et in Vulg.

Ut ingratus in Deum populus in errorem maximum induceretur. Neque tamen inductio ipsa, vel permansio Judæorum in errorem, in Deum tanquam in causam est referenda. Vid. Notata ad cap. 20 hujus libri pertinentia ad materiam reprobationis.

Quem ipsi Judæi serra confectum crudelissime necaverunt. Hoc tradidit Tertull. de Patientia, Origen., homil. 1 in Psal. XXXVII, auctor libri adversus Judæos qui insecuti sunt Christum, inter opera Cyprian., Chysostom. in cap. XIX Matth., Magister Historiæ Scholast. in historia quarti Reg., c. XXXII.

Filios genui. Ita Tertull. de Oration. et Cypriani codices multi initio libri de Oration. Dominic. et de Zelo et Livor., et versio latina ex Septuag., quamvis al. apud eumdem Tert. et Cyprian. reperiatur, *generavi.*

Et populus meus me non intellexit. Ita Tertull. v, adversus Marcion. et Cypr. de Orat. Dominic., quamvis I Testimonior. cap. 30 habeat, *et populus meus non intellexit.* In multis quidem codicibus, pro μέ, haberi μοῦ, notatur ad latinam versionem ex Septuag. qui quidem habent, *et populus me non intellexit.* Et ita eos scripsisse affirmat S. Hieronym., non ut ait Pamel. ad Cyprianum, de Orat. dominica : *Et populus meus non intellexit.* Lectionem Septuaginta secuti sunt Tertull. III et IV, adversus Marcion., Basilius, atque Cyrillus.

Incassum facta est metatura : falsi scribæ, et confusi sunt; sapientes trepidaverunt. Quod hic dicitur, *metatura*, et apud Cyprianum I Testim., cap. 3. Græce in Bibliis est σχοῖνος, quæ vox proprie *juncum* significat. Quamobrem recens versio latina Bibliorum ex Septuaginta sic habet : *frustra factus est juncus mendax scribis; confusi sunt sapientes, et perterriti*, etc. Ibi autem *juncus*, pro calamo et stylo accipitur; nam *juncis* marinis olim scribere soliti erant veteres; et ideo S. Hieron. in Vulg. clarius vertit : *Vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum : confusi sunt sapientes, perterriti*, etc. Significat quoque funem, quod scilicet ex ulva, et junco, ut tradit Plin., funes necterentur : unde et factum est, ut per quamdam μετάληψιν etiam *mensuram per funem*, σχοῖνος significat; nam funibus agros metiebantur veteres, ut ex Isidoro patet Orig. lib. XV, cap. 14, et ab Hebræis fluxit mos iste : Amos VII : *et humus tua funiculo metietur;* Psalm. LXXVII : *et divisit eis terram in funiculo distributionis.* Funiculus autem hic geometricus *arvipendium* vocabatur. Glossarium, *Arvipendium*, σχοῖνος γεωμετρικὸς; et terra illa, quam mensi essent, dicebatur σχοίνισμα, ut ex auctore etymologici constat. Quin etiam apud Herodotum, σχοῖνος pro mensura terræ persica accipitur. Ad ultimam igitur hujus nominis significationem respexerunt, qui hoc loco quod græce legitur σχοῖνος, latine *metatura* transtulerunt, ut hic Lactantius, et Cyprianus, qui locum hunc ita profert : *Incassum facta est metatura falsa; scribæ confusi sunt, sapientes trepidaverunt*, etc. Ex quo apparet minus recte illum a Lactantio translatum, atque distinctum; non enim *falsi scribæ* dicuntur in Bibliis, et apud Cyprianum, sed *metatura falsa scribis*, vel *scribarum*. Græce quidem habetur σχοῖνος ψευδὸς; *et scribæ*, in Bibliis non conjungitur cum *confusi sunt*, ut apud Lactant. et Cyprian., sed cum *metatura falsa.*

CAPUT XII.

Quod si animalia quædam vento et aura concipere solere omnibus notum est, etc. De Equabus id videlicet proditum est ab Homero, XX Iliad.; Virg., III Georg.; Silio, lib. III et XVI; Varr. II, de Re rustic., cap. 1; Columel., lib. VII, cap. 25; Plin., lib. IV, c. 22; Solin., lib. III, cap. 26 et 47; Justin., Hist. initio libri XLIV, lib. VIII, cap. 42, lib. XVI, c. 45; Martian. Capell., lib. VI, c. de Divisione terræ.

Infirmatus est uterus Virginis, etc. Hic Salomonis locus fortasse exciderit ex iis libris, quos composuisse illum tradit Scriptura III Reg., cap. IV, in fin.; nunc vero desiderantur. Porro dixerim, vel hunc locum non ex ullo canonicorum Scripturæ librorum excidisse, vel non a Salomone de Maria Virgine prolatum esse, cum certum sit beatissimam illam atque sanctissimam nullum ex Conceptione, aut Nativitate Salvatoris damnum aut dolorem sensisse, cujus contrarium hinc videtur inferri. Nam dicitur Esai., XXXV : *Germinans germinabit sicut lilium, et exultabit lætabunda, et laudans.* Id quoque asseruerunt sancti Patres, et DD. omnes; Cypr. de Operib.; Card. in nat. Christi; S. Zeno episcop., serm. 6 de Nat.; S. August., serm. de Assump.; S. Thom., III part., quæst. 35, articulo 6, ad prima.

Concipiet in utero. Sic Luc., I, ex hoc loco Esai. Tertull., III, adversus Marcion. et de Trinit., Cypr. epist. 9, juxta editionem Morellii, et alias antiquiores; quamvis juxta edit. Manutii, quam ibi probavit et recepit Pamelius, et II Testimon., c. 9, et Ambros., lib. I de Cain et Abel, cap. 3, habeant, *in utero accipiet*, quod magis accedere putavit Pamelius ad lectionem LXX, qui habent ἐν γαστρὶ λήψεται; et ita apud eos olim quoque lectum testatur S. Hieronym. de opt. genere interpretandi. Verum si propriam significationem verbi *concipio* expendamus, non ei frustra τὸ *in utero* reducitur, neque differre, utrum dicamus *concipiet in utero*, vel *accipiet in utero.* Non enim verbum *concipere*, absolute positum, *accipere in utero* significat, sed simpliciter apprehendere; et ideo interpretes etiam in latina versione græcorum Bibliorum cum ipsis LXX, recens edita illud λήψεται, non *accipiet*, sed ut Lactantius, et alii supra relati, transtulerunt *concipiet.* Aldina editio et Plantiniana hic habent *in uterum.* Ego secutus sum Florentinam Juntarum, *in utero*, quæ cum Tertulliano concordat, Cypriano, aliis. Vulgata editio apud Esaiam simpliciter legit *concipiet.*

Et vocabis nomen ejus Emmanuel. Ita plerique Lac-

Digitized by Google

tantii codices habent, t etiam Tertullianus adversus Judæ. et Cyprian. d., cap. 9, et Hieron. ad Pammach. de opt. gener. interpret., Florent. editio Juntarum hic habet, *vocabitur*, cum Vulg. et Cambronen. Codice Cypriani d. epistola 9, ut testatur ibi Pamel. Sed Septuaginta cum Aquila, Symmach. et Theodot., teste S. Hieron., transtulerunt, *vocabis;* et ita legunt plerique veterum, quamvis Chrysostomus in commentariis ad Esai. et in Psal. XLIV, et Cyrillus mavelint cum Evangelista Mattheo καλέσουσι, *vocabunt.*

Ipsi autem non crediderunt, etc. Hic locus paulo aliter legitur, quam in Lactantio, tum apud Septuaginta, tum in Vulg. Apud Septuaginta : *Ipsi autem non crediderunt, et exacerbaverunt Spiritum Sanctum ejus, et conversus est eis in inimicitiam : ipse pugnavit contra eos, et recordatus est dierum antiquorum. Ubi est, qui eduxit e mari pastorem ovium?* etc. Vulg. : *Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt Spiritum Sancti ejus, et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos, et recordatus est dierum sæculi Moysi, et populi sui.* Ubi est, qui eduxit eos de *mari cum pastoribus gregis sui?* etc. Videmus in utrisque Bibliis haberi, non *de terra*, ut in Lactantio, sed *de mari*, ut est in Hebræo. In cæteris tamen versionibus scriptum esse, ut apud Lactantium, ἐκ τῆς γῆς, notatur ad versionem latinam ex Septuag.

Exultent cœli desuper, etc. Hic Lactantius aliquid commune habet cum Septuag. et aliquid cum Vulgat. Illi enim : *Lætetur cœlum desuper, et nubes spargant justitiam; germinet terra, et proferat misericordiam, et justitiam germinet simul. Ego sum Dominus, qui creavi te*, etc. Vulg. *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum* : *aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul. Ego Dominus vocavi eum.*

Ecce natus est nobis puer, etc. Ita prorsus totum hunc locum refert Cypr. II Testimon., cap. 21, sed apud Sept. *quia parvulus natus est nobis;* Vulg. *parvulus natus*, etc. Item Sept. et Vulg. ἐπὶ τοῦ ὤμου, *super humerum.*

Vocatum est. Septuag. et Aquil. Ignatius epist. ad Antiochen., et Euseb., lib. VII Demonstrat. καλεῖται, *vocatur*, sicut etiam Iren., IV, adversus Hæres., cap. 66. Vulg., Symmach., Tertullian., κληθήσεται, *vocabitur.* Theodot. ἐκάλεσε, *vocavit.*

Magni consilii nuntius. Sic habent et mss. Codices Cypriani, attestante Pamelio, non autem *magnæ cogitationis*, ut quidam impressi; eamque lectionem exhibent Septuaginta, μεγάλης Βουλῆς, item Tertullianus, Ambros., initio III, in Luc., Hieronym. in Commentar.

Et omnes populi. P. habet, *et omnis populus*, etc., et ita editio quoque Florentina. Sed ego retinui lectionem Aldinæ, Plantin. et meliorum mss. quam habent Sept. et Vulg. et auctor Expositionis symbol. Apost. inter opera Cypriani, et Lactantius ipse ad finem hujus capitis, nullo exemplari discrepante.

Et potestas ejus æterna, etc. B. *et potestates ejus æternæ, quæ nunquam transibunt.* Sed ego hic quoque priorem retineo mss. optimorum, et excusorum omnium, quæ congruit cum Septuag. et Vulg., cum Tertulliano, item et Cypriano adversus Judæ., et ipso Lactantio ad fin. capitis.

Sic dicit Dominus Deus Christo Domino meo. Ita quidem Tertullianus sæpe, et Cypr. I adv. Judæ., c. 21, quæ lectio merito damnatur a S. Hieron. in Comment. : *Scio*, inquit, *in hoc capitulo non solum Latinorum, sed etiam Græcorum plurimos vehementer errare, existimantium scriptum esse : Sic dicit Dominus Christo Domino meo, ut intelligatur juxta illud, quod alibi legimus : Pluit Dominus a Domino, et Dixit Dominus Domino meo; neque enim κυρίῳ, quod Dominum sonat, sed* κύρῳ *dicitur, id est, Cyro*, etc. Septuag. quidem : Οὕτω λέγει Κύριος ὁ Θεὸς τῷ Χριστῷ μοι Κύρῳ, *Sic dicit Dominus Deus Christo meo Cyro.* Et Vulg. *Hæc dicit Dominus Deus Christo meo Cyro.* Hic Cyrus rex Persarum primus fuit, qui postea Judæos captivos solvit, ut Josephus tradidit lib. XI Antiquit., cap. 1, et Lactantius supra, cap. 5 et 10.

Et civitates non claudentur. Sic habent Sept. Tertull. Cyprian. Cyrillus. Aliqui malunt πύλαι, id est, *portæ*, ut in Vulg.

Aperiam tibi. Hæc apposui ex Bon. Cod. et ex Septuag., quamvis in multis Lactantii exemplaribus desint. Tertull. adversus Marcion lib. IV et V, *aperiam eis :* sed Hebræus textus, chaldæus, græcus, latinus habet ut in nostro.

Tunc sublato de rebus humanis omni malo, aureum sæculum, etc. Hoc scilicet *sæculum aureum* futurum esse falso credidit illud tempus mille annorum, quod ipse et alii nonnulli commenti sunt, de quo dicemus in notis ad cap. 24, lib. VII.

CAPUT XIII.

Sine patris officio virginali utero procreatus est. Observa locum adversus Carpocratitas et Cerinthianos, qui Christum ex semine Joseph fuisse conceptum blasphemabant. Sic supra cap. 12 : *Sanctam Virginem*, etc. et infr. cap. 5, in pr.

Ut mediam inter Deum et hominem. Id est, inter divinam et humanam naturam. Sic infra c. 25 : *Fuit igitur*, inquit, *et Deus, et homo inter Deum et hominem medius constitutus*, etc. His locis Christus Dominus a Lactantio vocatur *medius.* At d. cap. 25, *mediator* dicitur. Differt autem dicere, *Christum esse medium*, vel *esse mediatorem*, ut docet S. Bonavent. in III Sentent., dist. 19, quæst. 2. Nam medius dicit convenientiam cum extremis; mediator non tantum convenientiam, sed etiam officium reconciliationis : ille Græcis μέσος est, hic vero μεσίτης, ut ipse Lactantius tradit d. c. 25. Ergo ut ibi scribit S. Bonaventura, Christus dicitur medius inter divinam et humanam naturam, quia concurrunt in eo duæ illæ naturæ sicut in una persona, in quantum est una persona in duabus illis, non in divina tantum, neque in humana tantum, sed in utraque. Dicitur medius alio quoque modo, quia extiterunt in eo proprietates duabus naturis conformes, beatitudo videlicet simul et mortalitas : in ea cum Deo confertur, in hac cum homine.

Substantiam gerens. Substantia hic non est φύσις, id est natura, ita ut intelligatur Christum Dominum gerere mediam substantiam, id est, naturam quamdam quasi tertiam inter divinam et humanam, ex eisdem, divina et humana, confusis simul ac mixtis conflatam et constitutam, ut delirus somniabat Eutyches, in Constantinopolitano et Chalcedonen. concilio sub Leone I, in Hispaliense II, et ab ipsomet Leone, in multis ejus epistolis, præsertim in 14 ad Synodum Ephesinam, et 17 ad Pulcheriam Augustam condemnatus, disputationibusque refutatus a Gelasio Papa, Damasc. III de Fide Orthod., Boetho de Duab. nat., S. Thom. IV, cont. Gent. cap. 35. Quia non unam, sed duas naturas ita gessisse Christum Dominum confitemur, divinam scilicet et humanam, ut utræque perfectæ, impermixtæ, atque inconfusæ permanserint, et nequaquam altera in alteram sit transmutata; et ideo ex utrisque naturis, et in utrisque naturis Christum consistere profitemur : in utrisque quidem, quia utræque manent; ex utrisque vero, quia utraque, adunatione manentium, una fit persona Christi, ut concilium ipsum Chalcedonense definit, et fuse docet Boeth. in d. lib. de Duab. natur. Neque etiam hic accipitur substantia, pro οὐσία, id est essentia, vel pro οὐσίαστι, id est, substantia : sed proprie pro ὑπόστασι. Nam quæ dictio Latinis substantia eadem est Græcis ὑπόστασις. Verumtamen quia proprie, principaliter, et maxime substantiæ dicuntur primæ substantiæ, id est, secundarum substantiarum individua, quæ in natura rationali et intellectuali dicuntur supposita, et personæ, in hoc proprio accipitur significatu hoc nomen ὑπόστασις, ut individuum, suppositum, personam significet, quemadmodum docet Boethus ubi supra cap. 3, et S. Thomas in III part. quæst. 2, art. 3, ad 2. Ita igitur et substantia. Quare, inquit Lactantius, ut mediam substantiam gerens, id est, ut media persona existens inter Deum et hominem, id est, inter divinam et humanam

Digitized by Google

naturam, quippe quæ ex duabus et in duabus naturis consistit modo, quo diximus, nostram hanc fragilem imbecillemque naturam, quasi manu ad immortalitatem posset educere.

Ex utroque genere permixtum, etc. Quæstio fuit olim diu agitata, utrum terminus unionis Verbi increati ad humanitatem esset persona simplex, vel composita; et multi Theologi veteres id non ausi sunt affirmare, ut novimus ex Magist. sentent. in 3, distinct. 2, S. Thom. quæst. 2, artic. 3; Bonav. art. 1, quæst. 2; Scot. quæst. 3; Durand. quæst. 3; Richard. art. 2, quæst. 2; Gabriel. quæst. 1, art. 3; Marsil. quæst. 6, art. 3, dub. 3, Almain., quæst. 1, conclus. 2, Alens. III part., quæst. 6, memb. 2, art. 5, Cajetano in III par. quæst. 2, art. 4, et in I par., quæst. 3, art. 8. Aiebant enim compositionem absolute dictam in suo formali conceptu dicere imperfectionem in utroque componente, et ideo repugnare divino Verbo. Sed facile respondetur id verum esse in aliis compositionibus, in quibus componentia ex sua natura instituta sunt, et ordinata ad componendum; in illis enim componentia perficiunt se invicem, et compositum est perfectius singulis componentibus, et ideo talis modus compositionis dicit imperfectionem. At vero in hac admirabili compositione, Verbum non est natura sua ad hanc, vel ad ullam aliam compositionem ordinatum, quamvis ex gratia sese accommodet ad componendum hunc hominem, in quo non ipsum perficitur, sed humanitas. Nec quicquam suæ demitur perfectioni, quia non mutatur nec aliquid suæ perfectionis amittit; et propterea hoc compositum simpliciter, seu intensive, non est perfectius altero componentium, scilicet Verbo; quia illud est simpliciter infinitum, in se continens eminenter quicquid perfectionis est in humanitate: extensive autem includit formaliter aliquam perfectionem, quam non includit solum Verbum. Ac denique quamvis esse Verbi secundum se non resultet ex Verbo et humanitate, tamen esse hujus hominis, ut sic ex unione utriusque resultat; nec aliud quidquam est de ratione compositionis aut compositi formaliter loquendo, quam ut sit verè unum ex plurium rerum realiunione resultans. Et hæc ratio formalis compositionis non dicit imperfectionem in utroque componente aut ad summum in altero: reliqua vero, quæ imperfectionem important, accidentalia sunt ad rationem compositionis ut sic. Ergo quia, ut dictum est, Christus est unum quoddam ex diversis rebus (et est ratio e S. Basil. sumpta ad fin. II cont. Eunom.), et ideo negare cogimur, hujus unionis terminum simplicem esse, et consequenter compositum affirmare; sunt enim hæc duo plane contradictoria. Et confirmatur etiam, quia magis compositus est Christus, ut hic homo, quam sola humanitas; Christus enim intrinsece includit humanitatem, et aliquid aliud. Idcirco recentiores omnes theologi docent, absolute et simpliciter dicendum esse, terminum unionis Verbi increati ad humanitatem esse personam compositam, eamque unionem esse veram et propriam compositionem; S. Thom. in III par. quæst. 2, art. 4, et est conclusio definita in V synod. Action. VIII, Can. 4 et 7, et in VI synod. Action. IV, epist. 1, Agathon. Action XI, epist. Sophron., Action XIII, Canon 6, et in concilio Lateranen. sub Martin. III, consultat. V, Canon 17, condemnat eos, qui quæ 4 ubi confirmantur Canones Synodi, et consulta de Christo in illis conciliis sunt definita, negant proprie et secundum veritatem dicta esse; et ibidem Canon. 6, definit proprie, et secundum veritatem in duabus et ex duabus naturis subsistere: illa vero particula, *ex*, procul dubio compositionem designat. Hoc et sancti Patres fatentur; Dionys. cap. 1, de Divin. nomin. et cap. 3, de Eccles. Hierarch., par. II., Damascen. lib. III, c. 3 et seqq., Greg. Homil. 38, in Evang., Athanas. initio Oration. Quod unus sit Christus, Petrus Diacon. de Incarnat. et Grat.: *A Sanctis*, inquit, *Patribus adunatione divinitatis et humanitatis Christus Dominus* A *compositus prædicatur*; idque definitum dicit in quodam concilio Antiochen. contra Paulum Samosatenum. Ut igitur hanc compositionem et hujus unionis veritatem explicarent, usi quoque sunt Patres aliis nominibus, scilicet mixtionis, vel commixtionis, ut hoc loco Lactantius, et Euseb. Emis. in Homil. super illud Joan. III: *Amen, amen dico vobis, non est servus major*, etc. Gregorius Nazianz. compositionem hanc vocat novam mixturam, et admirandam temperationem in Orat. 42, Tertullian. de Carn. Christ. et Apologet. cap. 21, dicit in Christo esse hominem mixtum Deo; et ita fere Hilar. lib. II, de Trinitat. cap. 13. Item usi sunt nomine adunationis, copulationis, ex duobus conjunctionis; ut Chrysost. Homil. 10, in Joann., Justin. lib. de Ver. Fid. expos. ad fin., Cyrill. epist. ad Nestor. Item nomine concretionis, ut Cypr. lib. II, advers. Judæ. c. 10: *Homo*, inquit, *et Deus Christus, ex utroque genere concretus*. Locutiones tamen, quæ mixtionem dicunt, B non sunt proprie accipiendæ, quia cum utraque natura in se perfecta inconfusaque permanserit, ut contra Eutychen fuit constitutum, ibi proprie mixtio, vel mixtura esse non potuit: sed usurpatæ sunt a sanctis Patribus, ad insinuandam duntaxat hujusce compositionis veritatem. Nos autem ab eis omnino temperare debemus, nec Patres, ut ait S. Aug. IV de Doctr. Christ. cap. 3, in verbis omnibus imitari, quia pares eis gratias non habemus.

Fatigata est Ægyptus. Ita est Cyprianus II Testimon. cap. 6, secutus Septuaginta, ἐκοπίασεν Αἴγυπτος, pro eo, quod est in Vulgata juxta Hebraicam litteram, *labor Ægypti*.

Et Saba viri alti. Ita prorsus scribendum, ut *Saba* conjungatur cum *viri alti*, nullo interjecto puncto, sicut mendose in omnibus Lactantii exemplaribus; ita enim intelligitur, viros altos Saba transgressuros esse etc., juxta lectionem omnium Bibliorum Hebr., Græc., Latinor., Tertull. adv. Prax., Cypriani ubi supra, et aliorum Patrum. Pro eo quod hic habet Lac- C tantius *Saba*, Septuaginta, Vulgata, Tertull. et Cypr. habent, *Sabaim*: sed nihil refert, quia utroque nomine *Sabæi* intelliguntur, illi scilicet, qui a Saba filio Chus, de quo X Genes. descenderunt, eamque partem Felicis Arabiæ incoluerunt, quæ ad Mare rubrum, sive Arabicum appellatum vergit; hic enim in Hebræo habetur... Alii Sabæi sunt descendentes a Saba filio Regma, de quo eod. c. Genes. illius accolæ partis Arabiæ Felicis, quæ magis vergit ad sinum Persicum. Unde Plin. lib. VI, cap. 28, dixit, *Sabæos* ad utraque maria porrectis gentibus habitare; intelligitur enim de mari Arabico, sive rubro, ac de Persico, et de utraque gente Sabæorum, tum eorum qui a Saba filio Chus, tum etiam eorum qui a filio Regma duxerunt originem. Quanquam profani scriptores hanc nobis e Sacris litteris cognitam distinctionem ignotam habuerint: sed utrosque tanquam unam gentem descripserint; et tam Græci, quam Latini, utrumque *Saba*, et ab ipsis denominatos *Sabæos*, nullo appellationis discrimine nomina- D rint, quod et Perer. notat ad Genes. ubi supra. Verum Hebræi ita utriusque nomen discriminant, ut Saba filium Chus prima littera scribant per ס Samech, quod est *s* tenue, et exile: filium autem Regma prima littera designent per שׂ scin, quod est *s* crassum. Vid. Isidor. lib. IX, Orig. cap. 2, sub num. 30. Unde ille recte *Seva*, et ab eo *Sevæi*, hic autem potius *Sceva*, et ab eo *Scevæi* viderentur dicendi. Utriusque populi meminit Psalmus LXXI, ubi quod in Hebræo est, *Reges Sceva, et Seva*, in Vulg. et apud Septuaginta legitur, *Reges Arabum et Saba dona adducent*, etc. Videlicet S. Hieron. et Septuaginta, pro *Sceva*, vertentes *Arabum*, designare voluerunt progeniem a Saba filio Regma descendentem, Arabiæque Persici sinus imperitantem.

Et post te ambulabunt vincti compedibus, et adorabunt, etc. Septuaginta, *Et post te sequentur vincti manicis, et transibunt ad te, et adorabunt te*. Sed cum

Digitized by Google

Lactantio omittente illa, *et transibunt ad te*, consentit Vulg. Cyprianus II Test. cap. 6, Cyrill., Euseb. Demonstrat V. A

Et te precabuntur. Ita Vul., sed Cyprianus, et ipsemet Lactantius inf. cap. 29 : *Et in te precabuntur*, cui lectioni consentiunt Septuag. καὶ ἐν σοι προσεύξονται.

Hieremias. Locus hic non in Hieremia reperitur, sed in Baruch. cap. III, qui et a S. Augustino sub nomine Hieremiæ citatur lib. XVIII Civit., cap. 32, Cypr. II Testim. cap. 6, Chrysost. Homil. de Trinit., Cassiodoro in Psalm. LXXXI. Nam cum Baruch esset Hieremiæ scriba, et discipulus, quamplurimi veterum citare solent testimonia libri Baruch sub nomine Hieremiæ, præsertim Clemens Alexand. pr. Pedagog. cap. 10, Hilar. IV, de Trinit., Basil. IV, contra Eunom., Ambros. pr. de Pœnit. cap. 8, et pr. Hexaemeron cap. 14, alii.

Et non deputabitur alius absque illo, qui invenit omnem viam prudentiæ. Septuag. *et non æstimabitur alius ad eum, adinvenit omnem viam scientiæ.* Vulg. *et non æstimabitur alius adversus eum, hic adinvenit omnem viam disciplinæ.* Sed Cyprianus prorsus ut Lactantius totum hunc locum refert. B

Thronus tuus. Ita Græce est apud Paul. ad Hebræos I : ὁ θρόνος σου ; et ita legit Aquil., Symmach., Tertull., Cyprian. Qua de re vid. Euseb. super hunc locum, Hieronymum ad Principiam, Chrysostomum.

Virga æquitatis. Ita et Cyprianus, pro eo, quod in Vulg. et apud Septuag. habetur, *virga directionis.*

Et odio habuisti injustitiam. Sept., Vulg., Tertull., Cyprian. *iniquitatem* : Aquila vero, teste Eusebio, ἀσέβημα, *impietatem.*

Oleo exultationis. Ita Septuaginta, ἐλαίῳ ἀγαλλιάσεως, et ita quoque Cyprian., S. August., Hieron. pro eo quod Vulgata, Tertull., Aquila legunt, ἐλαίῳ χαρᾶς, *oleo lætitiæ* ; al. ἐλαίῳ ἀγλαίσμου, *oleo nitoris, et splendoris*, sicut Symmach. : quæ lectio prope abest ab Hebræo *sasson*, id est, *venustatis, gloriæ, ornamenti.*

Et homo est ; et quis cognovit eum ? Sic Septuaginta totum hunc locum, nisi quia ibi, ut in Vulg. pro. *cognovit*, legitur *cognoscet*, ut etiam eumdem locum referunt Tertull. et Cypr. adv. Judæ. et Epiphan. I cont. Ebionit. Qui quidem locus cum paulo aliter habeatur in Vulgata, videlicet, *pravum est cor omnium, et inscrutabile : quis cognoscet illud ?* Putaverunt aliqui, hodie apud Hierem. non extare. C

Et mittet eis Deus hominem, etc. Septuag. *Et mittet eis hominem, qui salvabit eos, judicans salvabit eos.* Vulgata, *Et mittet eis Salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos.*

Et exsurget homo. Ita et Cyprianus juxta Septuaginta : sed Symmach. pro *homo*, maluit, ut Vulgata, σκῆπτρον, *sceptrum*, vel *virga.*

Non intellexerunt in operibus Domini. Sic habet cod. B. et Cyprianus adversus Judæ. lib. I, cap. 3, et Septuag. At in Florent., Aldin., Plantinian. editione legitur, ut in Vulgata, *non intellexerunt opera Domini.*

Et qui exsurget. Ita Cyprianus I Testimon. cap. 21, et Pauli Interpres ad Hebræos cap. XV ; Septuaginta, καὶ ὁ ἀνιστάμενος, *et qui consurgit.* D

In eum gentes sperabunt. Ita Interpres Paul. ubi supra, et Cyprianus in mss. e quibus Pamel. pro *in illo*, contra impressiones Vulgatas cudendum curavit *in illum.* Septuaginta juxta Romanam recentem editionem habent, ἐπ' αὐτῷ, *in ipso*, quamvis Pamel. græce legerit, ἐπ' αὐτὸν.

Et erit requies eorum in honore. Suspicor Lactantii Biblia in dictione, *eorum*, mendum habuisse ; nam prophetia illa de Christo dicitur, et Septuaginta ac Cyprianus habent, *et erit requies ejus honor.* Vulg. *et erit sepulcrum ejus gloriosum.*

Spiritus scientiæ et pietatis. Ita legendum, ut in B. T. P. et Plantin edit., non ut in Florentina et Aldina, *Spiritus pietatis ;* nam illa *scientiæ et*, sunt apud prophetam ipsum, et Cyprianum.

Et implebit eum spiritus timoris Domini. Concordat hæc lectio Lactantii cum Vulgata ac Cypr. II Testimon. c. 11, quanquam Septuaginta ita distinguunt, ut post, *eum*, ducatur virgula, *Spiritus scientiæ et pietatis replebit eum, spiritus timoris Domini.*

Et parabo regnum ejus. Ita legitur in B. T. P. Septuag., Vulg., Cypr. advers. Judæ. lib. I, cap. 15, et lib. II, cap. 11, pro eo quod est hic in impressis, *et parabo semen ejus.*

Et civitatem, quam de suo nomine Hierosolyma nuncupavit. Non eam Salomon condidit, ut falso tradit Lactantius hic et infra cap. 13. Quomodo enim Scriptura Sacra toties de ea mentionem faceret, dum de temporibus Josue, Judicum, Regum sermonem habet, quæ sane multo antea fuerunt, quam Salomon nasceretur ? Josu. cap. X, XII, XV, XVIII ; Judic. I et XIX. Reg. lib. I, cap. XVIII, lib. II, cap. V, VIII, IX, X et alibi. Condita vero creditur a Melchisedech rege circa annum a mundi origine bis millesimum et vigesimum tertium tempore Abraham, et Hebraice Salem, Græce Solima dicta ; atque ab eo quinquaginta annis possessa videtur, quam deinde Jebusæi a Jebusæo filio Chanaam prognati occupaverunt, a quibus Jebus et Jebusæum aliquandiu est appellata, quo tempore Josue illius regem occidit. Tenuerunt autem eam Jebusæi annos octingentos et viginti quatuor ; tantumque urbis firmitati fidebant, ut Davide rege ipsam oppugnaturo, per contemptum cæcos, claudos ac mutilos in mœnibus collocarent, jactantes hosce ad propellendum hostem sufficere. Sed cum expulsis Jebusæis David urbe potitus esset, eam instaurans, et arce muniens, totius Judææ Metropolim fecit ; ac deinde Jerusalem, quasi Jebus Salem, littera *b* in *r* euphoniæ gratia mutata, Græce autem inflexo vocabulo, Hierosolyma est appellata. Eupolemus tamen apud Euseb. lib. IX. Præparat. a templo quod Salomon in ea magnificentissimum extruxit, Hierosolymam, quasi ἱερὸν τοῦ Σαλομῶνος nuncupatam putat ; ἱερὸν enim Græcis templum est, eo quia sit sacrum. Lactantius vero cum et ipse putarit eam Urbem a Salomone denominatam, ea denominatione deceptus, falso credidit a Salomone conditam. Strabo a Moyse ædificatam scribit lib. XVI. Sed præter notata loca videndi sunt Josephus VII Antiquit., cap. 3, et lib. VII, de Bello Judaic. cap. 18, et Hegesippus. Item Hieronym. de locis Hebraicis ad Dardan. et ad Damasc. Suidas in *Melchisedech.*

Qui illam ædificaverunt. Vulgata, *qui ædificant eam.* Septuaginta *ædificantes.*

In vanum vigilavit. Ita et Septuag. εἰς μάτην ἀγρύπνησεν ; et eodem modo iste locus citatur aliquoties a S. Hieronymo, et a Cassiano lib. XII, cap. 9. Vulg. : *frustra vigilat.*

Custodivit. Septuag. et Vulg. *Custodit.*

CAPUT XIV.

Idem necesse est habeat in eo sacerdotium sempiternum. Eadem disserit Cyprianus adversus Judæos lib. I, c. 16. Et de sacerdotio Christi videndus S. Thom. III p., quæst. 22.

Qui omnia, quæ sunt in corde meo, faciat. Septuag. *qui omnia, quæ in corde meo, et qui in anima faciet.* Cyprianus cum Lactantio concordat, nisi quia, pro *faciat*, habet *faciet*, cum Septuag. et Vulg.

Et transibit in conspectu meo. Septuag. *Et transibit coram Christo meo ;* et concordat cum Vulgat. et Hebræ. et ita hunc locum profert S. August. In aliis versionibus est, τῶν Χριστῶν μου, *Christis meis ;* et Cyprianus I Testimon. cap. 17 : *In conspectu Christorum meorum.*

Et ostendit mihi Dominus Deus Jesum, etc. τὸ *Deus* non legitur in Vulg. nec apud Septuag. nec apud Cyprian. II Testimonior. cap. 13.

Ut adversaretur ei. Ita Septuag. et Vulg. ; at cod. B. habet, *ut contradiceret ei.*

Imperet tibi Dominus in te. Septuag. et Vulg. *increpet Dominus in te.*

Et ecce titio ejectus ab igne. Septuag. *Nonne ecce*

Digitized by Google

hoc ut turris est erutus de igne : in Bibl. Compluten. et apud Theodor. et S. Hieron. *Numquid non iste torris est,* etc. ut in Vulgata.

Auferte vestimenta sordida ab eo. Post hæc verba, apud Septuaginta et Cyprianum subduntur illa : *et dixit ad eum : Ecce abstuli iniquitates tuas ;* et in Vulg. *Ecce abstuli iniquitatem tuam,* quæ forte omisit Lactantius compendii causa, ut et alia paucula.

Et induite eum. Sic Septuaginta, Tertull., Cypr., sed Vulg. sermonem continuat cum Jesu, *et indui se.*

Tunica talari. τὸ *poderem,* quod est apud Septuag. Tertull. et Cyprian. Lactantius interpretatus est, *tunicam talarem,* cui adstipulatur S. Hieronymus.

Et dabo tibi, qui conversentur in medio horum circumstantium. Ita legitur apud Septuaginta : sed Vulgata parum variat ; ibi enim : *Et dabo tibi ambulantes de his, qui nunc assistunt* ; illa vero sunt omissa, quæ ante verba hæc posita sunt in utrisque Bibliis, καὶ ἐὰν διαφυλαχθῇς τὴν αὐλήν μου, *et si custodieris atrium meum.*

Prope quingenti anni numerantur. Ita scriptum est in B. T. P. novem Vaticanis et Plantiniana. At Aldinæ, Florentinæ et aliis nonnullis editionibus desit τὸ *prope.* Porro Zacharias prophetabat anno secundo Darii IV, Persarum regis, ut habetur Zachariæ I et Esdr. I cap. V, ab Euseb. in Chron. sub Olympiad. 64, et Hieronym. in prolog. Commentar. ad Zachar. a quo tempore, usque ad annum quintum decimum Tiberii Cæsaris, Eusebius computat annos quingentos quinquaginta octo in Chronic. sub Olympiad. 202.

Darii. Quarti Persarum regis, ut dictum est, qui ab Euseb. statuitur sub Olymp. 64.

Et Alexandri. Hic Alexander non est ille Magnus vocatus, Philippi filius, Macedonum Rex vigesimus tertius, qui ab Eusebio ponitur sub Olympiade centesima undecima : sed Alexander decimus Macedonum rex, qui ab eodem Euseb. sub Olympiad. 69 censetur.

Qui fuerunt non multo priusquam Tarquinius Superbus exactus est. Darium non post, sed ante exactum Tarquinium fuisse constat ; quippe qui in Persas imperium susceperit Olymp. sexagesima quarta secundum Euseb. Tarquinius exactus est Olympiad. sexagesima septima.

Filium suum legavit ad homines. Multi mss. et excusi habent, *Filium suum principem angelorum legavit ad homines :* quos si quis sequi malit, et ea retinere, *principem Angelorum,* non magnopere repugnabo, cum hic intelligam in ea dictione, *angelorum,* non naturam aliquam, sed munus et officium designari ; perinde enim est ac si dixisset, primum legatorum, sive nuntiorum. Nam angelus græce, latine est nuntius, quo nomine etiam in Sacris Litteris, nedum a Lactantio et Cypriano II Testim. c. 5 et aliis, Christus appellatus est *angelus :* Esai. IX apud Septuaginta, *magni consilii angelus ;* et ita locum illum effert Cyprianus sermone de nat. Christi ; Lactantius supra cap. 12, latinam ipsam maluit vocem, *magni consilii nuntius ;* Malach. III : *Angelus Testamenti ;* et Joan. Apocalyp. XX : *Vidi angelum descendentem de cœlo,* etc., quem locum de Christo Domino plerique interpretantur. Jure quidem Christus dicitur princeps nuntiorum, seu legatorum (nam et hoc cum nomine vocat inf. cap. 25 et 29, et lib. de Ira Dei, cap. 2), cum maximam omnium ad homines legationem obierit, ut diximus supra cap. 8. Vel dixit principem, id est, *caput angelorum,* juxta illud Apostoli ad Coloss. II : *Qui est caput omnis principatus et potestatis,* etc. Est autem eadem ratio et de angelis omnium aliorum ordinum, ut docet S. Thomas III. p., quæst. 8, art. 4. Ego codicis B. cui ob miram ejus vetustatem plurimum tribuo, et Plantinianæ editionis lectionem secutus sum.

CAPUT XV.

Cum primum cœpit adolescere, tinctus est a Joanne propheta in Jordane, etc. Circiter triginta annorum erat, cum baptizatus est Jesus, Lucæ III, sive locum illum exponamus, ut duobus mensibus minor esset annorum triginta, ut Epiph. hæres. 51, Jansen. in Concord. sive ut esset in ipsomet trigesimo ætatis anno, ut Tertullianus African. apud Hieron. in Daniel. cap. IX, Magister histor. Scholastic. in hist. Evang. cap. 33, qui trigesimum annum ita ab eo incœptum tradit, ut tresdecim tantum dies ejusdem anni peregisset : quæ fuit multorum quoque Sanctorum Patrum sententia : Irenæi adv. Hæres. lib. II, c. 10, Greg. Nazianz. Hom. in S. Laurent., Theophilact. et Euthymii in III Lucæ, et deinde recentiorum, Carthusiani, Cajetani in idem cap. 3, et aliorum ; sive denique ut jam explevisset trigesimum, et trigesimum primum inchoasset, ut Ignatius Martyr ad Trallian., Chrysost. Homil. 10 in Matth., Euthym. in eumdem Matth. cap. 3. Quibus quidem temporibus nemo, ut puto, initium fecerit adolescentiæ.

Purifici roris perfusione. Ita legendum est ex B. T. P. et Florentina editione ; non, *purificati,* etc. ut in Aldina et Plantiniana. Et ex hoc loco fortasse intelligitur, in primitiva Ecclesia morem baptizandi fuisse, non baptizandos immergendo, vel desuper aquam effundendo, sed tantummodo baptizandos aspergendo, quod propter baptizandorum multitudinem, quæ sæpe simul conveniebat, eo tempore contigisse putandum est. Cæterum cum in immersione expressius repræsentetur figura sepulturæ Christi, modus baptizandi per immersionem, vel effusionem, quo utitur hodie Ecclesia, est laudabilior, ut asserit S. Thom. in III p. quæst. 66, art. 7.

Filius meus es tu, etc. Paulo aliter reperitur hic locus apud Matth. III, Marc. I, Luc. III.

Confortamini manus resolutæ, etc. Paululum variat lectio et distinctio hujus loci apud Septuag., in Vulg., apud Tertullian. IV, adversus Marcion. et Cyprian. II Testim. cap. 7. Vid. Francisci Lucæ Burg. Annotationes in Bibl.

Mutorum. Ita est in Vulgata et Cypriano, pro eo quod apud Septuag. μογιλάλων, *difficulter loquentium,* sive *balborum.*

Et rivus in terra sitienti. Sic quoque Cyprianus adversus Judæ. cap. 7, transtulit illa, καὶ φάραγξ ἐν γῇ διψώσῃ. Sept. *et vallis in terra sitienti.* Vulg. *et torrentes in solitudine.*

Καὶ χωλῶν δρόμος ἐστὶ ὠκύς. In cod. Sibyll. χωλῶν δὲ δρόμος ὠκύτατος.

Ascendit in montem quemdam desertum, ut ibi adoraret. Ubi cum triduo moraretur, et fame, etc. Duorum miraculorum de satiata a Domino multitudine videtur Lactantius historias confudisse. Nam primum quidem contigit, quando a Nazareth secedens navicula transfretavit in desertum, et secutæ eum sunt turbæ terrestri itinere, de quo Matth. XIV, Luc. IX, Marc. VI, Joan. VI. Ibi vero non secesserat Jesus in montem ante patratum miraculum, neque triduo moratæ fuerant turbæ ; sed quinque panes, et duo pisces multiplicati quidem fuerunt, multitudo per quinquagenos distributa, quinque hominum millia saturata, residuorum fragminum duodecim cophini impleti. Alterum contigit miraculum, quando secedens e Tyro et Sydone venit secus mare Galileæ, et ascendens in montem sedebat ibi, et secutæ sunt eum turbæ multæ quarum misertus est Jesus, quia triduo jam morabantur jejunæ, ut apud Matth. cap. XV, Marc. VIII. Sed ibi septem panes erant, et pauci pisciculi, hominum ad quatuor millia, residuorum fragmentorum sportæ septem. Et de utroque miraculo dicitur Matth. cap. XVI.

Εἰν ἄρτοις ἅμα πέντε. In Cod. Sibyllino hi versus aliquantum variant.

Πίστει τε. Sic errorem Aldinæ editionis, quæ habet πύστειτε, correctum oportuit ex Florent. et Plantinian. editione, et ex ipso cod. Sibyll.

Κύματα πεζεῦσι, etc. Etiam hi aliquantulum ibi variant.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Et alieni beneficii bona non tantum suspiciunt, etc. Meursius 5 Critici. Arnob. cap. 10, conjicit legendum potius. *Et alieni beneficii dona non tantum suspiciunt*, etc.

Et exprobrat nobis peccata legis. Hic vero prætermissa sunt illa, quæ ante verba hæc in utrisque Bibliis, et apud Cyprianum leguntur, *et contrarius est operibus nostris.*

Gloriatur patrem se habere Deum. Ita quidem melius, sicut Vulgata et Cyprianus juxta castigatas editiones II Testimonior., c. 14; Lucif. pro S. Athanas., August., de Civit., lib. XVII, c. 20, quam apud Septuag., *gloriatur patrem Deum.*

Stultitia ipsorum. Septuag., Vulg., Cypr., *malitia ipsorum.* Nam græce est, ἡ κακία.

Mille ac decem anni fuerunt. Ego apud Eusebium in Chronic. sub Olympiad. 202, a Salomone usque ad Christi Domini obitum fluxisse comperio annos mille et sexaginta.

Extollatur luna. In Ps. latini codices omnes, *auferatur luna.*

Annuntiavimus coram ipso sicut pueri. Ita prorsus Cypr. II, adv. Judæ., c. 13, Septuag., teste S. Hieron., *annuntiavimus quasi parvulum in conspectu ejus*; et ita reperitur etiam apud ipsum S. Hieronymum in Comm. Tertull. adv. Judæos, et II contra Marcion., *annuntiavimus de illo sicut parvulus.* Vulgata vero multo aliter.

Homo in plaga positus, etc. In hoc loco Esaiæ enuntiando Lactantius aliqua mutat, aliqua mutilat, Septuag. *Homo in plaga positus, et sciens ferre infirmitatem; quia aversa est facies ejus, despecta et non reputata*, etc. Cyprianus: *Homo in plaga positus, et sciens ferre imbecillitatem, quia aversa est facies ejus, inhonoratus est et non computatus.* Reliqua conferat lector.

CAPUT XVII.

Quod legem Dei solveret; cum hoc ille non suo judicio, etc. Solvendi vocabulo usus est, pro eo quod est antiquare, vel evacuare, quibus vocibus usus est Paulus ad Hebræos VIII, ad Ephes. II, ducta translatione a funiculorum nexibus, qui statim atque soluti sunt, vim amisere. Christus Dominus proprium vocabulum adimplendi maluit Matt. V, quia quando legi abrogatur, quæ non erat perpetua, sed ad tempus præfinitum posita, post illud tempus non proprie soluta, aut sublata dicitur, sed finita et completa. Sic ibi Salvator, quia lex vetus non erat in perpetuum posita, sed quousque veniret plenitudo temporis, dixit se venisse, eam non solvere, quasi perpetua esset, sed adimplere et perficere veritates, quarum umbras gerebat. Quod idem significat quoque Lactantius, dum ait, quod id faciebat secundum prædicta prophetarum; et infra, c. 20, fatetur Novum Testamentum fuisse Veteris adimpletionem.

Et deliget validas nationes, etc. Græce autem apud Septuag. tam in Michæa, quam in Esaia legitur ἐξελέγξει, quod Vulgatæ interpres, et alii transtulerunt, *arguet*, ut in Esaia, vel, ut in Michæa, *corripiet*; id enim significat verbum ἐξελέγχω. Sed et Cyprianus, l. II, adv. Judæ., c. 18, ex Esaia refert, *redarguet*, et auctor libelli adversus Judæos in opera ejusdem Cypriani, *corripiet*. Verum quoniam hic Aldina editio Lactantii, plantiniana et pleræque aliæ habent, *deliget*, suspicor codicem Græcum Bibliorum Lactantii in Michæa mendum habuisse, et pro ἐξελέγξει, exhibuisse ἐκλέξει, quod est, *deliget*. Cæterum cur apud eumdem Cyprian. I, adv. Judæ., c. 10, Michæam quoque referentem legatur, *deteget*, vel hic apud Lactantium in Florentina editione, *diriget*, nullam rationem inire possum; et puto fuisse operarum erratum: sed germanum Cypriani et Lactantii textum habuisse, *deliget*, et ita eos scripsisse, licet perperam, scilicet Græci codicis in Michæa fortasse, ut dixi, errore falsos.

Oreb. Dicitur etiam *Choreb*, et forte melius. A Nam apud Hebræos prima littera hujus nominis est ח apud græcos χ. Jugum est montis Sinaï, atque inde uno nomine mons Dei appellatur; et scriptum est, legem datam in Sinaï, ut Exodum XIX et XXXIV, Levitic. XXVI, et in Oreb., ut Deuter. IX, Malach. IV. Legimus aliquos scripsisse, Orientalem istius montis partem dici Sinaï, Occidentalem Oreb; Hieronym. de hoc Hebraic. et de 42 mansion. Ortel. et alii recentiorum nonnulli putant, eumdem montem nunc Sina, nunc Oreb vocari. Receptior tamen sententia est, montes illos inter se distinctos esse, sed radicitus cohærere: esse etiam Oreb multo inferiorem altitudine Sinai.

Εἰς αὐτὸν πᾶς λύσεται, etc. Mutilus versus, qui ex cod. Sibyllino restituitur; ibi enim, Εἰς αὐτὸν τότε πᾶς λύεται, etc.

Esaias ita prophetavit. Erratum memoriæ; posuit enim Esaiam, pro Hieremia, qui hoc habet cap. IV.

Renovate. Florent., *revocate.* Sed nostram lectionem exhibent mss. et editi Ald., Plantin. et Biblia, tam Vulg. B quam Septuag., Tertull. et Cypr. adv. Judæos.

Novitatem. Ita Cypr. I Testimon., c. 8, et Tertull. adv. Judæos, qui tamen I adv. Marcion. habet, *novamen novum*, pro eo quod apud Septuag. leg. num. plurali νεώματα, *novalia*: Hebraice vero, Chaldaice, et in Vulg. singulari num. *novale.*

Circumcidite præputium cordis vestri. Ita Cyprian. I adv. Judæos: sed Tertull., *circumcidimini præputium*, vel *præputia cordis vestri*, ut in Hebræo, Chaldæo et Latino juxta Vulgatam editionem, pro eo quod nunc apud Septuag. legitur, κληροκαρδίαν ὑμῶν, *duritiam cordis vestri.*

Et exurat. Hæc non habentur in plerisque, quæ nos adjecimus ex B., nam ita prorsus Cyprianus; et apud prophetam in Septuag. et Vulg. legitur, *et succendetur*, vel *et succendatur.*

In novissimis diebus. Hæc non habent Sept., nec Vulg., sed Cyprianus.

Circumcidet Dominus. Concordat cum Vulg. et Cyprian.; August. vero quæst. 53, cum Sept., *circumpurgabit.* Sed hic desunt illa, *et cor seminis sui*, quæ in utrisque Bibliis habentur, et apud Cyprianum. C

Cultellos petrinos nimis acutos. Concordat cum Septuag. Cypr. et Theodoret. In mss. *petrinos de petra acuta.* S. Augustinus quæst. 6: *Fac tibi ipsi cultros de petra acutos*; vel sicut habet græcus, *de petra acuta.*

Non enim propheta sic ait, et dixit Dominus ad me. Mendum habent omnia exemplaria, in quibus pro *Dominus*, legitur *Jesus.* Nam textus ipse Scripturæ Sacræ sic habet, ut nos excudendum curavimus; et sic recte eum protulit ipsemet Firmianus paulo supra, ad quem locum ista referuntur.

Auses. Ita juxta Septuag. Numeror., c. XIII nomen hoc efferunt Tertullianus adv. Judæ. et S. Aug., lib. XVI, contra Faust., c. 19, τὸν Ἀυσὴν υἱὸν Ναυῆ. Vulg. habet ex Hebræo, *Osée.*

CAPUT XVIII.

Quod ita fieri oporteat in omni persecutione. Observa D antiquissimi patris testimonium de fuga licite tempore persecutionis arripienda contra Marcionitas et Montanistas, quos refellit Clemens Alexandr. XL Strom., Origenes super Joan., c. 31, Cyprian. in ep. ad Thibaritanos de Exhortatione Martyrii, et lib. de Laps., Nazianz. in Orat. in laudem Cæsarii, et in Orat. in Laud. Basil., Athanas. in Apolog. de fuga sua, et S. August. in epist. ad Honorat.

Legatus Syriam regebat. Legati nomen accipit, ut commune omnibus, qui quovis officio publice mitterentur; ita enim idem nomen et Varro interpretatur V, de Lingua latina; sed proprie sumptum peculiare nomen erat magistratus et officii. Procuratorem alii Pilatum nominant, ut Luc. Evangel., c. III, et Tacit. XV Annal.; alii Syriæ Præsidem, ut Ignatius martyr in epistola ad Trallianos.

Annis 46. Hunc numerum retinui probatum 12 codicibus Vatic. P. et editionibus Florentina, Ald.

Digitized by Google

Plantin. cæteris, et exhibitum ab ipso Evang. Joan. c. III, licet B. et T. habeant, *annis* 40.

Nihil in eo damnatione dignum videri. Hæc erat antiqua judicandi formula. Senec. I Natural. quæst., c. 16 : *Et tamen non pronuntiavit jure cæsum videri,* Plin., l. XIV, c. 13 : *Judex pronuntiavit mulierem videri plus vini bibisse, quam valetudinis causa.* Eadem quoque in decretis senatus non raro utebantur. Sallust. *Consulente Cicerone, frequens senatus decrevit Tarquinii judicium falsum videri.* Cornific., l. I : *Senatus decrevit, si eam legem ad populum ferat, adversus rempublicam videri eum facere.* In legibus etiam, et plebiscitis. Livius, l. XXV : *Plebs scivit, videri eum in exilio esse.* Alia exempla ex veterum prudentum responsis, et aliis auctoribus promit Cujac., lib. III Observ., c. 26.

Nec tamen ipse sententiam protulit, etc. Quin immo constat, a Pilato fuisse adversus Christum damnationis sententiam dictam ex Joann. et Luca, quorum ille, c. XIX, pro tribunali sedisse Pilatum ait, quod non nisi judicium exercentis est ; hic vero, c. XXIII, super eo, vel de eo judicasse ; hoc enim sonat ἐπέκρινε. Petrus etiam apostolus ep. I, c. II, de Jesu loquens, ait : *Tradebat autem judicanti se injuste,* scilicet Pilato. Id et S. Ignatius tradit expresse in ep. ad Trallian., S. Aug. in ps. LXIII, et Leo papa, serm. 1 et 8, de Passion. Domin.

Coloris punicei veste. Chlamys fuit illa vestis, ut apud Matth., c. XXVII : χλαμυδα κοκκινην, quæ paludamentum a Romanis vocabatur ; et ea reges, imperatores, milites super armis induebantur. Rubri fuit coloris. Unde Martial, l. XIV.

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis,
Et placet hic pueris, militibusque color.

Fallebantur enim milites, neque exterrebantur, si ex vulneribus sanguis defluerat. Illum igitur rubrum colorem nunc coccino designarunt, ut Matthæus evangelista ; nunc purpureo, ut Marcus XV, Joann. XIX, nunc puniceo, ut hoc loco Lactantius. Nam hi colores omnes rubrum aliquo modo referunt, vel cum augentes, vel remittentes, vel mixta quadam specie temperantes. Coccum quidem rubere norunt omnes ex Plin. lib. IX, cap. 41, qui et lib. XXII, cap. 2, imperatoriis paludamentis dicatum scribit. Sed et Plutarch. in Fabio, signum prælii futuri Romanis imperatoribus tradit fuisse tunicam coccinam extensam super prætorium. Purpuram autem Plin. lib. IX, cap. 8, præstantissimam esse scribit, quæ sanguinis concreti colorem exhibet : unde et Homero purpureus dicitur sanguis. De puniceo vero colore, qui et Phœniceus dicitur (quem Græci *φοίνικα*, vel σπάδικα appellant, quoniam palmæ termes ex arbore cum fructu avulsus spadix dicitur, teste Gell. lib. III, cap. 9), hæc profero ex Frontone apud eumdem Gell. lib. II, cap. 26, cum Phavorino philosopho de coloribus disputante. *Non enim*, inquit, *hæc sunt solu vocabula rufum colorem demonstrantia, quæ tu modo dixisti, rufus et ruber : sed alia quoque habemus plura, quam quæ dicta abs te Græca sunt. Fulvus enim, et flavus, et rubidus, et Phœniceus, et rutilus, et luteus, et spadix appellationes sunt rufi coloris, aut acuentes eum, quasi incendentes, aut cum colore viridi miscentes, aut nigro infuscantes, aut virenti sensim albo illuminantes. Nam Phœniceus, quem tu Græce φοίνικα dixisti, noster est ; et rutilus, et spadix phœnicei συννώνυμα, qui factus Græce, noster est, exuberantiam, splendoremque significat ruboris, quales sunt fructus palmæ arboris non admodum sole incocti : unde Spadicis et Phœnicei nomen est. Spadica enim Dorici vocant avulsum e palma termitem cum fructu*, etc. Ergo et hunc colorem sanguini attribuit Ovid. XIII Metam., et Statius I Achilleid. unde et eum quoque futuri prælii signum fuisse, et paratos in pugnam milites induere solitos tradit Plutarch. in Instit. Lacon., in Paul. Æmil. et in Marcel. Alii vero non a palma, ut dictum est, sed potius a Punici mali corio eum colorem nomen traxisse pronuntiant : alii παρὰ τὸν φόνον, quia scilicet id virgultum (quod, ut androsemon, reddit sanguinem, quanquam alio modo) φόνος dictum est a Theophrasto. De una igitur atque eadem Christi chlamyde hi tres colores dicti sunt : non quia iidem sint ; nam proprie accepti diversi sunt, ut contra Parrhasium, Guarinum, et alios disputat Brodæus I Miscellan. cap. 8, Bayf. de re Vestiar., cap. 3, sed quia omnes aliquo modo, ut dictum est, eumdem colorem, id est rubrum exhibent, pro uno et eodem colore ab evangelistis et Lactantio exprimi potuerunt. Quæ paucula disserere volui, ut Lactantium cum evangelistis, atque ipsos inter sese evangelistas concordes esse ostenderem, quorum loca in speciem pugnantia quibusdam doctis viris, præsertim Lazaro Bayfio ubi supra, nonnihil negotii attulerunt.

Gavianam crucem. Florentina editio habet *Gabianam*, quod mendum annotavit Andræas Patritius initio Scholiorum ad fragmenta Orationum Ciceronis. Respicere enim locus debet ad Verris factum crudele, qui P. Gavium, *non Gabinium*, cruci affixerat ; de quo in Orat. 7, in Verr.

Ignoraverunt. Ita et S. Augustinus, pro eo, quod in Vulg. et apud Septuag. habetur, *ignoravi ;* Symmach. *ignorabam.*

Εἰς ἀνόμιους, etc. Conjunxit hæc carmina Lactantius, quæ in cod. Sibyll. Serm. 8, a se invicem dissita atque disjecta sunt. Nam ibi prius leguntur illa, καὶ στόμασιν μιαροῖσι, etc. deinde nonnullis interjectis, illa, δώσει δ' εἰς μάστιγας. Verum aliis quoque interpositis, ea demum reperiuntur, quæ hic prima leguntur, εἰς ἀνόμους χεῖρας, etc.

Τίς λόγος, ἢ πόθεν ἦλθεν. Cod. Sibyll. τίς τινος ὢν, πόθεν ἦλθεν, etc.

Αὐτοῦ γὰρ σὺ ἄφρων. Inter carmina Sibyll. hos versus non reperio.

Ακάνθαις. Malim ἀκάνθης.

Et dixit Esdras ad populum. Locus insignis, quem nunc non habemus. Justin. Mart. in Dialog. adv. Judæ. affirmat, e libris Esdræ cum aliis ibi notatis a Judæis fuisse sublatum.

Nativitatem ejus. Ita quoque Tertull. et Cypr. At Sept. et Vulg. τὴν γενεὰν, *generationem.*

Adductus est ad mortem. Ita fere omnes Lactantii libri. Florentina habet *abductus*, quæ lectio non placuit Pamelio, attestante eam in aliquibus quoque mss. Cypriani Codic. legi. Tertul. habet *perductus.*

Quia facinus non fecit, neque insidias ore suo locutus est. Septuag. *quia iniquitatem non fecit, neque dolum in ore suo ;* Vulg. *eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus ;* Tertullian. adv. Judæ. *Nec dolus in ore ejus inventus est*, vel ut in mss. *nec dolus fuit in ore ejus ;* Cyprianus, *quia facinus non fecit, neque insidias ore suo.* Florent. Juntar. habet hic, *quia facinus non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus.* Sed nos secuti sumus membranas et plures ac meliores editiones.

Consequetur multos. Ita est in editione Ald. et Plantin. et apud Cypr. a Pamelio editum, ubi tamen Joan. Costerius legebat, *possidebit*, ut nunc legitur in recenti versione latina ex Septuag. qui græce habent κληρονομήσει quod ego interpretarer, *hæreditabit*, ut hic habet editio Florent. et Tertull. adv. Judæos, *in hæreditatem habebit.*

Propterea quod traditus est ad mortem. Cypr. ex Septuag. *Propterea quod tradita est ad mortem anima ejus.* Vulg. *pro eo quod tradidit in mortem animam suam.*

Peccata multorum, etc. Ita lego cum B. T. et melioribus aliis mss. et impressis, cum Septuag., Vulg., Tertull. et Cypr. licet editio Florent. habeat, *peccatum multorum*, etc.

Captabunt in animam, etc, B. *captabunt animam.* Ego exhibui lectionem omnium aliorum Lactantii codic. Septuag. et Vulg.

Sicut agnus sine macula. Septuag. ὡς ἀρνίον ἄκακον,

Digitized by Google

quod recentiores illius versionis interpretes transtulerunt, *sicut agnus innocens*. Cypr. II Testimon. cap. 15, habet, *sicut agnus sine malitia*. Vulgata, *quasi agnus mansuetus*.

Cogitaverunt cogitationem. Sicut Cypr. II Testim. cap. 15 : *Cogitaverunt cogitatum* ; Vulg. *cogitaverunt consilia*. Sept. ἐλογίσαντο λογισμὸν πονηρὸν, *cogitaverunt cogitationem malam*.

Eradamus. Ita Vulg. et impressi libri Cypr. II Testim. cap. 15 et 20 ; sed mss. teste Pamelio, *tollamus*, vel *evellamus*. Tertull. propius abest a Sept. et Hieron. ; nam ille adv. Judæ. et hic in Comment. habet, *conteramus*. Græce est ἐκτρίψωμεν, *exteramus*.

E terra vitam ejus. Ita quoque Cypr., sed Septuag. et Vulg. et Tertull. *eum de terra viventium*.

Non erit in memoria. Septuag. et Vulg. μὴ μνησθῇ, *non memoretur*. Tertull. et Cyprianus cum Lactantio concordant.

Non quasi homo Dominus, etc. Ita Septuag. nisi quia, pro *Dominus*, habent, *Deus* ; Cypr. II Test. cap. 20, Theodoret. quæst. 45, at Vulg. *non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur*. Ita fere Orig. Homil. 16, et Philo lib. I, de Vita Mos.

Quem transfixerunt, Vulg. *quem confixerunt* ; Cyp. II Testim., c. 21 : *in quem transfixerunt* ; Tertull. adv. Judæ. : *quem pupugerunt*. S. Hieron. qui de varia hujus loci lectione disputat, certe apud Septuaginta agnoscit, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, pro eo *quod insultaverunt*.

Effoderunt. Græce ὤρυξαν ; et ita ex mss. in Cypr. legit Pamel. non ut in excusis, *et foderunt*, quia copula nusquam habetur. Tertullianus aliquando ut Septuag., Vulg. et Just. *foderunt*, ut IV, adv. Marcionem ; aliquando, *exterminaverunt*, ut lib. adv. Judæos.

Manus meas et pedes meos. Ita Vulg., Tertull. IV, adv. Marcion., Cypr., S. August., alii. Sed idem Tertull. adv. Judæ. cum Septuag. *manus meas et pedes*, nec ultra ; ut Justin. : *meos pedes et manus*, nec ultra.

Sed Spiritus Dei per eum loquebatur, qui fuerat illa passurus. Id est, ipsemet *Dei Filius*, quem hic, ut alibi sæpe, *Dei Spiritum* vocat, eo quidem sensu, quo *Deus Spiritus* vocatur, ut diximus lib. II, cap. 9, non ut Filii personam cum persona Spiritus Sancti confundat.

Post annos mille et quinquaginta. Tot enim colliguntur anni a regno David usque ad crucem Christi. Ab exordio scilicet regni Davidis summa quidem nonnihil deficit secundum Eusebium in Chronic. Nam ille attribuit regno Davidis annos quadraginta, post quem regnat filius ejus Salomon, a quo, et prima templi ædificatione, quæ contigit anno quarto regni Salomonis, ut cap. VI, III Reg. usque ad annum Passionis Domini, Eusebius sub Olympiad. 202 computat annos mille et sexaginta. Sed adamussim quadrat cum supputatione Lactantii, qui supra cap. 16, a tempore prophetiæ Salomonis, quod exordimur a primo anno regni ipsius, computabat annos 1010. Iis ergo additis annis 40 regni Davidis, prorsus hæc summa conficitur annorum mille et quinquaginta.

Quod si avertimini, etc. Hujus loci in sacro codice multum variat lectio ; nam hic alia mutata sunt, alia vel subtracta, vel addita. Conferat qui volet.

CAPUT XIX.

Et obtenebrabitur dies lucis. Ita Cypr. II Testimon. cap. 23, et fere Tertull. adv. Judæos, apud quem legitur : *et tenebrescet super terram dies luminis*. Septuaginta, *et contenebrescet super terram in die lux* ; Vulgata, *et tenebrescere faciam terram in die luminis*.

Et cantica vestra. Septuag., Vulg., Tertull., Cypr. : *et omnia cantica vestra*.

Exterrita est. Cyprianus concordat cum Lactantio : sed apud Septuag. et Iræneum IV adv. Hæreses, cap. 66, legitur, ἐκενώθη, *vacua facta est* ; Vulg. *infirmata est*.

Quæ parit. Ita Iræneus et Cyprian. Vulg. et Septuag. addunt ἑπτά, *septem* : Vulg., *quæ peperit septem* ; Septuag. *quæ parit septem*.

Et tæduit animam. Cypr. *et tæduit anima ejus* ; Vulg. *defecit anima ejus* ; abest enim copula, ut etiam apud Septuag. qui habent, ἀπεκαύκησεν ἡ ψυχὴ αὐτῆς, *afflicta est anima ejus*.

Et subivit sol ei. Ita Florentina editio : at Plantin. et Aldina, ut in Vulg. *et occidit sol ei*. Retinui lectionem, quam verosimilius existimavi expressisse Lactantium, eam videlicet, quam habent Septuag. ἐπέδυ, et Cypr.

Ναοῦ δὲ σχίστητε πέτασμα, etc. Hunc versum exhibui, ut eum emendavit Marcus Musurus ad calcem editionis Aldi. : hic vero in textu in omnibus fere exemplaribus legitur, ναοῦ δὲ σχισθήσεται πέτασμα, etc. In codice Sibyllino, ναοῦ σχίσσθε τὸ καταπέτασμα. Utrobique vero metri ratio non constat.

Apud inferos. Ita quoque Cyprianus, quod apud Septuag. et in Vulg. est, εἰς ᾅδου, *in inferno*.

Interitum. Græce διαφθοράν, *corruptionem*, ut apud Septuaginta, in Vulgata et Cypriano.

Et somnum cepi. Ita Cypr. et S. August. pro eo quod apud Septuaginta et Græce est ὕπνωσα : sed idem S. August. fatetur nonnullos codices habere, ut nunc Vulgata, *soporatus sum*.

Auxiliatus est mihi. Sic quoque Cyprian., sed Septuaginta ἀντιλήψεταί μου, *suscipiet me*, quos secutus est S. Augustinus. Vulgata vero *suscepit me*, ut Justinus Mart. ἀντελάβετό μου.

Hic filius meus sapiens, etc. Hunc locum nec satis fideliter recitat, detractis, additis, mutatis nonnullis ; nec satis recte de Dei Filio interpretatur. Septuag. : *Iste est filius tuus sapiens* ; Vulgata, *ipse filius non sapiens*. Loquitur ibi Scriptura de iniquitate Ephraim ; et per Ephraim alii aliud intelligunt : S. Hieronymus de Tribu ad idololatriam prona ; Lyranus de filio insipiente a pietate ad impietatem deflexo ; alii simpliciter de homine peccatore. Sequuntur Septuaginta : « *Quia nunc non subsistet in contritione filiorum : De manu inferni liberabo, et de morte redimam illos. Ubi est causa tua, mors ? ubi est aculeus tuus, inferne ?* Vulg. : *Nunc enim non stabit in contritione filiorum. De manu mortis liberabo eos ; de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors : morsus tuus ero, inferne.*

Non resistet. B. caret negatione, quæ omnino retinenda est, sicut habet propheta. Nam apud Septuag. legitur, *non subsistet* ; in Vulg., *non stabit*.

Eruam eum. Non, *eum*, sed, *eos*, habet Scriptura Sacra, tam apud Septuaginta, quam in Vulgata.

Vivificabit nos post biduum die tertio. Hic Oseæ locus apud Lactantium mutilus legitur, et male distinctus, sicut apud Tertull. adv. Judæ. et apud Cyprian. in antiq. edit. II Testim., cap. 25, qui referri ita debuit, ut est apud prophetam, *Vivificabit nos post biduum : die tertio resurgemus*, ut habent Septuag. ; vel, *die tertio suscitabit nos*, ut Vulg.

Θανάτου. Ita legendum, ut est in Cod. Sibyll. et olim hic emendavit Musurus, non ut corrupte in Florentina et Aldina, θάνατος.

CAPUT XX.

Ne adduceret eos in pœnitentiam atque impios resanaret. Ut ne quid offensionis hinc, pie lector, patiare, simul et Lactantium a calumnia vindicemus, qua hoc loco a nonnullis arguitur erroris, illud mihi etiam atque etiam attende : certissimum esse ac de fide, aliquos homines a Deo reprobari ; Malach. I, Roman. IX, ad Timoth. II, quoniam ad Dei providentiam pertinet, ut rerum, quæ a suo fine deficere suapte natura queunt, qualis homo, qui per arbitrii libertatem potest a beatitudine deficere, aliquas deficere permittat, quo suavis universi dispositio servetur. Nec tritum illud obstat primæ ad Timoth. II : *Deus vult omnes homines salvos fieri.*, etc., quoniam intelligitur non de voluntate subsequenti, qua Deus dicitur simpliciter velle, sed de voluntate antecedente, qua non dicitur simpliciter

Digitized by Google

velle, ut ait Damascenus de Fid. Orthod. cap. 2, Aug., De Spiritu et litter. cap. 33, et de Cor. et Grat. cap. 15. Alias ad eum locum explicationes affert S. Thom. p. p. quæst. 19, art. 6. Modo quæritur an circa reprobos divina voluntas habeat aliquem actum positivum, ita ut positive concurrat: an autem se habeat tantum pure negative. Respondetur, quod quatuor contingunt reprobis, 1° permittuntur in peccatum cadere; 2° culpa ipsa, et peccatum; 3° a Deo deseruntur, et perseverant in culpa usque ad finem vitæ: 4° ipsamet punitio, et pœna æterna. Circa primum voluntatem Deus habet positivam permittendi peccata, et aliquos sua libertate peccare, et a beatitudine deficere, tum quia re ipsa ita permittit, ergo vult eam permissionem; nam permissio et operatio est signum divinæ voluntatis beneplaciti: S. Thom. pr. pr. quæst. 19, artic. 12, quæ cum sit voluntas consequens, est actus positivus in Deo; tum quia, cum nil fiat, nisi Deus fieri id velit, vel sinendo, ut fiat, vel ipse faciendo (S. August. in Enchyrid, cap. 95), et peccatum quidem fiat, sed non ipso faciente, vel volente, ut fiat, ipso igitur fit volente permittere et sinere, ut fiat. Item permittere mala bonum est, et ad majus bonum ordinatur, et ad divinam providentiam id pertinet: S. Thom. pr. pr. quæst. 22, ideo volitam esse dicendum est eam permissionem a Deo actu positivo. Nec objectetur, quod si hujusmodi permissio peccati in reprobo est volita a Deo per actum positivum, Deus saltem indirecte censeatur causa peccati reprobi, quasi Deus subtrahat auxilium efficax, quo stante reprobus non peccaret, eo quia removens rem prohibentem est causa, saltem indirecta, subsequentis effectus, ut de casu lapidis dicimus post amotam columnam, qua detinebatur. Nam respondetur, quod licet subtrahat auxilium efficax, nunquam tamen subtrahit auxilium sufficiens; et ex subtractione auxilii efficacis peccatum non sequitur immediate, sed ex voluntate libera peccantis, cum reprobatio nihil demat potestatis, aut libertatis reprobi, ut docet S. Thomas p. p. quæst. 23, art. 2, ad 3. At vero quando effectus non sequitur necessario, nec immediate post remotionem prohibentis, tunc non semper removens prohibens dicitur concurrere ad effectum, nec causa illius. Et recte dicimus, *non semper*: nam quandoque removens prohibens dicitur causa effectus moraliter, ubi obligatus fuerat effectum impedire. Nam tunc quamvis effectus non sequatur immediate ex remotione prohibentis, imputabitur tamen removenti, quoniam poterat impedire, et obligatus erat impedire, et non impedivit: sicut magistratui furta provenientia imputantur, et dicitur causa eorum, licet non ab illo immediate sequantur, quia obligatus est ea impedire. At peccata meretricis (*Politica pessima, Christiano præsertim indigna*) non imputantur ei, quamvis permittat ea, nec dicitur eorum causa, quia impedire non debet; quin immo ad bonam ejus gubernationem spectat, ut ea permittat. Atque hinc maxime elucet, quare Deus non dicatur ullo modo causa peccatorum reprobi, nec inesse naturæ, nec inesse moris, quamvis permittat ea, et amoveat prohibens, quia non est obligatus ea impedire: quin potius ad bonam ejus gubernationem, et suavem mundi moderationem pertinet, ut permittat aliquos peccare, et a fine deficere, ut docet S. Bonaventura in 1 sentent. dist. 4, art. 2, quæst. 2. Respectu vero culpæ, ratione cujus damnatur reprobus, non ille quidem habet velle: Oseæ XIII: *Perditio tua*, etc. Roman. IX: *Sustinuit in multa patientia*, etc., alioqui Deus esset auctor peccati, et ejus voluntas mala esset, quippe cujus objectum peccatum, et malum esset, quæ sunt blasphema: sed neque nolle absolutum et efficax habet; nam cum divinæ voluntati absolutæ atque efficaci nihil possit resistere, nulla peccata omnino essent, si circa ea nolle Deus absolutum haberet. Tertio Deus vult actu positivo deserere reprobos, et permittere eos in peccatis perseverare, et tradi in desideria cordis eorum: Roman. pr. *Tradidit Deus illos in desideria*, etc. Psal. LXXX: *Dimisi eos secundum desideria*, etc. Roman. IX. *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Hæc loca significant actum positivum divinæ voluntatis circa derelictionem reproborum. Sed et idem suadetur ratione. Nam quodcumque rationabile et justum est, Deus vult actu positivo. Ejusmodi autem est hominem a Deo derelinqui, qui prior Deum ipsum peccando deseruit. Cavendum est tamen, quod ubi in Sacra Scriptura dicitur, Deum deserere, derelinquere, indurare, excæcare, non est sensus, quod Deus immittat aut efficiat in animis reproborum aliquam duritiem, vel cæcitatem, quasi tenebras aliquas, aut quod Deus sit causa reprobis, ut ruant in peccata, et in illis permaneant: sed quod Deus voluntate sua non confert gratiam, et calorem suum, quo emolliatur cor reprobi, nec infundit lumen, quo possit illuminari (S. August. lib. de Prædestinatione et Gratia, cap. 4, epist. 105, et epist. ad Simplician; (vel dicitur indurare, excæcare, etc. quia permittit indurari, et excæcari. Est enim Scripturæ phrasis, et modus loquendi, ut quæ proprie permissio Dei est, eam Dei actionem appellet, quia Deus positivo actu vult eam permissionem: ita docet Damasc. IV Theolog., cap. 14; Euthim. in Joann. cap. 15. Denique Deus actu positivo vult reprobis inferre pœnam pro culpa; nam id maxime justum est, et rationabile, et ad rectitudinem judicis pertinet. Ex his manifestum est reprobationem non esse causam damnationis reprobi, sicut prædestinatio est causa salutis prædestinati: quia permissio peccandi nihil ponit in peccante, sicut ponit aliquid justificatio in pœnitente; nec reprobatio Dei quicquam subtrahit potentiæ reprobati, nec reprobus impotens factus est ad gratiam adipiscendam impotentia absoluta, sed tantummodo ex suppositione, quæ non minuit libertatem, ut docet S. Thom. p. p. quæst. 23, art. 3. Igitur non est absurde locutus Lactantius, quod reprobis Judæis Jesus noluit se ostendere, ne adduceret eos in pœnitentiam, etc. Significatur enim his verbis derelictio, qua derelinquebantur a Deo, et permissio, ut in peccato infidelitatis permanerent, atque subtractio divini auxilii efficacis, quo emollirentur, et illuminarentur corda eorum; neque tamen peccatum eorum, aut in illo perseverantia in Deum tanquam in causam refundi potest.

Dereliqui domum meam, etc. In hujus loci prolatione Lactantius omisit illa, *dedi dilectam animam meam*, quæ in utriusque Bibliis habentur: non ibi, *dereliqui domum meam; dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ejus;* et profecto sententia multum variat. Contra vero τὸ *ipsa* super addidit, quod non habent Biblia, nec Cyprianus.

In justitiam. Ald. et Plantin. sic habent; Florent. *ad justitiam.* Ego malim, ut in Vulg. et apud Septuag. et Cyprianum, *in justitia.*

Et tenebo manum tuam. Ita etiam Septuag., sed Vulg. *et apprehendi manum tuam.* Cyprianus, *ut teneam manum tuam.*

Et confirmabo te. Septuag. et Cypr. *et confortabo te.* Vulg. *et servavi te.* Ideo pronomen illud retinendum est in textu Lactantii, quod habet Florentina editio, licet Aldinæ et Plantin. desit.

Generis mei. Ita Cyprian. et Cyrill., sed in Vulg. et apud Septuag. τὸ *mei* non habetur.

Sedentes in tenebris. Cum Lactantio concordat Vulg. Tertull. III cont. Marcion. et adv. Judæ. Cypr. Cyrillus. Sed in Bibl. Septuag. recens editis additur copula, *et sedentes*, etc.

CAPUT XXI.

Ut filius hominis. Florent. editio non habet particulam *ut*, quam agnoscunt cæteræ, et mss. libri, et Lactantius supra cap. 12, item Septuag. et Vulg. Tertull. de Carne Christi, et III, adv. Marcion. et alibi, *tanquam filius hominis.*

Quæ Petrus et Paulus Romæ prædicaverunt. Observandum est nobile quidem fragmentum hujus de fu-

Digitized by Google

tura clade Hierosolymitana vaticinii, *et prædicationis Petri et Pauli Romæ habitæ*, de qua nihil in sacris litteris, vel alibi habemus. Notandus quoque locus clarissimi et vetustissimi Patris contra hæreticos, qui negant Petrum Apostolum unquam Romæ fuisse.

CAPUT XXIII.

Quicumque præcepta dat hominibus, etc. Totam hujus et sequentis capitis disputationem, ut inanem pertranseo; etenim jure negaverit nemo Deum ipsum, carne assumpta, cum legem Moysi dedit, fuisse legis verum ac perfectum latorem et doctorem virtutis, Isai. XXXIII; *Dominus judex noster, Dominus legifer noster*. Ideo veriores illæ attendendæ sunt rationes de Christi Domini Incarnatione divinitus explicatæ a S. Thom. II par., quæst. I, art. 1, et a cæteris DD, præsertim a S. Bonav. in 3 sentent., distin. I.

CAPUT XXV.

Mater corporis ejus Virgo. Contra Valentinum, Apollinarem, Eutichetem et alios, qui negabant Christum Dominum ex Maria Virgine quidquam accepisse. Vide Irenæum III, adversus hæres., S. Aug. de Hæres., Theod. Hæretic. fabul. lib. IV in fin.

CAPUT XXVI.

In læsis affectisque corporibus. In prioribus editionib. corrupte legitur *illæsis*, etc.

Ne quis esset omnino, qui eum non posset imitari. Hæc eadem quoque ratio affertur a S. Thom. in III par, quæst. 46, art. 4, convenientissimum enim fuisse docet, Christum morte crucis affici propter exemplum virtutis.

Sicut mos eorum ferebat, etc. Recte ait, *eorum*, scilicet Judæorum; nam ii tantummodo solebant crura suspendiosis frangere, ut eos mortuos eadem die humare possent secundum Deuteronomii legem, cap. XXI. Cæterum apud alias nationes Crurifragium nihil ad crucem, sed a cruce plane remotum aliud erat supplicii genus; quod et Cæsar Baronius Cardinalis in Martyrolog. sub die 23 Maii annotavit, et Lipsius lib. II et III, de Cruce, utrobique cap. 14.

Ne læsum ac diminutum corpus ad resurgendum inhabile redderetur. Nullius momenti ratio: quasi vero læsum, sectum, truncatum corpus non potuisset a Deo ad vitam excitari.

Pascha nominatur ἀπὸ τοῦ πάσχειν. Hæc Græca non habentur in B. quæ retinentur a cæteris omnibus mss et excusis. Se quidem putare, nomen paschatis ab eo verbo deductum, satis indicat etiam ex subsequentibus. Eumdem errorem habet Tertull. in fin. adv. Judæ. et auctor gloss. quem reprobat S. Hieronym. super Matth. cap. XXVI, Isidor. Orig. lib. VI, cap. 18. Non enim a verbo græco, sed ab Hebræo *Phasach*, quod transitum significat, deducitur, ut docet Josephus lib. II Antiquit. cap. 13, Hieron. ubi supra et in Isai. XXXI et Mich. VII; Ambros. in lib. de Cain et Abel cap. 8, et Serm. 53; August. Epist. 119 et lib. II de Trin. cap. 17, et lib. XVI Civitat., cap. 43. Celebrabatur enim hoc festum in memoriam transitus Angeli plagam ferentis a liminibus portarum agni sanguine illitarum.

CAPUT XXVII.

Nunc satis est, hujus potentia, etc. Notandus est locus contra hæreticos nostri temporis hostes crucis Domini. Idem argumentum tractat Tertull. adv. Judæ. et in adv. Marcion. et Cypr. II adv. Judæ. cap. 21 et 22.

Futura depingere. Metaphoricôs *futura depingi in hostiarum visceribus* dicebantur, quæ quomodocumque in eis præsignificabantur; et forte verbum erat Aruspicum peculiare, ut litare, porricere.

Quibus prosecrant. Id est, *quibus diu sacrificant*, vel alio modo *sacra faciunt*; est enim compositum verbum ex præpositione, *pro*, quæ verbo adjuncta vim temporalem habet, et verbo, *sacro*, quod est, *sacrum facio*. Ita quidem reperio in mss. et editis plurimis. Florentina tamen editio corrupte legit, *prosecarant*: ex qua lectione me valida incessit suspicio, legendum esse, *quibus prosecuerant*; nam et hoc verbum bellissime congruit, cum de extis loquatur. Livius V: *Qui ejus hostiæ exta prosecuisset*, etc. Tertull. IX Apologet.: *Major ætas apud Gallos Mercurio persecratur*. Et illud, *prosecrant*, haud facile apud alium quemquam reperias: sed librarii fortasse duas illas litteras incuria omiserint.

Dei templum. Puta Jovis, vel Apollinis, vel cujusvis alterius dæmonis, quos ex persona ethnicorum sæpe deos nominat, ut lib. I, cap. 17, 20, 21; lib. II, cap. 4 et alibi.

Qui summum illum Jovem dæmonibus aggregavit. Puto locum illum innuere, ubi de Minerva loquitur Homerus, Iliad. I, sub initium, quæ sese in cœlum recepisse dicitur in domos Ægiochi Jovis ad dæmones alios:

ἥδ' ὀλυμπόνδε βεβήκει,
Δώματ' ἐν αἰγιόχοιο Διὸς μετὰ δαίμονας ἄλλους.

CAPUT XXVIII.

Unde ipsa religio nomen accepit. Religionem dici putat Lactantius a *religando*. Lactantium sequi videtur Ambrosius in lib. de Virginib. ubi sacras Deo virgines religiosas, quasi Deo religatas dicit. Item Hieron. in Amos, cap. IX; Isidor. VIII Origin., cap. 2; S. August. in lib. de Vera Relig. ubi ait, *religet nos religio uni omnipotenti Deo;* Nigid. Figul. apud. Gell. lib. IV, cap. 9; Serv. super illud Maron. 8, *Jam tum religio pavidos*, etc. At Massur. Sabin. apud Gelb., ubi supra: et Servius Sulpit., apud Macrob. lib. III Saturn. cap. 3, dictam malunt a relinquendo, quasi id quod religiosum est, a nobis relictum, remotum, sepositum denique intelligatur.

Non ut Cicero interpretatus est, a relegendo. Sed tamen Ciceronem sequitur fere vetus quidam apud Gell. ubi supra, qui ait: *Relegentem esse oportet, religiosum nefas*. Arnob. ad fin. 4, S. August. X de Civitat., cap. 4; et S. Thom. omnes hic notatas religionis etymologias approbat secunda secundæ quæst. 81, art. 1.

Superstitio falsi. Et omnino quid colas interest, non quemadmodum colas, etc. Falsum est; non enim tantum est falsi cultus superstitio, sed etiam veri, at non debite exhibiti, ut docet S. Thom. in 2, 2, quæst. 92; Cicer. II de Nat. deor. religionem ait esse, quæ deorum cultu pio continetur: superstitionem, in qua timor doorum inanis est. Fabius lib. VIII, cap. 3, inquit, ut a diligenti curiosus, sic a religione superstitionem distare. Varro apud S. August. lib. VI de Civitat. religiosum a superstitioso hac ratione discernit, ut a superstitioso dicat timeri Deos ut hostes, a religioso autem vereri ut parentes. Plutarch. de Isid. et Osirid. superstitionem aiebat haud minus leve vitium esse, quam impietatem.

Religionum se exsolvere. Illa Lucretiana innuit primi libri:

Deinde quod artis
Relligionum animos nodis exsolvere pergo.

Veterumque ignara. Ita in Romano codice Virgiliano, et multis aliis antiquis haberi testatur Pierius, et Velutell. in Annotation. ad Virgilium: sed nunc in omnibus impressis est, *veterumve*, etc.

CAPUT XXIX.

Duos tamen asseveremus, Deum patrem, et Deum filium. Quoniam hic sermonem habebat de duabus tantum personis, *Patre, et Filio*, propterea duos illos simpliciter dixit, nullo adjecto nomine, nos tute subintelligere possumus duos, id est, duos Entes, τὸ Entes non substantive, sed adjective accipiendo, et rursus subintelligendo scilicet duas personas: ita enim Magister in 1 sentent., distin. 25, et ibi S. Thom. quæst. unic., art. 4, et S. Bonav. in explicatione litteræ.

Cum igitur et pater filium faciat, et filius patrem, etc. Non hæc nomina pro divinis Personis accipit; neque

Digitized by Google

enim tam demens fuerit, ut a filio patrem fieri dixerit : sed ut relativa nomina sunt, quorum unum facit et supponit alterum, nec alterum esse sine altero potest. Nam ante verba hæc ita dixerat : *Si quidem nec pater sine filio nuncupari, nec filius potest sine patre generari.* Hoc videlicet exemplo coexistentiam illam, et coæternitatem patris et filii in divinis ostendere voluit, ut etiam auctor Expositionis symbol. apostolorum inter opera Cypriani.

Una substantia. Filius igitur est patri consubstantialis, contra Arrium.

Cum et filius sit in patre, quia pater diligit filium, et pater in filio, quia voluntati patris fideliter paret. Filius secundum divinitatem in omnibus coæqualis est patri, et unum cum eo, voluntate quidem igitur, ut hic dicit Lactant. et S. Thom. in IV cont. Gent., cap. 36, argumento 7; verum non ea solum, sed etiam natura, essentia, substantia, ut ipsemet auctor paulo supra confessus est. Non enim novatores defuerunt, sicut Erasmus in Annotation. super Epist. 1 Joann., cap. v, qui locum illum Evang. Joann. cap. x : *Ego et pater unum sumus*, quo semper SS. Patres, et doctores catholici omnes usi sunt adversus Arrianos, de unitate tantummodo voluntatis, concordiæ, atque consensus interpretarentur; non autem de unitate essentiæ, contra quos disputat Alfons. de Castr. lib. v contra Hæres. in verb. *Deus*, Hæres. 6; Torres in Comment. ad quæst. 27, 1 part.; S. Thom. art. 1, disput. 1, part. II.

Et in te precabuntur. Al. *et te precabuntur*, ut supra cap. 13, ubi diximus.

Et qui eruit eum. Ita Septuag. καὶ ῥυσάμενος αὐτὸν. Vulgata, *et redemptor ejus.*

Deus æternus. In utrisque Bibliis est *Deus sabaoth*, id est *Deus exercituum.*

Et ego novissimus. Sic quoque Vulgata, pro eo, quod habent Septuag. καὶ ἐγὼ μετὰ ταῦτα, *Et ego post hæc.*

CAPUT XXX.

Aut Anthropiani, seu quilibet alii, etc. Non hic credo anthropomorphitas designari, quorum errori assensum aliquando fuisse Lactantium dicam inf. cap. 18 libri de Ira Dei : sed nomine anthropianorum puto hæreticos significari qui negabant Christum fuisse Deum, purumque ἄνθρωπον, id est, hominem eum asserebant, unde anthropiani, quasi latine dicas, hoministæ sint appellati, quales fuerunt Ebion, Carpocrates, Cerinthus, Theodotus, sive Theodosion, Paulus Samosatenus, Photinus et alii, quorum hæresim damnavit magna Nicæna synodus, Ephesina, Chalcedonensis, aliæ quamplures. In Vaticanis et aliis nonnullis mss. et impressis ita legitur, *Aut anthropiani, aut Arriani, seu quilibet alii*, etc. Ego B. lectionem retinui in editione quoque Plantiniana exhibitam, tum propter auctoritatem miræ vetustatis codicis, tum vero etiam propter rationem. Innotuit enim Ariana hæresis circa annum Domini trecentesimum decimum quintum. At hi Lactantii libri multo antea cœpti, absoluti, editi sunt, ut dictum est supra ad cap. 1, lib. I. Neque tamen hinc quidquam deperit catholicis, cum tam multis e locis Lactantii constet, ipsum Arrianam impietatem aversatum fuisse, et antequam exorta esset, prædamnasse, ut supra ostendimus lib. II, cap. 9, et hoc lib. cap. 8, 14, 29.

In qua est confessio et pœnitentia, quæ peccata et vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. Diriguntur hæc spicula contra Novatianum, et sectatores, qui in peccatum lapsos ad pœnitentiam non recipiebant, remissionem peccatorum in Ecclesia reperiri, eique claves aperiendi atque solvendi a Christo datas fuisse negantes ; qua de re Pacian. ad Sympronian. epist. 1; S. Augustin. de Agone Christ. cap. 31.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

Non est apud me dubium, quin hoc opus nostrum, etc. In quibusdam impressis : *Non est apud me dubium, Constantine Imperator, quin hoc opus*, etc. Lectionem B. secutus sum, quæ ratione fulta videtur, ut dixi ad cap. 1, lib. I.

Coacerbant. Ita scriptum est in B. forte pro *coacervant*, ut supra lib. III, cap. 3, *connibere*, pro *connivere.* Sic S. Cypr. in mss. epist. 42, ad Cornel. juxta edit. Pamel. habet *acerbationibus*, pro eo quod in excusis legitur *qcervationibus.* Sic, *flagella acerbata*, Tertulliano in fin. Apologet. ubi vid. Pamel. et dicta epist. 42. Thomasius tamen hoc loco deductum mavult a verbo *acerbo*, quod est, *acerbum facio.*

Sacrilegum. Sic malim, ut in B. quam *disertum*, ut in Florent., Plantin., Ald. editione; neque enim laudare voluit, sed damnare sacrilegum ethnicum illum, qui Cypriano sanctissimo viro id nominis indidisset.

Coprianum. Ita legendum, ut in Plantin. et Ald. non *Caprianum*, ut in Florent. edit. Juntar. legitur. Scomma est in Cyprianum ex allusione vocis ; κοπρία enim *stercus* significat, unde *Coprianus*, quasi *stercus tractans*, vel *stercorarius* : vel *Coprianum* inquit, quasi ridicularium hominem, et scurram ; nam scurræ antiquitus dicebantur *Copriæ*, ut Josephus Scaliger notat in Castigationib. ad Festum in *Scurra*, et animadvertunt viri eruditissimi hunc locum emendantes Lipsius II, cap. 17; Jacob. Durantius I Variar., cap. 13, quod videlicet relicto deorum cultu, nobile ingenium sordido ac fœdo doctrinæ generi, fabulisque anilibus atque ridiculis christianorum mancipasset.

Unde apparet, etc. Hanc totam periodum usque ibi, *quod si accidit*, etc., adjecimus ex cod. B. quod et aptissime cohæreat cum aliis, quæ hic habentur, et liquido appareat Lactantiana.

CAPUT II.

Quorum alter antistitem se philosophiæ profitebatur, etc. Porphyrium intelligit. Consule Baron. Cardin. Annales tom. II sub anno Domini trecentesimo secundo.

Tres libros evomuit contra religionem nomenque christianum. Tres quidem primo, verum et alios postea usque ad quindecim, ut scribit Suidas. Porphyrii calumnias atque impietates justis voluminibus refutarunt acriter Methodius Tyri episcopus, Euseb. Apollinar., ut tradit Hieron. de Scriptor. Ecclesiast. et deinde incidenter, et per occasionem, Cyrill., Hieron., August., alii.

Alius eamdem materiam mordacius scripsit, etc. Fuit iste Hierocles, quem libros suos, quos contra christianos scripsit, veritatis Amatoris titulo prænotasse scribit Eusebius, qui et illos egregio refutavit commentario.

Qui erat tum e numero judicum. Exercebat enim eo tempore præfecturam Augustalem Alexandriæ, ut tradit Epiphanius hæres. 68.

Assensus. In quibusdam haberi, *accensus*, testatur Janus Gulielmius in quæstionibus ad Plaut. Menæchm. cap. 4, ducta videlicet translatione a lite militari, ut supra lib. II, cap. 10.

CAPUT III.

Nemo Apollonium. Baptista Pius in Annotationibus posterioribus cap. 99, legendum hoc loco putat *nemo Apuleium*, cum aliqua corrupta exemplaria habere testetur *nemo Apollinem.* Ego prorsus lego, ut in omnibus libris reperi, *nemo Apollonium.* Nam de illo sermo erat, et forte sic scripserit quoque Pius ; nam illarum Annotationum editio, quæ apud me est, nimium quantum typographi erroribus scatet.

Repente in judicio non comparuit. Hoc tradit et Philostrat. in Vit. Apollon. lib. IV.

CAPUT IV.

Qua materia non est usus, ut debuit, etc. Ita et Sanctus Hieronymus sentit ad Magnum.

Digitized by Google

CAPUT V.

Ne significare quidem, etc. Sic in Rom. Virg. codice haberi testantur Pierius, et Velutell. cum impressi varient; nam alii sic habent, alii vero, *nec significare quidem.*

CAPUT VI.

In usus hominum. Libenter legerim, *in usus omnium*, ut fieret Antithesis ad illa, *singuli*, et, *paucorum.*

CAPUT VII.

Et quanto frequentius impellitur, tanto firmiter roboratur. B. T. P. et mss. fere omnes, *quanto frequenter impellitur, tanto firmiter roboratur.* Ego secutus sum lectionem Florent., Ald., Plantin., edit. quæ rectior visa est; nam alteram damnat Valla 1 Elegantiar. cap. 16. Quanquam profecto, ut probe notat contra eum quoque Franciscus Floridus lib. II Lection. subsecivar. cap. 20, etiam Cypriano, Tertulliano, Boetho, aliis præsertim ecclesiasticis latinis scriptoribus, vel Valla ipso judice non admodum malis quædam sunt dictiones ac phrases peculiares non utique suscipiendæ ad imitandum, quas tamen in illis non jure reprehendas, sed potius uti magnorum virorum labeculas, quasi in pulchra facie nævos quosdam probes atque osculeris.

CAPUT VIII.

Sicut una, inquit, eademque natura. Excidisse hic locus putatur ex libro de Legibus primo.

CAPUT IX.

Cum feminis patientia certent. Tunc scilicet, *cum viri nubunt in fœminis virum parituris*, ut dicitur in Leg. *Cum vir.* Cod. ad. l. Jul. de Adulter. Sic et Quintil. Declamat. 3: *Ut pollutis*, inquit, *in fœmineam usque patientiam maribus incurrat jam libido in sexum suum.*

Qui sanctissimam quoque corporis sui partem contra fas omne polluant, etc. Dum videlicet execrabilem in se furorem admittunt: qui *nec capiti quidem parcit*, ut ait inf. lib. VI, cap. 23.

Induforum se omnes, etc. Ita lego, ut habet B. vel, *induforo*, ut P. et ita legit Robertus Stephanus in fragmentis Lucilii ab ipso collectis, et editis, non ut corrupte legitur in Ald. et Plant. *indufori.* Epenthesis illa est, pro *in forum*, vel *in foro.* Sed forte scripserit Lucilius, *Endoforum*, vel *Endoforo;* nam *endo*, pro *in*, usos fuisse veteres norunt omnes.

Blanditia certare. Ita legit Rob. Steph. ubi supra, juxta editionem Florentinam, quæ sane magis Luciliana est, quamvis Ald. et Plantin. habeat *blandiri, certare*, etc.

Per cætera universa sequitur. B. *per cætera universa quæreretur.* Quæ lectio quanquam et ipsa recipi potest, tamen prior illa vulgatior est, et magis probata ab Antonio Augustino et Thomas.

CAPUT X.

Sparsurus sanguine flammas. In Marone varie legitur. Nam aliquæ editiones habent *sparsuros*, quæ lectio magis probatur Pierio; aliquæ vero, ut in nostro. *Flammam* quoque legi, non *flammas*, in Romano cod. Virgiliano testatur idem Pier. et Velutel., sed nostra lectio magis recepta.

Tum pius Æneas. Ita ex cod. B. emendantur excusi, qui habent, *Ecce pius Æneas*, quæ lectio et Maroni repugnat et rationi versus.

Equidem et vivis concedere vellem. Equidem vivis concedere mallem, in aliquot antiquis codicibus haberi tradunt Pier. Velutell. Bergizom. in Virgilium.

Erudiantur ad injustitiam. τὸ *justitiam*, mendum est in Aldin. et Plantin. contra quam sensus ipse auctoris pugnat, et B. T. P. alii mss. et editio Florent.

CAPUT XI.

Etenim si nemo est, inquit, etc. Locum inter opera Ciceronis non reperio: sed similem habes III Officior. c. 3: *Quid enim interest, utrum ex homine se convertat quis in belluam, an in hominis figura immanitatem gerat belluæ?*

Sicut unus in Phrygia, etc. Historiam scribit Euseb. VIII Hist., cap. 11.

Constitutiones sacrilegi. Quas lege apud Euseb.

Domitius, Ulpianus.

Libro septimo. Al. *libris septem*: sed nostram lectionem exhibent mss. B. P. et excusi Florent., probant Cujac. lib. X Observat., cap. 34, Thomasius in Notis.

CAPUT XII.

Quæro, inquit, si duo sint, etc. Excerptus locus e disputatione contra justitiam, quam fuisse in III de Repub. Ciceronis autumat Sigon. in Schol. ad Cicer. frag., ubi de hoc egregie disserit. Vid. et Epist. 15, lib. IV, ad Attic.

Et contra eum, qui sit improbissimus, existimet, etc. Al. *contra autem, qui sit improbissimus, existimetur*, etc. Sed rectissime hunc locum, quamvis de sola conjectura, restituisse mihi videtur Andreas Patricius, cujus hæc verba sunt in Schol. ad frag. lib. III de Rep. Cicer.: *Olim erat*, existimetur: *sed ego de vera, ut puto, lectione cum per me ipse divinarem, tum inveni postea ab aliis animadversam esse. Quid vero præterea, si sic:* et contra eum qui sit improbissimus, existimet, etc. *neque enim placet et hic, et paulo post*, contra autem, et *librarius in*, putet et contra, *facile* et *omittere potuit, præsertim si ita scriptum viderat, uti multa in pandectis Florent. scripta extant*, put Et contra, *quod tantumdem est, ac si ego scribam, putet et contra*, etc. Patricii conjecturam juvat, quod animadversum est, sæpe scribas, cum in eamdem dictionem, vel clausulam geminatam incideret, alteram earum omittere solitos, ut notat Gulielmus Forner. lib. II Selection. cap. 24, qui idcirco Varronis locum de Ling. Lat. ubi habetur, *circum aras solitam*, legendum monet, *solitum tum;* et in l. Pœnales, § 1, D. ad. l. Facild. ubi habetur *argumentum rei*, legit *argumentum tum rei*; et in leg. omnes, D. de in integr. restit. pro *examinet, an veræ sint*, legit *examinet, et an veræ sint*, etc. alia exempla ibi videre poteris. Notat et idem Cujacius lib. II Observation., cap. 11, et l. X, cap. 30.

Existimatione. Lectionem hanc probat Patric. ubi supra, exhibitam ab editione Plant. et Aldin. In Florentina legitur *æstimatione.*

Cariosis. Hanc lectionem ut meliorem retinui, quam habet Aldus. Dicit autem per contumeliam *Deos cariosos*, id est, eorum simulcra, quæ cum e ligno, aut alia ejusmodi materia constarent, putrilaginem et cariem contrahebant. Al. legitur *nariosis*, vel *varicosis.*

CAPUT XIII.

Et Mutio glorientur. De quo Cicero, Livius II, 1 Decad., Valer III, c. 3, Senec. de Divina Providentia, et epist. 24, Tertullian. ad Martyr. cap. 4, S. August. IV, Civit. cap. 20.

Aut Regulo. De quo Cicer. III. Officior. ad fin. Seneca de Divina Providentia, Plin. de Viris Illustri. Gell. lib. VI, cap. 4, Tertullianus ad Martyr. ubi supra, et in fin. Apologet. August. I Civit., cap. 15 et 24. Suid. in ῥήγουλος.

CAPUT XIV.

Terram digitis suis imaginatam. Insolite, id est, in imaginem figuratam digitis suis atque formatam. Sic S. Remigius in suo testamento apud Brisson. formul. lib. VII: *Tibi hæredi meæ ecclesiæ supra memoratæ jubeo thuribulum et imaginatum calicem fabricari.*

CAPUT XV.

Is, cum Legatus, etc. Historiam refert Macrob., I

Digitized by Google

Saturn. cap. 5; Gell. lib. VII, cap. 14, et lib. XVII, in fin.; Quintil. lib. XII, cap. 1.

Quam Cicero æquabilitatem vocat. Secundo de Orator. *Et eo magis, si intolerantius se jactant, et æquabilitatem communis juris præstantia dignitatis, aut fortunæ suæ transeunt*, etc. Et eod. lib. ad fin. *Erit explicandum in laude justitiæ, quid cum fide, quid cum æquabilitate, cui cum ejusmodi aliquo officiosis, qui laudabitur, fecerit;* et I Officior. c. 32. *In liberis vero populis, et juris æquabilitate exercenda etiam facilitas*, etc.

CAPUT XVI.

Nec alia causa est, cur nobis invicem fratrum nomen impertiamus, etc. Sic et Tertullianus cap. 39 Apologet.

Quæ hic mala putantur, etc. Hunc versiculum apud Euripidem non invenio.

CAPUT XVII.

Aut nullam esse justitiam, aut si sit aliqua, summam esse stultitiam, etc. Tractat hoc argumentum apud Platonem Trasymachus in primo de Republica.

Bonus vir, inquit, si habeat servum fugitivum, etc. Harum aliquam, et præterea nonnullas alias ejusmodi quæstiones edisserit Cicero III Officior., cap. 3.

Si profitebitur, bonus quidem, etc. Al. *Si profitebitur emptori fugitivum esse, bonus quidem*, etc. Sed illa, *emptori fugitivum esse*, non extant in B. nec P. quia illud, *profitebitur*, non tantum ad fugitivum servum, sed etiam ad domum pestilentem, et alia similia referri debet, de quibus dixerat, ut notat quoque Thomasius.

Jam vero justus ille, sed stultus est. Hanc lectionem Ald. et Juntar. Florent. retinui, quantumvis invitis et reclamantibus codicib. B. T. P. et Plantin. edit. ubi habetur *jam non justus*, etc. Repugnat hæc lectio sententiæ ipsius Carneadis; non enim in hac disputatione injustitia, sed justitia cum stultitia, injustitia vero ipsa cum sapientia conjungebatur; et ita dicebatur, quod ille quidem justus erit, sed stultus: si vero contra fecerit, idem sapiens habebitur, sed erit injustus. Hoc liquet ex alio sequenti proxime exemplo.

CAPUT XVIII.

Cur enim naviget, etc. Vid. Sen. Natural. quæst. lib. V, cap. 18.

Familiares illi Pythagoræi. De Dæmone et Pythia loquitur, quorum historiam habes apud Valer. lib. IV, cap. 7, Cicer. III Officior., cap. 3, sub initium.

CAPUT XIX.

Apud Ciceronem idem ipse justitiæ defensor Lælius, vult, inquit, etc. Cujus quidem Lælii, quæ hoc capite referuntur, sententiæ exciderunt ex eadem disputatione tertii de Republica Ciceronis, de qua supra cap. 12, ubi contra Furium pro justitia Lælium inducebat Cicero disserentem.

CAPUT XXIII.

Deus, inquit, homines pro liberis habet, etc. Hæc ipsa verba haud certe reperias apud Senecam; sed eorum sententiam habes in eo libello de Divina Providentia, sub initium. Quare aut ea verba excidisse dicendum, aut eam Lactant. ipsiusmet, quasi Senecæ verbis extulisse sententiam; quod alibi sæpe ab eo factitatum animadverto. Sic supra lib. III, cap. 21, ea Platoni verba attribuit: *Civitas concors erit*, etc. Et hoc lib. cap. 18 illa Carneadi apud Cicer. *Justus*, inquit, *si aut equum saucio*, etc. et inf. lib. VI, c. 12. *Si audieris*, inquit, *preces*, etc. Quæ Domini verba nusquam reperiuntur, sed sententia ipsorum Matth. V, Luc. VI, Lactantii verbis expressa.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

Nihil enim sancta et singularis illa majestas aliud ab homine desiderat, etc. Non quia exterius quoque sacrificium Deo non sit acceptissimum, ut dictum est supra lib. II, cap. 2; sed hæc sæpe prisci Patres ingerebant auribus ethnicorum, qui sceleribus omnibus cooperti se religiosos putabant, si templa et aras hostiarum sanguine cruentarent, tanquam Deus victimis indigeret. Cæterum de sanctissimo Eucharistiæ a Christo Domino instituto sacrificio, quod Missam nominamus, quodque ex hoc vel aliis hujusmodi locis temere admodum infamant hæretici, vide antiquissimorum Patrum testimonia: Ignatii Christi contemporanei, et apostolorum discipuli, epist. 10, et ad Philadelp. epist. 9, ad Ephes. epist. 14, ad Rom. epist. 15, Irenæi discipuli Polycarpi, qui fuit auditor Joannis Apostoli libro quarto, cap. 32, ubi inquit: *Ex creatura panis accepit, et gratias egit dicens: Hoc est corpus meum; et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo*, etc. Et cap. 34: *Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum esse ei.* Item Tertulliani lib. II ad uxor. de Monog., de Corona milit., de Oration., de Castit., de Cultu fœminar. I, adversus Marcion. et alibi sæpe; Cypriani epist. 63, ad Cæcilium, et epist. 66; Nazianzeni in carmine ad episcopos; Ambros. in Oratione præparat. ad Missam; Chrysost. in Homil. de Perdit. Jud. et super Epist. ad Hebræos; Hieronym. ad Damas. de Fil. prodig.; Augustini de Civit. lib. XVII, cap. 20; Cyrill. Cathec. Mystagog.; Gregorii Magni IV Dialog., cap. 58; Alexand. Pr. in decreto, quod habetur inter concilia generalia de Sacerdotibus non vexand.; Leonis pr. ad Dioscor. epist. 9; Fulgent. ad Moncim. lib. II; denique conciliorum, Toletani p. cap. 5; Ephesini in epistola ad Nestor. Lateranen. relati in cap. Firmiter de Summa Trinit. Tridentin. Sessione 22.

CAPUT II.

Accendunt lumina, velut in tenebris agenti. Sic paulo inf. *jam sentiant, quam non indigeat lucernis eorum Deus*, etc. Qui igitur Deo lumina accendunt ea fide, ut credant, ipsum in tenebris agere, vel luminibus indigere, meritissimo damnantur. At vero sancta Dei Ecclesia lumina etiam per diem in templis accendit, ut erga Deum et Sanctos ejus in animis fidelium venerationem ac religiosam quamdam lætitiam excitet, ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Evangelio legitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, ut dicitur in Canon. Cleros. distinct. 21, ex Isidor. VII Origin. cap. 12; iisque pius usus tum Divinis Litteris, tum Sanctorum testimoniis comprobatur. Nam Exod. XXV, fit mentio de candelabro in Dei templo septem infusoria habente. Cyprianus epist. 55, de Ceroferariis, sive Acolytis, meminit, quorum munus est ad sacram mysteriorum pompam accensos in ecclesia cereos ferre. S. Hieronymus contra Vigilantium hæreticum disputat, luminarium usum Catholicis exprobrantem. S. Athanas. cereos a fidelibus oblatos ab Arrianis hæreticis sublatos conqueritur in epist. ad Orthod. Videndi sunt præterea Euseb. lib. VI Historiæ cap. 23; S. Epiphan. ad Joan. Hierosol. episc.; S. Paulin. in Carmin. in Natal. 3 et 6; S. Felicis, S. August. in Serm. de Tempore 215; S. Evod. de Miraculis; S. Stephani lib. I, cap. 3 et lib. II, cap. 2. Item concilia, Romanum sub Sylvest. Carthag. IV, c. 2 et seqq. Atque hoc pietatis signum Deo gratissimum atque acceptissimum esse testantur insignia ex ipsa

Digitized by Google

cera e candelabris, vel oleo e lampadibus sumpto facta miracula, de quibus S. August. XXII Civit., c. 8, Theodoret. in Historia SS. Patrum cap. 21, in Jacobo; S. Greg. Turon. in miracul. S. Martin. cap. 2, ad fin. S. Greg. Magn. III Dialog. cap. 30, Paul. Diaconus de Gestis Langobard., lib. II, cap. 9.

CAPUT III.

Duæ sunt viæ per quas humanam vitam. Aldi editio : *Duæ sunt viæ, Constantine imperator, per quas*, etc. Sed in B. T. P. in editione Florent. Juntar. et Plantin. nihil de Constantino.

Alteram virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum. Ubi ad hoc bivium pervenisset Hercules, ancipitem animi fuisse, utram viam capesseret, fabulatus est Prodius Chius, ut pulcherrima narratione refert Xenophon lib. II de Memorab. Socratis in principio, Cicero I Officior. cap. 43, Suid. in verbo προδικεν, et Aristophanis interpres in Nubibus, Philo Jud. in lib. de Merced. meretr. in ærar. non inferend., Basil. de Utilit. ex lib. Gentil. capiend. Extat hac de re venustissimum Virgilii Epigramma de littera Y.

Quomodo autem hæ viæ. Ita reposui ex utroque Cod. S. Salvatoris B. T. P. pro eo quod in impressis est, *quomodo autem vitæ istæ*, etc. nam permanet in allegoria duarum viarum.

CAPUT IV.

Ut poetæ loquuntur. Nam Virgilius VI :

Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit,
Hac iter Elysium nobis, etc.

Posita sunt omnia. Ita lego ut in B. et T. et aliis optimis Codicibus, non ut in aliquibus impressis, *posuit Deus omnia ;* nulla enim vitia posuit Deus.

Ex altitudine in profunda cadat. Secutus sum lectionem vetustissimi codicis B. nec aliam tamen, quæ habet, *in altitudinem profundam cadat*, improbandam puto, ut putavit Thomasius, ubi ait : nam cadere in altitudinem nullo modo dici potest, cum illud sit erigi, non cadere; cum enim altitudo a profunditate nonnisi ratione differat, sæpe altitudo pro profunditate ponitur. Sic *altitudo maris*, Cic. ad Attic. lib. IX et Cæs. IV Belli gallici ; et *concavæ altitudinis speluncarum*, II de Nat. deor. et *Terra descendit ad infinitam altitudinem*, I de Divin. et *saxum depressum est in mirandam altitudinem*, VII Verr. et Cels. lib. VII, cap. 7, *altitudo plagæ usque ad cartilaginem esse debet ;* et Plin. lib. X, cap. 33. *Specus sex pedum defossa altitudine.*

CAPUT V.

Verum scientia non potest esse virtus. Secus Plato in Lachet. Menon. et alibi, quem arguit Arist. Ethic. 6, cap. 13. Magnor. Moral. I cap. 1. Eudemion., lib. I, cap. 3, et lib. VII, cap. 6.

Stultitia caruisse. B. T. P. et Florentina editio hæc non habent. Ego secutus sum editionem Aldi, et ea reposui, quia pertinent ad hæc illa *et sapientia prima ;* non autem ad illa priora, *virtus est vitium fugere.*

CAPUT VI.

Nec Deum, nec adversarium ejus. Hæc lectio recepta est ab omnibus excusis, et a mss. tribus Vaticanis, et P. Alii novem ex iisdem Vaticanis habent, *nec Deum, nec adversarium Dei ;* nec ea lectio quicquam absurdi continet, ut suspicatur Thomasius, cum non solum diabolus, sed etiam quicumque peccatores adversarii Dei recte dici possint. Moyses Exod. XIII, in Cantic. : *Deposuisti adversarios tuos ;* et II cap. I, Reg. in Cantic. : *Dominum formidabunt adversarii ejus ;* et Lactantius supra lib. II, cap. 10, diabolum vocavit *antitheum*, id est, *Dei adversarium.* B. tamen habet *adversarium humani generis.*

Dirimunt hi communem generis humani societatem. Paucula tantum transposita ; nam Cicero, *hi dirimunt communem humani generis*, etc.

Ab optimis naturæ ac veritatis exemplis. Sed Cicero in Castigatis Lambinianis, quorum lectionem germanam puto, *ex optimis naturæ principiis et veritatis exemplis.* Verumtamen quædam aliæ Ciceronis editiones τὸ *principiis* non habent.

Aut cum Fabricius, inquit, fortis, etc. Mutilus est et nonnihil variat hic Ciceronis locus apud auctorem nostrum ; nam Cicero sic habet : *Nec vero cum duo Decii, aut duo Scipiones etiam fortes viri commemorantur, aut cum Fabricius, aut Aristides justus nominatur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his justitiæ tanquam a sapiente petitur exemplum*, etc. Et quidem Fabricium Cicero nunquam ad fortitudinis, sed ad justitiæ adducit exemplum ; et eod. lib. III Offic. eum ait Romæ idem fuisse, quod Athenis Aristides. Unde hic fortasse vox *fortis* abundare videatur, et totus locus ex Cicerone restituendus.

CAPUT VII.

Ut immortale illud arcanum ejus in operto esset. Fere omnes mss. et excusi habent, *in aperto esset*, quæ lectio repugnat sententiæ Lactantii. Ideo lectionem Juntarum secutus fui, quæ plana, et consona, et perspicua est. Loquitur enim de illo æterno, infallibili arcano, et nullis hominum mentibus scrutabili, quo Deus aliquos reprobat, et permittit errare, ut ipsorum libero arbitrio a sapientia et veritate aversi in idipsum incidant, quod vitare cupiunt, pœnam videlicet sempiternam. Qua de re diximus ad cap. 20, lib. IV. B. habet, *ut immortalitatem, ita arcanum ejus in aperto esse voluit.*

CAPUT VIII.

Huic legi nec abrogari fas est, etc. Ita legendum puto cum Thomasio in notis, et cum Patricio, atque Sigonio in scholiis ad hunc locum inter fragmenta Ciceronis lib. III de Republica. Nam hic tria genera fabefactandæ legis expressa sunt, nempe *obrogatio, derogatio, abrogatio*, de quibus apud Festum, Ciceronem II de Invention. Ulpianum tit. 1 Institution. *Propagari*, quod hic habetur in aliquibus exemplaribus, nihil ad rem.

Ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas pœnas, etc. Fere omnes codices habent, *aspernabitur ;* et quia videbatur copulam sequi debere, Patricius legebat, *aspernabitur, et hoc ipso luet*, etc. Franciscus Balduin. in Instit. Justin. *aspernabitur, atque hoc ipso luet.* B. Codex omnem scrupulum depulit, dum legendum ostendit, ut in textu.

CAPUT IX.

Et legitime injurias faciendo. Ironice loquitur adversus Romanos, qui solebant per Feciales indicere bella, et quadam verborum formula ante obtestari, se adversus gentem illam, quam debellare conabantur, bellum juste parare. Tum sibi quæcumque licere, et omnia se legitime agere putabant. Vide Halicarn. 2 Histor.

Aliud est igitur civile jus, quod pro moribus ubique variatur. De hoc disserunt Philosophi in V Moral. ad Nicomach, cap. 7, Magnor. Moral. I, cap. 31. Jurisconsulti in Institutionibus et Pandectis Tit. de Justitia et Jur.

Et ipsam justitiam ignoret necesse est. Ita ex utroque cod. S. Salvatoris B. T. P. Florent. edit. emendantur libri, qui habent, *et ipsum Deum ignoret*, etc.

CAPUT X.

Itaque inter se congregatos, quod natura hominum, etc. Vid. Aristot. I Politic. cap. 1 et 2, et lib. III, c. 4.

CAPUT XI.

Qui flecti ac misereri non putant esse sapientis. Ut stoici, referente Cicerone III Tuscul. et in Oratione pro Muren. contra Catonem ; ut Seneca lib II de Clement. cap. 5, ut Agesilaus fortissimus imperator, cujus sententiam, etc., refert Plutarch. in Laconic. Apophtegmat., *difficile esse, misereri simul, et sapere.*

Male meretur, etc. Hic versus apud Plaut. ita legitur de Mendico :

Digitized by Google

Male meretur, qui ei dat, quod edat, aut quod bibat.

Quod sine spe recipiendi feceris. Præclare Seneca lib. IV, de Benefic. cap. 3 et seqq.

Benignusque. Cicero *benignusve.*

Nihil est enim, etc. Cicero, *nihil enim est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat*, etc.

CAPUT XII.

Quod illi virtutis justitiæque doctores prorsus non attigerunt. Nam licet quippiam reperias apud Platonem, Aristotelem, Ciceronem, aut alios fortassis Ethnicos de mortuis hominibus humandis, id potius viri boni officium crediderunt, quam ut significent ab ullo unquam Legislatore præcepto imperatum, et de parentibus et cognatis potius, aut de Republica bene meritis, quam de peregrinis, ac pauperibus tumulandis locuti intelliguntur. Vide Hieronym. Magium, qui hunc locum enarrat lib. II Miscellaneorum, cap. 19.

Qui supervacaneam facerent sepulturam. Unde illud Maron. ad fin. II Æneid. *Facilis jactura sepulchri est.* Qua de re Senec. in Remed. fortuitor.

Si audieris, inquit, preces supplicis tui, etc. Non sunt hæc verba desumpta ex ullo sacræ Scripturæ loco : sed iis Lactantius ipse, quæ Domini Salvatoris est, sententiam expressit, Luc. VI : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Dimittite, et dimittemini : date, et dabitur vobis. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

CAPUT XIII.

Veniam non habet, qui sciens peccat. Hoc declarat ex superioribus; videlicet si peccans pœnitentiam non agat, neque profiteatur, et statuat, sic non ultra peccaturum.

Qui primum gradum ascendit, satis justus est. Non ille satis justus est, si ab operibus malis abstinens, male tamen aut loquatur, aut cogitet; id quod vel ipse Lactantius et confitetur, et docet infra cap. 23, et lib. VII, cap. 27, ait Deum judicaturum esse etiam pravas cogitationes.

CAPUT XIV.

Nam stoici affectus omnes, quorum impulsu animus commovetur, ex homine tollunt, etc. Pro quibus stoicis Seneca plurimis in locis epistola 86, Peperceram, epist. 117, Utrum satius, lib. I, de Ira cap. 10, et 11 et seqq. et toto lib. II Peripatetici contra non tollendos omnino, sed moderandos contendunt. Virtutes enim Aristoteles simpliciter impatibilitates et tranquillitates, ut ait Lactantius lib. VII, cap. 10, negat esse lib. II Ethic., cap. 30. Vid. Ciceronem III et IV, de Finib. et IV Tuscul.; Plutarch. de Moral. virt.; S. August. lib. IX Civit., cap. 4, et l. XIV, c. 8 et 9. Auctor noster contra utrosque disputat.

CAPUT XVI.

Quin et in illo exiguum lætari, etc. Juxta opinionem gentilium philosophorum, contra quos erat disputatio, ut eos suis ipsis positionibus argueret, quos hisce in libris professus est se facturum, lib. V, cap. 4, non autem juxta dogmata christianæ sapientiæ, qua docemur, vel ipsis hostibus bona omnia cupienda : de quo et ipse præclare disserit inf., cap. 18.

CAPUT XVII.

Nam istæ concitationes animorum junclo currui similes sunt, etc. Fortasse alludat ad *currum*, de quo Plato in Phædro.

Hic est ille homo honestus, etc. Sententia Senecæ excerpta e moralis philosophiæ libris, quos amisimus: sed similia passim effert epist. 24, Sollicitum, lib. VI Natural. quæst., cap. 32 et alibi.

CAPUT XVIII.

Qui colit Verbum bonum. Id est, Jesum Dei Filium, qui Verbum bonum dicitur initio Psal. XXIV, ad quem locum respexit.

Jam ex hoc ipso boni viri nomen amittat necesse est, etc. Non solum contra Ciceronem hæc disputatio tendit, sed etiam contra Aristotelem, qui non ulcisci injuriam ignavi hominis atque servilis esse contendit lib. IV Moral. Nicomach., et III Eudemiorum utrobique, cap. 5.

Alieno titulo inscriptas. Videlicet titulo Philippicarum, exemplo Demosthenis.

Spero, inquit Cæsar, qui oblivisci, etc. Tò *Cæsar* abest a textu Ciceronis; ibi enim, *Spero etiam te, qui oblivisci*, etc.

CAPUT XIX.

Itaque hanc ipsam iram, cotem dicunt esse virtutis. Secutus sum Jani Guilielmii tum judicium, tum fidem : nam in nonnullis mss. Lactantii codic. ita haberi testatus est in Quæstionibus ad Plaut. Menechm., cap. 4. Et quidem Cicero, a quo mutuatur hæc omnia Lactantius, sic habet in Lucull. prope fin. : *Ipsam iracundiam fortitudinis quasi cotem esse*, etc.

CAPUT XX.

Stupra vero, inquit, et adulteria, etc. Quædam transposita, quædam omissa. Cicero : *Stupra vero et adulteria, et omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptate. Cumque homini sive natura, sive quis Deus nihil mente præstabilius dedisset, huic divino muneri ac dono nihil esse tam inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante, temperantiæ locum esse, nec omnino in voluptatis regno*, etc. Aliqui tamen codices Ciceroniani habent : *Nullis aliis illecebris incitari, nisi voluptatis*, ut notatur ad oram Lambinianorum; et *nec enim libidine dominante, temperantiæ locum esse omnino, neque in voluptatis*, etc.

Tamen spectacula hæc publica non contemnunt, etc. De quibus Tertull. in lib. de Spectacul., Cypr. epist. 1 ad plebem, S. August. in III Civit., c. 8 et seqq.

Neque militare justo licebit, etc. Loquitur tantum pro tempore illo primitivæ et adolescentis Ecclesiæ, quæ nec gladium habebat, nec decebat tunc illam armis uti, sed duntaxat per passiones et miracula augeri, ut scribit Hugo Carensis in Annotationibus in Marc., exponens locum illum Lucæ 22 : *Vendat tunicam suam, et emat gladium.* Cæterum et hominem justum militare posse, et militiam aliquando justam esse, ex SS. Ambrosio, Augustino, Gregorio, cæteris Patribus prodit Gratianus in Decret. tota causa 23, quæst. 1, 2, 3, et Hæretic. Manichæorum, Œcolampadii, Agrippæ, Lutheri, Erasmi contrariam assertionem refellit Sixt. Senen., l. VI Biblioth. Annot. 156, Alphons. de Castr. cont. Hæres. lib. III, in verbo, *Bellum.*

Neque vero accusare quemquam crimine capitali. Non est hoc simpliciter verum; causæ enim adesse possunt, quibus non modo justo homini accusare facinorosum licet, sed etiam ad accusationem instituendam obligatur : quando videlicet intelligat, scelus in rei publicæ perniciem ire, et idoneis id testibus probari possit. S. Greg. apud Gratian. in Can. *Si quis super his;* in Canon. *Metropolitanorum;* et Gelas. in Canon. *Quapropter secunda*, quæst. 7; Pius Papa in Canon. *Si quis per capillum* 22, quæst. 1; S. Thom. 2-2, quæst. 68, art. 1; Sot. de just. et jur. lib. V, quæst. 5, art. 1.

Itaque in hoc Dei præcepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas, etc. Joannes Duns in IV distinct. 15, quæst. 3, prope abest a Lactantii sententia. Verum illud Dei præceptum non adeo generale est, ut omnem prorsus exceptionem respuat, et causas aliquas adesse posse, quibus homo hominem jure interimat, demonstrat S. Thom. II-2, quæst. 64; Dominic. Sot. de Justit. et jur. lib. V, quæst. 1.

Quem Deus sanctum animal esse voluit, etc. Dictio, *sanctum*, hoc loco in significatione propria accipitur, et idem valet, quod ab injuria hominum defensum,

Digitized by Google

atque munitum, ut scribit Martian. Jureconsultus in l. Sanctum, D. de rer. Divis. Donatus : *Sanctum dicitur, quod omni observatione inviolatum est.* Ciceron. II, Philippic. : « Tanta enim est charitas patriæ, ut vestris etiam legionibus sanctus essem. » Sic sanctæ leges dicuntur, quæ pœnæ sanctione corrumpi vetantur, apud Ulpianum in l. Sacra, D. de rer. Divis. Sic oppidorum muri sancti Pompeio Festo de Verb. veterib. Cajo Jureconsulto in l. prima, et Cassio, Sabino, Marciano in d. l. Sanctum, D. de rer. Divis.

CAPUT XXIII.

Ut in hos affectus avidissime ruerent, eaque ratione propagari et multiplicari genera possent, etc. Sic et Galen. lib. XIV, de usu part. c. 2. Sic et S. Basil. : *Is enim*, inquit, *appetitus mortalibus ad propagandam sobolem divinitus est datus*, etc. ; et de Homine loquens Senec. in Consolatione ad Matrem, c. 13 : *Si cogitas*, ait, *libidinem non voluptatis causa homini datam, sed propagandi generis, quem non violaverit hoc secretum, et infixum visceribus ipsis exitium, omnis alia cupiditas intactum præteribit.*

Pudicitiam flagitavit. Ita B. sex Vatic. et fere omnes alii tum mss. tum excusi. Alii sex eorumdem Vaticanorum, et Aldus in emendatione erratorum suæ editionis ad libri calcem, *flagitiavit*. Ego quidem nec satis habeo, cur alterutram lectionem probem, nec quid conjiciam invenio. Nam cum *flagitare* nullam aliam habeat significationem, quam vehementer et sollicite exposcendi, recte dicas, *puellam flagitari* ab aliquo, ut apud Ulpianum in l. II, D. de privat. delictis, quem locum profert Thomasius : sed ei minime opitulatur, quia aliud est *puellam flagitare*, aliud, *pudicitiam flagitare*. Guilielmus Fornerius l. II, Select. cap. 11, ait : flagitare idem proprie esse, quod stuprari. Auctoritates affert, quas alii viderint. Ego mallem, *flagitiavit*, ut hic idem esset, quod flagitio pudicitiam affecit ac polluit, nisi verbum valde insolens formidarem.

Ne capiti quidem parcit. Beroaldus ad Suetonium in Tiberio, cap. 45 ; Brodæus Miscellaneorum lib. II cap. 21; Magius Miscellan. lib. II, cap. 20, declarant hoc Lactantii dictum, qui contra hosce nefarios invectus est etiam supra lib. V, cap. 9.

Verum etiam publicis vulgatisque corporibus abstinendum, Deus præcepit ; docetque nos, cum duo inter se corpora, etc. Hinc Ebionis et Helcheseitarum refellitur hæresis, qui Pauli Apostoli Epistolas omnes repudiarunt, ut scribit Irenæus lib. I, adv. Hæres. et Euseb. lib. III Eccles. Hist., cap. 27, et lib. VI, c. 27. Nam cum hæc deprompta sint ex cap. 6, in fin. I ad Corinth. constat etiam illis temporibus, Pauli Epistolas inter divinas Scripturas, et divinitus inspiratas a fidelibus recensitas esse. Alias item Pauli sententias ut divina Oracula refert alibi, supra hoc libro cap. 18, lib. de Ira Dei cap. 21. Consequenter etiam hinc profligatur hæresis Simonis Magi, Saturnini, Nicolaitarum, Florianorum, Adamitarum, Waldensium, qui omnium fœminarum usum promiscuum ausi sunt comprobare.

Solam omnium mulierem patientem viri fecit, etc. Sed Aristoteles equam quoque post fœtum susceptum iniri scribit lib. VII Histor. Animal. cap. 4. Et Plin. alia quoque animalia præter mulierem, licet pauca, coitum noscere gravida tradit lib. VII, cap. 11.

Iniquum est enim, ut id exigas, quod præstare ipse non possis. Hoc iisdem pene verbis expressit Ulpianus in leg. Si uxor, §. Judex, D. ad l. Jul. de Adulter. Seneca epistola 95, Eam partem, etc.

CAPUT XXIV.

Quod si liceret ut iis, qui in itinere deerravissent, etc. Hic locus hodie non extat.

Secutis. Al. *secutos.* Prima lectio Patricio magis placuit, et mihi.

Magnum, inquit, nescio quid, etc. Eamdem auream sententiam habet Seneca initio duodecimi libri Epistolarum, epistola, Singulos dies. *Sic certe, inquit, vivendum est, tanquam in conspectu vivamus*, etc.

Neque verbenis opus est, neque fibris, neque cespitibus, etc. *Fibris* ait, pro intestinis ; pars pro toto. Sacra facturi super aras cespitem ex gramine, seu verbenas apponebant. Verbena item et laurus suffitionibus frequens erat. Virgil. Eclog. 8 :

Molli cinge hæc altaria vitta;
Verbenasque adole pingues, etc.

Ob id verbena ἱεροβοτάνη, id est, *sacra herba* vocitata est Dioscoridi lib. IV ; Plinio, lib. XXV, cap. 9.

Ut a Cicerone dictum est, etc. Locum non reperio, nisi inter fragmenta incertorum librorum.

CAPUT XXV.

Ebur, inquit Plato, non castum donum Deo. Locus Platonis est XII de Legibus, ubi quæ diis offerenda sint docet. De ebore autem dicitur, quia frequens erat illius usus apud Gentes in simulacris deorum faciendis, ut scribit Plin., lib. VIII, cap. 10, et lib. XII, cap. 1 ; Virgil. I Georg. :

Et mœstum illacrymat templis ebur, etc.

Verum apud istos, qui nullo modo rationem divinitatis intelligunt, donum est, quidquid auro, etc. Errat Lactantius ; nam quam ille refutat, ipsa est vera et propria differentia inter donum et sacrificium, ut docent Chrysost. Homil. 18, in Epist. ad Hebræos, Theophilact., ad cap. 8 ejusdem Epist., S. Thom. 2-2, quæst. 85, art. 3.

Itaque Deo utrumque incorporale offerendum est..... Donum est integritas animi ; sacrificium, laus et hymnus, etc. Propheta quoque in Psalmis sæpe sacrificium laudis commemorat, de quo Paulus ad Hæbreos XIII, et Spiritus contribulatus sacrificium dicitur Psalm. L, et omne opus bonum de Epistola ad Hebræos. Hæc quidem omnia improprie et metaphorice sacrificia dicuntur ; proprie vero sacrificia vocantur res oblatæ, circa quas aliquid fit : sicut olim animalia, quæ mactabantur, et comburebantur ; et nunc panis, qui benedicitur, et frangitur, et comeditur, ut docet Chrysost., Theophilact. et S. Thom. ubi supra ; et utraque sacrificia Deo debentur. Vid. quæ diximus supra, lib. II, cap. 2, et hoc eodem lib. cap. 1.

In illo sermone perfecto. Sic supra, lib. IV, cap. 6 : ὁ λόγος τέλειος ; et infra lib. VII, cap. 18, intelligit autem Asclepium.

Bene ominare. Ita legendum ex Cod. B. et ipsomet Asclepio Hermetis, qui non semel ita dicit ; nam sic quoque in Pimandr., cap. 9. Editiones Ald. Juntar. Plantin. habent, *Bene, bene, o mi nate*, etc.

O Asclepi. Ita omnes impressi libri recte legunt, ut apud ipsum Hermetem. B. haud recte, *O Asclepiades.*

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUS.

Ut ait Plato. Locum illum innuit in Phædon : *Vis ergo*, inquit, *duas rerum species ponamus, alteram visibilium, invisibilium alteram*, etc.

Qui ait, et ortum aliquando, et aliquando esse perituram. Ut ex Lucretii carminibus constat lib. II, ad fin.

CAPUT III.

Stoici naturam in duas dividunt partes. Vid. Cic. I Academic.

Vel hiaverint terræ. Plin., lib. II, cap. 80.

Quoties demersæ fluctibus, et urbes, et insulæ, etc. Plin., eod. lib., c. 92.

Digitized by Google

Et multorum fundamenta montium latens et internus ignis absumit. Plin., eod. lib. cap. 106.

Maria extruuntur. Plin., lib. v, cap. 19.

Montes exciduntur. Ut Athos quondam a Xerxe, Persarum rege; Plin., lib. IV, cap. 10.

Et ad eruendas opes interiora terræ viscera effodiuntur. De quo queritur Plin., lib. II, cap. 63, et in Prœmio libri XXXIII, Senec., lib. V Natural. quæst. cap. 15.

Cum vero mundum, omnesque partes ejus, ut videmus, mirabilis ratio gubernet. Divinitus Aristoteles, Libell. de Mund., cap. 7.

CAPUT IV.

Putantque homines in omnibus terris et agris tanquam fungos esse generatos. De qua opinione disseruit supra, lib. II, cap. 12.

Neque enim aut calore solis, aut lumine, aut aspiratione ventorum, etc. Hanc Taxaq. P. et alterius S. Salvatoris B. minus antiqui, et Plantinianæ editionis lectionem secutus sum omni culpa carentem, cum cæteræ aliquo modo oppugnari possint. Ald. *aut calore solis, aut lunæ lumine;* Florent. Juntar. *aut calore solis, aut lunæ, aut asperationem ventorum*, etc., quæ lectio teneri potest juxta eorum sententiam, qui lunam æque ac solem calefacere corpora censent. Suid. in σελήνη.

Cur Deus omnia nostri causa cum faceret, tantam vim natricum viperarumque fecerit? Præter Ciceronem in Lucull. Lucretius, lib. v:

> Præterea genus horriferum natura ferarum
> Humanæ genti infestum terraque marique
> Cur alit, atque auget? etc.

Respondet Basilius Homil. 9, in Hexaemer.: *Nec vero est, quod quisquam accusare parentem rerum debeat ob eam causam, quod animalia, quæ virus mittunt, perniciosa, et inimica vitæ nostræ procreaverit; isto enim pacto pædagogum etiam accusare licebit, quod adolescentiæ facultatem, et proclivitatem in officio contineat, plagisque ac verberibus intemperantiam castiget*, etc. Idem Homil. 5 non longe a principio; August. lib. de Heres. cont. Manich. I, cap. 16. In Codice autem Ciceroniano, pro illis *cur tam multa pestifera terra*, etc., sic legitur, *cur mortifera tam multa perniciosa terra*, etc.

Homini autem pro his omnibus, quod erat præcipuum, rationem dedit solam. Itaque nudum formavit et inermem, etc. Idem ait lib. de Opificio Dei, cap. 2 et 3, et Aristot., lib. IV de Part. Anim., c. 10. Ergo injuste de Natura queritur Plinius in procœmio VII, quod cum animantia cætera texerit aliquo modo, atque muniverit, hominem nudum ac inermem formaverit.

Asclepiades noster. Hic ad Lactantium scripsit librum de Providentia Dei; Lactantius vicissim ad illum libros duos, nescimus quo titulo, ut referunt Hieronym. Honor., Augustodun. et alii.

CAPUT V.

Et imbecillis corporibus illigatas, etc. Lactantius sæpe vocat corpus laqueum animæ, vinculum, septum, carcerem, custodiam, etc.; imitatus Platonem in Gorgia, Phædone, Cratylo, et Cicer. in Somn. Scipionis, in I. Tuscul. et alibi: a quibus loquendi modis abstinere debemus nos. Et eos in Origene damnarunt Methodius, Epiphan. 2. Panar. Theophil. Alexandr., episc., lib. I. Hieronym. in epist. ad Pammach., Cyrill., lib. I, Comment. in Joan. Vid. supra ad c. 3, lib. II.

Tolerantiam malorum ac laborum, etc. Quæ hoc capite de perferendis ærumnis atque laboribus, et lib. VI, cap. 11, de misericordiæ operibus exercendis disserit, observanda sunt adversus Lutherum et sectatores, qui bona opera ad salutem necessaria negant.

Et cum Deo semper. In utroque cod. B. in duodecim Vatic. T. P. et aliis omnibus mss. in editione Juntar. et Plantin. desinit hic cap. 5, et continenter 6 incipit illis verbis: *Nunc totam rationem*, etc. Quare non levis suspicio suboritur, totum eum, quem nunc subjiciam, haud sane brevem sermonem, quique in editione Aldina post hæc verba contexitur, nothum esse, atque ab alio suppositum: quanquam profecto valde ingeniosum illum, et egregie strenuum veteratorem fuisse oportuit, qui Lactantii stylum tam miro modo fuerit imitatus. Is sermo talis est: *Neque nunc aliquis eo confugiat, ut dicat ad ipsius culpam pertinere, qui et bonum instituit, et malum. Cur enim malum voluit esse, si id odio habet? Cur non bonum tantum fecit, ut nemo peccaret, nemo faceret malum? Quanquam hoc in omnibus fere prioribus libris docuerim, et id jam superius, quamvis leviter, attigerim; tamen subinde admonendum est, quia omnis ratio in eo posita est. Nulla enim virtus esse poterat, nisi diversa fecisset; nec omnino apparere vis boni potest, nisi ex mali comparatione. Adeo malum nihil aliud est, quam boni interpretatio. Sublato igitur malo, etiam bonum tolli necesse est. Si lævam manum, aut pedem amputaveris, nec corpus erit integrum, nec vita ipsa constabit. Adeo ad compagem corporis temperandam, aptissime cum dextris sinistra junguntur. Item si pares calculos feceris, nemo ludet. Si unum colorem Circo dederis, nemo spectandum putabit, sublata omni Circensium voluptate. Quos profecto qui prius instituit, amator unius coloris fuit: sed alterum ei, quasi æmulum posuit, ut posset esse certamen, et aliqua in spectaculo gratia. Sic Deus, quum bonum constitueret, quum virtutem daret, statuit etiam diversa, cum quibus illa confligerent. Si desit hostis, et pugna, nulla victoria est. Tolle certamen, ne virtus quidem quidquam est. Quam multa sunt hominum inter se, et quam variis artibus constituta certamina? Nemo tamen fortior, velocior, præstantior haberetur, si adversarium, cum quo contenderet, non haberet. Unde autem abest victoria, abesse hinc et gloriam simul, et præmium necesse est. Ut igitur virtutem ipsam exercitatione assidua roboraret, eamque faceret de malorum conflictatione perfectam, utrumque simul dedit, quia utrumque sine altero retinere vim suam non potest. Ergo diversitas est, cui omnis ratio veritatis innititur.*

Non me præterit, quid hoc loco a peritioribus possit opponi. Si bonum sine malo esse non potest, quomodo primum hominem dicis ante offensum Deum in solo bono fuisse, aut postea in solo bono futurum? Discutienda nobis hæc quæstio est: quod in prioribus libris prætermisi, ut hic implerem. Diximus superius, ex elementis repugnantibus hominis constare naturam. Corpus enim, quia terra est, comprehensibile est; temporale, brutum, atque tenebrosum est. Anima vero, quia de cælo est, tenuis, æterna, sensibilis, illustris est. Quæ quia inter se contraria sunt, necesse est, hominem bono et malo esse subjectum. Animæ adscribitur bonum, quia indissolubilis est: corpori malum, quia fragile est. Quoniam igitur sociata et conjuncta sunt corpus et anima, æque bonum et malum cohæreat necesse est; nec separari alterutro possunt, nisi quum illa separata sunt. Denique boni malique notitia simul homini primo data est. Qua percepta, statim de loco sancto pulsus est, in quo malum non est. Ubi cum esset in bono tantum, id ipsum bonum esse, ignorabat. Postquam vero accepit boni aliqua intelligentiam, jam nefas erat, eum in beatitudinis loco morari: relegatusque est in hunc communem orbem, ut ea utraque simul experiretur, quorum naturam pariter agnoverat. Apparet ergo, idcirco datam esse homini sapientiam, ut bonum discernat a malo; ut ab incommodis commoda, ab inutilibus utilia distinguat; ut habeat judicium, et considerantiam, quid cavere, quid appetere, quid fugere, quid sequi debeat. Sapientia igitur constare sine malo non potest; vixitque ille princeps generis humani, quamdiu in solo bono fuit, velut infans, boni ac mali nescius. Atenim postea hominem necesse est et sapientem esse, et sine ullo malo beatum. Sed id fieri non potest, quamdiu anima domicilio corporis induta est.

Quum vero factum fuerit corporis animæque dissi-

Digitized by Google

dium, tunc malum a bono separabitur. Et sicut corpus interit, anima manet : ita malum interibit, et bonum permanebit. Tunc homo, accepto immortalitatis indumento, erit sapiens, expers mali, sicut Deus. Qui ergo vult nos in bono esse tantum, id potissimum desiderat, ut sine corpore vivamus, in quo est malum. Quod si tollatur, aut sapientia homini, ut dixi, aut corpus adimetur : sapientia, ut ignoret malum; corpus ut non sentiat. Nunc autem eum homo et sapientia sit instructus, ut sciat, et corpore ut sentiat, utrumque pariter in hac vita Deus esse voluit, ut ratio virtutis sapientiæque constaret. Posuit itaque hominem inter utrumque medium, ut haberet licentiam vel mali, vel boni sequendi. Sed malo admiscuit apparentia quædam bona, id est, varias et delectabiles suavitates, ut earum illecebris induceret hominem ad latens malum. Bono autem admiscuit apparentia quædam mala, id est, ærumnas, et miserias, et labores, quorum asperitate ac molestia offensus animus refugeret a bono latenti. Hic ergo sapientiæ officium desideratur, ut plus mente videamus, quam corpore: quod pauci admodum facere possunt, quia et virtus difficilis ac rara est, et voluptas communis ac publica Ita necesse est, sapientem pro stulto haberi, qui dum appetit bona quæ non cernuntur, dimittit e manibus quæ videntur; et dum vitat mala quæ non aspiciuntur, incurrit in mala quæ ante oculos sunt. Quod accidit nobis, cum neque cruciatum, neque mortem pro fide recusamus : quando ad summum nefas compellimur, ut prodita fide atque abnegato Deo vero, diis mortuis mortiferisque libemus. Hæc ratio est, cur hominem Deus et mortalem fecerit, et malis subjecerit; licet ipsius causa mundum ædificasset, scilicet ut virtutem caperet, et ei virtus sua immortalitatem daret. Virtus autem, sicut ostendimus, veri Dei cultus est. Hoc autem sermone nihil asseritur, quod non alibi quoque Lactantius dixerit. Nam Deum in mundo bonum et malum esse voluisse, docuit etiam lib. II, cap. 18, lib. V, cap. 7, lib. VI, cap. 15 et 22; I. de Ira Dei, cap. 15. Item eo loquendi modo ad materiam reprobationis spectante, de qua lib. IV, cap. 20, videlicet, Deum malo admiscuisse quædam apparentia bona, id est, varias suavitates, ut earum illecebris induceret hominem ad latens malum, etc., usus est supra lib. IV, cap. 2 et 11. Fuisse autem Adamum, antequam fructum vetitum comederet, boni pariter, ac mali nescium, etc. asseruit lib. II, cap. 13.

CAPUT VII.

Hominum causa mundum, et omnia quæ in eo sunt esse facta, Stoici loquuntur. Ut testatur ille cum Stoico disputans apud Tertullianum in Lucullo ad fin. *Cur Deus,* inquit, *omnia nostri causa cum faceret, sic enim vultis, tantam vim natricum,* etc.

Ad virtutem capessendam nasci homines Aristoteles disseruit. Locum innuit Aristotelis, qui hodie inter ejus opera non extat : sed a Cicerone refertur II de Finib. illis verbis : *Hi non viderint, ut ad cursum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem,* etc.

Esse inferos Zenon stoicus docuit, etc. De Zenone nihil tale comperio apud Scriptores, sed de Socrate apud Ciceronem, I Tuscul., circa med. *Ita enim censebat,* inquit, *itaque disseruit, duas esse vias, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium; nam qui se humanis vitiis contaminassent,* etc.

CAPUT VIII.

Plato autem sic argumentatus est, immortale esse, etc. De hoc Platonis argumento videndus Macrob. lib. II, in Somn. Scipion. cap. 13 et seqq., et S. Athanas. in Orat. cont. Idol. qui magna illud ex parte approbasse videtur; S. Thom. II cont. Gent., cap. 82. Hinc suspicatus est, Platonem credidisse brutorum animas immortales, quod simpliciter dixerit animam ex se esse et a se moveri. Sed hic Platonem defendit Lactantius, quod adjectione sapientiæ humanam animam a mutorum animabus discreverit.

Addidit igitur, ut effugeret hanc communitatem, fieri non posse, quin sit immortalis anima, etc. Duo loca respexit Ciceronis, ubi argumenta Platonis colligit de immortalitate animorum; alterum I Tuscul. : *Animorum nulla in terris origo inveniri potest,* etc.; alterum Cat. major. sive de Senect. ad fin. : *Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio; cum tanta celeritas animorum sit,* etc.

Harum, inquit, sententiarum quæ vera sit, Deus aliquis viderit. Hæc verba apud Ciceronem prolata leguntur, dum de animi substantia disputaretur, non de immortalitate, de qua hic Lactantius.

Quoniam utraque, inquit, earum sententiarum, etc. Quonam e libro Ciceronis hæc ceciderunt, habetur incertum.

CAPUT IX.

Θεωρίαν *rectissime nominavit.* Compositum enim et deductum nomen est ex nomine τοῦ θεοῦ, id est Dei, et verbo ὁράω, quod est specio, aspicio; ut et Plutarch. tradit libello de Mun. Unde apparet, minus recte scriptum in cod. B. qui non θεωρίαν habet, sed ὀπίδα. Ea vero vox crebra est apud Trismeg. Nam Pimand. cap. 12, ad fin. *si δὲ βούλει αὐτὸν θεωρῆσαι,* etc., cap. 13, sub initium, οὐκ ὀφθαλμοῖς τουτοῖς θεωροῦμαι; c. eod. in fin. hymnodiæ, ἃ θεωρῶ λέγω σοι, etc.; initio cap. 14 : γέγηται ἡ θεωρία.

Quæ non erit secundum naturam, etc. Ita B. P. Junt. Plant. id est : *Virtus non erit secundum naturam, si ratio tantum habenda est corporis, et non animæ æternitatis : nam corpus ex virtutis actibus frangitur potius, atque tabescit,* ut recte exponit Thomasius. Al. *quod nec erit secundum naturam.*

Nam cum liceat nobis jucundissimis frui voluptatibus, etc. Eodem argumento utitur Paulus Apost. I ad Corinth. cap. XV : *Si in hac vita tantum,* etc.

CAPUT X.

Et tranquillitas animi est, etc. Hoc non simpliciter probat Aristoteles II Ethic. cap. 3, qua de re supra ad cap. 14, lib. VI.

CAPUT XII.

Quoniam cum corpore, inquit, anima nascitur, etc. Argumenta promit Epicureorum contra immortalitatem animæ ex tertio Lucretii de Nat. rer.; et hoc est primum argumentum :

> Præterea gigni pariter cum corpore, et una
> Crescere sentimus, etc.

Cedit item retro, etc. Hæc carmina paulo aliter leguntur apud Lucretium; ibi enim :

> Cedit item retro de terra quod fuit ante
> In terras; et quod missum est ex ætheris oris,
> Id rursum cœli relatum templa receptant.

Velut humor fracto vase, etc. Alludit ad ea quæ ibi sequuntur :

> Nunc igitur quoniam quassatis undique vasis, etc.

Quoniam crescit, inquit, sensus in pueris, etc. Lucretius :

> Nam velut infirmo pueri teneroque vagantur, etc.

Primum non est idem mens et anima, etc. Objectionem illam de sensu in pueris crescente, et in senibus deficiente conatur diluere. Sed parum valide. Aristoteles I de Anim. tex. 65 : *Non esse animi vitium docent, si senes delirent, sed corporis, neque senectutem esse in animo, sed instrumentis,* etc.

Nam dormientium mens, non anima sopitur. Haud satis profecto tenuisse mihi videre, Lactanti, quid anima, quid mens esset. Non tibi succurrebat ex divino præceptore, primo de Anim. text. 89 et seqq., et lib. II, text. 19 et 31. Animam unum quidam esse, plures habens potentias : superiorem earum hanc esse, quam ille νοῦν, nos intellectum et mentem dicimus, quam nec corpori admixtam, nec instrumento affixam corporeo docet in III de Anim. tex. 6. Ideo non in mente somnum fieri, sed in sensu interiori scribebat, lib. de Somn., et Vigil. cap. 2. Nihil

Digitized by Google

enim aliud esse somnum, quam refrigerationem primi sensiterii, cod. lib., cap. 3, et II de Partib. Anim. cap. 7.

Et in furiosis mens extinguitur, anima manet. Nugæ. Quid est, extinguitur? Annon hæc animæ portio est ignis ille divinus, de quo tu ipse, cap. 8 de Opificio, memineras? Cicero I Tusculanar. : *Alteram autem affert rationem* (Panætius), *nihil esse, quod doleat, quin id ægrum esse quoque possit; quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum : dolere autem animos; ergo etiam interire. Hæc refelli possunt; sunt enim ignorantis, cum de æternitate animorum dicantur, de mente dici, quæ omni turbido motu semper vacet, non de partibus iis, in quibus ægritudines, iræ, libidinesque versentur, quas is, contra quem hæc dicantur, semotas a mente, et disclusas putat*, etc.

Dementes vocantur. Abusive : non quia sine mente sint, sed quia esse videantur, cum ratione uti non possint, læsis instrumentis inferiorum potentiarum, quæ menti ad ratiocinandum famulantur.

Ad sedem suam revolet. Ut Cicer. in Somn. Scip. : *Hinc profecti, huc revertuntur*; et in fin. I Tusc. : *in nostram domum remigremus*; et alibi sæpe : quorum locorum imitatione raptus Firmianus temere hoc dictum effudit Nos autem ab ejusmodi locutionibus abstinere debemus ; nam favent universaliter dogmati de animabus ante corpora conditis, et de cœlo in terram lapsis, quod ridet ipsemet supra lib. III, cap. 18, et S. August. cum in II Academic. libror., dixisset, animum severiorem rediturum esse in cœlum, eum loquendi modum damnat lib. I Retract. cap. 1, et se scribere debuisse ait, non rediturum, sed iturum, ob dictam superius rationem. Vid. Notas lib. II, cap. 3.

At enim memoria deficit. Nam, ut ait Seneca pater in Prolog. Declamationum, *Memoria est res ex omnibus partibus animi maxime delicata, et fragilis, in quam primum senectus incurrit.*

Verum eadem, inquit, dolori et luctui obnoxia est, etc. Secundum argumentum. Lucretius :

> Huc accedit uti videamus, corpus ut ipsum
> Suscipere immanes morbos, etc.

Anima, inquit, etiam morbum corporis sentit, etc. Tertium argumentum. Lucretius :

> Quin etiam morbis in corporis avius errat
> Sæpe animus, etc.

Oblivionem sui. Lethargum, de quo ibidem Lucretius :

> Interdumque gravi lethargo fertur in altum, etc.

Contagio ejus ægrescit. Parum sapienter. Si *ægrescit*, etiam demum inierit.

Sicut oculus, inquit, evulsus a corpore, etc. Quartum argumentum. Lucretius :

> Scilicet avulsus radicitus ut nequit illam
> Despicere ipse oculus rem, etc.

Sicut id, quod vase continetur, etc. Absurda comparatio. Non continetur anima in corpore, ut id quod in vase : non continetur, ut id, quod in loco; nam anima potius continet corpus, quam contineatur a corpore, primo de anim. tex. 90; est autem in corpore, sicut forma in materia, IV Physic. tex. 23.

Animam, quia non citius emittatur ex corpore, mortalem videri, etc. Quintum argumentum. Lucretius :

> Denique sæpe hominem paulatim cernimus ire, etc.

Quod si immortalis nostra foret mens, non tam se moriens, etc. Sextum argumentum : sed Lucretius habet :

> Non tam se moriens, etc.

CAPUT XIII.

Ἡνίκα δ' ἀνάλυσιν. Ita legimus cum Musuro, et editione Juntarum; nam in Aldin. et Plantinian. deest, δέ.

Sed sicut in fidibus ex intentione nervorum, etc. De hac Aristoxeni opinione, de qua meminit etiam lib. de Opif. cap. 16; vid. Platon. in Phædon., Arist. lib. I de Anim. tex. 54 et seqq.; Lucret. initio III, Cicer. I Tusculanar.

CAPUT XIV.

Plato. Apud quem in Timæo leguntur figmenta illa de sacerdote quodam Ægyptio narrante Soloni, Athenas novem millibus annorum ante Solonis ætatem fuisse conditas, omnesque insignes illius temporis res gestas in sacris Ægyptiorum libris subtiliter annotatas contineri.

Secuti fortasse Chaldæos. Probavi cum Thomasio lectionem utriusque cod. S. Salvat. B. T. P. pro ea, quæ in aliis habetur, *sicuti fortasse Chaldæi.* Hi quidem innumera se annorum millia habere jactabant, ut hic ait Lactantius, et S. August. lib XII Civit. cap. 10, quos et Lucret. refutat lib. V, *Cur supera bellum Thebanum*, etc. Macrob. lib. II, in Somn. Scip.

Nondum sextum millesimum annum esse conclusum, etc. Idem ait S. Augustinus dicto cap. 10.

Quo numero expleto, consummationem fieri necesse est. Increbuisse fertur hic error de duratione mundi sex millibus annorum ex veteri quadam Hebræorum traditione, de qua in Thalmudicis voluminibus ordine quarto, tract. 4, cui tit. Sanedrim, illumque confovisse aiunt non modo Rabbi quemdam nomine Isaac super cap. I Genes. et alios ejusdem sectæ nonnullos, sed ex nostratibus quoque insignes aliquot viros; nam præter Lactantium ita opinati sunt Just. Martyr, quæst. 72, Irenæ. adv. Hæres. cap. ultimo, Hilar. in Matth. c. XVII, Hieronym. in exemplari expositione Psalm. LXXXIX, ad Cyprian. et in commentar. super Michæ. cap. IV, Aug. XX Civit. cap. 7. Germanus vero, episc. Constantinopolit. in lib. de Theor. rer. Ecclesiast. secutus Hippol. Martyr. et Cyrill. in lib. de Antichrist. affirmat, mundum sex millibus annorum superque quingentis duraturum. Contra hunc errorem extat aliorum Patrum auctoritas, Ambrosii lib. VII, in Luc. illud Matthæi exponentis, *Post dies sex transfiguratus est*, etc. August. in Psalm. LXXXIX. Bedæ. in lib. de Ration. Temp. et denique ipsiusmet Salvatoris Act. I contestantis, non esse nostrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, et Matth. XIII : *De die autem illo, vel hora nemo scit*, etc. Extat et res ipsa; nam cum ex errore illo colligeretur, ab eo tempore usque ad mundi consummationem ducentorum circiter annorum curriculum expectari, ut inf. cap. 25, profecto non modo jam ducenti anni, sed mille propemodum ac trecenti præterierunt. S. Thom. rationes ponit, quibus convenit, ut dies Domini magnus ignoretur.

Hic est autem dies Sabbati, qui lingua Hebræorum a numero nomen accepit, etc. Nam Lactantius Sabbati nomen deductum putat a *Sebang*, quod est septem, quia is est septimus dies, et ita quoque Theophil. ad Autolyc. lib. II. Alii malunt *Sciabath*, id est, Sabbatum requiem significare, et a verbo *Sciabath*, quod est quiescere, deductum esse; quibus adstipulatur Josephus lib. I Antiquit. cap. 1, Philo. in lib. de Abraham, in principio, et de Migratione Abraham. Plutarchus autem, et quidam alii ethnicorum, fatue nimis aliunde putant deductum. Nam Plutarchus in 5 quæstion. Convival. a Baccho, qui Sabbus est, quod eo die se mutuo Hebræi ad potandum invitent; alii vero a Sabbo, morbi genere apud Ægyptios, quo replentur inguina ulceribus; illo enim laborasse aiunt Hebræos Ægypto exeuntes, et septimo die quievisse, ac proinde diem illum Sabbatum nominasse. Certe ducem fuisse leprosorum et scabie laborantium Moysen in egressu de Ægypto, calumniati sunt Manethon Ægyptius, referente Josepho contra ipsum disputante lib. I contra Appion. et

Digitized by Google

Justinus historicus lib. xxxvi, qui ait, Moysen Damascena antiqua patria repetita, montem Syneum, al. Synam, occupavisse, in quo septem dierum jejunio per deserta Arabiæ cum populo suo fatigatus cum tandem venisset, septimum diem more gentis Sabbatum appellatum in omne ævum jejunio sacravisse, quoniam ille dies famem illis, erroremque finierat, etc.

Sicut indicat Propheta, dicens, etc. Sed locus ille nihil opitulatur errori, cum ibi millenarius numerus sumatur pro indefinito quodam numero, ut in Psalm. civ: *Verbi quod mandavit in mille generationes*; et in Ecclesiastic. *Melior est unus timens Deum quam mille filii impii*, etc. Cujusmodi multa exempla reperiuntur apud profanos scriptores.

Ut mille annis in hoc mundo viveret. Omne tempus, quod vixit Adam, fuisse comperio quinto Genes. nongentorum et triginta annorum.

CAPUT XV.

Quod Romanum nomen, etc. Et infra cap. 25: *At vero cum caput illud orbis occiderit*, etc. Fuit vetus traditio illorum temporum, cum primum Romanum imperium defeci-set, venturum Antichristum, et paulo post mundum interiturum. Ita enim scribit et Tertullian. in lib. ad Scapul. et Apologet., cap. 32, et Optat. Milevitan. contra Donatist., lib. II, atque orta ejusmodi traditio videtur ex prophetia Daniel., cap. II, ubi quatuor regna enumerantur, et post illa denunciatur adventus Antichristi; et etiam ex verbis Apostoli in II ad Thessalon., cap. II, ubi non prius venturum ait Antichristum, quam discessio venerit, scilicet populorum a Romano imperio, secundum Augustinum, lib. xx Civit., cap. 19. Sed quomodo est hoc, quia jamdiu gentes discesserunt a Romano imperio, necdum venit Antichristus? Respondet S. Thomas super d. cap. II, Epist. Paul., lect. 1, his verbis: *Dicendum, quod nondum cessavit, sed est commutatum de temporali in spirituale, ut dicit Leo papa in sermone de Apostolis; et ideo discessio a Romano imperio debet intelligi non solum a temporali, sed etiam a spirituali, scilicet a fide catholica Romanæ Ecclesiæ. Est autem hoc conveniens signum; nam Christus venit, quando Romanum imperium omnibus dominabatur: ita e contra signum adventus Antichristi est discessio ab eo.*

Seneca Romanæ urbis tempora distribuit in ætates, etc. Locum Senecæ non invenio, sed quiddam ejusmodi apud Bedam de Temporibus, cap. 66.

Hystaspes quoque, qui fuit Medorum rex antiquissimus, etc. De hujus Vaticiniis sub nomine *Hystaspis* meminit etiam Paulus apostolus apud Clementem Alexandrinum VI Stromat. illis verbis: *Libros quoque Græcos sumite: agnoscite Sibyllam quomodo unum Deum significet, et ea, quæ sunt futura; et Hystaspen sumite, et legite*, etc. Quæ cum in Epistolis Pauli non inveniantur, verosimile est, Clementem antiquissimum theologum ex Pauli concionibus ad populum habitis, et memoriæ mandatis, et deinde ad posteros traditione quadam transmissis prodidisse. Ejusdem quoque sub nomine Hystaspis non semel mentionem agit Justin. Martyr. in Apolog. 2 pro Christian. Et hoc loco, septem codices Vaticani habent, *Hystaspes*, pro eo quod in aliis libris excusis est, *Hydaspes*. Ideo verum hujus regis nomen restituimus Lactantio, quod etiam probat Theodorus Canterus Variar. lection. lib. II, cap. 19. Quamquam quæ de Hystaspe Darii patre affert ex Agathia historico, l. II, et Ammiano, lib. xxiii, huic nostro convenire non possunt; siquidem Darii pater, qui et Hydaspes alicubi nominatur, non fuit rex, ut ex Herodot. constat. Et cum Roma condita fuerit circiter olympiad. 6, ut ex Euseb. Glarean. in Chronol. ad Livi. et aliis patet, Darius autem floruerit olymp. 64, ut ex Euseb. retulimus supra lib. IV, cap. 14, necesse est, ut Darii pater multis pene non solum annis, sed etiam sæculis post conditam Urbem extiterit, contra quam hoc loco Lactantius asserat, cui ait, hæc multo ante præfatum Hystaspen, quam A Trojana illa gens, id est, Romana conderetur,

A quo amnis quoque nomen accepit, qui nunc Hydaspes dicitur. Jam hinc intelligis, cur fluvius Hydaspes dicatur Medus a Virgilio IV Georg. illis carminibus:

> Præterea regem non sic Ægyptus, et ingens
> Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
> Observant, etc.

Quod divini poetæ expositores forsit. nec satis, quod ad rem faceret, attulerunt.

Admirabile somnium. Ita restituitur hic locus ex B. Cod. qui corruptus legitur in impressis, *admirabilis omnium*. Nam genuinam esse hanc lectionem vel illa quæ sequuntur ostendunt, sub interpretatione vaticinantis pueri, etc.

CAPUT XVI.

Ad consumendum. Ita reposui, pro eo quod corrupte est in omnibus, *ad consumandum*.

B *Tum repente adversus eos hostis potentissimus ab extremis finibus plagæ septentrionalis orietur*, etc. In hoste potentissimo, qui adversus decem reges orietur, non intelligit Lactantius Antichristum, ut censuit Franciscus Ribera ad cap. XII Apocalypsis, num. 13. Nam initio sequentis capitis ait, et hunc ipsum hostem deletum iri cum omnibus suis reliquiis ab altero rege ex Syria surrecturo humani generis proditore, quem cap. 19 Antichristum appellat, id quod clarius edisserit cap. 14 Epitomes horum librorum; ubi cum dixisset viros decem occupaturos orbem, et contra eos surrecturum longe potentiorem ac nequiorem, qui tribus ex eo numero deletis Asiam possidebit, cæteris in potestate sua redactis, et adscitis, ait deinde inter ea mala exsurrecturum regem impium, non modo generi hominum, sed et Deo inimicum, qui reliquias illius prioris Tyranni conteret, cruciabit, vexabit, interimet; atque hunc futurum Antichristum satis aperte ostendit. In hoste igitur illo, quem ait debellaturum reges illos, fortasse Lactantius Neronem intellexerit; nam et id putavisse S. Martinum Turonensem episcopum prodit Sever. Sulpit. in Dialog. lib. II, in fin., quanquam et alii multi, ut scribit Sever. ibid. S. Hieron. in illud Daniel. II: *Et cor ejus adversus testamentum sanctum*, etc., et S. Augustin., lib. xx Civit., c. 19, qui illos arguit, crediderunt, Neronem ipsum futurum esse Antichristum. Falsus igitur hoc loco Lactantius est, cum ex Scripturis constet, non alium regem, quam Antichristum ipsum, decem regibus illis superventurum, qui eos subigat, et suo imperio subjiciat, ut docent omnes expositores super XII Danielis in fin. ubi visio quartæ bestiæ declaratur, et super XII Apocalyps. ad ea verba, *habens capita septem*, etc., et super cap. XVII ad ea, *et decem cornua*, etc. Item Irenæ. adversus Hæres., lib. V, cap. 25 et 26; Hippolyt. Martyr., de Consumm. sæcul.; Thodoret. in Daniel., Oratione 7; Prosper Aquitanic. in lib. cui titulus: Dimid. tempor., cap. 7. Nec S. Martini auctoritate sustinetur quod de Nerone aliqui fabulantur; neque enim D id prophetico spiritu sensisse putandus est: sed ut forte ab aliis enarratum, aut scriptum acceperat, ita quærentibus respondisse.

CAPUT XVII.

Propheta magnus mittetur a Deo, etc. Lactantius de uno tantum propheta mentionem habet, cum tamen, cap. XI Apocalyp. unde desumpsit, duos mittendos esse dicatur, quos Joannes prophetas quidem vocat: sed eorum nomina silentio præterit; et ideo relictus est scriptoribus locus ad opinandum. Porro alterum eorum futurum Heliam omnes consentiunt ex cap. IV Malach., at de altero pugnant. Nam alii futurum asserunt Moysen, ut Hilar. Can. in Matth. XX; Ambros. in lib. de Cain et Abel, cap. 2; Catharin. super Genes.; et Joann. Arboreus, lib. XI Theosophias; alii Hieremiam, ut refert et credit idem Victorin. quem reprobat Ansbert. super d. cap. XI Apocalyp., et Hi-

Digitized by Google

lar, d. cap. 20. Recepta tamen a plerisque Patribus sententia videtur, ut comes Eliæ sit Henoch futurus ex illo Ecclesiast. XLIV : *Enoch placuit Deo et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*, etc., id est, in fine sæculorum, quando prædicaturus est pœnitentiam gentibus ab Antichristo seductis. Ita Tertull., lib. de Anim., cap. 28; S. Ephrem, serm. de Antichrist., et serm. de Consummat. sæculi; Isidor., lib. de Vit. et Mort. sanct., c. 3 et 35; Hippolyt. Mart., serm. de Antichrist.; Hieronym., epist. 148 ad Marcell. et in Psal. XX; August. in tract. de Antichristo, et lib. II de Peccato origin., cap. 23, et lib. IX super Genes. ad litter. cap. VI; Prosper Aquitanic. in Dimid. tempor., c. 13 et seqq.; Greg. Magn., lib. IX Moral., cap. 4, et homil. 12 in Ezech.; Damascen. IV de Fid. orthod., cap. 27, ad fin. IV, ea quoque super d. cap. 51; Gloss. Ansbert., Aymo, Rupert., Anselm., Richard., S. Thom., Andr. Arethas.

Peractisque operibus ipsius, alter rex orietur ex Syria, etc. Non ante ortum Antichristi, ut ait Lactantius, sed ipsius persecutionis tempore prophetæ prædicabunt diebus mille ducentis et sexaginta videlicet quanto fere tempore durabit Antichristi persecutio, quoniam eorum prædicatio quasi in antidotum persecutionis illius dabitur, ut docent omnes super illud cap. XI Apocalyps. : *Et prophetabunt diebus mille ducentis.*

Malo spiritu genitus. Non quia generandus sit a dæmone incubo alieno semine, ut quidam putaverunt : sed quia mali spiritus opera nascetur, ut tradunt Martyr Hippolytus, et Damascen. Cavenda quoque opinio asserentium, Antichristum non alium fore, quam diabolum, quos S. Hieronymus damnat II Daniel. super illud : *Ecce oculi quasi oculi hominis*, etc. Damasc. IV de Fide orthod., cap. 28.

Illius prioris mali. Id est, *illius prioris tyranni*, ut exponit c. 12 Epitomes, quem decem reges dixerat subacturum esse sup. cap. anteced.

Signabuntur ab eo tamquam pecudes. De charactere antichristi, quo suos signabit sectatores, habetur Apocalyp. XIII, sed qualis futurus sit ille character, ambigitur. Ex Primasio quidem tradit Ansbertus, atque ita tradit, ut id sibi a Deo revelatum innuat, talem futurum illum characterem, ut in totum Christi nomen ex compendio includatur, qualis est is, quem imperator Constantinus Magnus, Leo Quintus, et alii nonnulli imperatores gestaverunt in Labaris, duobus modis exprimi solitum; talem enim characterem numismata vetera ostendunt, quorum formas typis excusas exhibet etiam cardin. Baronius, t. III Annal. sub anno Domini, 312, et Stewechius ad Vegetium, l. II, c. 18. Lipsius, de Cruce, c. 15. Id vero simile est, quoniam nullum nomen magis amabit Antichristus, quam Christi nomen, quo Judæos decipiet, et Agarenos, et multos etiam christianorum.

CAPUT XVIII.

Ἥξει καὶ μακάρων, etc. Hæc habentur in 5 sermone Carminum Sibyllinorum : sed ibi multum variat lectio.

Ἀφθίτου. Ita lego cum M. Masuro propter metri rationem, sicut est in ms. B. et in editione Florentina : non autem ἀφθίτοις, ut est in Aldina, et Plantinian.

Καὶ τότ' ἀπ' ἠελίου. Variat hic versus aliquantulum in codice Sibyllino, etc.

Ἡμετέρας δουλείας, etc. Variat lectio in Carmin. Sibyllinis ; nam ibi :

Ἵνα τοι ζυγὸν ὃ περ ὑπῆμεν
Δοῦλον δυοβάστακτον ἐπ' αὐχένι κείμενον ἀροῦ.

CAPUT XIX.

Ὁππότ' ἂν ἔλθῃ, etc. Non extant in Carminibus Sibyllinis.

Et postea orbis terræ Regnum recepturus est, etc. De regno loquitur, quo Christum post judicium mille annis cum justis in terra regnaturum falso credidit Lactantius, de quo errore dicemus infra. Quare non immerito notavit hunc locum Didacus Covarruv., l. IV Variar. Resol., c. 19, sub num. 10. Caute Isidorus hunc eumdem pene locum exscribens, lib. VI Origin., cap. 17, ab istis verbis abstinuit.

Cadet repente gladius e cœlo, etc. Hoc dictum testimonio Scripturæ caret, cujusmodi et alia nonnulla, quæ ex eorum temporum traditionibus referre putandus est.

Ῥίψουσι. Sic omnino legendum est ex codice Sibyllino, monente id serie primarum litterarum cujusque versus in acrostichis ; non τρίψουσι, ut hic vulgo legitur.

Ἔργα δὲ χειροποιητά, etc. Etiam hic versus paulo aliter legitur in Carminibus Sibyllinis.

CAPUT XX.

Post hæc aperientur inferi, et resurgent mortui, etc. Lactantius hoc capite et sequentibus de futuro extremo judicio, et de mortuorum resurrectione hæc docet. Animæ non statim post mortem judicantur, sed in una communique custodia subtus terram detinentur usque ad diem universalis judicii, inf. c. 21. Duplex erit resurrectio : altera fidelium, id est eorum, qui in Dei religione fuerint versati; altera impiorum, id est infidelium. Primum igitur, inquit, ex inferis, hoc est ex subterranea illa custodia excitabuntur fidelium animæ ad sua corpora recipienda, ut hoc loco dicitur. Examen operum fiet, ut si plura, et gravia fuerint bona, ad vitam beatam dentur, sin e contra, ad pœnam damnentur, ut dicitur paulo inf. Examen fiet per ignem ; nam ii, quorum peccata vel pondere, vel numero prævalebunt, amburentur igne ; quos autem plena justitia, et maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient, in fin. c. 21. Tum constituet Deus civitatem sanctam in medio terræ, ubi regnabit mille annis cum justis illis, qui præerunt viventibus veluti judices. Qui vero tunc reperti fuerint in corporibus vivi, non morientur : sed per eosdem mille annos prolem sanctam et Deo charam generabunt. Ethnici non extinguentur omnino : sed quidam relinquentur in victoriam Dei, ut triumphentur a justis. Hæc omnia c. 24. Denique post mille annos altera fiet resurrectio, videlicet impiorum, qui idola coluerunt, qui Deum verum vel nescierunt, vel abnegarunt ; ii vero absque ullo judicio (neque enim surrecturos impios in judicium ex sacris Litteris hoc capite docet) ad cruciatus æternos cum principe dæmonum, et ejus ministris exterminabuntur ; justi autem renovato mundo, felices ac beati, in similitudinem angelorum in conspectu Altissimi semper versabuntur, et in æternum servient, c. 26. Protulit has ineptias Lactantius, quia non recte percepit vaticinium Joannis apostoli XX Apocalyp. : *Et vidi sedes, et sederunt super eas*, etc. At vero una tantummodo erit resurrectio omnium, quorum alii quidem ibunt in cœlum ad vitam æternam, ii scilicet, qui post baptisma susceptum vel nullam peccati maculam contraxerunt, vel contractam diluerunt ac purgaverunt ; alii in infernum ignem æternum, ii videlicet, qui in actuali mortali peccato obierunt : qui vero in solo originali decesserunt, vel in limbo, vel in hoc mundo, vel, ut ait S. Antoninus Florentin. p. p. Summæ, tit. VIII, c. 1, § 1, in alio loco, quem solus novit Deus, pœna damni tantum, scilicet carentia visionis divinæ punientur. Quomodo autem verba Joann. apost. sint intelligenda, docent expositores Apocalyp. S. August., l. XX de Civit., c. 7 et seqq. ex recentioribus doctissime ac luculenter Franciscus Ribera super Apocalyp.

Ὁππότε καὶ τὸ λάθῃ, etc. Extant hæc carmina in oraculis Sibyllinis serm. 3, ubi lectio plurimum variat, et hic versus mutilus habetur.

βασιλήως. Sibyllinus codex, et S. Augustinus, lib. XVIII Civit., c. 23, habet βασιλῆες.

Non resurrecturos esse impios in judicium, etc. Quod

Digitized by Google

intelligendum est quoad discussionem meritorum, non autem quoad distributionem pœnarum ; nam quoad præmiorum, vel pœnarum distributionem omnes judicabuntur, juxta illud Roman., XIV : *Omnes astabimus ante tribunal Christi*, ut explicat S. Thomas in IV Sententiar. distinct. 47, quæst. unica, artic. 3, et ipse Lactantius infra, c. 26.

Impiorum vero, etc. Ita legendum esse, cum vitiose vulgo legatur *impios vero*, textus ipse convincit ; nam de animabus dicere pergit, de quibus ait paulo supra, *sed eorum, qui justi fuerunt, puras, et impassibiles*, etc. Nunc alterum hujus orationis membrum exequitur, *impiorum vero*, suppl. *animas*, mediam gerere naturam ex contagione carnis, *cujus desideriis addictæ fucum trahant*, etc. Neque vero illud, *addictæ*, cum dictione, *impios*, convenit.

Par levibus ventis, etc. Cave tamen putes, animam quasi ventulum quemdam, et auram esse.

CAPUT XXI.

Primum igitur dicimus, tantam esse Dei potestatem, ut etiam incorporalia comprehendat, etc. Docet quomodo anima, cum spiritalis sit, pati possit ab igne corporeo. Videlicet eam pati non posse potentia naturali, quia cum in se, inquit, nihil habeat solidum et contrectabile, a solidis et corporalibus nullam vim pati potest ; sed posse tamen ea potentia, quam theologi nostri obedientiæ potentiam nuncupant, qua cunctæ res aptæ natæ sunt creatori obedire, ita ut in eis quidquid ipse vult fiat. Exemplum affert de angelis, qui eum metuunt, cum inenarrabili quodam modo ab eo castigari possint, et de dæmonibus, qui ab eo torquentur, et puniuntur. Jam hoc nil aliud asserere est, quam quod S. Thom. in IV Sentent., dist. 44, quæst. 2, art. 3, et ibi alii quoque theologi docent, videlicet ignem æternum in animas agere, et eas torquere posse tamquam instrumentum divinæ virtutis atque justitiæ.

Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, etc. Putavit Lactantius omne animarum judicium differri post corporum resurrectionem : idcirco, inquit, licet Deus virtute sua possit igne agere in animas etiam corpore exutas, tamen congruentius vult eas pati cum corpore, *quia in corpore peccaverunt, et ideo rursus carne induentur, etc.*

Et tamen non erit caro illa, quam Deus homini superjecerit, huic terrenæ similis, etc. Non negat eorum, qui surrecturi sunt, carnem futuram eamdem numero cum ea, quam habuerunt in vita, quod fides catholica docet, ut habemus, c. 1 de Summ. Trinit. et Fid. Cathol. et DD. demonstrant in IV, distinct. 47 et 48 ; sed ait, non eam fore huic similem ; et statim in quo futura sit ea dissimilitudo pronuntiat, nempe quia cum caro nostra ad ignis contactum diffluat ac consumatur, illa insolubilis erit, atque mansura, neque cruciatibus illis, et igne aliquando defectura.

Cujus natura diversa est ab hoc nostro, etc. Naturam accepit hic non ita proprie pro substantia et forma specifica, sed aliquando laxius, atque abusive, ut diversæ illum ignem affirmet esse naturæ, id est, diversarum quarumdam proprietatum, et operationum consequentium, quas statim, et ipse hic, et alii quoque recensent ; Tertull., Apologet., c. 48 ; Minuc. in Octav. ; Pacian., de Pœnit. et Confess. Quod videlicet nullius materiæ fomite alatur, quod una cremet et recreet impios, et quod quantum de corporibus absumat, tantum reponat. Et hoc modo Damascenus etiam declaratur, qui quarto de Fid. Orthod., c. ultimo, ait impios mittendos esse in ignem æternum non materialem, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus. Dicitur enim in addition. ad III part. S. Thom., quæst. 97, art. 5, et a S. Bonavent. in IV Sentent. distinct. 44, art. 2, quæst. 1, quod Damasc. non negat, ignem inferni esse simpliciter materialem, sed materialem, qualis hic noster, quia quibusdam proprietatibus a nostro igne differt, neque negat similitudinem in forma specifica, sed in operationibus quibusdam, ut dixi-

A mus. Nam quod ignis inferni ejusdem naturæ ac speciei sit cum igne nostro, probabilius videtur, atque receptius a theologis, ut notatur in addition. ad III part. d. quæst. 97, art. 6, et disserit Soto in IV Sentent. distinct. 50, quæst. unic., artic. 1, conclusione secunda.

Nec admixtum habet fumum : sed est purus, ac liquidus, et in aquæ modum fluidus, etc. Fortassis de igne purgatorii hoc verum sit ; nam id aliqui tradidere. Cæterum de igne inferni pernegant omnes ; Basil. in Psalm. XXXIII super illud, *Timorem Domini*, S. Greg. lib. IX Moral., cap. 49, qui ait ignem illum caliginosum esse, et splendore carentem. S. Thom. in II Sentent. distinct. 6, art. 3, ad 1 et in IV, dist. 50, quæst. unica, art. 2. S. Bonav, in IV, dist. 44, art. 2, quæst. 1. Habebit tamen ignis ille tantum de tristi luce, quantum sufficiat, ut damnati se mutuo possint contueri, ad miseriarum et pœnarum suarum augmentum, ut ait S. Gregorius, ubi supra.

B ***Sed et justos cum judicaverit, etiam in igni eos examinabit.*** De igne conflagrationis hæc fere tradunt DD. Sanct. Thom. in IV Sentent. dist. 47, art. 4. ad III, et ibid. S. Bonav. quæst. 4, in fin. et in VII, p. Breviloq. cap. 4.

Nec tamen quisquam putet animas post mortem protinus judicari. Pœnas animarum et præmia differri in diem judicii universalis post corporum resurrectionem, atque eas interim in una communi custodia detineri, Lactantius est opinatus, ut supra diximus hoc eodem cap. Idem senserunt et alii plerique antiquorum Patrum ; Clemens Roman. I Recogn. ad fin., ex Petri Apostoli persona loquens ; Justin. Mart. in Quæstion. a Gentib. posit. quæst, 76 ; Irenæ. adv. Hæres. ; Tertull. IV adv. Marcion. et lib. de Anim. cap. antepenult. ; Origen. Homil. 7, in Levitic. et II et IV Principior. ; Victor. super Apocal. ad ea, *Vidi sub altare ;* Prudent. in Hymn. pro exeq. defunct. et alibi ; Ambros. II, de Caïn et Abel, cap. 2, et lib. de Bono Mortis, cap. 10 ; Chrysost. Homil. 39, in I ad Corinth. ;

C August. in Psal. XXXVI ; Theodoret. ad cap. XI Epistolæ ad Hebræ. ; Arethas in illud Apocalyp., *Usquequo, Domine, non vindicas sanguinem*, etc. ; Œcumenius ad cap. XI Epist. ad Hebræ. ; Theophilact. ibid. et in Comment. ad Luc. super illud, *Hodie mecum eris*, etc. ; Eutymius ibid. ; S. Bernard. super illud Apocalyp. *Vidi sub altare*, etc. Denique pro hac sententia adducitur Jacobus Apostolus in liturgia divini sacrificii ; et ita Joannem Romanum pontificem ejus nominis vigesimum secundum credidisse, et credendum sanxisse, refert Ocham in operib. 93 dier., et Adrianus in IV Sent. in fin. quæst. de Sacram. confirmat. Quibus non obstantibus, nunc pro certo et infallibili dogmate habendum est, animas statim ab egressu corporum judicari ; et quæ rationis usum habuerunt, pro diversitate meritorum ad gloriam paradisi, aut ad pœnam vel æternam in infernum, vel temporalem in purgatorium deduci ; quæ vero ante rationis usum decesserunt, vel in limbum puerorum

D migrare, ubi pœna damni tantummodo afficiantur pro peccato originali contracto, nisi baptisma susceperint, vel in paradisum ad vitam beatam pro merito Christi, siquidem baptismate sunt ablutæ, ut docet S. Thom. S. Bonav. et cæteri in IV Sentent. distinct. 45, art. 1. Et contraria assertio pertinet ad errorem Armenorum et Anabaptistarum asserentium animas Sanctorum ante resurrectionem corporum divinæ visionis gloria frui non posse, et tam dæmonum, quam animarum differri supplicium usque ad diem judicii ; quod de dæmonibus falsum, tradidi supra lib. II, cap. 15, ad ea, *quibus quia liberum arbitrium*, etc. De animabus etiam ei positioni Sancti Patres adversantur ; Chrysost. Homil. super illud Sapientiæ VI, *Justorum animæ*, et alibi ; S. August. lib. IX Confession., cap. 3, et in Meditation. cap. 24 ; de Spiritu et anima, cap. 58, et de Ecclesiastic. dogmat., cap. 79 ; Greg. lib. IV Moral., cap. 25 ; Hieronym. in Epitaph. Nepotian. et omnes theologi in IV, distin. 45 ; S. Thom. in 1-2,

Digitized by Google

quæst. art. 3; adversantur Decretales epist. Innoc. III in cap. Majores, de baptism. et in cap. Apostolicam, de Presbytero non baptizat. item Benedictus XI, in quadam Extravagante, quæ licet in Corpore juris non sit clausa, authentica tamen est, et infallibilis auctoritatis, quam integra fide refert Marsil. in IV Sentent. quæst. 13, art. 3, et Alfons. de Castr. adv. Hæres. in verbo *Beatitudo*. Quin etiam universalia concilia; Florentinum sub Eugenio IV his verbis: *Definimus illorum animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas*, etc. Item Concilium Trident. session. V, canon. 5. Adversantur denique, et Sacrarum oracula Scripturarum; ad Philippen. I: *Cupio dissolvi*, etc.; II ad Corinth. V: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra*, quem locum refert S. Thom. p. p. quæst. 64, artic. 4, ad 3, etc., et eod. cap.: *Audemus, et bonam voluntatem habemus*, etc. Luc. XXIII: *Hodie mecum eris in paradiso*. Ad testimonia Scripturæ, vel Patrum, quæ pugnare videantur, sicubi dicatur beatitudinem, vel pœnam ante diem judicii non dari, respondent theologi, id intelligendum esse de consummata illa beatitudine vel pœna, quæ post corporum resurrectionem habebitur; vel id dici, non quia ante diem universalis judicii per uniuscujusque speciale judicium non contingat bonis pariter ac malis par retributio meritorum: sed quia in die resurrectionis universalis præsente tota curia cœlestium, terrestrium et infernorum cujusque operibus publice recensitis ante Christi Domini tribunal, per publicam, et cunctis manifestam sententiam justis præmium, et reprobis supplicium decernetur, atque ita omnia retractabuntur, perinde ac si nihil ante illam diem actum fuisset. Ad extremum dicitur, eum errorem haud officere eruditioni et pietati illorum Patrum, cum Ecclesia illis temporibus nondum quicquam certi hac de re statuisset. Extravagans autem Benedicti Undecimi Joannem Pontificem vindicat a calumnia. Qui plura volet adversus hanc hæresim, quam olim quoque vulgavit Vigilantius hæreticus a S. Hieronym. profligatus, et nuper Lutherus atque Calvinus, videat S. Thom. in Opuscul. contra Græc. et Armen. cap. 9; Ocham part. II Dialog., tract. 1; Alphons. de Castr. adv. hæres. ubi supra; Cardinalem Bellarmin., tomo I, controv. 7 Controvers.

A

B

C

CAPUT XXIII.

Δύσπιστον γὰρ ἅπαν μερόπων, etc. In oraculis Sibyllinis hæc carmina multum variant.

CAPUT XXIV.

Mille annis inter homines versabitur, etc. Hæc est opinio Lactantii, post primam illam fidelium resurrectionem, Filium Dei mille annis regnaturum esse in terra cum justis, in ea bonorum omnium affluentia, quam vates aureo sæculo extitisse cecinerunt. Non absurde hic error ad Cerinthum primo refertur, ut tradit Euseb. VII Hist. Eccles. cap. 23 et lib. III, cap. 28. Quem secutus est Papias Hierapolitan. episc. ut scribit idem Euseb. eod. lib. III, cap. ultimo, Nicephor. cap. 20, Hieron. de Script. Eccles. in Papia. Papiam deinde propter Scriptoris antiquitatem, non propter dictorum rationem multi eccles. viri secuti sunt, ut tradit Eusebius d. cap. ultimo, Hieron. ubi supra, et in Proœm. lib. XVIII in Esai. Pro eodem errore pugnavit quoque Nepos quidam Ægyptius, quem refutavit Dionys. Alexand. in lib. de Repromission., ut refert Euseb. lib. VII Hist. cap. 22. At vero licet Hieronymus hujus sententiæ recensuerit Tertull. et Victorinum, hodie tamen nihil extat eorum, quod hoc dogma contineat: imo Victorin., super Apocalyp. illud tanquam Cerinthianam hæresim damnat, Tertullianus autem quamvis Regnum mille annorum fateatur, tamen delicias illas non carnales, sed spiritales fore docet ad fin. lib. III adv. Marcion., quam opinionem aliquo modo tolerabilem, et a se ipso quandoque receptam ait S. Augustinus lib. XX Civit., cap. 7. Horum itaque milliariorum, sive millenariorum, error profectus est non solum ex verbis cap. XX Apocalyps. perperam intellectis, ut diximus ad cap. XX hujus libri: sed etiam ex traditione antiqua Judæorum male interpretantium oracula prophetarum, ubi sæpe ac multa dicunt de regno Christi in Hierusalem, ut tradit Euseb. lib. VII Hist. cap. 22, et Hieron. in Papiæ. Jam vero quamvis idem Hieronym. super illud Hierem. 25: *Et conteres lagunculam*, etc., eam hæresim se non audere damnare dicat, quia eam multi ecc. viri et martyres eam habuerint, tamen eam audacter atque aperte damnat ad cap. LX Esai., et quicumque de Hæresibus scripserunt; nec immerito, non enim prior aliqua futura est resurrectio, deinde altera, sed una in die novissimo, quo de singulorum meritis judicium feretur, quorum alii quidem ibunt in vitam æternam, alii vero in ignem æternum, ut dicitur Matth. XXV, probatur et Joh. c. XIX, *Scio enim, quod redemptor meus vivit*, etc. I ad Thessalonic. IV, Paulus docet, quod cum Dominus ad judicandum venerit, qui tunc vivent, tollentur cum Sanctis obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erunt. Quin etiam eod. cap. XX Apocalyp. unde prædicti occasionem erroris nacti sunt, una omnium resurrectio, et unum judicium ponitur. *Et vidi*, inquit, *mortuos magnos, et pusillos*, etc. Ex quibus inane apparet commentum illud de tempore mille annorum post primam resurrectionem, quam altera deinde resurrectio sit secutura. Fridericus Stafilus in Epitome Lutheranæ theologiæ refert Anabaptistas, nostrorum temporum pestes, eumdem errorem de mille annis inter cæteras suas hæreses recepisse, contra quem Tritemius in lib. de Script. Ecclesiasticis testatur Gennadium scripsisse, et scripta edidisse: sed hodie non extant.

D

Κλῦτε δέ μου, μέροπες, etc. Non habetur hic versus in Codice Sibyllino.

Tum qui erunt in corporibus vivi, non morientur, etc. Tolluntur hæc et quæcumque sequuntur, sublato figmento illo de tempore mille annorum, in quo illa docet eventura.

Sub idem tempus etiam princeps dæmonum, etc. Ex XX Apocal. *Et apprehendit draconem serpentem antiquum*, etc.

Peractoque judicio, civitas sancta constituetur, etc. Apocalyp. XI: *Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Hierusalem*, etc. Hæc verba Millenarii interpretati sunt de urbe illa, in qua sanctos cum Christo mille annis regnaturos crediderunt: at ibi de cœlesti patria loquntur Apostolus, ubi beati post judicium Dei visione in æternum fruentur.

Et luna claritudinem solis accipiet, etc. Hæc quæ de claritate lunæ ac solis, et de Terræ fœcunditate mystice propheta Esaias vaticinatus est cap. XXX futuraque prædixit tempore primi adventus Salvatoris nostri, Firmianus falso putavit eventura tempore illo mille annorum, de quo diximus hoc eod. cap.

Cedet et ipse mari vector, etc. Illi versus omnibus habentur Ecloga quarta Virgilii: sed mire eorum ordinem perturbavit Lactantius, qui et scripsit, *tunc etiam molli flavescet*, etc., pro eo quod est apud Poetam, *Molli paulatim flavescet*, etc.

Secundum Cumææ Sibyllæ carmina. Ea non reperio; nam quæ profert Sixtus Senen. lib. II Biblioth. cap. ubi de Cumea, ex Stratonici Cumarum episcopi Collectaneis, eadem sunt, quæ statim postea refert Lactantius ex Erythræa, et reperiuntur inter oracula Sibyllin. ad fin. Sermonis tertii, quamvis non eodem, quo hic scribuntur, ordine.

Οἱ δὲ λύκοι, etc. In cod. Sibyllino, ἐν δὲ λύκοι, et

Digitized by Google

multum ibi variat lectio; rectior tamen, quam in Lactantio : conferat qui volet.

Εὐσεβίων δὲ μόνον, etc. Illi versus aliquantulum variant in Carmine Sibyllino; ibi enim :

Ἑβραίων δὲ χθὼν ἁγία ἔστιι...

CAPUT XXV.

Omnis tamen expectatio non amplius quam ducentorum videtur annorum, etc. Atquin a tempore, quo scribebat Lactant. ad hæc usque tempora non modo ducenti, sed mille et trecenti fluxerunt. Cum autem paulo post annum Domini trecentesimum scriberet hæc Lactantius, ut ostendi ad cap. 1 lib. I manifestum est, ipsum ab exordio mundi usque ad diem natalem Salvatoris computare annos quinque mille, et quingentos. Nam affirmat hic. et supra cap. 14, mundum duraturum annis sex millibus, a qua computatione non procul abest S. Augustinus aliquanto recentior Lactantio, qui et ipse scribit lib. xx Civit. cap. 7, quod sua ætate spatia posteriora illius sexti millesimi volvebantur. Sed Eusebius in Chronic. Natalem Domini collocat sub anno ab exordio mundi centesimo nonagesimo nono supra quinquies millesimum.

Et ῥύμη esse cœperit. Ῥύμη, *impetus*, vel *ruina*. Sic habet Plant. et Ald. edit.; at Florent. Juntar. *Et πύρα esse cœperit*, tanquam pyra prorsus, id est, strues lignorum sit evasura ignibus comburenda. Utraque lectio ex ipsismet Carminib. Sibyllinis teneri posse videtur; nam 3 et 8 Sermone dicitur, καὶ ῥώμη ῥύμη; et eodem 8 Serm. traditur, Romam ignibus absumendam.

CAPUT XXVI.

Sed idem, cum mille anni, etc. Desumpta ex xx Apocal.: *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas*, etc., quæ declarantur a S. August. xx Civit. cap. 7 et 11 in fin.

Tunc veniet novissima ira Dei, etc. Cujus iræ septem phialas angeli septem jussi sunt effundere super terram, Apocalyps. xvi. Vid. et Carmina Sibyllina Serm. 3.

Concutiet terram quam validissime, etc. Apocal. ibid.: *Et terræ motus factus est magnus*, etc.

Et a motu ejus scindentur montes Syriæ, etc. Apocalyp. ibid.: *Et civitates gentium ceciderunt*, etc.

Et statuet Deus solem triduo ne occidat. Hoc dictum testimonio Scripturæ firmatum non invenio.

Et inflammabit eum; et descendet æstus nimius, etc. Apocalyp.: *Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem*, etc.

Et grandines lapidum. Apocalyp.: *Et grando magna sicut talentum descendit*, etc.

Et replebuntur montes cadaveribus, et campi operientur ossibus. Videntur hæc desumpta tum ex cap. XLIX Ezechielis, ubi jubentur convocari omnes volucres, universæ aves, et cunctæ bestiæ agri ad vescendum, etc., tum etiam ex Apocalyp. XIX, ubi Joannes audivit angelum stantem in Sole, et vocantem voce magna cunctas aves ad comedendum cadavera interfectorum : ut ostenderent prophetæ multitudinem quamdam ingentem a Christo interficiendorum; solent enim hostium cadavera, cum plurima sunt, in escam avium inhumata relinqui.

Populus autem Dei tribus illis diebus, etc. Testimonium Scripturæ non habeo.

Renovabitur mundus a Deo, etc. Apocalyp. XXI : *Et vidi cœlum novum, et terram novam.*

In qua exterminabuntur impii, etc. Placet hæc lectio Florent. edition., nam cum supra cap. XX, dixerit, primam illam resurrectionem futuram esse fidelium, qui scilicet in Dei religione fuerint versati, hanc secundam fore dicit impiorum, *qui manufacta coluerunt*, etc. Ald. et Plantin. : *In qua excitabuntur injusti*, etc.

Sed et Dominus illorum cum ministris suis comprehendetur. Apocalyp. XX : *Et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis.* etc.

Ad pœnamque damnabitur. Sic S. Cyprian. in fin. de Idol. Vanit. *Jam venturus e cœlo ad pœnam diaboli.* Videlicet *ad pœnam detrusionis*, ut et textu liquet : sic etiam supra lib. III, cap. ultimo.

Quæ finxerint, credunt. Post hæc verba, in Aldina editione sequitur hæc oratio ad Constantinum imperatorem directa, quam, quia deest in utroque codice S. Salvat., in P. et 12 Vatic. et omnibus aliis mss. quos mihi videre contigit, item in edit. Florent., Plantin. et cæteris plerisque, huc seorsum a textu subjicio, videlicet : *Sed omnia jam, sanctissime imperator, figmenta sopita sunt, ex quo te Deus summus ad restituendum justitiæ domicilium, et ad tutelam generis humani excitavit. Quo gubernante Romanæ R. P. statum, jam cultores Dei pro sceleratis ac nefariis non habemur. Jam emergente atque illustrata veritate, non arguimur ut injusti, qui opera justitiæ facere conamur. Nemo jam nobis Dei nomen exprobrat. Nemo irreligiosus ulterius appellatur, qui soli omnium religiosi sumus; quoniam, contemptis imaginibus mortuorum, vivum colimus, et verum Deum. Te providentia summæ divinitatis ad fastigium principale provexit, qui posses vera pietate aliorum male consulta rescindere, peccata corrigere, saluti hominum paterna clementia providere, ipsos denique malos a R. P. summovere, quos summa pietate dejectos, in manus tuas idem Deus tradidit, ut esset omnibus clarum, quæ sit vera majestas. Illi enim, qui, ut impias religiones defenderent, cœlestis ac singularis Dei cultum tollere voluerunt, profligati jacent : tu autem, qui nomen ejus defendis, et diligis, virtute ac felicitate præpollens, immortalibus tuis gloriis beatissimus frueris. Illi pœnas sceleris sui et pendunt, et pependerunt : te dextera Dei potens ab omnibus periculis protegit; tibi quietum, tranquillumque moderamen cum summa omnium gratulatione largitur. Nec immerito rerum Dominus ac rector te potissimum delegit, per quem sanctam religionem suam instauraret, quoniam unus ex omnibus extitisti, qui præcipua virtutis et sanctitatis exempla præberes, quibus antiquorum principum gloriam, quos tamen inter bonos numerat, non modo æquares, sed etiam (quod est maximum) præterires. Illi quidem natura fortasse tantum similes justis fuerunt. Qui enim moderatorem universitatis Deum ignorat, similitudinem justitiæ assequi potest, ipsam vero non potest. Tu vero et morum ingenita sanctitate, et veritatis, et Dei agnitione in omni actu justitiæ opera consummas. Erat igitur congruens, informando generis humani statu te auctore ac ministro divinitas uteretur. Cui nos quotidianis precibus supplicamus, ut te in primis, quem rerum custodem voluit esse, custodiat : deinde inspiret tibi voluntatem, qua semper in amore divini nominis perseveres. Quod est omnibus salutare, et tibi ad felicitatem, et cæteris ad quietem.*

CAPUT XXVII.

Attendat lector in hoc capite præclarissimam Lactantii exhortationem ad vitam pure atque innocenter agendam.

Veridicis hominum purgavit, etc. Lucretius, *Veridicis igitur purgavit*, etc.

Et finem statuit cuppedinis, etc. Sic quidem habent editiones Ald. et Plantin. et libri ipsi Lucretiani; licet B. T. P. editio Florent. Juntar. et Veneta Tridini, *et finem statuit torpedinis*, etc.

Limite parvo. Secutus sum lectionem mss. Lactantii B. T. P. et quorumdam impressorum Lucretii, quæ lectio non displicet Lambino. Vulg., Lucr., habent, *tramite parvo*, quæ lectio non admodum Lambino placet : at mss. quos ille secutus est, *tramite prono*, hoc est facili, et proclivi. Veneta Tridin. et Florent. Juntar. hic, *limite prono*, al. *limite puro.*

Digitized by Google

ADMONITIO

O. F. FRITZSCHE (1)

IN DIVINARUM INSTITUTIONUM EPITOMEN.

« Institutionum divinarum Epitomen jam Hieronymus librum dicit acephalon. In edd. Ven. 1471,72, Rom. 74, et Rostoch. 76, omnino desideratur; reliquæ vero edd. sæc. XV, XVI et XVII, omissis prioribus capitibus LV, ultimam tantum ejus partem, modo in octavio, modo in duodecim capitula distinctam continent. Sed hæc ipsa libri particula in quatuor tantum legitur libris scriptis: in c. Bodlei., 1 Bon. et 2 Regg., quorum alter est Reg.-Put., isque in fine etiam mutilus. (*Explicit cap.* 66 *v.* PROMISSA VENIENTES.) Permirum libellus expertus est fatum. Nam quem crederes scriptorem inchoatum reliquisse, aut nescio quam temporis injuriam detruncasse, pœne integer (nonnulla enim interciderunt, v. c. 14 et 20) nobis servatus est in codice Taurinensi. Ex quo libro cum C. M. Pfaffius Epitomen primum eruisset, eamque illustratam edidisset Par. 1712, in-8°, ac deinde iterum separatim Davisius cum notis vulgasset Cantab. 1718, in-8°, ab editoribus Lactantii non tantum multo auctior, sed etiam emendatior exhiberi potuit. Illa enim posterior libri pars a prioribus editoribus exhibita fluxit e codice perquam mendoso, sed jam ope edd. Taur., Bon. et Reg.-Put. plerisque locis facile emendari potuit. Cæterum cod. ille Taur., qui, præter Epitomen, alios etiam libros continet, ut genealogiam biblicam, quam una cum specimine historiæ Manichæorum denuo descripsit, et ed. Ferd., Flor., Fleck., est membranaceus, litteris uncialibus nec ligatis. Verba nullo spatio sunt distincta. Scriptus est sæculo sexto, fortasse quinto, sed librarius sæpissime peccavit, et linguæ latinæ fere ignarus videtur fuisse. Epitome an non a Lactantio ipso esset profecta unus Walch. dubitavit: sed vir doctus hanc opinationem temere jecit. »

(1) In præfatione editionis Lipsianæ quam publici juris fecit vir doctus, hoc ipso anno 1844, II parte Lactantii operum.

LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII

EPITOME DIVINARUM INSTITUTIONUM,

AD PENTADIUM FRATREM.

PRÆFATIO.

Totius epitomes ac institutionum concilium et ratio.

Quanquam Divinarum Institutionum libri, quos jampridem ad illustrandam veritatem religionemque conscripsimus, ita legentium mentes instruant, ita informent, ut nec prolixitas pariat fastidium, nec oneret ubertas: tamen horum tibi Epitomen fieri, Pentadi frater, desideras; credo, ut ad te aliquid scribam, tuumque nomen in nostro qualicumque opere celebretur. Faciam quod postulas, etsi difficile videtur ea, quæ septem maximis voluminibus explicata sunt, in unum conferre. Fit enim totum et minus plenum, cum tanta rerum multitudo in

VARIORUM NOTÆ.

PRÆFATIO. Hæc vox non extat in ms. uti nec capitum divisio ac tituli, nec etiam summaria, quæ hic addere visum est, ut lumen aliquid accedat Lactantiano huic operi.

Illustrandam. In ms. *inlustrandam*, idque more veteri. Sic in antiquis *vir inluster*, pro *vir illuster*.

Religionemque. In ms. *religionemque*; quasi esse, abbreviatio.

Conscripsimus. Ms. habet *conscribsimus*.

Aliquid. Deest in editis; legitur tamen in ms. Taurin. Sic enim habet autographum, quod ad nos summa humanitate misit illustrissimus ac doctissimus Pfaffius.

Quæ. In ms. *que* more omnium fere manuscriptorum.

In unum. Adde *volumen*.

Digitized by Google

angustum coarctanda sit, et brevitate ipsa minus clarum, maxime cum et argumenta plurima et exempla, in quibus lumen est probationum, necesse sit prætiriri; quoniam tanta eorum copia est, ut vel sola librum conficere possint. Quibus sublatis, quid potest utile, quid apertum videri? Sed enitar, quantum res sinit, et diffusa substringere, et prolixa breviare; sic tamen, ut neque res ad copiam, neque claritas ad intelligentiam deesse videatur in hoc opere, quo in lucem veritas protrahenda est.

CAPUT PRIMUM.

(Div. Inst. lib. I, c. 3.)

De Divina Providentia.

Prima incidit quæstio, sitne aliqua providentia, quæ aut fecerit, aut regat mundum? Esse, nemini dubium est; siquidem omnium fere philosophorum, præter scholam Epicuri, una vox, una sententia est, nec fieri sine artifice Deo potuisse mundum, nec sine rectore constare. Itaque non solum a doctissimis viris, sed et omnium mortalium testimoniis ac sensibus coarguitur Epicurus. Quis enim de providentia dubitet, cum videat cœlos terramque sic disposita, sic temperata esse universa, ut non modo ad pulchritudinem ornatumque mirabilem, sed ad usum quoque hominum, cæterorumque viventium commoditatem aptissime convenirent? Non potest igitur, quod ratione constat, sine ratione cœpisse, quoniam certum est esse providentiam.

CAPUT II.

(Div. Inst. lib. I, c. 2.)

Quod Deus sit unus, nec possint esse plures.

Sequitur alia quæstio, utrumne Deus unus, an plures? quæ quidem multum habet ambiguitatis. Dissentiunt enim non modo singuli inter se, verum etiam populi atque gentes. Sed qui rationem sequetur, intelliget nec Dominum esse posse nisi unum, nec patrem nisi unum. Nam si Deus, qui omnia condidit, et idem Dominus, et idem pater est, unus sit necesse est, ut idem sit caput idemque fons rerum. Nec potest aliter rerum summa consistere, nisi ad unum cuncta referantur, nisi unus teneat gubernaculum, nisi unus frena moderetur, regatque universa membra, tamquam mens una. Si multi sint in examine apum reges, peribunt aut dissipabuntur, dum

Regibus incessit magno discordia motu;

si plures in armento duces, tamdiu prœliabuntur, donec unus obtineat: si multi in exercitu imperatores, nec pareri poterit a milite, cum diversa jubeantur, nec ab iis ipsis unitas obtineri, cum sibi quisque pro moribus consulat. Sic in hac mundi republica nisi unus fuisset moderator, qui et conditor, aut soluta fuisset omnis hæc moles, aut nec condi quidem omnino potuisset.

Præterea in multis non posset esse totum, cum singuli sua officia, suas obtineant potestates. Nullus igitur eorum poterit omnipotens nuncupari, quod est verum cognomentum Dei: quoniam id solum poterit, quod in ipso est; quod autem in aliis, nec audebit attingere. Non Vulcanus sibi aquam vindicabit, aut Neptunus ignem; non Ceres artium peritiam, nec Minerva frugum; non arma Mercurius, nec Mars lyram; non Jupiter medicinam, nec Asclepius fulmen; facilius illud ab alio jactum suscipiet, quam ipse torquebit. Si ergo singuli non possunt omnia, minus habent virium, minus potestatis: is autem

VARIORUM NOTÆ.

In angustum coarctanda. Ms. habet *coartandą*: forte hæc ultima vox ab *artus* derivaretur, ut alt Doctiss. Pfaffius. Aiunt voces *in angustum* deesse in ms., attamen ea lego in viri clariss. Pfaffii autographo. — *In angustum coarctanda.* Seneca de Vita Beata, c. 4: *Exercitus modo latius panditur, modo in angustum coarctatur.* Lib. VII Quæst. Nat., cap. 27, extr.: *Non in angustum conjecta et arctata.* Lact. lib. VII, cap. 16: *Dies in angustum coarctabitur.* Si fides anonymo Clerici, p. 342, verba *in angustum* non habet ms. Taur.: unde cancellis inclusi, et aliis typis exprimenda curavi, alias non indigna Lactantio.

Bunem.

Brevitate. Ms. habet *brebitate*, facili permutatione *v* in *b*. Sic infra *breviare*, ubi ms. habet *brebiare*. Sic et sub. fin. cap. 5.

Prætiriri. In ms. *preteriri.* Hoc vulgatum est in mss. ubi *e* pro *æ*.

Quid potest utile, quid apertum. Habet Bun: — « *Quid poterit.. quid apertum.* Sic in ms. Vid. Clericus, p. 342, 343. Loco vacuo Pfaffius posuit *utile*, ac *poterit* in *potest* mutavit. Sed majus est vacuum illud spatium, quam ut illud implendo sufficiat verbum *utile*. Hæc Heumannus, cui verba, *quibus sublatis videri*, glossema videntur. Forte *quid poterit perspicuum, quid apertum utile*, legendum. »

Esse. Subaudi *providentiam.*

Ut. Non extat in ms.

Quoniam. Hoc verbum minus apte hic dicitur; legendumque potius esset, *itaque certum est esse providentiam.* Quia ex mundi creatione et Constanti regimine probatur non credentibus esse providentiam; non autem Epicureo dici potest: Providentia est, hinc fit ut omnia summa sapientia regantur. Prius ipsi probandum est esse providentiam; quod fit optime ex universi dispositione et temperatione. — *Quoniam certum est esse providentiam.* Ab his verbis incipio secundum caput. Post plures annos adeptus Davisii editionem, video idem ipsi placuisse. Unde haud necesse est cum Heumanno legere, *quare jam certe est.* Bun.

Ambiguitatis. In ms. *ambiguitas.*

Intelliget. In ms. *intelleget.*

Rerum summa. Buneman. habet tantum *summa* sine voce *rerum*, et notam sequentem exhibet. — Pfaffius ediderat, *rerum summa.* Abest a ms. *rerum*, teste anonym. Clerici, pag. 346, nec habent ipsæ Institiones. Lib. I, 3: *non poterit summa constare;* ubi plura dedi. Conf. de Ira, c. 11.

Regibus. Ex Virg. l. IV Georg., vs. 68.

Obtineat. In *optineat;* sic infra ms. *optineri* et *optineant.*

Moribus. Davisius legit *viribus.*

Republica. In ms. *re p.*

Omnis. Dicitur abesse a ms.

Nec condi quidem. Mallem *ne condi quidem;* ex sequenti voce repetitum. Emendavimus sæpe illud *nec* in aliis Lact. locis, c. 9, lib. II, c. 5. Conspirat Davisius.

Illud. In ms. *illut.*

Digitized by Google

Deus putandus est, qui potest totum, non qui de toto minimum.

CAPUT III.

(Div. Inst. lib. I, c. 3 et 5.)

De Deo uno testimonia poetarum.

Unus igitur Deus est, perfectus, æternus, incorruptibilis, impassibilis, nulli rei potestative subjectus, ipse omnia possidens, omnia regens, quem nec æstimare sensu valeat humana mens, nec eloqui lingua mortalis. Sublimior enim ac major est, quam ut possit aut cogitatione hominis, aut sermone comprehendi; denique, ut taceam de prophetis unius Dei prædicatoribus, poetæ quoque, et philosophi, et vates testimonium singulari Deo perhibent. Orpheus principalem Deum dicit, qui cœlum solemque cum cæteris astris, qui terram, qui maria condiderit. Item noster Maro summum Deum modo spiritum, modo mentem nuncupat, eamque velut membris infusam totius mundi corpus agitare; item Deum per profunda cœli, per tractus maris terrarumque discurrere, atque ab eo universas animantes trahere vitam. Ne Ovidius quidem ignoravit a Deo instructum esse mundum, quem interdum opificem rerum, interdum mundi fabricatorem vocat.

CAPUT IV.

(Div. Inst. lib. I, c. 5.)

Quod Deus sit unus testimonia philosophorum.

Sed veniamus ad philosophos, quorum certior habetur auctoritas, quam poetarum. Plato monarchiam asserit, unum Deum dicens, a quo sit mundus instructus et mirabili ratione perfectus. Aristoteles, auditor ejus, unam esse mentem, quæ mundo præsideat, confitetur. Antisthenes unum esse dicit naturalem Deum, totius summæ gubernatorem. Longum est recensere, quæ de summo Deo, vel Thales, vel Pythagoras et Anaximenes antea, vel postmodum Stoici, Cleantes, et Chrysippus et Zenon, vel nostrorum Seneca stoicos secutus, et ipse Tullius prædicaverint, cum hi omnes, et quid sit Deus, definire tentaverint, et ab eo solo regi mundum affirmaverint, nec ulli subjectum esse naturæ, cum ab ipso sit omnis natura generata.

Hermes, qui ob virtutem multarumque artium scientiam Trismegistus meruit nominari, qui et doctrinæ vetustate philosophos antecessit, quique apud Ægyptios ut Deus colitur, majestatem Dei singularis infinitis asserens laudibus, Dominum et Patrem nuncupat; eumque esse sine nomine, quod proprio vocabulo non indigeat, quia solus sit; nec habere ullos parentes, quia ex se et per se ipse sit. Hujus ad filium scribentis exordium tale est: Deum quidem intelligere difficile est, eloqui vero impossibile, etiam cui intelligere possibile est; perfectum enim ab imperfecto, invisibile a visibili non potest comprehendi.

CAPUT V.

(Div. Inst. lib. I, c. 6.)

Quod unum Deum vates, id est Sibyllæ prædicant.

Superest de vatibus dicere. Varro decem Sibyllas fuisse tradit; primam de Persis, secundam Libyssam, tertiam Delphida, quartam Cimmeriam, quintam Erythræam, sextam Samiam, septimam Cumanam, octavam Hellespontiam, nonam Phrygiam, decimam Tiburtem, cui sit nomen Albunea. Ex his omnibus Cumææ solius tres esse libros, qui Romanorum fata contineant, et habeantur arcani, cæterarum autem fere omnium singulos extare haberique vulgo, sed eos Sibyllinos velut uno nomine inscribi; nisi quod Erythræa, quæ Troici belli temporibus fuisse perhibetur, nomen suum verum posuit in libro, aliarum confusi sunt.

Hæ omnes, de quibus dixi, Sibyllæ præter Cumæam, quam legi nisi a Quindecimviris non licet, unum Deum esse testantur, principem, conditorem, parentem, non ab ullo generatum, sed a seipso satum, qui et fuerit a sæculis, et sit futurus in sæcula, et idcirco solus coli debeat, solus timeri, solus a cunctis viventibus honorari. Quarum testimonia, quia breviare non poteram, prætermisi, quæ si desideras, ad ipsos tibi libros revertendum est. Nunc reliqua persequamur.

VARIORUM NOTÆ.

Non. Pro *non.*, in ms. *quam* rectissime. Subaudi- D tur *potius*.

Impassibilis. In ms. *inpassibilis.*

Prophetis. De his agit cap. 2, lib. I.

Et vates. Dicitur abesse a mss.

Singulari. Sic legitur passim *singularis Deus* apud Lactantium. Vide not. ad caput 5 libri de Mortibus Persecutorum. Sic libro II, cap. 17, circa finem, *veri Dei ac singularis*, et infra sub finem cap. 4.

Summum Deum. Centies apud Lactantium has voces reperies.

Plato. Vox *Plato* non extat in ms. sed ea legitur in capite 5 libri primi circa finem.

Et. Deest apud Pfaffium, sed restituit anonymus ex ipso ms.

Antisthenes. Hos eosdem philosophos appellat eodem capite 5. Lactantius ut isto capite, nulla habita temporum ratione, sed prout ejus memoriæ occurrebant.

Totius. Ms. *utius* habet: recte legit *totius* doctus hujus libri editor primarius; posset tamen legi *hujus*, quod æque optimum efficeret sensum.

Et ab eo solo regi mundum affirmaverint. Septem hæc verba, quæ absunt a Pfaffio, dicuntur inesse in ms.

Apud. In ms. *aput.*

Intelligere. In ms. *intellegere.*

Sibyllas. De Sibyllis vide notam nostram, cap. 6, lib. I.

Cimmeriam. In ms. *Cimmeam*, quod doctiss. Pfaffius interpretatur *Cumæam*: at J. B. le Brun putat esse *Cimmeriam*.

Samiam. In ms. *Sammaiam.*

Albunea. Habet Bunem.: — « *Albuneæ*. Sic in ms., teste Anonymo Cler., pag. 350. Pfaffius *Albunea* edidit. Heum. Est dandi casus *Albuneæ* elegantior. Sic solet; ut lib. I, cap. 11. *Agesilao*, *Urano*, in notis. »

Cumææ. In ms. *Cumanæ.*

Cumæam. In ms. *Cymæam.*

Revertendum. In ms. dicit anonymus legi *recurrendum est.*

Digitized by Google

CAPUT VI.

(Div. Inst. lib. I, c. 8.)

Deus, cum sit æternus et immortalis, sexu et successione non eget.

Hæc igitur tot ac tanta testimonia liquido perdocent, unum esse regimen in mundo, unam potestatem, cujus nec origo excogitari, nec vis enarrari potest. Stulti ergo, qui de concubitu natos putant deos esse, cum ipse sexus et corporum copulatio idcirco mortalibus a Deo data sint, ut per sobolis successionem genus omne servetur. Immortalibus vero quid opus est aut sexu aut successione, quos nec voluptas nec interitus attingit? Illi ergo, qui dii putantur, quoniam et genitos esse tanquam homines, et procreasse constat, mortales utique fuerunt.: sed dii crediti sunt, quod, cum essent reges magni ac potentes, ob ea beneficia, quæ in homines contulerant, divinos post obitum honores consequi meruerunt, positisque templis atque simulacris, memoria eorum tanquam immortalium retenta est atque celebrata.

CAPUT VII.

(Div. Inst. lib. I, c 9.)

De Herculis vita facinorosa et morte.

Sed cum sit omnibus fere gentibus persuasum deos esse, res tamen eorum gestæ, quas tam poetæ quam historici tradiderunt, homines fuisse declarant. Hercules, per quæ tempora fuerit, quis ignorat, cum idem et inter Argonautas navigaverit, et, expugnata Troja, Laomedontem, Priami patrem, ob perjurium interfecerit? Ab eo tempore paulo amplius quam mille et quingenti computantur anni. Hic ne natus quidem honeste traditur, sed Alcmenæ adulterio genitus, et ipse vitiis genitoris addictus. Nec fœminis unquam, nec maribus abstinuit, orbemque totum non tam gloriæ, quam libidinis causa, nec tantum ad necandas belluas, quantum ad serendos liberos peragravit. Cumque esset invictus, ab una tamen Omphale triumphatus est, cui clava et spolio leonis tradito, indutus ipse fœminea veste, atque ad pedes mulieris abjectus, pensa, quæ faceret, accepit. Idem postea instinctu furoris elatus, parvos liberos et uxorem Megaram trucidavit. Postremo sumpta Dejanyræ conjugis veste, cum diffluerent ulceribus, doloris impatiens, rogum sibi in Œtæo monte construxit, eoque se vivum cremavit. Sic efficitur, ut etiamsi ob virtutem deus credi potuisset, ob hæc tamen homo fuisse credatur.

CAPUT VIII.

(Div. Inst. lib. I, c. 10.)

De Æsculapio, Apolline, Marte, Castore et Polluce, atque de Mercurio et Baccho.

Æsculapium Tarquitius tradit ex incertis parentibus natum, et ob id expositum, atque a venatoribus collectum, caninis uberibus educatum, Chironi in disciplinam datum. Hic Epidauri moratus est, Cynosuris, ut Cicero ait, sepultus, cum esset ictu fulminis interemptus. Apollo autem pater ejus non dedignatus est alienum gregem pascere, ut acciperet uxorem; et dilectum puerum cum peremisset imprudens, gemitus suos inscripsit in flore. Marti, viro fortissimo, adulterii crimen non defuit; siquidem catenis cum adultera vinctus spectaculo fuit.

Castor et Pollux alienas sponsas non impune rapuerunt, quos Homerus non poetica, sed simplici fide mortuos sepultosque testatur. Mercurius, qui de stupro Veneris genuit Androgynum, deus esse meruit, quia lyram reperit et palæstram. Liber Pater, debellata India victor, cum Cretam forte venisset, Ariadnem conspexit in littore, quam Theseus et violaverat, et reliquerat. Tum amore inflammatus, eam sibi in conjugium sociavit, et coronam ejus, ut poetæ ferunt, inter astra signavit. Mater ipsa post fugam et obitum viri cum in Phrygia moraretur, vidua et anus formosum adolescentem in deliciis habuit; et quia fidem non præstiterat, ademptis genitalibus, effœminavit Ideo etiam nunc Gallis sacerdotibus gaudet.

CAPUT IX.

(Div. Inst. lib. I, c. 19 et 21.)

De deorum turpitudinibus.

Ceres unde Proserpinam, nisi de stupro genuit? unde Latona geminos, nisi ex crimine? Venus deo-

VARIORUM NOTÆ.

Cum. In ms. *secum* : sed mendum est.

Ipse. In ms. *ipsi* : at rursus mendum.—*Ipsi sexus*, num. plur. qui non debebat mutari. Lact. lib. I, c. 8 : *Apparet, Herculem Jovemque... homines fuisse, quoniam sunt ex* duobus *sexibus nati;* sæpius in plurali, lib. I, cap. 6 : *Duo sexus generandi causa instituti*, recepta sexuum diversitate; et postea, *duos esse sexus deorum.* Adde lib. VI, cap. 23. BUN.

Voluptas. In ms. *volun'as.*

Positisque. In ms. *positique.*

Computantur anni. Numerum annorum non apposuit Lactant. cap. 9, lib. I, verum non longe a scopo hic aberrat. Argonautarum enim expeditio suscepta est annis octoginta tribus ante eversam Trojam : a Troja capta ad primam Olympiadem intercedunt anni quadringenti triginta tres, a prima vero Olympiade ad tempus quo scripsit Lactantius, computantur mille ac sedecim anni; quæ omnia conficiunt annos 1532.

Alcmenæ. In ms. *Alcimenæ.*

Genitus. Hic et in aliis Lactantii libris agitur de Hercule Græcorum, de quo vide annotationem nostram ad caput 9 libri primi.

Megaram. Eam non nominaverat Lactantius cap. 9 lib. I.

Veste, etc. Hæc non expresserat, Lactantius lib. I, cap. 9.

Eoque. Legendum, *in eoque.*

Cicero. Cic. de Natura deorum lib. III, cap. 22.

Gemitus suos inscripsit in flore. Imitatur Ovidium Metam., X, 215 :

> Ipse suos gemitus foliis inscribit, et Ai Ai
> Flos habet inscriptum.

Ariadnem. In ms. *Arianam.*

Mater ipsa, etc. Id est mater deorum, quæ est Rhea, vel alio nomine Cybele. Hæc usque ad finem capitis referuntur ad caput 21 libri primi.

Adolescentem. In ms. *adulescentem*, more usitato in antiquis mss. Hic fuit Attis de quo vide not. ad pag. 95, tom. I.

Digitized by Google

rum et hominum libidinibus exposita, cum regnaret in Cypro, artem meretriciam reperit, ac mulieribus imperavit, ut quæstum facerent, ne sola esset infamis. Ipsæ illæ virgines Minerva et Diana, num castæ? Unde igitur prosilivit Erichthonius? Num in terram Vulcanus semen effudit, et inde homo tanquam fungus enatus est? Aut illa cur Hippolytum, vel ad secretas sedes, vel ad mulierem relegavit, ubi solus inter ignota nemora ætatem ageret, et jam mutato nomine, Virbius vocaretur? Quid hæc significant, nisi incestum, quod poetæ non audent confiteri?

CAPUT X.

(Div. Inst. lib. I, c. 11.)

De Jove, ac ejus vita libidinosa.

Horum autem omnium rex et pater Jupiter, quem tenere in cœlo summam credunt potestatem, quid habuit potestatis, qui Saturnum patrem regno expulit, et armis fugientem persecutus est? quid continentiæ, qui omnia libidinum genera exercuit? Nam idem Alcmenam Lædamque summis viris nuptas adulterio fecit infames; idem pulchritudine pueri captus, venantem ac virilia meditantem ad fœmineos usus violenter abripuit. Quid virginum stupra commemorem, quarum multitudo quanta fuerit, filiorum numerus ostendit? In una tamen Thetide abstinentior fuit. Erat enim prædictum, quod is, quem pariturа esset, major patre suo futurus esset. Pugnavit ergo cum amore, ne quis se major nasceretur. Sciebat ergo, se non esse perfectæ virtutis, magnitudinis, potestatis, qui, quod ipse Patri fecerat, timuit. Cur igitur maximus, optimus nominatur, cum se et peccatis contaminaverit, quod est injusti ac mali, et majorem timuerit, quod est imbecillis ac minoris.

CAPUT XI.

(Div. Inst. lib. I, c. 11.)

Varia emblemata, quibus Jovis turpitudines velarunt poetæ.

Sed dicet aliquis, ficta hæc esse a poetis. Non est hoc poeticum, sic fingere, ut totum mentiare, sed ea, quæ gesta sunt, figura, et quasi velamine aliquo versicolore prætexas. Hunc habet poetica licentia modum, non ut totum fingat, quod est mendacis et inepti, sed ut aliquid cum ratione commutet. In imbrem se aureum vertisse dixerunt Jovem, ut Danaen falleret. Quis est imber aureus? Utique aurei nummi, quorum magnam copiam offerens, et in sinum infundens, fragilitatem virginalis animi hac mercede corrupit. Sic et imbrem ferreum dicunt, cum volunt multitudinem significare telorum. Catamitum in aquila rapuit. Quæ est aquila? Legio scilicet, quoniam figura hujus animalis insigne legionis est. Europam transvexit in tauro. Quis est taurus? Utique navis, quæ tutelam habuit tauri specie figuratam. Sic Inachi filia, non utique bos facta transnavit: sed ejusmodi navigio iram Junonis effugit, quod habebat bovis formam. Denique cum in Ægyptum delata esset, Isis est facta, cujus navigium certo quodam die in memoriam fugæ celebratur.

CAPUT XII.

Poetæ ea, quæ ad deos spectant, non omnia fingunt.

Vides ergo, non omnia poetas confinxisse, et quædam præfigurasse, ut cum vera dicerent, aliquid tale numinis adderent iis quos deos esse dicebant; sicut etiam de regnis. Cum enim dicunt Jovem Cœli regnum sorte tenuisse, aut Olympum montem significant, in quo Saturnum, et Jovem postmodum habitasse veteres historiæ produnt, aut partem Orientis, quæ sit quasi superior, quod inde lux nascitur; Occidentis autem velut inferior, et ideo Plutonem inferos esse sortitum; mare vero cessisse Neptuno, quod oram maritimam cum omnibus insulis obtinuerit. Multa sic poetæ colorant; quod qui nesciunt, tanquam mendaces eos arguunt, verbo duntaxat. Nam re quidem credunt; quoniam deorum simulacra

VARIORUM NOTÆ.

Regnaret. In ms. *regnat.* Sed legendum *regnaret*, ut conjicere licet ex capite 17 libri 1.

Semen. Non extat in ms., sed legitur in capite 17 libri 1.

Relegavit. Ita legendum profecto, non quidem ex mss. ubi est *religavit*, verum ex fine cap. 17 lib. 1 Div. Institut., ubi legitur: *Quid secretæ sedes? quid relegatio vel tam longe, vel ad mulierem, vel in solitudinem?* Sic et Virgilius Æneid. VII, vers. 775, de eodem Hippolyto dicit:

Et nymphæ Egeriæ nemorique relegat,
Solus ubi in sylvis Italis ignobilis ævum
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.

Ætatem ageret. Habet Bunem.: — « *Exigeret ætatem.* Paris. et Walch. editiones, *ageret:* sed ex manuscripto damus, auctore Pfaffio, *exigeret*, ut dixit ex Virgilio de eodem Hippolyto Lact. lib. 1, cap. 17:

Solus ubi ignobilis ævum
Exigeret;

atque nemo nescit Terentii et Ciceronis phrasim, *exigere ætatem.* Eadem usus Plinius lib. VII Hist. Nat., cap. 43: *In quibus quærendis sapientes ætatem exigerent.* »

Potestatis. Apud Buneman. vero legitur, *pietatis*, et in hanc vocem notam sequentem exhibet. — *Pietatis.* Ita certus correxi, ubi in Pfaffii et Walch. editionibus *potestatis* erat. Nam libri. 1 cap. 1: *Nonne* (Jupiter) *a prima sua pueritia impius, cum patrem regno expulit, et fugavit?* Docui et alibi has voces in Lactantio confundi. Mecum faciunt Davisius et Heumannus. Conf. ad Epit. c. 69. Bun.

Almenam. Ita etiam est in ms. Sed legendum *Alcmenam*, Amphitryonis uxorem. *Leda* vero fuit Tyndari Laconiæ regis uxor.

Thetide. In ms. *Theude*: sed erratum est amanuensis.

Imbecillis ac minoris. In ms. *imbecillis a minoris*: sed nævum est.

Jovem. Non extat in ms.

Quis est taurus. Hæc explicatiora sunt in Epitome, quam in ipso lib. 1, c. 11.

Confinxisse. In ms. *confixisse.*

Et quædam. Lege *sed quædam.*

Præfigurasse. In ms. *præfugurasse:* sed mendum est.

Tale. Heumannus putat legendum esse *tamen.*

Obtinuerit. In ms. *optinuerit.*

Poetæ. In ms. *Potae*, scriptio mendosa.

Digitized by Google

sic finguht, ut cum mares ac fœminas faciant, et alios conjuges, alios parentes, alios liberos fateantur, poetis utique assentiunt : hæc enim sine coitu et generatione esse non possunt.

CAPUT XIII.

(Lib. I Div. Instit. cap. 11.)

Narrantur facta Jovis ex Euhemero historico.

Sed omittamus sane poetas. Ad historiam veniamus, quæ simul et rerum fide, et temporum nititur vetustate. Euhemerus fuit Messenius, antiquissimus scriptor, qui de sacris inscriptionibus veterum templorum et originem Jovis, et res gestas omnemque progeniem collegit; item cæterorum deorum parentes, patrias, actus, imperia, obitus, sepulcra etiam persecutus est. Quam historiam vertit Ennius in latinam, cujus hæc verba sunt : « Hæc ut scripta sunt, Jovis fratrumque ejus stirps atque, cognatio, in hunc modum nobis e sacra scriptione traditum est. » Idem igitur Euhemerus Jovem tradit, cum quinquies orbem circumivisset, et amicis suis atque cognatis distribuisset imperia, legesque hominibus, multaque alia bona fecisset, immortali gloria memoriaque affectum sempiterna in Creta vitam commutasse, atque ad deos abiisse, et sepulcrum ejus esse in Creta, in oppido Gnosso, et in eo scriptum antiquis litteris Græcis ΖΑΝ ΚΡΟΝΟΥ; quod est Jupiter Saturni. Constat ergo ex iis, quæ retuli, hominem fuisse, in terramque regnasse.

CAPUT XIV.

Saturni et Urani gesta ex historicis desumpta.

Transeamus ad superiora, ut originem totius erroris deprehendamus. Saturnus Cœlo et Terra traditur natus. Hoc utique incredibile est. Sed cur ita traditur, ratio certa est, quam qui ignorat, tanquam fabulam respuit. Saturni Patrem Uranum fuisse vocitatum, et Hermes auctor est, et sacra historia docet. Trismegistus paucos admodum fuisse cum diceret perfectæ doctrinæ viros, in iis cognatos suos enumeravit, Uranum, Saturnum, Mercurium. Euhemerus eumdem Uranum primum in terram regnasse commemorat his verbis : « Initio primus in terris imperium summum Cœlus habuit : is id regnum una cum fratribus suis sibi instituit atque paravit. »

Hic in Cod. ms. plura deficiunt, duo certe, ut arbitror, folia. Nec vox *paravit* tota extat, sed solum *para* sub finem paginæ. Sequitur :

Hominum stultam benevolentiam et errorem divinitas attributa sit.

CAPUT XX.

(Lib. I Div. Instit. cap. 11.)

De Diis Romanorum propriis.

Dixi de religionibus, quæ sunt communes omnium gentium. Dicam nunc de diis quos Romani proprios habent. Faustuli conjugem Romuli Remique nutricem, cujus honori Larentinalia sunt dicata, vulgati fuisse corporis quis ignorat? Et idcirco Lupa nuncupata est, et in feræ speciem figurata. Faula quoque et Flora meretrices erant, quarum altera Herculis fuit scortum, sicut Verrius tradit; altera cum magnas opes corpore quæsivisset, populum scripsit hæredem, et ideo in honorem ejus ludi Floralia celebrantur.

Tatius mulichre simulacrum in cloaca maxima repertum consecravit, et deam Cloacinam nuncupavit. Obsessi a Gallis Romani ex mulierum capillis tormenta fecerunt, et ob id Veneri Calvæ aram templumque posuerunt; item Pistori Jovi, quod eos monuerat in quiete, ut ex omni fruge panem facerent, et supra hostes jacerent, quo facto, desperantes Galli posse inopia Romanos subigi, ab obsidione discesserant. Pavorem ac Pallorem Tullus Hostilius deos fecit. Colitur et Mens, quam, credo, si habuissent, nunquam colendam putassent. Honorem atque Virtutem Marcellus invenit.

CAPUT XXI.

(Div. Instit. lib. I, c. 20.)

De sacris deorum Romanorum.

Sed et alios ejusmodi commentitios deos senatus instituit, Spem, Fidem, Concordiam, Pacem, Pudicitiam, Pietatem, quæ omnia, cum in animis hominum esse vera deberent, intra parietes falsa posuerunt. Hos tamen quamvis extra hominem in nulla sint omnino substantia, maliem potius coli, quam Rubiginem, quam Febrem, quæ non sacranda sunt, sed execranda; quam Fornacem, cum suis Fornacalibus

VARIORUM NOTÆ.

Ac. Heumannus legit *tum*.

Utique. Heumannus legit *itaque*. Hæc omnia ex conjectura.

Scriptor. In ms. *Scribtor*.

Inscriptionibus. In ms. *Inscribtionibus;* in utroque verbo *p* in *b* mutato.

Latinam. Lege *Latinum*, vel supple *linguam*.

Scripta. In ms. *Scribta;* sicut et infra *scriptione*, in ms. *scribtione*. Ita semper legitur in ms. Taurin.

Circumivisset. In ms *circumisset*.

Hominibus. Adde *dedisset*.

In terramque. Heumannus legit *in terraque*, ut habetur Instit. lib. I, c. 13 et 14.

Sequitur. Deest itaque Epitome libri primi cap. 12, et cæterorum usque ad 20.

Remique. In ms. *Rem. que*.

Larentinalia. In ms. *Larentali*. — Ms. non *Laurentinali*, sed *Larentali*, ex secundis Pfaffii curis; ex quo propius fingas *Larentalia*. Sic alii, et Ovidius III Fast., v. 55 :

Non ego te, tantæ nutrix Larentia gentis,
Nec taceam vestras, Faustule pauper, opes.
Vester honos veniet, cum Larentalia dicam.
Acceptus geniis illa December habet. BUN.

Vulgati corporis. Id est, prostituti. Vide not. ad cap. 17 et 20 libri I.

Speciem. In ms. *specie*.

Ludi Floralia. Supple *dicti* vel quos appellant floralia, ut lib. I Div. Instit.

Panem. In ms. *pacem*.

Alios deos. Sequuntur sola fœminina; et tamen hic et paulo post deos in mascul. vocat. Nimirum Latini, maxime poetæ, deas sæpe vocant deos. BUN.

Rubiginem. In ms. *robiginem*.

Digitized by Google

sacris; quam Sterculum, qui fumo pingue facere terram primus ostendit: quam deam Mutam, quæ Lares genuit; quam Cuninam, quæ cunis infantium præest; quam Cacam, quæ ad Herculem de furto boum detulit, ut occideret fratrem. Quam multa sunt alia portenta atque ludibria, de quibus piget dicere? Terminum tamen non libet præterire, quia ne Jovi quidem Capitolino cessisse traditur, cum lapis esset informis. Hunc finium putant habere custodiam, eique publice supplicatur, ut Capitolii immobile saxum romani imperii fines et conservet et proroget.

CAPUT XXII.

(Div. Instit. lib. I, c. 22.)

De sacris introductis a Fauno et Numa.

Has omnes ineptias primus in Latio Faunus induxit, qui et Saturno avo cruenta sacra constituit, et Picum patrem tanquam deum coli voluit, et fatuam Faunam conjugem sororemque inter deos collocavit, ac Bonam deam nominavit. Deinde Romæ Numa, qui agrestes illos ac rudes viros superstitionibus novis oneravit, sacerdotia instituit, et deos familiis gentibusque distribuit, ut animos ferocis populi ab armorum studiis avocaret. Ideo Lucilius deridens ineptias istorum qui vanis superstitionibus serviunt, hos versus posuit:

> Terriculas lamias Fauni, quas Pompiliique
> Instituere Numæ: tremit has; hic omnia ponit.
> Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
> Vivere, et esse homines, sic isti omnia ficta
> Vera putant, credunt signis cor inesse in ahenis;
> Pergula pictorum, veri nihil, omnia picta.

Tullius quoque de Natura deorum commentitios ac fictos deos queritur inductos, et hinc extitisse falsas opiniones, erroresque turbulentos, et superstitiones pene aniles. Quæ sententia eo debet gravior compari, quod hæc disseruit et philosophus et sacerdos.

CAPUT XXIII.

(Div. Inst. lib. I, c. 21.)

De diis et sacris barbarorum.

Diximus de diis; nunc de ritibus sacrorum culturisque dicemus. Jovi Cyprio, sicut Teucrus instituerat, humana hostia mactari solebat. Sic et Tauri Dianæ hospites immolabant; Latiaris quoque Jupiter humano sanguine propitiatus est. Etiam ante Saturnum sexagenarii homines ex persona Apollinis de ponte in Tiberim dejiciebantur, et eidem Saturno Carthaginienses non modo infantes prosecrabant, sed et victi a Siculis, ut piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolaverunt. Nec illa his humaniora sunt, quæ fiunt etiam nunc Matri magnæ, atque Bellonæ, in quibus antistites non alieno sanguine, sed suo litant, cum amputatis genitalibus a viris migrant, nec ad fœminas transeunt, aut sectis humeris detestabiles aras proprio cruore respergunt. Sed hæc crudelia.

Veniamus ad mitia. Isidis sacra nihil aliud ostendunt, nisi quemadmodum filium parvum, qui dicitur Osiris, perdiderit et invenerit. Nam primo sacerdotes ac ministri, derasis omnibus membris, tunsisque pectoribus, plangunt, dolent, quærunt, affectum matris imitantes; postmodum puer per Cynocephalum invenitur. Sic luctuosa sacra lætitia terminantur. His etiam Cereris simile mysterium est, in quo, facibus accensis, per noctem Proserpina inquiritur, et ea inventa, ritus omnis gratulatione ac tædarum jactatione finitur. Lampsaceni asellum Priapo mactant. Ea enim visa est aptior victima, quæ ipsi, cui mactatur, magnitudine virilis obscœni posset æquari.

Lindos est oppidum Rhodi, ubi Herculis sacra maledictis celebrantur. Hercules enim cum boves

VARIORUM NOTÆ.

Sterculum, vel *Sterculium*, ut in l. x, c. 20, legitur.

Qui fimo pingue facere. Ita apparet legendum esse, etsi scripserit librarius *fumo*. Pfaffius, Paris. et Walch. editiones *fumo* male retinuere. Bun.

Quam. In ms. *Quæ*.

Et. Deest in ms.

Et Picum..... valuit. Hæc verba in Paris., Walch., Davis., Heuman. editionibus non comparent: dedimus ope Pfaffii ex manuscripto. Bun. —Has voces addimus in nostra editione ex O. Fr. Fritzsche, qui nobis assentit.

Fatuam. In ms. *Fentan*. Vide Div. Instit., lib. I, cap. 22, et not. ibidem.

Novis. In ms. *nobis*, modo scribendi usitato in hoc ms.

Et. Deest in ms.

Ahena. In ms. *aena*.

Sic isti. Ita etiam legitur lib. I Div. Institut., cap. 22. Vide ibi not.

In ahenis. In ms. *in hænis*.

Picta. Lege *ficta*, ut c. 22 libri I.

Comparari. Davisius putat legendum *computari*, nec inepte.

Latiaris. Ita in ms. in editis erat *Latialis*. Utraque lectio recepta. Sequor manuscriptum.

Saturnum: Legitur in ms.: *Etiam ante Saturno:.... dejiciebantur*. Scriptura manuscripti Taurin.: *Ante Saturno*, quod pace clarissimi Pfaffii dixerim, non debuit mutari in *ante Saturnum* in Paris. editione, neque enim ullus unquam tradidit, ante Saturnum sexagenarios de ponte in Tiberim dejectos esse; ad ipsum enim Saturnum hæc pertinent, et *ante* significat adverbialiter hoc modo: *Saturno etiam antea homines in Tiberim pro sacrificio dejiciebantur*. Ita Lactant., lib. I, cap. 21: *Saturnus in Latio eodem genere sacrificii cultus est: non quidem ut homo ad aram immolaretur; sed uti in Tiberim de ponte Milvio mitteretur, quod ex responso quodam* (Apollinis) *factitatum Varro auctor est*, cujus responsi ultimus versus est talis:

Καὶ κεφαλὰς Κρονίδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε ῥῶτα.

Quod quia videtur ambiguum, et fax illi, et homo jaci solet. Bun.

Prosecrabant. Heumannus legit, *prosecabant*.

Et. Non extat in ms. Heumannus putat *et* delendum esse.

Amputatis. In ms. *jamputatis*.

Sectis humeris. In ms. *secuti sunteris*.

Crudelia. Clariss. Pfaffius judicat addendum esse *sunt*.

Tunsisque pectoribus. Lact. lib. I Institut., cap. 21, *Sacerdotes ejus* (Isidis) *deglabrato corpore suo pectore tundunt*. Lamprid. in Commodo, cap. 9: *Sacra Isidis coluit, ut et caput raderet, et Anubin portaret. Bellonæ servientes vere exsecare brachium præcepit studio crudelitatis; Isiacos vero pineis usque ad perniciem pectus tundere cogebat.* Bun.

Rhodi. In ms. *Rhodii*.

Celebrantur. In ms. *celebratur*.

Digitized by Google

aratori abstulisset, atque immolasset, ille injuriam suam conviciis ultus est, eoque ipso Sacerdote postmodum constituto, sancitum est, ut iisdem maledictis, et ipse, et alii postea sacerdotes sacra celebrarent. Cretici autem Jovis mysterium est quomodo infans aut subtractus sit patri, aut educatus. Capella præsto est, cujus uberibus puerum Amalthea nutrivit. Idem etiam matris deum sacra demonstrant. Nam quia tum Corybantes galearum tinnitibus et scutorum pulsibus vagitum pueri texerant, nunc imago rei refertur in sacris: sed pro galeis cymbala, pro scutis tympana feruntur, ne puerum vagientem Saturnus exaudiat.

CAPUT XXIV.

(Div. Inst. lib. I, c. 22.)

De origine sacrorum et religionum.

Hæc sunt mysteria deorum. Nunc etiam originem religionum requiramus, ut et a quibus, et per quæ tempora institutæ fuerint, eruamus. Didymus in iis libris qui inscribuntur Ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς, Melissea fuisse tradit Cretensium regem, cujus filiæ fuerint Amalthea et Melissa, quæ Jovem nutrierint caprino lacte ac melle. Hunc novos ritus ac pompas sacrarum introduxisse, et primum diis sacrificasse, id est Vestæ, quæ dicitur Tellus. Unde Poeta:

primamque deorum
Tellurem;

et postmodum *: deum matri.* Euhemerus autem in sacra historia ipsum Jovem dicit, postquam imperium ceperit, sibi multis in locis fana posuisse. Nam « circuiens orbem, ut quemque in locum venerat, principes populorum amicitia sibi et hospitii jure sociabat. Cujus rei ut posset memoria servari, fanum sibi creari jubebat, atque ab hospitibus suis annua festa celebrari. Sic per omnes terras cultum sui nominis seminavit. » Quando autem isti fuerint, facile colligi potest. Scribit enim Thallus in historia sua, Belum regem Assyriorum, quem Babylonii colunt, quique Saturni fuerit æqualis et amicus, antiquiorem fuisse Troico bello annis CCCXXII, et sunt ab Ilio capto anni MCCCCLXX. Unde apparet, non amplius quam MDCCC esse annos, ex quo novis deorum cultibus institutis, humanum genus inciderit in errorem.

CAPUT XXV.

(Div. Inst. lib. I, c. 22 et 23.)

De aureo sæculo; de simulacris ac Prometheo, qui primus hominem effigiavit.

Merito igitur poetæ commutatum esse aureum seculum memorant, quod fuerit regnante Saturno. Nulli enim tunc dii colebantur: sed unum et solum Deum noverant. Postquam se terrenis ac fragilibus subjugaverunt, colentes ligna, et æra, et lapides, commutatio sæculi facta est usque ad ferrum. Amissa enim Dei notitia, et uno illo vinculo humanæ societatis abrupto, vastare se invicem, prædari ac debellare cœperunt. Quod si rursum oculos suos tollerent, ac Deum intuerentur, qui eos ad aspectum cœli suique excitavit, nunquam se curvos et humiles facerent terrena venerando, quorum stultitiam Lucretius graviter incusat, dicens:

Et faciunt animos humiles formidine divum
Depressosque premunt ad terram,

qua reddunt. Nec intelligunt quam vanum sit ea timere quæ feceris, aut ab his aliquod sperare præsidium, quæ muta et insensibilia, nec vident, nec audiunt supplicantem. Quid ergo majestatis aut numinis habere possunt, quæ et fuerunt in hominis potestate ne fierent, aut ut aliud fierent, et sunt etiamnunc. Nam et violari et furto sublati possunt, nisi illa et lex sæpiat et humana custodia. Num igitur mentis suæ compos videri potest, qui talibus optimas victimas cædit, dona consecrat, pretiosas vestes offert, quasi uti possunt, qui motu carent? Merito ergo Dionysius Siciliæ tyrannus deos Græciæ, cum eam victor occupasset, spoliavit atque derisit, et post sacrilegia quæ admiserat, ad Siciliam prospera navigatione remeavit, regnumque tenuit usque ad senectutem. Nec eum dii violati punire potuerunt.

Quanto satius est, spretis inanibus, ad Deum se convertere, tueri statum quem a Deo acceperis, tueri

VARIORUM NOTÆ.

Injuriam suam conviciis ultus. Lib. I, cap. 21; *injuriam suam* (sibi illatam) *maledictis ultus est.* Passive ita voce *injuria* sæpe utitur, c. 9, lib. II, cap. 4: *Sæviunt, ne si deorum injuriam non vindicaverint, ipsos expectant pœnæ.* Lib. V, cap. 20. Bun.

Sancitum. In ms. *sanctum.*

Ἐξηγήσεως. Ms. ἐξητήσεως, Latine, *libri Expositionis Pindaricæ.*

Melissa. In ms. *Tellisa.* Vide libri I Institut. cap. 22. Bunem. in. legit in eodem ms. *Melissea.*

Et primum diis... Vestæ. Malim.: *Et diis sacrificasse, id est Vestæ*, et postmodum *Deum matri.* Sic enim opinor, sententia recte procedit, et ordine; alioqui vero perturbatior videtur. Vide Lact. Divin. Inst., lib. I, cap. 22. Davis.

Historia. In ms. *storia.*

Quemque. Ita ms. sed lege *quemcumque.*

Jubebat. In ms. *Juvebat.*

Nominis. Heuman. legit *numinis.*

Isti. Non *hospites Jovis*, ut Pfaffius, sed ipsum Jovem et Melissea denotari puto. Davis.

Isti fuerint. Id est *quando, aut quo tempore isti hospites vixerint.*

Belum. In ms. *Bellum*, sed male.

Annis. De his annis, vide lib. I, cap. 23, pagina 109, tom. I.

Novis. In ms. *nobis*; littera enim *v* semper fere per *b* exprimitur.

Qua reddunt. Hæc verba quid sibi velint, divinare non possum. Locus enim valde mendosus est. Verum Heumannus putat legendum esse, *Quare nec intelligunt*; idque ut videtur, sat bene.

Sublati. Forsan legendum est, *subtrahi.* — *Furto sublati.* Bunem. vero legit: *Sublabi*, et notam sequentem exhibet:—*Sublabi.* Ita volente Pfaffio legendum, qui notam suam in Parisiensi deletam voluit; unde in Paris., Walch., Davis., editionibus, prave, *sublati.* Bunem.

Optimas. Heumannus legit *opimas.*

Uti possunt. Lege *iis uti possint.*

Digitized by Google

nomen. Idcirco enim ἄνθρωπος, quia sursum spectat, nominatur. Sursum autem spectat, qui Deum verum et vivum, qui est in cœlo, suspicit, qui artificem, qui parentem animæ suæ non modo sensu ac mente, verum etiam vultu et oculis sublimibus quærit. Qui autem se terrenis humilibusque substernit, utique illud quod est inferius sibi præfert. Nam, cum ipse opus Dei sit, simulacrum autem opus hominis, non potest humanum opus divino anteponi ; et sicut Deus hominis parens est, ita simulacri homo. Stultus igitur et amens qui adorat quod ipse fabricavit. Cujus artificii detestabilis et inepti auctor fuit Prometheus, patruo Jovis Japeto natus. Nam cum primum Jupiter, summo potitus imperio, tamquam Deum se constituere vellet, ac templa condere, et quæreret aliquem, qui humanam figuram posset exprimere, tunc Prometheus extitit, qui hominis effigiem de pingui luto figuraret, ita verisimiliter, ut novitas ac subtilitas artis miraculo esset. Denique illum et sui temporis homines, et postea poetæ, tamquam fictorem veri ac vivi hominis prodiderunt, et nos, quoties fabrefacta signa laudamus, vivere illa et spirare dicimus. Et hic quidem auctor fuit fictilium simulacrorum. Sequentes autem posteri et de marmore sculpserunt, et ex ære fuderunt : deinde processu temporum ex auro et ebore accessit ornatus, ut non modo similitudines oculos hominum, verum etiam fulgor ipse præstringeret. Sic illecti pulchritudine, ac veræ majestatis obliti, insensibilia sentientes, irrationabilia rationabiles, exanima viventes colenda sibi ac veneranda duxerunt.

CAPUT XXVI.

(Div. Inst. lib. II, c. 5.)

De elementorum et astrorum cultu.

Nunc refellamus eos etiam, qui elementa mundi tamquam deos habent, id est cœlum, solem atque lunam, quorum artificem non cognoscentes, ipsa opera mirantur et adorant. Qui error non imperitorum modo, verum etiam philosophorum est; siquidem Stoici universa cœlestia in deorum numero habenda censent, qua certos et rationabiles motus habent, quibus succedentium sibi temporum vicissitudines constantissime servant. Non est igitur in his voluntarius motus, quia præstitutis legibus serviunt, non proprio utique sensu, sed opificio summi conditoris, qui illa sic ordinavit, ut inenarrabiles cursus et certa spatia confi- D cerent, quibus dierum ac noctium, æstatis et hyemis alterna variarent. Quod si effectus eorum, si meatus, si claritatem, si constantiam, si pulchritudinem admirantur, intelligere debuerunt, quanto his pulchrior, A et præclarior, et potentior sit ipse conditor, atque artifex eorum Deus. Sed illi divinitatem humanis visibus æstimaverunt, ignorantes nec æternum esse posse, quod veniat sub aspectum, nec quod sit æternum posse oculis mortalibus comprehendi.

CAPUT XXVII.

(Div. Inst. lib. II, c. 13.)

De hominis creatione, peccato et pœna ; ac de angelis, tum bonis, tum malis.

Unum et ultimum restat, ut, quoniam plerumque accidit, sicut in historiis legimus, ut majestatem suam dii ostendisse videantur per auguria, per somnia, per oracula, tum etiam pœnis eorum, qui sacrilegia commiserant, doceam quæ ratio id effecerit, ne quis B etiamnunc in eosdem laqueos incidat, in quos illi veteres inciderunt. Cum Deus pro virtute majestatis suæ mundum de nihilo condidisset, cœlumque luminibus adornasset, terram vero et mare complesset animalibus, tum hominem de limo ad imaginem similitudinis suæ figuratum inspiravit ad vitam, posuitque eum in paradiso, quem conseverat omni genere fructiferi ligni, et præcepit ei, ne una ex arbore, in qua posuerat ei scientiam boni malique, gustaret, fore interminatus, ut vitam perderet, si fecisset ; si vero mandatum servaret, immortalis permaneret. Tum serpens, qui erat unus ex Dei ministris, invidens homini quod esset immortalis effectus, illexit cum dolo, ut mandatum Dei legemque transcenderet. Et hoc modo scientiam quidem boni ac mali accepit ; sed vi- C tam, quam perpetuam Deus tribuerat, amisit.

Ejecit ergo peccatorem de sancto loco, et in hunc orbem relegavit, ut victum quæreret per laborem, ut difficultates et ærumnas pro merito sustineret ; ipsumque paradisum vallo igneo circumfudit, ne quis hominum ad diem usque judicii ad locum illum perpetuæ beatitudinis conaretur irrepere. Tum secuta est hominem mors ex Dei sententia ; et tamen vita ejus, licet temporalis esse cœpisset, in mille annis terminum sumpsit, et id fuit humanæ vitæ spatium usque ad cataclysmi tempus. Nam post diluvium paulatim vita hominum breviata, et ad annos centum viginti redacta est. Serpens vero ille, qui de factis diabolus, id est, criminator sive delator nomen accepit, non destitit semen hominis, quem a principio decepe- D rat, persequi. Denique eum, qui primus in hoc orbe generatus est, inspirato livore, in cædem fratris armavit, ut de duobus primogenitis hominibus alterum extingueret, alterum faceret parricidam. Nec quievit deinceps, quominus per singulas generationes

VARIORUM NOTÆ.

Sursum. In ms., *susum* ; sed mendum est.

Rationabiles. Ita ms., at legitur in edit. Paris., *irrationabiles* ; sed male. Vid. præced. et seq.

Ac. In ms. *ad.*

In quos. In deest in ms.

In qua posuerat ei. Pronomen *ei* deletum vult Davisius. Certe sine hoc pronomine, l. II, c. 12 : *In qua posuerat intelligentiam boni et mali.* Bun.

Sancto. In ms. *Sco*, quod potest et *sancto* et *sacro* intelligi.

Irrepere. Anonym. legit *irrumpere.*

Tum. Additum ex ms. Taur.

Livore. In ms. *libere.* — *Livore.* Ita recte correctum. Conf. l. II, c. 8, *suapte invidia, tamquam veneno infectus est...* Unde apparet cunctorum malorum fontem esse livorem. Bun.

Digitized by Google

pectoribus hominum malitiæ virus infunderet, eos corrumperet, depravaret, tantis denique sceleribus obrueret, ut justitiæ jam rarum esset exemplum, et viverent homines ritu belluarum.

Quod Deus cum videret, angelos suos misit, ut vitam hominum excolerent, eosque ab omni malo tuerentur. His mandatum dedit, ut se terrenis abstinerent, ne qua labe maculati, honore angelico mulctarentur. Sed eos quoque idem ille subdolus criminator, dum inter homines commorantur, illexit ad voluptates ut se cum mulieribus inquinarent. Tum damnati sententia Dei, et ob peccata projecti, et nomen angelorum, et substantiam perdiderunt. Ita diaboli satellites facti, ut haberent solatium perditionis suæ, ad perdendos homines se converterunt, quos ut tuerentur advenerant.

CAPUT XXVIII.

De dæmonibus, ac eorum operationibus malis.

Hi sunt dæmones, de quibus poetæ sæpe in carminibus suis loquuntur, quos custodes hominum appellat Hesiodus. Ita enim persuaserunt hominibus illecebris atque fallaciis suis, ut eosdem deos esse crederent. Denique Socrates habere se a prima pueritia custodem rectoremque vitæ suæ dæmonem prædicabat, sine cujus nutu et imperio nihil agere posset. Adhærent ergo singulis, et sub nomine Geniorum aut Penatium domos occupant. His sacraria constituuntur, his quotidie libatur ut Laribus, his honos datur tamquam malorum depulsoribus. Hi a principio, ut averterent homines a Dei veri agnitione, novas religiones et cultus deorum introduxerunt : hi memorias regum mortuorum consecrari, templa constitui, simulacra fieri docuerunt, non ut honorem Dei minuerint ; aut suum augerent, quem peccando amiserunt : sed ut vitam hominibus eriperent, spem veræ lucis auferrent, ne homines, unde illi exciderunt, ad immortalitatis cœleste præmium pervenirent.

Iidem astrologiam prodiderunt, et auguratum, et aruspicium ; quæ cum per se falsa sint, tamen ipsi, auctores malorum, sic ea gubernant, sic temperant, ut vera credantur. Ipsi etiam magicæ artis præstigias ad circumscribendos oculos repererunt. Illorum adspiratione fit, ut quod sit, non esse, et quod non sit, esse videatur. Ipsi necromantias, ipsi sortes et oracula invenerunt, ut mentes hominum per ambiguos exitus mentita divinatione deludant. In templis vero et sacrificiis omnibus præsentes adsunt, et prodigiis quibusdam fallacibus editis ad miraculum præsentium, sic homines circumveniunt, ut inesse numen simulacris et imaginibus credant. Irrepunt etiam corporibus, ut spiritus tenues, vitiatisque membris, morbos conciunt, quos sacrificiis votisque placati postmodum relaxent : somnia immittunt, aut plane terrores, ut ipsi rogentur, aut quorum exitus respondeant veritati, ut venerationem sui augeant. Nonnunquam etiam in sacrilegos edunt aliquid ultionis, ut quisquis viderit timidior ac religiosior fiat. Sic fraudibus suis obduxerunt humano generi tenebras, ut, oppressa veritate, summi ac singularis Dei nomen in oblivionem veniret.

CAPUT XXIX.

(Div. Inst. lib. II, c. 9 et 18.)

De Dei patientia atque providentia.

Sed dicit quispiam : « Cur ergo verus ille Deus patitur hæc fieri? An potius malos vel summovet, vel extinguit? Cur vero ipsi dæmoni ἀρχήν a principio fecit, ut esset, qui cuncta corrumperet, cuncta disperderet? Dicam breviter, cur hunc talem esse voluerit. Quæro utrumne virtus bonum sit, an malum? Negari non potest, quin bonum. Si bonum est virtus, malum est igitur e contrario vitium. Si vitium ex eo malum est, quia virtutem impugnat, et virtus ex eo bonum est, quia vi-

VARIORUM NOTÆ.

Eos. Non extat in ms.

Rarum. In ms. *rerum.*

Et. In ms. *sed.*

Voluptates. In ms. *voluntates.*

Sententia. In ms. *sententiam.* Clariss. Pfaffius putat legendum esse *per sententiam Dei.*

Haberent. In ms. *habeant.*

Solatium perditionis suæ. L. II, c. 14 : *Sic eos diabolus ex angelis Dei suos fecit satellites ac ministros... Hi... perditi per omnem terram vagantur, et solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur.* Bun.

Se. Non extat in ms., ideo illud verbum ejecit Buneman.

Rectoremque. In ms. *rectorem quæ*, sed erratum est.

Hi. In ms. *his.*

Aut. In ms. *haut.*

Amiserunt. Heumannus legit *amiserant.*

Iidem. In ms. *idem.*

Circumscribendos. Id est, *circumveniendos*, vel *fallendos.*

Necromantias. In ms. *necyomantias*, *y* pro *r*, litterarum affinitate. Attamen Heumannus putat, non immutandam esse lectionem ms., ac remittit ad Fabri Lexicon.

Invenerunt. Hoc verbum non extat in ms.

Deludant. Rectius *deluderent*, ne in temporum peccetur rationem... Davis.

Irrepunt. In ms. *inrepunt*, *n* pro *r*, quod non raro in manuscriptis. — *Irrepunt corporibus.* L. I, c. 14 : *Insinuant se corporibus, et occulte valetudinem vitiant, morbos citant, somniis animas terrent, mentes furoribus quatiunt.* Bun.

Placati. In ms. *placatis.* — *Placati.* Recte correxit Pfaffius, l. II, c. 16, *videri volunt id placati avertisse ;* et infra, *quæ pericula... sacrificiis placati averterunt.* Bunem.

Plane terrores. Nihil felicius emendatione Davisii, *plena terroris* legentis ; nam lib. II, c. 14, *somniis animos terrent.* Ita sequentia bene fluunt. Bun.

Aut quorum exitus respondeant veritati, ut venerationem sui, etc. At Heuman. legit, *ut quæ, cum exitus responderit veritati, venerationem sui*, etc.

Veniret. Davisius, approbante anonymo Britanno, *veniret.* Servo cum Heumanno *veniret.* Bun.

Sed dicit. Lege, *sed dicat*, vel *dicet.* Davis.—Heumannus *dicet* edidit. Nam l. II, c. 17, *dicet aliquis : Cur ergo Deus hæc fieri patitur?* Bun.

An. Hic idem est ac *cur non.*

Ἀρχήν. In ms. *archen* litteris latinis ; ἀρχήν hic loci significat *potestatem, auctoritatem ;* sed putat Heumannus unico vocaculo græco scribendum esse δαιμονιάρχην : de quo vide Lactantium, libro II, cap. 14. Bunem.

Digitized by Google

tium affligit, ergo non potest virtus sine vitio consistere, et si vitium sustuleris, virtutis merita tollentur. Nec enim potest ulla fieri sine hoste victoria. Ita fit, ut bonum sine malo esse non possit. »

Vidit hoc Chrysippus, vir acris ingenii, de providentia disserens, eosque stultitiæ redarguit, qui bonum quidem a Deo factum putant, malum autem negant. Hujus sententiam interpretatus est A. Gellius in libris Noctium Atticarum, sic dicens : « Quibus non videtur mundus Dei et hominum causa institutus, neque res humanæ providentia gubernari, gravi se argumento uti putant, cum ità dicunt : Si esset Providentia, nulla essent mala. Nihil enim minus aiunt providentiæ congruere, quam in eo mundo, propter quem homines fecisse dicatur Deus, tantam vim esse ærumnarum et malorum. Ad ea Chrysippus, cum in libro περὶ Προνοίας quarto dissereret : Nihil prorsus, inquit, istis insulsius, qui opinantur bona esse potuisse, si non essent ibidem mala. Nam cum bona malis contraria sint, utraque necesse est opposita esse inter se, et quasi mutuo adversoque fulta nisu consistere. Nullum adeo contrarium est sine contrario altero. Quo enim pacto justitiæ sensus esse posset, nisi essent injuriæ? aut quid aliud justitia est, quam injustitiæ privatio? Quid item fortitudo sit, non intelligi potest, nisi ex ignaviæ appositione? quid continentia, nisi ex intemperantia. Quo item modo prudentia esset, nisi foret contraria imprudentia? Proinde, inquit, homines stulti cur non hoc etiam desiderant, ut veritas sit, et non sit mendacium. Namque itidem sunt bona et mala, felicitas et infortunitas, voluptas et dolor. Alterum enim ex altero, sicut Plato ait, verticibus inter se contrariis deligatum, si tuleris unum, abstuleris utrumque. » Vides ergo id, quod sæpe dixi, bonum et malum ita sibi esse connexa, ut alterum sine altero constare non possit. Summa igitur prudentia Deus materiam virtutis in malis posuit; quæ idcirco fecit, ut nobis constitueret agonem, in quo victores immortalitatis præmio coronaret.

CAPUT XXX.

(Div. Inst. lib. I, c. 18; III, c. 2 et 3.)

De falsa sapientia.

Docui, ut opinor, cultus deorum non modo impios, sed etiam vanos esse; vel quod homines fuerint, quorum memoria post obitum consecrata sit; vel quod simulacra ipsa insensibilia et surda sint, quia sunt ficta de terra, nec oportere hominem qui debeat spectare cœlestia, terrenis se subjugare; vel quod spiritus, qui eas religiones sibi vindicant, incesti et impuri sint, et ideo Dei sententia condemnati ceciderint in terram, nec fas esse in eorum ditionem venire, quibus potior sis, si Deum verum sequi velis. Superest ut, quoniam de falsa religione diximus, etiam de falsa sapientia disseramus; quam philosophi profitentur, homines summa quidem doctrina et eloquentia præditi, sed longe a veritate summoti, quia nec Deum, nec sapientiam Dei cognoverunt. Qui licet sint arguti ac diserti, tamen quia humana est eorum sapientia, etiam cum his congredi non verebor, ut appareat a veritate mendacium, a cœlestibus terrena facile posse superari.

Quid sit Philosophia hoc modo definiunt : Philosophia est amor vel studium sapientiæ. Non est ergo ipsa sapientia; quia necesse est aliud esse, quod amat, aliud, quod amatur. Si studium est sapientiæ, ne sic quidem philosophia sapientia est. Sapientia enim res est ipsa, quæ quæritur; studium vero, quod quærit. Ipsa igitur definitio, vel nominis significatio, declarat philosophiam non esse ipsam sapientiam; dicam ne studium quidem esse sapientiæ, quo sapientia non comprehenditur. Quis enim studere dicatur ei rei, quam nullo modo possit attingere? Qui medicinæ, aut grammaticæ, aut oratoriæ

VARIORUM NOTÆ.

A. Gellius. In ms. *Agellius.* Legendum *A. Gellius*, sicut lib. VI, cap. 1.

Deus. Non extat in ms.

Περὶ Προνοίας. Latine, *de Providentia.*

Ibidem. Forsan legendum est *itidem.* Pfaffius.— Nihil mutandum. *Ibidem* Gronovius ex manuscripto ad Gellium restituit; etiam Davisius servat. Anonymus Britannus et Heumannus *itidem.* Bun.

Adeo. In ms., *a Deo;* sed minus bene, ut videtur Joanni le Brun.

Sit. Non extat in ms.

Non. Non extat itidem in ms.

Appositione. Davisius legit *oppositione;* idque sat bene.

Ex intemperantia. In Gellio est, *ex intemperantia*, scilicet oppositione : quod si ms. *nisi* retinetur, repeti debet, *intelligi potest*, satis recte.

Nisi. Sic in ms., at in editione Parisiensi legebatur *non nisi.*

Foret. In ms. *forte* : sed Davisius et Joan. le Brun putant esse legendum *foret.*

Namque. In ms. *nam quæ.*

Infortunitas. In ms. et in editis erat *importunitas.* Legendum profecto *infortunitas*, cui contraria est *felicitas*; nec aliter legitur apud Aulum Gellium supra citatum, Noct. Atticar. lib. VI, cap. 1. Buneman. Contra militat pro voce *importunitas* et notam sequentem exhibet:— *Felicitas et importunitas.* Libenter docti ultimam vocem, tanquam veram, a Lactantio accipient, cum in Gellio in omnibus adhuc editionibus regnet vox insolens *infortunitas*, ab alio, qui vim vocis *importunitas* non noverat, subornata.

Quod sæpe dixi. Id non *sæpe*, sed semel tantum dixit. Lege minima mutatione *quod supra dixi.* Davisius.

Deus materiam virtutis in malis posuit. Quæ hic et in toto hoc capite disputat de origine et necessitate mali bene refutavit Pfaffius. Bun.

Quod. In ms. *quot.*

Sapientiam. In ms. *sapientia.*

Non est ergo. Ante hoc verba Heumannus et anonymus putant aliquid excidisse atque legendum esse, *si amor est sapientiæ, non est ergo*, etc.

Aliud. In ms. *aliut.* Sic infra in hoc eodem capite. Atque alibi ubicumque hoc verbum reperias.

Enim. In ms. *autem.*

Digitized by Google

studet, studiosus ejus artis, quam discit, dici potest : ubi didicit, jam Medicus, jam Grammaticus, jam Orator dicitur. Sic oportuit et studiosos sapientiæ, postquam didicissent, sapientes nominari. Cum autem studiosi sapientiæ, quamdiu vivant, vocentur, apparet illud studium non esse, quod ad ipsam rem, quæ studio petitur, non potest perveniri; nisi forte qui ad finem usque vitæ, ut sapiant, student, apud inferos sapientes erunt. Omni autem studio subjacet finis. Non est igitur id studium rectum, quod non habet finem.

CAPUT XXXI.

(Div. Inst. lib. III, c. 3 et 4.)

De scientia et opinatione.

Præterea duo sunt, quæ cadere in philosophiam videntur, scientia et opinatio; quæ si auferantur, tota philosophia corruit. Atqui utrumque philosophiæ ipsi philosophorum principes ademerunt. Scientiam Socrates, opinationem sustulit Zeno. Videamus an recte sapientia est, ut Cicero definivit, *divinarum et humanarum rerum scientia*. Quæ definitio si vera est, non cadit in hominem sapientia. Quis enim mortalium hoc sibi possit assumere, ut divina et humana scire se profiteatur? Humana omitto; quæ quamquam cum divinis connexa sunt, tamen quia sunt hominis, concedamus ut homo illa scire possit. Divina certe per se scire non potest, quia homo est : qui autem scit illa, divinus sit necesse est, ac propterea Deus. Homo autem nec divinus, nec Deus est. Non potest igitur perscire homo divina. Nemo ergo sapiens, nisi Deus, aut certe is homo, quem Deus docuit. Illi autem, quia nec dii sunt, nec a Deo docti, sapientes ergo, id est, divinarum et humanarum rerum scientes esse non possunt. Recte igitur a Socrate atque Academicis scientia sublata est. Opinatio quoque non congruit sapienti. Id enim quisque opinatur, quod ignorat. Opinari autem scire te, quod ignores, temeritas ac stultitia est. Recte igitur opinatio a Zenone sublata est. Si ergo scientia in homine nulla est, et opinatio esse non debet, philosophia radicitus amputatur.

CAPUT XXXII.

(Div. Inst. lib. III, c. 4 et 7.)

De philosophorum sectis, ac dissentione.

Huc accedit, quod non est uniformis : sed divisa in sectas, et in multas discrepantesque sententias dissipata, statum non habet. Cum enim singulæ alias omnes impugnent et affligant, nec sit aliqua ex iis, quæ non judicio cæterarum stultitiæ condemnetur, utique discordantibus membris, corpus omne philosophiæ ad interitum deducitur. Hinc Academia postmodum nata est. Nam cum viderent ejus sectæ principes omnem philosophiam, philosophis invicem oppugnantibus, esse subversam, susceperunt adversus omnes bellum, ut omnia omnium dissolverent, nihil ipsi asserentes, nisi unum, nihil sciri posse. Ita sublata scientia, philosophiam veterem subruerunt. Sed ne ipsi quidem philosophorum nomen retinuerunt, qui ignorantiam fatebantur, quia nescire omnia non modo philosophi, sed ne hominis quidem sit. Ita philosophi, quia nihil munimenti habent, mutuis se vulneribus extinguant, et ipsa tota philosophia suis se armis consumat ac finiat. At enim sola Physica labat. Quid illa Moralis? Num aliqua firmitate subnixa est? Videamus an philosophi in hac saltem parte consentiant, quæ ad vitæ statum pertinet.

CAPUT XXXIII.

(Div. Inst. lib. III, c. 7 et 8.)

Quod summum bonum sit in vita quærendum.

Quod sit in vita, summum bonum quæri necesse est, ut ad illud vita omnis et actiones nostræ dirigantur. Cum de hominis summo bono quæritur, tale constitui debet, primum, ut id ad hominem solum pertineat, deinde, ut animi sit proprium, postremo, ut virtute quæratur. Videamus ergo, an summum bonum, quod philosophi determinant, tale sit, ut nec mutum animal, nec corpus attingat, nec possit sine virtute conquiri.

Aristippus, Cyrenaicæ sectæ conditor, qui summum bonum esse censuit corporis voluptatem, de numero philosophorum, deque cœtu hominum propellendus est, quia se pecudi comparavit. Hieronymi summum bonum est nihil dolere; Diodori, dolere desinere. Sed cæteræ animantes dolorem fugiunt, et cum non dolent, aut dolere desinunt, gaudent. Quid igitur homini dabitur eximium, si bonum ejus summum commune cum belluis judicatur? Zeno summum bonum putavit, cum natura congruenter vivere. At hæc definitio generalis est. Omnes enim animantes cum natura congruenter vivunt, et est sua cuique natura.

VARIORUM NOTÆ.

Vivant. Heumannus legit *vivunt.*

Omni. In ms. *omnia*, sed erratum est.

Atqui. In mss. *Ad quin.*

Videamus, an recte sapientia est. Ita male Pfaffius, Walch. et Davisius ediderant. Sine ullo dubio ita hæc verba sunt distinguenda : *Videamus an recte. Sapientia est.* Priora verba sunt referenda ad Socratem et Zenonem H. M. *Videamus, an recte*, scilicet scientiam Socrates, opinationem sustulerit Zeno. BUN.

Perscire. Forte legendum, *per se scire*, ut supra. Ita etiam putat Heumannus.

Is. In mss. *his.*

Impugnent. In ms. *impugnet.*

Susceperant. In ms. *subreperunt.*

Ne ipsi quidem. Heumannus putat legendum esse, *ne ipsum quidem.*

Munimenti. In mss. *monimenti.*

Extinguant. Heumannus et anonymus putant legendum esse *extinguunt.*

Consumat ac finiat. Heumannus putat legi debere, *consumit ac conficit.*

At enim. Pro *At vero.*

Dirigantur. In ms. *derigantur.*

Virtute. In ms. *virtutem.*

Cyrenaicæ. In ms. *Cyrinaicæ.*

Quia. In ms. *qui.*

Dolere. In ms. *dolore.*

Sed cætera. Heumannus putat legi debere, *Sed et cætera.*

At. In ms. *ad.*

Digitized by Google

Epicurus animi asseruit voluptatem. Quid est voluptas animi? nisi gaudium, quo plerumque luxuriat animus, ac relaxatur, vel ad lusum, vel ad risum. Sed hoc bonum etiam muta contingit, quæ cum pabulis saturata sunt, in gaudium et lasciviam resolvuntur. Dinomachus et Callipho honestam voluptatem probaverunt : sed aut idem dixerunt, quod Epicurus, ut corporis sit voluptas inhonesta; aut si corporis voluptates, alias turpes, alias honestas putaverunt, jam non est summum bonum, quod corpori adscribitur. Peripatetici ex bonis animi et corporis et fortunæ summum bonum conflant. Animi bona probari possunt. Sed si auxilio indigent ad complendam beatitudinem, utique imbecilla sunt : corporis vero atque fortunæ, non sunt in hominis potestate; nec jam summum bonum est, quod aut corpori, aut extra positis assignatur, quia et pecudes attingit hoc duplex bonum, quibus opus est, ut et bene valeant, et victu non indigeant. Stoici aliquanto melius sensisse creduntur, qui summum bonum virtutem esse dixerunt. Sed virtus non potest esse summum bonum : quoniam, si malorum laborumque tolerantia est, beata per se non est; sed efficere aut procreare summum bonum debet, quia perveniri ad illud, sine difficultate ac labore maximo, non potest. At vero Aristoteles longe a ratione aberravit, qui honestatem virtuti copulavit; quasi aliquando virtus aut ab honesta secerni, aut turpitudini posset adjungi.

Eryllus Pyrrhonius scientiam fecit summum bonum. Hæc quidem, et hominis, et animi solius est : sed potest sine virtute contingere. Nec enim beatus putandus est, qui vel auditu aliquid didicerit, vel parva lectione cognoverit; nec est summi boni definitio, quia potest esse aut rerum malarum, aut certe inutilium scientia. Etsi sit bonarum et utilium, quam labore sis assecutus, summum tamen bonum non est, quia non propter se expetitur scientia, sed propter aliud. Nam idcirco artes discuntur, ut sint nobis aut victui, aut gloriæ, aut etiam voluptati : quæ utique summa bona esse non possunt. Ergo ne in Ethica quidem philosophi regulam tenent, quandoquidem in ipso cardine, id est, in ea disputatione, qua vita formatur, inter se pugnant. Nec enim possunt paria esse aut similia præcepta, cum alii forment ad voluptatem, alii ad honestatem, alii vero ad naturam, alii ad scientiam, alii ad quærendas, alii ad fugiendas opes, alii ad nihil dolendum, alii ad patientiam malorum; in quibus omnibus, sicut superius ostendi, a ratione declinant, quia Deum nesciunt.

CAPUT XXXIV.

(Div. Inst. lib. III, c. 9.)

Quod ad justitiam nati sint homines.

Videamus nunc quid sit summum bonum, quod sit propositum sapienti, summum bonum. Ad justitiam nasci homines, non modo litteræ sacræ docent, verum etiam idem ipsi philosophi nonnunquam fatentur. Cicero sic ait : « Sed omnium, quæ in doctorum hominum disputatione versantur, nihil est profecto præstabilius, quam plane intelligi nos ad justitiam esse natos. » Est hoc verissimum. Nec enim ad scelus nascimur, cum simus animal sociale atque commune. Feræ ad sævitiam gignuntur. Aliter enim nequeunt quam præda et sanguine victitare. Easdem tamen etsi ultima fames urgeat, nihilominus generis sui animalibus parcunt. Idem faciunt et aves, quas aliorum visceribus pasci necesse est. Quanto magis hominem, qui cum homine, et commercio linguæ, et communione sensus copulatus est, parcere homini oportet, eumque diligere! Hæc est enim justitia.

Sed quoniam soli homini sapientia data est, ut Deum intelligat, et hæc sola hominis mutorumque distantia est, duobus officiis obstricta est ipsa justitia. Unum Deo debet, ut patri, alterum homini, velut fratri. Ab eodem enim Deo geniti sumus. Merito ergo ac recte dictum est, sapientiam esse divinarum et humanarum rerum scientiam. Oportet enim scire nos quid Deo, quid homini debeamus; Deo scilicet religionem, homini charitatem. Sed illud superius sapientiæ, hoc posterius virtutis est; et utrumque justitia comprehendit. Si ergo constat ad justitiam nasci hominem, necesse est justum malis esse subjectum, ut virtutem, qua est præditus, in usu habeat. Virtus enim malorum sustinentia est. Voluptates fugiet, ut malum; opes contemnet, quia fragiles sunt; et, si habuerit, dilargietur, ut mise-

VARIORUM NOTÆ.

Nisi. In ms. *si.*

Callipho. In ms. *Califfo.*

Fortunæ. Heumannus addendum putat *bona :* sic, *fortunæ bona non sunt.*

Non sunt in hominis potestate. In manuscripto, *in hominis potestatem.* Non recedendum ab manuscripti fide; est enim ipsius Ciceronis, cui Gellius lib I Noctium Att., cap. 7, indicavit, in prædonum fuisse potestatem. Qui plura vult, adeat Gronovium ad Liv. lib. II, cap. 15; et Vorstius ad Val. Max. lib. I, cap. 6. Bun.

Aut. Anonymus legit *ac.*

At. In ms. *ad.*

Posset. Lege *possit.*

Parva. Heumannus putat legi debere *propria.*

Utique. In ms. *utiquæ.*

Ethica. In ms. *Heticæ.*

Videamus, etc. Inversus est ordo verborum in ms., ubi sic legitur : *Videamus nunc, quid sit summum bonum, sit propositum sapienti summum bonum.* Sed rectius disponit ea editio clariss. Pfaffii.

Summum bonum. Hæc duo verba redundare videntur, eaque delet Heumannus tanquam inutilia.

Intelligi. In ms. *intellegi.*

Easdem. In ms. *eamdem.* Alii putant legendum esse *eædem.*

Urgeat. In ms. *urgueat.*

Sensus. Id est *rationis.*

Sapientiam. In ms. *sapientia.*

Et utrumque. Heumannus vult legi *At utrumque.*

Et si. In mss. *at si;* et clariss. Pfaffius putat legendum esse *aut si.*

Digitized by Google

ros servet; honores non appetet, quia sunt breves et caduci; injuriam nulli faciet; si fuerit passus, non retribuet; et diripientem sua non persequetur. Nefas enim judicabit hominem lædere; et si quis extiterit, qui cogat desciscere a Deo, nec cruciatus, nec mortem recusabit. Ita fiet, ut eum necesse sit, et inopem, et humilem, et in contumeliis, aut etiam cruciatibus vivere.

CAPUT XXXV.

(Divin. Inst. lib. III, c. 13.)

Quod immortalitas sit summum bonum.

Quis igitur erit fructus justitiæ atque virtutis, si nihil habebit in vita nisi malum? Quod si virtus, quæ bona omnia terrena contemnit, mala universa sapientissime perfert, ipsamque mortem pro officio suscipit, sine præmio esse non potest, quid superest, nisi merces ejus immortalitas sola sit? Nam, si cadit in hominem beata vita, ut philosophi volunt, in eo solo non dissidentes, cadit ergo et immortalitas. Id enim solum beatum est, quod incorruptum; id solum incorruptum, quod æternum. Immortalitas ergo est summum bonum, quia et hominis, et animi, et virtutis est. Tantum ad hanc dirigimur, ad hanc capiendam nati sumus. Idcirco nobis Deus virtutem, justitiamque proponit, ut æternum illud præmium nostris laboribus assequamur. De ipsa vero non mortalitate suo loco disseremus. Restat λογικὴ philosophia, quæ ad beatam vitam nihil confert. Sapientia enim non in sermonis ornatu, sed in corde atque sensu consistit. Quod si et physica supervacua est, et hæc logica; in ethica vero, quæ sola necessaria est, philosophi errayerunt, qui summum bonum nullo modo invenire potuerunt. Inanis igitur et inutilis omnis Philosophia reperitur, quæ nec rationem hominis comprehendere, nec officium potuit munusque complere.

CAPUT XXXVI.

(Div. Inst. lib. III, c. 17 et 18.)

De philosophis, scilicet Epicuro et Pythagora.

Quoniam de philosophia dixi breviter, nunc etiam de philosophis pauca dicam, Epicuri doctrina hæc est, imprimis nullam esse providentiam. Et idem deus esse non abnuit. Utrumque contra rationem. Nam si sunt dii, est igitur providentia. Aliter enim Deus intelligi non potest, cujus est proprium providere. Nihil, inquit, curat. Ergo non modo humana, sed ne cœlestia quidem curat. Quomodo igitur, aut unde esse illum affirmas? Exclusa enim providentia curaque divina, consequens erat ut non esse omnino Deum diceres. Nunc eum verbo reliquisti, re sustulisti. Unde ergo rerum natura est, si Deus nihil curat. Semina, inquit, sunt minuta, quæ nec videri, nec tangi possunt, quorum coitu fortuito et orta sunt omnia, et semper oriuntur. Si nec videntur, nec ulla corporis parte sentiuntur, unde esse illa scire potuisti? Deinde si sunt, qua mente conveniunt, ut aliquid efficiant? Si sunt lævia, cohærere non possunt; si hamata et angulata, ergo secabilia sunt. Hami enim et anguli extant et possunt amputari. Sed hæc delira et inutilia. Quid quod idem animas extinguibiles facit; quem refellunt non modo philosophi omnes et publica persuasio, verum etiam responsa vatum, carmina Sibyllarum, ipsæ denique divinæ voces Prophetarum; ut mirum sit extitisse unum Epicurum, qui cum pecoribus ac belluis sortem hominis æquaret.

Quid Pythagoras? qui primus est philosophus nominatus; qui animas quidem immortales esse, in alia tamen corpora, vel pecudum, vel avium, vel bestiarum commeare statuit. Nonne satius fuerat eas cum suis corporibus extingui, quam sic ad aliena damnari; satius omnino non esse, quam post hominis formam, vel suem, vel canem vivere? et homo ineptus, ut fidem dicto adderet, seipsum Trojano bello Euphorbum fuisse dixit, quo occiso, in alias figuras animalium transiisse, postremo Pythagoram factum. O felicem, cui soli tanta memoria concessa est! vel potius infelicem, cui translato in pecudem non licuit nescire quid fuerit! Atque utinam solus delirasset! Invenit etiam qui crederent, et quidem indoctos homines, ad quos stultitiæ transiret hæreditas.

VARIORUM NOTÆ.

Judicabit. In ms. *judicavit.*

Mala... sapientissime perfert. Davisius corrigit, *patientissime perfert.* Sic interdum voces *patientia* et *sapientia* in libris confundi, paulo ante monui, confer lib. III, cap. 12. Iterum Lact. lib. VI, cap. 4 : Omnia gravia patienter ferenda. Ipse tamen Cicero, de Senectute, cap. 1 : *Sapienter ferre anus*, scilicet malum, *senectutis, sicut omnia.* Tacitus Annal., lib. XVI : *Indignissimum casum sapienter tolerans.* BUN.

Si cadit., etc. In ms. *sic ait in homine.*

Virtutis est. Tantum ad hanc dirigamur. Davisius sic distinguit : *Virtutis est tantum. Ad hanc dirigamur.* BUNEMAN.

Non mortalitate. Heumannus recte monet legendum esse, *immortalitate.* — Sic Cicero Fam. IV, 12 : *non jucundissimum nuntium*, pro *injucundissimum* dixit; et *non corpus*, pro *incorporeus.* Acad. quæst. lib. I, cap. 11. BUNEMAN.

Vitam. Non extat in ms.

Non in sermonis ornatu. Logicæ tribuit *sermonis ornatum.* Nam, secundum Lactantium, lib. III, c. 13 : *In Logica tota Dialectica* et omnis loquendi ratio continetur. BUNEMAN.

Consistit. Non extat in ms.

Logica. λογικὰ extat Græce in ms.

Ethica. In ms. *Hetica.*

Et idem. Heumannus putat legendum esse *at idem.*

Nam. In ms. *sed.*

Inutilia. Supple *sunt.* At Anonymus, ab Heumanno citatus, putat reponendum esse *anilia.*

Statuit. Non legitur in ms.

Nonne. In ms. *non.*

Suem vel canem. Putatur Lactantius ob oculos habuisse hæc Horatii verba I Epist. 2., vs. 26.

Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

Postremo. In ms. legitur, *post rem :* sed erratum est.

Delirasset. In ms. *deliberasset.*

Indoctos. Heumannus putat rem fore meliorem, si legeretur *doctos.* At potius legerem *interdoctos.*

Digitized by Google

CAPUT XXXVII.

(Div. Inst. lib. III, c. 18 et 20.)

De Socrate, ac ejus contradictione.

Post hunc Socrates philosophiæ tenuit principatum, sapientissimus etiam oraculo dictus, quia se fatebatur unum scire, quod nihil sciret. Cujus Oraculi auctoritate abstinere se physicos oportebat, ne aut quærerent ea quæ scire non poterant, aut scire se putarent quæ ignorabant. Videamus tamen an sapientissimus Socrates, sicut Pythius prædicavit. Usurpabat hoc sæpe proverbium, quod supra nos idem et nihil ad nos pertinere. Jam excessit sententiæ suæ terminos. Nam qui unum se scire dicebat, aliud invenit quod unquam sciens diceret; sed id frustra. Nam et Deus, qui utique supra nos est, quærendus est, et religio suscipienda, quæ sola nos discernit a belluis: quam quidem Socrates non modo repudiavit, verum etiam derisit, per anserem canemque jurando; quasi vero per Æsculapium non posset, cui voverat gallum? En sapientis viri sacrificium. Et quia eum prosecrare ipse non potuit, amicos moriturus oravit, ut post se solverent votum, scilicet ne apud inferos velut debitor teneretur. Hic profecto et pronuntiavit, quod nihil scierit, et probavit.

CAPUT XXXVIII.

(Div. Inst. lib. III, c. 21.)

De Platone, cujus doctrina ad veritatem proptus accedit.

Hujus auditor Plato, quem deum philosophorum Tullius nominat, qui solus omnium sic philosophatus est, ut ad veritatem propius accederet; tamen quia Deum ignoravit, in multis ita lapsus est, ut nemo deterius erraverit, imprimis quod in libris civilibus omnia omnibus voluit esse communia. De patrimoniis tolerabile est, licet sit injustum. Nec enim aut obesse cuiquam debet, si sua industria plus habet, aut prodesse, si sua culpa minus. Sed, ut dixi, potest aliquo modo ferri. Etiamne conjuges, etiamne liberi communes erunt? Non erit sanguinis ulla distinctio, nec genus certum, nec familiæ, nec cognationes, nec affinitates; sed sicut in gregibus pecudum confusa et indiscreta omnia, nulla erit in viris continentia, nulla in fœminis pudicitia? Quis esse in utrisque amor conjugalis potest, in quibus non est certus aut proprius affectus? Quis erit in patrem pius, ignorans unde sit natus? Quis filium diliget, quem putabit alienum? Quin etiam fœminis curiam reservavit, militiam, et magistratibus, et imperia permisit. Quanta erit infelicitas urbis illius, in qua virorum officia mulieres occupabunt? Sed hæc alias latius.

Zeno, Stoicorum magister, qui virtutem laudat, misericordiam, quæ summa est virtus, tanquam morbum animi amputandam judicavit, quæ et Deo chara est, et hominibus necessaria. Quis est enim, qui aliquo in malo constitutus nolit esse miserabilis, ac non desideret auxilia succurrentium, quæ ad opem ferendam non nisi misericordiæ affectu excitantur? Hanc ille licet humanitatem, licet pietatem vocet, non rem, sed nomen immutat. Hic est affectus, qui soli homini datus est, ut imbecillitatem nostram mutuis adjumentis levaremus; quem qui tollit, ad vitam nos redigit belluarum. Nam, quod dicit paria esse peccata, ex eadem immanitate est, qua misericordiam veluti morbum insectatur. Qui enim nullam facit differentiam delictorum, aut levia magnis suppliciis afficienda censet, quod est crudelis judicis, aut gravia parvis, quod est dissoluti, utrumque reipublicæ incommodum. Si enim summa scelera leviter puniantur, audacia malis crescet ad facinora majora; et si levibus delictis pœna gravior irrogetur, multi cives, quoniam nemo esse sine delicto potest, in periculum venient, qui, correpti, possent esse meliores.

CAPUT XXXIX.

(Div. Inst. lib. III, c. 18, 23, 24.)

De variis philosophis, ac de antipodis.

Illa vero levia. Sed ex eadem vanitate nascuntur. Xenophanes orbem lunæ decem et octo partibus dixit esse majorem, quam hæc nostra sit terra. Itaque intra sinum ejus aliam terram contineri, quæ ab hominibus et omnis generis animalibus incolatur. De antipodis quoque sine risu nec audiri, nec dici potest. Asseritur tamen quasi aliquid serium, ut credamus esse homines, qui vestigiis nostris habent adversa vestigia. Tolerabilius Anaxagoras deliravit, qui nigram nivem dixit. Quorumdam non modo dicta, sed etiam facta ridenda sunt. Democritus agrum suum a patre sibi relictum deseruit, et pascua publica fieri passus est. Diogenes cum choro canum suorum, qui virtutem illam summam et exactam rerum omnium contemptum profitetur, mendicare victum maluit, quam honesto labore conquirere, aut habere ullam rem familiarem. Certe vita sapientis

VARIORUM NOTÆ.

Physicos. Elegantius legerem *abstinere se physicis.*

Idem et. Hæc Pfaffius ex manuscripto adjecta valuit: absunt a Paris., Walch., Davis. et Heuman. editionibus; hanc vocem in nostra editione addidimus, nobis assentiente O. F. Fritzsche.

Dicebat. Post *dicebat* supplendum forsan, *quod nihil sciret.* PFAFFIUS.

Et religia. In ms. *ut religio.*

Repudiavit. In ms. *repudiabit.*

Prosecrare. Idem est ac *consecrare*, ait clariss. Pfaffius ad marginem ms. sui. Heumannus putat legi debere *prosecare.*

Probavit. In ms. *probabit.*

Putabit. In ms. *putavit.*

Reservavit. Heumannus legit *reseravit.*

Affectu. In ms. *affectus.*

Incommodum. Supple *est.*

Irrogetur. In ms. *inrogetur.*

Correpti. Id est *castigati.*

Itaque. Anonymus apud Heumannum legit *atque.*

De antipodis. Hac de re vide supra notam ad libri III Div. Institut., caput 24.

Habent. Heumann. legit *habeant.*

Canum. Cynicos intelligit.

Contemptum. In ms. *contemptu.*

Conquirere. Heumann. vult. *eum quærere.*

Digitized by Google

exemplum esse vivendi cæteris debet. Si horum sapientiam omnes imitentur, quomodo stabunt civitates? Sed forsitan iidem Cynici exemplum verecundiæ præbere potuerunt, qui palam cum conjugibus suis cubitaverunt. Nescio quam possent virtutem defendere, qui pudorem sustulerunt.

Non melior his Aristippus, qui, credo, ut amiculæ suæ Laidi placeret, Cyrenaicam instituit disciplinam, qua summi boni finem in voluptate corporis collocavit, ne aut peccatis auctoritas, aut vitiis doctrina deesset. An illi fortiores magis sunt probandi, qui ut mortem contempsisse dicerentur, voluntariam necem sibi intulerunt? Zeno, Empedocles, Chrysippus, Cleanthes, Democritus, et hos imitatus Cato, nescierunt homicidii crimine teneri secundum jus legemque divinam eum qui se interfecerit. Deus enim nos in hoc domicilium carnis induxit; ille nobis temporale corporis habitaculum dedit, ut incolamus quamdiu idem voluerit. Nefas igitur habendum est, sine Dei jussu velle migrare. Non est ergo vis adhibenda naturæ. Scit ille quemadmodum opus suum resolvat. Cui operi si quis manus impias adhibuerit, ac divini opificii vincula diruperit, Deum conatur effugere, cujus sententiam nec vivus quisquam, nec mortuus potuerit evadere. Scelerati ergo sunt et nefarii, quos superius nominavi, qui etiam docuerunt, quas causas habere debeat mors voluntaria, ut parum sit sceleris, quod homicidæ in semetipsos extiterunt, nisi ad hoc nefas et alios erudirent.

CAPUT XL.

(Div. Inst. lib. III, c. 28.)

De philosophorum insipientia.

Innumerabilia sunt philosophorum dicta factaque, quibus eorum insipientia redargui possit. Itaque quoniam cuncta enumerare non possumus, pauca sufficerint. Satis est intelligi, philosophos neque justitiæ, quam ignorabant, neque virtutis, quam mentiuntur, esse doctores. Quid enim doceant, qui suam sæpe ignorantiam confitentur? Mitto Socratem, cujus est nota sententia. Anaxagoras omnia circumfusa tenebris esse pronuntiat. Empedocles angustas ad inveniendam veritatem sensuum semitas esse. Democritus in profundo quodam puteo demersam veritatem jacere testatur, quam quia nusquam reperiunt, idcirco affirmant neminem adhuc extitisse sapientem. Quoniam igitur nulla est (apud Platonem Socrates dicit) humana sapientia, sequamur ergo divinam, Deoque gratias agamus, qui eam nobis, et revelavit, et tradidit, ac nobis gratulemur quod veritatem ac sapientiam cœlesti beneficio tenemus, quam tot ingeniis, tot ætatibus requisitam philosophiam nemo potuit invenire.

CAPUT XLI.

De vera religione ac sapientia.

Nunc quoniam falsam religionem, quæ est in deorum cultibus, et falsam sapientiam, quæ est in philosophis, refutavimus, ad veram religionem sapientiamque veniamus. Et quidem conjuncte, quia cohærent, de utraque dicendum est. Nam Deum verum colere, id est, nec aliud quidquam, quam sapientiam. Ille enim summus et conditor rerum Deus est, qui hominem velut simulacrum suum fecit. Idcirco utique soli ex omnibus animalibus rationem dedit, ut honorem sibi tanquam patri, et tanquam domino referret, et hac pietate atque obsequio immortalitatis præmium mereretur. Hoc est verum divinumque mysterium. Illis autem, quia vera non sunt, nulla concordia. Neque in philosophia sacra celebrantur, neque in sacris philosophia tractatur: et ideo falsa religio est, quia non habet sapientiam; ideo falsa sapientia, quia non habet religionem. Ubi autem utraque conjuncta sunt, ibi esse veritatem necesse est, ut si quæratur ipsa veritas quid sit, recte dici possit: aut sapiens religio, aut religiosa sapientia.

CAPUT XLII.

(Div. Inst. lib. IV, c. 3 et 7.)

De sapientia religiosa; Christi nomen nulli notum, nisi ipsi et Patri.

Dicam nunc, quid sit vel sapiens religio, vel sapientia religiosa. Deus in principio, antequam mundum institueret, de æternitatis suæ fonte, deque divino ac perenni spiritu suo Filium sibi ipse progenuit, incorruptum, fidelem, virtuti ac majestati patriæ respondentem. Hic est virtus, hic ratio, hic sermo Dei,

VARIORUM NOTÆ.

Iidem. In ms. *idem.*

Palam cum conjugibus suis. Postea tamen, teste Augustino, lib. XIV Civit. Dei, cap. 10, *a Cynicis fieri cessatum est, plusque valuit pudor..... quam error.* Bun.

Non. Aliqui putant legi debere *Num.*

Ut. In ms. *et.*

Nescierunt. In ms. *nec scierunt.*

Migrare. Heumann. putat fore melius, si legeretur *emigrare.*

Adhibenda. In ms. *at hibenda.*

Vincula diruperit. In ms. *vincla dirrumperit.*

Sunt. Abest a ms.

Intelligi. In ms. *intellegi*; ut supra.

Nota. In ms. *mota.*

Humana sapientia. In ms. *humanam sapientiam Deo.* Vocem tamen *Deo* librarius rursus delevit.

Revelavit. In ms. *revelabit.*

Philosophiam. Heumannus putat melius legi *philosophorum. Nemo*, in ms. *Num.*

Conjuncte. In ms. *conjunctæ.*

Id est, nec aliud quidquam, quam sapientiam. Legendum: *idem est, nec aliud quidquam, quam sapientiam.* Davis. — Ita vero anonymus Britannus et Heumannus: *Nam Deum verum colere, id est, nec aliud quidquam sapientia.* Vide lib. IV, cap. 3: *Sapere nihil aliud est, quam Deum verum justis ac piis cultibus honorare.* Bun.

Deus. Verbum *est*, quod addit Pfaffius, delendum; *Deus* cum verbo *dedit* construendum: unde ab Heumanno *qui* non fuit ejiciendum. Lætatus sum, ubi postea vidi Davisium idem sentire. Bun.

Sapientia. In ms. *sapientiam.*

Ipse. Deest in edito; legitur tamen in autographo clariss. Pfaffii.

Digitized by Google

hic sapientia. Hoc opifice, ut Hermes ait, et consiliatore, ut Sibylla, et præclaram et mirabilem hujus mundi fabricam machinatus est. Denique ex omnibus angelis, quos idem Deus de suis spiritibus figuravit, solus in consortium summæ potestatis adscitus est, solus Deus nuncupatus. Omnia enim per ipsum, et sine ipso nihil. Denique Plato de primo ac secundo Deo non plane ut philosophus, sed ut vates locutus est, fortasse in hoc Trismegistum secutus, cujus verba de Græcis conversa subjeci : « Dominus et factor universorum, quem Deum vocari existimavimus, secundum fecit Deum visibilem et sensibilem. Sensibilem autem dico, non quod ipse sensum accipiat, sed quod in sensum mittat et visum. Cum ergo hunc fecisset primum, et solum, et unum, optimus ei apparuit, et plenissimus omnium bonorum. Sibylla quoque Deum dicit ducem omnium a Deo factum; et alia, Deum Dei filium esse noscendum, » sicut ea, quæ in libris posui, exempla declarant. Hunc prophetæ divino spiritu pleni prædicaverunt; quorum præcipue Salomon in libro Sapientiæ, item pater ejus, cœlestium scriptor hymnorum, ambo clarissimi reges, qui Trojani belli tempora CLXXX annis antecesserunt, hunc ex Deo natum esse testantur. Hujus nomen nulli esse notum, nisi ipsi et Patri, sicut docet Joannes in Revelatione. Hermes ait non posse nomen ejus mortali ore proferri. Ab hominibus tamen duobus vocabulis nuncupatur, Jesus, quod est Salvator, et Christus, quod est Rex. Salvator ideo, quia est sanatio et salus omnium qui per eum credunt in Deum; Christus ideo, quia ipse de cœlo in sæculi hujus consummatione venturus est, ut judicet mundum, et, resurrectione mortuorum facta, regnum sibi constituat æternum.

CAPUT XLIII.

(Div. Inst. lib. I, c. 8; IV, c. 10 et 11.)

De Jesu Christi nomine, et duplici nativitate.

Sed ne qua forte sit apud te hæsitatio, cur eum, qui ante mundum ex Deo natus sit, Jesum Christum appellemus, qui ante annos CCC. natus ex homine est, rationem tibi breviter exponam. Idem est Dei et hominis filius. Bis enim natus est. Primum de Deo in spiritu ante ortum mundi, postmodum in carne ex homine, Augusto imperante; cujus rei præclarum et grande mysterium est, in quo et salus hominum, et religio summi Dei, et omnis veritas continetur. Nam cum primum scelerati atque impii deorum cultus per insidias dæmonum irrepserunt, tum penes solos Hebræos religio Dei mansit, qui tamen non lege aliqua, sed traditum sibi per successionem cultum patrio more tenuerunt usque ad id tempus, quo de Ægypto exierunt, Moyse duce, primo omnium prophetarum, per quem illis lex est a Deo imposita, qui Judæi sunt postmodum nominati. Servierunt igitur Deo vinculis legis obstricti. Sed iidem, paulatim ad profanos ritus aberrantes, alienos deos susceperunt, et derelicto patrio cultu, insensilibus simulacris immolaverunt. Propterea Deus prophetas ad eos misit divino Spiritu adimpletos, qui illis peccata exprobrarent, et pœnitentiam indicerent, qui secuturam ultionem minarentur, ac denuntiarent futurum, si in iisdem delictis perseverassent, ut alium mitteret novæ legis latorem, et ingrato populo ab hæreditate summoto, aliam sibi plebem fideliorem de exteris gentibus congregaret. Illi autem non modo perseverarunt, verum etiam eos ipsos, qui mittebantur, interfecerunt. Itaque damnavit eos ob hæc facinora, nec adjecit ulterius prophetas mittere ad populum contumacem; sed Filium suum misit, ut gentes universas ad gratiam Dei convocaret. Nec illos tamen, licet impios et ingratos, ab spe salutis exclusit : sed ad ipsos potissimum misit, ut si forte paruissent, non amitterent quod acceperant; si autem Deum suum non suscepissent, tum hæredibus abdicatis, gentes in adoptionem venirent. Jussit igitur eum summus Pater descendere in terram et humanum corpus induere, ut subjectus passionibus carnis, virtutem ac patientiam non solum verbis, sed etiam factis doceret. Renatus est ergo ex virgine sine patre tanquam homo; ut quemadmodum in prima nativitate spirituali creatus ex solo Deo sanctus Spiritus factus est, sic in secunda carnali ex sola matre

VARIORUM NOTÆ.

De suis spiritibus. Lege *De suo spiritu.* — *De suis spiritibus.* Heumannus : Lege, inquit, *de suo spiritu.* At nihil hic mutandum, uti patet ex lib. IV, c. 8 : *et alios spiritus suos in angelos figuravit.* Spiritus hic sunt spirationes. BUN.

In sensum mittat. Heuman. legit *sensum immittat.*

In libris. Scilicet Inst. lib. IV, cap. 6. Mox, ut clarissimus Pfaffius ipse in aliquot locis novæ nostræ editiones correxit, sic et hic in ms. Salomon haberi puto. BUN.

Præcipue. In ms. *præcipuæ.*

Scriptor. In ms. *scribtor.*

Antecesserunt. Multum hic errat Lactantius. David et Salomon vixerunt, non ante, sed post Trojam captam. Troja capta est 1209 ante vulgarem æram : David regnum iniit anno 1059, ante hanc æram, et Salomon annos tantum 1019.

Nulli esse. Heumannus legit *nulli est.*

Apud. In ms. *aput.*

Christum. Deest in ms.

Appellemus. in ms. *appellamus.*

Breviter. In ms. *brebiter.*

Carne. In ms. *carnem.*

Homine. Hic recentior manus in ms. pro *homine* posuit *virgine.*

Successionem. In ms. *successiones.*

Qui. In ms. extat *hii qui.*

Iidem. In ms. *idem.*

Insensilibus. Manus recentior correxit *insensibilibus.* Verum apud Lucretium lib. II, cujus lectione gaudebat Lactantius, legitur bis *insensilibus.*

Iisdem. In ms. legitur *isdem.*

Et ingrato. In ms. legitur *ut ingrato.*

Deum. In ms. *Dm.*, quod interpretari potest aut *Dgum*, aut *Dominum.*

* *Creatus ex solo Deo, sanctus.* Ms. : *Creatus est ex solo Deo sanctus.* Lego cum Davisio : *creatus ex solo Deo, sanctus Spiritus factus est.*

Sanctus Spiritus factus est. Explicat Pfaffius in Dissert. prælim., § 27 et 28. Addo et explico ex ipso Lactantio, lib. IV, cap. 6 : *Deus.... antequam opus mundi ordiretur, sanctum, et incorruptibilem, et irre-*

Digitized by Google

genitus, caro sancta fieret, ut per eum caro quæ subjecta peccato fuerat ab interitu liberaretur.

CAPUT XLIV.

(Div. Inst. lib. IV, c. 12 et 15.)

Duplex Christi nativitas ex prophetis probatur.

Hæc sic futura, ut exposui, prophetæ ante prædixerant. Apud Salomonem ita scriptum est : *Infirmatus est uterus virginis, et accepit fœtum, et gravata est, et facta est in multa miseratione mater virgo.* Apud Esaiam sic : *Ecce virgo accipiet in uterum, et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel*, quod significat Nobiscum Deus. Fuit enim nobiscum in terra, cum induit carnem ; et nihilhominus Deus fuit in homine, et homo in Deo. Utrumque autem eum fuisse a prophetis ante prædictum est. Quod Deus fuerit, Esaias ita dicit : *Adorabunt te, et in te precabuntur, quoniam in te Deus est, et nos nesciebamus, Deus Israel. Confundentur et reverebuntur omnes, qui adversantur tibi, et cadent in confusionem.* Item Jeremias : *Hic Deus noster est, et non deputabitur alius absque illo, qui invenit omnem viam prudentiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto sibi : Posthæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Item, quod homo fuerit, idem Jeremias dicit : *Et homo est, et quis cognovit eum ?* Esaias quoque sic tradit : *Et mittet eis Dominus hominem qui salvabit eos, et judicans sanabit eos.* Item Moyses ipse in Numeris : *Orietur stella ex Jacob, et exurget homo ex Israel.* Idcirco igitur cum Deus esset, suscepit carnem, ut inter Deum et hominem medius factus, hominem ad Deum magisterio suo, superata morte, perduceret.

CAPUT XLV.

(Div. Inst. lib. IV, c. 14.)

Christi virtus et opera probantur ex Scripturis.

Diximus de nativitate ; nunc de virtute operibusque dicamus : quæ cum magna inter homines ac mirabilia faceret, videntes illa Judæi, magica potentia fieri putabant, ignorantes ea omnia, quæ fiebant ab eo, prædicta esse a prophetis. Ægros et vario morborum genere languentes non medela aliqua, sed vi ac potestate verbi sui protinus roborabat, debiles resanabat, claudos ad gressum erigebat, cæcis visum restituebat, mutis eloquium dabat, surdos inauribat, pollutos maculatosque purgabat, furiatis dæmonum incursu mentem propriam reponebat, mortuos aut jam sepultos ad vitam lucemque revocabat. Idem quinque millia hominum quinque panibus et duobus piscibus saturavit. Idem supra mare ambulavit. Idem in tempestate præcepit vento, ut conquiesceret, statimque tranquillitas facta est : quæ omnia, et in prophetarum libris, et in carminibus Sibyllinis prædicta invenimus.

Ob hæc miracula cum ad eum magna concurreret multitudo, et, ut erat, Dei filium, et a Deo missum crederet, repleti invidia sacerdotes ac principes Judæorum, simul ira concitati, quod eorum peccata et injustitiam coarguebat, coierunt ut eum occiderent. Quod futurum ante annos mille paulo amplius Salomon in Sapientia pronuntiaverat his verbis : *Circumveniamus justum, quoniam insuavis est nobis, et exprobrat nobis peccata legis. Promittit scientiam Dei se habere, et filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum ; gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et mutatæ sunt viæ illius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo. Continet se a viis nostris, quasi ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur patrem Dominum. Videamus ergo si sermones illius veri sunt, et tentemus quæ eventura sunt illi. Contumeliis et tormentis interrogemus eum, ut sciamus reverentiam illius, et probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitaverunt, et erraverunt. Excæcavit enim illos stultitia eorum, et nescierunt sacramenta Dei.*

Harum igitur litterarum immemores, quas legebant, incitaverunt populum tanquam adversus impium, ut eum comprehensum ad judicium ducerent, mortemque ejus impiis vocibus flagitarent. Intenta-

VARIORUM NOTÆ.

prehensibilem Spiritum genuit, quem filium nuncuparet. Reliqua confer, lib. IV, cap. 8 : *Cum sit et ipse spiritus*, et cap. 12. Huc refert Cyprianum, de idolor. Vanit. f. 15 : *Carne Spiritus Sanctus induitur.*

Salomonem. Hic locus jam allegatur a Lactantio, lib. IV, cap. 2, sed cum non reperiatur in Salomonis libris, conjicere licet eum fuisse desumptum ex scriptura quadam Salomoni attributa, sed deperdita.

Esaiam. In ms. *Eseiam.*

Autem. Post istud verbum additur in ms. *Deum.*

Eum. In manuscripto pro *eum*, extat *Deum.* Pfaffius. — Sed rectius *eum*, lib. IV, c. 16. Bun.

Esaias. Vide Isai. cap. XLV, vers. 14.

Reverebuntur. In ms. *reberebuntur.*

Confusionem. Ita legendum est ut in sacro textu, Isai. cap. XLV, et in Lactantio ipso Institut. lib. IV, cap. 13. In ms. autem legitur *confessionem.*

Jeremias. In ms. *Hieremias.*

Israel. In ms. *Israel.*

Medela. In ms. *medella.* Vide Matth. IV, 23; VIII, 16, IX, 35; Marc. VI, 56, et VII; Luc. IV, 40, 41, VII, 10.

Inauribat. Id est, audientes faciebat; verbum sane obsoletum et peregrinum,

Maculatos. Id est leprosos.

Quinque millia. Vide Matth. cap. XIV.

Super mare. Priores *supra* ediderunt. Lego cum Heumanno, *super mare*, ex Vulgato Interp. Matth. XIV, 26. Sic Hyginus fab. 14, ed. Munckeri, pag. 40: *Hic super aquas sicco pede concurrisse dicitur.* Bun.

Circumveniamus. Hac voce etiam utitur Lactantius infra cap. 64, et lib. V, c. 1, ante finem.

Exprobrat. In ms. *exprobat.*

Viis. In ms. *viris.*

Præfert. In ms. *præferet.*

Gloriatur patrem Deum. Ita legendum, ut dixi et restitui lib. IV Instit., cap. 16. Idem Davisius hic censuit. Bun.

Contumeliis et tormentis. In ms. *Contumelia et tormento ;* quod etiam habet Buneman. addens : — « Ita facilius ex manuscripto, *contumelia et tormento*, quam *contumeliis et tormentis* corrigi potuit. Prius cum Davisio recepi; posterius est Pfaff., Walch., Heuman. Vide quæ noto ad lib. IV, c. 16. »

Ut sciamus. In ms. *et sciamus.*

Vocibus flagitarent. Denotat eorum vehementiam, et in petendo importunitatem, more Ciceronis, et Lactantii de Opif. c. 3 : *Magnisque clamoribus conditionem pristinam flagitent ;* et lib. IV, cap. 18 ; *Suo-*

Digitized by Google

bant autem pro crimine id ipsum, quod se Dei filium diceret, et quod legem solveret, curando homines in Sabbato, quam ille se non solvere, sed implere dicebat. Cumque Pontius Pilatus, qui tum legatus in Syria judicabat, perspiceret causam illam ad officium romani judicis non pertinere, misit eum ad Herodem Tetrarcham, permisitque Judæis, ut ipsi legis suæ disceptatores essent: qui, accepta sceleris potestate, addixerunt eum cruci, sed prius flagellis et palmis verberaverunt, spinis coronarunt, faciem conspuerunt, in cibum et potum dederunt ei fel et acetum; et inter hæc nulla vox ejus audita est. Tunc carnifices sortiti de tunica ejus et pallio, suspenderunt eum patibulo atque affixerunt, cum postridie Pascha, id est, festum diem suum celebraturi essent. Quod facinus prodigia secuta sunt, ut intelligerent nefas quod admiserant. Eodem namque momento, quo spiritum posuit, et terræ motus magnus, et deliquium solis fuit, ut in noctem dies verteretur.

CAPUT XLVI.

(Div. Inst. lib. IV, c. 18.)

Probatur ex prophetis passionem ac mortem Christi prænuntiatam fuisse.

Quæ omnia prophetæ sic futura esse prædixerant. Esaias ita dicit: *Non sum contumax, neque contradico: dorsum meum posui ad flagella, et maxillas meas ad palmas; faciem autem meam non averti a fœditate sputorum.* Idem de silentio: *Sicut ovis ad immolandum adductus sum, et sicut agnus coram tondentibus sine voce, sic non aperuit os suum.* Item David in Psalmo XXXIV: *Congregata sunt in me flagella, et ignoraverunt: dissoluti sunt, nec compuncti sunt; tentaverunt me, et striderunt super me dentibus suis.* Idem de cibo et potu, Psalmo LXVIII: *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potum mihi dederunt acetum.* Item de cruce Christi: *Et foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea: ipsi autem contemplati sunt, et viderunt me; diviserunt vestimenta mea sibi, et super vestem meam sortem miserunt.* Moyses in Deuteronomio: *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, et timebis die et nocte, et non credes vitæ tuæ.* Item in Numeris: *Non quasi homo Dominus suspenditur, neque quasi filius hominis minas patitur.* Item Zacharias: *Et intuebuntur in me, quem transfixerunt.*

De solis obscuratione Amos ita dicit: *In illo die, dicit Dominus, occidet sol meridie, et obtenebrabitur dies lucis; et convertam dies festos vestros in luctum, et cantica vestra in lamentationem.* Item Jeremias de civitate Hierosolyma in qua passus est: *Et subivit sol ei, cum adhuc dies medius esset, confusa est et maledicta, reliquos eorum in gladium dabo.* Nec frustra hæc dicta sunt. Siquidem post breve tempus imperator Vespasianus Judæos debellavit, et terras eorum ferro ignique depopulatus est, obsessos fame subegit, Hierosolymam evertit, captivos triumphavit, cæteris, qui reliqui fuerunt, terris suis interdixit, nequando iis ad solum patrium reverti liceret. Quæ a Deo propter illam Christi crucem facta sunt, ut hoc in Scripturis eorum Salomon ante testatus sit dicens: *Et erit Israel in perditionem, et in improperium populo, et domus hæc erit deserta, et omnis qui transiet per illam, admirabitur et dicet: Propter quam rem Deus fecit terræ huic et huic domui hæc mala? et dicent, quia dereliquerunt Dominum Deum suum, et persecuti sunt Regem suum dilectissimum Deo, et cruciaverunt illum in humilitate magna: pro hoc importavit illis Deus mala hæc.* Quid enim non mererentur, qui Dominum, qui ad salutem ipsorum venerat, peremerunt.

VARIORUM NOTÆ.

clamare cœperunt et crucem ejus violentis vocibus flagitare. BUN.

Syria. In ms. *Syriam.*

Sceleris. Adde *puniendi*; id enim exigit Latina locutio.

Addixerunt cruci. Lego, *affixerunt eum cruci.* Nam prius jam addixerant, quam flagellis *et palmis verberarent.* Vide lib. IV, c. 18. BUN.

Eum. Non extat in ms.

Namque. In ms. *nam quæ.*

Verteretur. In ms. *vertetur.*

Quæ omnia. Ita ms. In editione vero Parisiensi legitur *Hæc omnia.*

Posui. Deest in ms., sed supplendum ex Institut. lib. IV, cap. 18.

Psalmo. Deest in ms.

Minas. In ms. *Minans*: sed vide lib. IV Institut., c. 18.

Zacharias. In ms. *Zaccharias.*

Lamentationem. In ms. *lamentatione.*

Jeremias. Quæ sequuntur aliter leguntur libro IV Divin. Institut., cap. 19.

Confusa. In ms. *contusa.* Sed *confusa* legendum est ut l. IV, c. 19, Divin. Instit.

Salomon. In ms. *Salomoni.* At Heumannus legit *Salomon.*

Improperium. Sic ms. Ed. Paris. habet *opprobrium.* Vid. not. ad lib. IV Divin. Institut., cap. 18. — *Et in improperium.* Manuscriptum, *Et in improperium*, quod licet minus elegans, rectum tamen, et alibi in versione antiqua usitatum. Cyprian. ad Demetrian.: n. 21. *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, et similitudinem improperii.* Irenæi Interpr. IV, c. 66, f. 364: *Improperium passa est.* BUN.

Qui transiet per illam. Sic ms., nec possum clarissimi Pfaffii conjecturæ hic accedere. *Transiet* positum pro *transibit*, atque in hoc ipso loco Gotzanus codex præfert *transiet*: quam formam pluribus confirmavi ad lib. IV, c. 18. Notatum quoque Lactantii aliorumque *extet*, lib. IV, cap. 13, et *prodient* ex lib. VII, c. 16. BUN.

Domui. In ms *domi.*

Dereliquerunt. In ms. *derelinquerunt.*

Mererentur. Ita ms. Forte legendum *merentur*, vel *merebantur.*

Salutem. In ms. *salute.*

Digitized by Google

CAPUT XLVII.

(Div. Inst. lib. IV, c. 19 et 21.)

De Jesu Christi resurrectione, apostolorum missione, Servatorisque in cœlum ascensione.

Post hæc detractum patibulo corpus monumento condiderunt. Verum tertio die ante lucem, terræ motu facto, ac revoluto lapide, quo sepulcrum clauserant, resurrexit. In sepulcro autem nihil, nisi exuviæ corporis sunt repertæ. Ipsum vero resurrecturum die tertio jam olim prophetæ fuerant prælocuti. David in psalmo XV : *Non derelinques animam meam ad inferos, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Item Osee : *Hic est Filius meus sapiens : propter quod nunc non resistet in contribulatione filiorum suorum, et de manu inferorum eruam eum. Ubi est judicium tuum, mors, ubi est aculeus tuus ?* Idem rursus : *Vivificabit nos post biduum die tertio.*

Profectus igitur in Galilæam post resurrectionem, discipulos suos rursus, quos metus in fugam verterat, congregavit : datisque mandatis quæ observari vellet, et ordinata Evangelii prædicatione per totum orbem, inspiravit in eos Spiritum sanctum, ac dedit eis potestatem mirabilia faciendi, ut in salutem hominum, tam factis quam verbis operarentur; ac tum demum quadragesimo die remeavit ad Patrem, sublatus in nubem. Hoc Daniel propheta jampridem ostenderat, dicens : *Videbam in visu noctis : et ecce in nubibus cœli ut filius hominis veniens usque ad antiquum dierum pervenit; et qui assistebant, obtulerunt eum; et datum est ei regnum, et honor, et imperium : et omnes populi, tribus. Et linguæ servient ei, et potestas ejus æterna, quæ nunquam transibit, et regnum ejus non corrumpetur.* Item David in psalmo CIX : *Dixit Dominus Domino meo : Sede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos subpedaneum pedum tuorum.*

CAPUT XLVIII.

(Div. Inst. lib. IV, cap. 20.)

De Judæorum exhæredatione, et Gentilium adoptione.

Cum igitur ad dexteram Dei sedeat, calcaturus inimicos suos, qui eum cruciaverunt, quando ad judicandum orbem venerit, apparet nullam spem reliquam esse Judæis, nisi conversi ad pœnitentiam, et a sanguine quo se polluerunt, abluti, sperare in eum cœperint, quem negaverunt. Ideo sic dicit Hesdra: A *Hoc Pascha Salvator noster est, et refugium nostrum. Cogitate, et ascendat in cor vestrum, quoniam habemus humiliare eum in signo, et post hæc speravimus in eum.*

Exhæredatos autem esse Judæos, quia Christum reprobaverunt, et nos, qui sumus ex gentibns, in eorum locum adoptatos, Scripturis approbatur. Jeremias ita dicit : *Dereliqui domum meam : dimisi hæreditatem meam in manus inimicorum ejus. Facta est hæreditas mea mihi sicut leo in sylva : dedit ipsa super me vocem suam; idcirco odivi eam.* Item Malachias : *Non est mihi voluntas circa vos, dicit Dominus, et sacrificium acceptum non habebo ex manibus vestris, quia a solis ortu usque ad occasum clarificabitur nomen meum apud gentes.* Esaias quoque sic : *Venio colligere omnes gentes et linguas; et venient, et videbunt claritatem meam.* Idem alio loco ex persona Patris ad Filium : *Ego Dominus Deus vocavi te in justitiam, et tenebo manum tuam, et confirmabo te : dedi te in testamentum generis mei, in lucem gentium, aperire oculos cæcorum, producere ex vinculis alligatos, et de domo carceris sedentes in tenebris.*

B

CAPUT XLIX.

(Div. Inst. lib. IV, cap. 29.)

Quod Deus non est nisi unus.

Si ergo Judæi a Deo rejecti sunt, sicut sacrarum Scripturarum fides indicat, gentes autem, sicut videmus, adscitæ, ac de tenebris hujus vitæ secularis deque vinculis dæmonum liberatæ ; nulla igitur alia spes homini proposita est, nisi veram religionem veramque sapientiam, quæ in Christo est, fuerit secutus : quem qui ignorat, a veritate ac Deo semper alienus est. Nec sibi de summo Deo, vel Judæi, vel philosophi blandiantur. Qui Filium non agnovit, nec Patrem potuit agnoscere. Hæc est sapientia, et hoc mysterium summi Dei. Per illum se Deus et agnosci, et coli voluit. Ideo prophetas ante præmisit, qui de adventu ejus prædicarent, ut cum facta essent in eo quæcumque prædicata sunt, tunc ab hominibus, et Dei Filius, et Deus crederetur.

C

Nec tamen sic habendum est, tanquam duo sint Dii. Pater enim ac Filius unum sunt. Cum enim pater Filium diligat, omniaque ei tribuat, et Filius Patri fideliter obsequatur, nec velit quidquam, nisi quod Pater, non potest utique necessitudo tanta divelli, ut duo esse dicantur, in quibus, et substantia,

D

VARIORUM NOTÆ.

Est. Non extat in ms. — *Vivificabit.* In ms. *vivificavit.* — *Quadragesimo.* Ita leges ex lib. IV, c. 21, Divin. Institut., quamvis in ms. Taur. legatur *quinquagesimo.* — *Usque.* In ms. *et usque.* — *Antiquum.* In ms., *anticum.* — *Populi.* In ms., *populis.* — *Et.* Non extat in ms. — *Servient ei.* In ms. *servientes.* — *Venerit.* In ms. *venerat.* — *Sanguine.* in ms. *sanguinem.* — *Humiliare.* In ms. *humilare.* — *Idcirco.* Ita est in ms. Taurin., juxta clar. Pfaffii autographum ; at in editione Parisiensi legitur *ideo.* — *Malachias.* In ms. *Malachiel.*

Acceptum non habebo. Ita ex autographo clariss. Pfaffii : in editis legitur *non acceptum habebo.*.

Vocavi. In ms. *vocabi.*

Dedi te. Has duas voces post *confirmabo te*, hic primum ex manuscripto damus, Pfaffii jussu. Nos quoque easdem voces addidimus, nobisque assentit O. F. Fritzsche.

Scripturarum. In ms. *Scribturarum.*

Nulla igitur alia spes homini proposita est, nisi... fuerit secutus. Si priorem partem ita posuit noster, in sequentibus repræsentare debuit : *Nisi ut veram religionem sequatur.* Sic lib. IV Instit., cap. 18 : *Apparet, nullam aliam spem vitæ homini esse propositam, nisi ut Deo serviat.* Mihi ergo reponendum videtur : *Nulla igitur vitæ, vel salutis spes homini proposita est*, etc. Davisius hactenus. Nihil muto : pari modo dixit lib. IV Instit. cap. 19 : *Nulla igitur spes alia... homini datur, nisi crediderit in eum, et susceperit.* Bun.

Qui Filium, etc. De hoc dicto Jesu Christi, vide Joan. VIII, 19 et XIV, 1 et 7.

Et substantia. Et deest in editione Parisiensi : *at* legitur in ms. Taurin.

Digitized by Google

et voluntas, et fides una est. Ergo et Filius per Patrem, et Pater per Filium. Unus est honos utrique tribuendus, tanquam uni Deo, et ita dividendus est per duos cultus, ut divisio ipsa compage inseparabili vinciatur. Neutrum sibi relinquet, qui aut Patrem a Filio, aut Filium a Patre secernit.

CAPUT L.

(Div. Inst. lib. IV, c. 25.)

Cur Deus humanum corpus assumpsit, ac mortem passus fuit.

Superest respondere etiam iis, qui putant inconveniens fuisse, nec habere rationem, ut Deus mortali corpore indueretur, ut hominibus subjectus esset, ut contumelias sustineret, cruciatus etiam mortemque pateretur. Dicam quod sentio, et rem immensam paucis, ut potero, substringam. Qui aliquid docet, debet, ut opinor, facere ipse quæ docet, ut cogat homines obtemperare. Nam si non fecerit, præceptis suis fidem derogabit. Exemplis igitur opus est, ut ea, quæ præcipiuntur, habeant firmitatem, et si quis contumax extiterit, ac dixerit non posse fieri, præceptor illum præsenti opere convincat. Non potest ergo perfecta esse doctrina, cum verbis tantum traditur : sed tum perfecta est, cum factis adimpletur.

Christus itaque cum doctor virtutis ad homines mitteretur, utique ut doctrina ejus perfecta esset, et docere, et facere debuerat. Sed, si corpus hominis non induisset, non potuisset facere quæ docebat ; id est, non irasci, non cupere divitias, non libidine inflammari, dolorem non timere, mortem contemnere. Hæc sunt utique virtutes : sed fieri sine carne non possunt. Ergo ideo corporatus est, ut cum vincenda esse carnis desideria doceret, ipse faceret prior, ne quis excusationem de carnis fragilitate prætenderet.

CAPUT LI.

(Div. Inst. lib. IV, c. 26.)

De Christi morte in cruce.

Dicam nunc de sacramento crucis, ne quis forte dicat : Si suscipienda illi mors fuerat, non utique infamis ac turpis, sed quæ haberet aliquid honestatis. Scio equidem multos, dum abhorrent nomen crucis, refugere a veritate, cum in ea, et ratio magna sit et potestas. Nam cum ad hoc missus esset, ut humillimis quibusque viam panderet ad salutem, se ipse humilem fecit, ut eos liberaret. Suscepit ergo id genus mortis, quod solet humilibus irrogari, ut omnibus facultas daretur imitandi. Præterea cum esset resurrecturus, amputari partem corporis ejus fas non erat, nec os infringi, quod accidit iis qui capite plectuntur. Crux ergo potior fuit, quæ resurrectioni corpus integris ossibus reservavit.

Iis etiam illud accedit, quod passione ac morte suscepta, sublimem fieri oportebat. Adeo illum crux, et re et significatione exaltavit, ut omnibus majestas ejus ac virtus cum ipsa passione notuerit. Nam quod extendit in patibulo manus, utique alas suas in Orientem Occidentemque porrexit, sub quas universæ nationes ab utraque mundi parte ad requiem convenirent. Quantum autem valeat hoc signum, et quid habeat potestatis, in promptu est, cum omnis dæmonum cohors hoc signo expellitur ac fugatur. Et sicut ipse ante passionem dæmonas verbo et imperio proturbabat, sic nunc nomine ac signo passionis ejusdem spiritus immundi, quando in corpora hominum irrepserunt, exiguntur, cum extorti et excruciati, ac se dæmonas confitentes, verberanti se Deo cedunt. Quid ergo speraverint de suis religionibus cumque sua sapientia Græci, cum videant, deos suos, quos eosdem dæmonas esse non negant, per crucem ab hominibus triumphari.

CAPUT LII.

(Div. Inst. lib. V, c. 9.)

Spes salutis hominum in veri Dei agnitione, et de odio ethnicorum in christianos.

Una igitur spes hominibus vita est, unus portus salutis, unum refugium libertatis, si abjectis, quibus tenebantur, erroribus, aperiant oculos mentis suæ, Deumque cognoscant, in quo solo domicilium

VARIORUM NOTÆ.

Filium. Adde *est*, juxta clarissim. Pfaffium.

Habere. Davisius legit *habuisse*, ut ante *fuisse*.

Derogabit. In ms. *derogavit.* — *Fidem derogabit.* Usitatius quidem dicunt, *præceptis fidem detrahere*, sed hoc juris verbo usus est; *et neque disputationi, neque auctoritati cujusquam fidem derogari oportuisse*, dixit Celsus Medic. lib. I, præf. pag. 8. Davisius. — Non adeo inusitatum, ut Davisio visum est, phrasis *fidem derogare.* Ita Quintil. lib. IX Instit. cap. 3 : *Cum cura verborum deroget affectibus fidem.* Bun.

Potuisset. In ms. *posset.*

Hæc sunt. Forte legendum, *hæ sunt utique virtutes.* — *Hæc sunt... virtutes.* Anonym. Britan. tentat, *Hæ sunt virtutis ;* Heumannus, *Hæ sunt virtutes.* Uterque satis bene : sed neutrum servo, et refero ad præcedentia : *Hæc* (scilicet τὸ non irasci, τὸ non cupere divitias, τὸ mortem contemnere) *sunt virtutes.* Sic lib. VII Instit. cap. 8 : *Quid voce clarius... vento fortius... odore violentius ? Hæc tamen non cernuntur*, etc. Bun.

Sed. In ms. *set.*

Corporatus est. Ita ms. Taurin. at in editione Parisiensi legitur *incorporatus est.*

Utique. In ms. *utuque.* Ibidem, post *turpis*, editio Parisiensis addit verba *esse debuisset*, quæ non extant in ms. quæque expunxi ut inutilia ; et vulgo subaudiuntur in eloquio Latino.

Cum in ea. Id est, *cum tamen in ea*, juxta Heumannum.

Irrogari. In ms. *inrogari.*

Reservavit. In ms. *reservabit.*

Accedit. In ms. *accepit.*

In promptu. In ms. *prumptum.*

Expellitur ac fugatur. Lege *expellatur ac fugetur*, juxta Heumannum.

Ejusdem. Heuman. cum Anonymo Britanno putat legendum esse, *ejus iidem.*

Irrepserunt. In ms. *inrepserint.*

Cedunt. In ms. *cædunt.*

Hominibus vita est. Forsan legendum, *vitæ hominibus.*

Digitized by Google

veritatis est, terrena et de terra ficta contemnant, philosophiam, quæ apud Deum stultitia est, pro nihilo computent, et vera sapientia, id est, religione suscepta, fiant immortalitatis hæredes.

Atenim repugnant, non tam veritati, quam propriæ saluti; cumque hæc audiunt, velut aliquod inexpiabile nefas detestantur. Sed ne audire quidem patiuntur; violari aures suas sacrilegio putant si audierint, nec jam maledictis abstinent, sed quantis possunt, verborum contumeliis insectantur : iidemque si potestatem nacti fuerint, velut hostes publicos persequuntur, immo etiam plus quam hostes, quorum, cum bello victi fuerint, aut mors, aut servitus pœna est; nec ullus post arma deposita cruciatus, quamvis omnia pati meruerint, qui facere voluerunt, ut inter mucrones locum pietas haberet.

Inaudita est crudelitas cum innocentia, nec victorum hostium conditionem meretur. Quæ tanta hujus furoris est causa? Scilicet, quia ratione congredi non queunt, violentia premunt, et incognita causa tanquam nocentissimos damnant, qui constare de ipsa innocentia noluerunt. Nec satis putant, si celeri ac simplici morte moriantur, quos irrationabiliter oderunt : sed eos exquisitis cruciatibus lacerant, ut expleant odium, quod non peccatum aliquod, sed veritas parit, quæ idcirco male viventibus odiosa est, quia ægre ferunt esse aliquos, quibus facta eorum placere non possunt. Hos omni modo cupiunt extinguere, ut possint libere sine teste peccare.

CAPUT LIII.

(Div. Inst. lib. v, c. 21.)

Rationes odii in christianos expenduntur, et refelluntur.

Sed hæc facere se dicunt, ut deos suos defendant. Primum si dii sunt, et habent aliquid potestatis ac numinis, defensione hominis patrocinioque non indigent, sed seipsos utique defendunt. Aut quomodo ab iis homo sperare auxilium potest, si ne suas quidem injurias possunt vindicare? Stultum igitur et vanum deorum esse vindices velle; nisi quod ex eo magis apparet diffidentia. Qui enim patrocinium Dei quem colit, suscipit, illum esse nihil confitetur : si autem ideo colit, quia potentem arbitratur, non debet eum velle defendere, a quo ipse est defendendus. Nos igitur recte. Nam cum isti defensores falsorum deorum adversus verum Deum rebelles, nomen ejus in nobis persequuntur, nec re, nec verbo repugnamus; sed mites, et taciti, et patientes perferimus omnia quæcumque adversus nos potest crudelitas machinari. Habemus enim fiduciam in Deo, a quo expectamus secuturam protinus ultionem. Nec est inanis ista fiducia : siquidem eorum omnium, qui hoc facinus ausi sunt, miserabiles exitus partim cognovimus, partim videmus. Nec ullus habuit impune, quod Deum læsit; et qui sit verus Deus, qui verbo discere noluit, supplicio suo didicit.

Vellem scire, cum invitos adigunt ad sacrificium, quid secum habeant rationis, aut cui præstent, quod faciunt. Si diis, non est ille cultus, nec acceptabile sacrificium, quod fit ingratis, quod extorquetur per injuriam, quod eruitur per dolorem. Si autem ipsis, quos cognnt, non est utique beneficium, quod quis ne accipiat, etiam mori mavult. Si bonum non est, ad quod me vocas? cur malo invitas? cur non verbis, sed verberibus; cur non ratione, sed cruciatibus corporis? Unde apparet malum esse illud, ad quod non illicis volentem, sed trahis recusantem. Quæ stultitia est consulere velle nolenti? An si aliquis, prementibus malis, ad mortem confugere conatur, num potes, si aut gladium extorseris, aut laqueum ruperis, aut præcipitio retraxeris, aut venenum effuderis, conservatorem te hominis gloriari, cum ille, quem servasse te putas, nec gratias agat, et te male secum arbitretur egisse, quod mortem sibi prohibueris optatam, quod ad finem, quod ad requiem malorum pervenire non sinueris? Beneficium enim non ex qualitate rei debet, sed ex animo ejus, qui accipit, ponderari. Cur pro beneficio imputes, quod mihi maleficium est? Vis me deos tuos colere, quod ego mihi mortiferum duco. Si bonum est, non invideo. Fruere solus bono tuo. Non est quod velis errori meo succurrere, quem judicio ac voluntate suscepi. Si malum, quid me ad consortium mali rapis? Utere sorte tua. Ego malo in bono mori quam in malo vivere.

CAPUT LIV.

De religionis libertate in adorando Deo.

Hæc quidem juste dici possunt. Sed quis audiet,

VARIORUM NOTÆ.

Et vera. In ms. *sed vera.*

Atenim. In ms. *Adenim.*

Sed ne audire quidem, etc. Locus depravatus, qui potest ita legi; *sed ne audiunt quidem patienter : violari aures suas sacrilegio putant, si audierint. Nec jam*, etc.

Iidemque. In ms. *idemque.*

Nacti. In ms. *Acti.*

Ullus. In ms. *ullis.*

Voluerunt. Adde *ea mala nobis, aut fidelibus.*

Quæ. In ms. *que.*

Et incognita. Deest *est* in ms.

Possunt. Heumannus putat legi debere *possint.*

Aliquid. In ms. *aliquod.*

Defensione. In ms. *defensionem.*

Defendunt. Forte ex Heumanno legendum est, *defendent.*

Nihil. In ms. *nihilo :* forte legendum esset *nihili.*

Videmus. Heumannus putat legi debere *Vidimus*, idque non male.

Et. In ms. *set.*

Et qui sit. Ex Heumanno forte, *quis sit.* pro *et*, ms. *set* habet.

Ne. In ms. *nec.*

Si bonum non est. Legitur *Si bonum est* apud Bunemannum, qui notam sequentem exhibet.— *Si bonum est.* Ita recte Davisius, cum priores editiones Pfaffii, Walch. et nuper Heuman., *Si bonum non est* haberent. Probatur emendatio ex lib. v, cap. 20. Bun.

Illicis. In ms. *inlicis.*

Conatur. In ms. *cogatur.*

Sinueris. Ita habet ms. pro *siveris.*

Digitized by Google

cum homines furiosi et impotentes minui dominationem suam putent, si fit aliquid in rebus humanis liberum? Atqui religio sola est, in qua libertas domicilium collocavit. Res est enim præter cæteras voluntaria, nec imponi cuiquam necessitas potest, ut colat, quod non vult. Potest aliquis forsitan simulare; non potest velle. Denique cum metu tormentorum aliqui, aut cruciatibus victi, ad execranda sacrificia consenserint, nunquam ultro faciunt quod necessitate fecerunt: sed data rursus facultate, ac reddita libertate, referunt se ad Deum, eumque precibus et lacrymis placant, agentes non voluntatis, quam non habuerunt, sed necessitatis, quam pertulerunt, pœnitentiam; et venia satisfacientibus non negatur. Quid ergo promovet, qui corpus inquinat, quando immutare non potest voluntatem?

Atenim homines inanis cerebri, si quem fortem adegerint libare diis suis, incredibili alacritate insolenter exultant, et quasi hostem sub jugum miserint, gaudent. Si vero aliquis, nec minis, nec tormentis territus, fidem vitæ anteferre maluerit, in hunc ingenium suum crudelitas exerit, infanda et intolerabilia molitur; et quia sciunt gloriosam esse pro Deo mortem, et hanc nobis esse victoriam, si superatis tortoribus, animam pro fide ac religione ponamus, et ipsi enituntur ut vincant. Non afficiunt morte: sed excogitant novos inauditosque cruciatus, ut fragilitas viscerum doloribus cedat; et si non cesserit, differunt, adhibentque vulneribus curam diligentem, ut crudis adhuc cicatricibus, repetita tormenta plus doloris immittant: et hanc adversus innocentes carnificinam exercentes, pios utique se, et justos, et religiosos putant (talibus enim sacris deorum delectantur), illos vero impios et desperatos nuncupant. Quæ ista est perversitas, ut qui torquetur innocens, desperatus atque impius nominetur, carnifex autem justus piusque dicatur?

CAPUT LV.

Ethnici justitiam in sequendo Deo crimine impietatis infamant.

Sed recte ac merito puniri eos aiunt, qui publicas religiones a majoribus traditas execrantur. Quid si majores illi stulti fuerunt in suscipiendis religionibus vanis, sicut jam supra ostendimus, præscribetur nobis quominus vera et meliora sectemur? Cur nobis auferimus libertatem, sed quasi addicti alienis servimus erroribus? Liceat sapere, liceat inquirere veritatem. Sed tamen, si libet majorum defendere (stultitiam) cur impune habent Ægyptii, qui pecudes, et omnis generis bestias pro diis colunt? Cur de diis ipsis aguntur, et qui eos facetius deriserit, honoratur? Cur audiuntur philosophi, qui aut nullos deos esse aiunt, aut si sunt, nihil curare, nec humana respicere, aut nullam esse omnino, quæ regat mundum, providentiam disserunt?

Sed soli ex omnibus impii judicantur, qui Deum, qui veritatem sequuntur. Quæ cum sit eadem justitia, eadem sapientia, hanc isti vel impietatis, vel stultitiæ crimine infamant; nec perspiciunt, quid sit, quod eos fallat, cum et malo vocabulum boni, et bono mali nomen imponunt. Primuli quidem philosophorum, sed maxime Plato et Aristoteles, de justitia multa dixerunt, asserentes et extollentes eam summa laude virtutem, quod suum cuique tribuat, quod æquitatem in omnibus servet; et cum cæteræ virtutes quasi tacitæ sint, et intus inclusæ, solam esse justitiam, quæ nec sibi tantum conciliata sit, nec occulta, sed foras tota promineat, et ad bene faciendum prona sit, ut quamplurimis prosit: quasi vero in judiciis solis, atque in potestate aliqua constitutis justitia esse debeat, et non in omnibus.

VARIORUM NOTÆ.

Si fit. Elegantius est legere, *si sit.*

Atqui. In ms. *ad quin.* — *Atqui.* Ms. *Atquin.* Pfaff. — Pro Pfaffii et reliquorum *atqui*, restituit Taurin. mss., *atquin*, quod in antiquis mss. fere perpetuum. Vide cap. 55, et quæ notavi ad lib. I, cap. 4. Bun.

Sola est. Id est, *sola res est.*

Collocavit. In ms. *Conlocavit.*

Placant. In ms *placat.*

Atenim. In ms. *adenim*, pro *etenim.*

Fortem. Heumannus legit *forte.* — *Fortem.* Nihil mutandum: *Fortem* scripsit Lactantius: patet ex lib. v, cap. 11: *Vidi ego in Bithynia præsidem gaudio mirabiliter elatum, tanquam barbarorum gentem aliquam subegisset, quod unus, qui per biennium magna virtute restiterat, postremo cedere visus esset.* Sequentia satis produnt, in hoc nostro capite repeti quæ in lib. v, cap. 11. Bun.

Si superatis, etc. Præclare admodum supra dixit Lactantius lib. v Div. Institut. cap. 13: *Nostri autem (ut de viris taceam) pueri et mulierculæ tortores suos taciti vincunt; et exprimere illis gemitum nec ignis potest.*

Morte. In ms. *mortem.*

Exercentes. In ms. *exercent.* — *Exercentes.* Ob ingratum sonum *innocentes... exercentes*, et quia in ms. *exercent* legitur, Davisius corrigit: *Et dum hanc adversus innocentes carnificam exercent.* Bun.

Præscribetur. Clariss. Pfaffius putat legendum esse, *num præscribetur*, vel *præscribeturne nobis.*

Stultitiam. Deest in ms. Pfaff. supplevit.

Aguntur. Ita ms. pro quo clariss. Pfaffius existimat reponendum esse *jocantur.* At Heuman. putat nil mutandum esse; idque probat ex Instit. Divin. lib. v, cap. 20, ubi legitur *mimos agi*; verbum Comicorum. — *Cur de Diis ipsis aguntur.* Pfaffius correxerat, edideratque cum Walchio: *Jocantur*; at in ms. *cur de diis ipsis aguntur.* Optime. supplendum, *Mimi*, ex lib. v Instit., cap. 20: *Eos* (deos) *publice turpiterque deridenti, de quibus etiam mimos agi cum risu et voluptate patiuntur.* Bun.

Si sunt. Forte legas *si sint.*

Providentiam. In ms. *providentia.*

Disserunt. Lege *asserunt.* Pfaffius.—Mox sequitur alio sensu, *asserentes;* sed quia in ms. servatur, *disserunt*, et præcessit, *aiunt* asserenda est Taurin. scriptura, ex lib. v, cap. 10, ubi in eadem re *aiunt*, *disserunt*, *disseruntur.* Bun.

Primuli. Arbitrantur Heumannus et post eum Fitzsche hic esse mendum typographicum, loco verbi

Digitized by Google

Atqui nullus est hominum, ne infimorum quidem ac mendicorum, in quem justitia cadere non possit. Sed quia ignorabant quid esset, unde proflueret, quid operis haberet, summam illam virtutem, id est, commune omnium bonum paucis tribuerunt, eamque nullas utilitates proprias aucupari, sed alienis tantum commodis studere dixerunt. Nec immerito extitit Carneades, homo summo ingenio et acumine, qui refelleret istorum orationem, et justitiam, quæ fundamentum stabile non habebat, everteret; non quia vituperandam esse justitiam sentiebat, sed ut illos defensores ejus ostenderet nihil certi, nihil firmi de justitia disputare.

CAPUT LVI. (*olim* I.)

(Div. Inst. lib. v, c. 16 et 17.)

De justitia, quæ est veri Dei cultus.

Nam si justitia est veri Dei cultus (quid enim tam justum ad æquitatem, tam pium ad honorem, tam necessarium ad salutem, quam Deum agnoscere ut parentem, venerari ut dominum, ejusque legi præceptis obtemperare?), nescierunt ergo justitiam philosophi, quia nec ipsum Deum agnoverunt, nec cultum ejus legemque tenuerunt; et ideo refelli potuerunt a Carneade, cujus hæc fuit disputatio, nullum esse jus naturale, itaque omnes animantes, ipsa ducente natura, commoda sua defendere, et ideo justitiam, si alienis utilitatibus consulit, suas negligit, stultitiam esse dicendam. Quod si omnes populi, penes quos sit imperium, ipsique Romani, qui orbem totum possederint, A justitiam sequi velint, ac suum cuique restituere, quod vi et armis occupaverunt, ad casas et egestatem revertentur. Quod si fecerint, justos quidem, sed tamen stultos judicari necesse est, qui ut aliis prosint, sibi nocere contendant. Deinde, si reperiat aliquis hominem, qui aut aurum pro aurichalco, aut argentum pro plumbo vendat per errorem, atque id emere necessitas cogat, utrum dissimulabit, et emet parvo, an potius indicabit? Si indicabit, justus utique dicetur, quia non fefellit; sed idem stultus, qui alteri fecerit lucrum, sibi damnum. Sed facile de damno est. Quid, si vita ejus in periculum veniet, ut eum necesse sit, aut occidere, aut mori, quid faciet? Potest hoc evenire, ut, naufragio facto, inveniat aliquem imbecillem tabulæ inhærentem; aut victo exercitu fugiens, re- B periat aliquem vulneratum equo insidentem: utrumne aut illum tabula, aut hunc equo deturbabit, ut ipse possit evadere? Si volet justus esse, non faciet: sed idem stultus judicabitur, qui dum alterius vitæ parcit, suam prodit. Si faciet, sapiens quidem videbitur, quia sibi consulet; sed idem malus, quia nocebit.

CAPUT LVII.

(Div. Inst. lib. III, c. 17 et 18; V, 15 17 18 et 19.)

De sapientia et stultitia.

Acuta ista sane: sed respondere ad ea facillime possumus. Imitatio enim nominum facit, ut sic esse videatur. Nam et justitia imaginem habet stultitiæ, non tamen est stultitia; et malitia imaginem sapientiæ, non tamen sapientia est. Sed sicut malitia ista in

VARIORUM NOTÆ.

plurimi. Primuli legitur etiam in autographo clariss. Pfaffii.

Atqui. In ms. *Ad quin.*

Infimorum. Sic Heumannus legit recte. T. *infirmorum.*

Quid esset. Subaudi *Justitia.*

Proflueret. In ms. *proflueren̄t.*

Commune. In ms. *communem.*

Refelleret istorum. In ms. *refellet storum.*

Nam, etc. Caput istud et sequentia jam edita fuerant: ea nos denuo damus recognita et emendatiora ad mss. codices 1 Bonon., 2 Reg., Bodl. et ad 16 editos. Epitome tamen deest in quibusdam editis, videlicet Venetiis 1472, et Rostochii 1476.

Agnoscere. Ita ms. Taurin. et alii; 1 Reg. rec. et editi *cognoscere.* Vide infra.

Dominum. Sic lego cum mss. 1 Bon., 2 Reg. et editis. In Taurin. est, *Deum.* At sequentia l. v, c. 18, lectionem nostram confirmant: *Deum in quem duo vocabula Domini et Patris æque veneranda conveniunt;* et infra, *qui et Dominus verus et Pater est.*—Mox pro *et* post *legi* Fritzsche mavult legere *aut.*

Nec cultum ejus legemque tenuerunt. Hæc verba absunt a ms. 1 Reg. rec., n. 3740, et a pluribus edit. vet.; leguntur tamen in antiquo ms. Thomasii et in Taurinensi.

Nullum esse jus naturale, etc. Ex Cicerone hoc mutuatum est. Vide Ciceronem lib. III de Republica inter Fragmenta.

Consulit. Ita mss. mille aut saltem 900 annor. Taurin., Bonon., Regio-Put. n. 3736. At in 1 Reg. et editis legitur, *consulet.* Apud Ciceronem loco citato *consulat.*

Negligit. 1 Reg. rec. et editi, *negliget;* mss. tres antiquissimi, *negligit.*

Possederint. Sic mss. Bon., Taurin., Regio-Put. Alter Reg. rec. editi. et Cicero, *possedere.*

Casas. Ita mss. Bon., 2 Reg. et editi; nec aliter Lactantius ipse lib. v, cap. 16, sub initium. At ms. Taurin. et Cicero vulgatus, *causas*, sed corrupte.

Justos. Apud Ciceronem et in editis est, *justos dicemus quidem.* Tres veterrimi mss. ut in textu.

Judicari. In 1 Reg. rec. et edit. *judicare;* in Taurin. et Regio-Put. *judicari.*

Contendant. Cicero, *contendunt.*

Cogat. In Taurin. ms. *coget.*

Dissimulabit. In Taurin. ms. *dissimulavit.*

Indicabit. In ms. Taurin. bis *indicavit.* Deest, *Si indicabit*, in editis quibusdam.

Eum, etc. Editi legunt, *eum aliquando necesse sit*, etc. D Quidam tamen codices, teste Gallæo, legunt *occupare aut mori*: sed minus recte in aliis legitur *occidere* in activa significatione, quasi dicas *perimere.* Sed textus nostri lectio aptior est atque accommodatior capiti 17 libri v Institutionum.

Evenire. Ita mss. Bon., 2 Reg. et editi; ms. Taurin. *venire.*

Prodit. In mss. Reg. rec. et editis, *perdet.* Recte quidem: at mss. Taurin. et Regio-Put. *prodit.*

Sed. Ed. *sed et.*

Nocebit. Quidam restituunt *alii nocebit*: vide Isæum ad istud caput Epitom.

Acuta. Lib. v Div. Institut. cap. 17 legitur, *Arguta hæc plane.*

Facillime. Ms. Reg. rec. et ed. *facile.* At mss. 3 antiq. *facillime.*

Imitatio. Ita ms. Reg. rec. et ed. Sed in Taurin. Bonon., Regio-Put. est, *Immutatio.*

Sed. Non extat in ms. Taurin., est in cæteris.

Digitized by Google

conservandis utilitatibus suis intelligens et arguta, non sapientia, sed calliditas et astutia est; ita et justitia non debet stultitia, sed innocentia nominari: quia necesse est, et justum esse sapientem, et eum qui sit stultus, injustum. Nam neque ratio, neque natura ipsa permittit, ut is qui justus est, sapiens non sit; quoniam justus nihil utique facit, nisi quod rectum et bonum est, pravum et malum semper fugit. Quis autem discernere bonum et malum, pravum et rectum potest, nisi qui sapiens fuerit? Stultus autem male facit, quia bonum et malum quid sit, ignorat. Ideo peccat, quia non potest prava et recta discernere. Non potest ergo, neque stulto justitia, neque injusto sapientia convenire. Stultus igitur non est, qui nec tabula naufragum, nec equo saucium dejecerit, quia se abstinuit a nocendo, quod est peccatum; peccatum autem vitare sapientis est.

Sed ut stultus prima facie videatur, illa res efficit, quod extingui animam cum corpore existimant: idcirco omne commodum ad hanc vitam referunt. Si enim post mortem nihil est, utique stulte facit, qui alterius animæ parcit cum dispendio suæ, aut qui alterius lucro magis quam suo consulit. Si mors animam delet, danda est opera, quo diutius commodiusque vivamus: si autem vita post mortem superest æterna et beata, hanc utique corporalem cum omnibus terræ bonis justus et sapiens contemnet, quia sciet, quale a Deo sit præmium recepturus. Teneamus igitur innocentiam, teneamus justitiam; subeamus imaginem stultitiæ, ut veram sapientiam tenere possimus. Etsi hominibus ineptum videtur ac stultum, torqueri et mori malle, quam libare diis, et abire sine noxa, nos tamen omni virtute omnique patientia fidem Deo exhibere nitamur. Non mors terreat, non dolor frangat, quominus vigor animi, et constantia inconcussa servetur. Stultos vocent, dummodo ipsi sint stultissimi, et cœci, et hebetes, et pecudibus æquales; qui non intelligunt esse mortiferum, relicto Deo vivo, prosternere se atque adorare terrena; qui nesciunt, et illos æternam pœnam manere, qui figmenta insensibilia fuerint venerati, et eos, qui nec tormenta, nec mortem pro cultu et honore veri Dei recusaverint, vitam perpetuam consecuturos. Hæc est fides summa, hæc vera sapientia, hæc perfecta justitia. Nihil ad nos attinet, quid judicent stulti, quid homunculi sentiant. Nos judicium Dei expectare debemus, ut eos postmodum, qui de nobis judicaverint, judicemus.

CAPUT LVIII, *alias* II.

(Div. Inst. lib. VI, c. 1 et 2.)

De vero cultu Dei et sacrificio.

Dixi de justitia, quid esset. Sequitur ut ostendam, quod sit verum sacrificium Dei, qui sit justissimus ritus colendi, ne quis arbitretur, aut victimas, aut odores, aut dona pretiosa desiderari a Deo, a quo si fames, si sitis, si algor, si rerum omnium terrenarum cupiditas abest,

VARIORUM NOTÆ.

Arguta. Editiones quædam pro *et arguta*, ponunt, *intelligens redargui videtur, quia non.*

Et. Deest in edit. et in ms. Reg. rec., sed legitur in cæteris.

Est. Taurin. Ms. *esset.*

Potest. Taurin., Bonon., Regio-Put., mss. 1 Reg. rec. et ed. *poterit*; quam lectionem prætulit O. F. Fritzsche.

Non potest ergo, etc. Mss. Taurin., Bonon., Regio-Put., ut in textu. In Reg. rec. in ed. ita: *Igitur neque stulto justitiam, neque injusto sapientiam convenire. Ergo stultus non est;* vel ut aliæ legunt editiones, qualis est Gallæi, quæ sic habet: *Non potest igitur neque stulto justitia, neque injusto sapientia convenire. Ergo stultus*, etc.

Existimant. In Taurin. ms. *æstimant.* Cæteri mss. et ed. *existimant.*

Quo diutius commodiusque. Recte edit. Is., Spark. faventibus mss. Taurin., Bon. et 5 editis, in quibus legitur *quod justius*, pro *quo diutius*; Regio-Put. *quod ius* per abbreviationem; al. Reg. rec., ed. Paris. 1525, et Graph. *quo justius*, manifesto errore, qui repugnat sententiæ. Restituendus itaque hic locus ex ipsomet Lactantio, lib. V Institut., cap. 19, ubi habetur: *Si enim post mortem nihil sumus, profecto stultissimi est hominis non huic vitæ consulere, ut sit quam diutina et commodis omnibus plena; quod qui faciet, a justitiæ regula discedat necesse est. Si autem superest homini vita melior et longior.* In edit. Paris. 1525, Gymnic., Betul., Tornes. et in ora Plantin. positum est *jucundius*, atque in mss. Heumanni; unde vero, mihi non compertum: sed hoc fere idem est quam *commodius.*

Quia. Ms. Taurin. *qui.* Cæteri, cum editis, *quia.*

Malle. Ms. 1 Reg. rec. et editi, *velle.* Melius mss. Regio-Put. et Taurin. *mori malle*, cum eodem Lactantio, lib. V Institut.

Quam libare diis, et abire sine noxa. Ita Ms. Taurin. Optima lectio, cui favet ms. Regio-Put. in quo legitur, *quam liberare di, sed abire sine noxa.* Hæc mendose accepta ab auditore amanuensi, pro *quam libare dis, et abire sine noxa.* Alter ms. Reg. rec. *quam liberam dicet abire sine noxa; dicet* male intellectum pro *dis et.* Editi, *cum libere liceat abire sine noxa.* Sed et supra, cap. 54, *Si quem fortem adegerint libare diis suis.*

Tamen. Ms. Taurin. *tam.* Cæteri cum editis, *tamen*, ut in textu.

Non. Edit. *nec.*

Stultos vocent, dummodo ipsi sint stultissimi, etc. Ita edit. Is. cum mss. Taurin., Bonon., Regio-Put., nisi quod in Taurinensi deest, *stultissimi.* In Reg. rec. et editis, pro *vocent*, est *notent.*

Et. Ms. Reg. rec. et ed., *ex illis*, corrupte. Cæteri mss., *et illos.*

Venerati. Ms. Taurin., *adorati.*

Cultu. Ms. Taurin. *mortem pro cultui;* mendose.

Dei recusaverint. Hæc lectio est mss. Bon., 2 Reg. et editorum. Ms. Taurin. *Dei non recusaverunt;* male.

Hæc est, etc. Hunc locum sic restitui ex mss. Taurin., Bonon. et 2 Reg. Primus habet: *Hæc est fides summa*, unde in Bononiensi et edit. Is. factum est *fidissima.* In Regio-Put. deest *fides;* in Taurin. *justitia.* In Reg. rec. et editis lego: *Hæc est illa fidelissima;* cætera ut in textu. Forte legendum *fidei summa*, quod accedit ad *fidissima* et *fidelissima* aliorum codicum.

Quid judicent. Hæc duo verba desunt in ms. Taurin.

Judicaverunt. Ms. solus Taurin, *judicant.*

Quod sit. Ita antiq. mss. tres. 1 Reg. rec. cum editis, *quid sit.*

Qui justissimus. Sic mss. Bonon., Regio Put. In Taurin. *quis sit;* perperam repetitur *sit*, quod mox præcessit. 1 Reg. rec. et ed., *qui justissimus.*

Dona pretiosa. Ita 3 mss. antiquissimi et 4 ed., et Lactantius ipse lib. II, cap. 4, et de Ira Dei, cap. 21. In Reg. rec. et cæteris vulgatis est *dona præsentia*; male.

A quo si fames. Ms. Taurin. solus, *quod si fames.*

Abest. Solus ms. Taurin. *adest.*

Digitized by Google

non ergo utitur his omnibus, quæ templis diisque fictilibus inferuntur : sed sicut corporalibus corporalia, sic utique incorporali incorporale sacrificium necessarium est. Illis autem, quæ in usum tribuit homini Deus, ipse non indiget, cum omnis terra in ipsius sit potestate : non indiget templo, cujus domicilium mundus est ; non indiget simulacro, qui est et oculis, et mente incomprehensibilis ; non indiget terrenis luminibus, qui solem cum cæteris astris in usum hominis potuit accendere. Quid igitur ab homine desiderat Deus, nisi cultum mentis, qui est purus et sanctus? Nam illa, quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem sunt, inepta, fragilia, ingrata sunt. Hoc est sacrificium verum, non quod ex arca, sed quod ex corde profertur, non quod manu, sed quod mente libatur. Hæc acceptabilis victima est, quam de seipso animus immolat. Nam quid hostiæ? quid thura? quid vestes? quid argentum? quid aurum? quid pretiosi lapides conferunt, si colentis pura mens non est? Sola ergo justitia est, quam Deus expetit. In hac sacrificium, in hac Dei cultus est, de quo nunc mihi disserendum est, docendumque in quibus operibus justitiam necesse sit contineri.

CAPUT LIX, *olim* III, *al.* II.

(Div. Inst. lib. v, c. 5 et sq. et 19; vi, c. 3, 4, 9, 10.)

De viis vitæ, et primis mundi temporibus.

Duas esse humanæ vitæ vias, nec philosophis ignotum fuit, nec poetis : sed eas utrique diverso modo induxerunt. Philosophi alteram industriæ, alteram inertiæ esse voluerunt : sed hoc minus recte, quod eas ad sola vitæ hujus commoda retulerunt. Melius poetæ, qui alteram justorum, alteram impiorum esse dixerunt. Sed in eo peccant, quod eas non in hac vita, sed apud inferos esse aiunt. Nos utique rectius, qui alteram vitæ, alteram mortis, et hic tamen esse has vias dicimus. Sed illa dexterior, qua justi gradiuntur, non in Elysium fert, sed in cœlum. Immortales enim fiunt. Sinisterior ad tartarum ; æternis enim cruciatibus addicuntur injusti. Tenenda est igitur nobis justitiæ via, quæ ducit ad vitam. Primum autem justitiæ officium est, Deum agnoscere ut parentem, eumque metuere ut dominum, diligere ut patrem. Idem enim nos genuit, qui vitali spiritu animavit, qui alit, qui salvos facit. Habet in nos non modo ut pater, verum etiam ut dominus licentiam verberandi, et vitæ ac necis potestatem ; unde illi ab homine duplex honos, id est, amor cum timore debetur. Secundum justitiæ officium est, hominem agnoscere velut fratrem. Si enim nos idem Deus fecit, et universos ad justitiam vitamque æternam pari conditione generavit, fraterna utique necessitudine cohæremus, quam qui non agnoscit, injustus est. Sed origo hujus mali, quo societas inter se hominum,

VARIORUM NOTÆ.

His. 3 edit. *iis.*

Diisque. Ita 3 mss. antiq. In Reg. rec. et editis, *aliisque.*

Corporalia. Ms. Reg. rec. et edit., *corporale.*

Incorporali. Ms. Reg. rec et edit. *incorporalibus incorporale.*

Autem. Deest in ms. Reg. rec. et editis.

Cum omnis terra in ipsius sit potestate. Ita mss. Bonon. Regio-Put., ed. Fasit., Is., Spark. (In Taurin. pro *in* est *sub.*), multo aptius et concinnius, quam illud quod in Reg. rec. et multis editis, *Et est omnis terra sub ipsius potestate.*

Hominis. Ms. Reg. rec. et editi, *hominibus.* — *In usum hominis.* Pro editorum ab 1478-1698, et Cellarii, *in usum hominibus ;* rectius Taurin. et ex eo editi, *in usum hominis.* Sic unde hæc sumpta, lib. vi, cap. 2 : *Qui in usum hominis tam claram, tam candidam lucem dedit ;* et de Ira, cap. 13, ex mss. Reimm. *in usum hominis a Deo facta.* Bun.

Inepta, fragilia, ingrata sunt. Sic mss. Taurin., Regio-Put., Bonon. Hæc quatuor verba a ms. Reg. rec. et editis absunt.

De seipso. In Taurin. ms., *ipso.*

Immolat. Ita mss. Regii et editi ; at in ms. Taurin. *immolaverit.*

Utrique. Mss., Taurin., Bon. Reg. Put. et ed. Is. At ms. 1 Reg. rec. et multi editi, *utique*, quod mox sequitur.

Quod eas ad sola vitæ hujus, etc. Ms. Reg. et editi *cum eas ad solius vitæ.* Ed. Is. cum mss. Taurin., Bonon., ut in textu.

Alteram vitæ. Deest in mss. Taurin.

Tenenda est. Ita mss. 3 antiq. At in Reg. rec. et in ed. legimus : *Veneranda est nobis.*

Ut parentem. Hæc verba Davisius delenda esse existimat, nec male, quamvis Clericus, tom. xi Biblioth. antiquæ et novæ legat, *ut præsentem.*

Idem enim nos. In Reg. rec. et in ed. 5, *Is est enim, qui nos ;* nec male.

Et vitæ ac necis potestatem. Patria potestas erat olim summa apud Romanos ; ita ut non minus jus vitæ et necis in liberos patri esset, quam dominis in servos (*Lib.* II *D. de suis et leg. her. l. fin. C. de patr. potest., lib.* II *cod. Theodos. de caus. liber.*) Sopater. in Hermogen. Simplicius Com. in Epicteti Enchirid. Exactius hæc exequitur Dionys. Halycarnass., lib. II. Addesis Dion. Chrysostomum orat. 14. Hoc vero patris in liberos jus ab Attica lege migravit Romam ; Athenis enim Solon legem tulit περὶ τῶν ἀχρίτων, qua filium suum parenti necare permissum, ut auctor Sextus Empiricus l. III, Pyrrhon., Hypoth. Et liberi sub patria potestate haud multum a servientium specie differebant. Unde Libanius Declamation. 37 : κύριοι τῶν παίδων οἱ γονεῖς οὐχ ἧττον ἢ τῶν οἰκετῶν. Lactanct. Divin. Instit. lib. IV, cap. 3 : *Dominum vero eumdem esse, qui sit pater, etiam juris civilis ratio demonstrat. Quis enim poterit filios educare, nisi habeat in eos domini potestatem?* Et paulo post : *Ergo servus est, qui et filius ; idem dominus, qui et pater.* Seneca pater, Controvers. 19, lib. III : *Ut vivis parentibus filius familiæ nulli potest servire, nisi patri, omni alia servitute liber est.* Sic quemadmodum servus domino, ita jure vetustissimo, id est florente republica, omnia filius patri acquirebat. Dionys. Halicarnass. lib. VIII ; Philo Judæus de Decalog. Verum patria illa majestas, ut loquuntur Valerius Maximus, lib. VII, cap. 7, § 5, et Quintilianus Declam. 375, seu summa illa patris in liberos potestas, posteriorum legislatorum constitutionibus multum delibata est. Qui, ut quasi iracundiæ parentum frænum injicerent, certum modum ei statuerunt (*l. ult. C. de patr. potest.*). Ita ut inauditum filium hodie interficere patri non liceat (*lib.* II *D. ad leg. Corn. de Sicar, lib.* V *de leg. Pomp. de parricid.*). Extra quam, si quid contra reipubl. salutem filius moliatur (*lib.* XXXV, *D. de rel. et sumpt. funer.*) Oiselius.

Utique. Legitur apud Bunem. *Utrique.* Sic ex Bonon. Isæus jam monuerat legendum, et ipse receperat recte, non auditus tamen a Gall., Spark., Cellario. Rectum esse *utrique*, patet ex lib. VI Instit. cap. 3. Minus recte igitur Pfaffius et Walchius, *utique.* Rectius Davis., Heuman. *utrique.* Bun.

Digitized by Google

quo necessitudinis vinculum dissolutum est, ab ignoratione veri Dei nascitur. Qui enim fontem illum benignitatis ignorat, bonus esse nullo pacto potest. Inde est, quod ex eo tempore, quo dii multi consecrari ab hominibus coliique cœperunt, fugata est, sicut poetæ ferunt, justitia : sic diremptum est omne fœdus, dirempta societas juris humani. Tum sibi quisque consulere, jus in viribus computare, nocere invicem, fraudibus aggredi, dolis circumscribere, commoda sua aliorum incommodis adaugere; non cognatis, non liberis, non parentibus parcere; ad necem hominum pocula temperare, obsidere cum ferro vias, maria infestare; libidini autem, quo furor duxerit, frœna laxare; nihil denique sancti habere, quod non cupiditas infanda violaret. Cum hæc fierent, tum leges sibi homines condiderunt pro utilitate communi, ut se interim tutos ab injuriis facerent. Sed metus legum non scelera comprimebat, sed licentiam submovebat. Poterant enim leges delicta punire, conscientiam munire non poterant. Ita quæ ante palam fiebant, clam fieri cœperunt. Circumscribi etiam jura, siquidem ipsi præsides legum præmiis muneribusque corrupti, vel in remissionem malorum, vel in perniciem bonorum sententias venditabant. His accedebant dissensiones, et bella, et mutuæ deprædationes, et oppressis legibus sæviendi potestas licenter assumpta.

CAPUT LX.

(Div. Inst. lib. VI, c. 3.)

De justitiæ officiis.

In hoc statu cum essent humanæ res, misertus est nostri Deus, revelavit se nobis et ostendit; ut in ipso religionem, fidem, castitatem, misericordiam disceremus; ut, errore vitæ prioris abjecto, simul cum ipso Deo nosmetipsos, quos impietas dissociaverat, nosceremus, legemque divinam, quæ humana cum cœlestibus copulat, tradente ipso Domino, sumeremus : qua lege universi quibus irretiti fuimus, errores cum vanis et impiis superstitionibus tollerentur. Quid igitur homini debeamus, eadem illa lex divina præscribit, quæ docet quidquid homini præstiteris, Deo præstari. Sed radix justitiæ, et omne fundamentum æquitatis est illud, ut ne facias ulli quod pati nolis; sed alterius animum de tuo metiaris. Si acerbum est injuriam ferre, et qui eam fecerit, videtur injustus, transfer in alterius personam, quod de te sentis, et in tuam, quod de altero judicas; et intelliges tam te injuste facere, si alteri noceas, quam alterum, si tibi. Hæc si mente volvamus, innocentiam tenebimus, in qua justitia velut primo gradu insistit. Primum est enim non nocere; proximum, prodesse; et sicut in rudibus agris priusquam serere incipias, evulsis sentibus, et omnibus stirpium radicibus amputatis, arva purganda sunt : sic de nostris animis prius vitia detrahenda, et tunc demum virtutes inserendæ, de quibus seminatæ per verbum Dei fruges immortalitatis oriantur.

CAPUT LXI.

(Div. Inst. lib. VI, c. 15, 16, 19, 24.)

De affectibus.

Tres affectus, vel, ut ita dicam, tres furiæ sunt, quæ in animis hominum tantas perturbationes cient, et interdum cogunt ita delinquere, ut nec famæ, nec

VARIORUM NOTÆ.

Dissolutum. In ms. Reg. rec. et editis, *dissolvitur ab ignorantia.* Mss. 3 antiquiss. ut in textu.

Est. Deest in ms. Taurinensi.

Ferunt. Reg. rec. et editi, *aiunt.* Cæteri mss. *ferunt.* Poetæ illi sunt : Hesiodus in operib.; Virgilius in fine II Georg.; Arat. in Phœn.; Ovid., I Metamor.; Senec. in Octav.

Sic diremptum. Editi et mss. 3, *direptum*, corrupte; dicitur enim, *dirimere fœdus*, non *diripere.*

Dirempta. Mss. *direpta*; sed male.

Tum sibi quisque consulere. Ita editi, cum ms. Reg. rec. Mallem, *Cum sibi quisque consulere*; subaudi *cœpit.*

Jus in viribus computare. Ovid. Trist. : *Cedit viribus æquum.* Francius.

Incommodis. Ita mss. Bonon., Reg. Put. et editi. At mss. Taurin. et Reg. rec. *commodis.* Hæc tamen ultima lectio non est omnino contemnenda.

Ita quæ ante palam fiebant. Sic lego cum mss. Bonon., Regio Put et edit. Thomas., Is. In cæteris editis ac mss. Taurin. et Reg. rec. legitur, *itaque quæ.*

Remissionem. Mss. 2 Reg. et 4 editi, *remunerationem.*

Bonorum. Mss. 2 Reg. et 4 editi, *justorum.*

Ut nosceremus. Est manuscriptorum Taurin., Regio-Put. et Bonon. Non extat in Reg. rec. et 10 edit. Pro *nosceremus*, est in Bonon. Reg. rec. et supradictis editis 10, *disceremus*, quod mox præcessit.

Tradente. In Taurin. ms. *tradentem.* Cæteri *tradente.*

Fuimus. In ms. Reg. rec. et edit. *sumus.* Mss. Taur., Bonon., Regio-Put., *fuimus.*

Igitur. In ms. Reg. rec. et edit. *enim.* Additum est modo vox *divina* ex mss. Regio-Put., Bonon. et editis 4.

Præstari. In ms. Reg. rec. et ed., *præstare.* Mss. Taur., Regio-Put., *præstari.*

Ut ne, etc. Mss. Bonon. et Reg. rec. *ut ne.* Taur., Regio-Put. *ut non.* Editi legunt, *ut ne facias ulli, quod.* Job. IV, Luc. VI.

Metiaris. Ita mss. 3 antiqui; at Reg. rec. et ed. *metieris.*

De te. Ita mss. Taur., Bonon., ed. Is.; at mss. 2 Reg. et ed. *in te.* Vide seq. *de altero.*

Volvamus. Sed mss. Reg. rec. et ed. *volvemus.*

Primo gradu. Verum mss. 2 Reg. et ed. *in primo.*

Insistit. Ita ms. Taurin., sed in ms. Reg. rec. et ed. *consistit.*

Primum. At in ms. Reg. rec. et ed. *primus.* — *Primum... proximum.* Hic locus adhuc in omnibus edd. corruptus fuit. Plures, neque primum Marian. Tuccius, uti Heumanno visum, sed prius Parrhas. 1509, tum Ald., Crat., Cymn., Gryph., Betul., Torn. legebant : *Primus... non nocere proximo, sed officiose prodesse.* Bun.

Nocere. Ita Regio-Put. et Taurin. At ed. *nocere proximo, sed officiose prodesse.* A Bonon. abest *officiose.*

Rudibus agris. Rudes agri dicuntur, qui nondum fuere cultura expoliti. Sic *vas rude* dicitur, quod nunquam fuit usurpatum. Barthius.

Et omnibus. Ita mss. Bon., Reg., Put. et ed. Is. In Taur., Reg. rec. et ed. *omnium.*

Sunt. In editis deest *sunt.*

Ita. Deest in ms. Taurin.

Digitized by Google

periculi sui respectum habere permittant : ira, quæ vindictam cupit; avaritia, quæ desiderat opes; libido, quæ appetit voluptates. Illis vitiis ante omnia resistendum est; hæ stirpes eruendæ, ut virtutes inseri possint. Hos affectus Stoici amputandos, Peripatetici temperandos putant. Neutri eorum recte : quia neque in totum detrahi possunt, siquidem natura insiti certam habent magnamque rationem; neque diminui, quoniam si mala sunt, carendum est etiam temperatis et mediocribus, si bona, integris abutendum est. Nos vero, neque detrahendos, neque minuendos esse dicimus. Non enim per se mala sunt, quæ Deus homini rationabiliter insevit : sed cum sint utique natura bona, quoniam ad tuendam vitam sunt attributa, male utendo fiunt mala; et sicut fortitudo, si pro patria dimices, bonum est, si contra patriam, malum : sic et affectus, si ad usus bonos habeas, virtutes erunt, si ad malos, vitia dicentur. Ira igitur ad coercitionem peccatorum, id est, ad regendam subjectorum disciplinam data est a Deo, ut metus licentiam comprimat, et compescat audaciam. Sed qui terminos ejus ignorant, irascuntur paribus, aut etiam potioribus. Inde ad immania facinora prosilitur : inde ad cædes, inde ad bella consurgitur. Cupiditas quoque ad desideranda et conquirenda vitæ necessaria tributa est. Sed qui nesciunt fines ejus, insatiabiliter opes congerere nituntur. Hinc venena, hinc circumscriptiones; hinc falsa testamenta, hinc omnia fraudum genera eruperunt. Libidinis autem affectus ad procreandos liberos insitus et innatus est : sed qui limites ejus in animo non tenent, utuntur eo ad solam voluptatem. Inde illiciti amores, inde adulteria et stupra, inde omnes corruptelæ oriuntur. Redigendi sunt ergo isti affectus intra fines suos, et in viam rectam dirigendi, in qua etiamsi sint vehementes, culpam tamen habere non possunt.

CAPUT LXII, *alias* V.

(Lib. VI Inst., c. 12, 18, 20, 23.)

De voluptatibus sensuum coercendis.

Cohibenda est ira, cum patimur injuriam, ut et malum comprimatur, quod ex certamine impendet, et ut duas maximas virtutes, innocentiam patientiamque teneamus. Avaritia frangatur, cum habemus, quod satis est. Quis enim furor est, in his coacervandis laborare, quæ aut latrocinio, aut proscriptione, aut morte ad alios necesse sit pervenire? Libido extra legitimum torum non evagetur, sed creandis liberis serviat. Appetentia enim nimia voluptatis, et periculum parit, et infamiam generat, et (quod est maxime cavendum) mortem acquirit æternam. Nihil est tam invisum Deo, quam mens incesta et animus impurus. Nec hac sola voluptate abstinendum sibi quis putet, quæ capitur ex fœminei corporis copulatione, sed et cæteris voluptatibus sensuum reliquorum; quia et ipsæ sunt vitiosæ, et ejusdem virtutis est eas contemnere. Oculorum vo-

VARIORUM NOTÆ.

Respectum. Ms. Taurin. et editi addunt, *aut curam:* quod glossema a mss. 2 Reg. Bonon. et ed. Thom. et Is. abest.

Ira. In Taurin. ms. *iram.*

Ante omnia. Sic in 3 antiq. mss. totidemque editis est. *Ante omnia* deest in cæteris editis et in ms. Reg. rec.

Inseri. At *seri* est in ed. et mss. 2 Reg. Vide supra in fine cap. præcedentis, *virtutes inserendæ*, et lib. VI Divinarum Institut., cap. 3.

In totum. Non extat in editis. — *Neque in totum detrahi.* Ex ms. restituit Pfaffius, *in totum.* Rectissime. Delectatur maxime hac formula Lactantius, quam scioli hinc inde corruperunt. Lib. II Institut., cap. 10 : *Potest occidere in totum, quia per partes occidit;* l. IV, cap. 1 : *Sed adeo in totum sapientia occiderat;* l. VII, cap. 20 : *Si non extinguibiles in totum.* Bun.

Diminui. Sic mss. 2 antiq. At edit. *minui.*

Temperatis. Sic mss. 4 et plerique editi : verum deest in Regio-Put. et Bon. At in Reg. rec. est *temperandum.*

Integris abutendum. Sic Thysius, Spark., Gallæus, in meliorem partem sumpto verbo, ut in Terentii prologo Andriæ. Betul. *utendum;* Parrh. tamen et Aldus *adutendum;* et solet Lactantius more Ciceronis pro *uti*, ponere *abuti*. L. I Institut., cap. 6 : *Sicubi testimoniis earum fuerit abutendum;* de Ira, cap. 11 : *Licet diversis nominibus fuerint abusi.* Buneman.

Insevit. Ita mss. Regio-Put. et Taurin. At editi legunt *inseruit.*

Fortitudo. Ita Regio-Put., Taurin., Bodl. Aliter hic ed. cum ms. Reg. rec. : *sicut si fortissime pro patria dimices.* Ms. Taur. *dimicemus;* male. Vid. seq.

Habeas. Taurin. ms. *habeat.*

Est a Deo. Deest in Taurin. verum legitur in mss. Bon., 2 Regiis et edit.

Sed. Ita 5 mss. antiq. At ms. Regio-Put. et edd. *et* pro *sed* habent.

Ignorant. At ms. Reg. et edit. legunt, *Ignorat.*

Irascuntur. In ed. *irascitur paribus aut fortioribus.* Mss. Taurin., Regio-Put., habent *aut potioribus.*

Testamenta. Ita Taur., Bon., Reg. Put.; at Reg. rec. et ed. *testimonia*, melius.

Omnia. In edit. *omnium.*

Liberos. Sed in Reg. rec. et edit. *filios.*

In. Non extat in editis. Et Heumannus putat esse delendum.

Utuntur. Sed in Taurin. ms., *ut in eo.*

Illiciti amores. Ita mss. Bon., Regio-Put. et ed. Is. Taurin. ms. *inlicent amores;* Reg. rec. *illicitæ jam opes;* editi, *illicitæ nuptiæ.*

Dirigendi. Ita veterrimi mss. At ms. Reg. rec. et ed. *redigendi*, quod jam mox præcessit.

In qua. Restitui ex 2 mss. Reg. et ed. *In qua*, deest in Taurin. et Bon. quorum ultimus habet *sunt*, ut editi.

Frangatur. Mss. 3 antiq. At ed. *frangitur.*

Coacervandis. Ita mss. Taur., Reg. Put. At Regius alter et editi, *congerendis.*

Latrocinio, aut furto. Hæc duo verba ut inutilia expunxi, quæ absunt a mss. ac 6 ed. — *Aut furto.* Absunt a Taur., Bonon., mss. Thomasio, et cum secutis, et Cellario; habent Torn., Betul., Paris. At *aut furore*, Ven. 1478, 93, 1497. Pier., Parrh., Paris., perperam. Bun.

Necesse. Legitur *facile* in editis. In mss. Bon., Taur., Reg. Put., Bodl., *necesse.*

Infamiam. Sic lego ex veterrimis mss. Bonon. et Regio-Put. non *insaniam*, ut ferunt mss. Taurin., Reg. rec. et edit. Nam ex doctissimis medicis quos consului, frequentior coitus (ut aiunt) *insaniam* non generat. Hic enim agitur de his, qui nimia voluptate illecti, non solum uxores suas, sed et alienas quoque appetunt, etc. Vide Augustinum, serm. 278, de Sanctis, n. 9.

Acquirit. At ed. *incurrit;* mss. Regio-Put., Taurin., Bonon., Bodl. *acquirit;* Reg. rec. *accurrit*, corrupte.

Quis. Non habetur in mss. 2 Reg. et edit.

Digitized by Google

luptas percipitur ex rerum pulchritudine, aurium de vocibus canoris et suavibus, narium de odore jucundo, saporis de cibis dulcibus : quibus omnibus virtus repugnare fortiter debet, ne his illecebris irretitus animus, a cœlestibus ad terrena, ab æternis ad temporalia, a vita immortali ad pœnam perpetuam deprimatur. In saporis et odoris voluptatibus hoc periculum est, quod trahere ad luxuriam possunt. Qui enim fuerit his deditus, aut non habebit ullam rem familiarem, aut, si habuerit, absumet, et aget postmodum vitam detestabilem. Qui autem rapitur auditu (ut taceam de cantibus, qui sensus intimos ita sæpe deliniunt, ut etiam statum mentis furore perturbent, compositis certis orationibus numerosisque carminibus, aut argutis disputationibus) ad impios cultus facile traducitur. Inde est, quod scriptis cœlestibus, quia videntur incompta, non facile credunt, qui aut ipsi sunt diserti, aut diserta legere malunt : non quærunt vera, sed dulcia; immo illis hæc videntur esse verissima, quæ auribus blandiuntur. Ita respuunt veritatem, dum sermonis suavitate capiuntur. Voluptas vero, quæ spectat ad visum, multiformis est. Nam quæ percipitur ex rerum pretiosarum pulchritudine, avaritiam concitat, quæ aliena esse debet a sapiente atque justo : quæ autem capitur de specie mulierum, in alteram rapit voluptatem, de qua jam superius locuti sumus.

CAPUT LXIII, *olim* VI.

(Div. Inst. lib. VI, c. 18 et 20.)

Spectacula esse potentissima ad corrumpendos animos.

Superest de spectaculis dicere; quæ, quoniam potentiora sunt ad corrumpendos animos, vitanda sapientibus, et cavenda sunt totaliter, quod ad celebrandos deorum honores inventa memorantur. Nam munerum editiones Saturni festa sunt. Scena Liberi patris est. Ludi vero Circenses Neptuno dicati putantur, ut jam qui spectaculis interest, relicto Dei cultu, ad profanos ritus transiisse videatur. Sed ego de re malo dicere quam de origine. Quid tam horribile, tam tetrum, quam hominis trucidatio? Ideo severissimis legibus vita nostra munitur; ideo bella execrabilia sunt. Invenit tamen consuetudo quatenus homicidium sine bello ac sine legibus faciat, et hoc sibi voluptas, quod scelus vindicavit. Quod si interesse homicidio, sceleris conscientia est, et eidem facinori spectator obstrictus est, cui et admissor, ergo et in his gladiatorum cædibus non minus cruore profunditur, qui spectat, quam ille qui facit : nec potest esse immunis a sanguine, qui voluit effundi, aut videri

VARIORUM NOTÆ.

Aurium... suavibus. Deest in ms. Taurin., lego *suavibus* ex Regio Put. Est et apud Ciceronem *vox suavis et canora.* In Bonon. *suavitatibus;* in Taurin. et Reg. rec. ac editis *suasionibus :* apud Lactant. l. VI, cap. 21, *vocum suavitas*, et *suaves soni.*

Dulcibus. Ita mss. Taur. et Reg. Put. At Reg. rec. et ed. *dulcioribus.*

Voluptatibus. Sic mss. Reg. Put. et Taurin. At Reg. rec. et ed., *voluptate.*

Luxuriam. Taurin. *luxuriem;* Bonon., Regio-Put. Taurin., *possunt;* ed. *luxuriam poterit.*

Intimos. Non extat in ed. multis.— *Sensus intimos.* Rectissime *intimos* addiderunt ex Bonon., Thomasius; Isæus, etc. Cell., et ex Taurin. ms. Pfaffius, etc. Sic l. I Institut., cap. 20 : *sensibus intimis.* Esse elegantiam Tullianam ad Minuc. Fel. cap. I : *intimis sensibus*, Gronovius ostendit. Iterum Lact. lib. VI, cap. 21 : *Ne capiamur iis quæ ad sensum intimum penetrant.* Bun.

Statum, etc. Mss. 3 antiq. ut in textu : hæc paulo aliter leguntur in ed.— *Statum mentis furore perturbent.* Cell. et alii, *ut etiam status mentis furore perturbetur.* Priorem lectionem præstant Bonon., Taurin., Isæus, Pfaffius et seqq. rectissime. Bun.

Certis. Antiqui tres mss. *certe*; editi, *certis;* mss. Reg. rec. *cæteris*, corrupte, pro *certis.*

Credunt. In ed. *creditur.* In mss. Regio-Put., Taurin., Bonon., ed. Is. et Fasitel. *credunt*, recte.

Qui. In edit. *quia.*

Malunt. Ms. Reg. rec. et edit. *volunt*; mss. Regio-Put., Taurin., Bonon. et edit. Is. *malunt.*

Dulcia. Emendavi ex Regio-Put. et Bonon. Quod jam observaverat Rittershusius ad Isidor. Pelus. In mss. Taurin., Reg. rec. et editis *dubia*, male. Vid. seqq.

Suavitate. Sic mss. Taurin., Reg. Put., Bonon., ed. Is. Alter Reg. et editi, *varietate*, sed mendose.

Rapit. Mss. Bonon. et 2 Reg. *cadit*, male. Ms. Taurin. *capit*, mendose. Editi, *rapit*, recte.

Potentiora. Mss. duo Reg. Taur. et multi editi *potentia.* Ms. Bonon. et ed. Is. *potentiam.* Lactantius, lib. VI Div. Instit., c. 20, *ad corrumpendos animos potentissimæ valent.*

Totaliter. 3 mss. *tum;* ms. Reg. rec. *taliter;* omnes editi *totaliter.* — *Et cavenda sunt totaliter. Dictionem totaliter expulimus, quæ nec Lactantiana est, nec Latina, nec in Bon. aut aliis mss. recepta.* Isæus. Bene. Non agnoscit eamdem Sparkius. Bun.

Munerum. Ita omnes mss. præter Taurin. cui est *numerum*, sed corrupte.

Munerum editiones Saturni festa sunt. Sic emendavi ex mss. Bon., Reg. Put., Taurin. et edit. Is. Et quidem recte. Nec immutanda fuit genuina Lactantii lectio. Non enim Saturno fiebant munera : sed in ejus festo, scilicet in Saturnalibus edebantur ludi, et amici sibi invicem munera mittebant, quæ *Saturnalia* dicebantur. Vide Rosinum Antiquitat. Romanar. lib. IV, cap. 16, et Macrobium, lib. I Saturnal. cap. 7. In ms. Reg. rec. in 10 edition. et in nova Parisiensi, *Saturno factæ sunt;* in Fasitel. et Cellar. *Saturno facta sunt*, male.

Spectaculis. Sic mss. Taurin., Reg.-Put., Bonon., Bold. Et sic legendum esse patet ex fine cap. 20 lib. Divin. Institut., ubi constanter legitur ex omnibus tum mss. tum edit. codicibus : *Si quis igitur spectaculis interest, ad quæ religionis gratia convenitur, discessit a Dei cultu, et ad deos se contulit, quorum natales et festa celebravit.* Legitur in uno ms. Reg. rec. et ed. *spectat vel interest.*

Munitur. Ms. Reg. rec. et edit., *multatur.*

Invenit. Ms. Reg. rec. et ed., *inventa.*

Faciat. Ed. *faciant et hoc ut scelus vindicent.* Taur., Regio-Put., *faciat.* Bon., Regio-Put., *vindicavit.* Taur., *vindicabit.*

Eidem facinori. Ed. *eodem facinore spectator obstrictus est, quo et admissor.* Mss. ut in textu. Lactantius ipse lib. III, cap. 18, *Eidem sceleri obstrictus est.*

Admissor. Hanc vocem in antiquioribus non legi : inveni vero in August. de Civit. Dei l. VII, cap. 3 : *seminis admissor*, admissor scilicet facinoris. Bun.

Et in his. Ed. *Et his gladiatorum sceleribus;* Taurin., Regio-Put., *in his gladiatorum cædibus;* Bonon. et 2 Reg. cum editis, *perfunditur;* Taurin. *profunditur.*

Cruore profunditur. Buneman. legere mavult *perfunditur*, sicque suam lectionem conatur asserere : « Non, inquit, dicunt ita Latini; lege igitur cum Bon.

Digitized by Google

non interfecisse, qui interfectori et favit, et præmium postulavit. Quid scena? num sanctior? in qua comœdia de stupris et amoribus, tragœdia de incestis et parricidiis fabulatur. Histrionum etiam impudici gestus, quibus infames fœminas imitantur, libidines, quas saltando exprimunt, docent. Nam mimus corruptelarum disciplina est, in quo fiunt per imaginem, quæ pudenda sunt, ut fiant sine pudore, quæ vera sunt. Spectant hæc adolescentes, quorum lubrica ætas, quæ frænari ac regi debet, ad vitia et peccata his imaginibus eruditur. Circus vero innocentior existimatur: sed major hic furor est; siquidem mentes spectantium tanta efferuntur insania, ut non modo in convitia, sed etiam in rixas, et prælia, et contentiones sæpe consurgant. Fugienda igitur omnia spectacula, ut tranquillum mentis statum tenere possimus. Renuntiandum noxiis voluptatibus, ne deliniti suavitate pestifera, in mortis laqueos incidamus.

CAPUT LXIV.

(Lib. VI Inst., c. 18.)

Affectus sunt domandi, et a vetitis abstinendum.

Placeat sola virtus, cujus merces immortalis est, cum vicerit voluptatem. Superatis autem affectibus et perdomitis voluptatibus, facilis in comprimendis cæteris labor est ei, qui sit Dei veritatisque sectator: non maledicet unquam, qui speravit a Deo benedictionem. Non pejerabit, sed ne jurabit quidem, ne quando vel necessitate, vel consuetudine in perjurium cadat. Nihil subdole, nihil dissimulanter loquetur; neque abnegabit, quod spoponderit, neque promittet, quod facere non possit: non invidebit cuiquam, qui se suoque contentus sit; nec detrahet, aut male alteri volet, in quem forsitan beneficia Dei proniora sunt. Non furabitur, nec omnino quidquam concupiscet alienum; non dabit in usuram pecuniam (hoc est enim de alienis malis lucra captare), nec tamen negabit, si quem necessitas cogit mutuari. Non sit asper in filium, neque in servum: meminerit, quod et ipse patrem habeat et dominum. Ita cum his aget, quemadmodum secum agi volet. Munera superabundantia non accipiet a tenuioribus; nec enim justum est augeri patrimonia locupletum per damna miserorum.

Vetus præceptum est, non occidere, quod non sic accipi debet, tamquam jubeamur ab homicidio tantum, quod etiam legibus publicis vindicatur, manus abstinere. Sed hac jussione interposita, nec verbo

VARIORUM NOTÆ.

et editis, *cruore perfunditur*. Lib. VI, cap. 20: *Ne conscientiam perfundat ullus cruor*; l. VII, cap. 1, *sancto cruore perfusi*; Ovid. I Metam. 157, *perfusa sanguine terra*; Tacit., Agric., cap. 45: *Nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Profundere cruorem* est *effundere*. » BUN.

Favit. Editi, *favet*.

Histrionum. Ita Taurin. et Regio-Put. At in ms. Reg. rec. et in editis, *Histrionici*.

Nam mimus, etc. Sic emendavi ex mss. Regio-Put., Bonon. ac edit. Cantabrig. et Cellar. In ms. Taurin. et edit. Walch., *Nec minus*; Reg. rec. *Non minus*; edit. Crat., Graph., *An non minus*; male. Edit. sex: *An non minus corruptela disciplinarum est*. Propius ad eam, quam restitui, lectionem accedit editio Juntar. quæ sic habet: *An non mimus corruptelarum disciplina est*. Nec secus habet Lactantius lib. VI, cap. 20: *Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam?*

In quo fiunt. Ita omnes fere editi cum mss. Et recte; refertur enim ad *mimus*. Edit. nova Parisiensis et Walch. *in qua*, male.

Pudenda. Ita mss. Taurin. et Reg. Put. At editi cum ms. Reg. rec., *quæ non sunt*.

Circus. Mss. Reg. rec. et editi pro *vero* habent *non*. Cæterum *circus* sic dictus, *quod circum spectaculis ædificatus, ubi ludi fiunt, et quod ibi circum metas fertur pompa, et equi currunt*, ut ait Varro de L. L. l. IV.

Et. Ms. Reg. rec. et ed. *nec non et*.

Deliniti. Mss. Taurin. et Regio-Put. *delenïti*.

Laqueos. Ms. Taurin. solus *plagas*. Cæteri *laqueos*. — *In mortis plagas incidamus*. Editi *in laqueos*; ut lib. II, cap. 1: *In laqueos mortis incurrunt*; et lib. IV, cap. 26: *In laqueos æternæ mortis incurrunt*; lib. IV, cap. 30: *Nequando in laqueos et fraudes adversarii incideremus*. Pro Taurin. est lib. III, cap. 1: *Ipsi se in plagas... induxerunt*; lib. II, cap. 16: *plagas tendunt*. BUN.

Placeat. Sic reposui ex mss. Ed. *Placet*.

Superatis. Mss. Reg. rec. et ed. *suppositis*. Cæteri ut in textu.

Labor est ei, qui sit Dei. Verba, *ei, qui sit*, non leguntur in manuscripto Taur. Forsan ita distinguendum: *Labor est, Dei veritatisque sectator non maledicet unquam*. Anonymus Britannus, approbante Heumanno: *labor est Dei veritatisque sectatori*. BUN.

Speravit. Ms. Reg. rec. *spectabit*. At editi *expectabit*.

Non pejerabit. Ita mss. Taurin. Regio Put. At Bon. *hic pejerabit*; Reg. rec., *hinc jurabit*; 6 edit., *hinc vitabit*. Deut. V, Matth. I, Tim. I.

Sed ne jurabit quidem, etc. Temere et in vanum, concedo: verum in re necessaria jurabit, ut docet B. Paul Heb., VI, 16, juramenta vera, necessaria, de re magni momenti, et a magistratu postulata, ut omni controversiæ finis imponatur, omnino sunt licita, ut patet ex multis Scripturæ locis, et sanctorum, qui jurarunt, exemplis, ut probari posset fuse, si instituti nostri hoc nunc esset: vide Act. II, 30, ibi dicitur quod Deus ipse Davidi juraverit; Apocalyp., X, 6, angelus jurat per *viventem in sæcula sæculorum*. Etiam B. Paulus, ep. II, ad Cor., c. I, 23; Matth., V; Jac., V.

Spoponderit. At in Taurin. ms. *sponderit*, mendose.

Se suoque. Mss., Bonon. Reg. rec. et ed. *de suo*, pro *se suoque*, quod est in Taurin. et Regio-Put.

In usuram pecuniam. Sic ms. Reg-Put. In Taurin. est *in usu*; ms. Reg. rec. et edit. *in usura*. Vide supra, l. I, c. 15, et l. VI, c. 18; ps. XIV, Ezech., XVIII.

De alienis. Deest in ms. Taurin.

Captare. Sic mss. et edit. præter Taurin. in quo est *capere*. Deut., XV; Matth., V; Luc., VI.

Si quem. Ita ms. Regio-Put. At in Taurin. ms., *si qui si quem*; ed. *siquidem*.

Sit. Ita ms. Reg. rec., at ed. *erit* pro *sit*, quod est in mss. Taurin., Regio-Put. et Bonon.

Aget. At mss. Reg-Put. et Bon., *agat*. Vide præced et seqq. Eccl., VII et XXXIII; Ephes., VI.

Volet. Ms. Reg. rec. et ed., *vellet*. Mss. Taurin. et Regio Put., *volet*.

Accipiet. Ms. Reg. rec. et ed., *recipiet*. Mss. Regio-Put. et Bon., *accipiat*.

Vindicatur. Ita Taur. et Regio-Put. mss. At ed. *jubetur*. Bon. et ed. Is., *vindicetur*; Reg. rec., *videretur*; ac corrupte, ut patet.

Sed hac. Ita ex Bon. et 3 editis restitui: ed. habent, *sed nec*, pro *sed hac*. Vide infra, *sed hoc præcepto*.

Digitized by Google

licebit periculum inferre, nec infantem necare aut exponere, nec seipsum voluntaria morte damnare. Item non adulterare : sed hoc præcepto, non solum corrumpere alienum matrimonium prohibemur, quod etiam communi gentium jure damnatur, verum etiam prostitutis corporibus abstinere. Supra leges enim Dei lex est ; ea quoque, quæ pro licitis habentur, vetat, ut justitiam consummet. Ejusdem legis est falsum testimonium non dicere, quod et ipsum latius patet. Nam si falsum testimonium mendacio nocet ei, contra quem dicitur, et fallit eum apud quem dicitur, nunquam igitur mentiendum est, quia mendacium semper aut fallit, aut nocet. Non est ergo vir justus, qui etiam sine noxa in otioso sermone mentitur. Huic vero nec adulari licet, perniciosa est enim ac deceptrix adulatio : sed ubique custodiet veritatem. Quæ licet sit ad præsens insuavis, tamen, cum fructus ejus atque utilitas apparuerit, non odium pariet, ut ait poeta (*Terent. Andr., act.* I, *scen.* 1), sed gratiam.

CAPUT LXV ; *alias* VII.

(Lib. VI Inst., cap. 10 et seq.)

Præcepta eorum quæ jubentur et de misericordia.

Dixi de iis, quæ vetantur : dicam nunc breviter, quæ jubentur. Innocentiæ proxima est misericordia. Illa enim malum non facit, hæc bonum operatur ; illa inchoat justitiam, hæc complet. Nam, cum imbecillior sit hominum natura quam cæterarum animantium, quas Deus et instructas ad inferendam, et munitas ad vim repellendam figuravit, affectum nobis misericordiæ dedit, ut omne præsidium vitæ nostræ in mutuis auxiliis poneremus. Si enim ficti ab uno Deo, et orti ab uno homine, consanguinitatis jure sociamur, omnem igitur hominem diligere debemus. Itaque non tantum inferre injuriam non oportet, sed ne illatam quidem vindicare, ut sit in nobis perfecta innocentia. Et ideo jubet nos Deus etiam pro inimicis precem facere semper. Ergo animal commune atque consors esse debemus, ut nos invicem præstandis et accipiendis auxiliis muniamus. Multis enim casibus et incommodis fragilitas nostra subjecta est. Spera et tibi accidere posse, quod alteri videas accidisse.

Ita demum excitaberis ad opem ferendam, si sumpseris ejus animum, qui opem tuam in malis constitutus implorat. Si quis victu indiget, impertiamur ; et si quis nudus occurrerit, vestiamus ; si quis a potentiore injuriam sustinet, eruamus. Pateat domicilium nostrum peregrinis vel indigentibus tecto. Pupillis defensio, viduis tutela nostra non desit. Redimere ab hoste captivos magnum misericordiæ opus est, ægros pauperes visere atque refovere. Inopes aut advenas, si obierint, non patiamur insepultos

VARIORUM NOTÆ.

Inferre. Restitui ex Taurin., Bon., Regio-Put. et Bodl. mss. et 4 editis, *mortis inferre.* In cæteris deest *mortis* —*Periculum inferre.* In ms. Taur. est, *periculum mortis inferre ;* habet quoque Bonon. et secuti sunt Isæus, Gall., Spark., Cell.; labitur Heumannus scribens, *mortis* omissum in mss. Taurinensi. BUN.

Prohibemur. Mss. Regio-Put., Taurin., Bon. At ed., *prohibetur.*

Nam si falsum testimonium mendacio nocet ei, contra quem dicitur, et fallit eum apud quem dicitur. Ita restitui ex mss. Bon. et duobus Regiis. Paulo aliter legitur in editis, scilicet, *si mendacium nocet ei contra quem dicitur,* etc. in ms. autem Taur. desunt hæc, *et fallit eum, apud quem dicitur.*

Nunquam igitur mentiendum est. Non esse mentiendum omnes asserere, ubi damnosum est, vel otiosum mendacium. Ubi vero est officiosum, Origenes secutus Platonem in III de Republica, cujus verba Clemens Alexandrinus refert lib. VI Stromat., putavit licere mentiri, et deinde Chrysost. in fine l. I de Sacerdot. ; Cassianus, l. XVII Collation., c. 17 et seqq. ; Hieronym. in comment. Ep. ad Galat. Catholica veritas est, quam hoc loco docet Lactantius, et S. Augustinus in libro de Mendacio. Textus in cap. super eo, tit. de usur. *Magister,* et omnes theologi in 3, Dist. 58, videlicet numquam esse mentiendum, et ad auctoritates Patrum contra opinantium respondent doctores ubi supra. Is.— Vide supra not. ad caput 18, lib. VI Div. Institut. Exod., XX ; Deuter. V.

Non est ergo vir justus, etc. Sic mss. nisi quod in Bonon. *non* est proxime ante *etiam.* Edd., *non est vir justus, qui non sine noxa vitioso sermone mentitur.* Eccl., VII ; Ps. V ; I *Timot.*, III.

Huic. Ita mss. veterrimi. At ms. Reg. rec. et edd. *hinc.*

Custodiet. Sic antiquissimi mss. Sed Reg. rec. et edd., *custodiat.*

Insuavis. Ita et lib. V, c. 1, ac de Ira Dei, c. 20.

Instructas ad inferendam. Sic ms. Reg. rec.; at Taurin. ms., *ad ferendum;* et ms. Regio-Put., *structas ad inferendum.*

Affectum, usque ad *dedit.* Desunt in ms. Taurin.

Ficti. Ms. Reg. et ed., *facti.*— *Ficti.* Sæpe hæ voces in Lactantio confusæ, et sæpe id monui ; vide, ex. gr., l. II Institut., c. 10, in not. Hic *ficti* cum Davisio et Heumanno præfero, quia repetita ex l. VI Institut., c. 10, *quem* (hominem) *Deus finxit ;* et infra, *a Deo fictus est ;* Epit., c. 67 : *in fingendo homine.* BUN.

Semper. Ergo. Rectius foret legere *semper ergo,* sine ulla separatione; punctumque adhibere ante semper.

Accipiendis. Ms. Reg. rec. et ed. *recipiendisque.*

Multis. Ms. Reg. rec. et ed. *in multis.*

Nostra. Non extat in ms. Taurinensi.

Spera. Ed. *speres tibi accidere quod alteri accidit.*

Opem tuam. Sic mss. Bonon. et Regio-Put. At ed., *opem tunc.* I Reg. rec., *opem tamen.* Taurin., *operam.*

Impertiamur. Ita Reg. Put. et Bon. ac. 7 edit. At Taurin. ms. *impertiamus.* Hanc ultimam lectionem bonam putat esse Heumannus, quia Lactantius alibi legit *impertit.* — *Impertiamur.* Legitur vero *impertiamus* apud Bunemannum, qui notam sequentem exhibet. — *Impertiamus.* Merito hæc terminatio ex Taurin. a Davisio ob elegans homæoteleuton præfertur ; *impertiamus,* vestiamus, eruamus : in editis solus Gymnicus ita dedit, postea Davisius, Heumannus. BUN.

Si... vestiamus. In 7 ed. non extat, nec in mss. Taur. et Reg. rec. — *Si quis nudus.... vestiamus.* Hæc ex Bonon. Jam Thomas., Isæus, Gall., Spark., Cellarius addiderant recte : Sed pro *occurret*, editi ex Bonon., *occurrerit;* Davis. mallet in præsenti, *occurrit, ut indiget.... sustinet.* BUNEMAN.

Si quis a. Non extat in ms. Taurin. Eccl. IV, Job. XXXI, Jac. I.

Magnum, etc. Multi editi, *magnanimi opus est, item ægros pauperes visitare atque fovere.* Omnes mss. et editi sex, ut in textu. Taur. addit *item* post *ægros.* Eccles. VII, Matth. XXV, I Thess. V.

Aut advenas. Ita vet. mss. At pro *advenas*, editi habent *pauperes.* Tob. I.

Digitized by Google

jacere. Hæc sunt opera, hæc officia misericordiæ, quæ si quis obierit, verum et acceptum sacrificium Deo immolabit. Hæc litabilior victima est apud Deum, qui non pecudis sanguine, sed hominis pietate placatur : quem Deus, quia justus est, sua et ipsum lege, sua et conditione prosequitur; miseretur ejus, quem viderit misericordem, inexorabilis est ei, quem precantibus cernit immitem. Ergo, ut hæc omnia, quæ Deo placent, facere possimus, contemnenda est pecunia, et ad cœlestes transferenda thesauros, ubi nec fur effodiat, nec rubigo consumat, nec tyrannus eripiat; sed nobis ad æternam opulentiam, Deo custode, servetur.

CAPUT LXVI, *alias* VIII.

(Lib. VI Inst., cap. 23.)

De fide in religione, et de fortitudine.

Fides quoque magna justitiæ pars est : quæ maxime a nobis, qui nomen fidei gerimus, conservanda est, præcipue in religione, quia Deus prior est et potior quam homo. Et si est gloriosum pro amicis, pro parentibus, pro liberis, id est, pro homine suscipere mortem, et qui hoc fecerit, diuturnam memoriam laudemque consequitur; quanto magis pro Deo, qui potest æternam vitam pro temporali morte præstare! Itaque cum inciderit ejusmodi necessitas, ut desciscere a Deo, atque ad ritus gentium transire cogamur, nullus nos metus, nullus terror inflectat, quominus traditam nobis fidem custodiamus. Deus sit ante oculos, sit in corde, cujus interno auxilio A dolorem viscerum, et adhibita corpori tormenta superemus. Nihil tunc aliud quam vitæ immortalis præmia cogitemus. Ita facile, etsi dissipandi aut urendi artus fuerint, tolerabimus universa, quæ in nos tyrannicæ crudelitatis amentia molietur. Postremo ipsam mortem non inviti, aut timidi, sed libentes et interriti subire nitamur, cum sciamus quali apud Deum gloria simus functuri, triumphato sæculo ad promissa venientes; quibus bonis, quanta beatitudine brevia hæc pœnarum mala, et hujus vitæ damna pensemus. Quod si facultas hujus gloriæ deerit, habebit fides etiam in pace mercedem.

Teneatur ergo in omnibus vitæ officiis, teneatur in matrimonio. Non enim satis est, si aut alieno toro, aut lupanari abstineas. Qui habet conjugem nihil B quærat extrinsecus : sed contentus ea sola, casti et inviolati cubilis sacramenta custodiat. Adulter enim Deo est perinde atque incestus, qui, abjecto jugo, vel in liberam, vel in servam peregrina voluptate luxuriat. Sed sicut fœmina castitatis vinculis obligata est, ne alium concupiscat : ita vir eadem lege teneatur, quoniam Deus virum et uxorem unius corporis compage solidavit. Ideo præcepit non dimitti uxorem, nisi crimine adulterii revictam, ut nunquam conjugalis fœderis vinculum, nisi quod perfidia ruperit, resolvatur. Illud quoque ad consummandam pudicitiam jungitur, ut non modo peccatum absit, verum etiam cogitatio. Pollui enim mentem quamvis inani cupiditate manifestum est; itaque justum hominem, quod sit secus, nec facere oportere, nec

VARIORUM NOTÆ.

Obierit. Extat *perfecerit* in editis.

Litabilior. In mss. 2 Reg. est, *letabilior;* et ita correxit in mss. Taur. antiquissima manus. Cæteri mss. et omnes editi, *litabilior.* Sic *litabilis victima*, supra lib. I Div. Institut., cap. 21, circa medium.

Pecudis. At ms. Reg. rec. et ed., *pecudum.* Veteres mss. *pecudis.*

Sua et ipsum, etc. Editi cum ms. Taurin. *suam et ipsum lege sua conditione;* Regio-Put. et Bonon. cum ed. Is. ut in textu.

Ejus. Ita mss. veterrimi Taur., Regio-Put. At Reg. rec. et editi, *ei.*

Ubi nec fur. Ita mss. codices. At ed. *fur non effodiet.* Matth. VI, Luc. XII, I Tim. VI.

Consumat. In ed., *consumet.*

Eripiat. In ed. legitur *eripiet.*

Servetur. Sic omnes mss. codices : sed editi, *servabitur.*

Religione. Ita mss. omnes : at ed., *Religionem.*

Potior. At ms. Reg. rec. et ed. *potentior.*

Quam. Non est in ms. Taurin.

Desciscere. Ms. Reg. rec. et editi *discedere.* Omnes antiqui *desciscere.*

Interno. Æterno. Ita correxit manus antiqua in ms. Taurinensi.

Dolorem. Sed editi, *dolor :* at mss. habent *dolorem.*

Superemus. Editi *superentur;* ms. Taurin. *superemus*, recte; Regio Put. *superabit.*

Aut urendi. Deest in ms. Taur.

Universa. Non extat in editis 7 et in ms. Reg. rec.

Crudelitatis. Dominationis, pro *crudelitatis*, habent editi cum ms. Reg. rec.

Cum sciamus. Mss. Regio-Put. Taurin. *cum;* tres, *sciamus.* At ed. *ut qui*, pro *cum.*

Simus. Sequor ms. Taurin. In omnibus editis est *sumus.* In 2 Reg. Bon. et ed. Is. *sumus futuri.* Repe- C ritur in 12 ed. *functuri*, etiamque apud Cicer. *prospera functus fortuna*, de Cl. 24.

Triumphato.... venientes. Non extat in ms. Taurin. Hic desinit Reg. Put.

Aut. Non extat in editis.

Casti. Ita mss. Taurin., Bonon., Reg. rec. Sed in edit. *carnem castiget.*

Cubilis. At Taurin. ms. *cubili. Casti... cubilis sacramenta*, hoc est, fidem conjugalem.

Adulter, etc. Sequor ms. Bon. et 6 edit. In pluribus editis est, *Adulter enim Deo est proinde atque incestus.* Ms. Reg. rec., *Adulter enim Deo et per incestus;* Taurin., *Est enim Deo et incestus.*

Ne alium concupiscat. Sequor ms. antiquis. Bonon., ed. Is, et Latinium. Mss. Taurin., Reg. rec. et edit. habent *ne aliud.*

Quoniam. Ita mss. Taur. in Reg. et ed., *quo Deus et viro uxorem;* Bonon., edit. Is., Spark., *quia Deus.* Forte leg., *qua*, ut in ed. Gymnic. Genes. II, Marc. X. D

Revictam. Sic Taurin.; Bonon. At *devictam* extat in editis fere omnibus. *Ut nunquam* est ex ms. Bonon. et ed. Is. Aliis est, *et.*

Illud quoque ad consummandam pudicitiam jungitur. Davisius corrigit, *injungitur.* At nullibi *injungere* in sensu *præcipiendi* posuit : hinc mallem *adjungitur*, id est, *additur.* Ita enim, unde hæc breviata, lib. VI, cap. 23. Ex ms. Bonon. : Adduntur illa : *non tantum adulterium esse vitandum, sed etiam cogitationem.* Bun.

Absit. Verum Taurin. ms. *obsit.*

Quamvis inani cupiditate. Ita editi; Pfaffius legendum censet, *quavis inani cupiditate.* Respice ad lib. VI, cap. 23. Bun.

Manifestum. Ita Bonon. et 6. ed. At Taurin. ms. : *ita justum hominem quod sit secus nec facere;* ms. Reg. rec. et 7 ed. *Itaque... qui scit se.*

Digitized by Google

velle. Purganda est igitur conscientia, quam Deus pervidet, qui falli non potest. Emaculetur omni labe pectus, ut templum Dei esse possit, quod non auri, nec eboris nitor, sed fidei et castitatis fulgor illustrat.

CAPUT LXVII, *alias* IX.

(Lib. VI Inst., c. 24 et 25; VII, c. 2 et 3.)

De pœnitentia, animæ immortalitate, et de Providentia.

Sed hæc enim omnia difficilia sunt homini, nec patitur conditio fragilitatis naturæ, esse quemquam sine macula. Ultimum ergo remedium illud est, ut confugiamus ad pœnitentiam, quæ non minimum locum inter virtutes habet, quia sui correctio est; ut cum forte aut re, aut verbo lapsi fuerimus, statim resipiscamus, ac nos deliquisse fateamur, oremusque a Deo veniam, quam pro sua misericordia non negabit, nisi perseverantibus in errore. Magnum est pœnitentiæ auxilium, magnum solatium. Illa est vulnerum peccatorumque sanatio; illa spes, illa portus salutis: quam qui tollit, viam vitæ sibi amputat, quia nemo esse tam justus potest, ut nunquam sit ei pœnitentia necessaria. Nos vero, etiamsi nullum sit peccatum, confiteri tamen debemus Deo, et pro delictis nostris identidem deprecari, gratias agere etiam in malis. Hoc semper obsequium Domino deferamus. Humilitas enim chara et amabilis Deo est: qui cum magis suscipiat peccatorem confitentem, quam justum superbum, quanto magis justum suscipiet confitentem eumque in regnis cœlestibus faciet pro humilitate sublimem.

A Hæc sunt quæ debeat cultor Dei exhibere; hæ sunt victimæ, hoc sacrificium placabile; hic verus est cultus, cum homo mentis suæ pignora in aram Dei confert. Summa illa majestas hoc cultore lætatur: hunc ut filium suscipit, eique donum immortalitatis impartitur; de qua nunc mihi disserendum est, et arguenda persuasio eorum, qui extingui animas cum corporibus arbitrantur. Qui quia nec Deum sciebant, nec arcanum mundi prospicere poterant, ne hominis quidem animæque rationem comprehenderunt. Quomodo enim possent sequentia pervidere, qui summam non habebant? Negantes igitur esse ullam providentiam, utique Deum, qui fons et caput rerum est, negaverunt. Sequebatur ut ea quæ sunt, aut semper fuisse dicerent, aut sua sponte esse
B nata, aut minutorum seminum conglobatione concreta.

Semper fuisse dici non potest, quod et est, et visui subjacet; ipsum enim esse sine aliquo initio non potest. Sua sponte autem nihil nasci potest, quia nulla est sine generante natura. Semina vero principalia quomodo esse potuerunt, cum et semina ex rebus oriantur, et vicissim res ex seminibus? Nullum igitur semen est, quod originem non habet. Sic factum est, ut cum putarent mundum nulla providentia factum, ne hominem quidem putarint aliqua ratione generatum. Quod si nulla esset in fingendo homine ratio versata, immortalem igitur animam esse non posse. Alii vero ex adverso, et Deum esse unum, et ab eo mundum factum, et hominum causa esse

VARIORUM NOTÆ.

Emaculetur. Ita mss. Taur., Bon., ed. Is.; at ms. Reg.
C rec. et editi habent, *Evacuetur.* — *Emaculetur.* Ed., *evacuetur.* PFAFFIUS. — Longe aptius hic Taurinensis et Isæus ex Bonon. exhibent *emaculetur.* Sequitur enim *labe.* *Labem* Latini *emaculare, eluere,* non *evacuare* dicunt. Contrarium, *labe maculari.* Epit. cap. 27: *Ne qua labe maculati honore angelico mulctarentur;* et lib. VI, cap. 23: *Etsi corpus nulla sit labe maculatum.* BUN.

Naturæ. Non extat in mss. Taur., Bonon. et 6 editis. Est in cæteris. Reg. VIII, II Paral. VI, Eccle. VII, Prov. XX.

Ac nos. Ita mss. Taurin., Reg., ac ed. Is., Crat. Cæteri editi, *aut.*

Perseverantibus. Sic Taur., Bonon. In ms. vero Reg. et ed., *perseverabimus.*

Deo. Non extat in ed. *Deo:* sed in ed. Is. et in mss. invenitur, ut et *delictis;* in ed. est *debitis.*
D

Pro delictis. Plures edd. etiam Cell., *debitis.* At elegantius Bonon. et Isæus, assentiente Davisio, *pro delictis.* Dicit noster peccata, crimina, delicta, vulnera, errores, etc. At *debita,* quod sciam, nusquam.

Hoc. Paris. ed. addit *enim,* quod non extat in mss antiq. nec in 6 edit.

Chara. Tam chara, in editis.

Qui cum magis. Mutilus hic locus est in editis, *ut cum angelis suscipiat peccatorem confitentem, quem in regnis cœlestibus faciat pro humilitate sublimari.*

Sublimem. Ita mss. Taurin. et Bonon. Editi vero cum Reg. rec., *sublimari.*

Debeat. Ed. *debet.*

Hæ. Taurin. ms. *hæc.*

Arum. At Taur. ms. *iram.* — *In aram Dei.* Rectissime correxit Pfaffius. Sic lib. VI, cap. 25: *Itaque in aram Dei... justitia imponitur, patientia, fides innocentia, castitas, abstinentia.* BUN.

Suscipit. Ms. Reg. et plurimi editi, *suscipit sibi, quia.*

Eique donum. Ita mss. Bonon. et ed. Is., Spark., Taurin. ms., *idoneum præmium* pro *eique donum.*

Impartitur. Ita mss. Bonon., Reg. et editi: at Taurin., *impertit.*

Arbitrantur. Sic mss. Taur. et Bon.; Reg. et ed. *putaverunt.*

Prospicere. Taurin. ms. recte. Alii *perspicere.*

Sequentia. Sic mss. Bonon. et Taur. At Reg. et ed., *sapientia providere.*

Qui summam non habebant. Ita correxi ex ed. Is., Spark. et Bon.; ms. Taur. *tenebant;* Ed. *scientiam non habebant.* — Peculiaris vox est Lactantio, ut *summam* appellet brevem quamdam et compendiariam divinorum mysteriorum collectionem atque notitiam: sic lib. VII Div. Institut., cap. 6 et 7. Isæus.

Rerum. Reg. habet *eorum.* Ed. *negantes ergo providentiam, utique Deum, qui fons et caput ejus est.*

Dici non potest. Ita 5 editi: at 10 alii, *quia quidquid est, esse sine aliquo initio non potest.*

Sine generante. Ita Taur., Bonon. et ed. Is., Spark. At. ed. *ratione.* Rectius fortasse legeris unius syllabæ additamento, *generatione.* SPARK.

Ex rebus. Sic Taurin., Bonon., Is., Spark.: ed., *exordiis.*

Habet. Ed. *habeat,* rectius.

Factum. Taurin. ms. *generatum.* Cæteri. *factum.* — *Nulla providentia generatum.* Ms. Taur.: *Nulla providentia generatum.* Eleganter: et ita vult vox sequens, *generari,* aut, ut Isæus vult, *generatum,* iterum. Generare vero est idem ac *creare, facere,* ut multis Lactantii locis, ad lib. III Institut., cap. 14, docuimus. BUN.

Ratione generatum. Ita ms. Bon. et ed. Is., Spark. Cæteri, *generari.*

Immortalem. Hæc paulo aliter leguntur in ed. In ms. Reg. deest particula negans.

Mundum. Ita ms. Bon. et 6 vulgati. Cæteri editi,

Digitized by Google

factum, et animas esse immortales existimaverunt. Sed cum ea senserint, hujus tamen divini operis atque consilii nec causas, nec rationes, nec exitus perspexerunt, ut omne veritatis arcanum consummarent, atque aliquo veluti fine concluderent. Sed quod illi facere non potuerunt, quia veritatem perpetuo non tenebant, nobis faciendum est, qui eam cognovimus, Deo annuntiante.

CAPUT LXVIII.

(Lib. VI div. Inst., cap. 4.)

De mundo, homine et Dei providentia.

Consideremus igitur quæ ratio fuerit hujus tanti tamque immensi operis fabricandi. Fecit Deus mundum, sicut Plato existimavit: sed cur fecerit, non ostendit. Quia bonus, inquit, et invidens nulli, fecit quæ bona sunt. Atqui videmus in rerum natura, et bona esse et mala. Potest ergo existere perversus aliquis, qualis fuerit ἄθεος ille Theodorus, et Platoni respondere: Imo quia malus est, fecit quæ mala sunt. Quomodo illum redarguet? Si quæ bona sunt, Deus fecit, unde igitur tanta mala eruperunt, quæ plerumque etiam prævalent bonis? In materia, inquit, continebantur. Bona igitur et mala, aut nihil, fecit Deus. Si bona tantum fecit, æterniora sunt mala, quæ facta non sunt, quam bona, quæ habuerunt exordium. Finem igitur habebunt, quæ aliquando cœperunt, et permanebunt, quæ semper fuerunt. Mala ergo potiora sunt. Si autem potiora esse non possunt, ne æterniora quidem possunt. Ergo aut utraque semper fuerunt, et Deus otiosus, aut utraque ex uno fonte fluxerunt. Est enim convenientius, ut Deus omnia fecerit potius quam nihil.

Ergo secundum sententiam Platonis, idem Deus et bonus est, quia bona fecit, et malus, quia mala. Quod si fieri non potest, apparet non ideo factum esse a Deo mundum, quia bonum est mundus. Omnia enim complexus est bona et mala, nec fecit propter se quidquam, sed propter aliud. Domus enim ædificatur, non ad hoc solum ut sit domus, sed ut suscipiat et tueatur habitantem. Item navis fabricatur, non ad hoc ut navis videatur tantum, sed ut in ea possint homines navigare. Vasa item fiunt, non ut vasa sint solum, sed ut capiant quæ sunt usui necessaria. Sic et mundum Deus ad usum alicujus fecerit necesse est. Stoici aiunt causa hominum factum esse, et recte. Homines enim fruuntur his omnibus bonis, quæ mundus in se continet. Sed ipsi homines cur facti sint, aut quid in illis utilitatis habeat illa rerum fabricatrix providentia, non explicant.

Immortales esse animas idem Plato affirmat (*Plato in Phæd., Phædon., Gorg., de Leg.*): sed cur, aut quomodo, aut quando, aut per quem immortalitatem assequantur, aut quodnam sit omnino tantum illud mysterium; cur ii, qui sunt immortales futuri, prius mortales nascantur, deinde decurso temporalis vitæ spatio, atque abjectis fragilium corporum exuviis, ad æternam illam beatitudinem transferantur,

VARIORUM NOTÆ.

mundum et hominem esse factum, et animas immortales existimavere. Sed cum ea senserunt, ii tamen divini. Ms. Reg., *sed cum ea senserunt, hujusmodi non tamen*, etc. Taurin., *vera sentirent, hujus tamen.*

Sed cum ea senserint. Legitur vero apud Buneman. *Sed cum vera sentirent.* Et hæc addit: Sic optime Taurin., Pfaffius et seqq. BUNEMAN.

Aliquo. Non est in editis.

Tamque. At in ms. Taurin, *tamquam.*

Fecerit. Ita Taur., Bodl, ed. Cellar. Cæteri editi *fecit.*

Bonus. Plato in Timæo post init.

Ergo. Deest in ms. Taurin.

Theodorus. Vide lib. de Ira Dei, c. 9.

Bona. Taurin. ms. *Si mala, ergo et bona, ut aut nihil fecerit Deus, aut si bona tantum.* — *Continebantur. Bona igitur.* Hæc oratio usque ad sect. 29, *Stoici aiunt*, accipienda est tanquam ab impio Theodoro prolata contra Platonem, quam adducit Lactantius, non approbat. Suam autem sententiam in sequenti capite declarat. BUN.

Continebantur. Si mala, ergo et bona, ut aut nihil fecerit Deus, aut si bona. Ita rectius ms. Taur. et Davisius, cujus lectionis vestigia supersunt in corruptis antiquis Ven. Inde Parrhas., Ald., Crat., Gymn., Betul., Tornæs., Thomas., Cel., Pfaffius, Heumann.: *Bona igitur et mala, aut nihil fecit Deus. Si bona.* Ex Bonon. Isæus, Gall., Spark.: *Si mala, ergo et bona, aut nihil fecit Deus, aut si bona tantum* BUN.

Ne æterniora quidem possunt. Vel legendum, *esse possunt*; vel, quod malim, *ne æterniora quidem sunt.* Davisius. Sed nihil hic addendum, nihil mutandum esse, ostendent exempla a me ad lib. de Mort. Persecut., cap. 16 BUN.

Convenientius. Ita Taurin., Bon. et ed. Is. In Reg. et cæt. ed., *conveniens.*

Secundum sententiam Platonis. Ita loquitur noster non quod opinetur hanc revera fuisse Platonis sententiam: sed ut ostendat, quomodo, data Platonis hypothesi, ratiocinari possit Theodorus, cujus h. l. personam gerit Lactantius, etc. DAVISIUS.

Idem. Sed ed. *ideo.* Minime vero; nam quæ sit philosophi sententia, liquet ex lib. II de Republ. ad finem.

Esse a Deo, etc. *Esse mundum, quia mundus bonus est. Quoniam complexus est.* Ita editi. — *Non ideo factum esse a Deo mundum, quia bonum est mundus.* Ita edo ex Taurin. cum Pfaffio et Davisio. His proximi Ven. utraque 1478, 93, 97, Pier., Paris., Parrhas., Ald., Crat., Gymn., Gryph., Tornæs. et Betul.: *Non ideo factum esse mundum, quia mundus bonus est* At pessime Thomasius, Isæus, Gall., Spark., Cellarius: *Apparet*, a Deo *factum esse mundum, quia mundus bonum est*, contra mentem Lactantii, ut observat Davisius, Platonem hic confutantis. BUN.

Omnia enim complexus est, bona et mala. Sic Taurin. Sic et ex Bonon. primus edidit Isæus. Impressi vett. habent, *quoniam enim complexus est.* Cellarius autem, *quoniam complexus est bona et mala.* BUN.

Fecit. Taurin. ms. *fiet.* — *Nec fiet propter se quicquam.* Ms. Taurin., *nec fiet.* Vide sequentia, et l. VII Institut., cap. 4: *Nihil est, quod sit propter se ipsum factum: sed quicquid omnino fit, ad usum aliquem fieri necesse est*, etc. Davisius legit, *nec fit.* Recte. BUN.

Enim. Deest in mss. Taur., Bon. et 5 vulgatis.

Ad hoc. Ita ms. Reg. et 6 edit. *Ad hoc* deest in ms. Taurin.

Tantum. Sic Taur. et ed. Is. Sed *tantum* deest in ed. cæteris.

Item. Autem ed. et ms. Reg.

Esse. Deest in ms. Taurin.

Utilitatis, etc. Hæc paulo aliter expressa sunt in ed.

Quodnam. Ita Bon., Taur., ed. Is. Cæteri ed., *quidnam tantum.*

Temporalis. Ita Taur., Bon., Bodl., ed. Is., Cellar. At Reg. et cæt. ed., *temporis.*

Digitized by Google

non comprehendit. Denique nec judicium Dei, nec discrimen justi et injusti explicavit : sed animas, quæ se sceleribus immerserint, hactenus condemnari putavit, ut in pecudibus renascantur, et ita peccatorum suorum lucre pœnas, donec rursus ad figuras hominum revertantur; et hoc fieri semper, nec esse finem transmeandi. Ludum mihi nescio quem inducit, somnio similem, cui nec ratio ulla, nec Dei gubernatio, nec consilium aliquod inesse videatur.

CAPUT LXIX, *alias* X.

(Lib. VII Inst., c. 5, 8 et seq.)

Mundum propter hominem, et hominem propter Deum esse factum.

Dicam nunc quæ sit illa summa, quam ne ii quidem, qui vera dixerunt, collatis in unum causis atque rationibus, connectere potuerunt. Factus a Deo mundus, ut homines nascerentur : nascuntur autem homines, ut Deum patrem agnoscant, in quo est sapientia; agnoscunt, ut colant, in quo est justitia; colunt, ut mercedem immortalitatis accipiant; accipiunt immortalitatem, ut in æternum Deo serviant. Videsne, quemadmodum sibi connexa sint et prima cum mediis, et media cum extremis? Inspiciamus singula, et videamus utrumne illis ratio quoque subsistat. Fecit ergo Deus mundum propter hominem. Hoc qui non videt, non multum distat a pecude. Quis cœlum suspicit, nisi homo? quis solem, quis astra, quis omnia Dei opera miratur, nisi homo? Quis colit terram? quis ex ea fructum capit? Quis navigat mare? Quis pisces, quis volatilia, quis quadrupedes habet in potestate, nisi homo? Cuncta igitur propter hominem Deus fecit, quia usui hominis cuncta cessere.

Viderunt hoc philosophi : sed illud quod sequitur non viderunt, quod ipsum hominem propter se fecerit. Erat enim consequens, et pium, et necessarium, ut cum hominis causa tanta opera molitus sit, cum tantum illi honoris, tantum dederit potestatis, ut dominetur in mundo, et homo agnosceret Deum tantorum beneficiorum auctorem, qui et ipsum fecit mundum propter ipsum, eique cultum et honorem debitum redderet. Hic Plato aberravit; hic perdidit quam primum arripuerat, veritatem, cum de cultu ejus Dei, quem conditorem rerum ac parentem fatebatur, obticuit, nec intellexit hominem Deo pietatis vinculis esse religatum, unde ipsa religio nominatur, et hoc esse solum, propter quod animæ immortales fiant. Sensit tamen æternas esse : sed non per gradus ad eam sententiam descendit. Amputatis enim mediis, incidit potius in veritatem, quasi per abruptum aliquod præcipitium; nec ulterius progressus est, quoniam casu, non ratione, verum invenerat. Colendus est igitur Deus, ut per religionem, quæ eadem justitia est, accipiat homo a Deo immortalitatem, nec est ullum aliud præmium piæ mentis : quæ si est invisibilis, non potest ab invisibili Deo, nisi invisibili mercede donari.

CAPUT LXX.

(Lib. VII Inst., c. 12, 13, 20, 21.)

Animæ immortalitas confirmatur.

Plurimis vero argumentis colligi potest æternas esse animas. Plato ait, quod per seipsum semper movetur, neque principium motus habet, etiam finem non habere : animum autem hominis per se semper moveri, qui quia sit ad cogitandum mobilis, ad inveniendum solers, ad percipiendum facilis, ad discendum capax, et quia præterita teneat, præsentia comprehendat, futura prospiciat, multarumque rerum et artium scientiam complectatur immortalem esse; siquidem nihil habeat in se terreni ponderis labe concretum. Præterea ex

VARIORUM NOTÆ.

Se. Non extat in ms. Taurin.

Immerserint. Sic Taurin., Bonon., Reg., ed. Crat., Is. In cæteris ed., *immiserint.*

Esse. Ita mss. Taur., Bon., ed. Is. Cæteri editi *citra* habent pro *esse;* ms. Reg. *circa.*

Summa. Ita mss. Bon. et Taurin. ac 3 editi; et sic passim loqui amat Lactantius. Reg. et 12 ed. *sententia.*

Ne. Ed. *nec.*

Rationibus. Ita Taurin., Bonon. In ed., *fictionibus;* in ms. Reg., *factionibus.*

Agnoscant, in quo est sapientia : agnoscunt. Egregie ita ex Taurin. Pfaffius lacunam explevit; nam in omnibus ante editis verba, *in quo est sapientia, agnoscunt*, desiderabantur. Bun.

In quo..... ut. Desunt in ed.

Æternum. In Ms. Taurin. *æterno.*

Sint. Taurin. ms. *sunt.*

Inspiciamus. Ms. Reg. et ed., *inspiciantur.*

Quoque. Deest in ms. Taurin.

Ratio subsistat. Vide not. ad l. VII, cap. 3. Recte Pfaffius in notis ad me missis, *subsistat*, id est *constet.*

Ergo. Deest in ms. Taurin.

Omnia. Deest in ed.

Hominis. In ed. *hominum.*

Viderunt. In ed. *recte ergo hoc viderunt philosophi.*

Tanta opera. Sic mss.; at editi, *tantam operam;* 1 Reg., *totam operam.*

Tantum. Ita mss. Taurin., Reg. et omnes fere ed. In ms. Bonon. *tantos illi honores.*

Tantum dederit potestatis. Editi legunt, *tantum illi potestatis tribuerit.* Abest *illi* a mss. Bonon., Reg.

In. Deest in ed. et in ms. Reg.

Dominetur mundo. Bonon., Taurin., Pfaff. et Davisius, *dominetur in mundo*, præferunt : at reliqui omnes et Heumannus, *dominetur mundo*, quod, quia latius patet, prætuli. L. VII Institut., cap. 4 : *Tantumque illi honoris tribuit, ut præficeret universis.* Bun.

Deum. In ed. *Dominum.*

Et ipsum. Deest in ed.

Pietatis. Ms. Reg. et ed., *potestatis.*

Esse. Ms. Reg. et ed., *est.*

Quod. At in Taurin. ms., *quid.*

Incidit, etc. Ita mss. Taur., Bon. et ed., Is., Spark. Cæteri ed., *incidit in totius rei veritatem.*

Casu, non ratione. In ms. Reg. et ed., *casu ad eam non ratione pervenerat.*

Nisi invisibili. Deest in ms. Taurinensi.

Plato. In Phædon. apud Ciceronem I Tuscul. et in Somn. Scip. et ad finem Caton. major.

Qui. Deest in editis.

Discendum. At in Taurin. ms., *dicendum.*

Et quia. In ed., *ut qui.*

Terreni ponderis labe concretum. Ita quoque Ven. 93, 1497, Pier., Crat., Betul., Paris., Thomas.; sed

Digitized by Google

virtute ac voluptate intelligitur æternitas animæ. Voluptas omnibus est communis animalibus; virtus solius est hominis: illa vitiosa est, hæc honesta; illa secundum naturam, hæc adversa naturæ, nisi anima immortalis est. Virtus enim pro fide et pro justitia nec egestatem timet, nec exilium metuit, nec carcerem perhorrescit, nec dolorem reformidat, nec mortem recusat: quæ quia naturæ contraria sunt, aut stultitia est virtus, si et commoda impedit, et vitæ nocet; aut si stultitia non est, ergo anima immortalis est, et ideo præsentia bona contemnit, quia sunt alia potiora, quæ post dissolutionem corporis sui assequatur. Illud etiam maximum argumentum immortalitatis, quod Deum solus homo agnoscit. In mutis nulla suspicio religionis est, quia terrena sunt, in terramque prostrata. Homo ideo B rectus aspicit cœlum, ut Deum quærat. Non potest igitur non esse immortalis, qui immortalem desiderat. Non potest esse solubilis, qui cum Deo et vultu, et mente communis est. Denique cœlesti elemento, quod est ignis, homo solus utitur. Si enim lux per ignem, vita per lucem, apparet eum, qui usum ignis habet, non esse mortalem, quoniam id illi proximum, id familiare est, sine quo non potest, nec lux, nec vita constare.

Sed quid argumentis colligimus æternas esse animas, cum habeamus testimonia divina? Id enim sacræ litteræ ac voces prophetarum docent. Quod si cui parum videtur, legat carmina Sibyllarum, Apollinis quoque Milesii responsa consideret; ut intelligat delirasse Democritum, et Epicurum, et C Dicæarchum, qui soli omnium mortalium, quod est evidens, negaverunt. Confirmata immortalitate, superest docere, a quo, et quibus, et quomodo, et quando tribuatur? Cum certa et constituta divinitus tempora compleri cœperint, interitum et consummationem rerum fieri necesse est, ut innovetur a Deo mundus. Id vero tempus in proximo est, quantum de numero annorum, deque signis, quæ prædicta sunt a prophetis, colligi potest. Sed cum sint innumerabilia, quæ de fine sæculi, et conclusione temporum dicta sunt, ea ipsa quæ dicuntur, nuda ponenda sunt, quoniam ut testimoniis utamur immensum est. Si quis illa desiderat, aut nobis minus credit, adeat ad ipsum sacrarium cœlestium litterarum, quarum fide instructior errasse philosophos sentiat, qui aut æternum esse hunc mundum, aut infinita esse annorum millia putaverunt, ex quo fuerit instructus. Nondum enim sex millia completa sunt, quo numero consummato, tunc demum malum omne tolletur, ut regnet sola justitia. Quod quatenus eventurum sit, paucis explicabo.

CAPUT LXXI, *alias* XI.

(Lib. VII Inst., c. 15, 16, 17, 19.)

De postremis temporibus.

Hæc a prophetis, sed ut vatibus, futura dicuntur. Cum cœperit mundo finis ultimus propinquare, malitia invalescet, omnia vitiorum et fraudum genera crebrescent, justitia interibit; fides, pax, misericordia, pudor, veritas non erit; vis et audacia prævalebit; nemo quidquam habebit, nisi male partum, manuque defensum. Si qui erunt boni, prædæ ac ludibrio habebuntur. Nemo pietatem parentibus exhibebit, nemo infantis aut senis miserebitur: avaritia et libido universa corrumpet. Erunt cædes et sanguinis effusiones. Erunt bella, non modo externa et finitima, verum etiam intestina. Civitates inter se belligerabunt: omnis sexus et omnis ætas arma tractabunt. Non imperii dignitas conservabitur, non militiæ disciplina: sed more latrocinii deprædatio et vastitas fiet. Regnum multiplicabitur, et decem viri occu-

VARIORUM NOTÆ

Cellarius cum Ven. utraque 1478, Gallæo, Isæo, Spark., imo et Bonon. Ms.: *de terreni ponderis labe.* Confer. de Ira, cap. 10.

Ac. An, pro *ac*, habent ed. ms.; Reg. *aut.*

Omnibus est communis. Ita Taur., Bonon. At Reg. et ed., *omnis communis.*

Et. Nec in ed. nec in ms. Taurin. extat. — *Pro justitia.* Restituo *et*, inquit Heumannus, e codice Taurinensi. At in Taurinensi *ET* quoque desideratur, addiderat ex ingenio Pfaffius; proscribit Davisius, ob D non infrequens asyndeton. Bun.

Etiam. Ms. Taurin. at ms. Reg. et ed., *autem.*

Quia terrena, etc. In ed., *quia terrena prospiciunt, homo.* Bonon., *terrena prostrata jacent.* Sic supra, lib. VII, cap. 9: *Quas pronis corporibus abjectas, in terramque prostratas.*

Non. In editis, *an.*

Immortalem. Recte. Vide præcedentia. Sed mss. Bonon. et Reg. habent *immortalitatem.*

Qui cum Deo, etc. Heuman. ita legit *cui cum Deo et vultus et mens communis est. — Qui cum Deo, et vultu et mente communis.* Sic omnes libri. Heumannus corrigit: *cui cum Deo, et vultus, et mens communis est;* quam emendationem melius, quam ex Opif. cap. 8, confirmare potuisset ex lib. VII, cap. 5, *quod vultus cum suo parente communis sit.* Bun.

Habet. Sed Taurin. ms., *habeat.*

Id. Deest in ms. Taurin.

Videtur. At ms. Reg. et ed. *videatur.*

Mortalium. Deest in ms. Taur.

A quo, etc. Ms. Reg. et ed., *a quo ei tribuatur.*

Interitum. At in editis est, *et interitum.*

Rerum. Non est in ms. Taurin.

Tempus. Ita Taurin., Bon., ed. Is. In ms. Reg. et in ed., *tempore.*

Prædicta. In Taurin. ms., *prædicata.*

Sint. Deest in ms.

Conclusione. Sic lego cum veter. Mss. Taur., Bon., At Reg. et ed., *consummatione.*

Nobis minus. Taurin. ms., *novissimus.*

Ipsum. Deest in editis.

Instructior. Sic habent mss. Bon., Reg. et ed. At Taurin., *instructus.*

Tunc. Sed *tum*, in ed. et ms. Reg. legitur.

Tolletur. Taurin. ms., *Tollatur.*

Hæc a prophetis, sed ut vatibus. At in editis *a prophetis et a vatibus.* — *Hæc autem a prophetis.* Caute, quæ sequuntur, sunt legenda. Vaticiniis enim fabulæ et somnia sunt admixta. Cellar.

Male. At Taurin. ms. *manu.* Ex libro VII Divin. Instit. cap. 15, hic reposuimus *male*; sic enim habet: *Nihil quisquam tunc habebit, nisi aut male quæsitum, aut defensum manu.*

Et. Deest in editis.

Tractabunt. Taur. ms., *tractabit.*

Vastitas. Ita mss Taur., Bonon., ed. Is. At ms. Reg. et cæteri editi, *vastatio.*

Digitized by Google

pabunt orbem, et partientur, et vorabunt; et existet alius longe potentior ac nequior, qui tribus ex eo numero deletis, Asiam possidebit, et cæteris in potestatem suam redactis et adscitis, vexabit omnem terram. Novas leges statuet, veteres abrogabit; rempublicam suam faciet, nomen imperii sedemque mutabit.

Tunc erit tempus infandum et execrabile, quo nemini libeat vivere. Denique in eum statum res cadet, ut vivos lamentatio, mortuos gratulatio sequatur. Civitates et oppida interibunt, modo ferro, modo igni, modo terræ motibus crebris, modo aquarum inundatione, modo pestilentia et fame. Terra nihil feret, aut frigoribus nimiis, aut caloribus sterilis. Aqua omnis partim mutabitur in cruorem, partim amaritudine vitiabitur; ut nihil sit nec ad cibos utile, nec ad potum salubre. His malis accedent etiam prodigia de cœlo, ne quid desit hominibus ad timorem. Cometæ crebro apparebunt. Sol perpetuo squalore fuscabitur. Luna sanguine inficietur, nec amissæ lucis damna reparabit. Stellæ omnes decident; nec temporibus sua ratio constabit, hyeme atque æstate confusis. Tunc et annus, et mensis, et dies breviabitur. Et hanc esse mundi senectutem ac defectionem Trismegistus elocutus est. Quæ cum venerit, adesse tempus sciendum est, quo Deus ad commutandum sæculum revertatur.

Inter hæc autem mala surget rex impius, non modo generi hominum, sed etiam Deo inimicus. Hic reliquias illius prioris tyranni conteret, cruciabit, vexabit, interimet. Et tunc erunt lacrymæ juges, luctus et gemitus perpetes, et ad Deum cassæ preces : nulla requies a formidine, nec somnus ad quietem. Dies cladem, nox metum semper augebit. Sic orbis terrarum pene ad solitudinem, certe ad raritatem hominum redigetur. Tunc et impius justos homines ac dicatos Deo persequetur, et se coli jubebit ut Deum. Se enim dicet esse Christum cujus erit adversarius. Ut credi ea possint, accipiet potestatem mirabilia faciendi : ut ignis descendat a cœlo; ut sol desistat a cursu suo; ut imago, quam posuerit, loquatur. Quibus prodigiis illiciet multos, ut adorent eum, signumque ejus in manu aut fronte suscipiant. Et qui non adoraverit, signumque susceperit, exquisitis cruciatibus morietur. Ita fere duas partes exterminabit, tertia in desertas solitudines fugiet. Sed ille vecors, ira implacabili furens, adducet exercitum, et obsidebit montem, quo justi confugerint. Qui cum se viderint circumsessos, implorabunt auxilium Dei voce magna, et exaudiet eos, et mittet eis liberatorem.

VARIORUM NOTÆ.

Vorabunt. Taur. ms., *devorabunt.*

Alius. Non est in editis.

Ex eo numero. Deest in ed. — *Ex eo numero.* Non sunt in mss. Bonon., imo nec in Taurin, ut Pfaffii notæ emendatæ nunc docent : unde Davisius et Heumannus corrigendi; adsunt vero in editis, et lib. VII Institut. cap. 16. Bun.

Asiam. Ms. Taur., *aliam*, male; ad quid enim referetur *aliam?*

Et. Non est in ed.

In potestatem suam. Ed. *in potestate sua.*

Adscitis. Ms. Reg. *ascisis.* Ed. *abscissis vorabit omnem.* Ms. Reg. etiam, *vorabit.*

Quo nemini libeat vivere. Desunt hæc in ms. Taurin.

Ut vivos. Sic ms. Taurin et Bon. in Reg. et editis legitur *ut omnes vivos.* Sed vox *omnes* prorsus est inutilis.

Modo ferro, modo igni. Legitur autem, *modo ferro et igni* apud Buneman., qui hujus variantis sic rationem reddit. —*Modo ferro et igni.* Pfaffius et Davisius, *modo ferro, modo igni.* At quia noster aliique ea non solent disjungere, et hic omnes priores editi, etiam Thomas. et Isæus exhibent, *modo ferro et igni*, illam copulam *et*, pro *modo*, revocavi cum Heumanno. Bun.

Frigoribus. In ed., *rigoribus.*

Amaritudine. At in ms. Taurin., *Amaritudinem.*

Potum. Taurin. ms., *potu.*

Accedent etiam, etc. Sed in Reg. et ed., *accident prodigia hominibus ad timorem.*

Perpetuo squalore fuscabitur. At Buneman. habet, *pallore fuscabitur*, et notam sequentem exhibet. — Pro minus nota notiorem vocem subdiderant priores editi omnes : *perpetuo squalore fuscabitur.* Commode Davisius affert ex Plinii lib. II Hist. nat. c. 80 : *Fiunt prodigiosi et longiores solis defectus.... totius pene anni pallore continuo.* Bun.

Luna, etc. At ita ed., *lunam color sanguinis obumbrabit.*

Reparabit. At Taurin. ms., *reparavit.*

Confusis. In mss., *confusi.*

Venerit. Sic mss. Bon., Reg. et ed.; at Taurin. ms. habet *evenerint.* — Buneman. quoque ex illo ms. et ex Davisio *evenerint* posuit. Unde illam notam exhibet. — Editi ante male, *venerit;* non enim ad mundi senectutem, sed *mala* verbum pertinet : unde optime Davisius observavit, hæc referre verba Hermenetis, producta a Lactantio lib. VII, cap. 18 : ἐπὰν δὴ ταῦτα γένηται, etc.

Quo. In Taurin. ms., *quod.*

Prioris. In Taurin. ms., *priorib.*

Et. Addidi ex Bonon. et Reg.

Erunt lacrymæ. Editi habent, *nonnisi etiam lacrymæ;* Bon. et Taur., *erunt.*

Ad Deum. Ita Taurin. et Bonon. At Reg. et ed., *ad eum.*

Formidine, etc. Sed ms. Reg. et edit., *ad formidinem, aut somnus ad quietem.* In Bonon. et Reg. est *ad quietem*; in Taur., *requiem.*

Metum. Taurin. ms. *tecum*, sed in aliis mss. et in edit. est *metus* aut *metum.*

Certe ad raritatem. Deest in edit. Sed sumpsimus ex ms. Taurin.

Et. Deest in edit.

Dicatos. Sic. mss. Taur., Bonon. Sed *deditos* est in ed.

Christum. Ed. *Deum* pro *Christum* habent : post *Christum* addunt editi *quum sit Antichristus.*

Ut credi ea possint. Buneman habet, *ut credi ei possit.*

A cœlo. In ed. *de cœlo.*

Desistat. In ms. Taurin. et utraque Ven. 1478, 93, 97, Paris. 1513, *resistat*, id est consistat, subsistat. Sæpe ita Cicero, Terentius, Seneca, alii. Ex Parrhasio *desistat*, omnes editiones, etiam Pfaffii invasit : at Davisius et Heumannus, *resistat.* Recte. Bun.

Suo. Non extat in editis.

Illiciet. In ed., *alliciet.* Verbo *illicere* passim utitur Lactantius.

Vecors. Ita mss. Taur., Bon. et ed. Is. Cæteri edit., *protervia.*

Et exaudiet eos. Sic mss., Taurin. Bonon., ed. Is., Crat. Cæteri ed., *et audiet eos Deus, et immittet.*

Digitized by Google

CAPUT LXXII.

(Lib. VII Inst., c. 20, 24, 26.)

De Christo e cœlo descendente ad universale judicium, et de regno millenario.

Tunc cœlum in tempestate patefiet, et descendet Christus in virtute magna ; et anteibit eum claritas ignea, et vis inæstimabilis angelorum ; et extinguetur omnis illa multitudo impiorum, et torrentes sanguinis current; et ipse ductor effugiet, atque exercitu sæpe reparato, quartum prælium faciet, quo captus cum cæteris omnibus tyrannis, tradetur exustioni. Sed et ipse dæmonum princeps, auctor et machinator malorum, catenis igneis alligatus, custodiæ dabitur, ut pacem mundus accipiat, et ut vexata tot sæculis terra requiescat. Pace igitur parta, compressoque omni malo, Rex ille justus et victor judicium magnum de vivis et mortuis faciet super terram : et viventibus quidem justis tradet in servitium gentes universas ; mortuos autem ad æternam vitam suscitabit, et in terra cum iis ipse regnabit, et condet sanctam civitatem, et erit hoc regnum justorum mille annis. Per idem tempus, et stellæ candidiores erunt, et claritas solis augebitur, et luna non patietur diminutionem. Tunc descendet a Deo pluvia benedictionis matutina et vespertina, et omnem frugem terra sine labore hominum procreabit. Stillabunt mella de rupibus : lactis et vini fontes exuberabunt. Bestiæ, deposita feritate, mansuescent, lupus inter pecudes errabit innoxius, vitulus cum leone pascetur, columba cum accipitre congregabitur, serpens virus non habebit, nullum animal vivet ex sanguine. Omnibus enim Deus copiosum atque innocentem victum ministrabit.

Peractis vero mille annis, ac resoluto dæmonum principe, rebellabunt gentes adversus justos, et veniet innumerabilis multitudo ad expugnandam sanctorum civitatem. Tunc fiet ultimum judicium Dei adversus gentes. Concutiet enim a fundamentis suis terram, et corruent civitates, et pluet super impios ignem cum sulphure et grandine, et ardebunt, et se invicem trucidabunt. Justi vero sub terra paulisper latebunt, donec perditio gentium fiat, et exibunt post diem tertium, et videbunt campos cadaveribus opertos. Tunc fiet terræ motus, et scindentur montes, et subsident valles in altitudinem profundam, et congerentur in eam corpora mortuorum, et vocabitur nomen ejus Πολυάνδριον. Post hæc renovabit Deus mundum, et transformabit justos in figuras angelorum, ut immortalitatis veste donati, serviant Deo in sempiternum. Tunc etiam impii resurgent, non ad vitam, sed ad pœnam. Eos quoque, secunda resurrectione facta, Deus excitabit, ut ad perpetua tormenta damnati, et æternis ignibus traditi, merita pro sceleribus suis supplicia persolvant.

CAPUT LXXIII, *alias* XII.

(Lib. VII Inst., c. ult.)

Spes salutis in Dei religione et cultu.

Quare cum hæc omnia vera et certa sint, prophetarum omnium consona annuntiatione prædicta, cum eadem Trismegistus, eadem Hystaspes, eadem sibyllæ cecinerint, dubitari non potest quin spes omnis vitæ

VARIORUM NOTÆ.

In tempestate. Ms. Reg. et ed., *intempesta nocte.*

Anteibit. Ita mss. Taur., Bon. At Reg. et ed., *antecedet.*

Vis inæstimabilis. Ed., *virtus. Inæstimabilis* autem, pro *innumerabilis*, vox Lactantio peculiaris. Vid. not. ad cap. 33 libri de Mortib. Persecut.

Omnibus. Non extat in ed. — *Cum cæteris omnibus.* Vulgg., *cum cæteris tyrannis :* Bonon., *Cum omnibus tyrannis.* Utramque lectionem conjunxit Taur., et merito quidem. Bun.

Tradetur. In ms. Taurin., *traditur.*

Igneis. Deest in ms. Taurin.

Et ut vexata, etc. Hic sequor ms. Bon. et 6 ed. *Ut* pro *et*, extat in editis cæteris. — *Vexata tot sæculis.* Edd. ante Thomasium, in his Tornæsianæ, neglexerunt voculam *tot*, quæ merito a Thomasio et seqq. est addita ; nam lib. VII, cap. 19 : *requiescet orbis, qui per tot sæcula..... pertulit servitutem.* Bun.

Parta. In Taur. ms., *parata.*

Servitium. Ita ms. Taur.; at Sueton. ed., *servitutem.* Vide cap. 21 lib. de Mortibus Persecutorum.

Iis. At in ms. Reg. et ed., *his.* De falso regno Christi millenario, vide not. ad lib. VII Divin. Instit., c. 14 et 24.

Hoc. Deest in edit.

Et. Deest in ms. Taurin.

Ministrabit. Ita Taurin., Bonon. At ms. Reg. et ed., *dabit.*

Resoluto. Id est, denuo soluto. Lib. VII, cap. 26 : *Solvetur denuo, et custodia emissus exibit.* Bun.

Adversus gentes. Sed ms. et ed., *delendamque sanctorum gentem. Concutiet.*

Fiet. Ms. Reg. et ed., *fient.*

Scindentur montes. At in ms. Reg. et ed., *scindent se montes, et subsident in latitudine vallis profundæ.*

In eam. Ms. Reg. et ed., *ea.*

Polyandrium. Πολυάνδριον. Habebant pagani xenotaphia, in quibus peregrinos sepeliebant. quæ polyandria etiam aliter appellabant, quod essent omnibus communia. Suidas.— Quod alii vocant cœmeterium, monumentum, dicitur etiam Polyandrium, a duabus vocibus græcis, πολὺς et ἀνὴρ, quod multi homines, πολλοὶ ἀνδρες, eo ferantur.

Figuras. Ms. Reg. et ed. *figuram.*

Immortalitatis. Ms. Taurin., *immortali.*

In sempiternum. Post verba hæc, ms. Taurin. addit : *Et hoc erit regnum Dei, quod finem non habebit.* Et sapit glossema ; nec legitur in libri septimi Divin. Instit. cap. 26.

Tunc etiam impii resurgent, non ad vitam, sed ad pœnam. In ms. Bonon. est *etiam*, in Reg. *em*, in Taur. *et*, in editis est *enim* pro *etiam*. Hæc Lactantius melius quam supra, lib. VII, cap. 20, ubi contrarium docuit.

Eos quoque. Editi, *eosque.*

Damnati et æternis. At in editis, *damnet æternisque.*

Supplicia. Non extat in editis.

Hæc omnia vera, etc. Sed in ms. Reg. et ed. *Hæc omnia vera ; omnium consona administratione prædicta.* Legitur *consona* in omnibus editis et mss. præter Taur., in quo est *consonanti*, in eodem et in Bonon., *adnunciatione.*

Hystaspes. Sic Taur. et Bon. mss.

Cecinerint. Ita Taurin., Bonon. At edit. *concinuerint.*

Quin spes. Sic Bon., Taur. Sed ed., *curæ spes omnes vitæ.*

Digitized by Google

ac salutis in sola Dei religione sit posita. Itaque nisi homo Christum susceperit, quem Deus ad liberationem misit atque missurus est, nisi summum Deum per eum cognoverit, nisi mandata ejus legemque servaverit, in eas incidet pœnas de quibus locuti sumus. Proinde fragilia contemnenda sunt, ut solida consequamur; spernenda terrena, ut cœlestibus honoremur; temporalia fugienda, ut ad æterna veniamus. Erudiat se quisque ad justitiam, formet ad continentiam, præparet ad agonem, instruat ad virtutem; ut A si forte adversarius indixerit bellum, nulla vi, nullo terrore, nullis cruciatibus a recto et bono divellatur, non se substernat insensibilibus figmentis, sed verum et solum Deum rectus agnoscat : abjiciat voluptates, quarum illecebris anima sublimis deprimitur ad terram : teneat innocentiam, prosit quamplurimis, incorruptibiles sibi thesauros bonis operibus acquirat, ut possit, Deo judice, pro virtutis suæ meritis, vel coronam fidei, vel præmium immortalitatis adipisci.

VARIORUM NOTÆ.

Sit posita. Ita Taur. Reg., ed. Is. Cæt. ed., *sint posita.* Ms. Bon., *sint positæ.*

Christum. Non est in ed.

Atque missurus est. Sic Bon., Reg. At multi ed. ista non habent, sed, *nisi summum Deum per eum, qui missus est, cognoverit.*

Legemque. Ms. Reg. et ed., *legesque..*

Honoremur. Ita ms., sed editi, *oneremur.*

Veniamus. Ms. Taurin., *fugiamus*, quod mox præcessit.

B *Formet.* Ita ms. Bon. In Taurin. est, *reformet*; in ed., *firmet.*

Præparet ad agonem. Deest in ms. Taurin.

Divellatur. Ms. Taurin., *depellatur.*

Agnoscat. Sic mss. Taur. et Bon., et ed. Is. Alii ed., *cognoscat.*

Immortalitatis. Ms. Bon., *immortalis.* Mendose.

SYLLABUS RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Elenchus operum quæ in hoc volumine continentur. 9.

Notitiæ biographicæ necnon et bibliographicæ de sanctis pontificibus Romanis, Marcellino, Marcello, Eusebio, Melchiade, et de Rheticio Æduensi episcopo. 10

SANCTUS MARCELLINUS PAPA.

§ primus. — Quando et quamdiu sederit. *Ibid.*

§ II. — De antiqua fabula qua Marcellinum idolis thus obtulisse vulgatum est. *Ibid.*

§ III. — *Vulgatæ synodi Suessanæ seu Sinuessanæ de Marcellino papa gesta.* 11

I. — Urbani et Marcellini altercatio. *Ibid.*

II. — De thurificatione Marcellini. 12

III. — De synodo in qua Marcellinus thurificasse se negat. 13

IV. — Damnantur Urbanus, Castorius ac socii. 14

V. — Presbyteri Romani damnationem Castorii et sociorum ratam habent. Marcellini causam discutiunt alii quinquaginta episcopi. 15

VI. — Suo eum judicio permittunt, et quinque clericorum damnationem approbant. 16

VII. — Marcellinum thurificasse probatur. Superinducuntur quatuor et quadraginta novi testes. Ipse se damnat Marcellinus. *Ibid.*

SANCTUS MARCELLUS PAPA.

§ I. — Quando et quamdiu sederit. 19

§ II. — De Constantia Marcelli in servanda pœnitentiæ disciplina 21

De sancto Marcello martyre Damasi papæ carmen, *Ibid.*

§ III. — De decreto quod Marcello adscribitur, ubi de usu quo pueros monasteriis parentes offerebant, disseritur. 22

SANCTUS EUSEBIUS PAPA.

§ I. — Quando et quamdiu sederit. 25

§ II. — In quo vulgatum de S. Eusebio carmen explicatur. 27

§ III. — De epistolis ac decretis Eusebio papæ adscriptis. *Ibid.*

SANCTUS MELCHIADES PAPA.

§ I. — Quando et quamdiu sederit. 29

§ II. — De litteris Maxentii imperatoris ac præfecti prætorio Melchiadi datis, quibus illi ecclesiis quæ fuerant ablatæ, restitui jubebant. 30

§ III. — Donatistarum causa Melchiadis cognitioni a Constantino imperatore demandatur. 32

§ IV. — Melchiadis sententia de Cæciliani causa. 33

§ V. — Melchiadis judicium Donatistæ antiqui respuunt, eumque postmodum traditionis librorum recentiores falso accusant. 38

§ VI. — De decretis Melchiadi papæ attributis. 40

Rhetecii episcopi Æduensis dictum de Baptismo. 46

Anonymi carmen de Laudibus Domini. *Ibid.*

Celsi in altercationem Jasonis et Papisci præfatio de Judaica incredulitate, ad Vigilium episcopum. 49

Præfatio Nicolai Lenglet Dufresnoy in Lactantium. 58

Lactantii Vita. 75

Insignium virorum testimonia de L. Cæcilio Firmiano Lactantio. 78

Synthesis doctrinæ Lactantii. 81-82 et seq.

Annotationes censoriæ in quædam Lactantii errata. 87-88.

Propositiones quæ in Lactantio reperiuntur ad fidem pertinentes a catholicis caute legendæ. 91-94

Elenchus manuscriptorum codicum Lactantii. *Ibid.*

Manuscripti codices. 94-100

Notitia manuscriptorum codicum Lucii Cæcilii Firmiani Lactantii, qui asservantur Romæ, in apostolica bibliotheca Vaticana. 102-104

LACTANTII DIVINARUM INSTITUTIONUM

LIBER PRIMUS. — *De falsa religione.* 110

Analysis hujus libri. *Ibid.*

Præfatio. — Quanti sit et fuerit semper cognitio veritatis. 112

Caput primum. — De religione et sapientia. 115

Cap. II. — Quod providentia sit in rebus humanis. 120

Cap. III. — Uniusne potestate Dei mundus regatur, an multorum. 122

Cap. IV. — Quod unus vere sit Deus a prophetis etiam prænuntiatus. 127

Cap. V. — De testimoniis poetarum et philosophorum. 129

Cap. VI. — De Divinis testimoniis et de Sibyllis et earum carminibus. 138

Cap. VII. — De testimoniis Apollinis et deorum. 148

Cap. VIII. — Quod Deus sine corpore sit, nec sexu ad procreandum egeat. 155

Cap. IX. — De Hercule, et ejus vita et morte. 156

Cap. X. — De Æsculapii, Apollinis, Neptuni, Martis, Castoris et Pollucis, Mercurii atque Liberi vita et gestis. 160

Cap. XI. — De Jovis ortu, vita, regno, nomine et morte, et de Saturno et Urano. 165

Cap. XII. — Quod Stoici figmenta poetarum ad philosophicam transferunt rationem. 184

Cap. XIII. — Quam vanæ sint et inanes Stoicorum interpretationes de diis; et ibi de Jovis ortu, Saturno et ope. 186

Cap. XIV. — Quid de diis Euhemeri et Ennii doceat sacra historia. 190

Cap. XV. — Quomodo cum fuerint illi homines, dii fuerint nominati. 192

Cap. XVI. — Qua ratione dii esse non possint, quos sexus

Digitized by Google

differentia discernit, et quod in naturam Dei non cadit officium generandi. 201
Cap. XVII. — De Stoicorum eadem sententia, et ibi de deorum ærumnis et turpitudinibus. 204
Cap. XVIII. — De deorum consecratione propter collata in homines beneficia. 209
Cap. XIX. — Quod Deum verum simul cum diis vanis nemo possit colere. 215
Cap. XX. — De diis Romanorum et eorum sacris. 216
Cap. XXI. — De diis Barbarorum quibusdam propriis, et eorum sacris, ac itidem de Romanis. 230
Cap. XXII. — Quid auctor prædictarum vanitatum in Italia apud Romanos fuerit, et quis apud alias gentes. 242
Cap. XXIII. — De vanarum superstitionum ætatibus, et quibus cœperint temporibus. 250
Liber secundus. — *De origine erroris.* 232
Hujus libri analysis. *Ibid.*
Caput primum. — Quod rationis oblivio faciat homines ignorantes veri Dei, qui colitur in adversis et in prosperis contemnitur. 253
Cap. II. — Quæ fuerit prima causa fingendi simulacra; de vera Dei imagine, et ejus vero cultu. 258
Cap. III. — Quod Cicero aliique doctiores peccaverunt, non avertendo populos ab errore. 265
Cap. IV. — De simulacris ornamentisque templorum, et eorum contemptu etiam ab ipsis gentilibus. 268
Cap. V. — Quod solus omnium creator Deus est colendus, non vero elementa, nec corpora cœlestia : refelliturque Stoicorum sententia qui stellas et astra deos putant. 276.
Cap. VI. — Quod nec mundus totus, nec elementa sint Deus, nec animata. 281
Cap. VII. — De Deo et religionibus insipientium; de avaritia et majorum auctoritate. 284
Cap. VIII. — De rationis usu in religione; deque somniis, auguriis, oraculis talibusque portentis. 287
Cap. IX. — De diabolo, mundo, Deo, providentia, homine et ejus sapientia. 293
Cap. X. — De mundo ejusque partibus, elementis et tempestatibus. 306
Cap. XI. — De animantibus, homine, Prometheo, Deucalione, Parcis. 311
Cap. XII. — Quod animalia non sponte nata sint, sed dispositione divina, cujus fecisset nos conscios Deus, si scire expediret. 316
Cap. XIII. — Quare duo sexus in homine; quid sit mors ejus prima, quid secunda; et de primorum parentum culpa et pœna. 319.
Cap. XIV. — De Noe vini inventore; qui primi scientiam astrorum habuerint, ac de ortu falsarum religionum. 326
Cap. XV. — De inquinatione angelorum, et duobus generibus dæmonum. 330
Cap. XVI. — Dæmones nihil posse in eos qui in fide solidati sunt. 334
Cap. XVII. — Astrologiam, aruspicinam et similes artes esse dæmonum inventa. 336
Cap. XVIII. — De Dei patientia et ultione, dæmonum cultu et falsis religionibus. 341
Cap. XIX. — De simulacrorum et terrenarum rerum cultu. 344
Cap. XX. — De philosophis, deque veritate. 345
Liber tertius. — *De falsa sapientia.* 346
Analysis hujus libri. *Ibid.*
Caput primum. — Veritatis collatio cum eloquentia; cur eam non sunt assecuti philosophi; de stylo simplici Scripturarum. 347
Cap. II. — De philosophia, et quam inanis fuerit ejus in exponenda veritate occupatio. 351
Cap. III. — Philosophia quibus rebus constet; et quis fuerit academicæ sectæ auctor primarius. 354
Cap. IV. — Scientiam a Socrate, opinationem a Zenone esse sublatam. 357
Cap. V. — Multarum rerum scientiam esse necessariam. 359
Cap. VI. — De sapientia, et Academicis et Physicis. 360
Cap. VII. — De philosophia ethica et summo bono. 362
Cap. VIII. — De summo bono et animi corporisque voluptatibus et virtute. 365
Cap. IX. — De summo bono, et de cultu veri Dei, atque Anaxagoræ refutatio. 371
Cap. X. — Proprium hominis est Deum cognoscere et colere. 374
Cap. XI. — De religione, sapientia, ac summo bono. 376
Cap. XII. — De duplici pugna corporis et animæ; atque de appetenda virtute propter vitam æternam. 378
Cap. XIII. — De animæ immortalitate, deque sapientia, philosophia et eloquentia. 383
Cap. XIV. — Quod Lucretius et alii erraverunt, ac ipse Cicero in statuenda sapientiæ origine. 386
Cap. XV. — Senecæ error in philosophia : et quomodo philosophorum oratio cum eorum vita pugnet. 390
Cap. XVI. — Quod recte docentes philosophi male vivant, teste Cicerone; unde non tam philosophiæ, quam sapientiæ studendum est. 395
Cap. XVII. — A philosophia ad philosophos transit, initio ab Epicuro sumpto; et quomodo Leucippum et Democritum habuerit auctores erroris. 398
Cap. XVIII. — Pythagorici et Stoici, animarum immortalitatem statuentes, voluntariam mortem inaniter persuadent. 405.
Cap. XIX. — Cicero et alii sapientissimi animarum immortalitatem, sed infideliter docent, et quod bona vel mala mors ex anteacta vita sit ponderanda. 410
Cap. XX. — Socrates aliis prudentior fuit in philosophia, quamvis in multis desipuerit. 414
Cap. XXI. — De Platonis doctrina, quæ respublicas destrueret. 417
Cap. XXII. — De Platonis præceptis, iisdemque reprehensis. 419
Cap. XXIII. — De erroribus quorumdam philosophorum, deque sole et luna. 421
Cap. XXIV. — De antipodibus, de cœlo ac sideribus. 425
Cap. XXV. — De addiscenda philosophia; et quanta ad ejus studium sint necessaria. 428
Cap. XXVI. — Sapientiam sola doctrina cœlestis largitur; et quam sit efficax lex Dei. 431
Cap. XXVII. — Quam parum philosophorum præcepta conferant ad veram sapientiam, quam in sola religione invenies. 433
Cap. XXVIII. — De vera religione, deque natura; fortuna num sit dea, et de philosophia. 436
Cap. XXIX. — De fortuna iterum et virtute. 440
Cap. XXX. — Epilogus ante dictorum; et qua ratione sit transeundum a vanitate philosophorum ad sapientiam veram et veri Dei cognitionem, in quo solo virtus est et beatitudo. 444
Liber quartus. — *De vera sapientia et religione.* 445-446
Analysis hujus libri. *Ibid.*
Caput primum. — De priore hominum religione, et quomodo error transfusus sit in omnem ætatem, ac de septem Græciæ sapientibus. 447
Cap. II. — Ubi quærenda sit sapientia; quare Pythagoras et Plato non accesserunt ad Judæos. 451
Cap. III. — Sapientia et religio divelli non possunt; necessarium est ut naturæ Dominus sit uniuscujusque pater. 453
Cap. IV. — De sapientia itidem et religione, atque de jure patris et domini. 456
Cap. V. — Oracula prophetarum sunt inspicienda; et de temporibus eorum, atque judicum et regum. 558
Cap. VI. — Deus omnipotentem genuit filium; atque de eo testimonia Sibyllarum et Trismegisti. 461
Cap. VII. — De nomine filii; atque unde Jesus et Christus appellatur. 465
Cap. VIII. — De ortu Jesu in spiritu et in carne; de spiritibus et testimoniis prophetarum. 465
Cap. IX. — De verbo Dei. 469
Cap. X. — De Jesu adventu; de Judæorum casibus ac eorum regimine usque ad passionem Dominicam. *Ibid.*
Cap. XI. — De causa incarnationis Christi. 478
Cap. XII. — De Jesu ortu ex Virgine, de ejus vita, morte, et resurrectione; atque de iis rebus testimonia prophetarum. *Ibid.*
Cap. XIII. — De Jesu Deo et homine; atque de eo prophetarum testimonia. 482
Cap. XIV. — De Jesu sacerdotio a prophetis prædicto. 487
Cap. XV. — De Jesu vita et miraculis; atque de iis testimonia. 490
Cap. XVI. — De Jesu Christi passione; quod fuerit prædicta. 495
Cap. XVII. — De Judæorum religionibus, ac eorum odio in Jesum. 499
Cap. XVIII. — De passione dominica, et quod ea prænuntiata fuerit. 502
Cap. XIX. — De Jesu morte, sepultura et resurrectione; atque de iis rebus prædicta. 510
Cap. XX. — De Jesu in Galilæam post resurrectionem profectione, atque de utroque Testamento, Vetere et Novo. 514
Cap. XXI. — De Jesu ascensione, eaque prædicta; et de discipulorum prædicatione et gestis. 516
Cap. XXII. — Argumenta infidelium contra Jesu incar-

Digitized by Google

nationem: 517
Cap. XXIII. — De præcipiendo et agendo. 519
Cap. XXIV. — Eversio argumentorum supra objectorum. 520
Cap. XXV. — De Jesu adventu in carne et spiritu, ut Deum inter et hominem mediator esset. 524
Cap. XXVI. — De cruce Jesu et cæteris tormentis, et de agni legalis figura. 525
Cap. XXVII. — De mirandis per crucis virtutem effectis, ac de dæmonibus. 531
Cap. XXVIII. — De spe et vera religione, atque de superstitione. 535
Cap. XXIX. — De religione christiana, et de Jesu cum Patre conjunctione. 538
Cap. XXX. — De hæresibus et superstitionibus vitandis, et quæ sit sola et vera Ecclesia catholica. 540
Liber quintus. — *De justitia.* 543-544
Analysis hujus libri. *Ibid.*
Caput primum. — De non damnandis reis, inaudita causa; unde Litteras sacras contempserint philosophi; de primis assertoribus religionis christianæ. 546
Cap. II. — Quantum a temerariis hominibus impugnata fuit veritas christiana. 552
Cap. III. — De veritate christianæ doctrinæ, et adversariorum vanitate; atque Christum non fuisse magum. 556
Cap. IV. — Cur istud opus editum sit; atque iterum de Tertulliano et Cypriano. 562
Cap. V. — Quæ sub Saturno erat vera justitia, hanc Jupiter fugavit. 564
Cap. VI. — Explosa justitia, cupiditas, iniquæ leges, audacia, avaritia, ambitio, superbia, impietas, aliaque regnarunt vitia. 567
Cap. VII. — De Jesu adventu et fructu; atque de ejus sæculi virtutibus et vitiis. 570
Cap. VIII. — De justitia omnibus nota ac non suscepta; de vero Dei templo, atque de ejus cultu, ut cuncta conterantur vitia. 572
Cap. IX. — De sceleribus impiorum, et Christianorum cruciatibus. 575
Cap. X. — De falsa pietate, et de falsa et vera religione. 580
Cap. XI. — De crudelitate gentilium in christianos. 584
Cap. XII. — De vera virtute; atque de existimatione boni aut mali civis. 587
Cap. XIII. — De Christianorum incrementis et supplicis. 589
Cap. XIV. — De Christianorum fortitudine. 593
Cap. XV. — De stultitia, sapientia, pietate, æquitate et justitia. 595
Cap. XVI. — De officiis viri justi, et æquitate Christianorum. 599
Cap. XVII. — De Christianorum æquitate, sapientia et stultitia. 602
Cap. XVIII. — De justitia, sapientia et stultitia. 604
Cap. XIX. — De virtute et Christianorum cruciatibus; ac de jure patris et domini. 609
Cap. XX. — De vanitate et sceleribus impiarum religionum, et Christianorum cruciatibus. 611
Cap. XXI. — De cultu deorum, et Dei veri; atque de bestiis quas coluerunt Ægyptii. 618
Cap. XXII. — De furore dæmonum in Christianos, et errore infidelium. 623
Cap. XXIII. — De justitia et patientia Christianorum. 625
Cap. XXIV. — De ultione divina in Christianorum tortores. 630
Liber sextus. — *De vero cultu.* 629-634
Analysis hujus libri. *Ibid.*
Caput primum. — De Dei veri cultu et innocentia, atque de cultu falsorum deorum. 634
Cap. II. — De falsorum deorum et veri Dei cultu. 637
Cap. III. — De viis et de vitiis et virtutibus; ac de cœli præmiis et infernorum pœnis. 641
Cap. IV. — De viis vitæ, de voluptatibus, necnon de incommodis Christianorum. 644
Cap. V. — De vera virtute et eadem falsa; ac de scientia. 649
Cap. VI. — De summo bono et virtute; deque, scientia ac justitia. 652
Cap. VII. — De via erroris ac veritatis; quod ea simplex sit, angusta et ardua, atque Deum habeat ducem. 657
Cap. VIII. — De erroribus philosophorum, ac varietate legum. 659
Cap. IX. — De lege et præcepto Dei; de misericordia atque errore philosophorum. 662
Cap. X. — De religione erga Deum, et misericordia erga homines; atque de mundi principio. 666
Cap. XI. — De personis in quas beneficium sit conferendum. 671
Cap. XII. — De generibus beneficentiæ et operibus misericordiæ. 676
Cap. XIII. — De pœnitentia, de misericordia et peccatorum venia. 684
Cap. XIV. — De affectibus ac de iis Stoicorum sententia, et de virtute, vitiis et misericordia. 686
Cap. XV. — De affectibus ac de iis Peripateticorum sententia. 788
Cap. XVI. — De affectibus ac de iis Peripateticorum eversa sententia: quis sit verus affectuum, quique eorum malus usus. 692
Cap. XVII. — De affectibus ac eorum usu; de patientia et summo bono Christianorum. 695
Cap. XVIII. — De quibusdam Dei mandatis et patientia. 698
Cap. XIX. — De affectibus eorumque usu, atque de tribus furiis. 703
Cap. XX. — De sensibus et eorum voluptatibus brutorum et hominis; atque de oculorum voluptate et spectaculis. 705
Cap. XXI. — De aurium voluptatibus et sacris Litteris. 713
Cap. XXII. — De saporis et odoris voluptatibus. 715
Cap. XXIII. — de tactus voluptate et libidine, atque de matrimonio et continentia. 716
Cap. XXIV. — De pœnitentia, de venia ac præceptis Dei. 722
Cap. XXV. — De sacrificio et de bono Dei digno; atque de forma laudandi Deum. 728
Liber septimus. — *De vita beata.* 731
Analysis hujus libri. *Ibid.*
Cap. primum. — De mundo: et qui sint crediturі, qui vero non, atque ibi reprehensio perfidorum. 733
Cap. II. — De errore philosophorum, ac de divina sapientia; atque de aureo sæculo. 739
Cap. III. — De natura et de mundo; atque reprehensio Stoicorum et Epicureorum. 740
Cap. IV. — Quod omnia in aliquem usum creata sunt etiam quæ mala videntur: quare homo in tam fragili corpore ratione fruatur. 746
Cap. V. — De hominis creatione, atque de dispositione mundi, et de summo bono. 749
Cap. VI. — Quare mundus et homo creati sunt; quam sit inanis cultus deorum, 757
Cap. VII. — De philosophorum varietate, eorumque veritate. 758
Cap. VIII. — De immortalitate animæ. 761
Cap. IX. — De æternitate animæ, atque de virtute. 764
Cap. X. — De vitiis et virtutibus, atque de vita et morte. 767
Cap. XI. — De temporibus postremis, atque de anima et corpore. 769
Cap. XII. — De anima et corpore; atque de conjunctione eorum, et discessu ac reditu. 771
Cap. XIII. — De anima ac testimonia de ejus æternitate. 777
Cap. XIV. — De mundi temporibus primis ac postremis. 779
Cap. XV. — De mundi vastatione ac mutatione imperiorum. 784.
Cap. XVI. — De mundi vastatione, ejusque prodigiis. 790
Cap. XVII. — De falso propheta et incommodis piorum, et illius internecione. 793
Cap. XVIII. — De mundi casibus in extremo, ac de iis prædictis a vatibus. 795
Cap. XIX. — De adventu Christi ad judicium, et de falso propheta devicto. 796
Cap. XX. — De Christi judicio, de Christianis atque de anima. 798
Cap. XXI. — De cruciatibus et pœnis animarum. 800
Cap. XXII. — De errore poetarum, atque de animæ reditu ab inferis. 803
Cap. XXIII. — De resurrectione animæ, atque ejus rei testimonia. 806
Cap. XXIV. — De renovato mundo. 808
Cap. XXV. — De postremis temporibus, ac de urbe Romana. 811
Cap. XXVI. — De dæmonis emissione, alteroque maximo judicio. 815
Cap. XXVII. — Adhortatio et confirmatio piorum. 818
Sancti Augustini Fragmentum de extremo judicio. 822
Dissertatio de septem div. institut. libris, auctore D. le Nourry.
Cap. Primum. — *Septem librorum analysis.*
Art. Primus. — Analysis libri primi. 825

Digitized by Google

Art. II. — Analysis libri secundi. 829
Art. III. — Analysis libri tertii. 833
Art. IV. — Analysis libri quarti. 838
Art. V. — Analysis libri quinti. 843
Art. VI. — Analysis libri sexti 848
Art. VII. — Analysis libri septimi. 852
Cap. II. — *De horum librorum auctore, titulo, argumentis, numero, divisione in capita, ac quas ob rationes in lucem editi sint.*
Art. Primus. — De horum librorum auctore, titulo, quid Institutionum Divinarum nomine intelligatur, de totius operis singulorumque librorum titulis, argumentis, numero, atque in capita divisione. 858
Art. II. — Quibus rationibus Lactantius ad hos libros conficiendos adductus sit, et utrum Minucius Felix, Tertullianus ac Cyprianus non plene suscepto defendendæ christianæ religionis muneri satisfecerint. 861
Art. III. — De duobus philosophis gentilibus, quorum impiis scriptis Lactantius ad hos libros divulgandos impulsus est, et utrum ab ipso christianæ religionis causa perfectius quam ab aliis, ac qua ratione defendatur. 863
Cap. III. — *De horum librorum ætate, ac variis fragmentis, quæ videntur inepte iis inserta, et de erroribus Lactantio adscriptis.*
Art. Primus. — Quo tempore Lactantius hos libros scripserit, et utrum duas divulgaverit eorum editiones. 868
Art. II. — Utrum Lactantius hos libros Constantino Magno nuncupaverit eumque una et altera oratione allocutus sit. 872
Art. III. — De fragmentis pluribus quæ spuria videntur, et Lactantii textui præpostere inserta. 876
Art. IV. — De variis erroribus Lactantio adscriptis. 882
Josephi Isæi Cæsenatis notæ in septem libros Div. Institut. Lactantii.
Notæ Isæi in lib. I. 883
Notæ Isæi in lib. II. 911
Notæ Isæi in lib. III. 941
Notæ Isæi in lib. IV. 955
Notæ Isæi in lib. V. 990
Notæ Isæi in lib. VI. 994
Notæ Isæi in lib. VII. 999
Admonitio O. F. Fritzsche in Divinarum Institutionum Epitomen. 1018
Lactantii Epitome Divinarum Institutionum ad Pentadium fratrem. *Ibid.*
Præfatio. Totius Epitomes ac Institutionum consilium et ratio *Ibid.*
Caput primum. — De Divina providentia. 1019
Cap. II. — Quod Deus sit unus nec possint esse plures. *Ibid.*
Cap. III. — De Deo uno testimonia poetarum. 1021
Cap. IV. — Quod Deus sit unus testimonia philosophorum. *Ibid.*
Cap. V. — Quod unum Deum vates, id est Sibyllæ prædicant. 1022
Cap. VI. Deus, cum sit æternus et immortalis, sexu et successione non eget. 1023
Cap. VII. — De Herculis vita faciuorosa et morte. *Ibid.*
Cap. VIII. — De Æsculapio, Apolline, Marte, Castore et Polluce, atque de Mercurio et Baccho. 1024
Cap. IX. — De Deorum turpitudinibus. *Ibid.*
Cap. X. — De Jove ac ejus vita libidinosa. 1025
Cap. XI. — Varia emblemata, quibus Jovis turpitudines velarunt poetæ. *Ibid.*
Cap. XII. Poetæ ea quæ ad deos spectant, non omnia fingunt. 1026
Cap. XIII. — Narrantur facta Jovis ex Euhemero historico. 1027
Cap. XIV. — Saturni et Urani gesta ex historicis desumpta. *Ibid.*
Cap. XV. — De diis Romanorum propriis. 1028
Cap. XVI. — De sacris deorum Romanorum. *Ibid.*
Cap. XVII. — De sacris introductis a Fauno et Numa. 1029
Cap. XVIII. — De diis et sacris Barbarorum. 1030
Cap. XIX. — De origine sacrorum et religionum. 1031
Cap. XX. — De aureo sæculo; de simulacris ac Prometheo, qui primus hominem effigiavit. 1032
Cap. XXI. De elementorum et astrorum cultu. [illegible]
Cap. XXII — De hominis creatione, peccato et [illegible] ac de angelis, tum bonis, tum malis. [illegible]
Cap. XXIII. — De dæmonibus ac eorum operatio[illegible] malis. [illegible]
Cap. XXIV. —De Dei patientia atque providentia. [illegible]
Cap. XXV. — De falsa sapientia. [illegible]
Cap. XXVI. — De scientia et opinatione. [illegible]
Cap. XXVII. — De philosophorum sectis ac [illegible] sione. [illegible]
Cap. XXVIII. — Quod summum bonum sit in vita [illegible] rendum. [illegible]
Cap. XXIX. — Quod ad justitiam nati sint [illegible]
Cap. XXX. — Quod immortalitas sit sum[illegible] num. [illegible]
Cap. XXXI. — De philosophis, scilicet Epicuro [illegible] thagora. [illegible]
Cap. XXXII. — De Socrate ac ejus contradi[illegible]
Cap. XXXIII. — De Platone, cujus doctrina ad [illegible] tatem propius accedit. [illegible]
Cap. XXXIV. — De variis philosophis ac de a[illegible] dis. [illegible]
Cap. XXXV. — De philosophorum insipientia. [illegible]
Cap. XXXVI. — De vera religione ac sapientia. [illegible]
Cap. XXXVII. — De sapientia religiosa; Christi [illegible] nulli notum, nisi ipsi et Patri. *Ibid.*
Cap. XXXVIII. — De Jesu Christi nomine et duplici nativitate. [illegible]
Cap. XXXIX. — Duplex Christi nativitas, ex prophetis probatur. [illegible]
Cap. XL. — Christi virtus et opera probantur ex Scripturis. *Ibid.*
Cap. XLI. — Probatur ex prophetis passionem ac mortem Christi prænuntiatam fuisse. [illegible]
Cap. XLII. — De Jesu Christi resurrectione, apostolorum missione, Servatorisque in cœlum ascensione. [illegible]
Cap. XLIII. — De Judæorum exhæredatione, et gentilium adoptione. *Ibid.*
Cap. XLIV. — Quod Deus non est nisi unus. [illegible]
Cap. L. Cur Deus humanum corpus assumpsit, ac [illegible] tem passus fuit. [illegible]
Cap. LI. — De morte Christi in cruce. *Ibid.*
Cap. LII. — Spes salutis hominum in [illegible] gatione, et de odio Ethnicorum in Christianos. [illegible]
Cap. LIII. — Rationes in Christianos expendentur et refelluntur. [illegible]
Cap. LIV. — De religionis libertate in adorando Deo. [illegible]
Cap. LV. — Ethnici justitiam in sequendo Deo crimine impietatis infamant. [illegible]
Cap. LVI. — De justitia, quæ est veri Dei cultus. [illegible]
Cap. LVII. — De sapientia et stultitia. [illegible]
Cap. LVIII. — De vero cultu Dei et sacrificio. [illegible]
Cap. LIX. — De viis vitæ et primis mundi temporibus. [illegible]
Cap. LX. — De justitiæ officiis. [illegible]
Cap. LXI. — De affectibus. [illegible]
Cap. LXII. — De voluptatibus sensuum coercendis. [illegible]
Cap. LXIII. — Spectacula esse potentissima ad corrumpendas animas. [illegible]
Cap. LXIV. — Affectus sunt domandi et a vetitis abstinendum. [illegible]
Cap. LXV. — Præcepta eorum quæ jubentur et de misericordia. [illegible]
Cap. LXVI. — De fide in religione, et de fortitudine. [illegible]
Cap. LXVII. — De pœnitentia, animæ immortalitate, et de providentia. [illegible]
Cap. XLVIII. — De mundo, homine et Dei providentia. [illegible]
Cap. XLIX. — Mundum propter hominem, et hominem propter Deum esse factum. [illegible]
Cap. LXX. — Animæ immortalitas confirmatur. [illegible]
Cap. LXXI. — De postremis temporibus. [illegible]
Cap. LXXII. — De Christo e cœlo decendente ad universale judicium, et de regno millenario. [illegible]
Cap. LXXIII. — Spes salutis in Dei religione et cultu. [illegible]

FINIS TOMI SEXTI.

Digitized by Google